R. P. DIDACI DE AVENDAÑO

SOCIETATIS IESV,

SEGOVIENSIS,

In PERVVIO iam pridem publici & primarij S. Theologiæ Profeſſoris, & in Sacro Inquiſitionis Sanctæ Tribunali adlecti Cenſoris,

THESAVRVS INDICVS,

SEV GENERALIS INSTRVCTOR,

Pro regimine conſcientiæ, in iis quæ ad INDIAS ſpectant.

TOMVS SECVNDVS

Circa ſpiritualia totus: Sacramenta inquam, Præcepta Eccleſiæ, Priuilegia pro ipſis, Indulgentias, & Sacrorum Hominum ſtatus.



ANTVERPIÆ,
Apud IACOBVM MEVRSIVM.
Anno M. DC. LXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX
TITVLORVM,
CAPITVM,
ET PARAGRAPHORVM
SECVNDI HVIVS TOMI.

TITVLVS XII.

De Priuilegiis Indorum. *N.* 1.

CAPVT I.

PRiuilegia quæ alijs pro bono ſunt Indorum conceſſa, an Indorum ipſorum ſint dicenda. 2
CAPVT II. *An Indica priuilegia ſint fauorabiliter accipienda, augenda, & amplianda.* 6
CAPVT III. *Priuilegia Indica an ſint perpetua.* 11
CAPVT IV. *Quomodo currat tempus Indicorum priuilegiorum, vt certi prorogationis termini poſſint aſſignari.* 31.
Digreſſio *Circa Breue Innocentij X. nouam formam in Societatis gubernatione ſtatuentis; cuius tenor apponitur* 39
§. I. *De conuenientiâ dictæ Conſtitutionis.* 40
§. II. *An Conſtitutio dicta ſit fauorabilis vel odioſa.* 46
§. III. *Nouennium ad Congregationes Generales quomodo computandum.* 52
§. IV. *Nouorum Aſſiſtentium in Congregatione eligendorum obligatio qualis.* 55
§. V. *Circa triennium Superiorum qualis vrgeat obligatio.* 59
§. VI. *Quinam Superiores Conſtitutionis vinculo conſtringantur, & quæ in eâdem officia videantur comprehenſa.* 70
§. VII. *De Magiſtro Nouitiorum.* 76
§. VIII. *De ſeſqui annua vacatione Superiorum. Vbi variæ Difficultates circa illam.* 82
§. IX. *Pœnæ contrauenientibus impoſita quos ſint dicendæ comprehendere.* 96.
§. X. *De diſpenſatione per ſeptennium à SS. D. Alexandro VII. Prouincijs Indiarum circa conſtitutionem impenſa.* 101
CAPVT V. *An Priuilegia vni Prouinciæ Indiarum conceſſa, alijs etiam Prouincijs concedantur.* 112.
CAPVT VI. *An inter Indias, & Prouincias extra illas communicatio Priuilegiorum ſit.* 117
CAPVT VII. *De communicatione Indicorum Priuilegiorum inter Religiones. Et Difficultas I.* 131.
Difficultas II. 137
Difficultas III. 139
Difficultas IV. 149
Difficultas V. 153
Difficultas VI. 163
Difficultas VII. 165
Circa diuerſas in Compendijs Adnotationum formulas vtilis excurſio pro earum intelligentia. 176
Dubium ſpeciale & opportunum. 185
Dubium aliud circa praxim vtiliſſimum. 188.

De Priuilegiis Indorum circa Sacramenta.

CAPVT VIII. *De Priuilegijs circa Baptiſmum.*
Difficultas I. An quæuis neceſſitas Indis

pro Baptiſmi receptione ſine ſolemnitate ſufficiat. 194
Difficultas II. An alij præter Parochos ſine eorum licentia poſſint Indos ſolemniter baptizare. 197
Difficultas III. An pro filijs Regulorum apud Indos extet aliquod priuilegium circa Baptiſmum. 201
CAPVT IX. De Priuilegijs circa Sacramentum Confirmationis. 205
CAPVT X. De Priuilegijs circa Sanctum Euchariſtiæ Sacramentum. 219
De Altari Portatili. 226
Dubium incidens. 233
De Priuilegio circa tempus dicendi Miſſam. 237
De Priuilegijs circa ſumptionem Particularum Euchariſtiæ peracto Miſſæ ſacrificio. 243
De Priuilegijs circa ornamentorum, &c. benedictionem. 252
De benedictione Eccleſiarum, Cœmeteriorum, Oratoriorum, aliorumque. 261
De Priuilegijs circa adminiſtrationem Euchariſtiæ extra Miſſæ Sacrificium. 265.
De Priuilegijs pro Duabus Miſſis ſacerdotis vnius eodem die. 274
CAPVT XI. De Priuilegijs circa Sacramentum Pœnitentiæ.
§. I. An reſpectu Indorum ſit peccatum aliquod reſeruatum, à quo abſoluere nequeant approbati Confeſſarij. 293
§. II. An quod de Indijs dictum eſt, ad omnes Indiarum incolas poſſit extendi. 300
§. III. Notanda quædam circa vſum Priuilegiorum, de quibus dictum. 314.
§. IV. Quid circa abſolutionem Religioſorum ſpecialius habeatur. 323
§. V. De Priuilegijs Indicorum Confeſſariorum circa approbationem. 329
CAPVT XII. De Priuilegijs Indorum circa Sacramentum Extremæ vnctionis. 345
Specialis caſus, & vtilis pro Reſolutione doctrina. 364
CAPVT XIII. De Priuilegijs Indorum circa Sacramentum Ordinis. 368.
CAPVT XIV. De Priuilegijs Indorum circa Sacramentum Matrimonij. 375.
Aſſertiones aliæ pro eodem. 382
Alia circa eamdem materiam Pronuntiata. 395
De ijs, qui conuertuntur, & ante conuerſionem plures vxores habuerunt. 414.

De Priuilegiis Indorum circa Præcepta Eccleſiæ.

CAPVT XV. De Priuilegiis circa Feſtorum obſeruationem. 417
CAPVT XVI. De Priuilegiis Indorum circa ſecundum Eccleſiæ Præceptum annuæ Confeſſionis. 428
Bulla Vrbani VIII. 430
CAPVT XVII. De Priuilegiis Indorum circa ſacram Communionem, ſecundùm quod tertio eſt Eccleſiæ indicta Præcepto. 432
CAPVT XVIII. De Priuilegiis Indorum circa quartum Eccleſiæ Præceptum de Jeiunio. 441
CAPVT XIX. De Priuilegiis Indorum circa decimas, & primitias, pro quibus quintum Eccleſiæ Præceptum.
Aſſertiones aliæ pro eodem. 453
Ad oblationes qualiter teneantur. 458
CAPVT XX. De Priuilegiis Indorum circa diſpenſationes in votis. 460.
CAPVT XXI. De Priuilegiis circa petitionem coniugalis debiti. 466.
CAPVT XXII. De nonnullis aliis Indorum Priuilegijs. 477
CAPVT XXIII. De Indulgentijs pro Indis, & Indijs, ab Apoſtolica Sede conceſſis. 489
Indulgentiæ aliæ ex Bullâ Innocentij X. 491
Circa Catechumenos doctrina vtilis, nonnullis adiectis. 508

TITVLVS XIII.

De Indiarum Epiſcopis. Pro explicatione onerum, quæ conſcientiis ipſorum incumbunt. *Num.* 1.

CAPVT I.

AD Indicos Epiſcopatus damnabilis per munerum largitionem ingreſſus. Vbi

Vbi caſus aliquot peculiares. 4
CAPVT II. *Circa Religioſos Pronuntiata nonnulla.* 14
CAPVT III. *Qualiter Apoſtolicæ Litteræ ad conſecrationem Indicorum Epiſcoporum requirantur, ſicut & ad officij adminiſtrationem.* 19
CAPVT IV. *Epiſcopi Indiarum an ſola Regia præſentatione poſſint Eccleſias, quibus præſunt, deſerere, & ad eas, pro quibus ſunt præſentati conuolare.* 40
CAPVT V. *Circa Indicos Archiepiſcopos vtilia Pronuntiata.* 49
CAPVT VI. *Peculiares obligationes Indicorum Epiſcoporum.*
§. I. *De obligationibus circa Indorum ſalutem procurandam.* 63
§. II. *De obligationibus circa obſeruantiam Regij Patronatus.* 70
§. III. *Quæ congruæ ſuſtentationi ſuperſunt qualiter diſtribuere teneantur.* 72
§. IV. *In Quartæ exactione quomodo peccare poſſint.* 84
§. V. *Non poſſe officia vendere, quibus in ſui muneris executione iuuantur.* 85
§. VI. *Peccare grauiter, ſi ſubditorum non ſuſcipiant protectionem. Et quomodo in eo ſe gerere debeant.* 93
Appendix de Patriarchâ Indiarum. 95

TITVLVS XIV.

De Indicorum Epiſcoporum Vicarijs Generalibus.

CAPVT I.

Quales eſſe Indicorum Epiſcoporum Generales Vicarij debeant. Numer. 1.
CAPVT II. *An Parochi Indiarum poſſint eſſe Vicarij generales.* 4
CAPVT III. *An Præbendarij Cathedralium poſſint eſſe Vicarij Epiſcoporum.* 9
CAPVT IV. *Vtrum Vicarij generales eſſe poſſint, quos Epiſcopi ex Hiſpaniâ ſecum afferunt, aut inde ad tale munus accerſunt.* 13
CAPVT V. *Ratione officij in quibus grauiter peccare contingat Vicarios Indicorum.* 15

TITVLVS XV.

De Viſitatoribus Epiſcoporum. Num. 1. & 2.

CAPVT I.

De Procuratione Viſitatoribus tribuenda. 3
CAPVT II. *De obligatione reſtitutionis eorum, quæ à Viſitatoribus illicitè recipiuntur.* 8
Reſolutio Aſſertionibus propoſita, & roborata. 14
Aſſertiones aliæ circa abſolutionem à pœnis ob illicitam receptionem incurſis. 19.
CAPVT III. *An vſus quorumdam Indicorum Epiſcoporum probari debeat, qui Viſitatores ſecum ducunt, dum per diœceſim diſcurrunt.* 23
CAPVT IV. *De nonnullis alijs circa Viſitatores.* 27

TITVLVS XVI.

De Indicis Parochis, ac præſertim Indorum.

CAPVT I.

De Parochis Indicis Hiſpanorum, peculiaria quædam proponuntur.
§. I. *Circa notitiam linguæ Indicæ. Vbi notanda nonnulla de obligatione prædicationis in Parochis.* Num. 1.
§. II. *Obligationes aliæ eorumdem Parochorum.* 6
§. III. *Difficultates nonnullæ circa eoſdem expeditæ.* 10
§. IV. *Aliqua inſuper circa prædictos notatu digna.* 20
§. V. *De Quarta funerali, ac Canonica portione ab Indicis Parochis exſoluenda.* 24
Aſſertiones circa Quartæ obligationem. 28
Circa quartam Sede Vacante. 36
Circa oblationes Reſolutio poſtrema. 41
CAPVT II. *Circa Indorum Parochi nonnulla percurruntur.* 43
CAPVT III. *Parochis Indorum vt ſit prohibita cohabitatio fœminarum, & obſeruanda circa illam.* 52
CAPVT IV. *Parochi Indorum*

Digitized by Google

quam habeant ſpecialem obligationem circa Sacramentum Baptiſmi. 59.
CAPVT V. *Circa Sacramentum Pœnitentiæ Parochi Indorum qualiter obligentur.* 71
CAPVT VI. *Indorum Parochis quæ obligationes circa Sacramentorum aliorum adminiſtrationem incumbant.* 78.
CAPVT VII. *Indorum Parochi circa morituros & mortuos vt ſe gerere debeant.* 86
CAPVT VIII. *Quædam alia pro Indorum Parochis.* 89
Dubiorum quorumdam circa Tabachum Reſolutiones. 97
Alia circa eamdem materiam. 105
CAPVT IX. *Circa miniſterium Altaris nonnulla alia pro Indorum Parochis.* 107

TITVLVS XVII.

De Parochis Indorum Religioſis.

CAPVT I.

AN *expediat Religioſos circa Indos munus ſuſcipere Parochorum.* Numer. 1.
CAPVT II. *An Religioſi Indorum Parochi ex iuſtitiâ, & non ſolùm ex charitate Parochiale debeant officium exercere.* 9
CAPVT III. *An Religioſi Indorum Parochi Beneficium propriè Eccleſiaſticum habeant, & teneantur illud acceptare per Canonicam inſtitutionem, Ordinario conferente, & non tantùm in Commendam.* 16
CAPVT IV. *An Religioſi Indorum Parochi ad examen ab Ordinario faciendum teneantur.* 26
CAPVT V. *An Prælati Religioſi pro Parochis Indorum debeant proponere digniores.* 32
CAPVT VI. *An Religioſi Prælatorum poſſint præcepto compelli ad Parochialem curam Indorum.* 37
CAPVT VII. *Qualiter Religioſi Parochi ad viſitationem ab Ordinario faciendam teneantur.* 43
CAPVT VIII. *Qualiter Religioſi Indorum Parochi Religionis vinculis teneantur.* 54
Circa votum Paupertatis. 55
Circa votum Obedientiæ. 62
Circa obligationem habendi ſocium ex eadem Religione. 64

TITVLVS XVIII.

De Præbendarijs Eccleſiarum Cathedralium Indicarum.

CAPVT I.

AN *proviſionis titulum accipientes pro Cathedralium Indicarum Præbendis, ſi admittant, debeant ſtatim ad ſeruiendum, præſentatione exhibitâ, ſe conferre.* Num. 1.
CAPVT II. *An tutâ conſcientiâ pauci Præbendarij, ad quos eſt numerus ſtatutus in erectione redactus, eorum poſſint emolumenta lucrari.* 7
CAPVT III. *Quomodo debeat Præbendariorum defectus ſuppleri.* 14.
CAPVT IV. *An eo quòd decimalia emolumenta in Indijs ad diſtributiones quotidianas Eccleſijs ſint redacta, obligatio erogandi ſuperflua pauperibus, &c. in Præbendarijs minuatur.* 19
CAPVT V. *Quid circa congruitatem ſuſtentationis obſeruare Indici debeant Præbendarij.* 24
CAPVT VI. *De obligatione Indicorum Præbendariorum circa aſſiſtentiam in diuinis officijs.* 28.
CAPVT VII. *Quæ abſentia in Præbendarijs Indicis debeat juſta reputari.*
§. I. *De juſtâ cauſâ ratione ſtudiorum.* 38
§. II. *De juſtâ abſentiæ cauſâ ratione Magiſterij.* 51
§. III. *De cauſſis alijs, & ſpecialiter de ijs, quæ pro Indijs in Limenſi ſunt ſtatuta Concilio.* 55
CAPVT VIII. *Vtrùm Indici Præbendarij abſentes lucrari fructus Præbendæ poſſint ex aliorum condonatione.* 59.
CAPVT IX. *Permiſſæ vacationis menſibus an Præbendæ fructus debeantur. Et quid ſpeciale circa Indicos Præbenda-*

Digitized by Google

bendarios. 64
CAPVT X. Quædam aliæ obligationes circa Præbendarios Indicos percurruntur. 71
De Canonico Magiſtrali. 80
De Canonico Doctorali. 83
De Canonico Scripturario. 84
De Canonico Pœnitentiario. 85
De Scholiarcha, & Cantore. 87
De Portionarijs. 90
De Capellanis Chori, alijſque. 91

TITVLVS XIX.

De Capitulis Cathedralium Eccleſiarum, Sede præſertim vacante.

CAPVT I.

Circa Capitula Indicarum Cathedralium adnotantur nonnulla ad forum conſcientiæ pertinentia, cùm Sedes plena. Num. 1
CAPVT II. Quando Sedes dicatur vacare, & quomodo circa hoc peccare Capitulum poſſit. 6
CAPVT III. Circa obligationem Vicarij Generalis eligendi qualiter Capitulum in conſcientiæ foro teneatur. 14
CAPVT IV. Circa Viſitationem Diœceſis quid debeat à Capitulis Indicarum Eccleſiarum Sede Vacante præſtari. 25
CAPVT V. Circa Beneficia quid poſſint Indicarum Eccleſiarum Capitula, & quæ circa hoc poſſint eorum conſcientias aggrauare.
§. I. De reſignatione in fauorem. Numer. 1.
§. II. De Permutationibus. An valeant Vacante Sede. Et quæ in illis conſcientiæ grauamina. 38
§. III. Frequentes in Indijs caſus circa Permutationes. Et quid iuris interni circa illos. 52
CAPVT VI. Circa diſpenſationes quid Capitulum vacante Sede poſſit in Indijs. Et quæ inde pericula conſcientijs Capitularium immineant. 62
Circa diſpenſationem in homicidio an quidquam ſpeciale in Indijs. 75
Circa bigamiam an etiam ſpeciale quidquam. 78
Circa diſpenſationes Matrimoniales. 80
De peculiaribus quibuſdam Facultatibus Indiarum Epiſcopis conceſſis. 86
CAPVT VII. Nonnulla circa Capitulum Sede Vacante in Indijs percurruntur. 88

APPENDIX

AD TITVLVM XVI.

De Clericis Indiarum.

Caſus ſpecialis. Num. 25

APPENDIX

AD TITVLVM XVII.

De Religioſis Indiarum.

TITVLVS XX.

De Apoſtolicorum Inquiſitorum in regnis Indiarum obligationibus.

CAPVT I.

INdicis Inquiſitoribus quale circa munerum receptionem conſcientiæ onus incumbat. Num. 1.
CAPVT II. De Inquiſitorum culpa, dum ex immoderantia affectuum poteſtatem exercent, aut ſuſpendunt. 17.
CAPVT III. Inquiſitores Indicos qualiter peccare poſſit accidere, cauſſarum expeditione protracta, etiam vbi ciuiliter agitur. 23
CAPVT IV. De nonnullis alijs Inquiſitorum Indicorum obligationibus in conſcientiæ foro. 27
CAPVT V. De obligatione peculiari Indicorum Inquiſitorum circa Concordata, quibus & Regiæ iuſtitiæ, & illorum poteſtatis ſunt limites deſignati. 34.
Circa Primum Concordatorum Capitulum. 35
Circa Secundum. 37
Circa Tertium. 39
Circa Quartum. 41
Circa Quintum. 47

Circa

Digitized by Google

INDEX TITVLORVM

Circa Sextum. 50
Circa Septimum. 51
Circa Octauum. 52
Circa Nonum. 53
Circa Decimum. 54
Circa Vndecimum. 55
Circa Duodecimum. 57
Circa Decimum-tertium. 58
Circa Decimum-quartum. 60
Circa Decimum-quintum. 62
Circa Decimum-ſextum. 64
Circa Decimum-ſeptimum. 66
Circa Decimum-octauum. 68
Circa Decimum-nonum 70
Circa Vigeſimum. 76
Circa Vigeſimum-primum. 79
Excurſio breuis circa Indicas Vniuerſitates. 82
Circa ſubornationem obſeruanda & notabilis Reſolutio. 94
De Vniuerſitatibus Societatis IESV. 111.
Circa Religioſos Reſolutio poſtrema. 118
Circa Vigeſimum-primum Concordatorum Capitulum alia item nonnulla. 122
Circa Vigeſimum-ſecundum. 128
Circa Vigeſimum-tertium. 130
Circa Vigeſimum-quartum. 135
Circa Vigeſimum-quintum. 137
Circa Vigeſimum-ſextum. 159



THESAVRI

Digitized by Google

THESAVRI ET INSTRVCTORIS INDICI

TITVLVS DVODECIMVS.

De Priuilegiis Indorum.

N. 1 *Quanta Indis à Regibus priuilegia cōceſſa, & de quibus præſertim diſſerendū.*

SVnt illa non pauca, & circa quæ poſſunt non leues difficultates occurrere: ac proinde quæ opportuna de illis viſa fuerint, diſcutiemus. Et de iis, quæ ad temporalia pertinent, atque à Regibus concedi poſſunt, nihil videtur dicendum ſupereſſe. In ordino autem ad eorum rectam & pacificam gubernationem multa ſunt ab eiſdem diſpoſita, quæ ſi obſeruentur, nihil illis vlterius exquirendum reſtat: & vt obſeruatio vigeat, ſolicitâ eſt etiam monitionum repetitione prouiſum. Ultra humanæ autem prouidentiæ facultatem eſt omnia imperata compleri, & præſertim ad partes longinquas directa. Quamuis certò mihi conſtet in ſupremis Magiſtratibus zelum talis obſeruantiæ feruere, & tum eos, tum Regia Prætoria, omnia, quæ ad Indos ſpectant, cum omni pietate tractare, & vt reſcripta Regia executioni mandentur vrgere. Sed manus ſæpiùs pares conatibus imperantium cum dolore deficiunt: vnde id euenit, quod à D. Eſcalona ſcriptum in *Gazophylacio Peruuiano Lib.* 1. *Cap.* 16. *num.* 1. ſcilicet ea, quæ multis cautionibus in fauorem & leuamen Indorum piè & prudenter decreta ſunt à Supremo Indiarum Senatu, & Indicis Proregibus, nuſpiam benè obſeruata reperiantur. Pro gubernatione ergo Indorum continuatum eſſe videtur priuilegium, ſi contingat feliciter obſeruari. Ex quibus ſpecialia quædam proponit & diſcutit Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 1. *Cap.* 27. & in Politica *Lib.* 2. *Cap.* 28. & ad res temporales ſpectant, ac politicam agendi rationem: in quibus non eſt viſum diſtineri; quia negotium conſcientiæ non ita directè concernunt, & eorum aliqua in decurſu, aut expedita, aut quantùm neceſſitas requiſierit, expedienda. Sed præter illa ſunt alia, quæ licet à Pontificibus ſummis conceſſa ſint, Regia dici poſſunt, quatenus à Regibus impetrata, vel ſaltem in Regio regiſtrata Conſilio, ac libenti animo ſuſcepta & commendata, vt pro eorum obſeruatione Indici debeant Magiſtratus fauorem & auxilium Regio nomine petentibus impartiri. De illis ergo nobis præcipuè diſſerendum, pro quo ſit

D. Eſcalona. *Dom. Solorzanus.*

CAPVT I.

Priuilegia quæ aliis pro bono ſunt Indorum conceſſa, an Indorum ipſorum ſint dicenda.

2 TAlia ſunt, quæ in ordine ad Sacramentorum adminiſtrationem ſpectant, vel diſpenſationes circa alia: in hec enim intereſſe aliquid poteſt, & ita oportet non indiſcuſſum præteriſſe. Circa quod

Aſſertio 1. affirmatiua reſpondens quæſtioni. Dico primò. Priuilegia prædicta verè & propriè Indorum dicenda ſunt. Probatur ex doctrinâ P. Suarij *Libr.* 8. *de legibus Cap.* 6. *num.* 1. vbi juxta receptam de priuilegiis Scriptorum ſententiam, ait materiam priuilegij, ſeu finem proximum ejus, eſſe commodum illud, quod præbet priuilegiato: quod aliquando eſt priuatæ perſonæ, aliquando commune: quam differentiam doctè exponit. Ad noſtrum autem intentum ſatis eſt ſcire ex commodo, quod intenditur, rationem eſſe priuilegij deſumendam. Si ergo per illud commodum non eius, qui aliquid eſt facturus, ſed eius, circa quem eſt facturus, inſpiciatur, hujus certè priuilegium cum omni eſt proprietate dicendum. Tunc ſic Pontifices in conceſſione Indicorum priuilegiorum, commodum Indorum præſertim intendunt, quibus, vt nouellis plantis, indulgendum arbitrantur: ergo priuilegia propriè talia ipſorum ſunt.

P. Suarez.

3 Dico ſecundò. Priuilegia dicta, quæ nullum ſpeciale commodum eorum, qui miniſterio aliquo ſunt vſuri, reſpiciunt, non ſunt dicenda propriè eorum priuilegia. Probatur ex doctrinâ dudum propoſitâ: quia cùm nullum commodum ex talibus priuilegiis percipiant, neque illa ſtare ſine tali commodo poſſint; non videtur quomodo dici talia queant reſpectu ipſorum. *Aſſertio 2. tantùm eſſe illorū, ſi nullum commodū aliorum intendatur.*

Digitized by Google

Licet autem ad actiones hujuſmodi obeundas ſoleat ad ſpeciales qualitates ſacrorum Miniſtrorum attendi, id non eſt ſatis ad propoſitum, ex doctrina ejuſdem Eximij Doctoris *Cap.* 4. *Libri citati n* 1. vbi benè obſeruat aliquando concedi priuilegium alicui propter commune bonum, & nihilominùs in eo conſiderari bona eius merita; non vt merita, ſed vt indicia virtutis conuenientis, vt ei tale miniſterium committatur. Quod ex *Cap. Mandata*, de Præſumptionibus: licet ibi de priuilegiis non agatur & quamuis ibidem dictus Pater dicat priuilgium tali benemerito, licet non vt benemerito, concedi; id non eſt ex eo quòd priuilegium ſecundùm propriam rationem ipſi conueniat, ſed miniſterialiter, & ſecundùm quòd per eum priuilegij commodum ad alium, pro quo eſt conceſſum, deriuatur, vel, vt loquitur Fr. Ioannes Baptiſta in Animaduerſionibus pro Confeſſariis Indorum. 2. *p. fol.* 119. *pag.* 1. & *fol.* 375. *pag.* 2. quia per eos diſpenſantur.

Fr. Ioan. Baptiſta.

Aſſertio 3. id limitans, cùm aliquod ſubeſt cōmodum.

4 Dico tertiò. Aliqua ſunt priuilegia, quorum licet commodum ad Indos reſultet, dici poſſunt priuilegia eorum, qui circa illos aliquod obeunt miniſterium. Ratio eſt: quia poteſt etiam commodum eorum Miniſtros attingere; pro quo ipſa conſulenda. Eſſe autem talia poſſe conſtat ex *Cap. Vt priuilegia*, de Priuilegiis, cujus illud initium: *Vt priuilegia, quæ quibuſdam Religioſis Romana conceſſit Eccleſia, permaneant inconcuſſa &c.* Et ſtatim de Confratribus, & Oblatis loquitur, quibus ſpecialis gratia conceditur circa ſepulturam tempore Interdicti, eò quòd ab ipſis in Religioſos ſpecialia emolumenta redundabant.

Cap. Vt priuilegia

Aſſertio 4. Qualis eſſe tin ex differentia dicta.

5 Dico quartò. Differentia dicta ad id poteſt deſeruire, vt priuilegia diuerſo modo interpretanda ſint, juxta diuerſas Scribentium opiniones. Si enim Indorum ſunt, & non Miniſtrorum circa illos valde fauorabiliter extendenda; non ita circa iſtos; niſi quatenus fauorabilis circa hos interpretatio in illorum fauorem poteſt redundare. Sicut è conuerſo, quando Miniſtrorum ſunt. Sin autem commodum vtrique perſentiant, vtrinque eſt fauor ampliandus. Et ratio eſt: quia fauorem eſſe ampliandum ex regula Iuris habemus *in 6.* fauor autem & commodum idem ſunt in præſenti: ergo cùm priuilegium propriè tale ex commodo dignoſcatur; reſpectu ejus fauor ampliandus eſt, reſpectu cujus commodum habetur; non ita in eo, qui nullum commodum experitur. Sed ampliatio hæc ampliùs explicanda, & ita pro ea ſit

CAPVT II.

An Indica Priuilegia ſint fauorabiliter accipienda, augenda, & amplianda.

Communis differentia priuilegiorum, iuxta quam loquuntur Auctores.

6 IVxta grauium Scriptorum ſententiam videtur cum diſtinctione loquendum. Aut enim priuilegia ſunt pura beneficia, quæ nulli præjudicium afferunt, nec derogant juri communi, aut alicujus tertij: vel ſecus. Si primum, fauorabiliter accipienda ſunt, augenda, & amplianda, ſeruatâ tamen verborum proprietate. Si ſecundum, reſtringenda ſunt, quia odium continent: odioſum enim eſt quod à jure communi exorbitat, aut alicui ingenerat præjudicium: odia autem eſſe reſtringenda, celebris regula juris *in 6.* pronuntiat. Sic. P. Suarez *Lib.* 8. *de legibus Cap.* 7. P. Palaus *Tomo* 1. *Tract.* 3. *Diſputat.* 4. *Puncto* 10. & alij apud ipſos. Nihilominus

Aſſertio 1. Indica latè interpretanda.

7 Dico primò. Priuilegia Indorum propria latè interpretanda ſunt, juxta ea omnia, quæ Doctores circa hujuſmodi interpretationem affirmant. Sic Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 3. *Cap.* 26. *num.* 110. juxta doctrinam Tiraquelli, & Barboſæ. Fr. Ioannes Baptiſta *ſuprà. fol.* 144. *pag.* 2. & alij. Quod probo ex receptiſſimâ doctrina apud Scriptores, juxta quam priuilegia, etiamſi odium aliàs contineant ob rationem dictam, latè interpretanda ſunt, quando cedunt in fauorem religionis, ac piæ cauſſæ, de quo aliàs dictum: & videri pro eo poteſt P. Suarez *ſuprà num.* 7. P. Palaus. *num.* 5. apud quos alij. Bonacina *Tomo* 2. *Diſput.* 1. *Quæſt.* 3. *Puncto* 7. §. 1. *num.* 5. *verſ.* Diui *regulariter* cum Patribus Henriquez, Salas, Sancio, & aliis. Atqui Indorum priuilegia cedunt in fauorem religionis, & cauſſæ piæ: ergo amplè interpretanda ſunt. Major conſtat, & Minor oſtenditur: quia cedunt in fauorem fidei, & conuerſionis Indorum, vt eſt compertum: vnde Pontifices id ſolent in conceſſione teſtari, vt videri poteſt ſpecialiter in Bullis Pauli V. Vrbani VIII. & Innocentij X. quarum exordium eſt, *Animarum ſaluti.* Item piæ cauſſæ negotium agitur, quandoquidem Indi miſerabiles perſonæ ſunt, vt probat Dom. Solorzanus *ſuprà Lib.* 1. *Cap.* 27. per totum: vbi eorum priuilegia ex tali titulo ipſis conuenientia recenſet. Vnde irrefragabilis eſt conſequentia.

Probatio, quia cedunt in fauorem religionis.

Et etiam cauſſæ piæ.

Aſſertio 2. idem ſtatuens de priuilegiis Miniſtrorum, ſi in eorum cedant commodum.

8 Dico ſecundo. Idem dicendum eſt de priuilegiis reſpectu eorum quibus propriè non conueniunt. Sed miniſterialiter, iuxta dicta *num.* 3. quando ex lata interpretatione erga ipſos fauor in Indorum cedit commodum, ſicut *num.* 5. dicebamus. Et hoc etiamſi priuilegia contra ius commune ſint, aut odium aliud videantur continere. Quod quidem eodem probandum fundamento, quo præcedens Aſſertio roborata: nam ex eâ parte fauor religionis, & cauſſæ piæ habetur: vnde & debeant ampliari.

Aſſertio 3. negans, ſi commodū deſit.

Dico tertiò. Si priuilegium aliquod ſit contra ius commune, aut aliàs odioſum, ex quo nulla vtilitas ad Miniſtrum veniat, non debet amplè interpretari. Ratio videtur clara. Quia priuilegium huiuſmodi non habet rationem talis reſpectu Miniſtri: ergo nullum eſt fundamentum cur poſſit in ordine ad illum ampliari.

Aſſertio 4. Affirmans ordinariè loquendo, ob commodum aliquod Miniſtrorum.

9 Dico quartò. Ordinariè, & vt in plurimum, non improbabiliter loquendo, priuilegia etiam reſpectu Miniſtrorum poſſunt amplè interpretari. Id probo. Nam ordinariè priuilegia commodum aliquod Miniſtris afferunt: negari enim nequit quin poteſtas diſpenſandi, & faciliori ritu adminiſtrandi Sacramenta, commodiſſima Miniſtris ſit: ſic enim non ſolùm minor eſt eorum labor, ſed etiam multis anxietatibus liberantur, dum implexas & turbatas conſcientias diſpenſationis reddunt beneficio ſerenas, & in ſtatu ſaluationis conſtituunt eos, qui ſine remedio aliàs perituri videbantur. Quòd ſi dicas hoc

hoc vltimum iam in vtilitatem Indorum cedere; primum certè non cedit tantùm, & ita locum habere etiam in diſpenſationibus poteſt, per quas Miniſtri à labore aliquo eximuntur. Accedit, vt probabile hoc ſit, veroſimilis Bonacinæ doctrina *ſuprà Puncto* 8. *num.* 20. vbi ait quòd ſi priuilegium concedatur indefinitè & generaliter, præſumitur conceſſum in fauorem illius, cui facultas committitur: vt ſi alicui concedatur facultas ad diſpenſandum, vel ad audiendas Confeſſiones indefinitè, ſeu cum perſonis indeterminatis. Sic ille cum PP. Suario & Sales, ac Rota Romana: ſecus ſi concedatur perſonæ deſignatæ. Cùm ergo priuilegia Miniſtris Indicis conceſſa ſic ſe habeant, dici poſſunt illis conceſſa: & quia commodum illud non ſiſtit in ipſis, ſed ad Indos reſpectum includit, ex eo dici poteſt amplè interpretanda. Et etiam quia Religioſis conceduntur, ſi Miniſtri tales ſint, immò & ſi non ſint tales, ſed quæcumque perſonæ ſacræ: quia negotium religionis agitur, dum perſonæ ſacræ taliter honorantur, in quo etiam pietatis reſpectus admiſcetur, vt dici etiam cauſſa pia poſſit. Vnde & idem dicendum de priuilegiis, quæ pro Hiſpanis, & aliis Indiarum incolis conceduntur.

Notanda doctrina ad fundandam probabilitatem Aſſertionis.

10 Dico quintò. Priuilegia dicta ex eo quòd Regibus Catholicis videantur conceſſa, dici poteſt fauorabiliter eſſe interpretanda, etiamſi odioſa aliàs propter adductas appareant rationes. Sic Dom. Solorzanus, & Fr. Ioannes Baptiſta locis adductis *num.* 7. & quidem quando priuilegia aliqua ad eorum inſtantiam conceſſa ſunt, non videtur poſſe dubitari. Poteſt autem dici omnia eumdem reſpectum habere: cùm enim concedantur Miniſtris à Rege miſſis, ſiue ad conuerſionem Indorum aliàs deſtinatis, eidem videntur concedi, quandoquidem communis cauſſa eſt, & Pontifices ſciunt à Regibus negotium iſtud cum omni ſedulitate tractari. Vnde etſi non expreſsè, tacitè tamen ad eos videtur directa conceſſio. Taciti autem & expreſſi ratio eſt eadem, vt notant Doctores in *Cap. Cùm olim*, de cenſibus, ibi: *Cui renuntiaſſe tacitè videbatur.* Videndus Barboſa *ibidem num.* 7.

Aſſertio 5. Fauorabiliter interpretanda, quia Regibus Catholicis conceſſa.

Cap. Cùm *olim.*

CAPVT III.

Priuilegia Jndica an ſint perpetua.

11 DE aliquorum perpetuitate nequit dubitari, quia ita in eorum conceſſione expreſſum habetur, vel ſaltem nulla temporis limitatio adiecta, quod ſatis eſt vt perpetua eſſe intelligantur, iuxta communem Doctorum ſententiam. Pro quo videri poteſt P. Suarez *ſuprà Cap.* 5. præſertim *numer.* 2. Fauetque apertè regula iuris *in Sexto* ſic habens: *Decet beneficium Principis eſſe manſurum.* Vt maneat ſcilicet, quando nulla eſt limitatio appoſita ipſi. De conceſſis ergo prædicto modo res eſt extra controuerſiam, niſi reuocata fuerint, vt accidit in iis, quæ conceſſa ſunt viuæ vocis oraculo, & in nonnullis aliis, quæ propter inſtantiam aduerſantium aliquorum eſſe deſierunt, ſic Sede Apoſtolicâ conueniens iudicante. Eſt ergo difficultas de temporalibus, qualia multa inter Indica reperiuntur, Religioſis conceſſa, & præſertim Societati noſtræ, in quibus Religiones multæ communicant in Indiis exiſtentes, vnde ad omnes ferè poteſt, quod de illis diſcuſſum fuerit, pertinere. Quamuis negandum non ſit circa aliqua, vt non communia ſint, ſpecialem difficultatem occurrere, quod non eſt in præſenti diſputandum: ſed illud tantùm, an limitatione temporis non obſtante in eiſdem adiectâ, probabile aliquod fundamentum ſuccurrat ad eorum perpetuitatem aſſerendam.

Perpetua quæ certa ſint.

Cap. Decet *de reg. iure.*

12 In quo non defuerunt qui ita cenſerent, & quidem docti viri id probantes.

Primò ex Bulla Pauli V. *die* 4. *Septembris. An.* 1606. in qua de Societate loquens ſic ait: *Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac mera deliberatione noſtra, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, laudabile Societatis Inſtitutum, Conſtitutiones &c. Nec non priuilegia, facultates, exemptiones, immunitates, gratias, & indulta, à prædictis, & aliis Prædeceſſoribus noſtris eidem Societati, & illius pro tempore exiſtenti Præpoſito Generali, & Religioni principaliter vel per communicationem conceſſa, qualiacumque illa ſint, Apoſtolica auctoritate prædicta; eorumdem tenore præſentium perpetuò approbamus, & confirmamus, ac illis perpetuæ ac inuiolabilis firmitatis, ac noſtræ, & Apoſtolicæ Sedis auctoritate robur adiicimus, eaque omnia & ſingula innouamus, & de nouo concedimus.* Hæc Pontifex, ex quibus videtur efficaciter argui poſſe: nam priuilegia, *qualiacumque illa ſint*, Societati conceſſa confirmantur, approbantur, & innouantur, cùm perpetuâ firmitate, omnia & ſingula. Arqui priuilegia Indica ſub illâ vniuerſalitate comprehenduntur, vt eſt planum, ſic enim indicant verba illa, *Qualiacumque, omnia, & ſingula*: ergo perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur aſſequuntur.

De omnibus ſententia affirmans pro quo ratio 1. ex Bulla Pauli V.

13 Nec dici poteſt confirmationem hanc eſſe in formâ communi, & ita ſpecialem vim non habere ad effectum prædictum, iuxta communem doctrinam Scriptorum in Iuris diſpoſitione fundatam, per quam habetur confirmationem dictam nullum ius nouum conferre, nec valorem dare priuilegio, ſi erat inualidum, & ita non poſſe dici nouam conceſſionem, ſed puram roborationem. Pro quo videndus P. Suarez *ſuprà Cap.* 18. præſertim *num.* 8. non inquam dici poteſt. Nam confirmatio dicta Pauli V. eſt ex certâ ſcientiâ, vt ex ipſius tenore conſtat, additis nouis clauſulis eamdem ſcientiam roborantibus, ſcilicet, *Motu proprio, & merâ deliberatione noſtrâ.* Quando autem hoc habetur, confirmatio non eſt in forma communi, ſed ſpeciali, & ita habet vim nouæ conceſſionis, & actum nullum reddit de inualido validum, per Textus & Auctores adductos ab eodem Patre. *num.* 12. Emmanuele Roderico *Tomo* 1. *qq. regul. q.* 8. *artic.* 4. *& Tomo* 3. *quæſt.* 23. *artic.* 5. §. *Præterea.* Pro quo & P. Palaus *Tomo* 1. *Tract.* 3. *Diſputat.* 4. *Puncto* 2. §. 10. & pleniſſimè Cardinalis Tuſchus V. *Confirmatio ex certâ ſcientiâ.* Per quod etiam excluditur id, quod de innouatione dici poterat, eam ſcilicet nouum ius non tribuere, vt expreſsè habetur in Cap. *Ex parte* 1. & *in Cap. Quia intentionis*, de Priuilegiis, cuius vltimi Capitis verba ſunt: *Cùm innouatio nec ius nouum conferat, nec etiam tollat*

Vrgetur ex eo quòd confirmatio non eſt in forma communi, quæ ſpecialem vim non addit.

Cap. Quia intẽtionis

Digitized by Google

tollat vetus: te in eo ſtatu eſſe volumus, in quo tempore impetratæ innouationis dignoſceris extitiſſe. Hoc enim ſimiliter intelligendum eſt; quando ſcilicet innouatio ex certâ ſcientiâ non eſt, vt videri apud citatos poteſt, & præſertim apud P. Suarium *Cap.* 20. vbi id ex profeſſo perſequitur, & P. Quintanad. *ſuprà num.* 7. vbi alios adducit. Vbi etiam addendum per clauſulam dictam. *Deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine*, haberi etiam confirmationem non in formâ communi, ſed ſpeciali, & ita priuilegia etiam abrogata concedi. Pro quo Emmanuel Rodericus *ſuprà* cum aliis. P. Suarez *Cap.* 18. *numer.* 6. vbi adducit Panormitanum, Decium, & Felinum, affirmans cum illis clauſulam dictam eſſe æquipollentem cum alia, *Ex certa ſcientia.* Videtur ergo ex dictis perpetuitas priuilegiorum non obſcurè deduci.

Secunda ratio ex cōceſſione ſpeciali eiuſdem Pauli.

14 Secundò. Quia ipſe Paulus V. videtur perpetuitatem priuilegiorum talium apertè conceſſiſſe, vt conſtat ex teſtimonio R.P.N. Claudij Aquauiua ad maiorem certitudinem geminato. In reſponſionibus enim ad poſtulata Congregationis Peruuianæ celebratæ *Ann.* 1612. ſic reſpondet *die* 25. *Martij, Ann.* 1614. ad illud ſpeciale, quod pro obtinenda à Summo Pontifice priuilegiorum perpetuitate fuerat efformatum: *Curatum eſt cum ſanctiſſimo, vt omnia priuilegia, quæ ab eius Prædeceſſoribus pro Indijs conceſſa fuerant, ſine aliqua reſtrictione prorogarentur, & obtinuimus: ſicut ex Breui, quod nunc mittimus, conſtabit.* Sic ille: qui ſequenti *Anno die* 5. *Februarij*, ita reſcribit P. Ioanni Sebaſtiano: *No ha ſido neceſſario dar à ſu ſantidad las cartas que V. R. en vio de los tres Prelados de eſe Reyno, en que piden la prorogacion de nueſtros priuilegios Indicos, por auerla ya concedido ſu Beatitud.* Hæc ille: quas reſponſiones adducit P. Quintanad. *Tomo* 2. *Tractat.* 6. *Singulari* 1. vbi addit dictum Breue nondum ad Indias peruenisse: vel quia Litteræ Apoſtolicæ expeditæ non fuerunt, vel quia hoc tantùm viuæ vocis oraculo conceſſum; vel quia (quod certum exiſtimat) quia Litteræ non ſunt à Pontifice promulgatæ: ſatiſque exiſtimauit ad noſtrorum priuilegiorum vſum viuâ voce eſſe expeditas Generali noſtro dixiſſe, vt indicare videtur citatâ Epiſtola eiuſdem ad P. Ioannem Sebaſtianum.

Reſponſum R.P. Claudij.

Alia eiuſdem.

Non obſtare temporalem eiuſdem Pontificis poſteà conceſſionē ex notanda doctrina.

15 Quòd ſi dicas ab eodem Pontifice priuilegia Indica quædam per illudmet tempus cum temporis limitatione conceſſa, vt patet ex Bullâ eiuſdem die 16. *Maij, Ann.* 1624. ex quo videtur incredibile eumdem ſine temporis limitatione omnia paucos ante dies conceſſiſſe: id certè non videtur obſtare: tum quia priuilegia dicta in foro interno perpetua ſunt, & ſolùm quoad externum limitatio conſtituta, quia pro hoc vltimo ſpeciales ſuberant rationes. Tum etiam: quia hæc, quæ videtur in conceſſione contrarietas, reuerà talis non eſt, dum in poſteriori conceſſione, in quâ eſt limitatio, non eſt mentio prioris. Cùm enim priuilegij anteceſſio res facti ſit, & non diſpoſitio in corpore Iuris inſerta, non eſt mirum ſi cogitationi Pontificis non occurrat, quam tot ac tanta grauiſſima negotia habent indeſinenter occupatam: & in terminis caſus prædicti ita tenet Gloſſa in Cap. *Generi* de Regulis Iuris *in* 6. & Panormitanus in Cap. *Veniens*, de Præſcriptionibus *numer.* 12. Emmanuel Rodericus *Tomo* 1. *qq. regular. Quæſt.* 9. *Artic.* 3. *in fine*, Cardinal. Lugo *in Reſponſis Moral. Lib.* 1. *Dub.* 24. & alij: licèt contrarium teneant P. Suarez *ſuprà*, *Cap.* 39. *numer.* 7. Pater Palaus *Diſputat.* 4. *citatâ*, *Puncto* 21. §. 4. *numer.* 14. *& ſequentib.* cùm nonnullis aliis, quos allegat.

Vide Cap. 1. de Conſtitutionib. in ſexto.

Probatio 3. ex fauorabili interpretatione.

16 Tertiò: quia priuilegia dicta latè interpretanda ſunt, iuxta dicta ergo cùm prorogata eſſe conſtet, nec de aliqua temporis limitatione notitia obſtet, debent perpetua cenſeri. Quæ videtur legitima conſequentia. Dixi autem conſtare: nam reſponſiones dictæ moralem inducunt certitudinem; ſunt enim R. P. Generalis ſigillo munitæ, & ſubſcriptione notiſſimæ. Quòd autem eidem plena fides adhibenda ſit ſaltem pro foro interno, manifeſtum eſt, tum ex doctrina quamplurium generaliter affirmantium perſonæ omni fide dignæ credendum eſſe in eo foro: ſic enim tenet Nauarrus in *Manuali, Cap.* 22. *num.* 82. cum Gloſſa ſingulari *in L. Titio fundus. D. de condit. & demonſtrat.* Et in caſu ſimili *Lib.* 5. *Conſiliorum, Titulo de Priuilegijs, Conſilio* 10. *num.* 4. *in poſteriori editione.* Et in priori *Lib.* 3. *Titulo de Teſtamentis, Conſilio* 12. *numer.* 9. iuncta Gloſſa in Cap. *Nuper, de teſtibus.* Et in Cap. *Placuit de Conſecrat. Diſtinct.* 4. Pater Thomas Sancius *Lib.* 3. *de Matrimonio, Diſputat.* 37. *num.* 3. *&* 4. P. Suarez *ſuprà Cap.* 24. *numer.* 9. qui maximè ad rem loquitur, cùm de priuilegij probabili notitia loquatur, & quod poſſit credi dicenti ſe habere priuilegium. P. Salas 1. 2. *Quæſt.* 96. *Tractat.* 14. *Diſputat.* 12. *Sect.* 7. *numer.* 30. P. Sà *V. Teſtis, numer.* 1. Diana *Parte* 8. *Tractat.* 3. *Reſolut.* 30. Bonacina *de Legibus, Diſput.* 1. *Quæſt.* 3. *Puncto* 3. *num.* 8. §. *Ex quo infertur*, vbi ait priuilegiarium, cognitâ à viro fide digno priuilegij conceſſione, ſeu diſpenſatione, collatâ nuntio, vel Procuratori, licitè vti poſſe priuilegio, vel diſpenſatione: quamuis hoc cognoſcat ab alio quàm à nuntio, vel Procuratore. Si ergo, iuxta hanc doctrinam, aliquis fide dignus ſcripſiſſet à Pontifice confirmata priuilegia, illis vti in foro conſcientiæ liceret, quandoquidem conceſſio facta eſſet R. P. Generali, & eius nomine Societati, qui pluſquàm Procurator eſt. Ergo multò certiùs id aſſerendum, quando conceſſio reſcriptione eiuſdem Reuerend. P. Generalis innoteſcit. Sunt etiam pro adducta doctrina Auctores alij, quos citati adducunt, de hoc ſcilicet agentes, aut de materiâ ſimili, vt Cardinalis Zabarella, Panormitanus, Felinus, Speculator, & plures Gloſſæ. Quod aliunde etiam roboratur: nam in Societate nullus frui priuilegijs poteſt, niſi per communicationem R. P. Generalis: ergo conſequenter ad eum ſpectat priuilegiorum notitiam inſtillare: ex quo fit credendum ipſi quoad priuilegiorum ſubſtantiam & modum, cum quo ſunt ab Apoſtolicâ Sede conceſſa. Illatio eſt clara, ex vtriuſque rationis connexione: & quia vnum eſt conſequens ſeu acceſſorium ad aliud tamquàm principale. Pro quo videri poteſt P. Suarius *ſuprà*, *Cap.* 11. *numer.* 7. & P. Sancius *ſuprà* etiam, *Lib.* 8. *Diſput.* 2. *num.* 2. cùm Felino, quem citat.

Vni teſti fide digno in foro conſcientiæ credendū.

Et R. P. Generali quàm maximè.

17 Quar-

Digitized by Google

Quarta ratio ex conceſſione quorundã priuilegiorũ ſine temporis limitatione.

In priuilegijs quomodo fieri extenſio poſſit.

17 Quartò argui poteſt: nam vt vidimus *num.* 15. Paulus V. conceſſit duo priuilegia perpetua in foro conſcientiæ, & in graui ſatis materiâ, videlicet circa diſpenſationes in gradibus prohibitis cum eximiâ generalitate, in gradibus, inquam non prohibitis iure diuino: ergo valde credibile eſt circa alia, quæ non ita inuſitata ſunt, ſimilem intentionem habuiſſe. Conſequentia probatur: nam licet communis ſententia ſit in priuilegijs non fieri extenſionem de caſu ad caſum, ſiue de perſonâ ad perſonam, & etiam de maiori ad minus non connexum cum illo: nihilominus probabile eſt, ſuffragantibus coniecturis, extenſionem fieri poſſe, ſeu potiùs de vno ad aliud argumentari. Sic enim docet P. Suarez *ſuprà Cap.* 28. *in fine*, cùm Baldo & Iaſone, dum ait vnum priuilegium poſſe per aliud explicari, & quod in vno deficit, per aliud ſuppleri. Atqui conſtat priuilegia Indica prorogata, licèt de perpetuitate non conſtet: ergo per alia, quæ vt perpetua conceſſa ſunt, & in materiâ minùs diſpenſabili, conuenienter poſſunt explicari.

Vltima, ex fauore fidei & cauſſæ piæ.

18 Tandem probari poſitio iſta poteſt ex dictis *Cap præcedent.* priuilegia ſcilicet fauorabiliter interpretanda, quando id cedit in fauorem fidei, & cauſſæ piæ; quod Indicis vidimus ſpecialiſſimè conuenire: atqui perpetuitas illorum eſt fauor ſpecialis in magnum Indorum commodum redundans: ergo debet pro illâ iudicari, & vt non ſit neceſſarium extenſione vti, vel ad ſententias minùs probabiles confugere, in conceſſione Pauli V. de quâ *num.* 12. vis poteſt fieri ſpecialis, & maximè in verbis illis: *Qualiacumque illa ſint.* Pro quo eſt doctrina Doctoris eximij *citata Cap. num.* 14. vbi ſic ait: *Eſt conſiderandum, aliud eſſe deriuare priuilegium de vno ad aliud per ſimilitudinem rationis, quod non licet: aliud verò ita illud interpretari, vt plura comprehendat, quàm in ſuperficie verborum appareat; quod licet quando ratio ſuadet, &c.* Sic ille: ſi ergo licet quando ratio ſuadet, & ſuadet quando eſt cauſſa pia, de quâ ille loquebatur, licèt verba in ſuâ obuiâ ſignificatione id non indicent; multò id verius erit, quando verba id indicant ob ſuam vniuerſalitatem, & etiam cauſſa non ſolùm pia, ſed piiſſima eſt, vt in caſu noſtro. Nihilominus

Ex Bullâ Pauli V. noua vis.

Et obſeruanda P. Suarij doctrina.

Aſſertio 1. negans perpetuitatem.

19 Dico primò. Priuilegia Indica non ſunt generaliter perpetua, ſed illa tantùm, quæ ſine limitatione temporis conceſſa ſunt. Sic P. Quintanad. *ſuprà*, vt ſibi indubitatum, quod & pariter alij cenſuerunt, & cenſerent pariter omnes, niſi vir doctus, & magnæ auctoritatis circa hoc nonnullorum promptiores plus iuſto ſpiritus excitaſſet. Quia verò totum hoc ex conceſſione eſt Pontificis deducendum, ſi oſtenderimus nullam extare, ſtatim ex eo Aſſertio noſtra ſtabilita remanebit. Arguo igitur: nam vt priuilegia lapſu temporis finita, confirmata, & pro determinato tempore conceſſa, perpetua, ſicut & priora illa cenſeantur, debet ex aliquo authentico fundamento confirmantis innoteſcere: atqui nullum datur in præſenti: ergo aſſerere id non poſſumus, neque aſſerentibus fidem probabilem adhibere. Maior eſt certa; quia totum hoc negotium ex voluntate Pontificis pendet, quæ non-niſi externis poteſt indicijs declarari. Si ergo, quia temporalia eſſe priuilegia vult, ita declaret, & ita accipimus: vt perpetua ſint, proportionata etiam eſſe ſignificatio voluntatis debet. Minor autem oſtenditur refutatione eorum, quæ ad coniecturam fundandam afferuntur, & ſunt à nobis ſuperiùs roborata.

Ratio vrgens pro illa.

Bullam Pauli V. nihil iuuare.

20 In primis Bulla Pauli V. nihil iuuat: nam ea promulgata, & à Societate accepta, neque à viris doctiſſimis, neque à R. P. Generali doctiſſimo etiam, & in rebus ad Societatem ſpectantibus verſatiſſimo, tale quid eſt in eâ deprehenſum: vnde & in Indiis pro confirmatione eſt inſtanter conclamatum, & ab ipſo R.P. Generali ſolicitè procurata. Quod ergo in eâ de confirmatione & innouatione omnium priuilegiorum dicitur, non eſt ad Indica extendendum, ſed ad alia applicandum, quæ ad corpus Societatis pertinent, quam Pontifex contra turbatores ex turbulento ambitionis ſpiritu, aut alio non ſecundùm ſcientiam, defendere ſatagebat. Communis ergo cauſſa, non Indica, cuius ratio ſpecialis erat, agebatur. Et quidem R. P. Generalis ſic intellexit, ad quem ſpectat ea, quæ ad praxim in Societate occurrunt, declarare, vt habetur *in Decreto* 19. *Congregationis Generalis* 4. *& Canone* 21. Vbi licet de declaratione tantùm circa Conſtitutiones & Decreta ſermo ſit, eadem eſt de aliis ratio, iuxta pleniſſimam illam poteſtatem, quam habet ſupra Societatem, de quâ in Formula Inſtituti approbati à Iulio III. vt in eius Bullâ habetur, quæ incipit: *Expoſcit debitum.* Cùm autem ſic intellexerit, nulla certè amplior in Societate licet, quandoquidem nullius priuilegij vſus licitus eſt, niſi ab eodem fuerit R.P. Generali conceſſus, vt determinat Gregorius XIII. in Bullâ, quæ incipit, *Decet Romanum Pontificem.* Id autem quod à R.P. Claudio ita iudicatum eſt, omnes alij ſucceſſores ſimiliter iudicarunt.

Poteſtas Generalis in Societate.

Euaſio, ex vſu tantùm negatis præcluſa.

21 Quòd ſi dicat quiſpiam aliud eſſe vſum non licere, & aliud facultatem radicalem ad illum deeſſe in eo, ad quem ſpectat, licentia pro ipſo: & ita R.P. Generalem negare vſum, quod autem ad poteſtatem attinet probabiliter poſſe diſputari. Id certè non ſatisfacit; quia R. P. Generalis non ſolùm indicauit non licere vſum, ſed poteſtatem in ſe ad illum nullam reſidere, idque & ſuo, & aliorum Patrum doctrinâ præſtantium iudicio. Ad praxim autem rectæ gubernationis etiam ſpectat prohibere vſum priuilegij non ſolùm veri, ſed quod probabile alicui videri poterat, tamquàm improbabilem: cùm ex perſuaſione probabilitatis vſus talis grauia inconuenientia ſequi poſſint: ſicut circa Bullæ Cruciatæ vſum à *Congregat.* 6. factum. *Decreto* 5. & circa paruitatem materiæ in genere luxuriæ, ac notitiæ vſu ex Confeſſione habitæ à R. P. Claudio. Licèt autem Declaratio talis non extet circa caſum, de quo loquimur, per Ordinationem aliquam intimata; iudicium tamen adeò conſtans & indubitatum arguit à R. P. Generali Bullam prædictam iuxta illius proprium fuiſſe intellectum acceptam, quem potuit tum ex tenore Bullæ ipſius, tum ex antecedentibus & conſequentibus, atque etiam ex amicabili Pontificis conuerſatione percipere, apud quem magnam æſtimationem conſtat habuiſſe.

Ad praxim gubernationis quid ſpectet.

Ex reſcriptionibus P. Claudij nihil haberi, quod vigeat.

22 Iam quod ex reſcriptionibus R. P. Generalis Claudij adducitur, omni eſt robore deſtitutum. Et inprimis diſcurſus Patris Quintanad. neutiquam admittendus, dum ait Breue illud, de quo agit R.P. Claudius, & ſe mittere teſtatur, ad Peruuium non perueniſſe, ſed id, quod ex eodem eſt poſitum *num.* 14. contigiſſe. Non enim fuiſſe expeditas Litteras ex verbis R.P. Generalis *ibidem* adductis manifeſtè refellitur: *Sicut ex Breui, quod nunc mittimus, conſtabit.* Fuit ergo Breue, ac propterea Litteræ expeditæ. Per quod etiam manifeſtè conuincitur, quod de conceſſione per viuæ vocis oraculum affirmatur. Id autem quod additur de conceſſione & expeditione Litterarum, cùm tamen promulgatæ non ſint, & tantùm R.P. Generali viuâ voce ſignificata conceſſio, verbis eiſdem improbandum. Cùm enim dicat ſe Breue mittere; erga illius expeditionem dubitatio eſſe non poteſt, & ita non ſola eſt voce à Pontifice ſignificata conceſſio: neque Epiſtola ad P. Ioannem Sebaſtianum miſſa id vel leuiter inſinuat: vt mirum ſit citatum Auctorem in illâ indicium, quo exiſtimationem firmaret ſuam, quam & certum reputar, inueniſſe.

Effugium aliud ex deperdito Breui in nauigatione præcluſum.

23 Si dicas intercidiſſe Breue inter nauigationum pericula. Benè id quidem ſtare poſſet, ſi litteræ ſimul miſſæ non perueniſſent. Quin etiam quòd admonitus R.P. Generalis de illius amiſſione, exemplar aliud annis ſequentibus declinaſſet: aut ſaltem de certâ illius amiſſione teſtimonio reddito, quid eſſet in eâ cauſſâ faciendum Prælatus ſolertiſſimus prouidiſſet. Si quis tamen cogitet Breue iam traditum, & iamiam mittendum, ob rationes aliquas repetitum, & ſuppreſſum, irrefragabili inſtantiâ refellendas. Nam idipſum ſcripſiſſet R.P.Generalis, & quod de miſſione ſcripſerat, reformaſſet: & præterea in Epiſtola ad P.Ioannem Sebaſtianum affirmat ille à Pontifice obtentam prorogationem; ea autem poſt annũ ferè elapſum ſcripta eſt à reſponſione alia ad Congregationis poſtulata, in quâ ſe Breue mittere, vt vidimus, atteſtatur: quantùm ſcilicet ſpatij eſt inter 25. *Martij Ann.* 1614. & 5. *Februarij Ann.* 1615. Non ergo fuerat Breue repetitum, & ſuppreſſum.

Miſſum Breue, & ad Indias perueniſſe monſtratur

24 Iuxta hæc ergo videtur neceſſariò dicendum Breue dictum ad Peruuium perueniſſe, & eſſe illud, quod duo perpetua priuilegia continet, de quibus *num.* 17. licèt nonnulla alia temporalia eiſdem miſceantur. Quod ex eo oſtenditur: nam illud per idemmet tempus expeditum, quo de prorogatione priuilegiorum agebatur, & quo R.P. Generalis ſcripſit à ſe mitti, *Anno* videlicet 1614. & receptum in Peruuio ſimul cum prædictis reſcriptionibus teſtatur P. Ioannes Perez Menacho *Diſputat.*4. *de Priuilegiis, Dub.* 8. eodem tempore ſcribens, licèt exiſtimans Breue aliud remittendum pro generali prorogatione: vnde ait: *Himos recibido el Breue de los vnos, y no de los otros.* Cùm ergo R. P. Generalis dicat ſe Breue prorogationis mittere, & non aliud mittat prædictum, ad illud eſt, quod de obtentâ prorogatione ſemel & iterùm pronuntiat, referendum. Cùm præſertim de alio non miſſo, & de ratione cur non mittatur, nullum verbum addat; addendum ſanè, ſi extaret Breue illud, vt ſuperiùs arguebamus.

Obiectio 1. contra reſolutionem eliſa.

25 Contra hoc tamen Primò videntur verba eiuſdem R. P. Generalis apertè militare, dum ait curatum à ſe vt omnia priuilegia, quæ à Prædeceſſoribus Pauli V. fuerant conceſſa, ſine reſtrictione vllâ prorogarentur, & ita obtentum, vt ex Breui conſtare poterat, quod mittebat. Omnia ergo, & non duo illa tantùm ſine limitationibus prorogata. Sed hoc facilè dilui poteſt; non enim ait à ſe obtentam omnium prorogationem, ſed quatenus ex Breui conſtare poterat: *Vt ex Breui, quod nunc mittimus conſtabit*, & quidem quia circa illa ſpecialis difficultas eſſe poterat, & quæ præcipuè in Indiis deſiderabantur, & ideò etiam ſunt ſingulariter poſtulata, omnium prorogationem ſe obtinuiſſe aſſeruit, quia aliorum prorogatio ex Bullâ 1610. iam habebatur. Nec duo tantùm ſunt, vt dicitur, ſed plura vt ibidem videri poteſt.

Obiectio 2. conuulſa.

26 Argui etiam ſecundò poteſt ex eo quòd Bullæ citatæ Data poſteriore eſt reſcriptione R. R. Generalis: ſcribit enim ille *die* 25. *Martij*; cùm tamen Bulla *die* 16. *Maij* eiuſdem anni fuerit expedita. Quomodo ergo dicere potuit: *Vt ex Breui, quod nunc mittimus conſtabit*, cùm illud poſt tot dies fuerit expeditum? Sed & hoc poteſt non incongruè cum veritate componi, ſi dicamus prorogationem obtentam à R. P. Generali quando ita ſcribebat, ſed non acceptum Breue: quia tamen accipiendum certò ſciebat, potuit ita anticipatè ſcribere, & Breuis expeditionem per dies illos intercurrentes expectare: vt enim antè non fuerit expeditum cauſſæ aliquæ obſtare, de quibus non conſtat, potuerunt. Potuit ergo R. P. Generalis ſcribere, & eius litteræ non ſtatim tranſmitti, ſed poſt Breuis receptionem. Sic enim accidere non rarò ſolet: reſpondetur enim vbi primùm vacat, & ſcripta expectatis opportunitatibus tranſmittuntur: præſertim cùm Congregationum poſtulatis reſponſiones adhibentur, quæ Procuratoribus Prouinciarum tradi ſolent. In occaſione autem prædictâ Procurator ex Peruuio miſſus inter nauigandum interijt, vnde poſtulatorum reſponſiones potuerunt aliquantulum retardari. Fuit autem Procurator Pater Chriſtophorus de Ouando, vir fortunâ digniſſimus meliore. Sed *vndecumque mors iuſto acciderit, bona eſt*; quod apud D. Auguſtinum me legiſſe recordor.

Probatio concluditur.

27 Ex dictis ergo planè conuincitur pro perpetuitate priuilegiorum nullum firmum ex reſcriptionibus R.P.Generalis haberi præſidium; quandoquidem tota aduerſantium vis ad Breue illud, de quo ille teſtatur, reuocatur: atqui ex illo non omnium, ſed aliquorum perpetuitas habetur: ergo corruit quidquid in eo eſſe poterat firmamenti: cùm ex ipſo voluntas Pontificis ſatis habeatur perſpecta, ad quam, vt diximus, tota eſt huius negotij ſubſtantia referenda.

Tertij argumenti dilutio.

28 Nec tertium, quod afferebatur; alicuius poteſt eſſe momenti, quòd ſcilicet prorogatio, de qua certum R. P. Generalis teſtimonium extat, debeat latè interpretari. Cùm enim quod ad prorogationem ſpectat, iuxta tenorem Breuis, ad quem ſe refert, intelligendum afferat verbis illis: *Vt ex Breui, quod nunc mittimus, conſtabit*;

Digitized by Google

ſtabit: & in Breui quid circa perpetuitatem habeatur, ſit adeo manifeſtum; interpretationi dictæ locus nullus eſſe poteſt.

Solutio quarti.

29 Neque quartum plus vrget, ex quibuſdam enim cum perpetuitate conceſſis, contrarium potiùs videtur deducendum: quia exceptio firmat regulam in contrarium. Pro perpetuitate autem in duobus præcipuis eſt ſpecialis ratio, quam adducit Pontifex in Breui eodem; naturalis ſcilicet inclinatio Indorum, & priſtina conſuetudo matrimonia in gradibus prohibitis celebrandi. Poteſt quidem vnum priuilegium per aliud explicari, quando dubia illius intelligentia eſt; vbi autem clara, non debet per contrariam diſpoſitionem ad oppoſitum ſenſum detorqueri, quia in claris non eſt locus coniecturis. *l. Continuus. §. Cùm ita D. de verbor. obligat.* Vltimum etiam prorſus eneruè eſt propter iam dicta. Licet enim verba priuilegij fauorabiliter explicari poſſint, & ad aliquid applicari, quod verborum ſignificatio non videtur præferre; id tantùm habet locum, quando non conſtat de mente concedentis, vt conſtare iam vidimus in præſenti. Vnde

Vnum priuilegium vt explicandum per aliud.

Vltimum nullius eſſe momenti.

Aſſertio 3. Oppoſitum non videri probabile.

30 Dico ſecundò. Non videtur probabilis aduerſa poſitio. Sic R. P. Generalis, & quamplures viri docti Societatis, qui circa hoc dubitationem nullam inuenerunt, & præſertim Peruuiani, vnde pro impetranda prorogatione efficaciter inſiſterunt. Pro eodem P. Quintanad. *ſuprà num.* 8. dum indubitatum affirmat. Quod etiam ex eo extenditur, quia cùm pro ſtabiliendâ probabilitate doctum fuiſſet elucubratum ſcriptum, & Romam tranſmiſſum, minimè tale viſum eſt, quod debuerit ad ſecuram praxim approbari, vnde & pro obtinendâ prorogatione poſt expletum illorum terminum, ſpecialem Patres omnes Generales diligentiam præſtiterunt. Quia verò circa hoc obliuionis aliquid, aut neſcio quid aliud interuenit, poſt Vrbani Octaui progationem expletam vſus aliquorum temporalium priuilegiorum ceſſauit, donec ab Innocentio X. eſt impetrata; & quidem ante expletum tempus, ſed ita proximo illius termino, vt Litteræ opportunè in Indias non potuerint peruenire. Non ergo probabilis eſt praxis iudicata. Quia verò erunt fortè aliqui contrarium ſentientes; ſi docti ſunt, ipſi viderint: ſi indocti, caueant, & ita ad doctiorum conſilium præſtabit accurrere: de rebus enim agitur, in quibus magnum eſt momentum collocatum.

CAPVT IV.

Quomodo currat tempus Jndicorum priuilegiorum; vt certi prorogationis termini poſſint aſſignari.

Quinque Bullæ, circa quas difficultas computationis.

31 Circa quinque Bullas verſatur præſens difficultas, & ex iis, quæ circa illas dicenda, ad ſimiles futuris concedendas temporibus poterit conſonum iudicium efformari. Prima eſt Pauli V. quæ incipit, *Animarum ſaluti. 11. Februarij. Ann.* 1610. cuius illa eſt clauſula: *Præſentibus ad viginti annos à data præſentium inchoandos tantùm daturis.* Secunda eiuſdem *die 6. Maij, Ann.* 1614. in quâ ſic dicitur circa facultatem diſpenſandi, quæ Ordinariis conceditur, cum aſſeſſione tamen Patrum Societatis: *Ad viginti tamen annos à data præſentium computandos.* Tertia eſt Vrbani Octaui *die 15. Septembris. An.* 1629. cuius finalis clauſula ſic habet: *Præſentibus ad viginti annos ad finem aliorum viginti annorum, ad quos ſimiles gratiæ à felicis recordationis Paulo Papâ V. prædeceſſore noſtro, conceſſæ fuerunt, inchoandos, tantùm duraturis.* Quarta eiuſdem *die 17. Septembris* anni eiuſdem, in qua ſimiliter loquitur. Quinta Innocentij X. *die 1. Martij. An.* 1649. quæ ſic clauditur: *Præſentibus ad viginti annos à fine aliorum viginti annorum, ad quos ſimiles gratiæ à fel. record. Vrbano Papâ Octauo conceſſæ fuerunt, inchoandos, tantùm valituris.* Circa quas Primò dubitari poteſt quomodo ſit dies Datæ computandus; quæ difficultas communis eſt, ſed breuiter expedienda.

Aſſertio 1. Diem Datæ non computandum in termino.

32 Dico primò. Tempus dictum computandum eſt fauorabiliter, & ita taliter, vt dies, à quo terminus ſtatuitur, non computetur in termino. Hoc probatur Primò ex doctrina, quam multi Scriptores probant, & de qua Nos *Cap.* 2. iuxta quam priuilegia, quæ cedunt in fauorem Religionis & piæ cauſſæ, fauorabiliter, amplè, & latè intepretanda ſunt: quod quidem in ordine ad durationem ſpecialiter accipiendum, bene aduertit P. Quintanad. *Tract. 6. Singulari 3. numer. 6.* Atqui computatio prædicta fauorabilis eſt: ergo iuxta eam interpretatio facienda. Deinde probatur ex multorum ſententia aſſerentium diem à quo incipit terminus, non computari in termino. Sic tenet Matienzus in *Libr. 5. Recopilat. lege 7. Gloſſa 6. num. 1.* Vbi adducit Didacum Caſtelli, P. Henriquez *Libr. 13. Cap. 18. numer. 6.* & alij Præterea. Quia licet communis reſolutio ſit tempus per legem deſignatum intelligi de momento ad momentum; multorum tamen ſententia eſt id intelligendum quando tempus ſtatuitur ab actu, & non à die actus. Sic Tiraquellus, Scaccia, & Gironda, quos adducit & ſequitur Barboſa in *Collectaneis ad Decretales Lib. 2. Tit. 27. Cap. 15. num. 2. & Lib. 4. Tit. 1. Cap. 9. num. 4.* Atqui in noſtro caſu Paulus V. in vtraque Bulla ait *Data præſentium inchoandos, & computandos.* Inchoandos quidem in primâ, compputandos in ſecundâ: ergo dies ipſe Datæ non debet computari.

Ex communi doctrina oſtenditur.

Quando currat tempus de momento ad momentum.

Dies an eſſe debeant naturales; vbi integros non futuros ſtatuitur.

33 Quia verò dies communiter loquendo iuxta Iuris diſpoſitionem naturalis intelligitur, ſcilicet 24. horarum, primus dies ita computandus eſt vt videri poteſt apud P. Henriquez *ſuprà.* Quod tamen mihi in caſu, de quo loquimur, inveroſimile prorſus apparet: vt ſcilicet ſi Edictum iubeat denuntiari aliquid intra ſex dies, & publicetur horâ decimâ antemeridianâ, die ſequenti eadem hora dies primus obligationis debeat inchoari. Nam dies publicationis propterea non computatur, quia non eſt integer, vnde excluſus videtur, vt eo exacto, dies obligationis currere cenſeatur. Quod ergo de horâ dicitur, ſine ſufficienti fundamento videtur affirmari: niſi fortè alicubi ita ſit vſu receptum, qui debet eſſe pro lege.

A die ſcientiæ computandum.

34 Solent autem Bullæ priuilegiorum ſerò ad Indias peruenire, ob ingentem diſtantiam, & nauigationis diſcrimina; vnde alia oritur difficul-

 tas,

Digitized by Google

tempus multorum ſententia.

tas, an à die Datæ debeant currere, an verò à die ſcientiæ. Et à die ſcientiæ tempus priuilegij computandum, valde recepta eſt Doctorum ſententia, quæ ex eo colligitur, quòd ex tunc incipiat effectum habere, cùm donatio quædam ſit, tunc effectum habens, cùm acceptatur, vt docent quamplures adducti à P. Palao *Tomo* 1. *Tract.* 3 *Diſput.* 4. *Puncto* 3. §. 2. *num.* 3. ex quo P. Quintanad. *ſuprà num.* 8. Pro quo tamen

Aſſertio 2. *Admittitur illa, cùm non deſignatur tempus inceptionis.*

Dico ſecundò. Priuilegia pro Indiis ſimpliciter concessa, ſi limitationem aliquam non habeant in deſignatione temporis, à quo currere conceſſio debeat, à die ſcientiæ debent inchoari. Sic colligitur ex citatis, & videri pro eo poteſt P. Quintanad. *Tomo* 1. *in Appendice Tract.* 2. *Singulari* 3. Ratio eſt. Primò, quia recepta ſententia ita, vt vidimus, generaliter tenet. Secundò, quia fauorabiliter, vt oſtendimus, debet fieri interpretatio.

Aſſertio 3. *Notitiam non eſſe reſpectu ſingulorum æſtimandã.*

35 Dico tertiò. Hæc notitia non debet eſſe reſpectu cuiuſlibet, ad quem poteſt priuilegij vſus pertinere. Quod ex eo probo: nam ſi id ita contingeret, magna eſſet confuſio, cùm ad ſingulos valdè ſerò poſſet notitia peruenire, & ita quidam eſſent priuilegiati, alij priuilegio deſtituti; & ij poſſent diſpenſare, & alia magni momenti obire inferiores multò quàm alij, ad quos notitiam priùs accidit perueniſſe. Deinde. Priuilegia ſic conceſſa cùm ſint pluribus communia, inſtar legum publicanda ſunt; aliàs non erit via conueniens & accommodata, per quam poſſint ad praxim applicari: atqui neceſſarium non eſt legem ſingulariter intimari, vt omnes Scriptores affirmant: ergo neque priuilegium. Cùm ergo priuilegia iſta promulgari in Romanâ Curiâ non ſoleant, ad Indicos ſpectat Prælatos de conuenienti promulgatione prouidere, iuxta id, quod Auctores dicunt adducti à Bonacina *Diſputat.* 1. *de legibus Quæſt.* 1. *Puncto* 4. *num.* 16.

Inſtar legũ facienda publicatio.

Aſſertio 4. *Cùm à die Datæ dicitur, inde computationem faciendam.*

36 Dico quartò. Quando in Bullâ priuilegij dicitur, *A die Datæ*, vel quid ſimile, ab eo eſt computatio temporis facienda, & non à die notitiæ. Sic de Iubilæis loquens P. Quintanad. *ſuprà Dub.* 3. *num.* 4. affirmans circa hoc dubium eſſe non poſſe. Quod cùm ita ſit, non eſt conſequens quod ipſe tradit *Singulari* 3. *citato. num.* 8. vbi ait quòd ſi ad Indiarum incolas huius prorogationis notitia accederet iam dui tranſactis primis viginti annis, à quorum fine ſecundi viginti quinque incipiebant: tunc inchoandos ab anno & die, in quo notitia acceſſit; nam ignoranti non currit tempus. *l. Quamdiu. C. Qui admitti ad bonorum poſſeſſ.* quod Flamminius, & Caldas Pereira præſertim obſeruant. Cùm enim in prædictis prorogationibus ſic dicatur, *Ad viginti annos, à fine aliorum &c.* non alia eſt ratio de illis, quàm de prioribus, ad quas referuntur; & pro inchoatione non dies notitiæ, ſed finis aliarum conceſſionum aſſignatus. Neque enim alio modo volunt Pontifices currere tempus, neque maiorem fauorem concedere, cùm expreſsè fateantur ſe priorem Pontificum veſtigiis inhærere. Vbi & locum habet doctrina, quam citatus Auctor adducit. *num.* 8. quòd ſcilicet dictio *Similis, & Similiter*, qua Pontifices vtuntur, oſtendit ſimilitudinem facti & modi, iuxta Socinum, Albericum, & alios. Ego quoad tempus conceſſionis

P. Quintanad inconſequenter locutum oſtenditur.

Dictiones Similis, & ſimiliter, quam habeant vim.

non eſt diuerſitas: quæ ſanè, ſi daretur: eſſet notabilis; quia à Data vſque ad tempus notitiæ magna poſſunt ſpatia interponi: vnde ſi illa non computantur, notabilis interuenit differentia, & ita ſimilitudo non ſeruatur quoad factum & modum, neque æqualitas & identitas, quam dilationes illæ ſignificant, iuxta eumdem & alios citatos ab ipſo. Qui etiam *num.* 5. iuxta nonnullos, quos citat, tradit quòd prorogatio videtur facta cum clauſulis & qualitatibus, quæ inerant termino prorogato: ex quibus vna præcipua eſt computatio, vt ſcilicet à die vltimo vnius incipiat alius, pro quo & Nos *in ſuperioribus*. A fine ergo, & non à notitiâ, annorum numerus computandus.

37 Iam circa ordinanda tempora dictarum Bullarum, & aſſignandum in particulari vnius Bullæ finem, & alterius initium, vt deprehendamus quot anni præterierint, quot ſint reliqui, vitandus error, qui apud P. Quintanam occurrit *citato Singulari* 3. *n.* 6. vbi ait priuilegia, quæ ex conceſſione Gregorij XIII. durarunt vſque ad *Annum* 1603. extenſione Gregorij XIV. annorum ſcilicet viginti, duraſſe vſque ad *Annum* 1623. Prorogatione autem Pauli V. eorum ſaltem priuilegiorum quæ in Bullâ Vrbani VIII. iam relata teſtantis illa conceſſiſſe, ſiue oraculo authentico, ſiue Litteris expeditis, & non promulgatis, ſiue ad Indias non prolatis, ad alios viginti annos, vſque ad *Annum* 1643. acceſſerunt. Et tandem ex vltimâ Vrbani extenſione ad alios viginti, vſque ad *Annum* 1663. non expirabunt. Addere poterat per nouam extenſionem Innocentij X. vſque ad *Annum* 1683. priuilegia eadem permanſura. Nam & Bullam dictæ conceſſionis ad litteram proponit. *Tract.* 7. *Singulari vltimo.* Pergit autem, & neſcire ſe ait an eadem computatio admittenda quoad priuilegia, quæ à Gregorio XIII. ſolum vſque ad *Annum* 1589. ſunt extenſa: qualia ſunt, quæ repeﾭriuntur in V. *Baptiſmus*, *Bulla Cœnæ*, *Compoſitio*, *Diſpenſatio.* §. 1. 2. 3. 4. & 7. ac *V. Ordines* §. 1. Quòd ſi ea in hac Vrbani Bullâ extent, ablatis viginti quatuor annis ab *Anno* 1589. ad 1603. procedentibus, *Anno* 1642. iam expirarunt. Quòd ſi tandem computemus hos viginti annos ab expeditione Bullæ Pauli V. quæ iuxta teſtimonia à R. P. Generali miſſa, facta videtur *Ann.* 1614. priuilegia quæ extant in Bullâ Vrbani VIII. vſque ad *Annum* 1654. tantùm vigent. Sic ille; quæ cùm ſupra incertas ſuppoſitiones cadant, & ex minùs exactâ Bullarum notitiâ, nequeunt ad certum formandum iudicium deſeruire. Quare

Modus computationis à P. Quintana propoſitus.

38 Dico quintò. Computatio annorum circa præfatas Bullas, iuxta earumdem eſt conceſſiones facienda. Et in primis in ordine ad illam nulla eſt habenda ratio conceſſionis cuiuſlibet ante Bullas Pauli V. cum temporis limitatione: nulla enim vltra *Annum* 1603. progreſſa eſt, vt ex Compendio conſtat. Neque ad illum autem plures extant Gregorij XIII. nulla autem Gregorij XIV. aut alterius ex iis, qui Paulum V. præceſſerunt: licet à Gregorio XIV. prorogata priuilegia *Anno.* 1591. *die* 27. *Septembris* affirmet P. Quintanad. *Singulari* 3. *num.* 1. cuius tamen prorogationis nulla in priuilegiis mentio, nulla

Aſſertio 5. *modum prædictum computationis errantem expungens, & certam ſtatuens.*

Digitized by Google

Bullam Gregorij XIV. non curandam.

nulla in Indiis notitia: cuius & Paulus V. meminiſſet, quandoquidè durabant illa *Anno* 1610. ſicut & alij Pontifices conceſſionum durantium meminerunt. Sed non neganda illa, quia & eius, vti in Compendio veteri contentæ meminit Fr. Ioannes Baptiſta in *Animaduerſionibus pro Confeſſariis Indorum. fol.* 151. Cùm ergo conceſſiones Pauli V. ab aliorum conceſſionibus non pendeant, perinde habendę acſi minimè prçceſſiſſent. Bulla ergo *Ann.* 1610. vſque ad *Annum* 1630. vim habuit, iuxta Datam & terminum in eadem aſſignatum. Bulla autem Secunda *Anni* 1614. vſque ad *Ann.* 1634. Altera autem Bulla numquam in Indiis viſa, minimè curanda eſt, vt iuxta illam fieri aliqua computatio queat, iis præſertim attentis, quæ à Nobis dicta ſunt, à *num.* 24. neque talis Bulla ab Vrbano VIII. viſa, ſi verè extitit, cùm omnino ſuppreſſa ſit, neque illius ipſe faciat mentionem, ſed aliarum ſimilia priuilegia continentium, vnde & ipſarum exordium eſt idem per verba eadem. Iuxta hæc ergo Bulla Vrbani VIII. reſpondens Bullæ priori Pauli V. finem habuit *Anno* 1650. alia autem reſpondens ſecundæ, *Anno* 1654. cumque Innocentius X. conceſſionem ſuam à fine conceſſionum Vrbani VIII. per viginti annos inchoandam decernat, ſimilis eſt computatio facienda, vt alia priuilegia *Anno* 1670. alia *Anno* 1674. terminentur. Hæc clara ſunt & expedita: quidquid autem pro computatione à prędicto Auctore additur, minimè eſt curandum, quia in certis ex defectu notiæ nititur coniecturis: immò quia etiam multa ex illis nequeunt ſuſtineri. Et hæc ſic generaliter dicta ſufficiant in præſenti; agentes enim de priuilegiis in particulari majorem prædictis lucem adiiciemus.

Neque Pauli V. neſcio quã.

DIGRESSIO.

Circa Breue *Innocentij X. nouam formam in Societatis gubernatione ſtatuentis.*

QVia de modo computandi tempus per ſtatuta & leges, atque etiam per priuilegia, dudum locuti ſumus, & quæ à nobis dicta, pro Conſtitutione Innocentij X. circa gubernantes in Societate exactè intelligenda deſeruire poſſunt, abs re non fuerit non nihil circa iſthæc diſtineri. Cùm ad Indias etiam hoc negotium ſpectet, & pro illis ſpecialis diſpenſatio à ſanctiſſimo D. Alexandro VII. conceſſa inueniatur. Et poſſet quidem ſatis prolixa circa hæc diſputatio inſtitui, vbi multæ, nec leues, quæſtiones occurrunt: breuitati tamen, dum aliud ex inſtituto verſamur, duximus conſulendum. Conſtitutio ergo præfata ſic habet:

Innocentius Papa X. ad perpetuam rei memoriam.

39 PRoſpero, felicique ſtatui Societatis Ieſu, quæ viuis pietate & doctrinâ inſignibus referta, vberes in Vinea Domini fructus iugiter producit, pro Paſtorali noſtrâ ſolicitudine conſulere volentes: audita deſuper dilectorum filiorum Presbyterorum, Regularium eiuſdem Societatis ad præſens in Vrbe generaliter, pro faciendâ noui Præpoſiti Generalis electione congregatorum ſententia: motu proprio, & ex certâ ſcientiâ, & maturâ deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, vt in poſterum futuris temporibus Congregatio Generalis in prædictâ Societate ſingulo quoque nouennio computandâ ſemper à celebratione vltimæ Congregationis Generalis, haberi & celebrari omnino debeat. Ita quòd illius celebratio nullo modo, nec ex quauis cauſſâ, ſiue per Præpoſitum Generalem pro tempore exiſtentem, ſiue per quamcumque Congregationem particularem vel Generalem impediri, vel vltra nouennium huiuſmodi differri, ſeu prorogari poſſit. Præterea vt quotieſcumque habebitur & celebrabitur Congregatio Generalis huiuſmodi, toties noui Aſſiſtentes, ab illis planè diuerſi, qui præcedenti nouennio Aſſiſtentium huiuſmodi muneribus functi fuerunt, eligi ſeu aſſumi, & deputari: ac demum vt omnes & ſinguli eiuſdem Societatis Prouinciales, Viſitatores, Præpoſiti, Rectores, Superiores locales, & alij Officiales iuriſdictionem & Superioritatem habentes, quomodolibet nuncupati, exceptis Magiſtris Nouitiorum, in eorum reſpectiuè muneribus, Superioritatibus, Miniſteriis, Adminiſtrationibus, & Officiis prædictis, quomodocumque nuncupatis, per triennium tantùm durare debeant, eoque elapſo triennio, eo ipſo vacent, & vacare cenſeantur, ipſique ad alia quæuis eiuſdem Societatis munera, Superioritates, Miniſteria, Adminiſtrationes, & Officia prædicta quomodolibet nuncupata, etiam Vice-prouincialis, ſeu Vice-præpoſiti, vel Vice-rectoris, nullatenus eligi ſeu aſſumi, vel deputari valeant, niſi per annum cum dimidio ſaltem à fine dicti triennij computandum, à prædictis muneribus, Superioritatibus, Miniſteriis, Adminiſtrationibus, & Officiis prædictis ceſſauerint, tenore præſentium ſtatuimus, mandamus, præcipimus, & ordinamus; decernentes præmiſſa omnia & ſingula in perpetuum inuiolabiliter ſub excommunicatione latæ ſententiæ, ac ſuſpenſionis à diuinis, priuationis vocis actiuæ & paſſiuæ, ac officiorum quorumlibet, inhabilitatiſque ad illa, & alia quæuis in poſterùm obtinenda, pœnis ipſo facto abſque aliâ declaratione, tam per mandantes, procurantes eligentes, & deputantes, quàm recipientes, & exequentes, irremiſſibiliter incurrendis, obſeruari debere; neque aduerſus illa ſeu eorum aliquod, præſentemque noſtram Conſtitutionem, per Præpoſitum Generalem pro tempore exiſtentem, aut quamcumque Congregationem, etiam Generalem, vel quemlibet alium Superiorem & Officialem dictæ Societatis, aut Noſtros, & pro tempore exiſtentes, Romani Pontificis Sediſque Apoſtolicæ Nuncios, vel S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, & quoſuis alios quacumque poteſtate fungentes, vnquam diſpenſari, diſponi, vel derogari poſſe; & quamcumque diſpenſationem, diſpoſitionem, & derogationem, aduerſus eadem præmiſſa, ſeu eorum aliquod præſentemque Conſtitutionem per prædictos, ſeu ipſorum aliquem, pro tempore quomodolibet factam, ſiue conceſſam, nullam prorſus, ac nulliter, & ſubreptitiè, obreptitieque

ptitieque extortam fore, & eſſe ac cenſeri, & haberi, neminique vllatenus ſuffragari debere: præſenteſque Litteras, de ſubreptionis, obreptionis, ac nullitatis vitio, vel intentionis noſtræ, ſeu quocumque alio quantumuis ſubſtantiali, & expreſſam mentionem requirente, defectu, aut ex quocumque titulo, prætextu, cauſſâ, & occaſione, & Capite etiam in Corpore Iuris clauſo, notari, impugnari, redargui, reſcindi, ad viam & terminos Iuris reduci, vel aduerſus illas reſtitutionis in integrũ, aperitionis oris, vel quoduis aliud Iuris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel etiam Motu ſimili conceſſo: quempiam in iudicio, vel extra illud, vti minimè poſſe; ſed eaſdem præſentes ſemper & perpetuò validas, firmas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios effectus ſortiri, & obtinere: ſicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque iudices Ordinarios & Delegatos, etiam cauſſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac eiuſdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & quoſuis alios quacumque poteſtate fungentes, nunc & pro tempore exiſtentes, ſublatâ eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, & iudicari, & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecùs ſuper his à quocumque quauis cauſſâ ſcienter, & ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus quibuſlibet Apoſtolicis, & præſertim fel. recordat. Gregorij XIV. vna quæ incipit: Eccleſiæ Catholicæ ſub Data 28. Iunij, & alia quæ incipit: exponi nobis Data 30. Auguſti 1591. Pontificatus ſui anno primo. Et Pauli V. Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, quæ incipit. Quantùm Religio Societatis IESV de Anno 1606. Pontificatus ſui Anno 2. aliiſque in fauorem dictæ Societatis, vel circa illam, ſeu eius regimen, ac etiam in Vniuerſalibus, Prouincialibuſque, & Synodalibus Conciliis, editis generalibus vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, & quatenus opus ſit, Noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regulâ, de non tollendo iure quæſito: nec non prædictæ Societatis, etiam iuramento, Confirmatione Apoſtolicâ, vel quauis firmitate aliâ roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apoſtolicis, eidem Societati, illiuſque ſuperioribus & perſonis, ac locis quibuſlibet, ſub quibuſcumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis in genere vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium quomodolibet conceſſis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro ſufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis, tenore, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, ſeu alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenore huiuſmodi acſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata, exprimerentur, & inſererentur, præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum ſpecialiter & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem vt præſentium, tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ alicuius in dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio & extra adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud D. Petrum ſub Annulo Piſcationis, *die* 1. *Ianuarij* 1646. Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

Marcus Ant. Maraldus.

Ecce notabilis illius Conſtitutionis vigentiſſimum vndequaque tenorem, circa quam nonnulla oportet diſquiramus. Sit ergo

§. I.

De conuenientia dictæ Conſtitutionis.

40 PONtificia eſt, ex certâ ſcientiâ, motu proprio, ac maturâ deliberatione, auditis Congregationis Patribus, deque Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis. Quis ergo de illius poſſit conuenientiâ dubitare? Miramur equidem nobis inſolitam, & ita penitus inſperatam. Accipimus tamen ſupernam ordinationem, etiamſi contra ordinem proceſſiſſe videatur. Vbi audiendus Diuus Bernardus *Epiſtola* 276. ita ſcribens Eugenio III. Pontifici: *Ordinatiſſimum eſt, minùs interdum ordinatè aliquid fieri. Claues veſtras, qui ſanum ſapiunt, alteram in diſcretione, alteram in poteſtate conſtituunt.* Sic ille: ſed quia diſpoſitiones huiuſmodi iuxta informantium ſolent teſtificationem oriri, & cauſſa, de quâ agitur, humanum aliquid pati ex prædicto fundamento potuit: quandoque accidit, vt conſtitutio aliqua, etiam poſt deliberationem ſeriam, minùs conueniens, aut verò etiam diſconueniens oriatur. Pro quo idem ad eumdem ita ſcribit *Epiſtol.* 18. *Habere bonum, iuſtum, & bonæ famæ Cancellarium Apoſtolicæ dignitatis non modica pars eſt; Apoſtolicæ adminiſtrationis non paruum adminiculum eſt: Apoſtolicæ conſcientiæ non modica cuſtodia eſt. Semper quidem notabilis Conſtitutio pernicioſa; at poſt longam deliberationem, etiam turpis.* Hæc Diuus Pater omnium Patri. Sicut ergo intimè adſtantis alicuius vitio Conſtitutio notabilis, & ita pernicioſa prodire poteſt; ita & aliorum non vera ſuggerentium: à quo malo neque ipſa Apoſtolica Sedes exempta reperitur. Vnde Goffridus Abbas Paſchali Pontifici ita loquitur *Lib.* 1. *Epiſtol.* 8. *Sed ſi Deus vitam & proſperitatem mihi conceſſeris vſque ad feſtiuitatem S. Clementis, beatam faciem veſtram viſitabò de Abbate, & de Monachis B. Albini iuſtitiam accepturus: & quia Venerabilis memoriæ Dominum Papam Vrbanum deceperunt, multis auctoritatibus Sanctorum Romanorum Pontificum probaturus. Ipſe poſteà Dominus Papa, viſis priuilegiis noſtris ſe fuiſſe deceptum aſſeruit, & auctoritate priuilegij ſui, quod contra nos fecerat, ita retractauit, &c.* Pro eodem ita ſcribit Honorio Diuus Bernardus *Epiſtol.* 46. *Iam Regis* (Ludouici Francorum) *Flexerat iram humilitas, vel potiùs conſtantia Epiſcoporum: cùm ecce à Summo Pontifice ſumma ſuperueniens auctoritas, (heu) deiecit conſtantiam, ſuperbiam ſtatuit. Scimus quidem*

Conuenientia Conſtitutionis admittitur, licèt vt inſolita fugiatur.

D. Bern.

Idem.

Conſtitutio Pontificia aliquando pernicioſa, ex informantium vitio.

Goffridus Abbas.

D. Bern.

Digitized by Google

quidem id vobis per mendacium fuiſſe ſubreptum, ſed quod ex veſtris Litteris palàm datur aduerti; vt euerti tam iuſtum, tamque neceſſarium interdictum juberetis. Sic ille.

Contra modum guberna- tionis in Societate à multis oblatum.

41 Quòd autem circa Conſtitutionem dictam aliquid hujuſmodi accidere potuerit, non erit temerarium ſuſpicari. Iam enim ab ipſo Societatis exordio contra illius gubernandi modum multa excogitata ſunt, multa etiam dicta, nec ſemel apud Sedem Apoſtolicam actum, vt circa illum noua forma poneretur. In cuius confirmationem, vnum ſit ſatis teſtem exceptione omni majorē produxiſſe, ſcilicet Gregorium XIV. qui in Bullà, quæ incipir, *Eccleſiæ Catholicæ* ſub Dat. 28. *Iunij* 1591. ſic loquitur: *Quamuis enim præfatæ Societatis inſtitutum iam inde ab eius primordijs fuerit per fel. recordat. Paulum Tertium, & Iulium etiam Tertium, Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros approbatum; & à fel. recordat. Gregorio XIII. etiam prædeceſſore noſtro, primò per eius quaſdam Litteras ſub Dat. Kalend. Februarij, Pontificatûs eius Anno vndecimo: deinde copioſiùs per Conſtitutionem, quæ incipit Aſcendente Domino, confirmatum; nihilominùs tamen non idcircò defuerunt, qui adhuc ſub zeli, & boni ſpecie, aliqua ex ijs, quæ in dictis Pontificiis approbationibus, & confirmationibus continentur, & alia etiam, quæ ad Inſtitutum, & rationem gubernandi dictæ Societatis pertinent, variis modis impugnare: quin etiam apud piæ mem. Sixtum PP. V. prædeceſſorem item noſtrum, oblatis libellis, & variis excogitatis modis traducere & calumniari, atque ut ea, quæ conſultiſſimè ſancita erant infringerentur, conari veriti non fuerint, inſtantes &c.* Sic Pontifex ille diuturniore ſeſſione digniſſimum: illis autem ſimilia Innocentio ingeſta, extra omnem eſt dubitationem: ex quibus licet plura reiecerit, alia benigniùs excepta, ex eorumq; conſideratione fœtus eſt Conſtitutionis prædictæ ad Societatis bonum vt ipſi viſum, efformatus. Eſt ergo fundamentum non leue ad iudicandum quòd tanta non ſit conuenientia in illâ, vt oppoſitum non poſſit conuenientius iudicari.

Greg. XIV. pro eo teſtimonium.

Efficax argumentum pro minori conuenientia Conſtitutionis ex Pontificia auctoritate deductum.

42 Pro quo quidem ſtat communis Societatis ſenſus, cui ea, quæ ad ipſam ſpectant meliùs quàm aliis exteris obſeruatoribus, perſpecta ſunt. Deinde argui poteſt argumento, quo vtitur Gregorius XIV. in præfatâ Conſtitutione, in quâ ſic loquitur: *& quoniam neque tranquillitati, nec firmitati huiuſmodi Ordinum proſpectum eſſe poterit, niſi eorum Inſtituta firmiter inconcuſſa ſeruentur iiſdemq; modis feliciter progrediantur & creſcant, quibus à Fundatoribus, Domino inſpirante, atque hac Sanctâ Sede approbante, primùm fundati ſunt; neceſſarium duximus ea, quæ ab IGNATIO huius Ordinis Fundatore ordinata, & à Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, circa eiuſdem Societatis Inſtitutum ſancita ſunt, Apoſtolicæ firmitatis munimine denuò roborare.* Sic ille: cuius ratio magni eſt profectò momenti: cùm enim conſtet Societatem eo gubernandi modo, quem à Fundatore Sanctiſſimo accepir, feliciter progreſſam excreuiſſe, Sanctâ illum Sede approbante; & eiuſdem conſeruatio ex huiuſmodi natiuis Inſtitutis ritè obſeruatis pendeat: manifeſtum eſt gubernationis originariæ modum magis conuenientem eſſe quouis alio, quem velint nouitatum amatores interduci. Quo argumento vtitur Nauarrus variis in

Gregorij XIV. Conſtitutio.

locis, ex quo Fr. Ludouicus Miranda *in Manuali Tomo 2. q. 6. art. 6.* probans nouo genere gubernationis inducto per Apoſtolicas Conſtitutiones à nouatoribus impetratas, ſtatū Religioſū euerti.

Aliud ex Conſtitutione Pauli V. ſatis vrgens.

43 Prætereà vrgere poſſumus ex Conſtitutione Pauli V. quæ incipit, *quantùm Religio*, in quâ contra aliquos gubernationi Societatis infenſos, eam approbat prout à quinta Congregatione fuerat inſtituta, nolens circa illam quidquam immutari. Eſt autem tali gubernationis modo valde contraria Innocentij, de qua loquimur, Conſtitutio: vnde illius ſpecialiter meminit, vt ex adducto tenore conſtat. Sed iam audiendus Paulus ſic locutus: *Nos igitur certò ſcientes totum ſanctæ huius, & numquàm ſatis laudatæ Religionis ſtabilimentum & profectum, in viridi Inſtituti ipſius, & Decretorum ſuper hoc in Generalibus Congregationibus eiuſdem Societatis editorum obſeruantiâ conſiſtere: illamque ab huiuſmodi, & aliis impugnationibus, moleſtiis, calumniis, ac illorum inuentis vendicare, & in ſui Inſtituti puritate, integritate, quiete, ac pace conſeruare, quantum cum Deo poſſumus, cupientes, &c. Motu proprio, & ex certâ ſcientiâ, ac merâ deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, laudabile dictæ Societatis Inſtitutum &c. Nec non ſupra dicta, & quæcumque alia Decreta, Statuta, & Ordinationes, quæ Inſtitutum, & Societatem huiuſmodi, illiuſque gubernandi rationem quomodolibet concernunt, in Generalibus Congregationibus edita &c. perpetuò approbamus, & confirmamus &c.* Hanc ergo grauiſſimam pro conuenientia gubernationis in Societate vigentis jam pridem Pontificis tanti ſententiam quis dubitare poſſit veritati ſubnixam, cùm ipſe aſſerat ſe certò ſcire ab eius & aliorum obſeruatione, progreſſum Societatis eiuſdem, ſtabilimentumque pendere? Illius ergo mutatio non poterit non eidem pernicioſa deprehendi.

Euaſio ex ſtatus rerū mutatione præcluſa, ex Innocentij X. auctoritate.

44 Vbi illud tantùm videtur dici poſſe, res non eſſe in eodem ſtatu, & ita Innocentium ob noua inconuenientia potuiſſe aliter iudicare. Id tamen non eſſe admittendum ex ipſius Innocentij verbis venit apertè comprobandum: ipſe enim ait Societatem viris pietate & doctrinâ inſignibus refertam, vberes in Vineâ Domini fructus iugiter producere. Eſt ergo eadem, & nihil ab illa mutata, quam priores honorare Pontifices, & ſtabilire, nec non internâ pace, ac tranquillitate frui volentes, cum modo gubernationis in eadem vſitato pariter approbarunt. Sic viros inſignes pietate & doctrinâ progenuit, totque illos, referta eiſdem à Pontifice aſſeratur. Sic vberes fructus in Vineâ Domini iugiter producit. Ergo modus gubernationis priſtinæ nihil incommodare potuit, neque nouum aliquod inconueniens emerſit, quod fuerit neceſſarium beneficio nouitatis amoueri. Neque vis aliqua in eo fieri poteſt, quòd Pontifex auditâ Patrum Congregatorum ſententiâ ſic ſe ſtatuiſſe pronuntiet. Neque enim ait ſe eam ſecutum; licet videntes eum in id prorſus incumbentem, morem geſſerint, & vacationem aliquam in gubernatione perfunctis approbarint. Et Pontifex quidem biennalem eſſe vacationem volebat, Patres annalem ſufficientem iudicabant. Mediam ille amplexus viam, ſeſqui annalem ſtatuit. Quàm autem diuerſa fuerit Societatis ſententia, ex quintâ Congregatione

Digitized by Google

gregatione conſtat, cuius Decreti tenorem Paulus V. in citata Conſtitutione cenſuit inſerendum. Vnde aliorum aliter forſitan ſentientium ratio non habenda, de quibus id præferri non immeritò poſſit, quod dicta Congregatio his eſt verbis proteſtata: *Non dubitarunt libellis ſcriptis, atque ad Summos Pontifices tranſmiſſis ſubſcribere his verbis: ita petens tota Societas: cùm tamen ij pauci eſſent, & denegantes filij noſtræ Religionis.* Hæc & alia ibi.

Congregatio 5.

Inconuenientia nulla reipſa extitiſſe, quæ tamen in mutatione.

45 Nulla ergo inconuenientia reipſa extiterunt, vt oportuerit modum gubernationis immutari: cùm tamen reuerâ ex mutatione non pauca nec leuia fuerint deprehenſa. Et ſic ſperare iuuat Apoſtolicam Sedem per reſtitutionem in integrum Societati pleniſſimè ſubuenturam. Vnde & cùm in Congregatione Generali quintâ decretum fuiſſet triennium pro omnibus Superioribus, cum annali vacatione, exceptis Rectoribus Domorum Probationis, & Seminariorum, (hoc enim addit P. Suarez *Tomo 4. de Religione Tract.* 10. *Lib.* 10. *Cap.* 4. *num.* 20.) & cùm aliquis ad munus eſſet Prouincialis eligendus: quod item P. Suarius addit, vt patet ex *Decreto* 64. quia id Clemens VIII. ſibi placitum ſignificauit, à Paulo V. eſt paucis poſt annis penitus reuocatum. Vbi notandum occurrit de hoc nullum factum à Congregatione Decretum, ſed ita tantùm ab eadem additum: *quæ omnia Congregatio reuerenter audiuit, & debita cum ſubmiſſione, obedientiâ, atque animorum promptitudine amplexa eſt.* Et quod plus eſt, Decretum contrarium circa hoc iam formatum omnino retentum; quod ſic habet, poſt neſcio cuius petitionem, qui aduerſum aliud expetebat: *Decreuit autem Congregatio nullum certum tempus præfigendum, ſed ſeruandum eſſe Decretum* 87. *Congregationis* 2. *generalis. Et nihilominùs Congregatio vehementer commendat P. Præpoſito, vt diligenter curet, ne Præfecturæ iſtæ Societatis nimis diuturnæ ſint, aut prolixè continuentur.* Sic ibi. Non eſt ergo viſum Patribus Decretum illud prius reuocare, licet non executioni mandandum, ſtante obedientiâ, quam ſignificatæ voluntati Pontificis promptiſſimè cenſuit exhibendam. Sperabat enim venturum citò alium, qui prius illud, ſicut & alia, vt verè accidit, reuocaret: poſt quadriennium ſcilicet, ſecundo Pontificatûs Pauli V. anno, qui fuit 1606. & reuocationis ſimilis feliciter futuræ non leues extant coniecturæ, ac præſertim pro Indiis: iam enim à Sanctiſſimo Dom. Alexandro VII. diſpenſatio ad ſeptennium eſt conceſſa, non obſcurè ſignificante conceſſionem perpetuam indultorum, ſi nouum aliquod inconueniens ex abuſu diſpenſationis, quod equidem præſumi nequit, non fuerit deprehenſum: vt R. P. Generalis ſuis litteris Indiarum Prouinciis intimauit.

Spem reuocationis affulgere.

A Clemente VIII. Decretum Paulus V abrogauit circa materiam præſentem.

Decretum 5 Congregationis cum peculiari obſeruatione.

Pro Indijs conceſſa diſpenſatio.

§. II.

An Conſtitutio dicta ſit fauorabilis, vel odioſa.

46 FAuorabilem eſſe prima illius verba videntur oſtendere, quibus Pontifex proſpero ac felici ſtatui Societatis ſe velle conſulere profitetur. Quid enim fauorabilius excogitari poteſt, quàm id, quo proſperitas ac felicitas accuratur? Deinde, ex eo quòd viris doctrinâ ac pietate inſignibus fauere intendit, vt ſcilicet illi partem in gubernatione habere poſſint, ad pauciores per voluntariam, & penitus arbitrariam Generalis deſignationem, non arctata. Et quidem ex fine legis iudicandum eſt an lex fauorabilis ſit, vt docti tradunt, quorum ſententiam nonnullis citatis, adducit P. Suarez *Lib.* 5. *de legibus Cap.* 2. *numer.* 4. Vnde licet grauamen aliquod ſit adnexum, ex eo non deſinit talis eſſe, ſicut è contrario. In caſu autem noſtro intentio Pontificis non eſt primariò in grauamen aliquod Societatis directa, quia talis intentionis nullum eſt in exordio aut progreſſu Conſtitutionis indicium, cùm tamen fauoris ſit intentio manifeſta; quòd ſcilicet viri pietate & doctrinâ inſignes, quibus Societas referta eſt, parte gubernationis honorentur. Quod etiam aliunde probari poteſt: nam iuxta dicta negari nequit quin Conſtitutio noſtra fauorem contineat, licet aliunde grauamen inducat: eo autem ipſo quòd fauorabilis ex prædicto capite ſit, debet abſolutè cenſeri talis, vt cenſent non contemnendi Doctores, quos refert Tiraquellus in *Præfatione ad Retract. num* 4. *num.* 66. quia eadem lex nequit eſſe ſimul fauorabilis & odioſa: id enim quod videtur odium, reipſa fauor eſt, quia propter fauorem ſtatuitur, & non propter ſe. Vnde odium reſtringendum eſt, vt fauor amplietur. Et ex hoc apparet non poſſe Conſtitutionem ſimul eſſe fauorabilem & odioſam: tum quia fauor debet præualere, iuxta Regulam notiſſimam in 6. *Odia reſtringi, & fauores conuenit ampliari.* Ergo ita ampliandi ſunt, vt vbi fauor eſt, lex nullo modo odioſa, ſed fauorabilis debeat abſolutè iudicari. Tum etiam quia odium ipſum ſpecies fauoris eſt, dum in bonum & commodum alicuius ordinatur. Vt ex ſe patet. Quod etiam ex doctrina P. Suarij roborari poteſt citato *Capite num.* 12. vbi ait ad intelligendum an lex fauorabilis ſit, vbi odium aliquod interuenit, prudenter penſanda eſſe omnia ſcilicet intentionem legiſlatoris, rationem boni communis, & alias circumſtantias materiæ & verborum, quæ quidem in caſu noſtro videntur concurrere: de intentione enim & ratione communis boni in Societate iam vidimus: verba item fauent, & circumſtantiæ ſuffragantur; cùm ſciamus Pontificem ad condendam legem prædictã aliquorum poſtulationibus fuiſſe permotum, quibus gratificari voluit, conuenientiam in eo, quod ſtatuit, non modicam arbitratus. Præterea. Idem Doctor eximius *num.* 13. docet, cùm fauor excedit, pro illo eſſe abſolutè iudicandum, & legem ſimpliciter eſſe habendam fauorabilem: quia lex per ſe & ſponte ſuâ inducit fauorem, odium verò quaſi ex accidenti & coactè ob neceſſitatem: id autem quod eſt per ſe præfertur ei, quod eſt accidentarium, ceteris paribus. Et idem aſſerit dicendum quando fauor & odium æqualiter ſe habent, ſiue tamquàm excedens & exceſſum, vel res dubia eſt. Quod quidem in cauſſa, de qua agimus, videtur propter rationes dictas ſaltem affirmandum.

Fauorabilem eſſe quæ videantur oſtendere.

Ex fine legis fauor agnoſcitur.

Et ex eo præciſe quòd fauorem contineat, licet odij aliquid videatur admiſceri.

Ex concurſu item multorum, ex P. Suario.

Quia odiũ non excedit.

Vel res dubia eſt.

47 Vt verò Conſtitutio iſta odioſa cenſenda ſit in primis facit eſſe contra ius commune Societatis,

Quæ odioſam probẽt Conſtitutionem.

Digitized by Google

Societatis, vt eſt compertum: ex quo fit reſtringendam illam, vt patet exemplis ex Iure adductis à Gloſſa in *Cap. Odia.* de regulis iuris. Deinde, Doctrina multorum aſſerentium, quando lex grauamen aliquod inducit, ſimpliciter cenſendam eſſe odioſam; etiamſi fauorem aliunde contineat: quod ex eo oſtenditur, quia ſimpliciter fauorabilis dici nequit: bonum enim ex integra cauſſa: cùm tamen odium rationem mali habeat: ergo eſt ſimpliciter odioſa dicenda, quia malum ex quocumque defectu. Tum etiam quia fauor ipſe rationem importat odij, cùm cedat in alterius præiudicium; vnde nequit reſpectus fauoris puri præſcindi. Quod in caſu noſtro facilè oſtendi poteſt: hoc enim quod eſt in fauorem virorum pietate ac doctrinâ inſignium, ſine reſpectu ad grauamē nequit concipi: non enim illis ſimpliciter conceditur vt partem in gubernatione habere poſſint, hoc enim ex ſe habent; ſed vt non impediatur eorum aſſumptio ad Prælaturam aſſignatione repetitâ, & numquàm ceſſante aliorum, qui pro arbitrio Generalis eliguntur: hanc autem non impeditionem, in præiudicium cedere poteſtatis illius, ſatis eſt compertum. Pro quo videri poteſt Tiraquellus *ſuprà num.* 65.

Aſſertio 1. Eſſe aliquo modo fauorabilem.

48 Dico primò. Negari nequit Conſtitutionem dictam fauorem aliquem continere, & ita etiam fauorabilem aliquo modo dici poſſe. Conſtat ex dictis. *num.* 46.

Aſſertio 2. Eſſe item aliqualiter odioſam.

Dico ſecundò. Odioſam eſſe negari nequit. Conſtat item ex nuper adductis, & ex Societatis ſenſu, quæ grauamen ex illa ſatis ſibi moleſtum experitur.

Aſſertio 3. Parui eſſe momenti diſcrimen circa illud.

Dico tertiò. Diſcrimen, quod circa hoc eſſe poteſt, parui videtur eſſe momenti. Id probo. Nam ſi momentum aliquod haberet, id eſſet ratione interpretationis, quòd ſcilicet ampliari, aut reſtringi poſſit: atqui hoc fieri poteſt eodē modo, ſiue vno, ſiue alio pacto loquamur: ergo diſcrimen nullius momenti eſt. Maior eſt certa ex communi Doctorum ſenſu circa Regulam adductam, *Odia reſtringi &c.* & Minor oſtenditur: nam etiamſi dicatur fauorabilis, ex eâ etiam parte, quâ odium continet; reſtringenda eſt, ne odium aliquo ex capite augeatur: & fauor, ſi quis eſt, ſimiliter ampliandus, iuxta eamdem: ergo ſiue vnò, ſiue alio loquamur modo, eadem ſtare interpretatio poteſt.

Aſſertio 4. Eſſe abſolutè odioſam.

49 Dico quartò. Conſtitutio noſtra abſolutè dicenda eſt odioſa. Hoc probant adducta *num.* 47. & prætereà oſtenditur ex communi, vt paulò ſuperiùs dicebam, Societatis ſenſu. Deinde quia eſt reuocatoria fauorum, qui in Bullis Gregorij XIV. & Pauli V. circa ea, de quibus agit, ſpecialiter continentur. Item. Nam totus illius tenor ſolas prohibitiones, ceſſationes, pœnas, cum extraordinariis clauſulis prementibus & vrgentibus præſefert: cui non obſtat id, quod de viris pietate ac doctrinâ inſignibus eſt præmiſſum. Quod probari efficaciter poteſt ex lege, per quam fœminæ excluduntur ab hereditate: quam communiter Doctores dicunt odioſam; licet maſculorum fauor per eamdem intendatur: vt videri poteſt apud Tiraquellum *ſuprà num.* 64. addit autem rationem P. Suarez *num.* 12. *citato.* quia fauor ille priuatus eſt, & non admodùm neceſſarius, neque ad pacem & honeſtatem morum

Ex lege de exheredatione fœminarum luculenter oſtenſum.

multùm vtilis. Quæ quidem pro caſu noſtro aptè conſonant: priuatus enim fauor eſt, vt ſcilicet aliqui locum in gubernatione reperiant: neque enim de omnibus pietate & doctrinâ inſignibus dubitari poteſt, cùm conſtet communiter tales ad gubernationem aſſumi. Quòd autem fauor ille non admodum neceſſarius ſit, ex eo liquet, quòd ſine illo diu Societas floruit, & ex illius conceſſione non eſt reddita fructuoſior. Pro quo videnda quæ diximus *num.* 44. Non eſt denique ad pacem & honeſtatem morum multùm vtilis, vt eſt experientiâ deprehenſum. Et vtinam non plus incommodi quàm vtilitatis attuliſſet.

Vrgetur pœnis, & cenſuris.

50 Vrgeo inſuper ex doctrina Emmanuelis Roderici *Tomo* 1. *qq. regular. quæſt.* 11. *artic.* 6. §. *Sexta regula*, in fine, vbi Conſtitutiones, & extrauagantes, quæ præcipiunt aliquid executioni mandari, quod à jure communi præcipitur, aliquas pœnas & cenſuras addendo, odioſas debere judicari; cùm reſpectu talium pœnarum & cenſurarum à terminis juris communis egrediantur. Ex quibus euidens in cauſſâ noſtrâ conficitur argumentum. Nam ſi Conſtitutio juri communi conformis, ex eo quòd pœnam addat, debet odioſa cenſeri: ergo multò magis illa, quæ juri communi conformis non eſt, qualis eſt ea, de quâ agimus, Iuri Societatis, ab eius inſtitutione firmiſſimo, apertè contraria. Videatur citatus Auctor benè aſſerens circa hoc non poſſe certam regulam aſſignari: vix enim lex aliqua odioſa reperiri poteſt, quam non Doctores aliqui fauorabilem arbitrentur, ſicut è contrario: vnde & ille legem Canonis circa percuſſores Clericorum, quæ communiter cenſetur fauorabilis, odioſam reputat: id quod juxta citatam illius doctrinam conſequenter affirmandum. In caſu ergo noſtro licet defuturi non ſint, qui Conſtitutionem fauorabilem exiſtiment, nobis certè ſatis eſt veroſimiliter philoſophari, vt interpretatio accommodari poſſit, quæ non debeat inueroſimilis æſtimari.

Notanda ex Emmanuele doctrina.

Ex diſpenſatione ſeptennali circa Indos arguitur, & Alex. 7. judicio.

51 Tandem arguo ex eo quòd à Sanctiſſimo Dom. Alexandro VII. diſpenſatio ſeptennalis pro Indiis conceſſa eſt, ſicut & breuior alia pro Europæ Prouinciis. Diſpenſatio autem ſpecialis fauor eſt, & beneficium Principis: pro quo videndus P. Thomas Sancius *Lib.* 8. *de Matrimonio Diſputat.* 1. Ex quo fit Conſtitutionem; in quâ diſpenſatur, non eſſe fauorabilem, quia fauor fauori non eſt contrarius reſpectu eius, cui fit. Et verò Sanctiſſimus ſic diſpenſans, vt per Litteras ex Vrbe ſcribentium accepimus, vbi primùm in Sedem eſt ſummæ Poteſtatis euectus, Patribus Societatis noſtræ benignè polliceri dignatus eſt, adfuturum ſe Societati fauore ſuo in ordine ad ea, quibus ſe à Prædeceſſore ſuo grauatam ſentiebat. Non ergo ille fauorabilem ejuſdem Conſtitutionem, ſed grauaminibus plenam, & ita odioſam arbitratur. Iuxta hæc ergo ita interpretanda eſt vt grauamen non augeatur, ſed arctetur; quod juxta dicta eſt; vnde in caſibus ſingularibus non erit operoſum judicare.

Digitized by Google

§. III.

Nouennium ad Congregationes Generales quomodo computandum.

52 COnſtitutionis verba ſunt : *Congregatio Generalis in prædicta Societate ſingulo quoque nouennio, computando ſemper à celebratione vltima Congregationis Generalis, haberi, & celebrari omnino debeat.* Circa quod

Aſſertio 1. computationem nouennij à fine celebrationis faciendã.

Dico primò. Satis veroſimile videtur computationem fieri poſſe à fine celebratæ vltimę Congregationis. Id probo: quia dicta verba ſine vlla impropriętate ita intelligi & explicari poſſunt: & alioqui, cùm diſpoſitio odioſa ſit iuxta dicta §. *præcedent.* ita ſunt interpretanda, vt Societas minùs grauetur ratione illorum ; cùm tamen grauari certum ſit huiuſmodi temporis taxatione. Omnia conſtant præter id, quod de proprietate intelligentiæ eſt dictum, & illud probo. Nam cùm terminus ab aliquo actu deſumendus eſt, ille debet eſſe perfectus: quod tenent Doctores quamplures, quos adducit Matienzus *in Lib. 5. Recopilat. L. 7. Titul. 11. Gloſſa 6. num. 3. & ſeqq.* Ex quorum doctrinâ habetur tempus, qui retractui conceditur, ſcilicet nouem dierum, non currere à die celebrati contractus venditionis, ſed à die traditionis, quia tunc ille perfectus eſt. Annum item, qui conceditur, vt adeptus Beneficium Parochiale ad ſacros Ordines promoueri debeat, non currere à die Collationis, ſed adeptæ poſſeſſionis, habetur in Cap. *Commiſſa,* de electione *in 6.* & ſimilia alia adducit Tiraquellus *Lib. 1. de Retractu. §. 1. Gloſſa 10. num. 36. & 37.* Cùm ergo pro termino, à quo currere nouennium debeat, aſſignetur celebratio vltimæ Congregationis, & hæc vſque ad illius concluſionem perfecta non ſit, non debet tempus niſi à concluſione ipſa computari.

Computatio fit ab actu perfecto.

Bona pro eo exempla.

53 Præterea ; quia præpoſitiones *A,* & *Ab,* ex ſe ſunt excluſiuæ termini *à quo*, regulariter loquendo, vt notant quamplures ſcriptores, varios ad id caſus inducentes, quos adducit Barboſa *de Dictionibus, Dictione 1. num. 1.* Pro quo & videri poteſt P. Quintanad. *Tomo 1. in Appendice Tractat. 8. Dub. 5. num. 1.* qui *num. 2.* affirmat ſecus dicendum quando de fauore aliquo agitur: quod tamen in caſu noſtro non habet locum ; cùm potiùs in ſignificatione excluſiuâ fauor contineatur.

Ex conditione præpoſitionum A. & Ab, quæ ſunt termini excluſiua, vrgetur.

Aſſertio 2. aliquẽ ſaltem diem de nouennio ſumendum.

Dico ſecundò. Factâ computatione modo dicto, non debet ita labi nouennium, vt nihil ex eo ad Congregationis celebrationem aſſumatur. Si enim ſic tranſeat, quod poſteà fluit, non ad nouennium, ſed ad decennium ſpectat. Sufficiet autem vt vel dies vnus ex nouennio aſſumatur: iam enim verificatur Congregationem celebrari in nouennio, licèt pars aliqua decennij adnexa ſit. Cùm enim de fauore agatur, talis interpretatio poteſt veroſimiliter vſurpari, iuxta *ſuperiùs* dicta

Aſſertio 3. conueniens, & ſine controuerſijs cõputatio.

54 Dico tertiò. Vt omnis controuerſiarum amputetur occaſio, nouennium ita computandum eſt, vt à die inchoatæ Congregationis octo anni numerentur, & nono currente intra illius ſpatium Congregatio penitus habeatur: niſi aliud ex vſu conſtet, aut ex declaratione Pontificiæ mentis ſuffragetur. Et quidem Pontifex in hoc ſecutus videtur id, quod in ſecunda fuerat Congregatione tractatum : in cuius *Decreto* 19. habetur B. Franciſcum Borgiam in eadem electum Generalem, cenſuiſſe generalem Congregationem ſeptimo quoque anno celebrandam, cuius ſententiam ſecuta Congregatio: hoc addito, quòd ſi maior pars Prouincialium in ſeptimo anno judicaret res graues non occurrere, quæ tractari in Congregatione debeant, differri poſſit in bienniũ; ita vt nono quoq; anno ad ſummũ debeat celebrari. Sed interceſſum eſt, & interceſſio obtinuit, ne vllum certum tempus præſcribatur: ſed tertio quoque anno veniant ſimul ex omnibus prouincijs Procuratores, iuxta quorũ id eſt ſententiam definiendũ. Quod & *Decreto 7. Congreg. 4.* habetur conſtitutũ. Quod ergo de nouennio Congregationi viſum fuerat ante interceſſionem, & B. Franciſco probatum, viſum eſt & Pontifici, ſuoque Decreto ſtabiliuit. Sicut igitur id ita viſum, pariter etiam videtur computatio temporis facienda: vnde non aliter circa nouennium, quàm circa triennium habenda ratio illius eſt, de quo dicitur: *Sed tertio quoque anno veniant, &c.* Quod quidem non ita ſit, vt elapſo biennio intra tertij anni ſpatium Congregatio habeatur: ſed triennio tranſacto, die immediatè ſequenti debet inchoari. Sic enim conſtat ex *Formula Congregationis* huius *Cap. 1. num. 1.* vbi ſic dicitur: *Tertio quoque anno à decimâ quintâ die Nouembris poſt finem vltimæ Congregationis generalis computando, ex omnibus Prouincijs, iuxta Congregationes & Decreta, ad Generalem conueniant Procuratores, &c.* Et inferiùs. *Tempus enim huius Congregationis, dies ipſe quintus decimus Nouembris decretus eſt, niſi aliud Generali videatur.* Sic ibi. Iuxta quæ id habetur, quod diximus. Sicut etiam computationem non ita fieri, vt Congregationi aliquis ſaltem dies triennij debeat aſſignari. Videtur ergo pro Nouennio Congregationis generalis idem ſufficere: impleri ſcilicet Pontificiam voluntatem, ſi elapſo nouennio, die immediato Congregatio inchoetur. Quod licet non ſit Aſſertioni ſecundæ conforme, ſuſtineri veroſimiliter poteſt, & mihi pro praxi ſecurum apparet: licèt ad controuerſiarum, vt dixi, occaſiones amputandas, dicto *in Aſſertione tertiâ* ritu procedendum videatur. Triennium enim diſponere pro libitu Societas potuit, nouennium autem juxta Pontificiam eſt voluntatem regulandum.

Iuxta id quod in Congregatione 2. viſum Patribus, ſuum Pontifex Decretum confirmauit.

In nouennio eadem quæ in triennio Congregationis Procuratorum habenda.

Decretum circa Congregationẽ dictam.

§. IV.

Nouorum Aſſiſtentium in Congregatione eligendorum obligatio.

55 HIs illa verbis declaratur: *Præterea vt quotieſcumque habebitur & celebrabitur Congregatio Generalis huiuſmodi, toties noui Aſſiſtentes, ab illis planè diuerſi, qui præcedenti nouennio Aſſiſtentium huiuſmodi muneribus functi fuerunt, eligi, ſeu aſſumi, & deputari.* Circa quæ dubium occurrit an ſi Congregatio Generalis ante nouennium celebretur, vt annis proximis accidit occaſione

Digitized by Google

ne mortis Generalium, noui debeant Aſſiſtentes eligi omnino à præcedentibus diuerſi. Circa quod

Aſſertio 1. In Congregatione antè nouennium non deberi Aſſiſtentes nouos eligi attentis Conſtitutionis verbis.

Dico primò. Attento tenore verborum Conſtitutionis, ſatis veroſimile apparet non eſſe talem obligationem: duo enim in illis habentur, quibus res videtur reddi manifeſta. Primum; quia toties eligendi dicuntur, quoties Congregatio habenda & celebranda ſit, additâ particulâ *huiuſmodi*, ſcilicet, *quoties Congregatio huiuſmodi.* Eſt autem illa limitatiua eius ad quod refertur, & illius exprimens qualitates: vt tradunt Doctores, quos adducit, & adducere multò plures poterat P. Quintanad. *Tomo 1. Tractat. 3. ſingulari. 17. num.* 4. Cùm ergo de Congregatione generali ſermo præceſſerit, non quacumque, ſed poſt nouennium celebrandâ, de illâ eſt intelligenda diſpoſitio, & non de aliâ. Secundum eſt: quia nouennium prorſus expreſſum verbis illis: *Ab illis planè diuerſi, qui præcedenti nouennio, &c.* Deinde eſt ratio vrgens: nam aſſiſtentibus non eſt triennium, ſicut aliis gubernatione fungentibus aſſignatum, eò quòd ad gubernationem totius Societatis, ſpecialis rerum, locorum, & perſonarum notitia requiratur; quæ quidem per triennium vix habetur, vnde vlterius debuit ſpatium aſſignari, & ita à Pontifice nouennale omnino eſt conueniens iudicatum: ergo Congregatione multò ante nouennium habitâ, non debet de Pontificia voluntate præſumi ad nouorum Aſſiſtentium electionem adigere contendiſſe. Et ita factum in Congregatione 9. circa P. Franciſcum Arinatum Aſſiſtentem Galliæ, & in decimâ circa Pater Goſwinum Nickel, modò Generalem.

Particula huiuſmodi vis.

Ratio vrgens.

Ratione notitiæ non eſt neceſſaria eorum lem Aſſiſtentiũ electio, aut confirmatio.

56 Quod autem de notitia dictum eſt, quæ breui nequit tempore conuenienter haberi, videtur oſtendere non debere nouam Aſſiſtentium electionem fieri nouennio non exacto, ſi electi progredi commodè in officio poſſint, aut ſaltem eorumdem iterandam electionem. Sed reuerà non ita probat vt neceſſaria electio ſit, ſed ſolam indicat conuenientiam. Et quidem eximiam, ſi alia non deſint, vt non ſit veroſimile voluiſſe Pontificem oppoſitum ſtabilire. Poſſunt ergo & debent Aſſiſtentes ante nouennium eligi, quando Congregatio ad electionem Generalis habetur. Quod & fieri poſſe etiam quando Generalis ſtatim poſt electionem tum ſuam, tum Aſſiſtentium moritur, habetur *in Formulâ Congregationis Generalis*, §. 53. Nouo enim in Generali electo ſic ſtatuitur: *Poſt electionem verò non erit opus eligere nouos Aſſiſtentes &c. Quòd ſic intelligendum eſt, vt integrum Congregationi ſit, vel nouos eligere, vel antiquos confirmare.* Sic ibi; & quia leuioris videtur animi, id quod dudum poſt maturam eſt deliberationem conueniens judicatum, nullâ vrgenti ratione mutare, in Congregatione Decima, in quâ caſus prædictus accidit, morte R. P. Alexandri Gottifredi in eadem Congregatione electi Generalis, iidem qui nuper fuerant Aſſiſtentes, à Congregatione confirmati ſunt, vt habetur *Decreto* 57. in quo tamen additur id factum, *paucis admodum diſſidentibus*, qui nouos eligendos cenſuerunt. Quod quidem ex lenitate animi in viris tantis accidiſſe non eſt æquum ſuſpicari: ſed ex eo quòd illi in electione aliis ſuo ſuffragio forſitan adhæſiſſent, quos nouâ electione promouendos ſibi ob nouas aliquas coniecturas poterant polliceri: vel quia pro nouo Generali electorum aliqui minùs apti videbantur.

Formula Congregationis circa peculiarem caſum diſponens.

Quid nuper factum: pro eo & ratio.

Aſſertio 2. aſſiſtentes vltra nouenniũ non poſſe in officio perdurare.

57 Dico ſecundò. Licèt attento tenore verborum Conſtitutionis, & ſtantibus Pontificij beneplaciti coniecturis, ſit omnino veroſimile quod diximus, non ita tamen eſt, vt Aſſiſtentes vltra nouennium debeant in officio permanere. Nouennio ergo exacto alij aſſumi debent, iuxta id, quod in Conſtitutionibus habetur *Parte 8. Cap.* 5. §. 4. *& in Formula Congregationis Generalis*, §. 85. Id probo: quia mens Pontificis eſt, vt munera iſta honorifica pluribus fiant communia; vt ex tenore Conſtitutionis conſtat: vnde Aſſiſtentes ſuperioribus æquat proportione ſeruatâ: & ſicut hos non patitur vltra triennium progredi, quomodocumque illud continuetur; ita credendus eſt de nouennio illorum voluiſſe, & certè in illis maior videtur ratio, eò quòd munus illud ſuprà omnia alia honorificum habeatur. Vnde Clemens VIII. in Congregatione 5. Generali juſſit tres Aſſiſtentes, Italiæ ſcilicet, Hiſpaniæ, & Luſitaniæ mutari, propterea quòd diu nimis in eo officio perdurarunt: quod & ita factum, vt conſtat ex *Decreto* 73. 74. & 77. licèt de eo à Congregatione fuerit ſupplicatum: pro quo in *Decreto* 74. Vbi obſeruatione dignum occurrit, tres illos Aſſiſtentes, quos mutandos Pontifex voluit, non fuiſſe in præcedenti Congregatione electos, ſed in eâdem ipſâ quintâ Congregatione, vt patet ex illius *Decreto* 1. Erant autem P. Benedictus Palmius, Italiæ; P. Ægidius Conſaluius, Hiſpaniæ; P. Petrus Fonſeca, Luſitaniæ. Sed quia in Congregatione tertiâ electi fuerant, & P. Benedictus Palmius, etiam B. Franciſci Borgiæ aliquandiu Aſſiſtens fuerat, vt conſtat ex *Decreto* 17. Congregationis tertiæ; viſum eſt Pontifici non expedire, vt iterùm eodem munere fungerentur: ergo id in continuatâ functione muneris eiuſdem minùs videtur expediens, & ita Pontificiæ magis aduerſum voluntati.

Clementis VIII. juſſio circa Aſſiſtentium remotionẽ.

Aſſertio 3. officiũ Aſſiſtentium continuari vt poſſit.

58 Dico tertiò. Si de Pontificis mente veroſimilis habeatur coniectura, vt non videatur continuationem dictam improbare, cùm alioqui obligatio dicta non ſit adeò explorata, procedi in eo fine conſcientiæ remorſu poterit. Videtur autem non parùm congruere, vt in rebus iſtis cum prouidâ moderatione ab iis, qui gubernationi Societatis præpoſiti fuerint, procedatur: ne ad Pontificis aures querelæ aliquorum inofficioſæ perueniant, & ſic ſocietas, cui turbellæ iſtæ nimis incommodare poſſunt, moleſtis iterùm ſolicitudinibus implicetur.

§. V.

Circa triennium ſuperiorum qualis vrgeat obligatio.

Difficultates circa triennium pro vacatione.

59 PRo illo habetur ſic: *Per triennium tantùm durare debeant, eoque elapſo triennio, eo ipſo vacent, & vacare cenſeantur, &c.* Vbi difficultates aliquot occurrunt. Prima, an ſi triennio aliquid deſit, quænis interruptio ſufficiat, quæ eſt cum aliis circa vacationis ſpatium diſcutienda.

Digitized by Google

Secunda, An vacatio futura ſit computando triennium de momento ad momentum. Tertia, An ſit aliquis caſus, in quo diſpoſitio prædicta non currat. Quarta. Vtrùm ſi triennium non in eodem officio nihilominus vacationis præceptum vigeat. Quinta, An computatio à poſſeſſione officij, vel à deſignatione ſumenda ſit. Circa quas

Aſſertio 1. Computatio triennij de momento ad momentum non vrgere: ſed qualis ſufficiat.

Dico primò. Satis veroſimile eſt computationem non eſſe faciendam de momento ad momentum. Id probo ex dictis. *numer.* 32. & 33. juxta quæ dies, à quo incipit currere tempus deſignatum, non computatur. Iuxta datam ſcilicet ibidem explicationem; quòd non computetur eò quòd integer non ſit: vnde ſi integer fuerit, aliter eſt dicendum: ſi videlicet à media nocte decurrerit: tunc enim nulla eſt veroſimilis ratio cur non debeat computari. Alio etiam modo explicari poteſt, ſupponendo, vt modò dictum eſt, non inchoari tempus à media nocte, ſed ab aliquâ horâ diei: tunc enim hora ſimilis reſpondet in termino, in quo triennium mathematicè completur: at non eſt ita materialiter computandum, ſed moraliter, quia totus ille dies computatur vt terminus ſpatij; quia non eſt credibile legiſlatorem velle ita rigoroſè & delicatè agere, vt horæ ſint minutiis obſeruandæ. Quâ ratione cenſent aliqui implentem vigeſimum primum annum, à quo incipit obligatio jeiunandi non teneri jeiunare eo die, quo ætas dicta completur, etiamſi manè compleatur. Pro quo videri poteſt Diana *Parte* 1. *Tract.* 9. *Reſolut.* 49. Eſt item pro eodem ſententia alia Doctorum aſſerentium eum, qui tali die implet viginti quatuor annos, non poſſe in eodem ordinari, bene tamen in ſequenti. Cujus ratio eſt: quia pars illa diei ad eumdem diem pertinet, vnde vigeſimus quintus annus ad Ordinem requiſitus non videtur inchoatus, & ita mediæ noctis tranſcurſus expectandus. Sic P. Thomas Sancius *Lib.* 7. *Conſil. Dub.* 33. *n.* 7. Diana *Parte* 5. *Tr.* 5. *Reſol.* 17. & alij.

Ex obligatione jejunij probatio.

Alia ex ætate ad Ordines.

Ex intentione veroſimiliter præcepta Pontificis.

60 Deinde argui poteſt. Quia non alia eſſe videtur Pontificis intentio, pro cujus implemento nihil refert talis modus computationis. Cùm enim tantùm velit gubernationem non protendi, & locum multis eſſe in illâ; nihil profectò ad hoc intereſt hoc aut illo modo triennium computari, quando in diuerſitate computationis adeò breue ſpatium intercedit. Intentionem legiſlatoris attendendam ſæpiùs diximus & juxta debere interpretationem fieri. *Lex eſt quidquid in ratione conſiſtit.* Cap. *Conſuetudo. Diſt.* 1. Pro quo videri poteſt P. Suarez *Libr.* 6. *de legibus Cap.* 5. *num.* 5. & *ſeqq.* Iuxta quæ excuſandus venit Prouincialis quidam, qui cùm horâ decimâ antemeridianâ triennium, de momento ad momentum computatione facta compleuiſſet, circa aliqua occupatus, quæ ad renuntiandum ſucceſſorem pertinebant, aliquantùm progreſſus eſt. Sicut etiam excuſari potuerunt Superiores, quibus vacationis nuntium inopinatum accidit: potuerunt enim eo die aliqua diſponere, quæ ad officium ſpectabant, & ſine inconuenienti non poterant indiſpoſita remanere. Vacationem enim ita acceleratam, & inconuenientibus plenam, non eſt credibile Pontificem voluiſſe.

Quorumdam excuſatio ex ratione dicta.

Aſſertio 2. Caſus ſpecialis in quo diſpoſitio Pontificia non currit.

61 Dico ſecundò. Dari caſus poteſt, in quo diſpoſitio prædicta non currat. Id poteſt oſtendi in Indiis, ſi vacatio innoteſcat, nec tamen ſit Superior à Generali deſignatus: non enim domus debet ſine Superiori relinqui, neque illud poteſt de Pontificis voluntate præſumi. Nec dici poteſt Superiorem vacationi obnoxium poſſe vice ſui alium nominare: ſi enim per notitiam vacationis ceſſauit, nequit actum Superiori proprium exercere. Neque etiam dici poteſt per Epikeiam illud poſſe, & juriſdictionem eius vſque ad nominationem non expirare. Quia juriſdictionem talem, ſi verè ceſſatio eſt futura, Pontifex non confert, & Superior ſupremus nequit contra Pontificis concedere voluntatem. Si ergo Epikeiæ locus eſt futurus, id potiùs dicendum, quod *Aſſertione* ſtatuimus, Conſtitutionem inquam eo in caſu non obligare. Videatur P. Suarez *ſuprà Cap.* 7. *num.* 10. cuius doctrinam alij plures amplexi: quòd ſcilicet præceptum legis non obliget, quando boni communis ratio contrarium poſtulat; etiamſi poſſit ſine peccato adimpleri: pro quo exempla adducit *num.* 9. Non videtur autem improbabile poſſe vice ſui aliquem nominare: non quidem vices habiturum eius, in rigore loquendo, quandoquidem ordinariâ eſt poteſtate deſtitutus, & ita Vicarium habere nequit, ſed in latiori ſignificatione: qui ſcilicet locum eius ſuppleat, dum alius prouidetur. Et hoc quidem ex præſumptâ Superioris eius facultate, ad quem ſpectat prouiſio: quod quidem ſtare ſine juriſdictione poteſt, miniſterialiter tantùm, licet cum arbitrio. Sicut Generalis committere alicui poteſt omnino priuatè vt eum, qui ſibi benè viſus fuerit, Superiorem nominet, non ſuo, ſed Generalis nomine. Poteſt autem voluntas iſta præſumi: quia ad Superiorem ſpectat ſucceſſorem ſibi in officio conſtituere, quando à maiori non eſt Prælato deſignatus, vt vicariam ſcilicet domûs curam habeat. Sic enim habetur *Decreto* 20. & *Canone* 3. *Congregat.* 8. Ergo pro caſu ſpeciali, in quo vacatio accidit, ita etiam conijciendum, & ita poſſet generali lege ſanciri: hic enim caſus in Conſtitutionibus, & Congregationum, aut Generalium Ordinationibus non occurrit, cùm tamen poſſit non ſemel occurrere.

Notanda doctrina pro impulſione obligationis, cùm bonū commune aliud poſtulat.

Probabilis poſitio circa nominationem ſucceſſoris.

Aſſertio 3. Triennium in diuerſis officiis non poſſe prorogari.

62 Dico tertiò. Triennium continuatum in officiis, de quibus agit Pontifex, etiamſi illa diuerſa ſint, nequit ſine violatione Conſtitutionis Pontificiæ prorogari. Probatur ex praxi ſic indubitatè procedente. Deinde, ex intentione Pontificis in eadem expreſſæ, quæ quidem per contrariam intelligentiam poſſet penitus elidi: ſi videlicet quis in diuerſis occuparetur muneribus, in quorum nullo triennium expleret. Item. Tenor ipſe Conſtitutionis id continet, dum ſic dicitur: *In eorum reſpectiuè muneribus. Et officiis prædictis per triennium dumtaxat durare debeant.* Atqui duo officia continuatè ſuſtinens, ſi vltra triennium adminiſtrationem extendat, non poteſt verificari quòd in illis per triennium tantùm duret: ergo contra tenorem Conſtitutionis delinquit.

Aſſertio 4. Triennium quando inchoetur.

63 Dico quarto. Triennij computatio non eſt facienda à die poſſeſſionis, ſed eo modo, quo faciendam decernit Congregatio 8. *Decreto* 43. in quo ſic dicitur: *Statuit Congregatio officium & auctoritatem Superiorum localium, atque adeò triennium Præfecturis definitum, inchoari à die authenticæ renuntiationis ipſorum in Collegio, vel Domo, quibus præficiuntur:*

Congregatio 8.

præficiuntur : ſiue ipſi præſentes ſint, ſiue abſentes. Pro eodem eſt *Decretum* 10. *Congregationis* 9. ſic ſe habens : *Decretum* 43. *Seſſionis* 116. *Congregationis* 8. *intelligendum eſt de ordinaria Superiorum renuntiatione. In caſibus verò extraordinariis, cùm res vrget, & in loco vbi præficiendus eſt Superior fieri renuntiatio non poteſt, ob impedimentum belli v. g. vel peſtilentiæ : decreuit Congregatio ſatis eſſe, ſi fiat in loco, vbi maior pars ſubditorum fuerit ; vel, ſi id etiam nequeat, in eo, quem Prouincialis aptiorem iudicauerit.* Sic ibi. Circa quæ Decreta obſeruandum in primis eſt illa de Superioribus tantùm localibus procedere, & non de maioribus Prælatis, viſitatoribus inquam & Prouincialibus. Quod quidem propterea ſic factum videtur, quia in illis inchoatio officij cum poſſeſſione ſolet eſſe coniuncta, dum ſcilicet patentes litteræ leguntur, & ſic fiunt Prouinciis manifeſtæ.

Congregatio 9.

De localibus tantù ſuperioribus Decreta procedunt & quare.

64 Sed certè erga illos etiam eſſe difficultas poteſt, quia aliquando deſignatus Prouincialis extra Prouinciam verſatur, & à R. P. Generali ad Prouincialem prædeceſſorem de eo ſcribitur, vnde & authenticè renuntiatur ; quia authentica renuntiatio eſt, quæ ex authentico R. P. Generalis ſcripto officij ſigillo munito, fundamentum indubitabile deſumit. Sic enim authentica renuntiatio eſt, quæ ex Prouincialis præſcripto fit in Collegio aut Domo deſignati Rectoris, aut Præpoſiti : quæ quidem minoris auctoritatis eſt quàm ea, quæ per Generalis litteras & ſigillum, dictum retinet fundamentum. Cùm ergo eadem circa illos ratio ſit, non videtur circa hoc pro rei exigentiâ prouiſum : neque apparet cauſſa, propter quam de ſolis Superioribus localibus fuerit exordium definitum. Ad quod quidem illud occurrit, per quod poſſit difficultati veroſimiliter reſponderi. Cùm Prouincialium prouiſio ſit, renuntiationem authenticam non eſſe reputandam eam notitiam, quam Prouincialis litteris acceptis communicat, quia illi deficit ſubſtantiale requiſitum, quòd ſcilicet auctoritate Generalis fiat, ad quem illa ſpecialiter ſpectat. Licet enim notitia deſignationis per eiuſdem litteras habeatur : non vult ille tamen eam ſuo nomine Prouinciæ communicari, vt pro authenticâ debeat haberi. Ad hoc enim vt authentica renuntiatio ſit, poteſt illi ſolemnitatem aliquam ſpecialem exigere, quæ ſuprà notitiam ſit, juxta mentem Congregationis, quæ ad authenticam renuntiationem non quamlibet notitiam, etiam auctoritate Prouincialis communicatam, ſufficientem eſſe voluit, ſed ſpecialius aliquid ſuis decretis requiſiuit. Eſt autem ſpecialis illa ſolemnitas, patentium litterarum apertio & publica lectio : vel, ſi non legantur : quod tamen omnino expedire judico, notificatio ab eo facta, ad quem ſpectat, ſecundùm conſuetudinem Societatis. Et hoc quidem poterat in prædicto Decreto apponi : non autem factum, quia ad R. P. Generalis prouidentiam Congregatio cenſuit pertinere.

In Majoribus difficultatem perſtare.

Prouincialium renuntiatio qualis futura.

65 Quod etiam circa Viſitatores dicendum: tunc enim eorum officium inchoatur, quando R. P. Generali viſum fuerit. Eſt autem pro eo à R. P. Generali Claudio Aquauiua ſit prouiſum, vt Inſtructionis eius §. 15. oſtendit, in quo ſic habetur : *Incipiat viſitationem ab ea Domo, vel Collegio, quod ratione neceſſitatis, aut commoditatis videbitur præferendum : & vbi ſui aduentus rationem in communi omnium conuentu reddiderit, litteraſque patentes exhibuerit, omnes ad perfectionis ſtudium, & ſpiritus renouationem hortetur.* Sic ille. Non eſt ergo neceſſarium vt Prouinciali ſe præſentet, & commiſſionis ſuæ copiam faciat, ſi fortè ille ab eo abſit loco, vnde inchoandam viſitationem iudicauerit. Quòd ſi in loco Prouinciæ præcipuo patentes litteras exhibuerit, non eſt neceſſarium, vt eas omnibus in Collegiis aut Domibus manifeſtet ; cùm ex manifeſtatione prædictâ iam ſit eius iuriſdictio notoria, vnde ceſſat communis illa doctrina de obligatione oſtendendi litteras commiſſionis in Delegato, alioqui poterit impunè non ipſi pareri : quæ tantùm habet locum, quando iuriſdictio non eſt notoria, vt videri poteſt apud Dom. Solorzanum quod ad obligationem generaliter ſpectat *Tomo* 2. *Lib.* 4. *Cap.* 11. præſertim *num.* 22. *& ſeqq.* & quoad illam item cum limitatione prædictâ apud P. Thomam Sancium *Lib.* 6. *Conſiliorum Cap.* 9. *Dub.* 4. Quamuis autem neceſſarium non ſit, videtur tamen magis Inſtructioni conforme, vt patentes litteræ vbicumque viſitatio fuerit inſtituenda legantur, vt eam exhortatio præfata ſequatur. Sed hoc ad negotium præſens parùm refert, vbi ſolùm de viſitationis inchoatione tractamus, de quâ juxta dictam conſtat Inſtructionem.

Qualis etiam Viſitatorum.

Instructio R. P. Claudij Aquauiua.

66 Iam de Superioribus localibus loquendo authentica renuntiatio illa cenſenda eſt, quam diximus, ea ſcilicet, quæ auctoritate Prouincialis fit juxta formam in Congregationibus præſcriptam. Vbi quidem Prouincialis mentio tantùm fit in caſu ſpeciali, de quo ibi. Videtur autem idem faciendum ſupponi in aliis, quia id eſt iuxta morē Societatis, in quâ Prouinciales ſolent Superiores locales publicare. Nihilominùs ſi alicui patentes litteræ Generalis traditæ ſint, quibus Superior deſignatur, & eas ille in Collegium ſeu Domum ſuæ curæ tranſmittat, authentica erit renuntiatio : vel ſi earum copiam eo modo, quo fidem plenè facere poſſint. Quod poteſt accidere, ſi quis nolit tempus Prælaturæ ſibi à poſſeſſione inchoari, eò quòd moleſtum illi onus gubernationis appareat, & ita portionem illam, quæ ad poſſeſſionem vſque decurrit, demptam velit, cùm non valeat ad iter ſe ſtatim expedire.

Qua ſit dicenda renuntiatio authentica pro Superioribus localibus.

67 Non videtur autem authentica renuntiatio, ſi Prouincialis ad Collegium vel Domum ſcribat de Superiore deſignato, ſi ipſe nolit notificationem talem pro authenticâ renuntiatione haberi. Quia cùm Congregatio formam præſcribens circa id, per quod authentica haberi renuntiatio debeat, nihil præſcribat, arbitrio hoc Prouincialium videtur fuiſſe remiſſum, ſeu etiam Viſitatorum, ita enim illi munus deſignationis aſſumunt, niſi fortè in eo metas ſuæ iuriſdictionis excedant, bonâ quidem procedendo fide, & patientiâ Prouincialium largiùs vtentes ; ſi non ſpecialem ad id à Generali habeant poteſtatem. Debet ergo renuntiatio ita fieri, vt in ordine ad effectum, de quo agimus, dirigatur, vt ſcilicet inde officium videatur inchoari. Ante notitiam ergo renuntiationis factæ dicto modo nequit deſignatus Superior vt talem ſe gerere, quia verè talis non eſt. Quòd ſi vt Superior ſe gerat, inde

Qua non authentica videatur.

inchoandum triennium: licèt enim non de iure, de facto tamen officium exercuit, etſi præterea triennium explcat, verificatur de illo vltra triennium in officio perdurаſſe, & ita contra diſpoſitionem Pontificis pœnas incurſurum egiſſe.

Specialis difficultas circa illam ex probabili coniectura jam facta.

68 Dubitari tamen circa hoc poteſt an ſi à Prouinciali pro facienda renuntiatione ſit ſcriptum, & juxta ordinarium tabellarij curſum, jam nunc facta veroſimiliter credatur, poſſit ſuperior vt talem ſe gerere, & talis ab aliis ad actus haberi legitimos, vt E. g. in Congregationem Prouincialem admitti; & pars affirmans probabilis viſa eſt quibuſdam, quia juxta ea, quæ moraliter ſemper accidunt, ſolet judicari, & ita factum debet credi, quod ſemper fit, licèt rarò contrarium poſſit euenire. Sic enim communis ſententia firmat Iuri innixa. *Cap. 1. de Clerico non reſident.. L. Ideoq;. D. de legibus.* Vbi Gloſſa. Et *L. Neque natales.* Vbi Bartholus, Salicetus, & alij, ex quibus Marius Antonius *Lib. 2. variarum, Reſolut.* 43. *num.* 8. Pro quo & facit ſententia P. Henriquez, Villalobos, & aliorum, quam probabilem, & tutam in praxi putat Diana *Parte* 1. *Tractat.* 11. *Reſolut.* 90. aſſerentium eum, qui ſcit patrem vel amicum quolibet anno ſumere illi Bullam, poſſe eâ vti, antequàm certior de illius factus fuerit ſumptione. Et certè valdè veroſimilis talis ſententia apparet quando rarò contrarium accidit: in casûs autem contingentiâ mihi oppoſitum penitus placuit; quia in Indiis, vbi magna locorum diſtantia eſt, & tabellarij Indi; vix quidquam certum circa diem traditionis litterarum haberi poteſt, vnde renuntiatio prorſus reddebatur incerta; cùm tamen ius ad Congregationem in alio certum eſſet, nec poſſit certum ab incerto ſuperari; vt eſt conſtans omnium ſcribentium doctrina ex Iure vtroque, & manifeſtâ petita ratione.

Dubium aliud circa rationē pro extraordinaria renuntiatione.

69 Vbi & aliud dubium occurrit circa facultatem datam Prouincialibus, vt poſſint renuntiationem in loco ſibi benè viſo facere. An ſcilicet quæuis ratio ſufficiat ad extraordinarium dictum renuntiationis modum. Et ſic exemplum in caſu adducto Rectoris in eo Collegio renuntiati, vbi habenda eſt Congregatio, vt ſcilicet ius ſuffragij in illâ habeat, cùm nequeat certa haberi notitia renuntiationis in proprio Collegio factæ. Circa quod aliqui Prouincialis voluntati conniuentes fieri poſſe judicarunt. Sed mihi oppoſitum viſum eſt omnino veritati conforme; quia tunc facultas extraordinariæ renuntiationis Prouinciali conceditur, cùm res viget, & impedimenta grauia concurrunt: in caſu autem dicto nihil vrgebat; quia nulla erat neceſſitas vt talis deſignatus in Congregationem admitteretur, in quâ jus ſuffragij ob antiquitatem habebat, qui officio illo fuerat immediatè perfunctus, & de rebus ad Collegium ſpectantibus poterat opportunius agere, in quo dum eſſet, circa tractanda in Congregatione conſultationes fuerat, quæ faciendæ Rectoribus antè Congregationem talem iniunguntur. Et vt prædeceſſor non adſtaret, ratio illa pro admiſſione in Congregationem valde videtur infirma: quandoquidem Congregatio generalis duas tantùm cauſſas impedimenti poſuit, bellum ſcilicet, & peſtilentiam: nec generaliter aliud diſpoſuit, vt contingere ſolet, adducta clauſula, *& ſimiles*, vel, *aliæ*. Non inficior, etiam

Expreſſio aliquorum caſuum ſimiles non excludit.

cùm non adducuntur clauſulæ huiuſmodi probabilem eſſe Doctorum ſententiam, qui extenſioni eſſe locum affirmant, etiamſi addatur particula taxatiua: addunt tamen debere eſſe ad caſus ſimiles, vt videri poteſt apud P. Thomam Sancium *in Opere Morali, Lib. 6. Cap. 15. num.* 37. Atqui caſus admiſſionis ad Congregationem non eſt ſimilis, quia nihil eſt quod impediat renuntiationem ordinario modo fieri, vt in duobus aſſignatis, vnde diſſimilis prorſus eſt: ergo non debet data facultas pro alijs ad illum extendi. Iuxta hunc ergo caſum ſunt alij decidendi, neque Prouinciales ſuam debent extendere poteſtatem, quorum gubernatio juxta Societatis mentem ſcriptis debet maturiſſimis conformari.

§. VI.

Quinam ſuperiores Conſtitutionis vinculo conſtringantur, & quæ in eâdem officia inueniantur comprehenſa.

70 NOminati ſpecialiter Prouinciales, Viſitatores, Propoſiti, Rectores, Superiores locales, Vice-Prouinciales, Vice-Præpoſiti, Vice-Rectores, & alij Officiales juriſdictionem & ſuperioritatem habentes, quomodolibet nuncupati. Ex quo apparet quæ officia continuari vltra triennium nequeant, ea ſcilicet, quæ Officialibus deſignatis ſunt pariter deſignata. Pro eorum autem ampliori expreſſione recenſentur munera, Superioritates, Miniſteria, Adminiſtrationes, & generale nomen officij ad omnia deriuatum. Circa Prouinciales autem, Viſitatores, Præpoſitos, & Rectores Collegiorum nulla eſſe difficultas poteſt; ſicut neque circa Vice-Prouinciales, quando Vice-Prouinciæ præficiuntur, vt Chilenſi in Indiis: atque etiam cùm eo nomine adminiſtrationem Prouinciæ ſubeunt, juxta ea, quæ habentur in Regulis Prouincialis, §. 10. Quod pariter eſt de Vice-Præpoſitis, & Vice-Rectoribus aſſerendum, iuxta id, quod habetur in Formulâ Congregationis Prouincialis, §. 4. vbi ſic deſignantur: *Vice-Præpoſiti, & Vice-Rectores, qui toto principalium ſuperiorum officio funguntur.* Nulla etiam difficultas eſſe circa ſuperiores locales poteſt, qui eâdem quâ Rectores Collegiorum auctoritate potiuntur, vt ſunt qui reſidentias quaſdam regunt, aut inchoata Collegia, ſiue Seminaria exempta: cùm enim in illis eadem ſit ratio, eadem eſt etiam Iuris huius diſpoſitio: ſunt enim abſolutè ſuperiores cum plenâ juriſdictione. Et tales apud nos ſuperiores Reſidentiæ S. Crucis, Julienſis, Huancauelicenſis, & Rector Seminarij S. Martini, circa quem tamen ſatis ambigua R. P. Generalis reſponſio extat, vnde viſus eſt iterùm admonendus. Videatur Cardin. Lugo *in Reſponſis Moral. Lib. 4. Dub.* 39. Vbi benè oſtendit Rectores Seminariorum immediatè ſubiectos Prouinciali, propriè eſſe Rectores, & ita benedicere ſacra ornamenta poſſe.

Superiores, & officia, in quibus currit apertè deciſio Pontificia.

71 An autem Seminariorum ſuperiores eodem debeant jure cenſeri, dubitatum quidem eſt, & pars affirmans praxi inuiolabili comprobata his in partibus ob generalitatem verborum, quibus omnes ſuperioritatem & juriſdictionem habentes

Circa Seminariorũ ſuperiores difficultas, & arguitur pro parte affirmatiua.

Digitized by Google

bentes implicentur. Seminariorum etiam Rectores ſuperioritatem habent non ſolùm reſpectu alumnorum ſæcularium, ſed etiam eorum, qui de Societate ibidem degunt, eorumdem curam habituri. Iuriſdictionem etiam exercent, quia corrigere poſſunt præfatos omnes, & correctio iuriſdictionis genus eſt, vt ex Cap. *Ea quæ*, de ſtatu Monachorum, colligit Barboſa *in Collectaneis ad citatum Caput*, Licèt autem iuriſdictio hæc ad forum animæ non ſpectet, quia ſub cenſura præcipere nequeunt; id certè non videtur obſtare; quia iuriſdictio in foro externo vera iuriſdictio eſt: & Rectoribus etiam Collegiorum impoſitio Cenſurarum prohibetur: quod fieri poſſe docet P. Suarez *Tomo* 4. *de Religione, Tract.* 8. *Lib.* 2. *Cap.* 9. *num.* 4. Quamuis omnino certum haberi debeat validam futuram Cenſuram, quia de Iure competit, & ſimplex prohibitio nequit actum aliàs licitum, reddere nullum, iuxta receptiſſimam ſcriptorum doctrinam.

Correctio probat iuriſdictionē.

Contrariū ſtatuitur & probatur ex defectu propriæ iuriſdictionis, &c.

72 Nihilominus ſuperiores dicti non ſunt cenſendi in Conſtitutionis catalogo comprehenſi. Quod quidem R. P. Generalis ita declarauit, qui & mentem Pontificis habere perſpectam potuit, & ex tenore Conſtitutionis eiuſdem ſatis veroſimiliter conijectare. Et in primis intentio Pontificis ad hoc non videtur collimaſſe, qui viris pietate & doctrinâ inſignibus fauere voluit, vt eiuſdem verba manifeſtant: ad munera autem prædicta non ſolent tales eligi, vt experientiâ compertum habetur. Deinde: Pontifex non diſponit circa illos, qui ſuperioritatem tantùm habent, ad quod ſatis eſt ſupra alios eſſe, & eorum aliquam curam gubernatiuam habere: ſed iuriſdictionem præterea exigit, quæ verè talis ſit in genere Eccleſiaſticę iuriſdictionis; quę eſt duplex, ſcilicet in foro animæ ad abſolutionē peccatorū, & in foro exteriori ad coërcēdū ſpiritualibus pœnis, & etiā corporalibus præcipiendi cum obligatione in conſcientiâ, diſpenſandi &c. quæ quidem non fundantur in voto obedientię, ſed in communicatione à ſupremo Prælato, in quo eſt totius Eccleſiaſticę iuriſdictionis origo. In Rectoribus autē Seminariorum & Reſidentiarum, quæ ſunt ex ijs, de quibus dictum *num.* 70. prædictæ iuriſdictiones non ſunt: vnde licet ſuperiores dici poſſint, non tamen Eccleſiaſtici Prælati. Qui præterea iuriſdictionem propriè non habere ſecundùm receptum loquendi vſum, ex eo probantur, quia talis iuriſdictio aut ordinaria eſt aut delegata. Sed non primum; quia illa habetur à Iure ratione officij: quod tamen hic non habet locum, quia officium tale non eſt ex iis, quibus poteſtas, quam Ius Prælatis confert, poſſit adaptari; illis namque tantùm confertur, qui quaſi Epiſcopalem dignitatem habent, quatenus exercere actus poſſunt erga ſubditos, qui proprij Epiſcopis eſſe ſolent: pro quo videndus P. Suarez *ſuprà*, *Cap.* 2. *num.* 10. *& ſeqq.* Item. Officium tale eſt ſub officio, quod infimum cenſetur in ordine Prælatorum, ſcilicet ſuperiorum localium, de quibus tantùm diſponunt leges Canonicæ: ergo non habent iuriſdictionem ordinariam. Præterea Superiores Prælati, ad quos talium officiorum prouiſio ſpectat, ita ea diſtribuunt, vt valde aliis diſſimilia reputent: vnde Rectores tales Rectoribus Collegiorum ſubiiciunt, aut ab eorum iuriſdictione eximunt: ex quo fit iuriſdictionem ordinariam non habere. Quòd autem iuriſdictio per electionem ad officium non conferatur niſi iuxta eligentium intentionem, benè oſtendit idem eximius Doctor *loco dudùm citato*, *num.* 8. Nec ſecundum: quia neque ex delegatione poſſunt illa, quæ ad iuriſdictionem vidimus pertinere: & quidem ſi talis eſſet, non competeret ratione officij. Et ita ex eo fit veros ſuperiores non eſſe, quibus iuriſdictio abſolutè conueniat, cùm ex officio non habeatur, ſed ab alterius pendeat poteſtate, eam augentis, aut limitantis.

Duplex illa.

Et neutrā in ipſis, aperiè conuincitur.

Quomodo conferatur.

73 Poteſt inſuper poſitio iſta probari: nam licet negari nequeat Rectores dictos eſſe aliquomodò ſuperiores, cùm ſupra alios ſint quos gubernant, & quibus illi obedire tenentur; non tamen huiuſque declaratum eſt eſſe proprios Societatis, ad quos ſcilicet ea ſpectent, quæ de ſuperioribus in eius Inſtituto dicuntur, ſicut expreſſum videtur Miniſtrum eſſe ſuperiorem, & etiam ſubminiſtrum. Pro quo eſt Regula 1. & vltima ſubminiſtri. Vnde cùm *in Congregat.* 7. *Decreto* 45. ſtatutum ſit, ſi quis Fratrum diceret Miniſtro aliquid iubenti, licet non cum præcepto, *Nolo facere*, caſum eſſe reſeruatum; de dicente tamen Rectori Seminarij tale quid non extat: non ergo ex eo ſolùm quòd iuriſdictionem abſolutè non habeant, ſed quia ſuperiores proprij Societatis non ſunt, non debent intelligi in Conſtitutione præfatâ comprehenſi. Vnde neque in Congregationem Prouincialem admittuntur, quod oſtendit abſolutè non eſſe Prælatos, licèt nomine Rectorum gaudeant, cùm debeant Collegiorum admitti Rectores; vt conſtat ex formula Congregationis Prouincialis. §. 4.

Amplior probatio, ex eo quòd ſuperiores propriè Societatis non ſint.

74 Sed vt veri ſuperiores ſint, cùm tamen iuriſdictionem non habeant, inde etiam debent non comprehenſi cenſeri: Pontifex namque requirit verbis illis, *Iuriſdictionem, & Superioritatem habentes.* Particula enim, *&*, copulatiuè explicanda eſt: quando enim ponitur inter duo, quorum vnum alteri ineſt, ambo in vnum reſoluuntur: vt cum aliis tradit Barboſa *Dictione* 92. *num.* 6. *&* 7. & Marius Antoninus *Lib.* 1. *variar. Reſolut.* 7. *num.* 7. Iuriſdictio autem ſuperioritati ineſt, quia de iuriſdictione abſolutè ſumpta, & in exteriori etiam foro ſermo eſt, quæ ſine ſuperioritate non ſtat: licèt enim non omnis ſuperior iuriſdictionem habeat, iuxta dicta; omnis autem iuriſdictionem habens, ſuperior eſt.

Et vlteriùs ex defectu iuriſdictionis.

Particula, &, quam habeat vim.

75 Iam ex dictis, *num.* 73. circa Miniſtros videtur colligi illos Conſtitutione Pontificiâ comprehenſos. Pro quo & facit Pontificem in deſignatione officiorum *Miniſteria* nominare; non videtur autem quale aliud eſſe poſſit officium, cui hoc nomen conuenientiùs valeat adaptari. Et ita quidem iudicatum aliquando, ac de illo conſultus Pontifex dicitur reſpondiſſe: *Theologos habetis.* Iuxta illorum ergo ſatis veroſimile iudicium ſanctæ memoriæ R. P. Generalis Vincentius Carrafa *Anno* 1647. non comprehendi declarauit. Quam declarationem R. P. Goſwinus omnino ſuſtinendam cenſuit, litteris pro eo ad Indiarum Prouincias deſtinatis. Pro quo & faciunt ferè omnia, quæ pro Rectoribus Seminariorum adduximus. Et quidem intentio Pontificis ad eos minimè directa videtur, quia cùm fauere

Miniſtros non comprehenſos.

Pro eo declaratio.

Et rationes aliquot.

Digitized by Google

uere velit viris pietate ac doctrinâ inſignibus, Superioritas Miniſtrorum nihil ad eius conducit intentum, cùm manifeſtum ſit ad officium dictum tales non ſolitos adhiberi, quod & illi non honorificum, ſed inhonorum prorſus æſtimarent. Deinde. Miniſtri Iuriſdictionem ordinariam non habent, ſed neque delegatam, quæ determinata ratione officij ſit, vt benè obſeruat P. Suarez *Tomo. 2. de Religione Lib. 6. de Voto, Cap. 7. num. 17. & Tomo 4. Tractatu 8. Lib. 2. Cap. 2. num. 2.* & P. Thomas Sancius *in Opere Morali Lib. 4. Cap. 33. num. 16.* dicens non eſſe propriè Prælatos ob dictam rationem. Quod quidem ex prima eorum Regula ſatis eſt perſpicuum, quæ ſic habet: *Eius officium erit Præpoſitum, vel Rectorem iuuare in ijs, quæ in genere, vel in particulari ei commendabit: nec diſpenſandi, aut mutandi, aut quidquam faciendi, niſi ex eiuſdem præſcripto, facultatem habeat.* Sic ergo. Quod ergo de caſu reſeruato Congregatio ſtatuit, non ideò eſt, quia iuriſdictionem habeant; ſed quia cùm Præpoſiti, aut Rectoris loco iubeant, ipſis, quorum auctoritate funguntur, irreuerentia grauis irrogatur. Pro quo videri poteſt Cardinalis Lugo *Diſput. 20 de Pœnitentia, num. 54.* Addi poteſt, à Congregatione eo ipſo quòd ſic ſtatuit, graue præceptum imponi, ne quis Miniſtro ita reſpondeat: vnde non eſt argumentum iuriſdictionis in illo. Pontifex autem in ſuâ Conſtitutione Miniſteriorum nomine officium Miniſtrorum nequaquàm intellexit: ſi enim eos deſignare vellet, facile ipſi erat, ſicut alios ſuis expreſſit nominibus, ita & Miniſtros, quorum eſt notiſſimum munus, expreſſiſſe: vnde ex tenore Conſtitutionis id potiùs quod intendimus, deducendum venit. Miniſteriorum ergo nomine officia intelligenda, quæ Operariis poſſunt Euangelicis conuenire, dum eorum aliquis Miſſionum Superior cum poteſtate Rectoris, licet non eo vtatur nomine, conſtituitur. Vt Superior Miſſionis Hollandicæ, de quo in *Congregatione 8. Decreto 51.* Non ita Superior primæ Reſidentiæ Miſſionum de quo *ibidem*: niſi ille aliarum Superior ſit, vt in Miſſionibus Paraquariis: in quibus tamen qui Superior eſt, nullius particularis Superior ſit oportet, vt omnes poſſit ſine defectu in proprio viſitare. Ex quibus quid de Officialibus aliis, Miniſtro inferioribus, ſit dicendum ſatis conſtat.

Miniſtri regula.

Cur ſit dicere. Nolo facere, ſit caſus reſeruatus.

Miniſteriorum nomine quid Pontifex intellexerit.

§. VIJ.

De Magiſtris Nouitiorum.

76 EXcipiuntur iſti à communi lege verbis illis: *Exceptis Magiſtris Nouitiorum.* Et quidem quando Magiſtri huiuſmodi Rectores Domorum Probationis non ſunt, ſed Rectori ſubiecti curam iſtam exercent, indubitabile erat, etiamſi nulla adhiberetur exceptio, non eſſe Conſtitutionis verbis comprehenſos: cùm perſpicuum ſit Superiores non eſſe, nec iuriſdictione gaudere, licet quædam ipſis præeminentiæ concedantur, vt videri poteſt in eorum Regulis. §. 5. 6. & 7. & quòd §. 7. dicitur de ordinariâ poteſtate abſoluendi Nouitios à caſibus reſeruatis, nihil obſtat, nam *ibidem* ſic additur: *Niſi eius Superiori hæc facultas aliqua de cauſſa reſtringenda videretur.* Ex quo apparet iuriſdictionem eius non eſſe ordinariam in eo ſenſu, quo Ordinaria iuriſdictio in Iure ſumitur, prout ſcilicet contra delegatam diſtinguitur, & abſolutè Superiorem conſtituit: cùm ita pro arbitrio Superioris limitari poſſit: ſed Ordinaria dicitur, id eſt, ordinariè conueniens, vel ſemper, aut ferè ſemper. Et licet limitatio illa non adderetur, idem nihilominùs eſſet dicendum; quia Inſtructori facultas eadem ſine limitatione conceditur reſpectu eorum, qui annum tertium Probationis agunt, vt conſtat ex Inſtructione pro ipſis *Cap. 3. §. 10.* Inſtructorem tamen non eſſe Superiorem, ex declaratione ſpeciali conſtat. Idque ita eſſe, neceſſariò fatendum eſt, quia ſi Superior eſſet, non poſſet ordinarius eſſe Confeſſarius: nam id prohibet Clemens VIII. in ſuo Decreto de peccatis reſeruatis, de quo in *Libro Ordinationum, in quo &* citata Inſtructio *Cap. 5. num. 4.* Vnde cùm pro Magiſtris Nouitiorum, qui Superiores ſunt, ſpecialis diſpenſatio ab eodem Pontifice fuerit impetrata, vt conſtat ex *citato Cap. 5. De diſpenſationibus, num. 1.* pro Inſtructore nulla petita diſpenſatio, quia illâ opus non erat. Cùm ergo *citato Cap. 3. §. 1.* ſic dicitur: *Superiorem illis, ſeu Inſtructorem deliget* &c. de Superiore ſecundùm quid intelligendum eſt, vnde & nomine Inſtructoris addito, Superioritatis eſt qualitas declarata; vt ſcilicet non tam Superior, quàm Inſtructor ſit. Particula enim, *ſeu*, ſic accipi ſolet, expoſitiuè inquam, aut correctiuè, vt docent Doctores, quos adducit P. Quintanad. *Tom. 1. Tract. 3 Singulari. 20. n. 4.* Quando igitur Pontifex in ſuâ Conſtitutione Magiſtros Nouitiorum excipit, de iis manifeſtè loquitur, qui Superiores Domorum Probationis ſunt, vt ceſſare non debeant, etiamſi per triennium in Officio perdurarint: alij enim Superiores non ſunt: quod & à R. P Generali Goſwino Nickel ſpecialiter declaratum *die 24. Februarij. Ann. 1655.* Sed circa exceptionem dictam aliqua explicanda occurrunt, pro quibus

Magiſtros non Rectores, etiam ſine exceptione, non comprehenſos.

Poteſtas abſoluendi à reſerua- tis quomodo ordinaria in illo

Quòd Inſtructores Probationis 3. qui tamen non Superior.

Particula ſeu quam habeat vim.

77 Dico primò. Qui ſuperiores per triennium fuerunt, nequeunt eſſe Magiſtri Nouitiorum, vbi illi etiam Rectores ſunt. Conſtat ex tenore Bullæ, in quâ ſic dicitur: *Superiores quomodolibet nuncupati, exceptis Magiſtris Nouitiorum, per triennium dumtaxat durare debeant.* Vbi clarum apparet talium indultum; vt ſcilicet vltra triennium poſſint in officio perdurare: atqui Superior triennalis, ſi Magiſter Nouitiorum fiat, non dicitur in officio Magiſtri perdurare, ſed tunc inchoare illud. Cùm ergo tenor Conſtitutionis ita apertus ſit, non videtur locus diſpoſitioni alteri, de quâ loquimur, remanere. Ex inſpectione autem Motus proprij iudicandum eſſe, ex ſacris Canonibus habemus. *Cap. Porro & Cap. Accepimus*, de Priuilegiis. Pro quo Paulus de Caſtro. *Conſilio 163. volum. 1.* Socinus Senior *Conſilio 91. Col. 3. volum. 4.* Marius Antoninus *Libr. 2. Reſolut. finali. Caſu. 27.* & in ſpecie caſus noſtri R. P. Generalis Goſwinus *ſuprà.* cuius illa ſunt verba: *Magiſter Nouitiorum quamuis Rector poteſt proſequi in ſuo officio &c. Quia hoc priuilegium ſolummodò conceditur Magiſtro Nouitiorum, vt poſſit proſequi in eodem Officio &c.* Conſtat autem de eo, qui poſt triennalem

Aſſertio. Poſt triennium gubernationis alterius non poſſe Rectores eligi domorum Probationis.

Declaratio R. P. Generalis.

Digitized by Google

triennalem Præfecturam Magiſter Nouitiorum conſtituitur, non poſſe dici in officio Magiſtri proſequi.

Aſſertio 2. Etiamſi triennium non ſit impletum, idem ſtatuitur, licet contrarium non ſit improbabile.

78 Dico ſecundò. Etiamſi triennium in alio officio non fuerit impletum, nequit munus Magiſtri Nouitiorum aſſumi, niſi pro ſpatio, quo poſſit triennium integrari. Hoc eſt contra interpretationem, quæ aliquibus & quidem non indoctis placuit, nec videtur improbabilis. Nam de eo, qui triennium explet modo dicto, dici poteſt quod in officio Magiſtri proſequatur: atqui hoc iuxta Pontificiam exceptionem licet, ſicut & juxta Declarationem adductam. Cumque aliàs fauor ſit, & pro Religione faciat, meritò eſt, juxta dicta ſæpiùs, ampliandum. Nihilominus contrarium eſt tenendum & practicandum, quia ſic videtur eſſe Pontificis mens, ex cuius id verbis etiam comprobatur. Nam de eo, qui triennium ſic explet, nequit dici in officio Magiſtri per triennium perduraſſe, & nihilominus poſſe in eo proſequi: cùm tamen Pontifex de triennio Nouitiatûs jam decurſo loquatur. Itaque Pontifex de aliis Superioribus loquens triennium præfigit: exceptionem autem Magiſtri interponit, planè indicans triennium in officio exactum illi non obſtare: obſtabit ergo quod in alio fuerit officio tempus inſumptum.

Ex tenore Bullæ deductum.

Aſſertio 3. Non poſſe ad aliud officium poſt Nouitiatum aſſumi

79 Dico tertiò. Magiſter Nouitiorum exacto triennio nequit ad aliud officium Superioris ex numeratis aſſumi. Sic R. P. Generalis ſuprà ita dicens: *Nequit eſſe Prouincialis, nec Superior alterius Domûs, aut Collegij: quia hoc priuilegium ſolummodò conceditur Magiſtro Nouitiorum, vt poſſit in eodem officio proſequi, non vt poſſit aliud diſtinctum habere.* Sic ille, qui id potuit ex conceſſione ipſa colligere, iuxta ſupplicationem pro gratia iſta ſuæ Sanctitati propoſitam. Patres enim Congregationis valde conueniens iudicarunt vt Magiſtri Nouitiorum in officio ſuo diutiùs permanerent: de eo autem quòd poſt officium dictum ad aliud promoueri poſſent, nullâ ratione curarunt. Et Pontifex quidem in exceptione prædicta non ſolùm rei conuenientiam attendit, ſed Clementis VIII. veſtigiis inſtitit, qui triennium etiam Superioribus aſſignans & annuam vacationem, Magiſtros Nouitiorum excepit, vt conſtat ex *Decreto 64. Congregat. 5.* in quo ſic habetur: *vt Prouinciales atque Rectores, exceptis qui ſunt in Domibus Nouitiorum, non durent vltra triennium, ſed vacent ſaltem per annum, in quo obediant, ſicut ceteri.* Sic illa, ex cuius verbis mens etiam Innocentij conijcitur; vt ſcilicet Magiſtri Nouitiorum in officio durare poſſint: ergo circa officia alia nihil indultum. Quod ſic etiam practicatum.

Declaratio R. P. Generalis.

Decretum Clementis VIII.

Oppoſitum probabile oſtenditur

80 Nihilominùs viri docti aliter cenſuerunt, quod & probabile videtur. Et pro eo facit, duo à Pontifice in ſua Conſtitutione decerni, quòd ſcilicet Superiorum officia vacent per triennium, & ad nulla alia poſſint promoueri. His exceptionem Magiſtrorum interſerit; ex quo videtur ad vtrumque referendum. Quod enim ad prius illud de triennio referri debeat, indubitatum eſt: & quòd etiam ad poſteriùs, ex eo oſtenditur, quia nulla eſt adiecta particula taxatiua: nec non quia clauſula antecedens ad ſequentia etiam trahi debet, præſertim cùm de fauore agitur, vt in præſenti; iuxta multorum doctrinam apud P. Thomam Sancium *Lib. 6. de Matrimonio Diſput. 22. num. 17.* licet explicatio, quam ipſe adhibet *num. 19.* non videatur inſtituto præſenti quadrare: quòd ſcilicet tunc ea doctrina currat, cùm omnia determinabilia vna determinatio reſpicit, in quibus ratio eſt ſimilis. Alij tamen Doctores eam generaliter amplectuntur; & in caſu, de quo ibi, probatio occurrit, in quo non eſt omnino ratio ſimilis: & verò licet in caſu noſtrò ſpecialis videatur eſſe ratio vt triennium Magiſtri prorogetur, non ita vt ad aliud promoueri officium poſſit: eſt tamen congrua alia, quam Clemens VIII. verbis adductis indicauit: *Vacent per annum, in quo obediant ſicut ceteri.* Ex quibus apparet Superioribus vacationem annuam indictam, vt obedientiæ exercitium non dediſcant: quod in Magiſtris Nouitiorum non eſt ſuſpicabile, qui virtutis probatiſſimæ cùm ſint, & obedientiam in Nouitiis tantopere radicare contendant, eo non videntur exercitio aliorum inſtar indigere. Præterquam quòd officium tale valde eſt laborioſum, & plus oneris quàm honoris habens, vnde impedimentum non debet præſtare quo minùs eo perfuncti ad aliud poſſint honorificum promoueri. Eſt ergo hoc probabile, ſi R. P. Generali ſic practicandum videatur: dum tamen aliud ſtatuit, illius eſt ſtandum Ordinationi, quandoquidem pro praxi poteſt id, quod ſibi conueniens viſum fuerit, ordinare. Ex *Congregat. 4. Decreto 19.*

Clauſulam antecedentem ad ſequentia trahi.

Ex Clementis VIII. verbis robur Aſſertionis.

Aſſertio 4. Poſſe proſequi in alia Domo Probationis.

81 Dico quartò. Magiſter Nouitiorum in vna Domo, poteſt in alia vltra triennium proſequi. Colligitur ex declaratione adductâ R. P. Generalis: quia talis verè dicitur proſequi officium, & quòd in vna, aut diuerſis, Domibus ſit, valde materialiter ſe habet. Poteſt etiam in hoc ſpecialis congruentia occurrere ad bonum Societatis, quam cùm etiam Pontifex in exceptione dictâ attendat, ſic eſt eius interpretanda voluntas verbis eiuſdem omnino conformis, ſicut & verba voluntati. Vacent, inquit, Superiores poſt triennium, exceptis Magiſtris Nouitiorum: ergo illi proſequi poſſunt in Domo quauis, cùm indifferenter loquatur Conſtitutio, & vbi illa non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Vnde non ſolùm Magiſtri tales poſſunt poſt triennium in alia Domo eſſe quod in priori, ſed etiam poſt ſexennium, & vltra. Et in officio, ſi nihil aliàs obſtet, vſque ad mortem perdurare.

§. VIII.

De ſeſqui annuâ vacatione Superiorum. Vbi variæ difficultates circa illam.

Seſqui annuæ vacationis indictio.

82 ANnum cum dimidio poſt triennium in Prælaturâ exactum ante promotionem ad officium ex enumeratis inuiolabiliter elapſurum Conſtitutio decernit verbis illis: *Ipſique ad alia quæuis eiuſdem Societatis munera, Superioritates, Miniſteria, Adminiſtrationes, & officia prædicta quomodolibet nuncupata, etiam Vice Prouincialis, ſeu Vice-Præpoſiti, vel Vice-Rectoris, nullatenus eligi, ſeu aſſumi, vel deputari volumus, niſi per annum cum dimidio ſaltem à fine triennij computandum, à prædictis muneribus &c. ceſſauerint.* Vbi quæri poteſt Primò, An qui triennium non expleuit,

Difficultates variæ.

Digitized by Google

pleuit, vacare toto illo ſpatio debeat. *Secundò*, an breuis officij cura ſit prohibita. *Tertiò*, quomodo computanda vacatio eius, qui per aliqua diſcontinuata ſpatia in officio fuit, nec tamen triennium expleuit. *Quartò*, ſi triennium expleuit diſcontinuatis ſpatiis, an integra expectanda vacatio. *Quintò*, an computatio ſit facienda de momento ad momentum. Circa quæ

Aſſertio 1. qui triennium non expleuit, nō indigere vacatione.

83 Dico primò. Qui per triennium in officio non fuit, non indiget vacatione aliquâ, vt ad aliud officium tranſeat. Conſtat ex tenore Conſtitutionis, in quâ integrum triennium poſtulatur.

Aſſertio 2. qui non expleuit partē ex alio tantùm aſſumere poteſt.

Dico ſecundò. Ad aliud officium tranſiens ante triennium expletum, debet deſiſtere, vbi primùm pars triennij, quæ deerat, fuerit terminata. Sic vniuerſa Societas Conſtitutionem Pontificiam intellexit, quæ, ſi eo modo non deberet intelligi, eneruis prorſus redderetur. Poſſent enim officia ad tempus triennio minus attribui, & ſic in ſingulis ſine interruptione per totam vitam continuari. Quòd ſi dicatur in eo non eſſe inconueniens, dum Pontifex aliud in Conſtitutione non exprimit, & Societas iure ſuo vtitur: & inſuper bonum illud ex eo habetur, quòd in eodem loco non prorogatur officium, vnde & faſtidium ſubditorum ex prolixâ ſuperioris eiuſdē gubernatione vitatur. Contra eſt; quia præcipua Pontificis fruſtratur intentio; videlicet viris doctrinâ & pietate inſignibus, quibus referta eſt Societas, locum in gubernatione relinquit: vt enim oſtendimus, ex imminuto cuiuſque officij ſpatio iidem poſſent in gubernatione dum viuerent perdurare. Circa hoc ergo non poteſt vllo pacto dubitari.

Expleto nō docet officiū æquam per dies paucos ante vacationem.

84 Dico tertiò. Ille, qui per triennium in officio fuit, non poteſt etiam per dies aliquot antè expletam vacationem ſeſqui anni illud, aut aliud ſuſcipere, iuxta declarationem R. P. N. Goſwini, qui de ſpatio dierum octo interrogatus ſic addidit: *Nec pro breuioris temporis ſpatio, & ſolerti animaduerſione curetur, ne contrarium in vllo practicetur euentu, quia id licitè fieri nequit, nec debet permitti.* Sic ille. Ratio eſt: quia Conſtitutionis tenor ſic indicat, aſſumptionem omnem officij prohibens, vnde & ad aſſumptionem per breue tempus debet extendi. Id quod particula *Nullatenus*, quâ Pontifex vtitur, non obſcurè ſignificat, quæ vniuerſalis eſt, & tantæ vis, vt nec in caſibus aliàs permiſſis locus ſit oppoſito: vt ex Iaſone *in L. 1. §. Sublata. D. Ad Trabell.* probat Marius Antoninus *Lib. 2. variar. Reſolut. 32. num. 6.* De quo etiam Auctores, quos adducit P. Thomas Sancius *Lib. 6. de Matrimonio, Diſput. 32. num. 6.*

Declaratio R. P. Generalis.

Particula Nullatenus vis Generalis.

Oppoſitum veroſimile oſtenditur ſecluſâ R. P Generalis declaratione

85 Quod quidem iuxta præſcriptum R. P. Generalis ita obſeruandum eſt. Licèt non videatur credibile Pontificem tale aliquid voluiſſe, cùm tamen Societas ſupererogationem obedientiæ talem in ſignum humillimæ & obſequentiſſimæ ſubiectionis practicandam ordinarit. Breuis namque officij cura minimè opponitur intentioni Pontificis. Quòd enim hoc viris pietate & doctrinâ inſignibus incommodare poſſit, quorum eſt decoro dictâ diſpoſitione conſultum? Et ipſe quidem loquendi modus id videtur inſinuare, dum dicitur quòd *Nullatenus eligi, ſeu aſſumi, vel deputari valeant.* Nam electio, aſſumptio, & deputatio ſignificant officium non tranſeunter, & ſemiplenè committi, ſed aliquo adminiſtrationis modo qui diuturnitatem dicat, & quod vulgò dicimus *de propoſito*, & cum plenâ poteſtate. Et hoc modo ritè congruit vis particulæ præfatæ: vt ſcilicet nullatenus poſſint, qui non vacarunt, ad officia iuriſdictionalia ex propoſito deſignari. Et quidem ſi Ius vtrumque, & Doctores euoluamus, verba electionis, aſſumptionis, & deputationis, non inuenientur caſui præſenti poſſe conuenienter adaptari. Si enim Rector per dies paucos extra Collegium futurus, dicat alicui vt ſuo loco curam illius habeat, neque electum ipſum, neque aſſumptum, neque deputatum propriè licet aſſeramus. Eſt ergo ſimplex quædam deſignatio ad aliqualem curam, qualis committi ordinariè ſolet.

Satis robuſta argumentatio.

86 Et ex hoc argui ſatis robuſtè poteſt: nam officia Rectoris Seminarij, Miniſtri, & aliorum, de quibus §§. *præced.* poſſunt ſuſcipi poſt triennium in ſuperioratu perfecto decurſum, quia illi Superiores cum plenâ & propriâ iuriſdictione non ſunt: atqui tales exiſtunt qui in huiuſmodi abſentiis breuibus relinqui poſſunt, & ſolent: ergo non eſt pro illis rigor vacationis neceſſarius. Maior conſtat, & Minor eſt comperta: quia ſic ſubſtitutis ſolùm domeſticæ obſeruantiæ cura committitur: & vt aliqua quandoque præſtent, quæ maiorem auctoritatem requirant, quàm ea, quæ Miniſtro fortè competat: ergo ſuperiores non ſunt, de quibus loquitur Conſtitutio. Quod roboratur ex iis quæ habentur in Formula Congregationis Prouincialis §. 4. vbi dicitur ad Congregationem dictam ius habere Vice-præpoſitos, & Vice-Rectores, *qui toto principalium Superiorum officio funguntur.* Ideò profectò, quia veri Superiores ſunt cum plena juriſdictione. Ex quo ſequitur eos, qui non toto principalium Superiorum funguntur officio, non eſſe proprios ſuperiores, de quibus loquitur Conſtitutio; quia iuxta ſtylum Societatis loquitur, & terminis in eadem vſitatis: nec magis de illis curat, quàm de Miniſtris, & aliis explicatis: & certè vt ſcrupulus omnis in hac parte ceſſaret, poſſet in deſignatione huiuſmodi ob breuem abſentiam res iuxta modum dictum explicari.

Cui noua vis ex Formula Congreg. Prouincialis.

Ex facultate pro reſeruatis inſtantia contraria.

87 Quia verò vrgeri poteſt ex facultate ad caſus reſeruatos, quæ Vicariis, & Subprioribus conuenit in abſentiâ principalium Superiorum: & ita de Vice-Rectoribus idem dicendum propter eamdem rationem, iuxta ea, quæ habet Diana *Parte 3. Tractat. 2. Reſolut. 38.* P. Quintanad. *Tomo 1. Tractat. 3. Singulari 13.* Iuniperus *de Caſibus reſeruatis, Parte 1. Diſputat. 8. Quæſt. 2. Cap. 2.* & alij apud ipſos: Reſponderi poteſt retorquendo argumentum: nam in Societate, qui dicto modo ſuperiorum loco relinquuntur, non habent facultatem dictam, vt à R. P. Claudio eſt declaratum. Poſſe autem id ita in Religione conſtitui, tradit Diana *ſuprà*, & P. Suarez *Tomo 2. de Religione, Lib. 6. de voto, Cap. 7. num. 17.* vbi ita ſcribit: *Si quis habeat ſub ſe coadiutores regiminis, vt Vicarios, vel Miniſtros, illi non habent hanc poteſtatem ordinariam, ſicut nec ſpiritualem juriſdictionem habent, niſi delegatam accipiant, vel quando in abſentiâ Prælati vicem illius gerunt cum tota juriſdictione, juxta vniuſ-*

Retorquetur argumentum, & in Societate talem non eſſe facultatem.

P. Suarez.

vniuſcuiuſque Religionis conſuetudinem. Sic ille; qui & videndus *Tomo* 4. *Tractat.* 4. *Lib.* 2. *Cap.* 2. *num.* 2. Sicut ergo Miniſtri quando in abſentiâ Superiorum gubernationem ſuſtinent, facultatem pro reſeruatis non habent, quando vicem illorum non gerunt cum tota iuriſdictione, vt ordinariè contingit; ita etiam de iis Vice-Rectoribus eſt dicendum, quibus tota non ſolet iuriſdictio conferri. Quod ex Regulis Miniſtri colligitur, in quibus illis iniungitur quid in Superiorum abſentiâ agere debeant, manifeſtâ inſinuatione limitatæ facultatis. Non ergo abſentia tantùm iuris confert, quantùm aliqui hallucinantur apud Citatos. Et pro eodem facit id, quod tradit Iuniperus *ſuprà*, *num.* 7. & 8. Vicarios ſcilicet à Guardianis conſtitutos dictâ facultate etiam in abſentiâ carere; immò & in morte; nec poſſe iuriſdictionis actum aliquem exercere, ſed tantùm præſidere in Conuentu, ne tumultus fiat.

Peculiaris Iuniperi doctrina circa Vicarios.

Non admittitur pro caſu mortis ſuperioris in Miniſtris.

88 Sed certè quod ad mortem attinet, aliter eſt de Miniſtris dicendum, quia tunc ordinariam iuriſdictionem habent, vt ait P. Suarez *loco citato Tomi* 4. & colligitur ex P. Thoma Sancio *in Opere Morali*, *Lib* 4. *Cap.* 33. *num.* 16. vbi P. Suarij doctrinam amplectitur. Congregatio autem 8. pro eodem ſic ait: *Decreto* 10. *Statuit, ſicut abſente, ita etiam moriente ſuperiore alicuius loci; huius curam ad Miniſtrum pertinere, etiam in Domibus Profeſſis, quamuis ipſe Profeſſus non ſit. Licet nihilominùs Superiori, cùm Domo, aut vita excedit, alium nominare, qui eam curam habeat, ſi Prouincialis citò moneri non poſſit, aut alia grauis cauſſa id ſuadeat.* Sic autem dicens non eſt ita intelligenda, vt parem abſentiæ & mortis cauſſam faciat in omni euentu; ſed quando abſentia notabilis eſt, quia grauis illius occurrit cauſſa; etſi citò moneri Prouincialis poſſet, ab eo deberet reſponſum, & deſignatio vicemgeſturi ſimul expectari: non ergo de ordinariis abſentiis loquitur, pro quibus Prouincialem moneri non eſt neceſſarium; & ita in illis non licet, quod in morte ſuperioris. Licèt autem in aliis, quando plena iuriſdictio ſic ſubſtitutis delegatur.

Congreg. 8. Decretum.

Illius commoda explicatio.

Non omne breue tempus per R. P. Generalis declarationem excluſum.

89 Quamuis ergo circa prædicta declarationi R. P. N. Generalis ſtandum ſit, in eâ tamen obſeruandum, non omne breue tempus excludere: tantùm enim breuius ſpatio octo dierum non eſſe etiam admittendum affirmat verbis illis: *Nec pro breuioris temporis ſpatio.* Non ergo licebit per ſeptem, aut ſex, vel quinque fortè dies: ſed quòd per vnum, duos, aut tres non liceat, minimè ab eodem affirmatur. Quod autem facere ſuperiores ordinariè ſolent, vt domo excedentes eodem die reuerſuri, alicui curam eius committant, ſine omni poteſt ſcrupulo ſuſtineri. Quòd ſi qui illum moneant, erunt profectò minimè docti, & ita ſunt à doctioribus inſtruendi. Doctiores autem, ſi quæ adducta ſunt perpendant, non poterunt rationabiliter dubitare. Et cùm circa hoc per Conſtitutionis Auctorem liceat Theologis veroſimilem ferre ſententiam: quod iuxta illam factum fuerit, ſi quis damnet, minimè eſt de illius contradictione curandum.

Aſſertio 4. circa officiũ cum interuallis, & quomodo

90 Dico quartò. Qui in officio ſine interuallis, aut per interualla fuit, nec tamén triennium expleuit, vt illud iterata eiuſdem, aut alterius aſſumptione expleat, nullâ indiget vacatione. Eo autem non expleto, non ſufficit vacatio quæuis, neque poteſt interpoſitâ vacatione ad proſecutionem iuuari. E. g. Per annum quis Rector fuit, & cùm per annum vacaſſet, factus eſt Vice-Prouincialis: in quo munere annum conſumpſit integrum: poſteà Rector factus, cùm alius non decurriſſet annus. Tunc quidem triennium non præceſſit, etſi vacatio neceſſaria eſt, duo anni vacationis fuerunt, ex quibus dimidius ſupra neceſſarium tempus excurrit. Quo euentu dicimus illius ſpatij exceſſum nihil conferre, immò nec totum, quod in priori vacatione fluxit. Primum conſtat; quia Pontifex de vacatione loquitur, quæ poſt triennium eſſe debet: cùm ergo illud non præceſſerit, neceſſaria vacatio non eſt, & ita triennium officij poteſt ſine illâ completi. Quòd verò triennio non expleto non ſufficiat vacatio quæuis, eiſdem rationibus conſtat, quibus *Aſſertione prima* probauimus idem dicendum quando ſine interruptione officia aſſumuntur. Pariter enim Societas Conſtitutionem circa hoc intellexit, quæ, ſi aliter diſponeret, inutilis prorſus eſſet: qualibet enim breui vacatione officia ſuſcipi poſſent, & ſic vis Conſtitutionis elidi, & Pontificis intentio fruſtrari. Quamuis enim dici poſſit eum, qui per aliquod tempus vacat, ſicut ceteros obedire; ea certè obedientia diuturna non eſt, quod intendunt Pontifices, nec locus multis relinquitur, qui gubernare poſſunt, dum Prælationes ab eiſdem, qui vix certè vacant, occupantur.

non ſit opus vacatione, aut illa ſi neceſſaria ſit.

Interualla gubernationis non iuuare pro minuenda vacatione. Licèt oppoſitum veroſimile.

91 Iam quòd interualla, quæ inter gubernationem vnam & aliam præceſſerunt, triennij computationi non obſtent, praxis Societatis oſtendit, vnde perinde computatio facienda ac ſi illa non præceſſiſſent. Id tamen non ita ab omnibus intellectum, neque vbique practicatum. Ita enim videtur computatio facienda, vt cum proportione vacatio tempori debeat gubernationis reſpondere. Cùm ergo annus dimidius pro triennio aſſignetur, dimidium anni integro reſpondet anno. Iuxta quam proportionem, qui per annum gubernauit, ſi per ſex menſes vacet, iam talis gubernationis in ordine ad ſubſequentes nulla eſt habenda ratio: quod ſimiliter dicendum ſi per duos gubernauit annos, & vnum vacationis habuit. Per quod ceſſant frequentes ſcrupuli, qui exoriri poſſunt ratione breuium gubernationum, quæ aliquibus ſunt ſolitæ demandari ob abſentiam ſuperiorum: eò quòd vacationis ſpatia diuturniora ſint, quàm gubernationes ipſæ. Nam ex illis, ſi quamplures ſint, triennium velle conflare, omnino videtur à mente Pontificis alienum.

R. P. Generalis declaratio, vt non iuuent interualla.

92 Sed his non obſtantibus R. P. N. Generalis Goſwinus circa hoc ita ſcribit: *Qui diuerſis temporibus non continuatis Vice-Rector, aut ſuperior fuit ſpatio trium annorum, per annum & dimidium debet præciſè vacare: & hoc eſt conforme Breui ſuæ Sanctitatis. Intelligendum tamen ſi ab vna ad aliam vicem annus cum dimidio non effluxit.* Hæc ille: qui non cum eo rigore loquitur, quo fuerat de breui poſt triennium gubernatione locutus, vt patet ex adductis, *num.* 84. vnde non videtur praxis contraria penitus reprobata. Sicut neque alia vbique recepta: vnde Prouinciales poterunt iuxta illam pro rerum opportunitate iudicare.

Licèt

Digitized by Google

Vt ſtandum illi.

Licèt enim declarationi R. P. Generalis ſtandum ſit in ordine ad praxim, id certè eſt quando ille aliquid omnino ſeruandum ſtatuit, non verò quando ex modo proponendi ſufficienter intelligi poteſt, non eum velle ad talem obſeruantiam prorſus arctare, eò quòd oppoſitum ſit probabile, & modus ordinationis id poteſt veroſimiliter perſuadere. Ratio autem pro ſententiâ propoſitâ, ea eſt, quam R.P. Generalis indicat, eſſe ſcilicet Breui ſanctitatis ſuæ conforme: ait enim eum, qui per triennium in officio fuit, debere per ſeſqui annum vacare: fuiſſe autem in officio per triennium, verificatur de eo, qui per interualla fuit. Ad quod quidem reſponderi poteſt Pontificem loqui de triennio ſine interpoſitâ vacatione: quæ explicatio neceſſariò adhibenda iuxta id, quod R. P. Generalis addit de vacatione anni cum dimidio: quando enim illa interceſſit inter vnam & alteram vicem, non conflatur triennium, quod obſtet, quia vacationem requiſitam habuit: ergo & de vacatione proportionatâ ſimiliter dici poteſt: ea enim facit vt non debeat computari ad triennium gubernatio, cui illa ſucceſſit. Licèt autem Aſſertio de vacatione procedat, non expleto triennio, & R.P. Generalis de expleto diſponat; vtriuſque ratio eſt eadem, cùm iuxta illum accedente gubernatione poſt alias, quibus triennium non expletum, vbi per tempus, quod deerat, in eâ quis fuerit, vlteriùs nequit progredi; vnde reſolutio Difficultatis quartæ eſt eadem, pro quâ

Ratio diſentitur.

Aſſertio 5. defectio in vacatione vt ſuppleri per interualla poſſit.

93 Dico quintò. De triennio per interualla completo idem quod de non expleto eſt aſſerendũ, iuxta præcedentẽ Aſſertionem. Caſum autẽ ſic conſtituamus, vt ex anno & dimidio duo, vel parùm plus, aut minùs, deſint dies. Poteruntnè illi per alios, qui ſpatio interuallorum ſuperfuêre, ſuppleri? Negandum iuxta R.P. Generalis declarationem, quia id videtur eſſe Pontificię Conſtitutioni conforme. Abſolutè autem loquendo valde veroſimile apparet id fieri poſſe, quia verificatur poſt elapſum triennium per annum & dimidium vacaſſe, quia quod deeſſe videtur continuato illi ſpatio, æquiualenter ineſt, dum parti triennij reſpondet, & moraliter continuatur. Poteſt autem caſus aliter proponi, quamuis ad præcedentem ſpectare etiam Aſſertionem videatur: ſi videlicet triennio duo menſes deſint, aut plus aliquid, & elapſo anno ac menſibus aliquot infra ſex, idem aut aliud officium deſeratur, & per ſpatium illud, quod triennio deerat, in eo quis ſit. An ſcilicet vacatione tunc ſubſecutâ, quâ ſeſqui annus compleatur, poſſit talis ad idem vel aliud officium aſſumi. Et iuxta tenorem Conſtitutionis videtur negandum, quia poſt triennium elapſum non eſt integra ſecuta vacatio, vt in eadem intimatur.

Alio caſus propoſitio.

Tempus Iure poſitũ, debere eſſe continuũ.

Quod eſt etiam communi ſcriptorum doctrinæ conforme, iuxta quam, cùm tempus aliquod à Iure petitur, debet eſſe continuatum. Pro quo Iura, & Doctores adducit P. Thomas Sancius *in Opere Morali, Lib.* 5. *Cap.* 4. *num.* 31. inde probans cum alijs annum Nouitiatùs continuum eſſe debere. Verùm quia graues ſcriptores, de quibus Idem *num.* 30. contrarium ſatis probabiliter ſentiunt, negari nequit quominus hæc pars probabilis debeat iudicari: pro quâ & faciunt caſus ab eodem adducti ex Iure, & Doctoribus. Et in fauorabilibus ita eſſe generaliter iudicandum tenet Iaſon *in L. Si idem. D. de juriſdict. omn. judic.* & in caſu noſtro fauorabilem eſſe huiuſmodi interpretationem ſatis videtur eſſe compertum.

Aſſertio 6. vacationẽ non eſſe cõputandam de momento ad momentum.

94 Dico ſextò. Computatio ſeſqui anni vacationis non eſt neceſſariò facienda de momento ad momentum. Videantur dicta *num.* 59. & 60. Deinde ex doctrinâ multorum, qui de ſponſalibus loquentes, pro quibus Ius ſeptennium requirit, affirmant non eſſe neceſſarium vt ſit phyſicè completum, ſed moraliter, quod contingit quando dies aliquot deſunt: quia quod parùm diſtat, nihil diſtare videtur: & aliqui ad hebdomadam extendunt, alij vlteriùs, vt videri poteſt apud P. Thomam Sancium *Lib.* 1. *de Matrimonio, Diſputat.* 16. *num.* 4. qui & id reputat probabile. Et quidem ſtante probabilitate ſententiæ, quæ modicum tempus non obſtare defendit, in illius aſſignatione magna poteſt eſſe diuerſitas, iuxta id, quod Doctores circa modicum tempus arbitrantur, vt videri poteſt apud Prateium *in Lexico, V. Tempus modicum*, & apud ſcribentes *in Clement.* 1. *de rebus Eccleſiæ non alienandis*, in quâ ponitur *Modicum tempus.* Vnde in caſu noſtro ſunt qui cenſeant quindecim dies eſſe modicum tempus.

Tempus modicum quod dicatur.

Quod ex doctrinâ aliâ ſatis receptâ ampliari poteſt, iuxta quam, cùm numerus annorum, menſium, aut dierum ad aliquid exigitur, ſi materia ſit fauorabilis, inceptus reputatur pro integro. Quam regulam ſtatuit Gloſſa in Cap. *Cùm in cunctis*, de Electione. Verb. *Exegerit*, & admittitur à Doctoribus in ætate pro Ordinibus deſignatâ. Quando enim Ius tempus voluit eſſe completum, id expreſſit, vt in citato *Cap. In cunctis*, vbi de ætate ad Epiſcopatum requiſitâ, & in Cap. *Ad noſtram*, de Regularibus, vbi de neceſſariâ ad Profeſſionem. In priori enim ſic dicitur: *Niſi qui triginta annos exegerit.* In poſteriori: *Ante conſummationem* 14. *anni.* Ex Iure autem nouo Concilij Tridentini *Seſſione* 25. *Cap.* 15. *de Regularibus*, cùm ſexdecim requirantur anni, additur etiam debere eſſe completos. Et ſic alibi, vt videri poteſt apud Gloſſam in citato *Cap. Ad noſtram.*

Cap. In cunctis. Cap. Ad noſtram.

Menſem 18. vacationem inceptum eſſe ſufficere.

Cùm ergo in Conſtitutione noſtrâ menſes octodecim exigantur, qui annum cum dimidio conſtituunt, videtur ſufficere, vt decimus octauus ſit inchoatus. Et certè Innocentius Conſtitutionis Auctor vir fuit Iuris vtriuſque peritiſſimus, ac proinde probè ſciens doctrinam hanc in ſcriptoribus eſſe communem, & cum iis ſe agere, quos ipſe in Conſtitutione eadem, doctrinâ inſignes agnoſcit. Vidit ergo explicationem præfatam adhiberi poſſe, ſi ſeſqui annum completum non apponeret; & tamen non cenſuit apponendum: ergo explicationem talem ſuæ menti contrariam minimè iudicauit. Quod equidem ſub doctiorum cenſurâ dictum velim, & ad ſaluandum quod accidere aliquando forſan poterit, licèt oppoſitum ante factum ſemper fuerit conſulendum.

Aſſertio 7. circa annũ biſextum.

95 Dico ſeptimo. Admiſſa ſententia, quæ annum & dimidium omnino completum debere eſſe contendit, ſi annus biſextus occurrat, iuxta probabilem multorum mentem, quos adducit Bonacina *Tomo* 3. *Diſput.* 3. *quæſt.* 1. *Puncto* 1. *num.* 5. dies Februario additus, non eſt computandus. Quorum ratio eſt; quia de fauore agitur; & vbi id accidit, accipiendus eſt annus ſecundùm ordina-

Digitized by Google

ordinarium dierum numerum, ſcilicet 365. In caſu autem noſtro fauor vertitur, vt iam oſtendimus. Videndus P. Suarez *Tomo* 5. *in* 3. *p. Diſp.* 29. *Sect.* 1. *n.* 7. *& ſeqq.* qui omnium optimè rem eſt iſtam executus.

§. IX.

Pœnæ contrauenientibus impoſitæ quos ſint dicendæ comprehendere.

Circa pœnas non immorandum, & quare.

96 SVnt illæ ſatis in Conſtitutione perſpicuæ, de quibus iuxta generales regulas in materia huiuſmodi iudicandum, vnde nihil de illis ſpeciale ſubiiciam: tum etiam quia omnino perſuaſum habeo nullum in Societate pro contraventione eaſdem incurſurum. Si quid enim aliquando acciderit, quod videatur eſſe contrarium, vel bonâ agetur fide, vel probabili opinioni aſſenſu præſtito: quod minimè condemnandum, cùm ipſe Conſtitutionis Conditor eos, qui ipſum pro difficultatibus occurrentibus conſulebant, ad Theologos remiſerit, dicens: *Theologos habetis.* Vnde quod in eadem Conſtitutione habetur: *ſublatâ eis interpretandi facultate & authoritate*, ſic eſt intelligendum, vt nihil apertè contra illam fiat, quo ſuo robore priuaretur. Solùm ergo hic nonnihil addendum ad ſcrupulos quoſdam ſubmouendos.

Recenſentur illæ.

97 Conſtitutionis verba hæc ſunt: *Decernentes præmiſſa omnia & ſingula in perpetuum inuiolabiliter ſub excommunicatione latæ ſententiæ ac ſuſpenſionis à diuinis, priuationis vocis actiuæ & paſſiuæ, ac officiorum quorumlibet, inhabilitatiſque ad illa, & alia quæuis in poſterùm obtinenda, pœnis ipſo facto abſque alia declaratione, tam per mandantes, procurantes, eligentes, & deputantes, quàm recipientes, & exequentes irremiſſibiliter incurrendis, obſeruari debere.* Sic Pontifex: qui licet pœnas ſine vllâ declaratione incurrendas ſtatuat, communis tamen ſententia hic, ſicut alibi, applicanda, quòd ſcilicet declaratio commiſſi criminis neceſſaria ſit: eâ autem ſtante, non eſſe aliam declarationem per ſententiam condemnatoriam ad pœnas neceſſariam. Sic multi quos adducit P. Thomas Sancius *Libr.* 2. *Operis moralis Cap.* 22. *numer.* 20. *& Lib.* 9. *de Matrim. Diſput.* 30. *num.* 1. quod & Recentiores iam communiter amplectuntur.

Declaratio vt incurrantur quomodo neceſſaria.

Circa Generalem difficultas expedita.

Quòd ſi dicas fieri ex hoc Generalem, ad quem præcipuè officiorum diſtributio ſpectat, ab his pœnis liberum fore, quia iudicem ſupra ſe non habet, qui poſſit crimen commiſſum declarare. Id facilè elidi poteſt: nam Generalis ſupra ſe habet Congregationem generalem: & præterea ſufficit habere Pontificem, quem huiuſmodi tranſgreſſio non latebit, multorum zelo circa hoc indiſpenſabiliter excubante. Et vt illum lateat, excommunicationis certè pœna, cùm latæ ſententiæ ſit, non poterit euitari. Eſt tamen incredibile tale quidquam in viro tanto futurum. Et idem de generali Congregatione dicendum. De pœnâ autem ſuſpenſionis, licet ſine ſententiâ vllâ incurratur, pro quo P. Sancius *cit. Diſputat.* 30. eatenus ſi incurretur, quatenus quis à ſacris abſtinens ſe infamaret. Pro quo P. Leſſius in *Reſolutionibus poſthumis, verb. Bulla, num.* 2. & Pharaonius *pag.* 402.

Qui Mandantes, ad pœnarum incurſionem.

98 Et *Mandantium* nomine omnes illi comprehenſi, qui Superiores poſſunt, de quibus Conſtitutio agit, conſtituere: ſunt autem Generalis, Prouincialis, ſi deſignatum à Generali vrgeat, non ſeruatâ formâ prædictâ, officium ſubire, aut in eo permanere, vel eum, quem ipſe deſignauerit in caſibus, quibus poteſt, vt Præpoſitos, Rectores, Vice-Prouincialem, aut Viſitatorem ſuo nomine. Quod etiam de Viſitatore Prouinciæ dicendum à Generali deſignato. Item Præpoſitus Domus Profeſſæ, Rector, qui iuxta dicta *numer.* 87. *&* 88. & Superior localis, qui plenâ, ſicut Præpoſitus & Rector, gaudet poteſtate, eos nominant, quos poſſunt nominare.

Qui Procurantes.

Procurantes autem omnes illi eſſe poſſunt, qui aut ſibi, aut aliis officium aut conſeruandum, aut deferendum ſtudent, mediis ad conſecutionem adhibitis. *Eligentes*: ſoli ſunt Superiores, qui & *Mandantes*: vnde Conſultores eo non veniunt nomine, quia votum deciſiuum in electione non habent. Poſſunt autem aliunde comprehendi, ſi Procurantes ſint: quod tamen non accidit, ſi ſimpliciter, & ſine ſolicitatione aliquâ iudicium ſuum proferant. *Deputantes* item ſoli eligentes ſunt, quia apud illos tantùm eſt poteſtas deputandi, ſeu adhibendi ad aliquid poteſtatiuè.

Non remouentes ab officio non ſunt Mandantium hoc nomine comprehenſi.

Non ſunt autem eligentes, neque deputantes, qui aliquem in officio conſeruant; immò nec Mandantes eſſe videntur, dum non prouident, ſed negatiuè ſe habentes: licet enim tacitè mandare videantur, dum non prouident ſucceſſorem, quia proprium tamen mandatum non eſt, non cadit pœna ſupra illud, quæ ſupra perfectum actum tantummodo pronuntiatur, dum aliud non inuenitur expreſſum. Cùm enim pœna odiú importet, reſtringenda eſt lex, quæ illam ſtatuit, vt non niſi ad actum proprium & perfectum extendatur, juxta vulgarem regulam. *Odia reſtringi* &c, & communem ſcribentium doctrinam.

Ad pœnam actus perfectus requiſitus.

Et actus quidem imperfectus non eſt tantùm ille, qui ex indeliberatione procedit, aut effectum non habet, ſed etiam qui, cùm deliberatus ſit, & effectum habeat, ex parte modi ſortitur imperfectionem. Pro quo eſt caſus in *Cap. Mandato* finali de ſimonia, vbi ſic dicitur: *Et ad reſignationes ſpiritualium & corporalium, quæ nullo pacto, ſed affectu animi præcedente vtrimque taliter acquiruntur (in quo caſu ſufficit delinquentibus per ſolam pœnitentiam ſuo ſatiſfacere Creatori) eos pro ſimonia huiuſmodi non teneri.* Sic ibi.

Cap. Mandato, de ſimonia.

Vbi propter imperfectionem actûs, non in ordine ad effectum, nam effectus verè extitit, dum temporalis res pro ſpirituali eſt attributa; ſed modi in contractu habiti, pœna ſimoniacis decreta vitatur: vt notauit P. Suarez *Tomo* 5. *in* 3. *p. Diſput.* 4. *Sect.* 3. *num* 3. & eſt accommodatum exemplum pro caſu, de quo loquimur, in quo effectus quidem prorogati officij datur contra Pontificis voluntatem, ſed in modo ipſius actûs eſt imperfectio, quia neque mandatum, neque electio, neque deputatio eſt.

Recipientes quinam.

99 *Recipientes* non illi accipiendi ſunt, qui cùm ſubditi ſint, Superiorem recipiunt: illis enim obligatio nulla ſpecialis imponitur: & ex eo quòd excommunicati ſint, quod tamen non facilè ſibi perſuadere debent, ad eos vitandos non tenentur, cùm non ſint nominatim denuntiati, juxta notiſſimam de excommunicatione doctri-

Digitized by Google

nam per Extrauagantem *Ad euitanda*, ex Concilio Conſtantienſi, quam latè expendit P. Suarez *ſuprà Diſput.* 9. *Sect.* 2. & ex recepta alia de ſubditis erga Superiores, quæ in vulgari verſu voce *Humilis* deſignatur: & etiam *Vtile*, quia vt eſt manifeſtum, valde vtile eſt ſubditis cum ſuis communicare Prælatis. Et tandem voce *Neceſſe*: neceſſitas enim communicationis, cui non eſt comperta? Sunt ergo *Recipientes*, qui officium à Superioribus Prælatis contra Conſtitutionis præſcripta recipiunt, circa quod difficultas nulla ſpecialis occurrit.

Admittentes non ligari ſibi datum ſuperiorem.

Qui Exequentes.

100 *Exequentes* autem, aut iidem qui Recipientes ſunt, vt vox vna per alteram explicetur, quod ſolet non rarò contingere, juxta dicta *numer.* 76. & eam vim habere, dictum etiam *num.* 74. receptioni enim executio ineſt. Poſſunt etiam exequentes dici, qui nomine Superioris aliquem in officio conſtituunt. Nam licet actus committenti, & non exequenti tribuatur, vt probant Doctores, quos adducit Marius Antoninus *Lib.* 3. *Variarum Reſolut.* 19. *n.* 5. & Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 3. *Cap.* 12. *num.* 56. & *Cap.* 26. *num.* 60. qui id Textibus diuerſis exornat: legiſlator tamen poteſt etiam exequentem ſuâ lege comprehendere, & præſertim Eccleſiaſticus, & omnium maximè Supremus: vnde exequentes mandatum alterius in percuſſione perſonæ ſacræ pœnam Canonis abſque vmbrâ aliquâ dubitationis incurrunt: & ita idem eſt in caſu noſtro ſentiendum, de quo & aliis ad Conſtitutionem dictam generaliter ſpectantibus ſint hæc ſatis.

§. X.

De diſpenſatione per ſeptennium à Sanctiſſimo Dom. Alexandro VII. Prouintiis Indiarum circa Conſtitutionem impenſâ.

Diſpenſationis ratio, & quædam circa illam.

101 Illius ratio ſatis obuia eſt, diſtantia inquam, quæ in cauſſa eſſe ſolet vt quæ ad gubernationem ſpectant nequeant opportunis temporibus ab Vrbe transmitti, nec ſit ſemper tanta Sociorum copia, quæ ad interualla ſuſtinenda ſufficiat. Ideò vbi primùm Conſtitutio dicta prodiuit, diſpenſatio eſt pro Indiis impetrata: circa quam quia aliquæ ſunt difficultates obortæ, & quibuſdam grata non accidit, licet ſuæ Sanctitati pro eâ continuandâ fuerit ſupplicatum, penitus abnuit, affirmans inſinuatum ſibi in Indiis magis neceſſarium eſſe, quod eius fuerat Conſtitutione ſancitum. Et quidem non immeritò, ſi de Superiorum duratione tractetur: eo enim ipſo quòd propter diſtantiam nequeant Superiorum deſignationes opportunè haberi, & res per incerta hujuſmodi expeditionum tempora diſponatur, certiora eſſe ſubditorum faſtidia poſſunt, ſi (quod humanum eſt) Superiores minùs ſibi gratos contigerit obueniſſe. Id autem ſine adeò acri remedio vitari potuit, vt ex iis patet, quæ à R. P. N. Generali Goſwino ordinata ſunt, vt ex diſpenſatione ſeptennali, quam Sanctiſſ. Dom. Alexander VII. ſummâ benignitate conceſſit, nulla inconuenientia ſuboriantur. Circa quam quæri poteſt

102 Primò, an à die Datæ, ſcilicet à die 14. Nouembris. *Ann.* 1656. an verò à die notitiæ in Indiis habitæ, debeat ſeptennium computari. Circa quod videnda quæ diximus *num.* 36. ex quibus conſtabit à die Datæ computandum, quia & ille dies notitiæ fuit reſpectu R. P. Generalis, cui præcipuè eſt conceſſa diſpenſatio, vtpotè primàrio officiorum diſtributori, & ita ex tunc illâ vti potuit Superiorum deſignatione. Cùm aliàs ex eiuſdem diſpenſatione Litteris conſtet à die Datæ ſeptennium inchoandum. Quòd ſi ad remotiſſimas Indiarum partes nimis ſerò notitia iſta perueniat, vt ex ſeptennio vix pars dimidia ſit reliqua, prouidentiæ R. P. Generalis erit de hoc admonere Pontificem, vt ſeptennium addat aliud, vel quo placuerit modo conſolationi & neceſſitati Patrum illorum, pro Dei & Eccleſiæ gloriâ indefeſsè laborantium conſulatur.

Septennii à die Datæ computandum.

103 Secundò, vtrum atteſtatio R. P. Generalis de hujuſmodi diſpenſatione ſufficiat, & obliget in conſcientia, ſine Breuis authentico traſumpto. Quòd ſufficiat, conſtat ex dictis *num.* 16. quòd autem obliget erunt qui negent, juxta dicta *ibidem*, & generalem doctrinam ex Iure petitam, quòd non eſt obligatio credendi priuilegiato, niſi litteras commiſſionis oſtendat, de quo etiam *num.* 65. & videnda etiam quæ adducit Marius Antoninus *Lib.* 1. *Variarum. Reſolut.* 11. *num.* 3. & ex hoc fundamento circa diſpenſationem ſimilem conceſſam ab Innocentio X. de qua *numer.* 101. difficultas non leuis exorta, quia ejus copia non fuit exhibita, nec de viuæ vocis oraculo conſtans teſtimonium intimatum. Et quidem Pontifices in ſuis Conſtitutionibus vt faciant fidem, id addere ſolent, quod in eâ, de quâ agimus, eſt cernere. *num.* 39. *Volumus autem vt præſentium traſumptis* &c. ſupponentes ſanè, ſi traſumpta non extent, non eſſe plenam & integram fidem teſtantibus adhibendam. Licet ergo R. P. Generalis perſona ſit in dignitate Eccleſiâ conſtituta, & ſuâ ſubſcriptione ac ſigillo litteras obteſtationis obfirmet: dum tamen traſumptum, & Notarij ſubſcriptio deſunt, non concurrunt ea, quæ à Pontifice ad plenam & integram fidem faciendam vt omnino neceſſaria proponuntur. Et roborari poteſt: quia ſicut Pontifex in Conſtitutione dictâ traſumptis fidem adhibendam ſtatuit, per quod indicat ad Prouincias omnes, ac proptereà etiam ad Indias traſumpta hujuſmodi deſtinanda, vt notum ſit omnibus nouum illud jus pro Societatis regimine conſtitutum: ita etiam per traſumpta diſpenſatio debet innoteſcere, quia res per cauſſas, per quas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur. Cùm aliunde etiam agatur de tollendo iure tertij, quandoquidem Conſtitutio in fauorem eorum prodiit, qui habere locum in gubernatione poſſunt, & per iteratas quorumdam promotiones, aut conſeruationes in officiis, impediuntur. Pro quo Doctores, quos adducit & ſequitur P. Suarez *Lib.* 8. *de legibus Cap.* 2. *num.* 5.

Aſſertioni R. P. Generalis de diſpenſatione obtentâ non ſufficere, qui videntur oſtendere, de obligatione agendo.

104 Sed his non obſtantibus contrarium videtur prorſus irrefragabile, ſi de Societate, & in caſu præſenti ſpecialiter loquamur. Nam modus gubernationis in eâ viſitatus ſic procedit, vt R. P. Generali de viuæ vocis oraculo fidem facienti omnimodis credatur: ex quo fit, vt etiam

Contrarii vt certum ſtatuitur.

Digitized by Google

iam de Breui obtento teſtanti omnimoda debeat fides adhiberi. Prætereà, vt Doctores communiter aſſerunt, & illi ſpecialiter, quos P. Suarez adducit *loco citato*. priuilegium poteſt per teſtes probari, vt non ſit neceſſaria ſcriptura Breuis, aut traſumpti authentici: vnde & conſequenter ea probatio ſufficit, quæ illi æquiualet, aut major eſt; vt euidenti ratione conuincitur. Ideò enim duobus aut tribus teſtibus creditur, quia eorum teſtificatio moralem certitudinem inducit: ergo vbi moralis certitudo eſt, ſimilis eſt fides adhibenda: Atqui in teſtificatione R. P. Generalis in qua Aſſiſtens, aut alius magnę fidei Officialis interuenit, quæ & illius ſigillo munitur, moralis eſt certitudo, & quidem multò major, quàm ea, quæ per duorum, aut trium teſtificationem habetur: ergo illi eſt integra fides adhibenda. Deinde, ad roborandam fidem multa concurrunt, quæ dubitationem omnem ſubmoueant, ſcilicet adeò ſpecifica relatio diſpenſationis, additis tempore, pro quo data, & die quo expedita, animaduerſionibus circa vſum, propter Pontificis admonitionem, qui eam ſic limitatam præbuit, experiri volens qualiter eius vſu procedatur; conceſſurus equidem ſine termino, ſi nulla in eo inconuenientia fuerit deprehenſa. Item. Teſtis deponens de geſtis coràm ſe, & quæ per alium commodè probari non poſſunt, probat integrè, vt docent Doctores, quos adducit Marius Antoninus *Libr. 2. Variarum. Cap. 14. num. 8.* Id quod in præſenti accidit: ſic R. P. Generalis de factâ diſpenſatione ad ejus inſtantiam, & ſibi traditâ. Inſuper, ſicut Pontifices in cauſſis Religioſorum nolunt apices Iuris ſeruari, ſed ex equo & bono judicari inſpectâ rei veritate, vt conſtat ex *Cap. Qualitas & quando* 2. de accuſationibus: ita in extrajudicialibus non ſunt ad Iuris rigorem arctandi, vbi de minori præjudicio agitur.

Priuilegiũ per teſtes probari poſſe.

Cui teſti plenè credatur.

His addendum notitiam, de quâ agimus, ſufficientem eſſe ad obligandum in foro conſcientiæ, quidquid de foro exteriori ſit: pro illo autem certa notitia ſufficit, vt ait P. Suarez *Lib. 8. de legibus Cap. 24. num. 9.* vbi hæc habet: *In foro conſcientia ſufficit notitia priuilegij moraliter certa, de qua probabiliter dubitari non poſſit: tunc enim quæſito aliquo falſo colore tergiuerſari, voluntati Superioris reſiſtere, non poteſt in conſcientia eſſe licitum.* Sic ille. Et verò ſi ab aliquo tergiuerſante ſciſcitemur an ſibi verè perſuadeat falſum eſſe moraliter poſſe quod Generalis affirmat, abſque dubio negabit, niſi proteruiâ inſanabili laborarit. Cùm ergò pro certo habeat, contra Spiritum Sanctum peccat, dum manifeſtæ reſiſtit veritati. Neque dicere poteſt id certum ſe putare, ſed non teneri juxta illud genus certitudinis agere, ſed expectare aliud per traſumpti exhibitionem. Nam talis reſponſio contra Regulam juris militat, ex qua habemus eum, qui certus eſt, certiorari ampliùs non oportere, ſic *in Sexto*. Quòd ſi reſpectu aliquorum ſpeciale genus certitudinis exigitur, vt in reſcriptis Beneficialibus, & aliis requirentibus Tituli præſentationem, id ſpecialiter expreſſum inuenitur: ſecus autem in caſu, de quo loquimur, & ſimilibus.

Pro foro conſcientiæ ſufficientem notitiam ſufficere ad obligationẽ.

P. Suarez.

106 Accedit quod in Compendio Priuilegiorum Societatis habetur. *Ver. Generalis* §. 5. vbi ſic ſcribitur: *Facultate conceſſa Ordini Prædicatorum poſſunt Præpoſiti Generales Societatis auctoritate Apoſtolicâ declarare, (quoad ſerenitatem illarum conſcientiarum, quæ ſibi ſubiectæ ſunt dumtaxat) dubia, quæ ſuper noſtris Conſtitutionibus, priuilegiis, indultis, gratiis, & exemptionibus à Sede Apoſtolicâ conceſſis & concedendis, emerſerint. Iulius Secundus in Priuilegijs Prædicat. fol.* 173. §. 6. Sic ibi. Iuxta quæ compertum habemus poſſe Generalem in caſu noſtro declarare Conſtitutionem dictam non obligare pro Indiis, quia priuilegium circa illam à Sede eſt Apoſtolicâ impetratum: quia circa priuilegia, indulta, gratias, & exemptiones, conceſſio præfata diſponit. Pro quo etiam eſt alia Gregorij XIII. in celebri Conſtitutione, quæ incipit, *Aſcendente Domino*, in quâ ſic ille: *Si quid verò dubij de eiſdem oriri contigerit, ad Sedem prædictam, vel ad Generalem Præpoſitum dictæ Societatis, aut ad eos, quibus ipſe commiſerit, referatur.* Sic Pontifex, qui in decidendis dubiis adeò amplam Generali facultatem attribuit, vt cùm ad Sedem Apoſtolicam referenda præmiſerit, ab eo onere exemptos voluerit, qui ad Generalem, aut ab ipſo deputatos referre maluerit, quadam quoad illos miſerabili ac benignâ æqualitate cõſtitutâ. Ex quo id ſequitur quod intendimus, vt non debeat vllo pacto circa illud dubitari. Extat item priuilegium Iulij Secundi pro Auguſtinianis *Ann.* 1508. de quo Emmanuel Rodericus adductus à P. Quintanad. *ſuprà. v. Priuilegium.* §. 6. & citatur in Compendio communi Societatis. *verbo.* Et §. *eiſdem*, & ita habet: *Si re ipſa exemplaria, ſiue eorum traſumpta oſtendantur, Prælati alicuius aut publici Notarij manu ſignata, aut etiam Generalis Ordinis ſigillo firmata, eodem motu, ſcientiâ, & poteſtate decernimus, mandamuſque eamdem omnino & vim & fidem adhiberi, ac ſi plumbi ſignum haberent.* Sic ille.

Ex priuilegio vrgentiſſima

probatio de poteſtate Generalis Compendiũ Societatis.

Greg. XIII.

Iulius II.

107 Neque adducta in contrarium vrgent. Ad id enim quòd de non credendo ei, qui priuilegium allegat, dicitur, reſpondeo eſſe verum, *niſi priùs id, quod aſſerit legitimis oſtenderit documentis.* Vt habetur in Extrauag. *Iniunctæ*, de Electione, inter communes. In caſu autem noſtro legitima documenta ſunt ipſa dicentis auctoritas, & circumſtantiæ ad fidem faciendam abundè ſufficientes. Et doctrina quidem illa communis de priuilegiato loquitur, qui ſpeciale ſuum priuilegium allegat, non verò in caſu noſtro ex ſimilibus, vbi diſpenſatio ad omnes eos in Societate extenditur, qui gubernare poſſunt: quorum Caput cùm Generalis ſit, ſicut communi nomine diſpenſationem poſtulauit, ita & notificat, non ſuam, ſed communem cauſſam proſecutus. Caſus autem in confirmationem adductus non eſt pariformis, quia diſpenſatio illa non ita perſpicua: & tamen quia à R. P. Generali ſuo fuit teſtimonio comprobata, plena illi debuit adhiberi fides, vt ſenſerunt quotquot in eo negotio ſincerè, candidè, ſemotis priuatis affectibus, & ſpiritu Societatis probè inſtructi iudicarunt. Quod verò Pontifices traſumptis fidem adhibendam ſtatuant, non arguit notitiæ modum non eſſe ſufficientem, ſed frequentiorem oſtendunt. Et certè maior fides præſtanda eſt Generali ſuâ ſubſcriptione & ſigno teſtimonium munienti, quàm ordinariis traſumptis incognitorum

Fit ſatis obiectis.

Extrau. Iniunctæ.

Priuilegiato vt credendum, ſi litteras non oſtendat.

Traſumpta authentica quomodo neceſſaria.

Digitized by Google

torum hominum, Notarij inquam, & alterius in dignitate Eccleſiaſticâ conſtituti. Nec benè arguitur ex Clauſulâ de traſumptis in Conſtitutione: quia ad Conſtitutionem notificandam non fuit traſumptum neceſſarium, cùm R. P. Generalis teſtimonium ſuffeciſſet: vnde poteſt argumentum retorqueri. Res ergo per eas cauſas diſſoluitur, per quas nata eſt, quando veræ & neceſſariæ cauſſæ ſunt, non autem ſi cauſſæ tales non ſint, ſed ex abundanti additæ, vt in caſu noſtro. Quod tandem de jure tertij additur, minimi momenti eſt: nam vt id demus in caſu noſtro, de quo aliàs: cùm Pontifex illi derogare velit, & de eius indubitabiliter conſtat voluntate, nihil refert quòd hoc aut illo modo certitudo diſpenſationis habeatur. Pro quo eſt communis ſententia, quam adductis alijs tenet P. Sancius *Lib.* 8. *de Matrimonio, Diſputat.* 17. *num.* 20. aſſerens credendum Epiſcopo dicenti in Titulo ſe promouiſſe non ſubditum ex licentiâ proprij Epiſcopi, quia agitur de modico præiudicio. Et quidem ſi aliquid adducta ratio probaret, fieret ex eo neque in foro conſcientiæ licitum eſſe vti diſpenſatione cum certitudine dictâ: cuius tamen oppoſitum jam vidimus Doctores cõmuniter affirmare. Et de hoc ſatis, quando obedientiæ ſpiritus in Societate promptiſſimus, huiuſmodi ferè reddit inutiles quæſtiones. Iam ergo

Promotum intra ſeptēnium non poſſe eo finito proſequi, quæ videātur oſtendere.

108 Tertiò quæri poteſt, vtrum qui durante ſeptennio ſint promoti, eo finito poſſint in officio proſequi vſque ad triennij expletionem; vel neceſſariò debeant eo expleto ceſſare, ſi beneficio diſpenſationis ſine vacatione, quam Conſtitutio iniungit, ſint aſſumpti. Et videtur quidem id fieri non poſſe, quia diſpenſationis tempus ſeptennio expleto finitur: ceſſandum ergo. Antecedens eſt clarum, & Conſequentia oſtenditur: nam eo quòd finiatur ſeptennium non poteſt quis ad officium nouum aſſumi, vt eſt certum: ergo nec proſequi in illo. Illatio eſt legitima; quia eadem diſpenſatio neceſſaria eſt ad proſequendum in officio, & ad nouam illius aſſumptionem: vtrumque enim Conſtitutio apertè prohibet, vt ex illius tenore conſtat: *Eoque elapſo triennio, eo ipſo vacent, ipſique ad alia quæuis eiuſdem Societatis munera, &c.* Factum hinc vt cum durante diſpenſatione ab Innocentio X. pro Indiis conceſſâ aliqui vltra triennium gubernaſſent diuerſis in muneribus continuatâ prælatione: vbi primum ceſſatio diſpenſationis innotuit, ab officijs ſint remoti, ſic diſponente R. P. Generali, & Vice-Prouinciales, ac Vice-Rectores (erat enim tunc Vicarius Societatis) aſſignante, quos poſteà in officijs confirmauit.

Quibus oppoſitū probatur.

109 Contrarium autem probari poteſt ex eo quòd aſſumptio officij virtute diſpenſationis ab initio valida abſolutè fuit, & ſine limitatione: ergo debet plenum effectum habere. Antecedens conſtat; quia conceſſio Pontificis abſoluta & ſine limitatione eſt: abſolutæ autem conceſſioni abſolutus, & non limitatus debet effectus reſpondere. Prætereà, diſpenſatio conceſſa ad aliquem effectum, non ceſſat ceſſante cauſſâ, quando effectus commodè diuidi nequit, vt cum aliis tenet P. Sancius *ſuprà, Diſput.* 30. *num.* 10. ergo idem dicendum quando ratione temporis ceſſat, ſicut

Caſus à ſimili, cùm diuidi commodè nequit effectus.

in caſu noſtro, in quo effectus diuidi commodè nequit, quia mutationes iſtæ ſuperiorum ex temporaneæ inconuenientibus plenæ ſunt, & non ſine nota accidunt reſpectu externorum. Deinde argui à ſimili poteſt: nam diſpenſatus ab Epiſcopo poteſt vti diſpenſatione extra illius territorium, eò quòd diſpenſatio abſoluta ſit, & vbicumque habere ſuum poteſt effectum: pro quo Auctor idem *ſuprà, Diſp.* 31. *num.* 17. Ergo idem dici in caſu præſenti poteſt: licèt enim argumentum de loco ad tempus ſit inualidum, iuxta ea, quæ adducit Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 2. *Cap.* 11. *num.* 49. valet tamen vbi ſimilis ratio eſt. Item. Conceſſio dicta non eſt pura diſpenſatio, ſed priuilegium temporale Indiis attributum, juxta diſtinctionem priuilegij & diſpenſationis, quam ſtatuunt P. Suarez *Lib.* 8. *de legibus, Cap.* 2. *num.* 10. P. Azor *Tomo* 2. *Lib.* 7. *Cap.* 47. *quæſt.* 5. Emmanuel Rodericus *Tom.* 2. *qq. regul. q.* 4. *art.* 2. ſecuti Rebuffum, Mandoſium, Bartholum, & alios, vt ſcilicet priuilegium ſit aliquid permanens, tamquàm lex, & per modum actûs primi: diſpenſatio autem quid tranſiens, & per modum actûs ſecundi: ergo non ſtrictè, ſed latè interpretandum eſt: in quo etiam cauſſa Religionis vertitur: ijs enim conceditur, qui in conuerſionem Indorum, & in conuerſorum fidei ac morum Chriſtianorum promotionem incumbunt: ex quo capite amplianda eſſe priuilegia, jam ſæpiùs oſtendimus. Videatur *Caput.* 2. Vlterius; quia cùm dictum priuilegium à die Datæ currat, & aliàs ipſius effectus poſt diuturnum tempus in Indiis poſſit haberi, ob notitiam retardatam, ex conceſſione ſeptennij portio eſt magna detrahenda: ergo vt gratia talis plenè fruibilis eſſe poſſit, modus eſt interpretationis prædictus adhibendus: ſic enim ſeptennium videtur expleri, prorogatione inquam ſeptennij beneficio diſpenſationis intra illud executioni mandatæ. Denique R. P. Generalis de priuilegio dicto ad Prouincias Indiarum ſcribens, affirmat per illud Societatem ſuæ eſſe penitus reſtitutam libertati, & licere abſolutè quoad illas quidquid ante Conſtitutionem licebat: quamuis quoad vſum nonnulla præſcribat: ergo cùm ante Conſtitutionem deſignari ſuperiores ad tempus conſuetum poſſent, idem priuilegio durante ſimiliter affirmandum.

Aliud de vſu diſpenſationis extra territorium concedentia.

Priuilegiū eſſe, & non ſolam diſpenſationē. Et vtriuſque diuerſitas.

Ideò latè interpretādum.

Prior ſententia in praxi præferenda.

110 Nihilominùs oppoſitum videtur ſecurius, vnde ad vitandos ſcrupulos, & turbellas penitus ſubmouendas, iuxta illud praxis inducenda. Propter quam rationem R. P. Generalis id ſtatuit, de quo *numer.* 108. vt ibidem adnotatum: quodque non ſolùm eſt ſecurum, ſed etiam valdè probabile, quandoquidem effectus diuiſibilis eſt. Vt autem inconuenientia, & nota externorum vitentur, à ſuperioribus circa hoc ſolerter prouidendum, vt inſtante fine ſeptennij non eos deſignent Superiores, quos ſciunt eo finito finiendos: vel certè taliter aſſignent, vt circumſtantijs attentis, nullum ex prædictis incommodis incurrendum arbitrentur.

Pœna Prouincialium vltra triēnium perſiſtentium.

111 Quartò; quia Prouincialibus graues imponuntur pœnæ à R. P. Generali, ſi triennio expleto non deponant officium, & tantùm modici temporis vſura permittitur: dubitari poteſt

officio, non inducit priuationem eius ipſo facto.

poteſt an eo ipſo vacet officium. Et negatiuè reſpondendum, quia id in prohibitione dictâ non exprimitur; immò oppoſitum ex illius tenore deducitur, dum ad alia officia inhabilitatis pœna præfigitur, & de præſenti nihil additur. Verba illius ſunt: *Quod verò ſpectat ad ipſos Prouinciales ſeruetur Conſtitutio ſancti Patris noſtri, Parte* 9. *Cap.* 3. §. 14. *de triennio vt plurimùm: nec niſi grauiſſimâ ex cauſſa, & ad breue tempus, ſine expreſſa facultate noſtra id protrahatur, & in hoc grauo conſcientias ipſorum Prouincialium, ſub pœna etiam inhabilitatis ad Superiorum officia iterùm exercenda, ſi fortè (quòd abſit) ſine juſta cauſſa à nobis approbanda diutiùs officium retinuerint.* Sic ille: exceptio ergo firmat regulam in contrarium. Et res eſſet ſanè ſcrupulis multis obnoxia, ſi omnes actus à Prouinciali exerciti prorogationis tempore deberent annullari. Quod autem tempus ſit modicum cenſendum, ex dictis *num.* 94. poteſt intelligi: quod & ego ad prudens arbitrium, adhibito Conſultorum judicio, reuocandum exiſtimo: vt ſi ſucceſſor ſperetur, aut negotium aliquod expediendum ſit, quod eius induſtriam & auctoritatem videatur poſtulare. Si verò ſucceſſor in aliâ Prouinciâ, aut in valdè remotis ſit, Vice-Prouincialis debet deſignari; quia cùm modicum tempus aſſignetur, & caſus iſte non excipiatur, qui & frequens eſſe in Indiis poteſt, comprehenſus debet reputari. Neque arguendum ex eo quòd circa inferiores Prælatos diſponitur, vt ſcilicet per tempus modicum durare in officio poſt triennium poſſint, vbi & pro exemplo apponitur tempus, quod intercurrit, dum ſucceſſor aduentarit: nam præterquàm quòd, ſi aduentus ſucceſſoris talis non ſit poſt modicum tempus futurus, vt non raro contingere ſolet, eadem de illo eſt ſententia proferenda: in Prouinciali ſpecialis ratio eſt, vt indicat pœna eidem impoſita, quæ tamen aliis non ſic impoſita reperitur: illius enim gubernatio grauis eſſe toti Prouinciæ, & ſine recurſûs perfugio poteſt; cùm tamen aliter in locali ſuperiore contingat. Quamuis alij aliter forſitan Philoſophabuntur, qui parùm de Prouinciali curent, dum grato ſibi Doctore, aut præpoſito potiantur: & è conuerſo, ſi grauis ſarcina immediati Superioris ſit, de benigno ſibi Prouinciali parùm æſtiment eſſe curandum. Humana hæc ſunt: ſed humanis iſtis aliquando conniuendum, ne infirmiores ſpiritus imparibus ſibi ponderibus obruantur. Nec de his plura, quando & properante ſeptennio, vix lucubratiunculæ iſtæ viui eſſe poterunt. Sed certè, quia ſeptennio ſeptennium addi poteſt, & doctrina propoſita ad alia deſeruire, commentariolum iſtum non duximus ſubtrahendum: quo jam exacto, ad eam, quâ gradiebamur, orbitam diſputationis curriculum traducamus. Sic ergo

Tenor illius

Quod modicum tempus reputandum.

Quid in alijs ſuperioribus.

CAPVT V.

An Priuilegia vni Prouinciæ Indiarum conceſſa, aliis etiam Prouinciis concedantur.

DIſtinguenda circa hoc ſunt priuilegia Indis conceſſa, in quorum exercitio nullus alius interuenit; & quæ ita pro illis conceduntur; vt miniſterio aliorum eiſdem applicentur, iuxta dicta *Cap.* 1. eſt enim circa illa non eadem ratio, quamuis fortè ob aliquam aliam poſſit extenſio eſſe vtriſque communis. Pro illis ergo

Aſſertio 1. Priuilegia more Indorum non extenduntur ad diuerſas Prouincias.

112 Dico primò. Priuilegia conceſſa alicui Indiarum Prouinciæ, in quorum exercitio nullus alius interuenit, non ſunt alijs Prouinciis communia. Videtur ex mente omnium eſſe Doctorum, iuxta quos priuilegium perſonale non extenditur de perſonâ ad perſonam: quod habetur in Cap. *Priuilegium*, de Regulis Iuris in 6. vbi ſic dicitur: *Priuilegium perſonale perſonam ſequitur, & extinguitur cum perſona.* Sicut autem perſona priuilegiata ſe habet in ordine ad perſonam, ita & Communitas ad Communitatem, juxta communem Doctorum ſenſum. Vnde communiter etiam tenent Religionem, quæ non habet priuilegium communicationis, non poſſe priuilegiis alterius frui, etiamſi in illâ cauſſâ ſimilis videatur. Pro quo videndi P. Suarez *Lib.* 8. *de Legibus, Cap.* 28. *num.* 13. P. Salas *Diſput.* 20. *num.* 93. P. Palaus *Tomo* 1. *Tractat.* 3. *Diſput.* 4. *Puncto* 17. Bonacina *Tomo* 2. *Diſput.* 1. *Quæſt.* 3. *Puncto* 7. §. 1. *num.* 15. & §. 2. *num.* 11. & 12. & Fr. Emmanuel *Tomo* 1. *qq. regular. Quæſt.* 7. *artic.* 2. qui alios adducunt. Vbi dici nequit cauſſam religionis in caſu noſtro verti, quia etiam in communicatione dictâ inter Religiones ratio iſta valeret, cùm tamen inualidam videamus, eò quòd in cauſâ qualibet verbis ſit priuilegij ſtandum, vt ſacri Canones clamant, & præſertim *Cap. Porrò*, de Priuilegij, cuius tenor datur *ſuprà*, ſed non omittendum illud: *Sic enim eos volumus priuilegiorum ſuorum ſeruare tenorem, quod eorum metas tranſgredi minimè videantur.* Sic Alexander Tertius.

Cap. Priuilegium, de Regulis Iuris.

Cauſa religionis non ſemper attendi.

Cap. Porrò de Priuileg.

Ex ſtylo Pontificiarum conceſſionum arguitur.

113 Deinde arguo ex ſtylo & mente Pontificum, qui circa hoc varias ſolent limitationes adiicere locis temporis, & perſonarum, quæ quidem nullius eſſent effectus, quandoquidem omnimoda facienda eſt iuxta eorum mentem extenſio; omnis enim priuilegiorum vis ab eorum voluntate dependet, à quo & deſcendit: ergo cùm ſciant cauſſam fidei & religionis agi, & alioqui etiam piam, quia miſerabilium perſonarum, ſciantque pariter eorum priuilegia penitus extendenda, inutiliter limitationes multiplicant: quod cùm minimè dicendum ſit, conſequenter eſt aſſerendum extenſionem talem contra eorum eſſe voluntatem. Vbi ſpecialiter vrgeri poteſt ex eo quòd de tempore dictum eſt: nam priuilegium etiam reſpectu cauſſæ piæ, & omnino fauorabile, nequit vltra tempus, pro quo eſt conceſſum, extendi, vt omnes admittunt; licèt circa aliqualem

Et ex tempore, circa quod non eſt extenſio.

Digitized by Google

lem extenſionem fieri interpretatio poſſit, quando eam conceſſionis verba patiuntur; vt circa computationem diximus, *num.* 52. *& ſeqq.* quod etiam circa locum admittendum. Atqui ſi circa locum extenſio verbis non comprehenſa liceret, circa tempus idem eſſet aſſerendum, quia vnius maior ratio quàm alterius non eſt, & ſumma eſt ratio, quæ pro religione facit, & pietati omnino fauendum eſt. Quod ſi Textus adductus obiiciatur de priuilegio perſonali, quod cum perſonâ extinguitur: reſponderi poteſt de eo, quod perſonale non eſt, ſed commune, aliam eſſe rationem. Et prætereà ibi non eſſe ſermonem de priuilegio ob fauorem fidei aut pietatis conceſſo. Et ex eo quòd de priuilegio perſonali admittitur, argui etiam euidenter poteſt: nam illud non extenditur de perſonâ ad perſonam, niſi fortè ratione coniunctionis ſpecialis aliquorum cum identitate rationis: vt de priuilegio conceſſo patri, quod ad filium, in quo eſt eadem ratio, debeat extendi, affirmat Emmanuel Rodericus, à P. Suario adductus *ſuprà*. Sed errante neſcio per quem citatione. Pro quo & nos alios adduximus in Epithalamio *numer.* 218. Id autem ad præſentem cauſſam non facit, vbi generaliùs loquimur, & caſus, in quo ſumus, eam non habet perſonarum coniunctionem, & ita ſecundùm receptam communiter doctrinam. Iam vrgeo. Priuilegium dictum non extenditur de perſonâ ad perſonam, etiam ſtante cauſsâ pietatis & religionis, quia vni eſt tantùm perſonæ conceſſum; & priuilegium, non iuxta rationem, ſed iuxta concedentis voluntatem regulandum: ergo & pluribus conceſſum perſonis non debet vltra illas extendi. Patet Conſequentia ab euidenti paritate. Quòd ſi in iſto extenſio admittitur, non eſt cur in illo non debeat admitti: Iura enim de illis pariter determinant ſine vmbra diſcriminis alicuius. Tenet apertè P. Eſcobar de Mendoza *Tomo* 1 *lib.* 6. *n.* 82. *&* 132.

Extenſio perſonæ quando liceat.

114 Dico ſecundò. Pro caſu aliquo vrgentis neceſſitatis poſſet extenſio aliqualis admitti. Id probo: nam licet reſolutio præcedens videatur certa, non tamen oppoſitum improbabile prorſus apparet, ob auctoritatem Doctorum, qui extenſionem talem fieri poſſe defendunt, vt videri poteſt apud P. Suarium *num.* 12. & quod maioris momenti eſt, ob declarationem & conceſſionem Gregorij XIII. quæ habetur in Compendio Indico Societatis, *verb. Gratiarum Communicatio*, §. 1. vbi ſic dicitur: *Omnia priuilegia, facultates, & gratiæ, quæ Occidentali Indiæ & Orientali conceſſa ſunt, & in poſterum concedentur, ita in vicem communicantur; vt ſinguli earumdem Indiarum; & Nouæ-Hiſpaniæ Societatis Religioſi, illis omnibus æquè principaliter in omnibus, & per omnia gaudeant: illiſque vti poſſint perinde ac illa omnia vtriuſque Indiæ ac Nouæ-Hiſpaniæ Religioſis prædictis ſpecialiter ac nominatim conceſſa fuiſſent. Gregor. XIII. die* 10. *Februarij, Ann.* 1579. *&c.* Iuxta quæ, licèt conceſſio ad Religioſos dirigatur, ſatis tamen Pontificis mens videtur eſſe teſtata, vt priuilegia quæ Orientali & Occidentali Indiæ ſingillatim ac diuiſim conceſſa ſunt, communia vtrique habeantur: nam priuilegia non tam Religioſis, quàm Indiis ipſis conceduntur, vt ex tenore conceſſionis conſtat, verbis illis: *Quæ Occidentali Indiæ, & Orientali conceſſa ſunt, & in poſterùm concedētur.* Licèt Pontifex etiam non de conceſſis ſpecialibus Prouinciis, aut Communitatibus, ſed de conceſſis generaliùs videatur loqui, toti ſcilicet occidentali, aut orientali: nam indefinita locutio eum videtur habere ſenſum: ſine improprietate tamen aut violentiâ poteſt ſenſus minùs vniuerſalis ſuſtineri: nam quod conceſſum eſt parti alicuius Communitatis, dummodo pars ſit, quæ Communitatem etiam partialem efficiat, dici poteſt Communitati conceſſum. Sic enim in Compendiis Religionum omnium occurrit, in quibus priuilegia recenſentur, & abſolutè dicuntur Religioni conceſſa, licèt multa eorum ad aliquos tantùm ſpectent, vt ad Prælatos, Confeſſarios, Magiſtros, &c. Quod ſpecialiter in Compendiis Generali & Indico Societatis eſt videre, in quibus paſſim occurrit: *Per priuilegium conceſſum Benedictinis, Ciſtercienſibus, Prædicatoribus, Minoribus, Auguſtinianis, &c.* cùm tamen illa ad omnes non pertineant. Sic tamen in Cap. *In his, quæ*, de Priuilegiis, loquitur Honorius Tertius verbis illis: *Cùm Fratribus Prædicatoribus & Minoribus duxerimus indulgendum, vt vbicumque fuerint, ſine Parochialis iuris præiudicio, cum altari valeant viaticū celebrare, &c.* Vbi quod aliquibus tantùm conuenire poteſt, Fratribus dicitur generaliter indultum. Iuxta hæc ergo ampliatio priuilegij, de quo agimus, poterit aliquando, neceſſitate vrgente, cui par eſt magna vtilitas, exerceri.

Aſſertio 2. extenſionē poſſe in caſu aliquo neceſſitatis admitti.

Greg. XIII. conceſſio, pro mutuâ vtriuſque Indiæ communicatione.

Notanda obſeruatio pro modo loquendi Pontificis, vt non debeat ad conceſſa generaliter Indijs arctari.

Cap. In his quæ, de Priuilegijs.

115 Dico tertiò. Si priuilegia talia ſint, vt Miniſtris etiam concedantur, quatenus per eorum miniſteria beneficium conceſſionis obtinetur, & Miniſtri nullum aliàs ſpeciale priuilegium habeant, idem eſt, quod in vtraque diximus reſolutione, dicendum. Id conſtat; quia cùm nullum aliàs Miniſtrorum priuilegium ſit, ad Indorum commodum tota conceſſio reuocatur: etſi reſpectus aliquis Miniſtrorum habitus, nihil ampliùs fauoris inde reſultat, quàm id, quod materia ipſa ſecum importat, ob illius pietatem, & ita eadem regulâ menſurandum.

Aſſertio 3. in priuilegijs quæ propriè Miniſterorum non ſunt, dari communicationem.

116 Dico quartò. Religioſi communicationem priuilegiorum habentes, maius habent fundamentum ad prædictam ampliationem. Probatur ex ampliſſima conceſſione Leonis X. pro Mendicantibus, de quâ Emmanuel Rodericus *Tomo* 3. *qq. regul. q.* 1. *art.* 1. in quâ ſic habet: *Priuilegia, indulta, qualiacumque illa eſſent, ſiue in genere, ſiue in ſpecie conceſſa fuerint, aut in poſterùm concedentur, illa omnia, & ſingula illis Ordinibus, Eccleſijs, Oratorijs, de Fratribus priuatis ad priuatos, & de Feſtiuitatibus ad Feſtiuitates, &c.* Iulius Secundus in Bullâ apud eumdem *Tomo* 1. *quæſt.* 55. *artic.* 20. ſic ait: *& quod de Prælatis ad Prælatos dictum eſt, ita de Congregationibus vnius Ordinis, de Fratribus priuatis ad priuatos, & de Feſtiuitatibus ad Feſtiuitates, &c.* Pius quartus Ordini S. Hieronymi ſimilem gratiam attribuit, vt ſcilicet *in genere, vel in ſpecie conceſſa, ad omnia & ſingula Monaſteria Ordinis, tam virorum, quàm mulierum, quibus in ſpecie conceſſa non ſunt, & in quibus aliæ cauſſæ conceſſionis ſuberant, pariformiter vti poſſint.* De quo citatus Auctor *Artic.* 9. Sic ſunt aliæ conceſſiones: & hanc vltimam etiam à Pio V. factam, Collector priuilegiorum prædicti Ordinis aduertit, qui conceſſionis à Prædeceſſore factæ Litteras expediuit. Iuxta hæc ergo

Aſſertio 4. maior illa in Religioſis communicationem habentibus.

Leonis X. conceſſio.

Alia Iulij II.

Pij IV alia.

A Pio V. roborata.

Digitized by Google

ergo ſine ſcrupulo videtur poſſe in hac parte procedi, vt quæ in vnâ Indiarum Prouinciâ licent, in alia etiam licita cenſeantur. An autem quæ in Indiis per priuilegia fieri poſſunt, extra illas fieri queant, alterius eſt conſiderationis, de quo ſtatim. Illud certius, ea quæ ratione communicationis in Europa licent, in Indiis pariter licere, quia Indiarum Prouinciæ omnium maximè priuilegiatæ ſunt ob fauorem fidei, & rationes alias, de quibus non ſemel dictum. Et quidem eorum Pontificum tempore, qui extenſionem prædictam conceſſerunt, detectæ iam Indiæ fuerant, vt de illis etiam cogitaſſe indubitanter affirmare debeamus; pro quo iam alia.

CAPVT VI.

An inter Indias, & Prouincias extra illas, communicatio Priuilegiorum ſit.

Circa hoc non leues difficultates occurrunt, nec parùm profectò vtiles, pro quibus

Aſſertio 1. De priuilegiis omnibus nouiter vbique conuerſorum.

117 Dico primò. Si qua extant priuilegia aliquibus de nouo conuerſis extra Indias conceſſa, eo modo philoſophandum de illis ſicut *Capite præced. Aſſert.* 1. Pro quo eſt doctrina P. Suarij *Lib.* 8. *de legibus Cap.* 26. *num.* 3. & quoad vrgentem caſum iuuat quod *Aſſertione* 2. dictum circa auctoritatem eorum, qui extenſionem huiuſmodi admittere minimè reformidant: cetera enim, quæ *ibidem* addita, neutiquam ſuffragantur.

Aſſertio 2. De conceſſis antiquis Chriſtianis. Pro quo affirmatur.

Dico ſecundò. Si priuilegium ſit Chriſtianis antiquis conceſſum, poteſt ad Indias veroſimiliter extendi. Id probo ex mente Pontificum, qui Indias maximè priuilegiatas eſſe volunt, vt & re ipsâ per ſingularia valde priuilegia conſtat, & eorumdem eſt verbis manifeſtum. Paulus V. in Bulla, quæ incipit, *Cùm ſicut accepimus*, ita loquitur: *Nos eorumdem Neophytorum animarum ſtatui, & conſcientiæ ſecuritati, quantum cum Domino poſſumus, proſpicere volentes, nec non æquum reputantes huiuſmodi Neophytis aliquid de iure Canonico remitti.*

Paulus V.

Hæc ille: quibus ſimilia habet Vrbanus Octauus in Bullâ conſimilis conceſſionis, & alij. Cùm ergo, quantùm cum Domino poſſunt, Pontifices Indorum commodo ſpirituali proſpicere intendant, & ad hoc conferre exiſtiment iuris Canonici remiſſionem; videtur inde haberi compertum non negata ipſis, quæ antiquioribus Chriſtianis pro eorum ſunt ſpirituali commodo Apoſtolicâ benignitate conceſſa. Quòd ſi quidquam eorum negatum eſſet, non ſtaret certè Pōtifices quantùm cum Domino poſſunt, Indorum ſpirituali ſaluti proſpexiſſe. Si quid ergo circa ieiunia, diſpenſationes, Feſta &c. alicubi reperiatur indultum, id poterit ad Indos ſine ſcrupulo vllo transferri. Pro quo & eſt ratio, quam adducit Clemens Octauus in Breui, cuius meminit Dom. Solorzanus in *Politica pag.* 239. *Col.* 1. in margine: ita enim loquitur: *Ac Chriſti fideles illarum partium, tamquàm teneros nouæ plantationis palmites, ſuaui manſuetudinis imbre irrigare volentes* &c. Suauitas namque irrigationis huius in eo oſtendi debet, vt leuiora illis onera, quàm Chriſtianis veteribus imponantur, eò quòd teneri palmites ſint: ergo ampliora illis ſunt priuilegia concedenda; immò & conceſſa intelligi, quæ aliis fuiſſe conſtet indulta: vt ſtet etiam quod citatus Auctor affirmat, nullos vnquam nouiter conuerſos magis priuilegiatos extitiſſe.

Clemens VIII.

Indi maximè priuilegiati.

Aſſertio 3. Indicos Miniſtros aliorum per orbem priuilegiis frui.

118 Dico tertiò Priuilegia conceſſa Miniſtris Eccleſiaſticis erga alios extra Indias, Indicis etiam Miniſtris ſunt communia, quicumque illi Miniſtri ſint, vt ſi non Religioſi, neque habentes communicationem. Probatur ex dictis *Aſſert. præced.* quæ hoc etiam oſtendunt: nam talia priuilegia non ſolùm Miniſtrorum ſunt, ſed fidelium, ad quorum ſpirituale commodum diriguntur: ergo ex eâ parte debent eſſe communia: vnde & conſequenter reſpectu eorum, ſine quorum miniſterio nequeunt eorum effectum obtinere. Ex quibus conſtat quid de habentibus communicationis priuilegium aſſerendum.

Aſſertio 4. Erga Europaeos non licere, quæ erga Indos vi communicationis.

Dico quartò. Communicatio dicta nequit ita extendi, vt quæ circa Indos licent, debeant etiam Europæis licita cenſeri. Hoc debet haberi certiſſimum, licet verba priuilegiorum adducta *num.* 116. videantur extenſionem omnimodam indicare: talis enim manifeſtè apparet mens eſſe Pontificum, qui, vt dicebamus nuper, teneros Neophytorum palmites ſuaui priuilegiorum imbre ſtudent irrigare. Quis autem credat imbrem eumdem communem plantis robuſtis velle, & inſignem circa illos iuris Canonici remiſſionem? In generali certè conceſſione non veniunt illa, quæ quis non eſſet in ſpecie veroſimiliter conceſſurus, vt habet *Regula iuris in* 6. quod equidem hic maximè videtur locum habere, quia iam inter Neophytos, & Chriſtianos veteres nullum eſſet diſcrimen quoad abſolutiones, diſpenſationes, & alia: cùm tamen Pontifices tale eſſe velint, quale inter palmites teneros, & adultas eſſe plantas ſolet: vnde & pro diſpenſationibus erga Europæos adiri ſe volunt, circa quas etiam difficiles ſe multoties oſtendunt, circa Indos benigniores.

Aſſertio 5. Sententia quorumdã contraria proponitur, & repudiatur.

119. Dico quintò. Sententia eſt aliquorum priuilegia Indica ad Prouincias alias extendi, cum limitationibus tamen quibuſdam. Nam quidam aſſerunt quod in priuilegiis dicitur de extenſione loci ad locum non debere intelligi de Capellis, Altaribus, & ſimilibus, niſi Capellæ eſſent ſeparatæ, & pro Eccleſiis haberentur: & hac ſunt limitatione contenti. Sic doctus ex Noſtris Peruuianus Magiſter. Alij affirmant totum Indicum Compendium in Hiſpaniâ, & vbique gentium ſuffragari, vbi non exprimitur concedi ſolùm pro Indiis Orientalibus, vel Occidentalibus, aut extra Europam: vel in quibus non exprimitur, aut militat ſpecialis conceſſionis ratio, quæ pro Indis, ac Indiis ſolùm reperitur; vt penuria Miniſtrorum, locorum diſtantia, Neophytorum inſtructio, neceſſitas, &c. Sic P. Quintanad. *Tomo* 2. *Tractatu* 5. *Singulari* 7. *num.* 2. vbi pro ſe adducit P. Chriſtophorum Garciam virum doctiſſimum, & alios à ſe conſultos. Probant ex adductis priuilegiis: & quia vbi Pontifices nolunt ad Europam extendi, id exprimunt: cùm ergo non addunt, aliter videntur ſentire: nam ſi voluiſſent, expreſſiſſent. *Cap. Ad audientiam,*

Digitized by Google

tiam, de decimis. & exceptio firmat regulam in contrarium. *L. Nam quod liquidè. §. finali. D. de pen. legat.* Sed his non obſtantibus, oppoſitum videtur dubio procul aſſerendum: quod & tenet Ioannes à Cruce in *Epithome Status Religioſi, in Indice, verb. Priuilegia gratiæ.* Et illud probo

Prima ratio pro illa ex defectu fundamenti in Apoſtolica conceſſione. & alijs adnexis.

120 Primò. Ex dictis *Aſſert. præcedenti:* nam priuilegia conceſſa pro Indis, nequeunt aliis applicari: ergo neque generaliter Indiis conceſſa. Antecedens vlterius probo: quia pro extenſione nullum eſt fundamentum in Apoſtolicis conceſſionibus, vt conſtat: ſed neque ad communicationem recurri poteſt, tum ob dicta, tum etiam, quia neque ad Europæos in Indiis degentes extendi queunt; ergo multò minùs ad alios extra Indias exiſtentes. Aſſumptum conſtat ex generali omnium praxi, & recurſu ad Pontificem, vt nullius in mentem venerit poſſe priuilegia Indorum ad diſpenſationes cùm Europæis extendi, & ad alia, pro quorum obtentione in particulari nimis quantùm laboratur. Deinde. Quòd communicatio dicta non ſit ita generaliter accipienda, ex eo probatur, quòd ſi Religioſus accipiat Bullam Cruciatę, non ideò ſequitur poſſe quemuis alium Religioſum beneficio illius vti ratione ſolius communicationis, cùm tamen multa in illa priuilegia concedantur. Item. Obtento priuilegio circa diſpenſationes cum Indis ad contrahendum matrimonium in gradibus prohibitis ſupplicatione interpoſitâ eſt etiam obtentũ, vt illud ad Meſtizos dignaretur extendere Paulus V. In extenſione enim tali grauis difficultas occurrebat: vel quia abſolutè id fieri non poſſe putabatur, vel quia res erat ſcrupulis plena. Ex quo euidens apparet circa Europæos nullam fuiſſe rationem dubitandi: cùm tamen, ſi communicatio prodeſſe poſſet, res fuiſſet omnino peruia, & in quâ docti hærere minimè debuiſſent. Pontifices prætereà Paulus, & Vrbanus Religioſos Societatis admonent *ne his facultatibus vtantur, niſi vbi expedire exiſtimauerint*, ſuper quo eorum conſcientiæ onerantur: *Mandanteſque eiſdem, vt Neophytos iſtos diligenter admoneant, quòd ab iſtis matrimoniis Canonicâ lege prohibitis abſtineant.* Cùm ergo Neophytos ipſos velint ita à matrimoniis Canonicâ lege prohibitis abſtinere, manifeſtum eſt circa Europæos nihil tale indulgendum generaliter velle, & ita communicationem priuilegiorum circa hoc neutiquam ſuffragari.

Communicationem non eſſe omnino generaliter accipiendam euidenter inſtantia manifeſtant.

Ex eo quod inter Indos ipſos communicatio non currat, efficaciter arguitur.

121 Iam illationem priorem oſtendo. Nam ſicut communicatio non currit circa Indos, etiamſi generalis ſit, quia præſumi nequit talem eſſe Pontificum voluntatem, & ſic ad veroſimilia coarctandam: ita etiam circa Europæos debet limitari, non obſtante generalitate: vel ſi generalitas iuuare poteſt, ad Indorum etiam priuilegia debet applicari: axiomata illa Iuris applicando, quòd ſi voluiſſet, expreſſiſſet, & quòd exceptio firmat regulam in contrarium. Vbi quod de limitatione, quam addunt Pontifices, iuxta vſum frequentem dicebatur, ſcilicet, *Extra Europam*, nihil obſtat; dici enim poteſt illos ita limitatè concedere, & ideò ex vi conceſſionis extendi non poſſe; at ratione communicationis validam eſſe extenſionem. Quemadmodum. P. Quintanad. *ſuprà Tractatu 6. Singulari 3. num. 7.* ait quòd licet Pontifices aliqua priuilegia cum temporis limitatione concedant, id non tollit quo minùs perpetua eſſe poſſint, ſi alias ſit facta ſine limitatione cõceſſio. Quod vrgeo vlteriùs ex eo quod dicitur extenſionem fieri non poſſe de Capella ad Capellam, neque de altari ad altare: ergo generalitas communicationis non eſt ſine veroſimilibus limitationibus accipienda.

Ex limitatione, quã addunt, robur manat.

Et ex ratione quam reddunt inconuenientiam &c.

122 Vbi & notanda ratio, quam adducunt, ſcilicet extenſionem fore penè infinitam, & ex eâ inconuenientia emerſura, ac confuſiones, non ſecus acſi priuilegia de perſonâ ad perſonam extenderentur. Notanda inquam, quia ex ea fit neque extenſionem licere, quam ſic reſpondentes affirmant, ob ſimilia inconuenientia & confuſiones: nam plures ſunt perſonæ quàm Capellæ & altaria, ad quas extenſio fieri poteſt, iuxta illorum ſententiam: ergo ſi ex multiplicatione emergunt inconuenientia & confuſiones, multò magis ex perſonarum multiplicatione: vnde extenſio eſt penè infinita. Fit etiam vim priuilegij tolli: nam iuxta illa fieri extenſio poteſt de perſona ad perſonam, vt vidimus *num.* 116. verbis illis: *de priuatis ad priuatos*: quia ſi ex tali extenſione confuſiones & inconuenientia ſunt futura, eò quòd illa propè infinita ſit, clauſula illa nequit ad effectum aliquem deſeruire. Quòd ſi vim habere dicatur: ergo non benè arguitur, cùm potiùs oppoſitum elici debuiſſet: videlicet licere extenſionem de Capellâ ad Capellam, quia etiam licet de perſonâ ad perſonam beneficio communicationis. Dicendum ergo neutrum licere in in caſu, de quo loquimur; quia veroſimile non eſt ita velle Pontifices, quando adeò diuerſa materia eſt; & cùm à generalitate eximenda aliqua ſint, nec poſſint commodè illa determinari, conuenientius eſſe vt ea, quæ extra Indias ſunt, penitus excludantur.

Secunda ratio ſatis vrgens.

123 Secundò. Quia ſi priuilegia, in quibus non exprimitur concedi ſolùm pro Indiis, aliis eſſe communia poſſunt, non verò illa, in quibus contrarium inuenitur, & ad hoc reuocatur aſſertio; aut nihil ſpeciale dicitur, aut priuilegia, quæ pro fundamento adducuntur, ineptè applicantur. Primum conſtat: nam ſi priuilegia pro Indiis ſpecialiter non conceduntur, non ſunt Indica, ſed communia, & de iis dubium non eſt, vnde ceſſat ſuppoſitum quæſtionis. Secundum item. Quia etiamſi ad conceſſionem pro Indiis ſpecialis ratio ſubſit, ea non debet obſtare communicationi, ſi tenor priuilegiorum attendatur. Nam Pius Quartus extenſionem concedit etiam in iis, *in quibus aliæ cauſſæ conceſſionibus ſuberant*, vt vidimus *num.* 116. Ex quibus communicationem aliter eſſe applicandam, vt de Indis ad non Indos, & Chriſtianos veteres nequeat extendi colligitur, ſic mente Pontificum intellectâ.

Tertia, quia omnia Indica priuilegia, Indiarum intuitu ſunt conceſſa.

124 Tertiò. Quia nulla ſunt priuilegia Indica, quæ non ſint intuitu Indiarum conceſſa: ergo in omnibus eſt ſpecialis ratio, propter quam Indiis, & non aliis, debeant applicari. Antecedens conſtat diſcurrendo per totum Indicum Compendium, vnde clara eſt Conſequentia. Si dicatur eſſe quidem intuitu Indiarum conceſſa, ſed non tantùm pro Indiis, quia in aliis habere locum poſſunt ex redundantiâ Pontificiæ largitatis. Contra eſt: quia in primis, ſi ita non eſt, neceſſaria ad hoc non erit ampliſſima illa

communicatio,

Digitized by Google

communicatio, cùm ex directâ intentione Pontificum ſit generaliter facta conceſſio. Deinde. Iam vidimus, quòd etiamſi ratio ſpecialis ſit, non obſtat extenſioni: ergo ſi ſpecialis ratio pro Indiis dicatur eſſe in cauſſa, non benè in eo ſic dicentes philoſophantur. Præterea. In omnibus priuilegiis conceſſis pro Indiis eſt ſpecialis ratio conceſſionis, vt illis tantùm, & non aliis concedantur: ergo nullum illorum ad exteros protrahendum. Antecedens probo ex adductis. *n.* 117. *& num.* 118. vbi vidimus Pontifices in conceſſione priuilegiorum ad bonum remotarum partium attendiſſe: neque alia eſt illorum mens, qui ſimilia priuilegia conceſſerunt.

Euidens probatio, vt non obſtet conceſſionem tantum pro Indijs non exprimi.

125 Illud autem quod reſpondetur de non expreſſa limitatione, pro Indiis tantùm, iam eſt à nobis refutatum, ſed vlteriùs euidenter improbatur; nam multa priuilegia, in quibus id non additur, extendi dicto modo nequeunt: ergo leue eſt dictum fundamentum. Antecedens oſtenditur clarè in facultate abſoluendi à peccatis in Bullâ Cœnæ contentis, quam non habere Confeſſarios Societatis generaliter loquendo affirmat P. Quintanad. *Tract.* 5. *citato. Singulari.* 10. §. 1. & tamen pro Indijs conceditur à Paulo V. Vrbano VIII. & Innocentio X. præter alias conceſſiones antiquiores: in quibus tamen non apponitur prædicta limitatio, vt legenti conſtabit. Præterea. Facultas abſoluendi diripientes bona naufragantium non eſt generalis, & ceſſaſſe, quia conceſſa erat Oraculo Gregorij XIII. obſeruat Auctor idem *ſuprà.* verb. *Abſolutio.* §. 2. Eam autem in Indiis extare, conſtat ex generali facultate circa caſus dictæ Bullæ. Tum etiam, quia diſpenſationes circa matrimonia minimè licent pro Europæis, in quibus tamen limitatio dicta non inuenitur. Et non licere ſatis ex adductis conſtat, neque erit qui audeat circa hoc in Hiſpania diſpenſare. Quod equidem non ſolùm in Hiſpaniâ eſt certum, ſed etiam in ipſis Indiis, niſi pro illis ſpeciale aliquod priuilegium adducatur. Vidit hoc P. Quintanad. & ita non ſolùm de diſpenſationibus, ſed de priuilegiis aliis ſic fatus *Tract.* 6. *Singulari* 6. *num.* 2. *De illis, qui ex parentibus Hiſpanis in Indiarum Prouinciis oriuntur, vulgo Criollos, non eſt dubium, quin priuilegiis pro Neophytis ac Indis tantùm conceſſis, non fruantur: quia eodem iure, quo Hiſpani cenſendi ſunt* &c. Si ergo dubium non eſt: ergo contra indubitatam poſitionem aſſeritur priuilegia Indica poſſe ad Hiſpaniam extendi, vt in illâ & aliis Prouinciis poſſint illis Religioſi frui priuilegium communicationis habentes. Vbi dici nequit de illis priuilegiis locutum Auctorem, in quibus non apponitur limitatio dicta: id enim euidenter refelli poteſt: nam ille clarè loquitur de priuilegiis circa matrimoniales diſpenſationes; in quibus tamen dicta non extat limitatio.

P. Quintanad. redarguitur ſuiſmet ipſius verbis.

Quarta ratio ex cauſſa ſpeciali militante in conceſsionibus Indicis.

126 Quartò. Tunc non licere extenſionem aſſeritur, cùm exprimitur, aut militat ſpecialis ratio conceſſionis, quæ pro Indiis ac Indis ſolùm ſuffragatur, vt penuria Miniſtrorum, diſtantia, inſtructio Neophytorum, neceſſitas &c. Tunc ſit. In omnibus priuilegiis Indicis militat aliqua ſpecialis ratio, quæ non ſit Prouinciis aliis orbis Chriſtiani communis: ergo numquam licebit extenſio. Antecedens probo in primis: quia ſimilia priuilegia non inueniuntur conceſſa Prouinciis aliis, neque erit qui audeat ea petere: ergo quandoquidem Indiis conceduntur, aliqua in illis ratio ſpecialis occurrit. Item. Quia omnia priuilegia ſic conceſſa dicuntur Indica, & in ſpeciali Compendio ſeparatim imprimuntur. Deinde Pontifices rationem ſpecialis conceſſionis exprimunt, vt vidimus *num.* 117. & vt non exprimerent, reipſa ſuppetit: quia nouiter conuerſis expedit aliquid de legum Eccleſiaſticarum rigore remitti: pueris enim, ſenibus, infirmis, laborantibus, & aliis, remiſſiones tales fiunt: ergo & barbaris, ac eorum filiis, donec fides radices profundas egerit. Ratio item diſtantiæ in omnibus eſt manifeſta.

Probatio vltima, quia limitatio in priuilegijs ſemel tantum addita.

127 Tandem. Totum contrariæ poſitionis robur in eo conſtituitur, quòd Pontifices, cùm priuilegium non eſſe commune voluerunt, limitatione additâ id expreſsè indicarunt: atqui limitatio talis vix ſemel occurrit, vt in *Verb. Conſeruatores* §. 1. ergo iuxta eum dicendi modum fatendum eſt omnia ferè priuilegia Indica eſſe communia: quod cùm tolerabile non ſit, iuxta rei omnino dicendum veritatem, non additam expreſſam limitationem, quia ſatis illa erat perſpecta ex modo ipſo conceſſionis. Cùm enim pro Indiis priuilegia concedantur, ſatis conſtat ad Indias conceſſionem limitari. Quòd autem aliquando magis fuerit expreſſa limitatio, nihil obſtat quia quod clarum eſt, poteſt ampliùs declarari ad maiorem voluntatis eius oſtenſionem, à quo venit declaratio. Hinc eſt vt licet exprimi aliquid per verba ſpecifica vel generalia æquipollentia, paria ſint, iuxta ea, quæ adducit Marius Antoninus *Lib.* 1. *Variarum. Reſolut.* 83. *num.* 23. non ſequatur aliam eſſe diſpoſitionem intelligendam, cùm alicubi verba generalia æquipollentia, & alibi ſpecifica inueniuntur, vrgendo ex vulgari axiomate ſæpiùs inculcato: *quod ſi voluiſſet, expreſſiſſet.* Satis enim expreſſit, qui verbis æquipollentibus eſt locutus. Iuxta hæc ergo poſitio iſta videtur penitus irrefragabilis: & quod ad Societatem attinet, ex ſpeciali titulo indubitanter amplectenda, quia talis extenſio cùm exorbitans ſit, & contra commune iudicium Doctorum eiuſdem, nullo modo debet credi R. P. N. Generali probata, nec probanda: ſine cuius voluntate nequeunt priuilegia quoad ſubſtantiam, modum, & perſonas ad vſum applicari.

Quod maior operetur expreſsio.

Aſſertio 6. Indos extra Indias priuilegijs frui.

128 Dico ſextò. Si Indi aliqui extra Indias inueniantur, poſſunt eiſdem priuilegiis frui, quibus poſſent in Indiis. Sic colligitur clarè ex P. Suario *Lib.* 8. *de legibus Cap.* 26. *num.* 3. ex cuius auctoritate id probat P. Quintanad. *Singulari.* 7. *citato. num.* 3. quod ſi id tantùm vellet ſuâ illâ reſolutione, meritò pro ea eſſet audiendus: ſed certè plus ille contendit, vt patet ex iis, quæ ibidem habet, dum ſic ait: *Reſpondeo oppoſitum ſequi, tum ex ampliſſima priuilegiorum communicatione: tum ex eo quòd in aliquibus Indicis priuilegiis exprimit extra Europam non extendi, ſecus in aliis, in quibus id non declarat; vel in quibus ſimilis in Europâ atque Indiis militat ratio: tunc enim prudenter credendum eſt* &c. In quibus, quod ad primum attinet de ampliſſimâ communicatione, ex eodem refellendum, dum in ſcribit *Tract.* 6. *Singulari.* 1. *num.* 9.

P. Quintanad.

Digitized by Google

num.9. Generalia verba, quibus confirmationem & innouationem noſtrorum priuilegiorum conceſſit (Paulus V.) *aliquam reſtrictionem patiuntur: nam iuxta regulam 71. de Regulis Iuris in 6. in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veroſimiliter in ſpecie conceſſurus. Sic ſuprà oſtendit Pontifex hanc prorogationem conceſſurum non eſſe, & iuxta argumentum. L. Doli. D. de verborum obligat. conceſſio generalis non debet referri ad ea, in quibus ſpecialiter eſt prouiſum, vt iam ſpecialiter erat in Indicis priuilegijs quoad durationis terminum, &c.* Quæ omnia in caſu præſenti pariformiter procedunt. Quod enim Pontifices id non eſſent in ſpecie veroſimiliter conceſſuri, conſtat ex eo quòd nihil tale pro Europâ conceſſum; & quòd ab iis, qui priuilegia poſtularunt, nihil eſt huiuſmodi cogitatum, Indiarum tantùm cauſſam proſecutis. Quòd autem circa Europam ſpecialiter ſit prouiſum, vt nolint Pontifices in illius Prouinciis priuilegia augeri, ſicut in alijs, conſtat ex difficultate diſpenſationum erga illas, & quia diuerſo iure cenſeri volunt, vt ex eodem Auctore poſitum *num.* 125. Ad id autem quod dicitur de ratione æquè militante in Indiis & in Europâ, poſſumus rogando occurrere, quænam hæc priuilegia ſint, in quibus eadem ratio militat, nulla enim deſignantur, ſed nec deſignari poſſunt: quia cùm priuilegia remiſſionem Canonici iuris contineant, ex eo quòd deſtectæ Indiæ ſint, nulla apparet ſpecialis ratio cur in Europâ talis debeat remiſſio concedi, cùm tamen detur, vt pro Indiis concedatur.

Aſſertio 7. Inter Indos & Æthiopes dari priuilegiorum communicationem.

129 Dico ſeptimò. Non ſolùm piè & probabiliter dici poteſt inter Indos & Æthiopes dari priuilegiorum communicationem generaliter loquendo, ſed pro certò habendum attentis Pontificum conceſſionibus & declarationibus. Nam Gregorius XIII. vt habetur in Compendio Indico, verb. *India*, in ordine ad vſum priuilegiorum Societatis ſic declarauit; vt nomine Indiæ Orientalis intelligantur omnes regiones & inſulæ, quæ vltra Mauritaniam verſus Auſtrum & Orientem, ad Regem Portugalliæ ſpectant, ſiue iure dominij, ſiue conquiſtæ, ſiue commercij, & nauigationis. Nomine autem Indiæ Occidentalis, quidquid eodem iure Occidentem verſus vltra Inſulas Fortunatas, & Terriarias, ſiue ad Regem Catholicum, ſiue ad Regem Portugalliæ pertinent. Conſtat autem Æthiopicus tractus eſſe vltra terminos deſignatos. Licèt autem declaratio prædicta fuerit per viuæ vocis oraculum, non debet reuocata cenſeri per Bullas Gregorij XV. & Vrbani VIII. quia declarationes non reuocantur, vt probat P. Quintanad. *Tractat. 5. citato, ſingulari 4. num. 6.* Paulus etiam V. Vrbanus idem, & Innocentius X. de priuilegio in ordine ad diſpenſationes pro matrimonio Æthiopes Indis adnumerant: quorum conceſſiones non ſunt ad prædictum effectum arctandæ, neque ad Baptiſmum ſine ſolemnitate conferendum, de quibus tantùm videntur procedere: nam reuerâ ampliores ſunt, vt conſtat ex tenore Bullarum: alia enim illis priuilegia conceduntur. Et Neophytorum nomine comprehendi conſtat ex illis verbis, quæ in Bullâ, quæ incipit, *Animarum ſaluti*, habet Paulus V. *Ac eiſdem Chriſti fidelibus vtriuſque Indiæ, & tranſmarinorum limitum, quo proceſſionibus, & precibus &c. agendis, Indorum, & Æthiopum, ſeu quorumuis aliorum Neophytorum, &c.* Similia apud citatos extant: cùm ergo ſic ſubditur: *Idcirco tenore earumdem præſentium decernimus & declaramus omnes oriundos ſeu naturales ſupradictarum omnium tam Orientalium, quàm Occidentalium partium, immò etiamſi Æthiopes, Angulani, vel quarumuis aliarum tranſmarinarum regionum, etiamſi Chriſtianorum filij, & in infantiâ baptizati, vel etiam inter ſe, vel cum Europæis mixtim progeniti ſint, ad conceſſionis huiuſmodi effectum, eſſe & intelligi debere Neophytos, &c.* Cùm inquam ſic additur, conceſſio, vt dixi, non eſt ad matrimonia arctanda, ſed ad omnia in Bullâ eâdem Neophytos concernentia, contenta: omnia enim vnius conceſſionis nomine deſignantur. Quod quidem ex dubitatione propoſitâ liquet, ſic enim præmiſſum: *& inſuper quia à nonnullis dubitatum fuit, an omnes & indigenæ illarum regionum oriundi, & naturales, & Chriſtianorum indigenarum etiam baptizatorum filij, etiam in eorum infantia baptizati, iure Neophyti appellari poſſint.* Supra quæ cadit reſponſio, nullâ adhibitâ limitatione. Et quidem nulla erat ratio illam adhibendi, quandoquidem in illis totum id ad priuilegiorum congruentiam extat, quod in Indis pro eadem occurrit: immò & fortè plus aliquid, quorum miſera captiuitatis conditio talibus eſt leuaminibus confouenda.

Indiarum nomine locum regiones comprehenſa.

Et Neophytorum nomine ipſi.

Paulus V.

Aſſertio 8. illi ſtatuens de Neophytis omnium tranſmarinarum regionum.

130 Dico octauò. Si qui alij Neophyti ſint in tranſmarinis regionibus, ad eos eſt priuilegiorum extendenda communicatio. Id probo ex citatis Bullis trium Pontificum, in quibus Saraceni alijs Neophytis adiunguntur, vt poſſint ab omnibus peccatis abſolui, etiam in Bullâ Cœnæ contentis, ſicut & quicumque alij diuerſarum terrarum incolæ, ad quas Hiſpani & Luſitani penetrant. Quod etiam eſt ad priuilegia alia extendendum, ob ſimiles rationes. In priuilegio etiam circa diſpenſationes in matrimoniis ſic dicitur, vt iam vidimus: *vel quarumvis aliarum tranſmarinarum regionum.* Et in Bullâ Pauli V. circa matrimonia & Baptiſmum, cui alia eſt ſimilis Vrbani VIII. ſic habetur: *In quibuſuis Orientis, Braſiliæ, Peru, Nouæ-Hiſpaniæ, & alijs vltramarinis regionibus, inſuliſque Oceani maris, &c. vt cum Neophytis ibi exiſtentibus, &c.* Quod intelligendum iuxta dicta *Aſſertione 6.* vt etiamſi in Indiis, aut regionibus dictis, non exiſtant, ſed in Europâ, aut alibi, priuilegijs vti poſſint, quia perſonalia ſunt.

Aſſertio vltima circa mixtim progenitos.

Dico vltimò. Circa mixtim progenitos videnda quæ diximus *Titulo 5. num. 244. & ſeqq.* & relegenda conceſſio Pauli V. de quâ *numer. præcedent.*

CAPVT VII.

De communicatione Indicorum Priuilegiorum inter Religiones.

Circa hoc non leues item difficultates, vnde nec leuiter, breuiter tamen, diſcutiendæ ſuccurrunt.

Prima

Prima eſt: An omnes Religiones communicationis priuilegium habentes, poſſint in Indijs illo potiri.

QVod quidem eatenus quæri poteſt, quatenùs Religiones aliquæ Sedem fixam in illis non habent, ex quibus tamen Religioſi nonnulli aduenire ſolent, vel cum Prælatorum licentiâ, vel fortè aliquando ſine illâ. Pro quo & difficultatatem ſpecialem mouere poteſt, ſi licentia quidem Prælatorum ſit, ſed non Regis, aut è contra.

Aſſertio 1. Religioſos gaudere priuilegijs in Indijs, etiamſi ſedem fixam non habeat eorum Religio.

131 Dico primò. Si Religioſus cum licentia Regis & Prælatorum veniat, vti priuilegiis poteſt iuxta amplitudinem communicationis. Id probo; quia quòd Religio aliqua non habeat Sedem fixam in Indiis, non inuenitur pro obſtaculo appoſitum in aliquâ Pontificiâ deciſione. Et prætereà. Religioſus talis poteſt eſſe miniſter vtilis vineæ Indicæ, & pro dato ſibi talento in eâdem laborare: ergo & beneficiis illis frui, quæ Miniſtris Indicis communicata reperiuntur. Videatur P. Thomas Sancius *in Opere Moral. Lib. 6. Cap. 8. num. 35.*

Aſſertio 2. ſufficere licentiam Prælatorũ, etiam ſi Regis non ſit.

132 Dico ſecundò. Religioſus dictus cum licentia ſuorum Prælatorum veniens, poteſt etiam beneficio communicationis frui. Colligitur ex P. Sancio *ſuprà*. Et probatur: quia licet ab Alexandro VII. fuerit lata excommunicatio contra tranſeuntes ſine licentiâ Regis Catholici ad Indias Occidentales, ea modò non ligat; vt benè obſeruat P. Quintan. *tom. 2. tr. 6. ſingul. 4. n. 2.* poſt Emmanuelem Rodericum *Tom. 2. qq. regul. q. 99.* vt ab eo citatur, ſed reuerà. 100. *art. 7.* & rationẽ addit ex eo quòd non fuerit legitimè promulgata; quod tamen incertum eſt: vel quia iam decidit à memoriâ hominum, & inuincibiliter ignoratur: quod etiam nõ videtur vrgère, quia ſaltem ligabit eos, in quibus notitia illius fuerit, iam enim non dicentur inuincibiliter ignorare. Aut quia non fuit lata per modum ſtatuti perpetui, ſed per modum ſententiæ, quæ eſt ab homine, & cum homine finitur; & ideò iam ceſſauit. Quòd minùs eſt veroſimile: nam ex tenore Bullæ redargui poteſt, quæ eſt illa celebris, de quâ *Titulo 1. Cap. 1. & ſeqq.* in eâ enim Pontifex cùm acceſſum prohibeat ſub excommunicatione latæ ſententiæ, ſubdit: *Abſque veſtra, ac hæredum, & ſucceſſorum veſtrorum prædictorum licentiâ ſpeciali.* Hæc ille: iuxta quæ euidens apparet vltra vitæ ſuæ ſpatium præceptum extendiſſe, cùm licentiam hæredum ac ſucceſſorum habendam eſſe determinet. Dici ergo poteſt pœnam hanc non fuiſſe vſu receptam: cuius ratio eſſe potuit, quia donatio Pontificis ab omnibus probata non eſt, & circa eam docti aliqui dubitarunt: vnde & conſequenter prohibitio nauigationis, & ita pœna excommunicationis non eſt executioni mandata: tum repugnantibus iis, quorum id intererat, tum ad denuntiationem numquam Eccleſiaſticis iudicibus deuenientibus. Et tales eſſe aliquas in Iure, Doctores communiter obſeruant, & frequentiùs in Extrauagantibus.

Excommunicatio Alex. VII. cur nõ liget ratio nes enarrat.

Soluta proponitur.

Non eſſe mortale ſine licentia dicta trãſire, nec vſũ priuilegiorum impedirĩ.

133 Hoc ergo circa excommunicationem conſtante, non videtur aliunde ex non habita licentia Regis priuilegiorum vſum impediri. Pontifex enim non impedit, cùm licentiam petendam non iubeat rigoroſo præcepto: neque Rex impedire ea poteſt quæ ad forum interius ſpectant. Neque Epiſcopus, ſi aliàs Confeſſarium approbet, aut in iis, quæ ad forum pœnitentiæ non pertinent, ob Religioſorum exemptionem. Neque Prælatus proprius, dum licentiam confert. Et cùm talis, vt diximus, vtilis miniſter eſſe poſſit, de beneplacito omnium prædictorum eſt præſumendum, vt negotium publicum fructuoſiùs peragatur.

Aſſertio 3. nõ frui ſine Prælatorũ licentia venientes.

134 Dico tertiò. Si Religioſus ſine licentiâ ſuorum Prælatorum ad Indias, aut regiones alias tranſmarinas ſe conferat, nequit beneficio communicationis potiri. Sic Doctores, quos adducit P. Sancius *ſuprà*, id generaliter aſſerentes de quocumque modo recedentibus, quod & ipſe videtur tenere, dum pro ratione, vt gaudeant illis, reddit licitam diſceſſionem. Verum eſt tamen eumdem *num.* 34. de Apoſtatis loquentem, affirmare iuxta Concilij Tridentini decretum *Seſſione 25. de Regularibus, Cap.* 19. eos tantùm priuilegiorum participatione priuatos, qui recedunt à Religione habitum dimittentes, eò quòd prætendant Profeſſionem fuiſſe nullam. Ex quo ſequitur de fugitiuis id potiùs aſſerendum, contra quos non inuenitur Pontificia alia diſpoſitio, vt debeant priuilegiorum participatione priuari. Sed nihilominùs, quidquid de alijs priuilegiis ſit, circa Indica eſt ratio ſpecialis: nam mens Pontificum talis eſſe videtur, dum Religioſos ad Indias eatenus tranſire volunt, quatenus tales ſint, qui negotio amplificandæ fidei deſeruire poſſint, iuxta eas qualitates, quas *Titulo 1. Cap. 3.* digeſſimus: *Probos, & Deum timentes, &c.* quorum nihil in iis, de quibus loquimur, eſt videre. Et peccarè eos grauiter excuſſo obedientiæ jugo cõmuniter Doctores affirmant: pro quo videri poteſt ſpecialiter P. Suarez *Tomo 4. de Religione, Tractat. 8. Lib. 3. Cap. 1. num. 2.* & P. Palaus *Tomo 3. Diſput. 4. de voto obedientiæ, Puncto 16. num. 1.* & quidem cùm à nullo miſſi ſint, non debent gaudere eorum priuilegiis, qui mittuntur: ſunt namque intruſi, & intruſis nullum ius competit in iis, reſpectu quorum intruſi cenſentur. Doctores autem qui priuilegia non videntur auferre, de illis loquuntur, quæ Religioni generaliter adnexa ſunt, & ad ſtatûs decentiam pertinent, non de iis, quæ ſpecialibus Miniſtris ex peculiari delegatione ob miniſterium commiſſum deferuntur. Res certè ex ſe videtur comperta, & omnino ita exiſtimandum & practicandum à Prælatis, ne fugitiuos iſtos fauor in ſuo perniciabili receſſu detineat, & fructum ac commodum ex continuatione criminis videantur reportare, contra ſacrorum Canonum pronuntiata: neque eſt ſimile quod habet P. Pellizarius *Tractatu 8. Cap. 3. num. 17.* vbi ait non eſſe improbabile Regularem, qui ſine licentia Prælati, approbatus tamen ab Ordinario, Confeſſiones audit, vti poſſe priuilegijs ſuæ Religionis: nam caſus ille eſt ſingularis, & non adæquabilis, in quo abſolutè negant Miranda, & Emmanuel Rodericus apud eumdem.

Gemina ratio ex mente Põtificum.

Grauiter peccare recedentes.

Ex caſu alio non benè argui.

Aſſertio 4. gaudere cũ ſola Regis licentiâ tranſeuntes, priuilegijs Indicis.

135 Dico quartò. Si Religioſus cum licentia Regis veniat, non obtentâ ſubreptitiè, ſed quia Rex eum vult contra Prælatorum tranſmittere voluntatem; dici probabiliter poteſt non eſſe priuilegiorum communicatione priuatum. Probatur; quia cùm Regi cura mittendorum

Digitized by Google

dorum Miniſtrorum cum obedientiæ ſit præcepto commiſſa, vt conſtat ex citatâ Alexandri VI. Bullâ; etiamſi Prælati inferiores abnuant, præſumi poteſt non eſſe miſſionem dictam contra Pontificis voluntatem. Pro quo videri poteſt citatus Emmanuel *Tomo 1. qq. regular. quæſt. 56. artic. 11.* vbi poteſtatem delegatam Pontificis in Regibus Catholicis agnoſcit ad huiuſmodi ampliſſimam diſpoſitionem. Item. Quamuis Prælati inuiti videantur quoad illam, eâ tamen poſitâ credendi ſunt voluntatem ſuam Regis voluntati tandem conformare, vt decenter & fructuosè fiat, quod ab illo eſt conueniens iudicatum. Si tamen licentia Regis talis ſit, vt nullum ſpeciale negotium Regij ſeruitij delatum Religioſo huiuſmodi deprehendatur, ſed vt concedi communiter aliis ſolet, ſubreptitia cenſenda eſt; quia Regi tranſitus iſti Religioſorum graues & moleſti accidunt, & multis ſchedulis eorumdem reuocationem ad ſua monaſteria ſolet Indicis gubernatoribus imperare.

Quæ licentia non probanda.

Aſſertio 5. Prælatos Indicos tenens transfugas non admittere ad altaris miniſterium.

136 Dico quintò. Prælati Eccleſiaſtici Indiarum permittere non debent vt prædicti fugitiui Miſſam celebrent. Quod quidem non ex eo probandum, quòd excommunicatione innodati ſint, quamuis id multi Doctores affirment; contrarium enim communior ſententia tenet, pro quâ videri poteſt P. Suarez *ſuprà num. 3. & 10* & P. Sancius *num. 46.* & P. Palaus *num. 8.* Quod ex communicatione à Iure intelligendum eſt: nam per ſtatuta Religionum ſtare poteſt vt eam incurrant. Sed quia in malo ſtatu ſunt, & fauore, vt diximus, fieri poterunt deteriores. Quod ſi in Tridentino *Seſsione 22. in Decreto de obſeruandis & euitandis, &c.* Sic præcipitur: *Singuli in ſuis Diœceſibus interdicant, ne cui vago & ignoto Sacerdoti Miſſas celebrare liceat.* Quomodo non debeant id apertè criminoſis prohibere? Pro quo ſequentia vrgent: *Neminem præterea, qui publicè & notoriè criminoſus ſit, aut ſancto altari miniſtrare, aut ſacris intereſſe permittant.* Licèt enim ſine licentiâ venientes publicè & notoriè criminoſi non ſint, quia de licentiæ defectu non conſtat: timeri tamen meritò poteſt eos tales futuros; vt temeritas fugæ ſuadere, & experientia perſuadere poteſt, non ſine lamentabili dedecore Religionum.

Concilium Tridentinũ quid circa tales.

Secunda difficultas. Quæ Religiones habeant priuilegium communicationis in Indijs.

Aſſertio 6. circa Sacerdotes in Religione B. Ioannis Dei.

137 DIco ſextò, vnumquemque Religioſum debere id ex Inſtituti ſui legibus habere perſpectum. Inter Religiones autem, quæ in Indiis ſunt, Religio B. Ioannis Dei eam non videtur habere. Quòd ſi habere contingat, dubitari poteſt de Sacerdotibus in illâ iam præter inſtitutionem admiſſis. Et videtur dicendum non eâ potiri in ordine ad Indica priuilegia pro Eccleſiaſticis miniſteriis, quia tantùm in eâ permittuntur, vt Religioſi laici, ex quibus corpus Religionis coaleſcit, habeant à quibus poſſint recipere Sacramenta, vnde eorum non debet iuriſdictio prorogari, niſi ad ſummum ad Confeſſiones ſæcularium; cùm aliàs Religioſi huiuſmodi parùm litterati ſint, vt diſpenſationes, & alia nequeant illis ſecurè committi. Sunt etiam Sacerdotes aliqui ex Equeſtribus Ordinibus D. Ioannis, D. Iacobi &c. de quibus dubitari etiam poteſt, & reſolutio præcedenti ſimilis eſt futura: Religiones enim tales ad militandum ſunt inſtitutæ, & non pro Eccleſiaſticis miniſteriis: quòd ſi Sacerdotes habent, ad eorum tantùm domeſticum commodum admittuntur; & ad ſummum vt in Commendarum loco Curati eſſe poſſint. Cùm ergo corpus talium Religionum capax Indicorum priuilegiorum non ſit; neque Sacerdotes, qui veluti per accidens adhibentur, cenſendi ſunt eorumdem poſſe communicatione gaudere, quia acceſſorium ſequitur principale. Nec tamen deerunt qui ſecùs ſentiant: quod tunc erit ſimilius vero, cùm aliqui ad miniſterium altaris in Religionibus dictis admittuntur: ſi verò poſt receptum habitum equeſtri more Sacerdotes fiant, vt videmus aliquos non raro facere: vel cùm Sacerdotes ſint, equites auratorum calcarium conſtituantur, quod & videmus aliquoties: nullo modo apparet veroſimile prædictâ poſſe communicatione potiri: quia habitus tunc minimè pro Eccleſiaſticis miniſteriis aſſumitur, ſed ad teſtimonium & incrementum nobilitatis, & ſacerdotio valde materialiter adhæret.

De Equeſtrium Ordinum Religioſis.

Aſſertio 7. de Monialibus, pro quibus affirmatur.

138 Dico ſeptimò. Moniales in Indiis exiſtentes frui poſſe omnibus Indicis priuilegiis, quæ earum ſtatui congrua eſſe poſſunt, ſiue quoad perſonas, ſiue quoad loca. Id probo: quia Moniales fruuntur priuilegiis conceſſis Ordinibus, quos profitentur. Quòd benè oſtendit Emmanuel Rodericus *Tomo 1. qq. regul. quæſt. 42. artic. 20. & q. 55. art. 13. 14. & 15.* & P. Quintanad. *Tomo 1. Tract. 8. ſingul. 16.* aliique quos adducit & ſequitur Diana *Parte 10. Tractat. 13. Reſol. 24.* Ex quo fit quòd ſi Religiones habeant communicationem generalem priuilegiorum, ſicut viri eâ gaudent, ita & Moniales. Et cùm illæ, quæ in Indiis ſunt, ad Religiones ſpectant, quæ generalis communicationis priuilegium habent, eiſdem gaudere poſſunt, ſi earum ſint ſtatui accommodata. Et licèt in aliquibus conceſſionibus, de iis Monialibus loquantur Pontifices, quæ ſub obedientiâ Prælatorum eiuſdem Ordinis ſunt, vt videri poteſt apud Fr. Emmanuel. *ſuprà*, & Dianam §. *Sed difficultas*, vbi & alij; aliæ tamen conceſſiones ſine aliqua limitatione procedunt; neque eſt ratio cur fieri talis diſtinctio debeat, cùm Religio eadem quoad ſubſtantialia vota permaneat, & quoad alias Regulares obſeruantias diſcrimen nullum habeatur: & experientiâ quidem compertum habetur Moniales, quæ ſubiectionem præſtare Prælatis Ordinum recuſarunt, non ex laxioris vitæ ſtudio, ſed ex bonis aliis rationibus, quibus annuerunt Pontifices, tale aliquid effeciſſe. Priuilegia autem, quæ ſtatui & loco accommodata eſſe poſſunt, ea ſunt quæ ad forum pœnitentiæ, & diſpenſationes non ſpectant, vt quæ ad recitationem Horarum, ieiunia, & alia, pro quibus ſit

Tertia

Digitized by Google

Tertia difficultas, Vtrum prædicta communicatio ad Feſta Ordinum extendatur, vt, quæ pro aliquibus in ſpeciali conceſſa ſunt, ad omnia poſſint ſimilia in Religionibus cunctis prorogari.

Priuilegia pro communicatione in Feſtiuitatibus.

139 EX adductis *numer.* 116. videtur affirmatiuè reſpondendum: ibi enim Iulium Secundum poſt Leonem X. expreſsè concedentem vidimus *de Feſtiuitatibus ad Feſtiuitates.* Vbi quidem de Religionibus Prædicatorum & Minorum ſpecialiter pronuntians ſic ſubdit: *Ita quòd ea, quæ in honorem Sanctorum Dominici, Petri Martyris, Thomæ de Aquino, Catharinæ de Senis, Fratribus, vel locis Prædicatorum ſunt conceſſa; omnia illa Fratribus Minoribus præfatis, eorumque locis, & Feſtiuitatibus Sanctorum Franciſci, Antonij, Ludouici, Bernardini, Bonauenturæ, quinque Martyrum dicti Ordinis, qui apud Marioquium Martyrij coronam adepti ſunt, & S. Claræ, ac in alijs Feſtiuitatibus dicti Ordinis Minorum, licet ſint in maiori numero, quàm Feſta ipſorum Fratrum Prædicatorum, ſint, & intelligantur conceſſa.* Sic Pontifex. Ex quibus ita philoſophatur Fr. Emmanuel *Quæſt.* 55. *citata. artic.* 20. vt priuilegia quæ ad Iubilæa & Indulgentias ſpectant, ſint communia. Quòd autem Diui Hyacinthi mentio facta non ſit, ſicut neque etiam Sancti Didaci, quia nondum erant catalogo Sanctorum adſcripti, non tollit quominùs ſimilibus gratiis eorum debeant Feſta decorari: nam Sixtus V. Indulgentiam plenariam conceſſit viſitantibus Eccleſias Minorum in Feſto S. Didaci. Et quia Religio Prædicatorum habet priuilegium communicationis, poteſt in die S. Hyacinthi ſimilis Indulgentia comparari. Et quia à Clemente Octauo conceſſum eſt, vt in Feſto S. Didaci poſſint Fratres Minores, & Moniales S. Claræ in ſuis Eccleſiis Interdictum ſuſpendere; ita in Feſto S. Hyacinthi Fratribus Prædicatoribus debet intelligi eſſe conceſſum.

Iulius II.

Modus philoſophandi Fr. Emmanuelis circa illa.

Nonnullæ difficultates contra illum proponuntur.

140 Circa quæ quidem notandum occurrit, id quod Auctor dictus de S. Hyacintho ait, ad S. Antoninum, potuiſſe meliùs applicari, quia eius Canonizatio multò prior extitit, ſicut & ad S. Vincentium Ferrerium, propter eamdem rationem, aut certè maiorem, quia prior D. Antonino honorem Canonizationis accepit, à Caliſto ſcilicet tertio: cùm alter ab Adriano VI. Diui autem Raymundi non meminit, quia cùm ſcribebat, nondum erat inter Sanctos ritu ſolemni proclamatus: ſed pro eo conſtat rationem eamdem militare. Quanta ergo Sanctis ad communicationem concurrentibus eorum, quę pro Feſto S. Didaci conceſſa ſunt, cui eorũ debeat concedi, ſi non ſuffragatur antiquitas, dubium prorſus negotium eſt, vnde & videndum quis poſſit litẽ iſtam terminare. Deinde. Cùm in Bullâ præfatâ ita aperta conceſſio ſit, vt de Feſtiuitate ad Feſtiuitatem valeat extenſio, non eſt cur ad generalis communicationis priuilegium pro hoc recurrere debeamus. Item, pro Diui Hyacinthi feſto ſpecialis conceſſio eſt, vt patet ex Bulla Canonizationis, in qua Clemens Octauus omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui in eius die Feſto Eccleſias, vel altaria in ipſius honorem conſtructa, deuotè viſitauerint; eaſdem Indulgentias, & peccatorum remiſſiones concedit, quæ ceteris dicti Ordinis Monaſteriis & Eccleſiis, in diebus feſtis eiuſdem Ordinis Sanctorum conceſſa fuerant. Prætereà. Sicut circa Interdictum, non ſolùm in Eccleſiis Minorum, ſed etiam in Eccleſiis Monialium S. Claræ ſuſpendi poteſt in die S. Didaci: ita conſequenter videtur dicendum, vt non ſolùm in Eccleſiis Fratrum Prædicatorum, ſed etiam S. Catharinæ Senenſis; vel, ſi hoc iam erat conceſſum, in Eccleſiis S. Agnetis Politianæ, debeat ſimiliter in Feſto S. Hyacinthi ſuſpendi.

Ad omnes Ordines conceſſio extendi aliquorum ſententia, etiam quoad Iubilæa, & Indulgentias.

141 Quidquid autem de hoc ſit, doctrinam citati Auctoris generaliter quidam amplectuntur, vt ad omnes Ordines debeat priuilegium communicationis extendi, de quorum pluribus diſſerit ille *quæſt.* 55. *citata.* Nec ſolùm id de Indultis aliis intelligendum, ſed de Indulgentiis ac Iubilæis, etiamſi ſpecialiſſima illa ſint, vt eſt Iubilæum Portiunculæ. Sic P. Ioannes Perez Menacho *Diſput.* 4. *de Priuilegiis Dub.* 2. & 3. vbi pro eo alios adducit. Et quidem quia Emmanuelis doctrinam videntur amplecti, vel quia ex eorum principiis ſequitur. Et vt alios omittamus, negari nequit P. Suarium eidem ſuffragari, qui *Lib.* 8. *de legibus, Cap.* 18. *num.* 7. ita ſcribit: *Quod conceditur vni Religioni reſpectu ſuorum Sanctorum, communicatur alteri reſpectu ſuorum: idemque de locis, Feſtiuitatibus, & aliis ſimilibus intelligendum eſt. Sicut quod conceditur vni Religioni reſpectu ſuorum Nouitiorum vel Familiarum, communicatur alteri reſpectu ſuorum; quando communicatio Priuilegiorum in genere, vel talis Priuilegij in particulari, abſolutè, & ſine aliâ declaratione fit. Quia ex ipſa materiâ ſatis conſtat, hac intentione & proportione fieri talem communicationem. Atque ita declaratam eſſe à Iulio ſecundo, inter Prædicatores & Minores, refertur latè in Supplemento, & ab Emmanuele Roderico dictâ Quæſt.* 55. *artic.* 20. *Tamen cum proportione ad omnia ſimilia priuilegia eſt applicanda, vt reſpectiuè intelligatur facta communicatio. &c.* Ex quibus conſtat, iuxta mentem Eximij Doctoris, non aliter iudicandum quando communicatio generalis eſt, quàm cùm eſt ſpecialis. Et pro comprobatione conceſſionem Iulij Secundi pręfatam adducit & Emmanuelem ipſam adducentem. Iam quòd conceſſio illa communis Religionibus ſit priuilegium communicationis habentibus, non videtur poſſe negari: ergo cum proportione eſt earum Feſtiuitatibus applicanda, non ſecus acſi in dicto priuilegio expreſſæ penitus haberentur. Quod & tenent expreſsè Hieronymus Rodriguez in *Compendio qq. regular. Reſolut.* 116. *num.* 52. & Fr. Ioannes Baptiſta in *Animaduerſionibus prò Confeſſarij Indorum, pag.* 157. *num.* 38. & *pag.* 311. *num.* 20. Vbi cùm prædictum priuilegium proponat, quoad illius intelligentiam refert ſe ad locum prioris citationis, in quo aliud pro Feſtiuitatibus etiam habet, & illud eſſe commune, ratione communicationis oſtendit. Quod & de eodem loquens tenet Iuniparus *Tractatu de Caſibus reſeruatis Parte* 1. *ſecundæ. Diſputat.* 6. *Cap.* 1. *num.* 7. & alij: licet non rectè ſentiant, dum contendunt perſeuerare non obſtante iteratâ prohibitione Pontificum circa reſeruata.

P. Suari

Digitized by Google

Qui negant quoad prædicta.

142 Alij tamen communicationem vniuerſalem quoad Indulgentias non admittendam exiſtimant, ex quibus aliquos adducit Diana, & ſequitur *Parte* 9. *Tract.* 2. *Reſolut.* 20. & ante eum P. Quintanad. *Tomo* 1. *in Appendice Tract.* 4. *Dub.* 8. qui tamen *Dubio* 9. moderationem proponit, iuxta quam poſſit priuilegium communicationis ſubſiſtere, nec tamen inconuenientia communicationis ſentiri. Ait ergo Primò omnes Indulgentias & Iubilæa Religioſis immediatè conceſſa, aut perſonis adiunctis, omnino eſſe communia. Secundò. Quæ immediatè & directè ſæcularibus conceduntur, in omnibus Eccleſiis eius Ordinis obtineri poſſe, cuius eſt locus deſignatus, niſi aliud exprimatur. Regulares autem cuiuſcumque Ordinis in ſuis Eccleſiis ea poſſe lucrari. Eſt autem indicium immediatæ conceſſionis pro ſæcularibus, cum ad illos conceſſio dirigitur vſitatâ formâ: *vniuerſis Chriſti fidelibus &c.* & quod ad extenſionem pro ſæcularibus in diuerſorum Ordinum Eccleſiis, ex declaratione habetur Leonis X. in Bullâ communicationis, de quâ *num.* 116. Tertiò, Iulium Secundum de Indulgentiis non locutum, ſed de fauoribus aliis, vt ſuſpenſione Interdicti, & ſolemnitatis alicuius additione: vti eſt ea, quæ ex recitatione Symboli Nicœni in Miſſâ poteſt accreſcere: & quam habent Patres Franciſcani pro Sanctorum ſuorum celebratione. Circa ſæculares ergo nihil eſt commune ex Indulgentiis & Iubilæis: licet ſit quoad Religioſos ipſos modo dicto. Et hunc philoſophandi modum videtur probare Diana, quatenus in ordine ad modum communicationis in Iubilæis & Indulgentiis inter Regulares ad P. Quintanam remittit lectorem.

Temperamentum P. Quintanad.

Negantiũ fundamẽtum.

143 Præcipuum eorum fundamentum ex praxi deſumitur: communicationem enim prædictam deteſtatur conſuetudo; ſecundùm quam priuilegia eſſe interpretanda, communis eſt Scriptorum doctrina. Et talis eſſe videtur Fidelium ſenſus, doctis etiam id probantibus. Quis enim Iubilæum vnius Ordinis Eccleſiæ conceſſum, in alterius Ordinis Eccleſiâ lucraturus pergat? Accedit, quod & illi non addunt, fruſtrà à Pontificibus Iubilæa peti pro Feſtis, quandoquidem beneficio communicationis in Religionibus illa exuberant, ſi ita eſt intelligenda. Quibus poſitis

Aſſertio 8. Omnia pro Feſtiuitatibus eſſe communia.

Dico octauò. Quidquid ſpecialis fauoris eſt, extra Indulgentias & Iubilæa, quod ad Feſtiuitates Sanctorum ſpectat, communicationis beneficio debet Religionibus eſſe commune. Sic citati: qui circa hoc ſaltem debent conuenire ſuppoſitâ communicatione in iis, quæ Iulius Secundus in ſua illa pariformitate concedit.

Aſſertio 9. Probabile idem de Indulgentiis.

144 Dico nonò. Quoad Iubilæa, & Indulgentias pro Feſtiuitatibus conceſſa, probabile eſt communicationem extendi, ita vt non ſolùm Regulares, ſed ſæculares etiam poſſint illa in eorum Eccleſiis indifferenter obtinere. Sic citati, & probatur ex tenore conceſſionis, de quo *num.* 139. ampliſſima enim eſt. *Ita quòd ea quæ in honorem Sanctorum Fratribus, vel locis ſunt conceſſa, omnia illa Fratribus eorumque locis, & Feſtiuitatibus &c.* Atqui Indulgentiæ & Iubilæa in aliquo vero ſenſu dici poſſunt Fratribus, locis, & Feſtiuitatibus concedi: ergo ſub tali generalitate fuiſſe comprehenſa, poteſt veroſimiliter affirmari.

Probatio efficax ex iis, quæ aduerſantes admittunt.

Quod efficaciter vrgeo. Nam quidquid afferri contra hoc poteſt, contra id militat, quod de extenſione admittitur Indulgentiarum & Iubilæorum pro ſæcularibus ad omnes Eccleſias Ordinis illius, pro quibus dicuntur eſſe conceſſa. Rogo enim vnde hoc colligatur? Leo X. ſolùm loquitur de Indulgentiis conceſſis viſitantibus Eccleſiam S. MARIÆ de Populo; vnde concludit prohibens ſub excommunicatione latæ ſententiæ ne Fratres cuiuſcumque Ordinis, & quilibet alij *deinceps Indulgentias & gratias S. MARIÆ de Populo de Vrbe ad ſaculares extendi prædicent, aut publicè, vel priuatè nuntient.* Quòd ſi videatur neceſſariò concedendum ex prædicta prohibitione ſequi, idem generaliter dicendum, quia Pontifex ibi non potuit ſiniſtram interpretationem eorum carpere, niſi ob generalia principia: circa conceſſionem enim pro Eccleſiâ dictâ nihil ſpeciale occurrebat, propter quod de illa aliter deberet iudicari. Ex eo argui poteſt: nam Pontifex, cùm extenſionem prohibet reſpectu ſæcularium, abſolutè loquitur, & nullum addit verbum, ex quo deduci poſſit diſcrimen illud de diuerſis aut eiſdem Ordinibus, quod & cõcluſio illa ſatis oſtendit: *ne ad ſæculares extendi prædicent.* Et nihilominùs, eo non obſtante, extenſio talis vt veroſimilis admittitur: ergo & locũ habere etiam poteſt, quæ fit reſpectu omniũ religionũ communicationis habentium priuilegium.

Leonis X. prohibitionem ſpecialem non vrgere.

Neque exclamationes quaſdam eorumdem.

145 Non video autem quid vlteriùs vrgeat, niſi exclamationes illæ: quis vnquam cogitauit quòd virtute Iubilæi conceſſi in die S. Bonauenturæ, lucrentur Fideles illud in die S. Hyacinthi in Ordine Prædicatorum? quis item dixit Portiunculæ Iubilæum lucrari poſſe Fideles, vel hoc vel alio die, in Societate IESV? aut quòd Iubilæum Doctrinæ Chriſtianæ, & Communionis ſingulis menſibus faciendæ, lucrentur in Eccleſiis S. Franciſci, S. Dominici, *B. MARIÆ de la Merced*, & aliorum Ordinum? &c. Ad quæ quidem reſponderi poteſt ſimilibus ferè exclamationibus. Quis enim excogitauit quòd virtute Iubilæi conceſſi viſitantibus Eccleſiam S. Crucifixi Burgenſis in eius Feſto, lucrentur illud Fideles viſitantes Eccleſiam quamlibet in Indiis Auguſtinienſium Patrum? quis item dixit Iubilæum conceſſum viſitantibus Eccleſiã, in quâ eſt corpus B. Franciſci, à viſitãtibus Eccleſiã quamlibet Patrum Minorum in Philippinis obtineri? quis Iubilæum Miſſionum in qualibet Eccleſiã Societatis, etiam remotioris oppidi, Fideles conſequi? Si dicatur eſſe qui ita & cogitauit, & dixit: circa priora pariter reſpondendum. Admiratio autem huiuſmodi ex ignorantiâ oriri ſolita: vnde admoniti de priuilegio communicationis, mirari deſinent, & Deo, eiuſque Vicario in terris gratias agent, qui theſaurum Sanguinis Chriſti ſic largiter profuderunt. Addendum item, circa Iubilæa aliqua poſſe de mente Pontificum ſpecialem notitiam haberi, & ita non cenſenda communia. Quod de aliquibus Societati conceſſis ob peculiaria miniſteria poteſt veroſimiliter affirmari: ea enim ſi vellent Religioſi obire alij, fructus fortè non creſceret, ſed æmulatione potiùs minueretur. Praxis autem contraria, quod eſt aduerſæ poſitionis fundamentum, ex incertitudine

Contra quas alia proponuntur, ex eorumdem doctrina.

Limitatio aliqualis.

Praxim non vrgere.

Digitized by Google

dine alterius ſententiæ prouenit, quæ tantùm probabilis aſſeritur: vnde etiam prouenit, vt magis peculiares Iubilæorum conceſſiones curentur impetrari. Et quidem praxis contra extenſionem illam ad Eccleſias eiuſdem Ordinis etiam militat, vnde & Iubilæa aliter conceſſa Commiſſarij S. Cruciatæ publicari nequaquam patiuntur.

Aſſertio 10. Conceſſa pro Feſtis cum proportione applicanda quæ explicatur.

146 Dico decimò. Conceſſa pro Feſtis Sanctorum in præfatis Bullis, cum proportione applicanda ſunt Feſtis Sanctorum cuiuſlibet Ordinis priuilegium communicationis habentis. Sic præter citatos P. Palaus *Tomo 1. Tract. 3. Diſput. 4. Puncto 2. §. 9. numer. 5.* Etiamſi Sancti Canonizati non ſint. Id probo. Nam in conceſſione dictâ numeratur Feſtum SS. Martyrum Marroquienſium: illos autem non eſſe ſolenni Canonizatione hucuſque decoratos cum Caſtellino dixi in *Amphitheatro Miſericordiæ*. Quod etiam conſtat: quia illi in Officiis ſacris, & in Miſſâ, vocantur Sancti, & illorum Feſtiuitates ſimiles ſunt Feſtiuitatibus aliorum; & aliquando celebriores, ob populorum deuotionem: licet à ſacrâ Rituum Congregatione nonnulla circa Beatificatos prudenti ſcit animaduerſione diſpoſita, quæ tamen dictis nequeunt obſtare, cùm Feſtiuitas & celebritas abſolutè concedatur.

Aſſertio 11. Communicationem inter Indias & Hiſpaniam in præfatis extare.

147 Dico vndecimò. In Indiis communicatio dicta ſimiliter procedit: vnde quæ Prouinciis Hiſpaniæ in hoc genere conceſſæ fuerint, ad illas ſine ſcrupulo poſſunt extendi. Quando ſcilicet Regularibus celebrationes cum officio & Miſſâ Sanctorum aliquorum, aut myſteriorum quorumdam conceduntur. Circa Beatificatos tenenda à Pontificibus decreta menſura. Si verò non Regularibus, licet ad eorum inſtantiam, ſed regnis ſpecialibus concedantur, alia eſt ratio, quia inter regna non eſt priuilegiorum communicatio, aut priuilegium communicationis. Et dubitatum quidem fuit an conceſſa pro regnis Caſtellæ, ad Bœticam poſſint extendi: circa quod P. Quintanad. *Tomo 1. Tractatu 7. Singulari 26.* vti probabilem partem affirmantem ſtatuit, & reuerà talis eſt: & ita Feſtum S. Iſidori Agricolæ poſſe in eâ cum Octauâ celebrari ſpecialiter reſoluit. Quia verò Indiæ Occidentales, quæ ad regnum Caſtellæ ſpectant, & acceſſoriè regnis Caſtellæ & Legionis vnitæ ſunt, ac per conſequens eiſdem legibus & moribus gubernantur, vt eruditè probat Dom. Solorzanus *Tomo 1. de earum iure Libr. 3. Cap. 1. numer. 46. & ſeqq. & Tomo 2. Lib. 2. Cap. 30. num. 40. & Lib. 3. Cap. 25. numer. 15.* viſum nonnullis, ſimilem poſſe fieri extenſionem. Quod roborari poteſt ex eo quòd ob prædictam rationem publicatio Bullæ Cruciatæ pro regnis Hiſpaniæ conceſſa, ad Indias eſt propagata, vt teſtatur Auctor idem *num. 15. citato.* Quod equidem multò maioris momenti eſt quàm vt de hoc aut illo Sancto, vno vel alio modo, ſeruatis Romanæ Eccleſiæ ritibus celebretur.

Regnis Caſtellæ conceſſa pro Indiis non ſuffragentur. Et quid pro eo faciat.

Contrariū quæ probet, quod ſecuti aliqui.

148 Nihilominùs alij contrarium cenſuerunt, & Illuſtriſſimus Archiepiſcopus Limanus vetuit D. Iſidori Feſtum, non ſolùm cū Octauâ, ſed etiam ſine illâ celebrari, quia extenſio iſta nimis laxa videbatur. Et de Bœtica quidem meritò dubitatum eſt: probabilis tamen aſſertio; probabilis inquam, non certa, pluribus placuit. Quid ergo de Indiis æquum fuerit cenſeamus? & quidem quòd Bœtica Caſtellæ ſit nomine comprehenſa, multa probant, in quibus & Indiarum vſitatiſſima loquendi forma: merces enim Caſtellæ dicuntur ex Bœtica etiam aſportatæ: & ad dictorum adſtruendam fidem ſic dici ſolitum: *Sic me Deus in Caſtellam deducat*: etiamſi pro Bœtica tantum contingat ſuſpirare. At quòd Indiæ Caſtellæ nomine aliquando venerint, inauditum eſt, ſicut neque Hiſpaniæ: & ita Rex noſter glorioſo illo contentus titulo in Regiis ſtemmatibus, & monetis *Philippus Quartus Hiſpaniarum & Indiarum Rex Catholicus.* Quidquid ergo de communitate legum & morum ſit, quod totum ex Regio pendet arbitrio: communicationis in ſpiritualibus alia ratio eſt, in quâ non eſt à Pontificis voluntate recedendum, qui quando ad Indias ſua vult Indulta protendi, id ſolet exprimere vt facit Gregorius XIII. circa Feſta in Hiſpania peculiariter celebranda. Quod autem de Bulla Cruciatæ dicitur, non vrget, quia in eadem Bulla eſt pro Indiis expreſſa conceſſio verbis illis: *in Hiſpaniarum regnis, & Inſulis illis adiacentibus &c. & dominiis Terræ firmæ, & maris Oceani &c.* Pro quo Alfonſus Perez de Lara in *Libro trium gratiarum fol. 113.* ex quo Recentiores alij. Et ego quidem, quidquid de aliquali probabilitate ſit, morem gerendum duxi Dom. Archiepiſcopo, præſertim quoad Octauam, & conformitatem cum Metropoli decentiorem & laudabiliorem ſemper arbitratus. Cedendum tamen aliquando conſuetudini, licet non plenè aut ritè fundatæ, ne proprio addictus iudicio, cum aliquali Communitatis offenſione, quiſpiam videatur.

Ex Cruciata conceſſione argumentum eneruc oſtenditur.

Quid in facto contingentiâ.

Quarta difficultas, An communicatio procedat, etiam cùm Priuilegio adiiciuntur particulæ taxatiuæ, vt vobis tantùm, & ſimiles.

Certa quædam præmittuntur.

149 Circa hoc certum eſt communicationem nō habere locū, quomodocumq; Pōtifex ſuam inſinuet voluntatē, ita vt de eâ nequeat veroſimiliter dubitari. Quòd ſi probabiles vndecumque appareant coniecturæ, probabile etiam poterit judicium efformari, & ita probabiliter procedi, vt fauor, ſemper præcipuum locum habeat, cùm ſimus in materiâ fauorabili. Vnde ſtare poteſt, vt cum particula taxatiua voluntas contraria conſtet, & quòd illa addita tantùm ſit ad affectûs expreſſionem, vt iis ſcilicet, quibus priuilegium confertur, ſe benignum peculiariter oſtendat, etiamſi ſciat ratione communicationis beneficium ad alios peruenturum: quod illis ipſe directè non præſtat; vnde ſi aliàs communicationis beneficio carerent, minimè ad illos ſuam protenderet conceſſionem. Quando autem ita eſſe intelligendum ſit, ex circumſtantiis pendet, vt dixi, & ſic iuxta eas, ſi probabiles fuerint, procedendum. Et certè cum dicitur *Vobis tantùm, & non aliis, etiam ratione communicationis*, res eſt penitus indubitabilis: nullo enim clariori modo potuit voluntas Pontificis fieri manifeſta. Vnde difficultas ſolùm videtur eſſe circa conceſſionem

cum particulis taxatiuis, *ſolùm*, *tantùm*, *dumtaxat*, & ſimilibus, nullâ aliâ adminiculante coniecturâ. Et videri alicui poſſet veroſimilis pars affirmans: nam reuerâ contingere poteſt, vt particulæ dictæ ex ſpeciali tantùm apponantur affectu, ſine intentione impediendi communicationem: ergo, cùm non conſtat aliter adiectas, priuilegiati in ſuâ ſunt poſſeſſione, & in dubio melior eſt conditio poſſidentis. Quia verò hoc videtur difficile, cum diſtinctione loquuntur alij, dicentes, ſi communicatio præcedat, & priuilegium poſteà concedatur, communicationis effectum impediri: ſi autem ſubſequatur, omnia comprehendere. Sic Emmanuel Rodericus *Tomo 1. qq. regular. q. 18. artic. 6. qu. 55. artic. 17. & Tomo 3. q. 23. artic. 5.* Fr. Ioannes Baptiſta in *Animaduerſionibus pro Confeſſariis Indorum fol. 115.* Baſſæus verb. *Priuilegium 5. numer. 14.* & alij. Contrarium tamen tenent P. Suarez *Lib. 8. de legibus Cap. 17. num. 8.* P. Palaus *Tomo 1. Tract. 3. Diſput. 4. Puncto 2. §. 9. numer. 3.* P. Eſcobar de Mendoza *Tomo 1. Lib. 6. numer. 77.* P. Arriaga *Tomo 2. in 1. 2. Tractatu de legibus, Diſput. 32. num. 51.* vbi ſententiam P. Suarij tamquàm probabiliorem amplectitur, licet digladietur circa aliquas ab eo adductas rationes.

Pro affirmatiua parte quid faciat.

Sententia quorumdam cum diſtinctione loquentiũ.

Et abſolutè negantiũ.

150 Dico duodecimo. Cùm apponitur particula taxatiua, non eſt locus communicationi. Sic tenent communiter Doctores, dùm id aſſerunt aut ſupponunt, & P. Suarez *ſuprà* affirmat oppoſitum eſſe planè falſum, & rationem addit, *quia aliàs prohibitio eſſet vana & fruſtrà fieret.* Cui tamen quia iuxta dicta reſponderi poteſt, non eſſe vanam & fruſtraneam; eò quòd deſeruiat ad declarandum affectum in Pontifice: roboranda eſt ex eo quòd verba abſolutè prohibitionem ſonent, & aliunde non conſtat de mente Pontificis: ergo ſtandum illi prorſus eſt. Sic autem benè ſequitur fore vanam & fruſtraneam prohibitionem: quia ad ſignificandum affectum ſufficiens erat ſimplex conceſſio, quæ eamdem vim habet; & ita particulæ vim continent prohibitiuam, in ratione talis vana & fruſtranea cenſeri poteſt; quatenus nullum habet ſpecialem effectum. Sed quidquid de hoc ſit, ratio adducta vrget: cui non fit ſatis ex eo quòd mens Pontificis videatur dubia: non enim dubia eſt, quando abſolutè apponitur limitatio, & de contraria voluntate nullum extat argumentum.

Aſſertio 12. Statuens negatiuam.

P. Suarij iudicium Et ratio, qua roboratur.

151 Dico decimotertiò. Vtraque dicta ſententia probabilis eſt, ſed poſterior magis Iuri, rationi, & æquitati conformis. Primum oſtenditur. Nam relatum eſt in referente, & ſecùndùm illud debet diſpoſitio limitari, quæ ſe ad illud refert, ſiue relatum ſit iuris iam conſtituti, ſiue poſteà conſtituendi: per Textum, & Doctores quos adducit Dom. Solorzanus *Tomo 2. Lib. 2. Cap. 22. num. 38.* & alij communiter. Ergo cùm priuilegium communicationis ad priorem conceſſionem referatur, & hæc limitationem habeat, iuxta eamdem debet limitari. Secundum etiam: quia generalis conceſſio non eſt ſufficiens indicium conſtituendæ omnimodæ æqualitatis: nam per eam, vt etiam habetur in regulis iuris, non veniunt ea, quæ quis non eſſet veroſimiliter in ſpecie conceſſurus: quod hic apparet: nam cùm reſpectu præcedentium Religionum non fuerit facta conceſſio, quibus tamen generalis communicationis priuilegium eſt; neque de communicatione aliis factâ, aut etiam eiſdem, id debet præſumi: nam ſi voluiſſet, expreſſiſſet. Tertium denique: quia non apparet conueniens vt ſingularis prærogatiua, quæ Religioni alicui ob ſingularia merita conceditur, verborum tantùm generalitate, quæ ſtare cum eâ poſſunt, ſeruatâ eorum proprietate, tollatur: ſi dicas non tolli, ſed extendi ad alios ſine aliquo illius detrimento. Id quidem non ſatisfacit: nam licet non tollatur vſus, tollitur tamen prærogatiua ſingularis gratiæ, quæ quidem in decorem & excellentiam Religionis cedit. Et quidem illa ob ſpecialiſſimam aliquam rationem conceſſa eſt; & cùm Pontifex de illa mentionem non faciat, non eſt credendus reuocare: priuilegium enim priuilegio non tollitur, cuius non fit mentio, vt dictum aliàs, & habetur in *Cap. 1. de Conſtitutionibus in Sexto*, alibique.

Aſſertio 13. Negatiuã eſſe probabiliorem: ex triplici capite.

152 Factum hinc vt Epiſcopi aliqui in Indiis nullo modo adduci potuerint, vt Fratres B. MARIÆ de Mercede extra tempora, & non ſeruatis Interſtitiis, ordinarent. Licet enim priuilegium amplæ communicationis habeant, quia tamen conceſſio Societati circa id facta, communicationem tollat, viſum illis locum non habere, eò quòd priuilegium communicationis antiquius videatur, nec ſuffragaturum, etiamſi recentius, propter dicta. Circa Religiones tamen alias non ita factum ab illis. Non video autem diſcriminis rationem: aliæ enim ex eo ſibi valere priuilegiũ Societatis contendunt, quia priuilegia Societatis in particulari quibuſdam ſunt Religionibus conceſſa, & ita omnes communicationis priuilegium habentes, poſt conceſſionem eamdem ad dictam participationem admittuntur. Atqui Religio præfata communicationem ampliſſimam habet à Sixto V. conceſſam, de qua Fr. Emmanuel *citata Quæſt. 55. artic. 12.* in qua, licet Societatis non fiat mentio, illius tamen priuilegiorum, ſicut & Ordinum aliorum, participationem indulgeri omnino certum eſt: neque enim Societas priuilegium aliquod habet, vt eius priuilegia non debeant conceſſa cenſeri, niſi de illis fiat mentio expreſſa & ita licet in aliquibus conceſſionibus facta ſit, vt videri poteſt apud Emmanuelem & Baſſæum *ſuprà*; id quidem ad maiorem factum expreſſionem: eo ſiquidem non obſtante communicatio procedere debuiſſet. Quòd autem ratione limitationis additæ circa Ordines ſuſcipiendos ſpecialis difficultas ſit: ea quidem ad omnes ſpectat Religiones, & ita vel neganda communicatio omnibus, vel omnibus concedenda. Accedit amplior conceſſio, de qua in Compendio Indico *verb. Ordines §. 2.* Sed ipſi viderint, docti enim ſunt: licet non rarò contingat circa Religionum iura hallucinari nonnullos.

Religioſos B. MARIÆ de Mercede parem aliis in priuilegiis: quod tamen Epiſcopi aliqui non obſeruant.

Quinta

Quinta difficultas, an Priuilegia quoad ſuum vſum in Religione, cum aliquâ limitatione conceſſa, cum eadem limitatione debeant in aliis, in quibus diuerſus gubernationis eſt modus, exerceri.

153 EXemplum ſit in Societate IESV, in quâ nullus priuilegio aliquo vti poteſt ſine licentia R. P. Generalis, aut aliorum, qui ad illam concedendam, ſpecialem habuerint commiſſionem. Poteruntnè Religioſi alij omnino independenter à ſuis Prælatis, priuilegiorum eiuſdem participatione potiri? quæ difficultas in ſimilibus etiam procedit: & circa eam negatiuè reſpondent Emmanuel Rodericus *Tomo* 1. *qq. regul. qu.* 55. *artic.* 17. Ioannes de la Cruz *de Statu Relig. Lib.* 2. *Cap.* 4. *Concluſ.* 3. Portel. *verb. Priuilegij communicatio num.* 23. Miranda *Tomo* 2. *q.* 46. *artic.* 5. *Concluſ.* 2. Cœleſtinus *in Compendio Tract.* 8. *Cap.* 15. Baſſæus *verb. Priuilegium* 5. *num.* 20. P. Palaus *Tomo* 1. *Tract.* 3. *Diſputat.* 4. *Puncto* 2. §. 9. *num.* 4. & alij. Contrarium tamen tenent aliqui, quos adducit Diana, & penitus ſequitur *Parte* 3. *Tract.* 2. *Reſolut.* 14. qui vt Religioſi diſpenſare poſſint in petitione debiti, licentiam Prouincialis exigunt, vbi & Diana ipſe mentionem facit Societatis. Vnde immeritò eum adducit Baſſæus pro ſententiâ priore, propter id, quod habet *Parte* 5. *Tract.* 13. *Reſolut.* 46. ibi enim ad ea, quæ citato loco *Partis* 3. dixerat, ſe remittens, ait oppoſitum non videri ſibi improbabile.

Negatiuã ſententiam qui teneãt.

Qui affirmatiuam.

154 P. Suarez *Libr.* 8. *de legibus Cap.* 17. *num.* 6. quem ſequitur P. Eſcobar de Mendoza *num.* 77. *citato* priuilegium quidem ſine reſtrictione tranſire affirmat: id quod in priuilegiis Societatis, quorum communicatio alijs eſt Ordinibus conceſſa ſpecialiter oſtendit ex eo quòd priuilegia priùs fuerunt conceſſa, & poſtea adiecta reſtrictio: & quia id fundatur in ſpeciali modo gubernationis, quem habet Societas, & pro aliis Religionibus non eſt conueniens iudicatus. Item. Quia aliarum Religionum priuilegia communicantur Societati cum illâ expreſſâ reſtrictione, *dummodo Inſtitutis Societatis, & Præpoſiti, aut huiuſmodi perſonarum deputatarum voluntati & beneplacito non refragentur.* Ex Pio V. in Bulla, quæ incipit *Dum indefeſſæ. die* 7. *Iulij Ann.* 1571. quæ limitatio ad alias Religiones non extenditur quoad communicationem priuilegiorum aliarum Religionum, vt per ſe conſtat. Addit tamen reſtrictionem extendi; quando in aliquibus Religionibus eſt gubernatio ſimilis gubernationi Societatis, non ex vi communicationis cum Societate in illa reſtrictione, ſed ex principio generali, quòd communicatio priuilegiorum in vnaquaque Religione non debet eſſe cum diſpendio diſciplinæ regularis, vniuſcuiuſque Inſtituto & regimini accommodatæ. Iuxta quem philoſophandi modum procedit reſolutio P. Arriagæ *Tomo* 2. *in* 1. 2. *Diſput.* 32. *de legibus num.* 50. vbi ait quòd ſi reſtrictio priuilegij facta eſt poſt communicationem alteri factam, non tranſit cum reſtrictione, quia illud communicans non conſiderauit quid tempore futuro circa illud priuilegium eſſet euenturum. Si autem communicatio poſt reſtrictionem accidit, & reſtrictio propterea adiecta, quia nociua priuilegiato, amplior licentia eſt iudicata, quæ tamen aliis talis non ſit, probabiliſſimum exiſtimat tunc etiam ſine reſtrictione tranſire: & probabiliſſimum etiam tranſire cum illâ. Quod apparet mirabile: vt ſcilicet duo contradictoria probabiliſſima ſint, nec videtur ſtare poſſe: nam probabiliſſimum eſt, quod omnimodæ certitudinis gradum ferè attingit, vt vix formido aliqua relinquatur: hoc autem non patitur partem oppoſitam eſſe ſimiliter certam: ſic enim non leuis tantùm formido eſſe debet, ſed vehemens, cùm adeò robuſta ſint fundamenta, vt rem ferè certam oſtendant. Quantùm ergo de probabilitate accreſcit reſpectu vnius partis, tantùm decreſcit reſpectu alterius: ſicut generaliter accidit, vt quò vehementiùs animus in vnam partem inclinetur, eò remiſſiùs ad aliam inclinetur.

Quid P. Suarez.

Quid P. Arriaga.

In cuius reſolutione aliquid notatur.

155 Dico decimoquartò. Licet ſententia affirmans priuilegium ſine reſtrictione tranſire ſit probabilis ob auctoritatem eam amplexantium, fundamenta contrariæ adeò robuſta ſunt, vt iis perpenſis non videatur poſſe negari, additis vrgentibus coniecturis. Id oſtendo

Aſſertio 14. Sententiã affirmantem penitus preferendã.

Primò. Quia cui conceditur communicatio non plus conceditur, quàm alius habeat, reſpectu cuius communicatio currit: ergo ſi alius priuilegium cum limitatione habet conceſſum, is qui communicat nequit illud ſine limitatione ſortiri. Antecedens eſt euidens: nam ſi plus conceditur, plus eſt quàm communicatio, & ita eſt implicatio in terminis. Conſequentia autem eamdem euidentiam habet: quia priuilegium ſine reſtrictione plus eſt quàm priuilegium cum illâ: aut enim ablatio reſtrictionis nouum priuilegium eſt, aut illius pars. Et quidem ſi reſpectu eius, cui primò conceſſum eſt, reſtrictio adiecta tolleretur, nouum priuilegium eſſet, & magnæ profectò æſtimationis: ergo cùm reſpectu eius, cui communicatio conceditur, talis fauor extet, nouo dicendum eſt frui priuilegio: atqui nouo frui priuilegio nequit: ergo nec ſine limitatione illud habere.

1. ratio ex proprietate communicationis.

156 Secundò. Communicatio talis aut eſt priuilegij adinſtar, aut omnino illi ſimilis: quomodocumque autem dicatur, ſtare nequit ſine reſtrictione tranſire: ergo illa nequit admitti. Maior conſtat ex communi Scribentium doctrinâ. Et Pater quidem Suarius *citato Libro Cap.* 16. *numer.* 10. benè probat communicationem, de quâ loquimur, quæ ſcilicet inter Religiones datur, eſſe adinſtar, quia eſt per imitationem ſimilium priuilegiorum: alij autem apud eumdem exiſtimant communicationem non dicere imitationem, ſed identitatem, vt idem ſcilicet priuilegium, quod eſt in vno, ad alterum extendatur: hoc enim videtur propriè communicationis nomine deſignari. Iam Minor ex hoc manifeſta eſt. Nam ſi communicatio eſt adinſtar imitatione ſimilis priuilegij: ergo debet ſeruari ſimilitudo: atqui ea non ſtaret, ſi priuilegium, quod limitatum in vno eſt, in alio limitationem hujuſmodi non haberet. Si autem idem eſt priuilegium, res eſt manifeſtior: nam ſublatâ limitatione iam priuilegium non eſt idem, cùm addatur nouum, &

2. ex ratione conceſſionis adinſtar, aut ſimilis.

Digitized by Google

& ſic duo ſunt, aut formaliter, aut æquiualenter, ex quibus vnum non eſt commune: vnde irrefragabilis eſt conſequentia.

3. Ex quibusdã alijs cum limitatione cõceſſis.

157 Tertiò. Quia ſi alicui concedatur priuilegium vt non ieiunet in quadrageſimâ, exceptis tamen diebus Veneris: nullus dubitare poterit, factâ talis priuilegij communicatione, cum ſuâ reſtrictione tranſire; & idem eſt in caſibus ſimilibus. Et poteſt exemplum etiam adduci in caſu ab omnibus admiſſo vt à Religioſis recipi Euchariſtia poſſit, excepto die Paſchæ; nullo extante priuilegio, quod Paſchalem Communionem concedat. Tunc ratione communicationis non licebit illa, quia eſt limitatio priuilegij, & cum eâ debet extendi: ergo idem etiam dicendum quando limitatio additur quoad modum fruendi illo. Patet conſequentia; quia ratio eſt eadem: immò & maior videtur in caſu noſtro, quia maior eſt extenſio, & maioribus inconuenientibus expoſita.

4. Ex comparatione perfectionis inter Religiones.

158 Quartò Religio, cui communicatio fit, aut æqualis perfectionis eſt cum ea, cuius participat priuilegium, aut inferioris: adde etiam, vel maioris. Si æqualis, aut maioris, ablatio reſtrictionis non minùs erit illi diſpendioſa, quàm alij, cui reſtrictio ob illius ſpirituale commodum eſt impoſita: ergo nequit de Pontificis voluntate præſumi priuilegium velle ſine limitatione tranſire. Si autem minoris; præſumptio etiam locum non habet: quia incredibile eſt minùs perfectis liberaliorem ſe Sedem Apoſtolicam exhibere. Vbi dici nequit cum diuerſo modo gubernationis Religionum, quantumuis perfectæ ſint, ſtare poſſe vt ablatio reſtrictionis nihil incommodet. Nam vrgeo efficaciſſimè, ex eo quòd reſtrictio dicta propterea vtilis judicatur, quia ſic ſeruatur debita ſubordinatio inferiorum reſpectu Superiorum, & inconuenientia vitantur, quæ ex abſolutâ & liberâ facultate Religioſi cuiuſlibet ſequi poſſunt: atqui hoc reſpectu cuiuſlibet Religionis eſt maximè conueniens, & nullus alius gubernationis modus eſſe poteſt, per quem prædicta ſaluentur: ergo quod de diuerſa gubernatione dicitur, minimè ſatisfacere poteſt, quæcumque enim alia quoad hoc defectuoſa eſt.

5. Ex conuenientia dependentiæ à ſuperioribus in vſu priuilegiorum.

159 Quintò. Quòd Religioſi in rebus quibuſdam à Prælatorum diſpoſitione pendeant, & præſertim in materiâ priuilegiorum, non eſt contrarium modo gubernationis eorum, vnde Pontifices illa concedere ſolent cum dependentiâ ab ipſis, vt videri poteſt apud Dianam *ſuprà. Reſol.* 14. Ergo propter gubernationis modum non debet affirmari limitationem non pariter cum priuilegio tranſire. Quòd ſi dicatur non eſſe iuxta gubernationis modum quòd ſubditi à Generali in priuilegiorum vſu dependeant, quia id eſſet nimis onoroſum, præſertim in numeroſis Ordinibus. Id certè non vrget: nam ſine recurſu ad Generalem ſtare poteſt vſus priuilegiorum, ſi illi, quæ ad hoc ſpectant, Prouincialibus committant: neque ex eo modus gubernationis immutatur, quòd circa vſum priuilegiorum aliquorum genus aliquod prouidentiæ ſpecialis adhibeatur.

Vltima ex grauibus inconuenientibus.

160 Tandem, ex contrariâ poſitione grauia, vt iam indicauimus, inconuenientia ſequuntur: ergo non eſt admittenda. Illatio eſt certa ex receptiſſimo illo principio, quod ex P. Suario eſt poſitum *num.* 154. quòd communicatio priuilegiorum non eſt extendenda cum diſpendio diſciplinæ regularis, vniuſcuiuſque Inſtituto & regimini accommodatæ. Antecedens autem oſtenditur. Quia ex communicatione ſine reſtrictione ſequitur vt Religioſus quilibet heri factus Preſbyter, poſſit pro arbitrio in rebus magni momenti procedere: quæ quidem in Religione alia, cui priuilegia cum dependentiâ à Superioribus conceſſa ſunt, non niſi probatis, & de quibus confidi plenè poſſit, conceduntur. Et hac quidem de cauſſa, & non tantùm ob conuenientem ſubordinationem, reſtrictio eſt à Pontificibus adhibita. Et hic ſanè eſt Eccleſiæ ſtylus, iuxta cuius leges Confeſſarij non niſi poſt attentum examẽ ad miniſterium illud admittuntur: vnde & ad illa, quæ forum illud concernunt, & ordinaria non ſunt, & ita pro illis conceſſa inueniuntur priuilegia, non ſunt indifferenter admittendi. Cùm ergo talis Eccleſię ſpiritus ſit, non ſine diſpendio Eccleſiaſticę diſciplinæ ſtare poteſt defectus in eo repertus; & conſequenter non ſine diſpendio regularis obſeruantiæ: cùm gubernatio Religioſa nihil ſit aliud quàm Eccleſiæ, & ſatis quidem nobilis, vtpotè quæ Euangelicæ militet perfectioni.

161 Neque adducta quidquam vrgent pro ſententiâ illâ, ex quo etiam noua ratio poteſt contra illam inſtrui. Quòd enim priuilegia primò conceſſa ſint, & poſteà adiecta reſtrictio, probaret quidem communicationem ſine illâ futuram, ſi ante reſtrictionem adiectam contigiſſet: non tamen ſic accidit, ſed poſtquàm reſtrictio appoſita eſt, communicatio ſucceſſit. Quod autem additur de limitatione illa pro Societate appoſita: *Dummodò Inſtituto Societatis, &c.* quę nõ extenditur ad alias Religiones pro communicatione priuilegiorũ aliarũ Religionũ, non video quomodo ſtare poſſit cum doctrina P. Suarij, & principio illo generali, de quo nuper; quòd ſcilicet cõmunicatio priuilegiorum in vnaquaq; Religione intelligenda eſt, quæ ſine diſpẽdio regularis diſciplinæ ſtare poſſit, & ſit Inſtituto accommodata. Non videtur ergo reſtrictio illa ad intentũ conducere, quia non eſt ex illarum genere, de quibus loquimur, ſed generalis cõditio omni communicationi cohærens: & tantùm abeſt, vt reſolutioni noſtrę obſtare poſſit, quòd ex illa potiùs efficaciter comprobetur. *In contrarium adducta non vrgent.*

162 Et ea quidem pro Indiis ſpecialiter obſeruanda, quia ſummus Pontifex in Bullâ donationis earum regionum Regibus Catholicis factæ, Miniſtros jubet mitti ſelectos, de quorum dotibus dictum *Titulo* 1. *Cap.* 3. Ad illos ergo pro negotio tanto ſufficienter inſtruendos priuilegia Apoſtolica diriguntur; vnde non eſt credendum cuilibet ſine delectu eſſe communia. Et ita licet in Religionibus non ſit communiter talis gubernationis modus, vt ad Generalem pro communicatione priuilegiorum recurratur; ad eum tamen ſpectat circa illorum conuenientem vſum prouidere: & ſic Prouinciales admonere ac præcipere vt illa moderentur: amiſſuri profectò illa, niſi ita fecerint: *Quia priuilegium amittere meretur, qui permiſſâ ſibi abutitur poteſtate.* Cap. *Tuarum*, de priuilegijs. Vnde nequit ad modum regiminis pro abſoluto & independenti vſu prouocari: nam poteſtas moderandi vſum dictum conuenit ex natu- *In Indijs ſpecialiter reſolutionẽ noſtram militare.* *Cap. Tuarum, de priuilegijs.*

Digitized by Google

naturâ Religioſæ inſtitutionis : neque alia eſt Pontificum mens, qui nihil plus exoptant, quàm vt Religioſi debitam ſubordinationem ſeruent ; & quòd priuilegiorum conceſſio , per eorumdem abuſum non reddatur Ordinibus,& Eccleſię filijs exitioſa.

Difficultas ſexta. An communicatio Priuilegiorum ad Nouitios ſe extendat

Nouitios communicationis frui.

163 NEgant aliqui : ſed communis ſententia affirmat, & eſt conſequens ad dicta *ſuprà, Titulo* 5. *num.* 258. *&* 340. Pro Societate eſt ſpecialis conceſſio Gregorij XIII. de quâ in compendio communi. Verb. *Communicatio gratiarum*, §. 5. quæ tamen viuæ vocis oraculo facta eſt, vnde & videtur expiraſſe. Ex eo autem quòd ſpecialis conceſſio imperrata eſt, & quidem à doctiſſimo Pontifice,poſſet aliquis communem doctrinam in dubium reuocare ; vnde & negauit illam Horatius Mandocius in *Tractatu de Priuilegijs, ad inſtar. Gloſſa 7. num.* 32. *& ſeqq.* & in Societate ratione priuilegij tantùm admittendam contendere. Sed eſt illud leue fundamentum : quia multæ Pontificiæ conceſſiones ſunt ad ſcrupulos tantùm ſubmouendos, & vt id , quod probabiliter fieri poſſet, certiori jam oraculo teneatur. Pro quo in Verb. *Horæ Canonicæ*, *Ieiunium*, & alijs, occurrunt aliqua, & de Indicis loquendo in Bullis Pauli Vrbani, & Innocentij ſic habetur: *Nec non ipſis Presbyteris, in eiſdem Inſulis & locis prædictis conſtitutis, quibus aliqua Euchariſtiæ fragmenta ſeu minutiæ pro tempore interciderint, etiam poſt peractum ſacrificium, abſque vllo conſcientiæ ſcrupulo, juxta Rubricas Miſſalis Romani, reuerenter ſumendi.* Sic illi. Pro quo tamen neceſſarium priuilegium non erat, quia id generaliter fieri poſſe, tenent multi Doctores, vt videri poteſt apud Dianam *Tomo* 1. *Tractat.* 14. *Reſolut.* 66. & Baſſæum verb. *Communio ſacra*, *num.* 51. quia aduertunt id de particulis intelligendum ex eodem ſacrificio relictis, non de alijs: quòd & prædicta Pontificia conceſſio ſatis inſinuat, de quo inferiùs magis ex profeſſo. Licèt ergo conceſſio pro Nouitijs facta viuæ vocis oraculo fuerit, & conſequenter expirauerit, communis ſtare reſolutio poteſt. Eſt tamen aliàs veroſimile non expiraſſe illam , quia tantùm habet vim declarationis, etiamſi conceſſio dicatur : declarationes autem non eſſe reuocatas,iam diximus,neque circa id eſt opus ampliùs diſtineri.

Priuilegiũ ad tollẽdos ſcrupulos circa particulas in Miſſâ.

Quid Nouitio Confeſſario cõcedatur.

164 Si ergo Nouitio Sacerdoti licentia ad Confeſſiones audiendas conferatur, omnia illi pariter conferuntur, quæ in Compendijs generaliter conceſſa Confeſſarijs extant. Poſſunt tamen Superiores illa etiam limitare : licèt enim à Generali videantur conceſſa, poſſunt tamen illi , quod in Compendij Proœmio dicitur , *vt quemadmodum ad Superiores pertinet ſuis ſubditis facultates communicare , vel communicatis , aut conceſſis etiam aliunde, & à quouis, etiam à Præpoſito Generali , vel à Summo Pontifice ; vtendi facultatem facere : ita eorumdem fore; illarum eis vſum , cùm expedire judicauerint, vel limitare , vel etiam omnino ſuſpendere.* Sic ibi. Quod & Superioribus localibus etiam conuenire conſtat ex ratione indicata verbis illis : *Cùm expedire judicauerint.* Vt paucis attigit P. Quintanad. *Tomo* 1. *Tractat.* 5. *Singulari* 8. *num.* 4. dum dixit*: ſine cauſſa.* Nam & illi poſſunt inconuenientia in vſu prædictorum aduertere, quibus oporteat ſtatim contra ire. Quamuis aliàs in admonitione prædicta oppoſitum indicetur : poteſtas enim limitandi cum poteſtate communicandi confertur , & eidem dicitur reſpondere : Superiores autem locales priuilegia non communicant,vnde nec limitandi poteſtas ad eos videtur pertinere. Quòd autem & Prælati aliarum Religionum limitare etiam Nouitijs vſum priuilegiorum poſſint, mihi eſt pro comperto : adducta enim *num.* 162. magis pro illis vrgent.

Quid poſſit à ſuperioribus limitari.

Proœmium Compendij.

Notanda doctrina circa Prælatos omnes.

Difficultas ſeptima. Quæ priuilegia in Indijs cenſeantur Societati ratione communicationis conceſſa, etiamſi à R. P. Generali non fuerit eorum vſus in ſpeciali conceſſus.

Priuilegia ad tollẽdos ſcrupulos omnibus cõmunia, & ſpecialiter pro Indijs.

165 CIrca hoc Primò ſtatuendum eſt , omnia illa priuilegia , quæ ad tollendos ſcrupulos conceſſa ſunt , omnibus eſſe communia,& pro Indijs ſuffragari,vt qui in remotis illis partibus degunt , eo leuamine perfruantur , ſiue ergo talia priuilegia in Compendijs extent , ſiue non , eorum vſus licitus & validus eſt ob rationem dictam : & quia aliàs ſine priuilegio licitè ea, pro quibus conceduntur, poſſent exerceri : neque ex eo quòd prætermiſſa in Compendijs ſint , debent non practicanda cenſeri , quia aliquando omittuntur aliqua , quorum vſus licet. Quemadmodum in Compendij communis proœmio dicitur. *Quod licet in eo ſæpenumerò ſit mentio de Profeſſis, tum Societatis, tum aliorum Ordinum, aduertendum eſt iuxta diuerſa Societatis priuilegia , quidquid de illis dicitur , intelligi etiam debere de Noſtris, qui tria vota ſimplicia poſt biennium emiſerunt, niſi fortè aliquid in aliquo loco excipiatur.* Vbi de Nouitijs nihil dictum : cùm tamen conſtet ex dictis *numer. præced.* priuilegia etiam ad illos extendi. Quod ergo in Compendij proœmio accidit, de contentis in illo eſt etiam exiſtimandum, quando ea, de quibus agitur, dicti generis ſunt,& de R. P. Generalis benigniſſimâ voluntate nequit aliter æſtimari. Vt abſtineamus ab illa quæſtione, An, quæ talia ſunt, poſſint prohiberi ? in quâ erunt qui negent , cùm in rigore priuilegia non ſint, ſed quædam leuamina conſcientiæ , quæ à Pontifice amantur, prouidentur ; quibus etiam leuandis debet ſupremus Religionis Prælatus attendere, non ſatis facturus aliàs muneri quod paternam exigit pietatem.

Compendiũ commune.

Certa quædam de vſu inualido ſine licẽtia Generalis.

166 Ponendum ſecundò tamquàm omnino certum,priuilegia, quæ Generali immediatè conceduntur , vt per eum ipſorum vſus in Societate diſponatur , ita illius licentiam requirere , vt vſus talis ſine illa non ſolùm ſit illicitus , ſed etiam inualidus. Quæ quidem eſt omnium eorum mens, qui in Societate de hoc poſſunt ſcientificè judicare, & aliorum etiam ſcriptorum extra ipſam: de quibus *num.* 153. dum de limitatione appoſita inquirunt, an debeat cum priuilegiorum communicatione tranſire. Cùm enim priuilegia immediatè Generali concedantur, & non alteri,ſatis apparet clarum , illis vtentem id, quod ſibi non compe-

Digitized by Google

competit, vſurpare. Peccat ergo grauiter id faciens, quod ſublato priuilegio, peccatum eſſet mortale: quia priuilegium non plus ſuffragatur illi quàm ſi neutiquam extaret. Et ex eodem principio conſtat actum eſſe nullum, ſi ad illum neceſſaria eſt juriſdictio, aut facultas, quæ ſolùm poteſt beneficio priuilegij conſtare: vt abſolutio, alienatio, conſecratio aut benedictio. Circa quod quidem nonnulli plura fundamenta congerunt, minimè tamen neceſſaria in re adeò certâ: quando enim talia probari anxiè ſolent, ſuſpicionem ſolet etiam incertitudinis generare.

Obiectio ex eo quòd Regulæ in Societate non obligent ſub peccato, diſſecta.

167 Vbi illud tantùm videtur obiici poſſe, Regulas, & Ordinationes Superiorum in Societate non obligare ſub reatu peccati, etiam venialis: prohibitionem autem illam de non vtendo priuilegiis ſine licentia R. P. Generalis, tantùm vim Ordinationis habere aut Conſtitutionis. Sed certè id nullius eſt momenti: quia prohibitio dicta neque Regula eſt neque Ordinatio, aut Conſtitutio, ab ipſa Societate condita; ſed Pontificiæ conceſſionis additamentum, ſine quo Apoſtolica Sedes non vult priuilegiorum vſum in Societate valere. Cùm ergo in Conſtitutionibus, & priuilegiorum Compendiis ſic dicitur faciendum, id non habet vim Ordinationis à Societate ipſâ profectæ, ſed declarationis. Sicut cùm dicitur in Conſtitutionibus neminem quidquam vt proprium habere poſſe, manifeſtum eſt declarationem illam eſſe obligationis, quæ ex vi voti paupertatis oritur, & eſt ſub mortali ex ſuo genere. Sicut & cùm dicitur in eiſdem neminem res domus poſſe diſtrahere, neque ab externis accipere, inſcio Superiore. Quod & docti ſentiunt de prohibitione accipiendi ſtipendia pro ſacris miniſteriis.

Ampliatio etiamſi conceſſio ad Generalem non dirigatur.

168 Ex fundamento autem prędicto videtur pari certitudine dicendū nec licitum nec validū eſſe vſum quorumuis aliorum priuilegiorum, etiamſi eorum conceſſio nō ad Generalem, ſed ad alios dirigatur: ſic enim aliqua occurrunt. Nam id quod expreſſum habetur quando Generali conceduntur, ſubintelligitur in qualibet generali conceſſione: de perſonalibus enim alia eſt ratio. Id enim ex Bullis Pontificiis conſtat Pauli Tertij, Iulij Tertij, Pij V. Gregorij XIII. & Pauli V. Sic & habetur in Compendio verb. *Communicatio gratiarum*: vbi tamen ſolius Gregorij conceſſio proponitur, quia illa eſt ſufficiens iudicata, & extat in Bulla, quæ incipit, *Decet Romanum Pontificem. die 3. Maij. Ann.* 1575. ibi: *Prædicto, & pro tempore exiſtenti Præpoſito Generali Societatis huiuſmodi conceſſa eſſe intelligantur. Nec aliter ceteræ perſonæ dictæ Societatis, prædictis priuilegiis, facultatibus, & aliis præmiſſis, aut aliquo eorum, niſi per Generalem Præpoſitum, & de eius beneplacito, aut per alium, ſeu alios de eius commiſſione electos, vt præmiſſum eſt, vti aut gaudere poſſint.* Sic ille. Poſt quem cùm Paulus V. modum gubernationis in Societate ſub vno Capite per omnia probet in celebri Bulla, quæ incipit, *Quantum Religio*: non videtur poſſe dubium aliquod circa hæc relinqui, ſtante priore reſolutione circa priuilegia expreſsè Generali conceſſa: tenor enim verborum adductus adeò eſt perſpicuus vt qui, eo attento, tergiuerſari voluerit, in meridianâ cenſendus ſit luce caligare.

Greg. XIII.

Aliquorum ſententia de validitate actus & illius fundamentum.

169 Vnde non videtur probanda aliquorum ſententia, qui affirmant eſſe quidem illicitum, & peccatum mortale iuxta priuilegium operari, nō habitâ per Generalem facultate, & circa hoc eſſe dubium non poſſe: & probabilius item actum eſſe nullum ob fundamentum dictum: nihilominùs oppoſitum non eſſe poſt factum, vt penitus improbabile condemnandum, quia fundamentum dictum euidentiam non inducit, eò quòd in ordine ad valorem actûs poſſit de R. P. Generalis voluntate præſumi pro eo non penitus refragari: quia vt ex verbis Compendiorum conſtat, tantùm dicunt vſum non eſſe licitum. Et iuxta Iuris axioma celebre, ſemper in dubio debet ita interpretatio fieri vt actus valeat. *L. Quoties 2. De rebus dubiis.* Vbi Gloſſa, & Doctores. Non inquam videtur probanda:

Quæ improbatur, & pro contraria arguitur.

quia vel omnino certum hoc debet reputari: vel, ſi tale reuerà non eſt, circa priuilegia immediatè Generali conceſſa ſimiliter eſt propter rationes eaſdem iudicandum. Voluntas enim R. P. Generalis poteſt non penitus contraria præſumi, & pro actûs valore iuxta eamdem iudicari. Quo fundamento etiam dici poteſt non eſſe peccatum graue in huiuſmodi tranſgreſſionibus, quia non eſt præſumendum de benigno erga filios parente vt velit eos totaliter obligare, quòd propter omiſſam licentiam reatum ſint damnationis æternæ ſubituri. Et multoties plus damni ſequitur ex eo quòd in graue peccatum incurratur, quàm ex inualiditate actûs, qui ſecluſâ malitiâ, eò quòd illicitus ſit, non habeat moralem, vt eſt compertum. Quis autem non videat modum hunc philoſophandi non eſſe tolerandum? Ex eo enim fieret vix eſſe vllam in Societate obligationem ſub reatu peccati mortalis, vt benignitas præcipientium fauorabilem interpretationem habeat, & totus ille præcipiendi apparatus ad ſolum debeat exterius forum applicari. Cùm ergo dicitur eam materiam in genere furti peccatum eſſe mortale, quæ in ſæculo habetur talis, ad benignam erit ſic declarantium voluntatem prouocandum: & ſic in aliis, in quorum nonnullis pœna excommunicationis admiſcetur. Quæ cùm conſtet à ratione & praxi eſſe penitus aliena, iuxta illa etiam eſt in caſu, de quo loquimur, iudicandum:

Breuis & euidens diſcurſus.

pro quo hic eſt breuis & euidens diſcurſus: actus requirens priuilegium, illicitus & inualidus eſt, ſi illud ſit Generali conceſſum, & licentia eius non habeatur: atqui omnia Societatis priuilegia Generali conceduntur: vt conſtat ex verbis Pontificis: ergo actus ſine illius licentia factus, eſt illicitus & inualidus.

Ex modo loquendi Compendiorum nō benè aduerſantes arguere.

170 Ex quo etiam conſtat non vrgere id, quod dicitur de modo loquendi in Compendiis, in quibus vſus ſine licentia R. P. Generalis tantùm non licitus affirmatur, nec de valore actûs quidquam additur. Nam ſi id roboris quidpiam habet, fiet ex eo interpretationem talem generaliter adhibendam, quia vbi lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus: conſtat autem verba prædicta generalia eſſe, & non ſolùm ad conceſſa Generali, ſed etiam aliis, extendi, neque ad communia tantùm, ſed etiam ad Indica; vnde in Prooemio Indici Compendij ſic habetur: *quoniam iuxta Litteras Apoſtolicas nullius priuilegij ſeu gratiæ hactenus conceſſæ, vel in poſterum concedendæ*

Compendium Indicum.

Digitized by Google

concedendæ vſus poteſt in Societate licitus eſſe, niſi per ſolius Præpoſiti Generalis communicationem: idcircò ſicut in Compendio communi, ita in hoc Indico ſuis in locis adnotatum eſt, quænam gratiæ, quibus, ac quatenus conceſſæ ac limitatæ ſint. Sic ibi. Cùm ergo id, quod dicitur de non licito vſu, ad omnia priuilegia nequeat extendi, juxta datam explicationem: ſatis ex eo apparet leue eſſe tale pro valore actûs fundamentum. Quòd autem talis loquendi modus inualiditatem actûs inducat, ex adductis venit verbis comprobandum. Actum enim non eſſe licitum ex eo oſtenditur ibidem expreſſo, quia ſcilicet per Litteras Apoſtolicas ita diſpoſitum: neque alia voluntas Generalium Præpoſitorum ibi expromitur, niſi quæ eiſdem Litteris Apoſtolicis eſt conformis. Atqui de mente Pontificum nequit præſumi quod de voluntate PP. Generalium dicitur: ergo ſatis ibidem habetur expreſſum vſum non tantùm illicitum, ſed etiam inualidum futurum. Accedit quod additur, in Compendio adnotatum quænam priuilegia ſint conceſſa, & quæ limitata. Ex quo fit ea, quæ non adnotantur, conceſſa non eſſe: ergo apertè ex eo conuincitur actum eſſe inualidum, quia ſine priuilegij conceſſione validus eſſe non poteſt. Neque enim dici poteſt concedi vt actus validus ſit, ſed non vt ſit licitus. Vbi enim talis diſcriminis vel leuiſſimum indicium, cùm conceſſio abſolutè denegetur?

Reſpectu Indiorum eamdem dependentiam ſeruari.

171 Iuxta dicta iam tertiò conſtituendum, in ordine ad vſum licitum & validum in Indiis non alio iure agi, ſed eumdem dependentiæ modum à R. P. Generali ſeruari: quod quidem ex verbis Indici Compendij nuper adductis apparet: id quod etiam Paulus Tertius, & Iulius Tertius ſeruandum decreuerunt, Indiarum factâ mentione: niſi quòd in illis communicationem mediis inferioribus Prælatis faciendam ratione diſtantiæ conueniens iudicarint. *Quaſcumque gratias, conceſſiones, & Indulta, eiſdem Generalibus dictæ Societatis Præpoſitis pro tempore exiſtentibus per Nos conceſſa, per eorum Vicarios, aut perſonas ad id ſibi benè viſas, præſertim in Indiarum, & aliis partibus remotis, pro tempore ſubſtitutas, exercere liberè & licitè valeant.* Verba ſunt Pauli Tertij in Bulla, quæ incipit, *Licet debitum*: quibus ſimilia habet Iulius Tertius in Bulla, cuius initium, *Sacræ Religionis.* In quibus obſeruandum illud, *Licitè valeant*: per quod abſoluta poteſtas indicatur vt id, quod fecerint, non ſolùm licitum, ſed & validum ſit. Quemadmodum ergo per aduerbium *Licitè* vtrumque deſignari poteſt, ita & è contrario quod non licitum dicitur, ad vtrumque etiam referri poteſt, vbi pro eo ſufficiens coniectura ſuccurrit.

Paulus 3.

Ratione diſtantiæ quid licere queat.

172 An autem ratione diſtantiæ aliquid quandoq; liceat, pro quo communicatio non extat, communis quæſtio eſt, & certum ratione diſtantiæ multa licere probant. *L. Si longiùs L. Nemo L. Pro locis. L. Mediterraneos. C. de annon. & tribut. lib.* 10. vbi Doctores, & inter alios Bobadilla in *Politica Lib.* 2. *Cap.* 17. *num.* 106. *& ſeqq. & Cap.* 21. *num.* 118. *&* 119. Iuxta illam ergo communem doctrinam in caſus contingentiâ recurrendum. Non eſt autem ex eo quòd Prouincialibus, Præpoſitis & Rectoribus in ſuis Regulis conceditur, ad id, de quo agimus, faciendum regulariter argumentum. Diſpenſatio enim in citatis locis circa illa committitur, quæ juris ſpecialis ſunt, & quæ in Societate non obligant ſub reatu peccati, Regulæ inquam, Ordinationes, Decreta, & Conſtitutiones: quod verò ad communicationem priuilegiorum attinet, cùm ſit diſpenſatio in jure communi, non habet locum reſpectu inferiorum, quando Pontifex certam formam in eo præſcribit. Et licet poſſet Societas ita ſtatuere, vt caſu ſpeciali vrgente priuilegium communicatum cenſeatur: id tamen non ſtatuit, ſed potiùs oppoſitum. Nam cùm circa Regulas, & alia facultatem diſpenſandi concedat in iis, *quæ videantur vrgere, & in quibus ſine graui incommodo Generalis reſponſum expectari nequeat*: vt habetur in Regulis Prouincialis §. 7. Quod & in Regulis Præpoſiti & Rectoris dicitur, cùm expectari reſponſum Generalis nequit: circa priuilegia tamen nihil tale diſpoſitum: vnde generaliter loquendo ita eſt etiam in Indiis aſſerendum, quia pro illis nulla eſt exceptio, ſed oppoſitum ſatis apertè in Proœmio, vt jam vidimus, præſtitutum.

Obſeruatio notanda.

173 Quia verò eſſe caſus nimis vrgens poteſt, pro eo videtur habere locum poſſe fundatam præſumptionem. Id quod ex eo probari poteſt: quia rèuerà in Societate eſt tale priuilegium ad caſum ſic occurrentem, in quo dubitari nequit diſpenſaturum Generalem, vel certè facultatem ad vſum priuilegij conceſſurum, ſi adeſſet: ad hoc enim priuilegia conceduntur; aliàs nulli ſunt vtilitati futura. Ergo veroſimiliter de illius præſumitur voluntate. Pro quo ſunt Textus & Doctores adducti à Petro de Luna. *Conſilio* 12. *num.* 32. & roborari poteſt ex eo quod in citato Proœmio Indici Compendij, ſicut etiam in Compendij generalis Proœmio, pariter inuenimus: ſic enim ibi dicitur: *Aduertendum eſt autem nomine Prouincialium, Præpoſitorum, & Rectorum, ſubintelligendos quoque eſſe Vice-Prouinciales, Vice-Præpoſitos, ac Vice-Rectores: quando nimirùm nullus eſt Prouincialis, Præpoſitus, aut Rector: vel adeò longè abeſt, vt pro rei exigentia conſuli non ſatis commodè poſſet.* Sic ibi. Sicut ergo quando Superior conſuli nequit, ejus ſubſtituto facultas conceditur in ordine ad priuilegiorum vſum, per ſe, aut per alios; quia non eſt æquum, cùm rei exigentia occurrit, priuilegiis beneficium ſubtraxiſſe: ita & dicendum videtur quando nullus poteſt Superior conſuli, aut certè ille, cui tantùm eſt facultas communicationis attributa: ob eamdem ſcilicet rationem: cùm prælertim de animarum agatur ſalute, & vitandis peccatis, in quibus fauores ampliandi, vt ſæpiùs dictum. Neque obſtat rationem extenſæ facultatis ad ſubſtitutos non eſſe expreſſam in Proœmio: nam illa tacitè ineſt, ſed quam omnes talem ſibi eſſe perſuadent. Quãdo autem talis eſt, ſufficit ad ampliandam diſpoſitionem, vt tradit citatus Petrus de Luna cum aliis *ſuprà.* Videatur Index. verb. *Ratio.* §. *Ratio generalis, num.* 37. cui non fideliter reſpondet Textus ob incuriam Typographorũ. Videantur autem quæ habet à 23. *& præſertim. num.* 33. *&* 36. *& in Additionibus.*

Pro caſu nimis vrgenti præſumptioni valere

Vtriuſque Compendij verba, circa Superiorum abſentiam.

174 Et hoc quidem probatum à nobis ſpecialiter, quatenus de omnibus loquimur, quibus

Quid illi in caſu vrgenti poſſint.

Digitized by Google

bus caſus poteſt momenti maximi occurrere, circa quod non eſt expreſſa in Societatis jure deciſio. Nam loquendo de Viſitatoribus & Prouincialibus, id eſt in Compendij generalis præfatione decretum, ibi: *Si periculum in mora eſſet, cenſeatur Prouincialibus, & Viſitatoribus eo dumtaxat in caſu communicatus, &c.* Vbi juxta explicationem ibidem adductam, nomine Prouincialium Vice-Prouinciales etiam veniunt. De Præpoſitis autem & Rectoribus non ita clarè diſpoſitum, vnde opus fuit conceſſionem etiam ad eos extendi demonſtrare, ſicut ad Vice-Præpoſitos, & Vice-Rectores, alioſque; maturiſſimo conſilio ſemper proceſſuros. Licèt autem clauſula dicta non inueniatur in Compendio Indico, communis eſt etiam pro Indijs, quia Compendium commune ideò tale dicitur, quia ad omnes ſpectant ea, quæ in ipſo continentur; circa quod eſſe dubium nequit.

Compendiũ generale.

175 Conſultò autem in præfatæ Aſſertionis probatione non ſum vſus communi fundamento ratihabitionis, & Epikeiæ, quo tamen in caſu præſenti vtitur P. Menacho *Diſput. 4. de Priuilegijs, Dub. 11.* poſt hæc ſcripta à me viſus, vt probabilitatem illius oſtendat: licèt ipſe cum P. Suario *Lib. 5. de Legibus, Cap. 23. & Tomo 4. in 3. p. Diſput. 27. Sect. 4. Dub. 4. Aſſert. 1.* & alijs, cenſeat in actibus, in quibus irritatio & nullitas eſſe poteſt ob defectum juriſdictionis aut poteſtatis, locum non habere. Non inquam eo vſus, quia neceſſarium non eſt: & ſine ratihabitione aut Epikeia poteſt inſtrui luculenta probatio. Probauimus enim facultatem eſſe conceſſam pro caſibus, in quibus eſt periculum ex mora, & illam ad omnes extendi. Quòd autem ſi adeſſet R. P. Generalis, ita planè vellet, non eſt argumentum à ratihabitione aut Epikeiâ petitum: ſed ex eo quod tunc vellet, probamus in eâ diſpoſitione, quâ circa Priuilegia diſpoſuit, id, ſi non expreſsè, tacitè tamen, & modo ad operandum ſufficienti iuxta eius beneplacitum voluiſſe. Quòd ſi quis velit Epikeiam dicere, erit quæſtio de nomine, circa quam non eſt cur multùm contendere debeamus. Quòd tunc quidem operari iuxta veroſimilem coniecturam liceat, ſententia eſt quamplurium Doctorum, ex quibus Iaſon ita ſcribit: *Statuentes præſumuntur ſtatuiſſe in caſu omiſſo, quando veroſimiliter ſic ſtatuiſſent, ſi fuiſſent interrogati, & illud habetur proinde acſi ita ſtatuiſſent.* Sic ille circa *L. Barbarius, num. 3. D. de officio Prætoris, & num. 4. & 5.* idem proſequitur, & probat ex identitate rationis. Et verò cùm rationabiliter ſtatuiſſe dubitari nequeat, & ita rationem ſecutos; vbi illa ſublucet, dubitari item nequit iuxta eamdem arbitratos. Id quod in legiſlatoribus Religioſis præcipuè locum habet, quorum diſpoſitiones magis ſunt æquitati conformes, vti quæ ad animarum bonum penitus dirigantur.

Ratihabitionis & Epikeia fũdamentum non adductum, ex ſolidiori conſideratione.

Iaſonis obſeruanda doctrina.

Circa diuerſas in Compendijs Adnotationum formulas vtilis excurſio pro earum intelligentia.

176 QVia verò in Compendijs priuilegiorum Adnotationes non eiſdem verborum formulis inueniuntur propoſitæ, videtur inde poſſe colligi diuerſum earum eſſe ſenſum, in quo magnum eſt momentum conſtitutum. Et de occurrentibus in Compendio Indico frequentiores expromemus; ſic enim ibi: *Prouinciales vti poterunt hac facultate, & ij, quibus ipſi eam communicauerint.* In hac difficultas eſſe nulla poteſt. *Hæc facultas ſit penes Prouinciales, quam in aliquo caſu alicui alteri de Societate communicare poterunt.* Sic *verbo. Apoſtatæ. §. 4.* In quâ aduertendum, vſum tantùm eſſe, quem Prouincialis alteri poteſt concedere: & cùm vſus tantùm competat, dicitur facultas, & conſequenter priuilegium communicari. Ex quo fit, cùm in Adnotationibus prohibetur vſus priuilegij, non eſſe intelligendum concedi quidem priuilegium, ſed vſum moderatum, vt aliqui nimis ſubtiliter cogitarunt, de quo *inferiùs. Hac facultate vti poterunt Prouinciales, & reliqui Superiores de illorum licentia.* Ita verb. *Benedictio.* Vbi dubitari poteſt, an ſi ſuperioribus talis facultas concedi à Prouincialibus ſoleat, intelligenda ſit conceſſa, etiamſi ſpecialis petitio, aut voluntaria conceſſio non præceſſerit. Et videtur affirmatiuè reſpondendum, ſi præſertim caſus vrgeat, juxta dicta *num. præced.* & etiam 173. & prętereà, quia cùm aliquid confertur, id exiſtimandum eſt conferri, ſine quo officium aut munus nequit commodè expediri: juxta *L. Penultimam. D. de vſurar. & L. Quicumque. §. Si ei quem. D. Inſtitut. action.* vbi Doctores. Et in Cap. *Prætereà*, de teſtibus, vbi Aretinus. Si præſertim ita habeat conſuetudo, ſecundùm quam eſt communiter judicandum: & ad inducendum ſufficere vnum actum probant Textus & Doctores, quos adducit Marius Antoninus *Lib. 1. variarum. Reſol. 103. numer. 4.* vt ſcilicet ſolitum dici poſſit, & vt vnus actus non ſufficiat, ſat certè erunt plures, de quibus non extat circa præſentem caſum dubitatio. Si præſertim anteceſſor in officio talem facultatem habuerit: tunc enim ſucceſſorem eâ carere, ipſi eſſet indecorum: & ita non eſt tale aliquid de ſuperiorum, à quibus hoc pendet, voluntate præſumendum.

Circa negatũ vſum obſeruatio peculiaris.

Circa Benedictiones peculiaris difficultas.

177 *Hac vti poſſunt Prouinciales, & ij, quibus ipſi eam commiſerint. Nullus tamen vtetur in ijs locis, in quibus Epiſcopi reſident, niſi Prouincialis ipſe in caſu aliquo particulari eâ vtendum judicaret. Eius tamen facultatis vſum ea conditione concedimus, dummodò Noſtri nihil vnquam eiuſmodi bonorum in proprium aut Societatis vſum conuertere poſſint.* Sic verb. *Compoſitio, §. 1.* Hic etiam negato vſu facultas eſt intelligenda denegata: vnde actus compoſitionis non ſolùm erit illicitus, ſed nullus. Videri autem alicui poſſet oppoſitum non carere fundamento: nam cùm in ſequentibus dicatur vſum facultatis eâ conditione concedi, de qua ibi: hoc circa priorem caſum non inuenitur adiectum. Conditionis enim defectus actum reddit nullum, vt communiter Doctores tenent Iuris diſpoſitiones ſecuti. Cùm ergo ea conditio circa prius omiſſa fuerit, quia non ita viſum eſt puritati in modo procedendi contrarium, quâ debet miniſteria Societatis exerceri; aliter videtur judicandum. Eſt hoc non inveroſimile, ſed quod diximus, præferendum, quia interpretatio dicta conformis eſt ſimilibus alijs formulis, quas ita eſt communis vſus Societatis amplexus.

Circa compoſitionem formula & difficultas circa illã.

178 Hac vti poſſunt omnes Superiores. Sic verb.

Digitized by Google

Conceſſio vſus idem quod facultas.

verb. *Diſpenſatio* §. 2. vbi de diſpenſatione agitur in ieiuniis circa Neophytos Braſiliæ. Ex eâ conſtat conceſſionem vſus, & facultatem, ſeu priuilegium pro eodem vſurpari. Nam in prædicto §. ſic dicitur: *Qui omnimodam facultatem habeant*; & tamen Adnotatio ſic habet, vt vidimus. Eodem verb. §. 3. ſic: *Hæc conceditur omnibus ſuperioribus, & quibus ipſi eam communicauerint. Nemo tamen eâ vtetur, niſi admonito Pœnitente, vt, ſi coniugi ſuperuiuat, votum ſeruet.* Hìc aliter de vſu pronuntiandum: licèt enim quis Pœnitentem non admoneat, diſpenſatio ſtabit: quia Adnotatio tantùm habet vim inſtructionis. Et quando tales ſunt, actuum inualiditatem non inducunt, vt poſt P. Menachum docet P. Quintana *Tomo* 2. *Tract.* 5. *ſingul.* 9. *numer.* 4. Quòd autem inſtructio tantùm ſit, ex eo conſtat, quia admonitio eſt quid valde accidentarium ad diſpenſationem, & cuius poteſt Pœnitens obliuiſci, nec propterea erit irrita diſpenſatio. Poteſt etiam qui diſpenſat, admonitionem per obliuionem omittere; quo euentu ſtabit nihilominùs diſpenſatio. Iudicare item poteſt Pœnitentem ſatis eſſe ſuæ obligationis conſcium, & ita non admonere; vbi & admonitionis defectus nihil obſtabit, etiamſi contingat Pœnitentem non ita fuiſſe ſuæ conſcium obligationis, vti eſt Confeſſarius arbitratus.

Aliquando aliter, & quòd defectus in inſtructione actum non reddat nullum. Vbi ſpecialiter de diſpenſatione in voto.

Circa illud admonitio alia, ſed ſubſtantialis, ex naturali illius obligatione.

179 Eiuſdem verb. §. 4. ſic habetur: *Admonentur tamen Noſtri à ſummo Pontifice, ne hac facultate vtantur, niſi vbi expedire exiſtimauerint: ſuper quo eorum conſcientiæ onerantur.* Eſt illa circa votum Caſtitatis: & in talibus manifeſtum eſt ex omiſſa formâ actûs nullitatem induci, quia eſt circa obligationem voti, in quâ nec Pontifex ipſe poteſt ſine cauſſa rationabili diſpenſare, vt tenent communiter Doctores: & videri ſpecialiter poteſt P. Thomas Sancius *Lib.* 4. *Operis moralis, Cap.* 45. *numer.* 3. Licèt ergo talis admonitio non extaret, obligatio, quæ ex jure naturali prouenit, eadem prorſus inſtaret, & irritus eſſet omnino actus diſpenſationis. Voluit autem ſic admonitos Pontifex, vt in rebus huiuſmodi, quæ magni momenti ſunt, miniſtros redderet cautiores; ne, dum aliquid ſe feciſſe putauerint, nihil fecerint, & abſoluere cupientes, plus ligatos relinquant, qui vt ligati non maneant, nullam ſunt congruam nacti rationem.

Cur addita à Pontifice.

Circa Confeſſarios Indorum an ſit neceſſaria Epiſcopalis approbatio.

180 *Hac vti poſſunt omnes Confeſſarÿ, quos Prouinciales nominauerint, ſeruatis tamen requiſitis à Concilio Tridentino, vbi illud publicatum fuerit.* Sic verb. *eodem*, §. 5. vbi de matrimonijs infidelium eſt ſermo: & conſtat facultatem diſpenſandi concedi, & tamen vſus tantùm verbis Adnotationis indicatus. Quod autem ad requiſita à Concilio Tridentino additum, ea certè conditio à Paulo III. qui prædictum priuilegium conceſſit, & habetur in Bullâ, quæ incipit, *licèt debitum*; non eſt adiecta, neque tunc erat Concilium Tridentinum publicatum: à R. autem P. Generali ſpecialis erga Sedem Apoſtolicam obſeruantiæ gratia videtur appoſita: cùm multorum ſententia ſit ad Confeſſiones Indorum non eſſe neceſſariam in Regularibus approbationem Epiſcoporum. Pro quo varia Priuilegia adducit Fr. Ioannes Baptiſta *in Animaduerſionibus pro Confeſſarÿs Indorum fol.* 440. qui *num.* 20. & 21. id proſequitur, & in fine adducit Venerabilem Mag. Fr. Alfonſum à Veracruce, qui, cùm priùs ſententiam dictam non ſolùm pro Confeſſarijs Indorum, ſed generaliter tenuiſſet, jam morti proximus, ſic ad marginem propriâ manu appoſuit: *Verùm quia res maximi momenti eſt, & dato in foro conſcientiæ omnia priuilegia ſint confirmata, ablata omni reſtrictione Concilÿ Tridentini, quæ ad Confeſſionem non ſolùm forum interius reſpiciunt, ſed etiam exterius: præſentatio Confeſſorum pro antiquis Chriſtianis fieri debet, ſicut Concilium praeſcribit. Hæc ſunt dicta re exactè conſideratâ, quamuis aliquando contrarium apparuit.* Sic ille, circa Confeſſiones Indorum nullo ſcrupulo etiam proximus morti ſtimulatus.

Mag. à Veracruce.

Ex Breui Innocentÿ X. difficultas non leuis, expedita.

181 His obſtare videtur Breue Innocentij X. circa grauem controuerſiam inter Patres Societatis Prouinciæ Nouæ-Hiſpaniæ, & Epiſcopum Angelopolitanum, in quo ſic habetur: *Cenſuit* (Congregatio) *prædictos Religioſos nequaquam poſſe in ciuitate & diœceſi Angelopolitanâ perſonarum ſæcularium Confeſſiones audire ſine approbatione Epiſcopi Diœceſani.* Dici enim poteſt prædictam declarationem procedere de perſonis ſæcularibus abſolutè & generaliter loquendo, non verò de Indis, qui non ſolent illis terminis deſignari. Deinde, pro eodem facit Bulla Pij V. cuius virtute talis facultas competit, & eſt in ordine 34. *Tomo* 2. *Bullarÿ*, in Breui prædicto ita declarari vt locum habere poſſit in locis, in quibus eſt defectus Parochorum: ordinariè autem loquendo defectus Parochorum eſt; licèt enim vt Parochi ſufficientes ſint ſolerti diſpoſitione curetur, vix fieri poteſt vt omnibus ſibi commiſſis adſint, & ij qui adſunt, parùm grati Indis eſſe ſolent, vnde difficillimè adduci poſſunt, vt illis integrè confiteantur. Defectus ergo eſt aut omnimodus, aut formalis, quidquid de materiali præſentiâ ſit. Prætereà, licèt reuerà ita ſit à Sacra Congregatione decretum, & auctoritate Sanctiſſimi confirmatum, id contra vnam eſt tantùm Prouinciam pronuntiatum: & acta inter alios alicui nocere nequeunt eo non citato, iuxta Auctores, quos adducit Marius Antoninus *Lib.* 1. *variarum. Reſolut.* 82. *num.* 9. Præterquàm quòd iuxta aliquos dici poteſt diſpoſitionem dictam in foro externo procedere; cùm tamen Bulla Pij V. pro ſolo interno ſuffragetur: & hoc Religioſos debere eſſe contentos, vt Indorum ſaluti meliùs conſulatur. Quæ quidem veroſimiliter dicta ſint, decretorio iudicio ijs, ad quos illud pertinet, reſeruato. Quamquàm id, quod de ſeruandis à Concilio requiſitis dicitur, non debeat neceſſariò ad appobationem Epiſcopalem trahi, ſed ad ritus in matrimonij celebratione: quæ explicatio videtur magis genuina.

Magis genuina explicatio.

Circa conſulendum Generalem in erectione Eccleſiarū, &c.

182 Verb. *Eccleſia*, circa erectionem Eccleſiarum, hoſpitalium, aut aliorum piorum locorum, ſi Societatis futura ſint, aut eius ſuperintendentiæ ſubiecta, ſic additur: *Conſulatur priùs Generalis.* Vbi omiſſio conſultationis per ſe loquendo graue peccatum eſt, quia diſpoſitio circa prædicta ad Generalem ſpectat, & ita eſt vſurpatio alienæ iuriſdictionis, ex quâ periculum ſubeſſe poteſt, vt ſi erectis non annuat, illa deſtruantur, aut ſumptus magni erga illa reddantur inutiles. Quia verò periculum eſſe in morâ poteſt, pro tali articulo quæ *n.* 173. & *ſeqq.* ſunt dicta, ſuccurrent.

Verb.

Circa Indulgentiã ſpecialem, cũ notanda animaduerſione.

Verb. Indulgentia, §. 3. de communibus, cùm quater in anno viſitantibus Societatis Eccleſias in Braſiliâ, & Indiâ Orientali concedantur, addit Gregorius XIII. *In diebus tamen per Præpoſitum Generalem deſignandis.* Et conceſſionem hanc ad Occidentalem Indiam extendendam, ſicut & alias ſimiles, conſtat ex iis, quæ habentur verb. *Gratiarum communicatio*, §. 1. de quo Nos *ſuprà.* Adnotatio autem ſic habet: *Deſignentur per Prouincialem.* Quod animaduerſione dignum occurrit. Cùm enim Pontifex dicat per Generalem deſignandos, Generalis Prouincialibus id omnino committit. Ex quo apparet illa etiam quæ Generalium ſunt diſpoſitioni commiſſa, aliis eum poſſe committere: quia ſcilicet in eo non eligitur eius induſtria, vt communiter Doctores tradunt, ſed modus gubernationis Societati proprius attenditur, vt ab eo, quæ opportuna viſa fuerint, attentâ diſpoſitione, deſcendant.

Circa diſpenſationẽ in matrimonijs conuerſorum.

183 Verb. *Matrimonium*, §. vnico, ſic additum: *Hac vti poſſunt Superiores, & ij, quibus ipſi eam communicauerint:* vt ſcilicet conuerſi ad fidem matrimonium inire poſſint, etiamſi coniuges infideles habeant, quæ moneri nequeant, aut monitæ ſuam voluntatem opportunè declarare. Quinam autem Superiorum nomine comprehenduntur, ex Compendij Præfatione conſtat, de quo & jam diximus. Videtur autem communicatio minimè neceſſaria, quia immediatè fit conceſſio Presbyteris Societatis, vt ex tenore conſtat, cùm dicitur: *In Angolâ, Æthiopâ, Braſiliâ, & alijs Indicis regionibus, poſſunt eorumdem locorum Ordinarij, Parochi, & Presbyteri noſtræ Societatis ad Confeſſiones audiendas ab eiuſdem Societatis Superioribus approbati, & ad dictas regiones pro tempore miſſi, vel in illis admiſſi, diſpenſare cum quibuſcumque vtriuſque ſexus fidelibus, &c.* Solùm ergo requiritur approbatio Superiorum Societatis ad Confeſſiones audiendas; vt facultas præfata conueniat: communicatio ergo ſolâ approbatione fit, & ita Adnotatio intelligenda.

Concluditur negato vſu facultatem negatam.

184 Et iſtæ quidem ſunt formulæ omnes in Compendio repertæ: illa enim, per quam conceſſio ſit Prouincialibus, vel vſus permittitur, & ijs, quibus ipſi communicauerint, ſæpiùs occurrit. Cùm autem, vt vidimus, pro eodem ſumatur vſum concedi, ſeu facultatem, ſit ex eo actum eſſe nullum, etiam cùm vſus prohibetur: vnde diſcrimen illud de vſu negato, ſed non facultate, omnino eſt Generalium menti difformis. Neque in Societatis ſincero procedendi modo huiuſmodi ſunt ſubtilitates probandæ; licèt verùm ſit occaſiones illarum conuenienter reſecandas. Vnde cùm neſcio quis obligationem eorum Decretorũ Congregationum generalium nullam eſſe contenderet, ex quibus Canones formati non ſunt, propterea quòd in Præfatione dicantur Canones ad praxim pertinere, Præfatio illa juſſu R.P. Mutij expuncta eſt, ne aliis, adeò abſurdæ interpretationis anſam exhiberet. Sed occurrit hoc loco

Dubium ſpeciale, & opportunum.

Priuilegia in Bullis contenta, & non in

185 Ex eo ſcilicet quòd priuilegia aliqua in Compendio Indico non extent, quæ tamen in citatis Bullis Pauli, Vrbani, & Innocentij continentur. Circa illa autem nullæ extant Adnotationes, ſed à RR. PP. Generalibus ſine vlla ſunt limitatione tranſmiſſæ. Licebitnè ergo illarum abſolutus vſus, vel Prouinciales illum poterunt moderari, aut limitationes circa ſimilia in Compendio poſitæ, pro illis debent applicari?

Compendij quomodo limitanda.

Reſponſio 1. de ſimilibus ſimiles limitationes admittens, cùm innouantur.

Reſpondeo primò, ſi priuilegia ſint omnino eadem, quæ ab aliis fuerant Pontificibus, ſed cum temporis limitatione, conceſſa, eas circa illa obſeruandas limitationes, quæ in Compendio habentur. Ideò namque priuilegia dicta in Compendio appoſita, etiamſi temporis lapſu finita, quia ſpes innouationis inerat, & ita Adnotationes ſunt adhibitæ circa vſum aliquando futurum.

Reſponſ. 2. id negans quando ſint diuerſa.

186 Reſpondeo ſecundò, ſi priuilegia non ſint eadem, etiamſi aliquomodo ſimilia, vſus abſolutè licet, quia reſtrictio odioſa eſt, & ita de ſimili ad ſimile non eſt facienda protenſio. Vnde neque in Compendio ipſo ſimiles Adnotationes extant circa ſimilia, vt patet ex Verb. *Diſpenſatio*, §. 1. & 2. vbi circa ieiunia diſpenſationis facultas ſine limitatione conceditur, quæ ſtatim circa eadem adhibetur. Item. Verb. *Altare*, §. 2. nulla eſt Adnotatio extrà Textum, & in eo dicitur Altaria priuilegiata per Superiores locorum deſignanda. Adhibetur autem verb. *Indulgentia*, circa communes in caſu ſimili, de quo *num.* 182. vbi Prouincialibus committitur Eccleſiarum deſignatio. Prætereà, verb. *Matrimonium*, ea conceditur Superioribus omnibus facultas, de quâ *num.* 183. in re ſcilicet adeò graui: cùm tamen circa alias in matrimonio diſpenſationes non ita diſponatur, vt videri poteſt verb. *Diſpenſatio*, §. 6. & 7.

Reſponſ. 3. à Prouincialibus poſſe limitari.

187 Reſpondeo tertiò, Prouinciales poſſe vſum priuilegiorum huiuſmodi limitare. Id conſtat ex Compendij communis Præfatione, de quo dictum *n.* 164. concedendo inquam eorum vſum cum limitatione, quæ fuerit viſa conueniens. Et mens quidem RR. PP. Generalium talis videtur in tranſmiſſione Bullarum: neque enim pro illis minor eſt cautio neceſſaria, quàm pro alijs, de quibus in Compendio agitur, aut de viuæ vocis oraculis. Et ita habet praxis. Non ſolùm ergo ad Prouinciales pertinet priuilegiorum aliàs conceſſorum limitatio, ſed communicatio etiam cum limitatione. Non eſt autem hoc adeò certum, vt oppoſitum veriſimilitudine ſit prorſus deſtitutum: nam licet Prouinciales poſſint limitare priuilegia, conceſſâ à Superiori poteſtate propter inconueniens in vſu deprehenſum; non tamen poſſunt pro arbitrio, vt eſt planum: hoc ergo tantùm eſt quod illis in Præfatione conceditur, non verò vt poſſint priuilegia cum limitatione concedere, aut negare penitus vſum à Generali conceſſum, vt videtur in iis, quæ apud citatas Bullas extant, quibus aliæ aliorum Pontificum pro temporum curſu ſuccedunt. Quod autem de mente Generalium dicitur, erunt qui negant, quia ſi voluiſſent, expreſſiſſent, ex notiſſimo Textu in Cap. *Ad audientiam*, de decimis. Nihilominùs reſolutio noſtra penitus ſuſtinenda, & oppoſitum in praxi poteſt facilè præcaueri, ſi Prouincialis, cùm Confeſſarios approbat, vſum priuilegiorum prohibeat: ad hoc enim

Oppoſitum non inuerosimile.

Sed priori ſtandũ reſolutioni.

non

non eſt neceſſarium inconuenientia deprehendi, quia id in Præfatione non dicitur, ſed *cùm expedire iudicauerint*. Licet ergo à Pontifice conceſſa ſint, talis limitatio vim habebit; vnde aduerſæ poſitioni nullum relinquitur fundamentum.

Dubium aliud circa praxim vtiliſſimum.

Superiores finito officio an habeant vsū facultatū.

188 EX Formulis adductis emergit, in quibus vidimus Prouincialibus, & Rectoribus, ac Superioribus aliis varia priuilegia concedi, ſiue facultatem ad vſum vel vſum ſimpliciter: quod parum aut nihil refert ad præſens inſtitutum. An ſcilicet conceſſio prædicta talis ſit, vt etiam finito officio, facultatibus prædictis vti poſſint, ſiue conceſſæ à R. P. Generali fuerint, quales multæ in Compendiis reperiuntur, ſiue ab aliis, qui ad id habuerint facultatem, vt in eiſdem Compendiis occurrit, dum dicitur concedi Superioribus, & iis, quibus illi communicauerint, nam & Prouinciales concedere illas Superioribus localibus ſolent, attentâ eorum dignitate.

De iis, quæ officio hærent, certa deciſio.

Circa quod vti certiſſimum ſtatuendum eſt ea, quæ ita ad officium ſpectant, vt exercitium illius quâ tale eſt concernant, finito illo finiri. Sic enim tenent Doctores omnes. Vnde facultas, quæ conceſſa eſt Prouincialibus, & durare eſt veroſimile, vt in fine viſitationis poſſint Indulgentiam plenariam concedere, in illis officio perfunctis non remanet, quia viſitationi annexa eſt, & ſic de aliis. *Sub expreſſis nominibus locorum, & non perſonarum, commiſſio emanauit.* Cap. Quoniam Abbas, de officio Delegati. Vbi Scribentes.

Circa alia poſſe ſibi ea concedere.

189 Si verò priuilegia talia ſint, quæ officio non hæreant, ſed aliis communia eſſe poſſint, contingere poteſt vt Superiores illa ſibi ipſis communicauerint: quod quidem facere poſſe docent non contemnendi Scriptores, licet ſint qui negent apud Dianam *Parte* 10. *Tract.* 14. *Reſolut.* 25. & 64. & *Parte* 11. *Tract.* 8. *Reſolut.* 54. & in primis id colligitur ex quampluribus, quos adducit & ſequitur P. Thomas Sancius *Lib.* 8. *de Matrimonio Diſput.* 3. *num* 7. & *in Opere morali Lib.* 4. *Cap.* 37. *num.* 45. & P. Palaus *Tomo* 1. *Tract.* 3. *Diſput.* 6. *Puncto* 7. §. 1. *num.* 2. aſſerentes Prælatos Regulares poſſe directè ſecum diſpenſare in omnibus, in quibus cum aliis poſſunt.

Sicut & diſpenſare ſecum.

Et rationem eam inter alias afferunt, quòd non debent eſſe peioris conditionis quàm alij, quibus poſſunt diſpenſationis beneficia etiam eorum officio finito, duratura concedere: quæ in caſu noſtro pariter militat: cùm enim priuilegia dicto modo concedere aliis poſſint; & ſibi pariter poterunt, ne pejori ſint conditione futuri, & finito officio alios videre ſuo beneficio gaudentes, ſe autem illius penuriâ laborantes. Quòd autem priuilegij conceſſio actus Superioris ſit, & nemo id habeat reſpectu ſuiipſius, in diſpenſatione eamdem difficultatem habet, quia diſpenſatio etiam eſt actus ſuperioris poteſtatis: quod ergo in ea pro ſolutione dicitur, priuilegij conceſſioni pariter applicandum. Et omnes quidem difficultati debent reſpondere, quandoquidem omnes fatentur poſſe Superiores diſpēſare ſecum ſaltem indirectè: quod & de conceſſione Indulgentiarum, communiter etiam Doctores tradunt, paucis reclamantibus, de quo idem P. Sancius *ſuprà Diſput.* 3. *num.* 2. qui *num.* 6. benè expendit in diſpenſatione indirectâ eamdem difficultatem ſubeſſe. Eſt ergo ſimul & Superior & inferior ſub diuerſis reſpectibus: Superior quidem quatenus conferendi facultatem habet: inferior, quatenus communem cum aliis conditionem ſortitur, quibus conferri gratia poteſt, & ſimilem neceſſitatem patiens, aut vtilitatem ſimilem experturus. Colligitur etiam clarè ex P. Thoma Sancio *Diſput.* 3. *citata num.* 6. & 11. vbi ait *Cap. Finale, de Inſtitut.* vbi deciditur eum, qui conferre poteſt Beneficium, non poſſe ſe ipſum inſtituere, ad ſolum caſum ibi deciſum arctari, ex quo ſequitur pro aliis licere, vbi de juriſdictione voluntariâ agitur. Licet autem ratio illius Textus videatur generalis, dum ſic dicitur: *Cùm inter dantem & accipientem debeat eſſe diſtinctio perſonalis*: illam ad eum caſum etiam limitandam oſtendit, ex doctrina Abbatis, & aliorum. Idem tenet P. Palaus *ſuprà*, & in ſpecialibus terminis recentiores Docti, qui ad comprobationem adducunt multorum Doctorum ſententiam affirmantium, eum, qui à teſtatore relinquitur certa pecuniæ ſumma diſtribuenda pauperibus, ſibi ipſi poſſe partem applicare, quam poſſet alteri, ſi in eo requiſitæ concurrant qualitates. Ratio autem præcipua jam eſt inſinuata: quia hoc nullibi inuenitur prohibitum, & ex poteſtate ſecum directè diſpenſandi, vt jam diximus, videtur manifeſtè deduci.

Cap Finale de Inſtitutione, quomodo non obſtat.

Si ea ſibi non contulerint, etiam eſſe probabile illis frui.

190 Plus difficultatis eſt, ſi Superior ſibi ipſi Priuilegia non communicauit; in quo euentu finito officio, poſſe etiam illis frui tamquam valde probabile proponit P. Ioannes Perez Menacho *Diſput.* 4. *de Priuilegiis, Dub.* 30. quia cùm à R. P. Generali cum poteſtate conferendi aliis communicantur, non ſunt tantùm realia ſed perſonalia: neque enim tantùm intuitu muneris, ſed perſonæ etiam tribuuntur: ſiquidem deterioris conditionis eum non vult futurum quàm ſint alij, quibus gratias ſibi conceſſas permanenter impartiuit. Et quidem cùm perſonæ adeò dignæ ſint, & conceſſio fauorabilis, juxta communem juris regulam debet ampliari. *L. Beneficium. D. de Conſtitut. Princip.* & *Cap. Olim, de verborum ſignificat.* Quod roboratur ex Parochis, qui eo ipſo quòd tales ſint, poſſunt generaliter Confeſſiones audire, vt non requirant vlteriorem approbationem, juxta diſpoſitionem Concilij Tridentini *Seſſione* 23. *Cap.* 15. & hoc quidem etiam finitio officio, illis competere quamplures Doctores tenent, dum generaliter ſtatuunt approbatum ſimpliciter ab Epiſcopo ſine reſtrictione ad loca & tempora, aut perſonas, poſſe vbique gentium tali approbatione gaudere, vt videri poteſt apud Baſſæum *Verb. Confeſſarius* 3. *numer.* 11. quia cùm ſit authentica ſententia de idoneitate, vbique ei ſuffragatur, nam & vbique talis debet reputari. Parochus autem ita approbatus eſt: immò ampliori approbatione: cùm non ſolùm idoneus ad audiendas Confeſſiones ſimpliciter judicetur, ſed etiam ad munus Paſtorale, & frequentiorem Sacramenti Pœnitentiæ admi-

Ex Parochis finito officio id roboratur.

Digitized by Google

adminiſtrationem ex juſtitiæ obligatione. Citat etiam adductus Pater Theologos alios ſuppreſſo nomine in *Additionibus* 3. *p. q.* 8. *artic.* 5. vno tantùm P. Martinez nominato. Licet ergo contrarium teneant communiter Doctores, vt videri poteſt apud P. Fagundez *Lib.* 7. *in Secundum Eccleſiæ Præceptum Cap.* 2. *num*38. Martinon *Tom.* 2. *in* 3. *p. Diſputat.* 73. *num.* 33. & Baſſæum *ſuprà num.* 10. Quia tamen probabile illud eſt, ad probabilitatem poſitionis, de quâ loquimur, non incongruè poteſt applicari.

Ex ordinatione, iuxta quã diſpenſandi facultas cum Superioribus conceditur, obiectio.

191 Neque prædictis obſtare debet id, quod habetur *in Ordinatione pro Prouincialibus Cap.* 1. *Ordinationum num.* 22. vbi ita dicitur: *Confeſſarij Superiorum, abſente Prouinciali, diſpenſare cum illis poſſunt in cibis vetitis, horis Canonicis, irregularitate, & ſimilibus, eodem planè modo, quo Superiores cum ſuis ſubditis. Eademque erga Prouinciales facultas eius Confeſſario conceditur. Claudius.* Quæ ordinatio cùm adeò generalis ſit, & pro lege communi propoſita, non eſt opus ad Epiſtolam R. P. Generalis, & teſtimonium P. Granadi recurrere, vt eſt apud P. Quintanam *Tomo.* 1. *Tract.* 3. *Singulari* 24. *num.* 4. vbi concludit quòd Socius Prouincialis, qui eſt eius ordinarius Confeſſarius diſpenſet in prædictis cum ipſo, haberi inter Ordinationes à Septima Congregatione approbatas: quaſi non etiam quod ad Superiores locales pertinet, ibidem habeatur. Ad quod dicendùm à R. P. Generali aſſignari modum ſecurum ad habendam diſpenſationem, ſed non vnicum: neque enim eius intentionis fuit tot Doctorum grauiſſimorum ſententias à praxi Societatis ablegare.

Fit illi ſatis.

Circa aliquorum priuilegiorum vſum notantur nonnulla.

192 Iuxta dicta ergo poterunt ij, qui Superioratu perfuncti ſunt, ſacras veſtes, altaris lintea, & Corporalia benedicere. Quod quidem, dum iter faciunt, erit quandoque conueniens, immò & decoro ipſorum neceſſarium. Cùm enim videant Indorum Parochi aliorum Ordinum Religioſos, immò & heſternos Sacerdotes, juuenes, & inexpertos, benedictiones iſtas priuilegij interuentu paſſim impertire; mirari profectò poterunt viros in Societate grauiſſimos, & ſæpiùs Prælatos, impotentiam ad hujuſmodi functiones allegare. Quod quidem ipſis non poteſt non indecorum accidere, quidquid circa impotentiam dictam excuſationis pergant adhibere. Et ſimiliter eſt in nonnullis aliis diſcurrendum. Nec tamen ex hoc deducere quiſquam debet, in eo, qui Superior fuit, remanere facultatem abſoluendi à reſeruatis, quia talis facultas in Superioribus non habetur per priuilegium, ſed ratione officij. Quemadmodum neque facultas remanet ad dandum & accipiendum, quam ipſe forſan aliquibus cum aliqua generalitate conceſſit: quia & hæc ratione officij conuenit, & ſic aliæ. Nec dici poteſt ex eo fieri vt pejoris maneat conditionis, cùm ea non poſſit, quæ poſſunt alij, quibus eſt ipſe facultatem dilargitus: ex quo Nos ſuperiùs pro permanentiâ priuilegiorum arguebamus. Nam conceſſiones dictæ aduentu noui Superioris ceſſant, ipſo eas reuocante, juxta morem Societatis: de quo P. Quintanad. *ſuprà Singulari* 21. *num.* 5. Quòd ſi concedat iterùm, non erit certè illas iis, qui eas conceſſerant, negaturus. Quod quidem circa priuilegia non ita accidit, quia illa non à Superioribus localibus generaliter communicari ſolent, ſed à Generali, vel Prouinciali, vnde non eſt ita facilis conditionis æqualitas. Et quia etiamſi inæqualitas aliqua ſequatur, ea eſt officij naturam conſequens, cùm Superiori proprium, ſit facultates concedere & licentias: de priuilegiis autem diuerſa eſt ratio, quia illa iuxta qualitates perſonarum conferri æquiſſimũ eſt, dignitate illarum attentâ, ex meritis ſapientiæ & probitatis. Nec de his plura, vt ad ſpecialia priuilegia gradum faciamus.

Non remanere facultatem abſoluendi à reſeruatis.

Satis fit inſtantia.

DE PRIVILEGIIS INDORVM CIRCA SACRAMENTA.

CAPVT VIII.

De Priuilegiis circa Baptiſmum.

NOnnulla circa illum diſcutienda ſuccurrunt, & pro ipſis occurrit

DIFFICVLTAS PRIMA.

An quæuis neceſsitas in Indis pro Baptiſmi receptione ſine ſolemnitate ſufficiat.

193 CIrca hoc extat Pij V. Gregorij XIII. & Vrbani VIII. conceſſio, de qua in Compendio. Verb. *Baptiſmus.* Et in Bulla Vrbani, quæ incipit, *Cùm ſicut accepimus.* Quia verò temporalis fuit, ſi priuilegio eſt opus, ad aliud recurrendum. Et P. Quintanad. *Tomo* 2. *Tract.* 6. *Singulari* 11. *Verb. Baptiſmus.* adducit Bullam Leonis X. à ſe relatam *Singulari* 3. *num.* 7. vbi relatio illius nulla. Adducit item Bullam Innocentij Quarti, quæ eſt non vigeſima illius apud Emmanuelem, vt ipſe ait, ſed 19. in qua ſic loquitur: *Præſentium vobis auctoritate concedimus, vt in terris, quæ adhuc Sedis Apoſtolicæ magiſterio non intendunt, proponere verbum Dei &c. Et ipſos, ſeu etiam alios conuerti ad vnitatem fidei cupientes, recipere, baptizare, & aggregare Eccleſiæ filiis valeatis. &c.* Sic ille Prædicatoribus infidelium, hæreticorum, & ſchiſmaticorum. Vbi tamen dubium circa infantes occurrit, quia conceſſio dicta de ſolis videtur adultis procedere. Sed cùm fauorabile priuilegiũ ſit, ad illos eſt etiam extendẽdum, ſi quidquam ſpeciale in hac parte concedit: illi enim etiã dici poſſunt ad vnitatem fidei Chriſtianæ conuerti, cùm è diaboli ſeruitute, & diuiſione ab Eccleſiæ vnitate, in qua ſunt ratione communis talium gentium ſtatus, ad vnitatem Chriſtianæ fidei, quam habitualiter recipiunt, conuertuntur. Pro quo facit doctrina Emmanuelis Roderici *Tomo* 1 *qq. regul. q.* 31 *art.* 3. de Indiis loquentis: quòd licet in particulari nouiter conuerſi dicantur, qui iam adulti ſunt baptizati: nihilominus in generabili cõſiderantibus illam noui huius Orbis Eccleſiam in Deo adunatam, omnes & ſinguli illarum partium nouiter conuerſi apparebunt: quod fideli miniſtrorum Euangelicorum apud eos laborantium teſtimonio comprobatur:

Priuilegia circa Baptiſmum.

Innocentius IV. quod concedit ad infantes extendendum.

Emmanuelis accommodata doctrina.

Digitized by Google

probatur: Hæc ille aliàs; & eidem concinens Miranda in *Manuali Tomo* 1. *quæſt.* 43. *artic.* 2. §. *Præter de quo* & poſteà: ſed, vt dixi, cauſſæ poteſt præſenti accommodari. Videtur autem in prædicta conceſſione nihil haberi ſpeciale ad intentum, quia tantùm conceditur id, quod eſt ad conuerſionem neceſſarium, & illius præcipuum fundamentum: baptizari inquam, conuerti cupientes: circa modum autem nihil dicitur, vnde recepto Eccleſiæ mori videtur relinqui. Nihilominùs rectè poteſt conceſſio dicta, cùm adeò fauorabilis ſit, & priuilegij aliquid contineat, ad omnem modum extendi, qui ad conuerſionem conuenientior fuerit iudicatus: vnde & ad Baptiſmi collationem ſine ſolemnitate, ſi id viſum fuerit expedire.

Quid Innocentius concedat.

Bulla Adriani VI. quid concedat.

194 Adducitur etiam pro eodem Bulla Adriani Sexti *Ann.* 1522. quæ dicitur *Omnimoda*, in quâ ad petitionem Caroli V. Imperatoris, & Hiſpaniarum Regis, conceſſit *vt Prælati Ordinum Mendicantium, & alij, quibus ipſi de Fratribus ſuis in Indiis commorantibus, duxerint committendum, tam quoad Fratres ſuos, & alios cuiuſcumque Ordinis, qui fuerint ad conuerſionis opus deputati, ac ſuper Indos ad fidem Chriſti conuerſos, quàm etiam ad alios Chriſticolas ad dictum opus eoſdem comitantes, omnimodam auctoritatem Apoſtolicam, tantam, quantam ipſi, & per eos deputati de Fratribus ſuis, iudicauerint opportunam & expedientem pro conuerſione Indorum, & manutentione, ac profectu illorum in fide Catholica, & obedientia Romanæ Eccleſiæ.* Quod priuilegium quoad forum conſcientiæ non eſſe reuocatum affirmat Emmanuel Rodericus *ſuprà. quæſt.* 20. *art.* 9. in fine. Et quoad vtrumque forum vim ſuam retinere aſſerit Fr. Ioannes Baptiſta in *Animaduerſionibus pro Confeſſariis Indorum fol.* 125. *pag.* 1. de quo aliàs, Iuxta illud ergo licebit baptizare Indos Religioſis priuilegiatis, prout opportunum iudicauerint. Sed difficultas propoſita locum adhuc obtinet, an ſcilicet quæuis neceſſitas debeat ſufficiens iudicari. Refertur item Vrbani Octaui conceſſio: ſed illa etſi iterata fuerit Pauli V. gratia, iam ante annos aliquot expirauit, vt recognoſcit generaliter de illius Pontificis conceſſionibus ipſe Pater Quintana. *Singulari* 3. licet *Singulari* 2. *num.* 4. vbi tenorem conceſſionis adducit, nullam temporis limitationem adhibeat, ſcribentium incuriâ. Sunt etiam priuilegia Pauli Tertij, & Pij V. de quibus dictus Fr. Emmanuel *Artic.* 3. *citato, vt in omnibus Monaſteriis Ordinum, vel extra illa, in locis ipſarum partium ipſis deputatis, poſſint Religioſi baptizare.* Vbi de gradu neceſſitatis nihil, vt ſolemnitas poſſit prætermitti. Pro quo

Priuilegia alia.

Aſſertio 1. Quamlibet rationabilem neceſſitatem ſufficere.

195 Dico Primò. Quælibet neceſſitas, quæ veroſimiliter videatur vrgere, ſufficiens eſt vt Indi poſſint ſine ſolemnitate baptizari. Id conſtat ex adductis priuilegiis; cùm enim facultatem in ordine ad hoc concedant abſolutè loquendo ita, debet profectò intelligi, vt *numer.* 193. dicebamus. Et priuilegio illo Innocentij Quarti non fruuntur Religioſi, Sed quicumque alij conuerſioni Indorum deputati, quales ſunt Indorum Parochi, & ad titulum Indorum etiam ordinati, quamuis Parochi non ſint.

Aſſertio 2. Id ſine pri-uilegio licere.

196 Dico ſecundò. Etiam ſine priuilegio aliquo baptizari Indi ſine ſolemnitate poſſunt, neceſſitate qualibet occurrente, quæ talis in aliis non ſufficiens haberetur. Probatur. Quia minùs aliquid pro ipſis exigitur, iuxta dicta, & præterea periculum eſſe poteſt, ſi baptiſmus pro infantibus differatur, ob ſocordiam matrum eos ſuffocantium inter dormiendum, aut verentium, ſi ſemel repulſæ, eos iterùm miniſtris ſacris præſentare, etiamſi morbo videant laborantes, de cuius vi ferre iudicium nequeunt: vel ſi morientes videant, iam fortè Baptiſmi opportunitas, ob Miniſtri defectum, auolauit. Quia verò etiam reſpectu adultorum tale aliquid poteſt accidere, circa illos ſimiliter eſt philoſophandum. Pro quo faciunt quæ habet P. Quintanad. *Tomo.* 1. *Tract.* 1. *Singulari* 20. *num.* 3. Quod ergo Pontifices in conceſſionibus pro Societate adductis dicunt, poſſe ſcilicet Noſtros *extra Eccleſias, & ſine conſuetis cæremoniis, quando ipſi iudicabunt ad maius Dei obſequium fore*: quoad hæc non habet rationem temporalis conceſſionis; quando ſcilicet neceſſitas exigit, talis prudenter iudicata, ſed abſolutæ declarationis, quæ quidem eatenus tantùm eſſe temporalis poteſt, quatenus ſtatim additur: *Propter paucitatem operariorum, & incommoditates, quæ ſe offerunt*: hæc enim ad neceſſitatem non videntur pertinere. Quamquàm & rationes illæ tales ſint, vt ſufficere etiam ad prædictum effectum poſſint. Quis enim dubitet propter paucitatem operariorum, & incommoditates occurrentes, poſſe Baptiſmum ſine ordinariis ſolemnitatibus miniſtrari? Solemnitates enim accidentia quædam ſunt, ſine quibus ſtare tota ſubſtantia & Baptiſmi effectus poſſunt: vnde propter eas non debet periculo amiſſionis exponi: quod ſanè contingeret, ſi paucitate operariorum exiſtente, circa cæremonias nimis occuparentur: tunc enim non poſſet omnibus ſatisfieri, & ita ſubſtantia propter accidentia relicta, in maximum plurium damnum redundaret. Quod item accideret ſi incommoditatibus ſe offerentibus, circa cæremonias eſſet inſiſtendum, defatigatio enim operarios breui conſumeret, vel ad animarum ſalutem vix relinqueret efficaces. Vnde exiſtimare quis poſſet conceſſionem dictam ob ſedandos aliquorum ſcrupulos à Sede Apoſtolicâ prodiiſſe: niſi huic cogitationi obſtaret fuiſſe illam temporalem, & breuioris æui quàm aliæ: ad decennium enim à Pio V. & Gregorio XIII. ſolùm facta reperitur: licet ab Vrbano decennium fuerit duplicatum: quæ enim tales ſunt, videntur futuræ perpetuæ. Nihilominùs vt temporalis eſſet, rationem aliquam potuerunt habere Pontifices, vt ſcilicet cura petendi illam, in miniſterio tanto operarios redderet attentiores. Verùm Pontifices alij circa hoc liberaliores, Operariorum labores hac voluerunt indulgentiâ munerari, & Indorum ſaluti abundantiùs ſubuenire. Omnes tamen piè, ſanctè, & prudenter, in ſuis ſenſibus abundarunt.

Pontificum mens.

Conceſſio quomodo temporalis.

Digitized by Google

DIFFICVLTAS II.

An alij præter Parochos ſine eorum licentiâ poſſint Indos ſolemniter baptizare.

Poſſe Religioſos ſolemniter baptizare ſine licentia Parochorum, qui, & qualiter probent.

197 AFfirmant Emmanuel Rodericus *Tomo* 1. *qq. regular. q.*31. *art.* 3. Fr. Ioannes Baptiſta *in Animaduerſionibus pro Indorum Confeſſarijs, fol.* 199. *pag.* 2. *num.*40. P. Quintanad. *Tomo* 2. *Tractat.* 6. *ſingulari* 11. ob priuilegia Pauli III. à Pio V. confirmata, de quo *num.* 194. Addit Fr. Emmanuel, quem Fr. Ioannes Baptiſtâ ferè ſemper ad verbum referre, & tranſcribere ſolitus, & ſequitur etiam Miranda *ſuprà, & art.* 5. §. *Secundò dico*, quòd Fratres ſolùm debent baptizare in Eccleſiis Monaſteriorum ſui Ordinis,in quibus habitant, etiam in ciuitatibus ſeu oppidis Hiſpanorum,vt fit Mexici, & in locis, quæ habent *de viſita*,vt vocant. Nam indecens eſſet quod Sacramentum,quod tantas cæremonias & ſolemnitates publicas petit, adminiſtraretur in alienâ Parochiâ ſine licentiâ proprij Parochi, quia ſic confunderetur Eccleſiaſticus ordo contra Sacros Canones Cap. *Perennis* 11. *q.* 1. Quòd ſi Papa particulariter non exprimit in conceſſione, nullo modo debere intelligi, vel deduci ex conceſſione generali, vt eſt conceſſio Pauli III. numquam enim Papa in generali conceſſione viſus eſt alicui præiudicare. Et addit non eſſe dubium quòd in Eccleſiis Fratrum ſupradictis poſſit fieri Baptiſmus; aliàs conceſſio Pauli III. ſuum effectum non conſequeretur. In quibus etiam baptizare poſſunt Indos aliorum populorum, ſiue Clericorum, ſiue alterius Ordinis: quia ſic factum fuit à principio in his Prouinciis, vt conſtat ex teſtimonio virorum grauium, qui ex illis partibus in Europam remearunt. Hæc omnia dictus Fr. Emmanuel. Quibus non obſtantibus

Aſſertio 1. *id negans, vbi ſunt proprij Parochi.*

198 Dico primò. Vbi Parochi ſunt, quorum curæ Indorum populi ſunt commiſſi, nequeunt Religioſi ſine ſpeciali eorum licentia, aut eorum, qui concedere illam iure poſſunt, Batiſmum ſolemni ritu conferre. Sic P. Suarez *Tomo* 4. *de Religione, Tractat.* 10 *Lib.*9. *Cap.*4. *num.* 6. P. Eſcobar de Mendoza *Tomo* 2. *Problematum moralium, Lib.*11.*n.*388. & alij. Id probo; quia ſine priuilegio id facere graue peccatum eſt, quandoquidem vſurpati eſt Paſtoralis officij in re admodùm graui: vnde etiam à proprio Parocho nequit Baptiſmus ſine ſolemnitate conferri extra caſum neceſſitatis, vt cum Dominico Soto, & communi Doctorum fatetur Emmanuel *ſuprà*,& Miranda de Indiis loquens *Art.* 3. §.*Extra caſum:* pro quo & videri poteſt P.Suarez *Tomo* 3. *in* 3.*p. Diſp.*31.*Sect.*5. §. *Tertium Caput*,qui vt certum id proponit. Atqui vt ſic fieri debeat, priuilegium non extat: ergo nequit abſolutè fieri. Maior iam conſtat, & Minor oſtenditur: Quia priuilegia, quæ ſuffragari poterant,ea ſunt,de quibus dictum *num.*193. *&* 194. illa autem non ſuffragantur, quia circa caſum, de quo loquimur, non diſponunt. Oſtendatur enim vbinam concedant Pontifices, quòd Parochis populorum extantibus,Religioſi queant eorum Parochianos ſolemniter baptizare. Nullibi certè hoc reperietur, ſed generales quædam conceſſiones, quæ cum præiudicio tertij intelligendæ non ſunt, iuxta doctrinam communiter receptam, & ex quâ arguit citatus Emmanuel ad probandum Religioſos non poſſe in alienâ Eccleſiâ ſolemniter baptizare, vt vidimus *num. præced.* & ille quidem conceſſioni Pauli III. à Pio V. confirmatæ præſertim innititur, propter verba illa: *Vt in omnibus Monaſterijs Ordinum, vel extra illa, in locis ipſarum partium ipſis deputatis poſſint Religioſi baptizare.* Sed certè non vrgent, quia ibi de Parochis eſt ſermo: ad inſtantiam enim Philippi II. dictus Pontifex conceſſit vt in partibus Indiarum parochorum poſſent officium exercere: & talis quidem cura in Monaſteriis ſuſtineri poteſt, ſi ſic Patrono arrideat, aut in locis aliis, vt communiter accidit, dum Indorum populis Religioſi Parochi deputantur. Non ergo ex dicta poſitione poteſt elici idem eſſe de non Parochis accipiendum. Vnde Bullam dictam quatenus non videtur id reuocare, quod ante huiuſmodi deputationem ad Parochialem curam in vſu erat, tantùm habere locum in locis vbi eſt defectus Parochorum, declarauit Innocentius X. in Breui circa controuerſias cum Epiſcopo Angelopolitano, de quo *numer.* 181. & licet, vt ibidem diximus, Breue illud non videatur generalem deciſionem continere, ſed quæ tantùm controuerſiæ partes attingat, quod nec ſcimus hucuſque fuiſſe executioni mandatum, nam ſupplicatum de eo, & Audientia Mexicana circa hoc eſt interpellata. Nihilominùs circa caſum præſentem multùm videtur habere momenti, quia deciſio generalis eſt, & cum Regularibus abſolutè loquitur. Et vt circa alia ſuſtineri reſponſio illa poſſit, non tamen circa Baptiſmi ſolemnitatem, quia neceſſaria non eſt talis facultas ad fidei propagationem, vbi Parochi deſignati ſunt; ſicut eſſe poteſt pro Baptiſmo non ſolemni, ob rationes adductas *numer.* 196. & pro Sacramento Pœnitentiæ. Quod autem *citato numer.* 181. dicebatur circa Parochorum defectum, ſemper ſcilicet illum occurrere, in cauſſâ præſenti non habet locum: nam ad baptizandum ſolemniter talis defectus non eſt, neque Indi ſuos Parochos ea in functione deuitant. Id autem quod diximus certius eſt, ſi de baptiſmo eorum agatur, qui ex parentibus fidelibus nati ſunt: circa adultos autem nouiter conuerſos probabilis eſt oppoſita aſſertiò, quia illi Parochis non ſunt ſubiecti, & ita eiſdem, dum baptizantur, nullum præiudicium generatur. Et hoc ſibi eſſe valdè probabile affirmat P. Suarez *Cap.* 4. *citato, num.*7. licèt contrarium vti ſecurius amplectendum dicat *num* 8. quando ſcilicet tales conuerſi intra diœceſim aliquam degunt, eo enim ipſo ad curam Paſtorum pertinent pro eadem poſitorum. Et P.Suarium ſequitur P.Eſcobar *ſuprà*, *num.* 389. ſicut & P. Palaum *Parte* 4. *Tractat.*19. *P.*9. *num.*3.

Verba priuilegij Pij V.

Breue Innocentij X. vt conferat ad intentū.

Aſſertio 2. *conſuetudinem circa hoc vti priuilegium generaliter extendi.*

199 Dico ſecundò. Si conſuetudo alicubi legitimè præſcripta inueniatur, vt Religioſi fontem habeant baptiſmalem, cùm tamen Parochi non ſint vt de Mexicana Prouincia affirmare viditnus Fr. Ioannem Baptiſtam *num.* 197. poſſet quidem

Digitized by Google

quidem illud alibi practicari, iuxta dicta *n.* 116. ibi enim varia Pontificum priuilegia occurrent, pro ampliſſimâ eorum communicatione. Habet autem prædicta conſuetudo rationem priuilegij ſpecialis, quatenus vel ſcientiam & patientiam legiſlatoris importat, vel etiamſi eam ignoret, eidem per diſpoſitionem Iuris ſtatuentis requiſita conſuetudinis, illi vim tribuit: vnde videtur habere rationem ſpecialis conceſſionis: quia conſuetudo in fauorabilibus nomine priuilegij venit, vt ait P. Suarez *Lib.* 8. *de Legibus, Cap.* 7. *num.* 7. *&* 10. & alij. quos adducit P. Quintanad. *Tractat.* 5. *ſingular.* 4. *num.* 8. Quòd quidem eſt juxta communem ſententiam, quam cum multis tenet idem P. Suarez *Lib.* 7. *de Legibus, Cap.* 13. *num.* 7. Vnde perinde eſt acſi id, quod conſuetudine habetur, legiſlator expreſsè conceſſiſſet. Et Doctores hanc ſententiam tenentes, de conſuetudine loquuntur circa ea, quæ jus Canonicum concernunt, vnde & de Pontifice, illius auctore. *Cap. vlt. de Conſuetudine:* vbi duæ tantùm conditiones ad conſuetudinem Eccleſiaſticam requiruntur, quòd ſcilicet ſit *rationabilis, & legitimè præſcripta.* Eo ergo ipſo quòd Pontifex ſic ſtatuit, circa conſuetudines omnes duabus illis qualitatibus præditas, cenſetur præbere conſenſum. Pro quo & ſunt quamplures alij, quos adducit Diana *Parte* 6. *Tractat.* 5. *Reſolut.* 13. & videndi P. Thomas Sancius *Lib.* 7. *de Matrimonio, Diſput.* 4. *num.* 11. & P. Palaus *Tomo* 1. *Tractat.* 3. *Diſputat.* 3. *Puncto* 2. §. 4. *numer.* 3. Quod quidem videtur ſpecialem vim habere, cùm conſuetudo priuilegio innititur, quod ſic ipſa interpretatur conſuetudo. Tunc enim non tam conſuetudo, quàm priuilegium ipſum videtur præualere, quod ſic eſſe intelligendum conſuetudo firmauit, quæ optima eſt legum interpres. *Cap. Cùm dilectus*, de conſuetudine. Vnde Doctores quatuor modos interpretationis priuilegiorum eſſe dicunt, ſcilicet ab ipſo priuilegiante, per ſententiam judicis, doctrinaliter per Doctorum Conſilia, & per conſuetudinem. Et hanc maximè debere attendi, etiam cùm agitur de iure tertij, obſeruat Syluester Verb. *Priuilegium, num.* 3. & pro eo adducit Cap. *Cùm dilectio*, de Conſanguinit. Vbi tamen de interpretatione priuilegij non eſt ſermo, ſed legis conſanguinitatis gradus, quibus matrimonium impeditur ſtatuentis, circa quos Pontifex ait receptæ eſſe conſuetudini deferendum. Argui ergo ex eo pro priuilegio licet, quatenus eſt priuata lex, & ita more legis interpretationem habiturum. Quod quidem licet probabile ſit, non tamen videtur ad praxim adducendum, quia neque neceſſarium eſt pro conuerſione Indorum promouenda, & litibus occaſionem præſtat inter Religioſos ac Prælatos ſæculares, quas oportet penitus amputari. Et quidem in Perunio, & adiacentibus Prouincijs talis conſuetudo non extat, neque permittuntur Religioſi fontem Baptiſmalem habere, etiam pro mancipiorum filijs, & adſcriptitijs ſeruis, vulgò *Ianaconas*, & quod in nonnullis partibus circa hoc fuerat introductum, Prælatis & Patrono agentibus, eſt prorſus abrogatum. Pro quo & eſt Decretum Concilij Tertij Limenſis *Action.* 2. *Cap.* 12. vbi ſic habetur: *Regularibus, præterquàm in Indorum oppidis, vbi Parochorum munus exercent, Baptiſteria habere, aut præter neceſſitatem baptizare, aut matrimonia copulare, ſacri Canones prohibent. Id ita fieri hæc ſancta Synodus valdè commendat; ne ſcandala in Eccleſiâ ab ijs fiant, quos maximè oportet exemplo humilitatis alijs præſtare.* Hæc Concilium: non jubens ſuæ juriſdictionis conſcium, ſed commendans ob ſcandalorum experientiam: vnde nihil contra priuilegia pronuntiatum.

Fauorabilem rationē priuilegij habere.

Quia conſenſus legiſlatoris ad conſuetudinem ſit ſatis.

Quatuor modi interpretationis priuilegiorū ex quibus præcipuus conſuetudo.

Cap. Cùm dilectio, de conſanguinit. vt conferat ad intentum.

Concilij Limenſis Decretum.

200 Dico tertiò. Virtute priuilegij Innocentij IV. de quo *num.* 193. quicumque Euangelici miniſtri, etiamſi Religioſi non ſint, in partibus vbi Parochi non ſunt, poſſunt ſolemniter baptizare. Sic citati pro *Aſſert.* 1. licèt priuilegij præfati non meminerint in ſpeciali. Et conſtat ex tenore Bullæ, quia generalis ad omnes eſt: & licet ſolemnitas non videatur neceſſaria, poteſt tamen ad effectum auctorizandi Sacramentum conferre, vt ſublimem de illo conceptum, qui conuertuntur, efforment. Quòd ſi aliquid deſit ex iis, quæ Eccleſiaſticâ lege requiruntur, non ideò eſt illicitum cum alijs ipſum miniſtrare: ſi enim non eſt illicitum ſine omnibus, quæ ad ſolemnitatem ſpectant, neque erit ſine aliquibus; quia cui licet id quod plus eſt, licet etiam quod eſt minus, ex Regulis Iuris in *Sexto:* quando ſcilicet plus & minus in eodem genere ſunt, & præſertim quando vnum eſt pars, vel quaſi pars, vt dictum aliàs: & hic eſt cernere, vbi id, quod non ſuppetit, ſolemnitatis totalis portio eſt.

Aſſertio 3. vbi non adſunt Parochi, licet ſolemnitas Baptiſmalis.

DIFFICVLTAS III.

An pro filijs Regulorum apud Indos extet aliquod priuilegium circa Baptiſmum.

201 Baptiſmum in Eccleſiâ debere conferri, quando ſolemniter miniſtratur, communis omnium ſententia eſt, qui oppoſitum ſine mortalis peccati reatu fieri non poſſe determinant. Pro quo eſt Decretum Clementis V. in Concilio Viennenſi, & habetur *in Clement.* 1. *de Baptiſmo*, qui ab hac generali obligatione Regum ac Principum filios excmit. Quod autem non Principum quorumlibet, ſed magnorum eſſe debeant, expoſuit Paulus V. in Rituali circa Sacramenti huius adminiſtrationem. In explicando autem quinam Principes, aut magni ſint Principes dicendi, diuerſa ſunt ſcribentium placita, vt videri poteſt apud P. Quintanam *Tomo* 1. *Tractat.* 1. *ſingular.* 21. vbi ipſe iuxta propriam ſententiam ſtatuit omnes filios ac nepotes Ducum, Marchionum, Comitum, & Vaſallos habentium, qui Tituli dici ſolent, Vice-Regum, Oratorum Regiorum, & Pontificis, Præſidis Regij Senatus, & fortè aliorum, vt Ordinum, Indiarum, Belli, & Iuſtitiæ, dum hoc munere ac familiæ ſplendore fruuntur, ac iis ſimiles, eo nomine comprehendi non eſſe improbabile. Et quod ad nepotes attinet, ex nonnullis auctoritatibus oſtendit filiorum nomine comprehenſos. Iuxta hæc ergo exiſtimare quis poſſet filios Regulorum apud Indos, qui ſcilicet gubernatores Prouinciarum ſunt, & etiam qui in oppidis pro potentatibus habentur, iuxta gentis morem, eodem poſſe priuilegio gaudere. Videntur enim illi potentatibus Hiſpaniæ, & aliarum Chriſtiani Orbis Prouinciarum reſpondere,

Obligatio baptizandi ſolemniter in Eccleſiâ ſub mortali.

Principum nomine qui veniant in exceptione, iuxta noua opinionem.

Digitized by Google

dere, vnde & de illis etiam idem probabiliter aſſerendum.

Aſſertio 1. illam rejiciens.

202 Dico primò. Non videtur probabile quòd nomine Principum illi veniant, quos dudum citatus Auctor enumerat. Id conſtat; quia ſine vllo ſolido fundamento profertur. Et quidem Clemens V. Regum & Principum filios expreſſit, cùm ſatis eſſet Principes nominaſſe. Paulus V. magnos Principes tantùm excipiendos voluit. Quis autem dicat Titularem quemlibet aut vaſallorum dominum eſſe Principem Regi ſimilem, aut magnum Principem? Id quod de Senatuum Regiorum Præſidibus pariter eſt dicendum: contra omnem enim ſtylum eſt vt tales dicantur abſolutè Principes, & multò minùs magni Principes. Vnde neque illi, qui titulo Principum ſpecialiter prædití ſunt, vt Melitenſis, Squillacenſis, Aſculitanus, & ſimiles, in ordine ad priuilegium dictum eo poſſunt titulo ſe tueri: quia ratione illius non ſunt maiores Titulatis alijs, immò neque pares plurimis, vt eſt notum. Licèt ergo priuilegium fauorabiliter exponendum ſit, & nomen non ſemper iuxta omnem proprietatem accipiendum, vt Doctores tradunt: id certè verum habet quando priuilegiũ nõ eſt contra ius commune; vel ſi contra illud eſt, in fauorẽ religionis cedit, aut negotium pietatis importat, vt non ſemel dictum. Videatur Syluester *n. 3. citato*, ex cõmuni doctrinâ locutus: pro quo *&* *n. 199.* citatum Cap. *Cùm Dilectus*, adducit. Et vt ſtare aliquomodo poſſit fauorabilis interpretatio, etiam quando priuilegium eſt contra ius commune; id certè ſtabit, vbi mens legiſlatoris non eſt ex ipſius verbis comperta; quod tamen in præſenti accidit, vt oſtendimus. Neque ex eo quòd priuilegium dictum circa Sacramenti ſuſceptionem ſit, per quod ſic Religionis Chriſtianæ profeſſio, & erga Deum & Eccleſiam pietas exercetur, exiſtimari debet cauſſam religionis aut pietatis agi, quia non eſt circa ſubſtantiam ipſius Sacramenti, & in bonum animæ ſuſcipientis, aut pro fide propagandâ: ſed tantùm eſt conniuentia quædam, & obſeruantia Eccleſiæ erga Principes, quos vult eâ in functione alijs inferioribus anteferri, ſicut & eiſdem incenſationem fieri inter ſolemnia Miſſarum officia, & Euangeliorum librum oſculandum deferri. Vnde Clemens V. in citato Decreto his vſus verbis: *Niſi Regum, & Principum, quibus valet in hoc caſu deferri.* Quòd autem id ad eum concedatur finem, vt Chriſtiani Principes hac Eccleſiæ obſeruantiâ magis erga eam afficiantur, & ſic rem Chriſtianam ſtudioſè promouere pergant; valde quidem remotum eſt, vt vix aliquod erit priuilegium, quod eo modo non poſſit ad Religionem & pietatem reuocari.

Priuilegij verba quãdo in ſenſu minùs proprio accipi debeant.

Ad nepotes & quoſdã alios inueroſimilem eſſe extenſionem.

203 Quòd autem ad nepotes, & ad filios etiam naturales etiam debeat extendi prædicta conceſſio, inueroſimile prorſus apparet: licèt enim aliquando nepotes nomine filiorum veniant, id quidem eſt quando in illis eadem extat conceſſionis ratio, ex cuius extenſione inconueniens nullum ſubſequatur: quod tamen in præſenti non euenit: vt enim in filio ſingularitas illa ſeruetur, dignitas & ſplendor patris in cauſſâ eſt: quæ tamen in nepote poteſt non eſſe talis, ſi videlicet pater valde imparis dignitatis ac ſplendoris ſit, vt in multis ſolet filijs accidere, quos dicimus *Secundones*, qui à priuatis alijs equitibus vix diſtant, & ſtudijs aut militiæ à parentibus addicuntur. Ex quo obuium eſt inconueniens immoderatæ extenſionis, vt nobilis quiſque genus à Principibus ſe trahere dicat, & ſic eius filios domi baptizandos, vnde Sacramenti tanti reuerentia minuatur. Quoad nepotes autem ex primogenitis diuerſa eſt ratio, ſi & ipſi primogeniti ſint; quia cum parentibus in dignitate innatâ & familiæ ſplendore reſpondeant, iam & ipſi Principes ſunt, & Principum filij. Licèt ergo demus omnes illos, circa quos contenditur, Principum nomine cenſeri, non ſequitur eorum tales eſſe nepotes, qui debeant filiorum dicto priuilegio gaudere. Naturales autem filij, ſi eorum ſint, de quibus Pontifices loquuntur, gaudebunt quidem: nec ſolùm naturales, ſed quicumque illi fuerint, quia circa illos diſpoſitio Pontificia currit, cùm veriſſimè Principum filij ſint, & multoties Principes ſupremos ſuperiorem non recognoſcentes, ſoleant ſuperare. De illis autem, de quibus id aſſeritur, inueroſimile prorſus apparere dixi, quia de legitimis parùm aſſerui veroſimile. Si autem illud admittatur, quod à prædicto Auctore profertur, naturales filij poſſunt ad conceſſionis participationem admitti, ex benignâ interpretatione, vt loquitur Syluester in Verb. *Filij, num. 29.* Pro quo adducit *Cap. Vnicum, 35. q. 7.* vbi de naturalibus verbum nullum. Et ita neque de benignâ interpretatione. Baſtardi autem non ita: quia vt *citato Capite* habetur ex D. Auguſtino *in Quæſtionibus ſuper Leuiticum, Cap. 77.* de inceſtuoſis congreſſibus loquente: *vt quicumque ex eis nati fuerint, non reputentur filij, & nullo parentum iure ſuccedant.* Sic ibi. In filijs autem Regum, & ſupremorum Principum alia videtur eſſe ratio, vt jam diximus, quia illi poſſunt filiis gradum excellentiæ ſupra vaſallos omnes conferre, quia ſuis quoad hoc legibus non tenentur: vnde ſicut legitimare aliorum filios poſſunt, ità & ſuis excellentiam ſupra alios perhibere.

Pro quibus non legitimis admittatur.

Pro quibus denegetur.

D. Auguſt.

Filios Indicorum Regulorum priuilegio dicto non gaudere.

204 Dico ſecundò. Filiis Regulorum Indicorum nequit priuilegium dictum applicari. Conſtat ex dictis. Et quia licet illi ſupra alios emineant, vaſalli tamen Regis ſunt, & eorum domus, non palatia, ſed indecora & inornata vt inplurimùm ædificia ſunt, minimè opulentiorum ciuium ædificijs conferenda: & neque vulgari ſtylo illi vocantur Principes, licèt eorum aliqui Regiâ dicantur origine coruſcare. Ex quibus liquet omni eſſe fundamento deſtitutam eorum, (ſi fortè plures ſunt) perſuaſionem qui Commendatariorum Indicorum filios poſſe præfato priuilegio frui, non ſunt veriti pronuntiare. Hos enim Indicos eſſe dicendos Principes aſſerebant, reſpondentes Titularis in Hiſpania, ne in regionibus iſtis illud dicatur ornamentum deeſſe; quod in regnis alijs conſtat abundare. Quo nihil videtur potuiſſe ineptius cogitari. Quis enim iſtos vnquam vocauit Principes, aut tales cenſuit, cùm tamen Principum debeant eſſe filij priuilegio huiuſmodi fruituri. Nec Vaſallorum Domini dici poſſunt, ſicut Titulati Hiſpani: quia licet Indi ipſis debeant tributa præſtare, circa illos tamen nullum dominatiuæ ius poteſtatis exercent: quandoquidem neque tributum ipſum recupe-

Neque eorum Commendatariorum.

Digitized by Google

recuperare propriâ manu poſſunt, ad eorum quamuis defenſionem teneantur: vnde neque Indi eorum poſſunt vaſſalli dici, ſed ſolius Regis, & ita cum dominis vaſſallorum in Hiſpaniâ ineptè componuntur. Quòd autem Principes in Indiis non ſint, cautè diſpoſitum, ne potentiâ, diuitiis, ac ſublimi titulo geſtientes, ad aliquid contra fidem Regi debitam turbulentum aſpirent, aut conſpirent, cui in remotis adeò partibus facile non fuerit obſtitiſſe.

CAPVT IX.

De Priuilegiis circa Sacramentum Confirmationis.

Miniſtrum Confirmationis eſſe non Epiſcopum poſſe ex diſpenſatione Apoſtolicâ.

205 CIrca hoc primò dubitari poteſt an extet priuilegium aliquod, virtute cuius poſſint aliqui non Epiſcopi Sacramentum huiuſmodi miniſtrare. Et quod ad poteſtatem attinet, negari nequit quin hoc poſſit ſimplici Sacerdoti à Pontifice concedi: ſic enim factum ſæpiùs. Vnde Molfeſius *Tract.* 4. *Cap.* 2. *num.* 27. putat id eſſe de fide. In Concilio enim Florentino poſtquàm ab Eugenio Quarto in Decreto fidei dictum fuiſſet Epiſcopum eſſe miniſtrum huius Sacramenti, ſic habetur: *Legitur autem aliquando per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem, ex rationabili & vrgente admodum cauſſa ſimplicem Sacerdotem Chriſmate per Epiſcopum confecto hoc adminiſtraſſe Confirmationis Sacramentum.* Sic Conſilium ad Diui Gregorij conceſſionem alludens, de quâ *Lib.* 3. *Regiſtri. Epiſt.* 26. & habetur in Cap. *Peruenit* 95. *diſt.* Sed certè aliter ſentiendum; non inquam eſſe de fide, cùm graues Scriptores contrarium ſentiant, vt affirmat P. Suarez *Tomo* 3. *in* 3. *p. Diſputat.* 26. *Sect.* 2. §. *Propter hæc*, vbi aliquos adducit. Et alios P. Martinon *infrà* citandus *num* 47. Neque credendum eſt illos apertè contra fidei dogma cenſuiſſe. Vnde Scriptores, licet communiter vt certum proponant, non eum tamen certitudinis gradum, immò neque alium, cuius oppoſitum grauem mereatur cenſuram, in aſſertione tali recognoſcunt. Quamuis P. Martinon *Tomo* 4. *Diſputat.* 27. *num.* 50. Sic pronuntiet: *dicere autem quòd tantus Pontifex, tantæ auctoritatis, ſanctitatis, & doctrinæ, in re tamen graui errauerit, aut errandi periculo ſeſe volens expoſuerit, poſt definitiones Anteceſſorum, Euſebij, & Melchiadis, maximè cùm illius factum à Concilio Florentino ſatis apertè, & à Tridentino tacitè approbetur, temeritatis magnæ videtur eſſe.* Sic ille: qui approbationem tacitam Concilij Tridentini ex eo colligit, quia Concilium *Seſſione* 7. *Can.* 3. definit Miniſtrum ordinarium Confirmationis eſſe Epiſcopum: quo non obſcurè ſignificat Miniſtrum extraordinarium eſſe alium poſſe: quod etiam obſeruat P. Suarez *ſuprà* §. *Rationes*, & alij Recentiores communiter. Temeritatem etiam oppoſitæ aſſertionis agnoſcit P. Eſcobar de Mendoza *Tomo* 2. *Problematum moralium. Lib.* 12. *num.* 141. Cardinalis Lugo in *Reſpon. mor. Libr.* 1. *Dub.* 6. *num.* 2. contra Roſilium Legionenſem, qui veritatem eſſe de fide contendit. Nec iam facto D. Gregorij tantùm inſiſtendum: nam & Leo X. in Bullâ, quæ incipit, *Alias felicis. Ann.* 1521. die 25. Aprilis, id apertè conceſſit Fratribus Minoribus in terris infidelium. Videndus Cardin. Lugo *ſuprà num.* 6. *&c.*

Concilium Florent.

Non eſſe de fide contra Molfeſium.

Sed valde temerarium iuxta P. Martinon.

Et Patrem Eſcobar.

Diſpenſatio Leonis X.

206 Præter hanc autem conceſſionem alias pro Indiis extare affirmat P. Quintanad. *Tomo* 1. *Tract.* 2. *Singulari* 5. vbi adducit Bullam Adriani Sexti, cuius verba dedimus *num.* 194. Cùm enim concedat omnimodam auctoritatem Apoſtolicam quantam Euangelici miniſtri expedientem iudicauerint, ad Confirmationis Sacramentum conceſſio videtur extendi, quia illud pro Conuerſorum ſtabiliendâ fide maximè eſt opportunum: vnde valde eſſe conueniens vt illius adminiſtratio aliis præter Epiſcopos committatur, cenſet Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 3. *Cap.* 18. *num.* 31. *& ſeqq.* & in Politica *Lib.* 4. *Cap.* 18. *pag.* 662. *Col.* 2. Quia etiam Bulla Vrbani Octaui pro Iaponia perſtat ſub Dat. *Ann.* 1633. *die* 22. *Februarij* in quâ ſic ille loquitur: *Omnibus & ſingulis Chriſtianis nunc in Iaponia exiſtentibus, & pro tempore futuris, vt à quibuſuis Sacerdotibus, vt ſuprà à Generalibus eorum illuc miſſis, ac mittendis, quorum copiam habere poterunt, Sacramenta (Ordinem tamen Epiſcopalem non requirentia) etiam Parochialia, durante præſente rerum ſtatu, ſuſcipere licitè valeant, concedimus pariter & indulgemus.* Sic Pontifex: ex cuius conceſſionis amplitudine colligit idem Pater Quintana *Tomo* 2. *Tract.* 6. *Singulari* 4. *n.* 8. Religioſos poſſe Iaponiis Sacramentum Confirmationis miniſtrare, quia non requirit Ordinem Epiſcopalem, iuxta plures Doctores, quos ab aliis congeſtos ibidem allegat: cùm alios contrà ſentire, ſe ſcire affirmet, ex quib. refert P. Suarium, Cardinalem Bellarminum, Barboſam, P. Layman, Acunnam, Torreblancam, & alios citatos à Dom. Solorzano *ſuprà*.

Ex Bulla Adriani vt colligi queat ſecundum P. Quintanam.

Et ex Bulla Vrbani VIII. pro Iaponia.

207 Quod quidem non video quomodo ſine memoriæ lapſu dici potuerit: nam Doctores citati non negant ex commiſſione Pontificis id ſtare poſſe; immò apertè id teſtantur, pro quo ab eodem *Tomo* 1. *Singulari illo* 5. P. Suarius, Cardinalis Bellarminus, & P. Layman fuerant allegati. Nec debuit citationi Dom. Solorzani aliam adhibere fidem, quàm ipſius verba, & eorum contextus euincunt: *citato* enim *numer.* 31. ſic ait: *& licet dicta Bulla non concedat his Miſſionariis adminiſtrationem Sacramentorum, quæ Ordinem Epiſcopalem requirunt, quo in numero eſt Sacramentum Confirmationis, vt in Cap. Ieiunium, de Conſecrat. diſt.* 3. *& Tridentin. Seſſione* 7. *de Confirmatione Can.* 3. *cum latè traditis à Suarez, &c.* Poſt quæ ſic ſubdit num. 32. *Adhuc tamen ego cenſerem in dictis expeditionibus ad Iaponios, & aliis remotis, vbi Epiſcopi deſunt, permittendum eſſe alicui ex Prælatis ipſorum Religioſorum, vt hoc Sacramentum Neophytis bene in fide ſemel ſuſceptâ imbutis miniſtrari poſſit.* Addit in ſequentibus Confirmationis fructus & *n.* 34. docet à ſimplici Sacerdote ex delegatione Pontificis poſſe illam miniſtrari, pro quo plures laudat Auctores, & inter eos Cardinalem Bellarminum, Barboſam, & Acunnam, quos pro Aſſertione priore retulerat, quòd ſcilicet Confirmatio Ordinem in Miniſtro Epiſcopalem requirat. Quòd ergo ille, & ab eo citati priùs illâ aſſertione contendunt, tantùm eſt Confirmationem Ordinem Epiſcopalem requirere,

In Auctorum allegatione lapſus memoria in prædicto Auctore notatus.

Dom. Solorzanus in ſenſu legitimo Auctores adducit, non benè à citato Patre perpenſus.

quando ab illius eſt ordinario adminiſtranda Miniſtro; non ita cùm ex delegatione. Iuxta hunc ergo verborũ ſenſum ſatis in iſto Auctore perſpectum, citati ab eo debuerunt Auctores intelligi, non in alio ab eorum mente prorſus abhorrente. Addit dictus Pater, licet ſub dubio, *numer.* 5. conceſſionem dictam ad Indias Occidentales poſſe ratione communicationis priuilegiorum extendi.

Aſſertio 1. Per Bullã Adriani nõ licere adminiſtrare Confirmationem.

208 Dico primò. Virtute Bullæ Adriani non licet Religioſis Sacramentum Confirmationis miniſtrare. Sic Cardinalis Lugo *ſuprà num.* 5. Id probari poteſt primò. Quia ipſe Adrianus cenſuit hoc fieri non poſſe, vt patet ex iis, quæ docet *in* 4. *in materia de Confirmatione Artic.* 3. Quomodo ergo concederet, quod concedi non poſſe ſuis ſcriptis conſignarat, & Orbi vniuerſo reddiderat manifeſtum? Secundò. Quia in conceſſionibus huiuſmodi, etiam ampliſſimis, ea quæ Ordinem Epiſcopalem requirunt ſecundùm ordinarium adminiſtrandi modum, non veniunt, niſi exprimantur. Pro quo eſt Bulla Innocentij Quarti, de quâ *n.* 193. in quâ poſt multa alia Euangelicis Prædicatoribus conceſſa ſic habet: *nec non alia facere, quæ ad augmentum Dominici nominis, & ampliationem Catholicæ fidei; ac reprobationem & irritationem illorum, qui ſacris traditionibus contradicunt: ſicut pro loco & tempore videbitis expedire.* Sic illa. Vbi tamen aras benedicere non permittit, ſed ſolum veſtes Sacerdotales, altaris pallas, & Corporalia, vbi Catholicorum Epiſcoporum copia non habetur. Vnde nec confirmationis miniſtratio debet conceſſa reputari. In conceſſione facultatum, quæ Epiſcopis Indiarum eas à Romanâ Sede petentibus, concedi ſolent §. 28. ſic habetur: *Prædictas facultates communicandi, non tamen illas, quæ requirunt Ordinem Epiſcopalem, vel non ſine ſacrorum Oleorum vſu exercentur, Sacerdotibus idoneis, qui in eius diœceſi laborabunt, & præſertim tempore ſui obitus, vt Sede vacante ſit, qui poſſit ſupplere, donec Sedes Apoſtolica certior facta: quod quamprimùm fieri debebit, per Delegatos, vel per vnum ex eis alio modo prouideat: quibus Delegatis auctoritate Apoſtolicâ facultas conceditur, Sede vacante, in caſu neceſſitatis, conſecrandi Calices, Patenas, & Altaria portatilia ſacris Oleis, ab Epiſcopo tamen benedictis.* Sic Innocentius X. Archiepiſcopo Limano, & eadem eſt talium conceſſionum vſitata formula. In qua ſatis luculenter apparet nolle Pontifices vt ea, quæ Ordinem Epiſcopalem ordinariè requirunt, ab aliis, quàm ab Epiſcopis conferantur, quæ tamen Pontifices ipſi pro caſibus neceſſitatis concedunt. Et cùm Sede vacante manifeſtum ſit neceſſitatem Confirmationis futuram, illius tamen adminiſtrationem minimè ſunt concedendam arbitrati. Non ergo illa eſt Adriani conceſſione omnimoda cõprehenſa.

Innocentius IV.

Communicatio facultatum pro Epiſcopis Indiarum.

Aſſertio 2. Non item licere virtute conceſſionis Leonis X.

209 Dico ſecundò. Virtute conceſſionis Leonis X. non item licet quod virtute Bullæ Adriani diximus non licere. Quod videtur manifeſtum: nam priuilegium illud perſonale fuit, duobus ſcilicet Fratribus Minoribus, Ioanni Clapion, & Franciſco de Angelis conceſſum, quatuorque aliis deſignandis aut deputandis ad eorum vitam, vt conſtat ex verbis illis: *Vobis, & cuilibet veſtrum, & ad vitam veſtram à vobis quatuor deputandis, vti, potiri, & gaudere* prout ſuperiùs explicatur, *liberè & licitè valeatis, concedimus, & indulgemus.* Sic Pontifex. Et ita conceſſionem hanc fuiſſe perſonalem notauit Fr. Emmanuel. *Tomo* 1. *qq. regul. qu.* 31. *artic.* 3. vtpotè duobus tantum factam. Quòd autem etiam illis viuentibus non potuerit eſſe communis, oſtendunt ea, quæ habet *Quæſt.* 55. *Artic.* 18. in fine: non obſtante conceſſione Iulij Secundi, & ipſius Leonis. Et huius declaratio videnda apud ipſum *ibidem.* §. *Circa quam.* Licet autem Pontifex in conceſſione ſuâ ad aliorum Pontificum indulta ſe referat, ex quibus apparet eos, aut eorum aliquem adminiſtrationem Confirmationis generaliùs conceſſiſſe: quia tamen de modo conceſſionis non conſtat, non eſt ad vſum reuocanda. Et reuerà ſi perpetua talis conceſſio fuiſſet, ſicut & aliorum, non fuiſſet opus Fratribus eam à Pontifice requiſiſſe: neque Pontifex ipſe tanta cum limitatione præbuiſſet, quam à tot Pontificibus ſine limitatione tali factam cognoſcebat. Vnde nec de talis facultatis vſu notitia aliqua apud Auctores occurrit: & ad vitam tantùm fuiſſe ibidem Pontifex atteſtatur.

Vide tamen infra. n. 285.

Neque aliorum, ad quos ſe refert, Pontificum.

Aſſertio 3. Neque virtute Bullæ Vrbani VIII.

210 Dico tertiò. Neque virtute Bullæ Vrbani licet Religioſis Confirmationem miniſtrare. Sic Dom. Solorzanus *Cap.* 18. *citato num.* 31. & probatur ex dictis *Aſſert.* 1. Item. Quia ibi excipiuntur quæ Ordinem Epiſcopalem requirunt: atqui per ſe loquendo, & iuxta modum loquendi Conciliorum & Pontificum, Confirmatio Ordinem Epiſcopalem requirit: ergo non debet comprehenſa, ſed excepta cenſeri. Minor oſtenditur ex Tridentino. *Seſſione* 23. *Cap.* 4. in quo ſic dicitur: *Proinde ſacroſancta Synodus declarat præter cæteros Eccleſiaſticos gradus, Epiſcopos, qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt, ad hunc Hierarchicum ordinem præcipuè pertinere, & poſitos, ſicut idem Apoſtolus ait (Act.* 20. *D.) à Spiritu ſancto regere Eccleſiam Dei, eoſque Presbyteris ſuperiores eſſe, ac Sacramentum Confirmationis conferre: miniſtros Eccleſiæ ordinare: atque alia pleraque peragere ipſos poſſe, quarum functionum poteſtatem reliqui inferioris ordinis nullam habent.* Hæc Concilium: ex quibus apparet iuxta illud Confirmationis adminiſtrationem per ſe loquendo Ordinem Epiſcopalem requirere, & ita, cùm abſolutè prohibentur ea, quæ Ordinem talem requirunt, intelligi debere prohibitam. Pro quo & iam olim Euſebius Pontifex *Epiſt.* 3. *ad Epiſcopos Tuſciæ*, & habetur de *Conſecrat. diſt.* 5. *Cap.* 4. ita ſcribit: *manus impoſitionis Sacramentum magnâ veneratione tenendum eſt: quod ab aliis perfici non poteſt, niſi à ſummis Sacerdotibus &c.*

Concilium Trident.

Euſebius Papa.

Extenſionẽ ad Indias Occidentales ſine fundamento aſſeri.

211 Quod de extenſione dictæ conceſſionis ad Indias Occidentales dicebatur, omni videtur fundamento carere: & ex citati Auctoris doctrinâ apertè refellendum, qui *Singulari illo* 4. *n.* 9. iuxta conceſſionis tenorem, de quo *ſuprà n.* 206. ait extinctâ in Iaponia perſecutione non poſſe Regulares potiri huiuſmodi facultate: quia tempore pro cõceſſione priuilegij finito priuilegium euaneſcit: & priuilegiũ conceſſum ſub aliquâ conditione, ea omiſſâ, vel ablatâ, etiã illud expirat. Cùm ergo in Indiis Occidentalibus perſecutio non ſit, ſiue illa in Iaponiâ ceſſauerit, ſiue perſtiterit, non eſt priuilegio locus in illis. Si enim ceſſauerit, iam

eſt

Digitized by Google

eſt ablata conditio, & priuilegium pro Iaponiâ expirauit, ac conſequenter extendi ad regiones alias ſine temporis limitatione non poteſt. Si perſtiterit; ea in Indiis Occidentalibus non eſt: ergo nec priuilegiũ pro illis ſuffragatur. Quòd ſi perſecutio ſimilis, aut ferè ſimilis, aliquando occurrat, locus priuilegio eſſe poterit, ſi circa Iaponios perſecutio duret: eâ enim ceſſante, cùm etiam priuilegium ceſſet, non poteſt, quod iam eſſe deſiit, perſecutione nouâ ſuſcitari. Quamquàm non videatur inuероſimile nouâ perſecutione ſubortâ, priuilegium vim habere, vt non quidem omnino pereat perſecutione ſublatâ, ſed ceſſet, congruâ interpretatione verbis illis adhibitâ: *Durante præſenti rerum ſtatu.* Id eſt, hoc, aut ſimili, cuius eadem ratio ſit: ſic enim Pontifices loqui in Bullis ſuis ſolent: *præſentibus ad tot annos valituris.* Cùm tamen, etiamſi illæ diſpereant, ſimilibus authenticè exemplatis ſit plena fides adhibenda, & ita etiam ſint illæ valituræ. Quia enim in cauſſa religionis, & ſummè piâ verſamur, talis poteſt extenſio ſuſtineri: ſi tamen extenſio dicenda ſit & non caſus ſub verborum contextu comprehenſus: licet illa in omni ſuo rigore non exponantur, ita vt præſens ſtatus modernum tantummodo deſignet, vt ſolet verbum *Præſens* deſignare. Pro quo videndus P. Suarez *Lib.* 8. *de legibus Cap.* 28. *num.* 14.

Pro ampliatione aliqua ceſſandum aſſertum.

212 His ergo circa Miniſtrum ſtabilitis, an alia priuilegia ſuccurrant, reſtat vlteriùs inquirendum. Vnde,

Circa Balſamum Indicum quomodo ſufficiat pro Chriſmate, & an ratio aliqua priuilegij in illo.

Circa materiam, Chriſma inquam, dubitatur ſecundò quid per priuilegia liceat, quia Paulus Tertius, & Pius Quartus, vt ex aliis Auctoribus refert P. Suarez *Tomo* 3. *in* 3. *p. Diſput.* 33. *Sect.* 1. § 5. *Atque in hunc modum,* declararunt balſamum Indicum ad Chriſma conficiendum ſufficere: vnde & dubitari poteſt an talis declaratio rationem aliquam priuilegij contineat, quod abſolutè aliqui affirmant apud P. Ægidium Coninck de Sacramentis. *Quæſt.* 72. *numer.* 42. & ita videtur ſentire Emmanuel Rodericus *Tomo* 2. *qq. regul.*, *quæſt.* 100. *artic.* 2. dum ait Pium Quartum hoc Indiarum Epiſcopis conceſſiſſe. Et poteſt quidem ita affirmari: nam vſque ad Indiarum detectionem ſolum balſamum Palæſtinum in vſu erat pro Chriſmate conficiendo: & poterat Pontifex ad maiorem illius certitudinem præcipere vt illud, & non aliud, ad confectionem dictam ſumeretur: quando ergo vt Indicum ſufficeret pro Indiis declarauit, priuilegium videtur conceſſiſſe. Non potuit autem Pontifex id, quod ex ſe ſufficiens materia non erat, ſuo priuilegio vt eſſet materia facere, quia circa materias Sacramentorum non eſt tanta in Eccleſia poteſtas: immò in eo eſt aperta contradictio: ſi enim deſignante Eccleſiâ materiam aliquam, verè illa talis eſt: ergo & à Chriſto huiuſmodi illi eſt poteſtas tradita, vt ſcilicet deſignare poſſet & ita iam à Chriſto talis eſt materia vt ſufficiens deſignata, ac propterea non eſt iam dicendum Eccleſiam poſſe Sacramentorum materias immutare, conſtituere, variare. Quòd ſi à Chriſto nulla ſpecialis deſignata materia eſt, vt circa materias Ordinum multi dicunt, tunc quidem deſignatio Eccleſiæ nullam facit mutationem, neque ſufficientem reddit eam, quæ ex ſe erat inſufficiens: nam eo ipſo quòd Chriſtus optionem iſtam dedit, quamlibet materiam ſufficientem reddidit, ſi deſignatio Eccleſiæ accederet, vnde Eccleſia non ſibi vſurpat excellentiæ poteſtatem. De quo dixi *Tomo* 2. *Theologicorum Problematum*, circa Ordinis Sacramentum: & videri poteſt P. Ægidius *Diſput.* 20. *num.* 65. & Diana *Parte* 10. *Tract.* 11. *Reſol.* 65. vbi alios adducit.

Eccleſia quid circa materias Sacramentorum.

213 Quia verò pro materiâ huius Sacramenti Chriſma eſt à Chriſto deſignatum, ſecundùm huius nominis ſignificationem, iam pridem in Eccleſia receptam, vnde ab Eccleſiæ ipſius exordio balſamum eſt ad illius confectionem adhibitum; videtur de illo ſicut de oleo philoſophandum, quod quidem proprium oliuarum eſſe debet, quia ſic ab exordio in vſu fuit: vnde oleum diuerſæ ſpeciei, qualia ſunt plurima, non eſt apta materia huius Sacramenti, vt communiter docent Scriptores. Ex quo videtur idem de balſamo dicendum, & ex eo fieri Indicum non poſſe vt materiam ſufficientem admitti: vnde circa hoc multi ante Pontificum declarationem grauiter dubitarunt, & locus etiam poſt illam dubio eſſe videtur, quomodo ſcilicet potuerint ita declarare: nam balſamum Indicum ſpecie diuerſum eſt à Palæſtino, ſicut & plantæ, ex quibus illud profluit, inter ſe diuerſæ ſunt. Quòd ſi circa balſamum hoc licet, circa oleum idem pariter videtur aſſerendum.

Difficultas ex balſami Palæſtini vſu ab exordio Eccleſiæ.

214 Ad quam difficultatem, quæ leuis ſanè non eſt, reſpondeo circa oleum non poſſe ab Eccleſia variationem induci, quia pro materiâ illud deſignatum à Chriſto vſus ab ipſo Eccleſiæ exordio receptus, qualis eſſe deberet, declarauit: quatenus olei nomine abſolutè compellatum, quo nullum aliud ſuſi cum addito vocari poteſt. Oleum enim ab oleâ ſic dictum, ſeu oliuâ: nulla autem arbor ſeu planta, ex quibus alia olei genera educi poſſunt, oleæ aut oliuæ poſſunt compellari: & ita de oleo ſic philoſophandum ſicut de aquâ pro Baptiſmo, & pane ac vino pro Euchariſtia. Quòd ſi contingat circa oleum eſſe ſpecificam diuerſitatem, dummodo abſolutè oleum oliuæ ſit, & communi vſui indifferenter adhibeatur, abſque dubio dicendum eſt materiam ſufficientem eſſe, ſicut & in pane & vino: dummodò enim panis ex vero tritico ſit, & vinum ex verâ vite, ſufficientes materiæ ſunt: id quod circa vinum adnotauit P. Ægidius *ſuprà numer.* 41. de vino Rhenano, & Græco, rubro & albo locutus. Per hoc ergo circa balſamum firmanda eſt reſolutio. non enim Palæſtinum, cuius in exordio Eccleſiæ vſus, ita abſolutè tale eſt, vt nullum aliud inueniri poſſit, quod, & ſi ſpecie diſtinctum, eodem non poſſit nomine ſimpliciter appellari. Neque credibile eſt ad vnum genus in Palæſtinâ tantùm proueniens voluiſſe Chriſtum materiam Sacramenri huius arctari, quod toti mundo futurum vtiliſſimum deſtinabat. Quia ergo balſamum illud tale apparet, vt abſolutè dici tale poſſit, ob odorem, & conſimiles effectus; & non adulterium, vt illud vocat P. Amicus *Tomo* 7. *Diſputat.* 13. *numer.* 38. contra quem P. Meratius *Tract. de Confirmat. Diſputat.* 2. *Sect.* 3. *num.* 7. & P. Leſſius *quæſt.* 72. *num.* 12. ad materiam Confirmationis ſufficere meritò eſt à Sede Apoſtolicâ iudicatum. Vnde non eſt dicendum, vt affirmant

Circa oleũ quomodo eſſe variatio nequeat.

Vinum eſſe diuerſæ ſpeciei poſſe; & materiã pro Euchariſtia ſufficientem, ſicut & triticum. Ex quo pro balſamo reſolutio.

Digitized by Google

Non eſſe diſpenſatũ circa illud.

firmant aliqui apud P. Ægidium ab illâ circa hoc fuiſſe diſpenſatũ, quaſi aliqua lex fuerit, quę vnam aliquam balſami ſpeciem ſtatueret adhibendam; niſi quatenus vſus pro lege haberi poſſet, & nullum aliud balſami genus, quod abſolutè dici tale poſſet, occurrebat. Et ita P. Suarez *ſuprà*, ſic ait: *In rigore tamen exiſtimo id potuiſſe fieri etiam ſine facultate Pontificis; maximè ſi alterius balſami copia non erat, quia illa erat materia ſufficienter certa moraliter loquendo.* Sic ille. Vnde ſi balſamum aliud in Indiis inueniatur ab eo diuerſum, quod modò in vſu eſt, illius vſus omnino erit licitus: quia Pontifex non aliter de balſamo poteſt iudicare, niſi peritorum conſilium adhibendo: ſi ergo in aliis partibus periti huiuſmodi ſint, nihil videtur vlteriùs requirendum, ſicut neque circa oleum, triticum, & vinum.

Neque neceſſariam Pontificis facultatem P. Suarez.

De priuilegijs circa vsũ Chriſmatis vltra annũ.

215 Quia verò Chriſma vltra annum ſeruire nequit ob Eccleſiaſticam legem id ſtrictè prohibentem, videndum tertiò an circa hoc extet aliquod priuilegium, ſicut eſt circa Oleum ſacrum, de quo *inferiùs*. Et eſſe illud teſtatur. Fr. Emmanuel *Tomo 1. qq. regul. q. 31. artic. 5.* & ex eo P. Quintanad. *Tomo 2. Tractat. 6. ſingulari 16. num. 4.* ex Bullâ inquam Leonis X. de quâ *num.* 209. in eâ enim ſic ait: *Nec non vti Oleo ſancto, & Chriſmate antiquis vſque ad tres annos: cùm eiſdem partibus nouum oleum & balſamum ſine difficultate magna haberi non poſſint, liberè & licitè valeant.* Sic illa. Verùm cùm conceſſio iſta perſonalis fuerit, vim iam non habet, vt vidimus *num. citato*. Sicut neque conceſſio Gregorij XIII. qui ad quatuor annos vſum extendit: quia temporalis fuit, vt ex Compendio conſtat. Verb. *Oleum ſanctum*. Habetur tamen ex Bullâ Innocentij X. pro Societate, cuius nunc tempus excurrit, eiſdem, quibus in compendio, verbis. Licèt autem de oleis ſanctis loquatur, eo nomine Chriſma etiam indubitanter accipiendum, quia oleum reuerà eſt, & ad Baptiſmi ſolemnitatem neceſſarium: & ita in Pontificali Romano ſacrorum oleorum nomine comprehenſum. Et Patres olei nomine illud ſoliti deſignare, vt obſeruat P. Ægidius *ſuprà, num.* 39. & ante eum P. Suarez *Diſput.* 33. *ſect. 1. Ad ſecundum.* Quia verò de Epiſcopis pro Confirmatione tale priuilegium non procedit, videndum quid circa illos dici debeat.

Ex Bullâ Leonis X. nihil haberi.

Vide tamen infra n. 385.

Bene tamẽ ex Bullâ Innocent. X apud quam olei nomine deſignatum ſicut apud Patres.

Priuilegij verba, & difficultas circa illa, circa vſum Epiſcoporũ.

216 Et priuilegium quidem ſolam Epiſcoporũ diſtantiam pro ratione conceſſionis adducit, dum ſic habet: *Partibus & locis, à quibus valde remoti ſunt Epiſcopi, oleis ſanctis per duos, vel tres, aut quatuor annos ante conſecratis, liberè vti poſſint.* Vbi videtur ſupponi apud Epiſcopos ipſos non poſſe defectum talem occurrere, & ita neque apud eos, qui valde remoti ab ipſis non fuerint. Sed certè apud Epiſcopos ipſos poteſt defectus accidere; ſi videlicet olei, aut quod non ita rerum eſſe poteſt, balſami copia deſit. Quo euentu poterunt illi oleis poſt annum conſecrationis vti toto eo tempore; quo illa fuerint incorrupta. Circa quod P. Suarez *ſuprà*, §. *Idemque ſtatuitur*, incorruptionis tradit indicia, quamdiu ſcilicet fragrantiam aut odorem balſami retinet: nam ſi hanc omnino amiſerit, aut omnino nulla, aut valdè quidem dubia materia erit; corruptione inductâ ſaltem quoad mixtionem ex oleo & balſamo. Vnde veteri Chriſmate vtentes in Indiis, erga hoc debent attentionem acuere: ob idque D. Fabianus Pontifex *Epiſt.* 2. ad Epiſcopos Orientales iuſſit Chriſma quotannis renouari; licèt aliæ etiam myſticæ cauſſæ aſſignari poſſint, cur Feriâ 5. in Cœnâ Domini talis fieri renouatio debeat. Cùm enim periculum ſit ne balſamum ſuas amiſerit qualitates, renouationi eſt aſſignatus dies, in quo iuxta valde receptam ſententiam hoc eſt inſtitutum Sacramentum.

Quid circa Chriſma attendendũ in Indijs.

Quomodo habere locum priuilegium poſſit, cùm Chriſma diu nequeat conſeruari.

217 Et ex hoc forſan alicui videbitur Pontificiam conceſſionem in Indiis locum habere non poſſe defectu materiæ, quia non videtur credibile, vt mixtio dicta penitus incorrupta quoad balſamum per ſpatium adeò longum conſeruetur. Nihilominùs ſtatuendum locum habere poſſe, quia in locis aliquibus accommodata conſeruationi poteſt eſſe temperies: ſub quâ ſuppoſitione conceſſio dicta procedit; quod, vt dixi, attentè diſpiciendum. Quòd autem ſine ſpeciali conceſſione pro Epiſcopis factâ, poſſint illi Chriſmate vetuſtiore vti, cuius vſus Religioſis Societatis indulgetur, ex eo conſtat: quia magis neceſſarius eſt reſpectu Epiſcoporum, quàm Religioſorum: Epiſcopi enim eo indigent ad conficiendum ſubſtantialiter Sacramentum Confirmationis, alij autem ad accidentalem Baptiſmi cæremoniam: ex quâ differentiâ notandum diſcrimen in ordine ad poteſtatem illud conſecrandi colligit P. Suarez *ſuprà ſect. 2. §. Nec decretũ.* Cùm ergo magis neceſſarius ſit, ex conceſſione Religioſis factâ ritè colligitur eamdem Epiſcopis conuenire; quia incredibile eſt Pontifices concedentes id, quod minùs neceſſarium eſt ad promouendam Indorum ſalutem, id quod eſt plus in eo genere neceſſarium denegaſſe: vbi communis doctrina de extenſione fauorabili priuilegiorũ, quãdo cauſſa Religionis & pietatis agitur, aptè cadit, de quâ *n.* 211. & ſæpè aliàs. Quando etiam dici poteſt, in rigore loquendo, Epiſcopos ſine priuilegio id facere poſſe: pro quo eſt Cap. *Si quis de alio*, de Conſecrat. *diſtinct.* 4. in quo ſic dicitur: *Si quis de alio Chriſmate, quàm de illo nouo, quod pro Epiſcopi largitione vel conceſſione acceperit, baptizare (niſi præoccupante morte) tentauerit; pro temeritatis auſu, ipſe in ſe ſuæ damnationis protuliſſe ſententiam manifeſtatur.* Sic ibi ex Concilio Lugdunenſi. Iuxta quæ habemus veteris Chriſmatis vſum licere pro Baptiſmo morituri, ne ſcilicet ea cæremonia deficiat, licèt accidentalis prorſus ſit: ergo & licebit Epiſcopo confirmari eumdem. Id eſt euidens. Tunc vltra. Magis neceſſaria eſt Confirmatio generaliter loquendo, & ita etiam pro non proximis morti, quàm vnctio Chriſmatis prò baptizatis, in quibus non eſt cauſſa gratiæ, neque effectum aliquem Sacramentalem habet; cùm in Confirmatione totum id habeat: ergo licebit eo generaliter vti. Conſequentia oſtenditur arguendo ſicut nuper de priuilegio: quia vbi maior eſt neceſſitas, id debet conceſſum credi, quod minori neceſſitate interueniente conceditur: magis enim licet extenſio in iure permiſſis, quàm in iis, quæ priuilegio conceduntur; quia hoc ſolet eſſe ſtricti iuris, vt communiter Doctores dicunt.

Epiſcopis qualiter priuilegium Societatis proſit.

Cap. Si quis de alio.

In rigore illo non egere.

Ab Indis dum confirmantur, nihil petendum.

218 Addendum dictis in hoc capite id, quod in Concilio Limenſi *Act.* 2. *Cap.* 13. circa Confirmationem habetur; ſic enim ibi: *Cùm Sacramentum Confirmationis accipiunt Indi, nullâ*

ratione

Digitized by Google

dū ex Concilio Limēſi, &c.

ratione quidquam pecuniæ, aut argenti, ab ijs petatur, neqûe vt offerant inducantur. Quin etiam qui præ inopiâ candelas ferre non poterunt, ijs ab Epiſcopus benignè conferantur, & Cerei, & lintea: idem in Baptiſmo ſernetur de Cereo, & Capitio baptiſmali. Hæc Concilium, quæ rationem priuilegij videptur habere, & ideò viſum eadem adieciſſe. Et licet vnius Prouincialis Conſilij determinatione conſtituta ſint, ad omnes tamē Indorū ſunt extendenda Prouincias, quia in omnibus eadē obligatio eſt, ſicut & obligationis ratio. Nulla ratione inducēdi Indi ad pecuniæ obligationem, ne venale ſe accipere quidquam arbitrentur, & ne ea de cauſſa ab accipiendo Sacramento retrahantur. Quod quidē ſine exceptione accipiendū, etiamſi illi benè inſtructi ſint; vt ſpecies omnis auaritiæ, quæ in ſummis Sacerdotibus eſt turpiſſima, penitus amputetur. Quòd ſi ſponte offerant, generaliter non admittenda, quia ratio adducta etiam ſic vrget, & iis, qui exactè inſtructi non ſunt aliiſque hoc videntibus indignum apparet, vt à pauperibus diuites accipiant, & in re adeò ſacrâ quæſtus iſte temporaliſſimus conquiratur. Vnde non videtur rationabile, neque conſcientiæ conformabile, vt Epiſcopi ampliorum diœceſum aliis Epiſcopis tenuioris fortunæ adminiſtrationem Confirmationis eo reſpectu committant, vt ſcilicet inde commodum non exiguum aucupentur: Id enim quod ipſi obtinere nequeunt ſuis ſumptibus, in prædicta functione penitus verſatur, vt iuxta Concilij Tridentini mentem *Seſſione* 24. *Cap.* 3. declarauit Cardinalium Congregatio, de quo & *Titulo* 15. *numer.* 23. neque aliis vt obtineant, & maiori cum periculo, ac ſubditorum diſpendio, vti non proprij Paſtores, permittere poteſt. Solent autem Patrini Hiſpani pro Indis offerre, in quo minor videtur offenſionis occaſio, quod certè in populis Indorum deberet abrogari, ne illis ſcandalo ſit, mercimonium reputantibus. Poſſet autem tam hoc quàm illud tolerabile reddi, ſi quod offertur, aut pauperibus ſtatim, aut Eccleſiæ ab Epiſcopis traderetur, exhortatione præmiſſâ, vt ſciant, ſi quid obtulerint, minimè ad Epiſcopi commodum pertinere, ſed Deo offerri, & piis vſibus applicandum. Quòd autem Cerei & lintea ab Epiſcopis conferri debeant, ex eo conſtat, quia ad eleëmoſynas faciendas abſolutè tenentur: ergo ad illas maximè, quæ ad ſpirituale pauperum bonum ſunt neceſſariæ: tales autem ſunt iſtæ, de quibus agimus, cùm ad eum finem tendant vt Indi Sacramentum Confirmationis accipiant; quod cùm ad fidem firmandam ſit, illis eſt præ aliis opportunum. Quod quidem in Baptiſmo potiùs vrgere ſatis eſt manifeſtum ob majorem illius neceſſitatem. Licèt in illo alia videatur eſſe ratio, eò quòd Baptiſmus non ſoleat ab Epiſcopis conferri, vnde ea, quæ ad ipſum ſpectant, ad eum etiam ſpectare non videtur aſſerendum. Nihilominus Concilium ita ſtatuit, planè iudicans Epiſcoporum prouidentiam debere ad hoc etiam extendi. Et quidem meritò: vt in eo, quod totius Chriſtianæ Religionis fundamentum eſt, nihil pauperibus huiuſmodi deſit, circa quos Parochorum pietas non ita prompta aliquoties ſolet recognoſci. Vnde & circa hoc peccatum mortale eſſe poteſt, & quidem multiplex, dum multorum ſalus animitus accuranda negligitur.

Quomodo ſponte oblata admittenda.

Commiſſio confirmādi in Indijs vnde damnabilis aliquando.

Vnde & acceptio iuſtificari queat.

Genus eleēmoſynæ obligatoria circa Cereos & lintea.

Etiam in Baptiſmo.

Quale peccatum omiſſio.

CAPVT X.

De Priuilegiis circa Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum.

219 FR. Ioannes Baptiſta *in Animaduerſionibus pro Confeſſarijs Indorum fol.* 294. *pag.* 1. ita circa hoc ſcribit: *Deinde notant Pater Norona, & P. Mag. à Veracruce, quòd Paulus IV. conceſſit nobis vt poſſimus adminiſtrare omnia Sacramenta omnibus Indis: & quia non excipit diem Reſurrectionis, & conceſſit vt omnibus Indis poſſemus adminiſtrare: ſequitur quòd in noſtris locis, etiam die Dominico Reſurrectionis poſſumus omnibus Indis dare Euchariſtiæ Sacramentum, etiam in populis Hiſpanorum.* Sic ille: qui & pro auctoritate dictæ conceſſionis videndus *fol.* 173. *pag.* 2. licèt enim fuerit viuæ vocis oraculo, ad Cardinalis Alexandrini, qui poſteà Pontifex Pius V, inſtantiam impertita, ipſius tamen Cardinalis atteſtatione firmatur: & quæ huiuſmodi ſunt ſpeciali circumſtantiâ prædita, dici poteſt non fuiſſe reuocata. Pro quo faciunt quæ habet Leander à Murcia *in Expoſitione Regulæ D. Franciſci, Quæſt.* 20. *ad Cap.* 6. *num.* 3. & 4. vbi probat priuilegia huiuſmodi Religionibus conceſſa, non eſſe reuocata ſaltem in foro interiori. Et præcipuum fundamentum eſt priuilegia dicta fuiſſe à Pio V. Gregorio XIII. & Sixto V. confirmata generali confirmatione & innouatione, vnde iam non debent purè oracula reputari. Facit etiam pro eodem Laurentius de Peyrinis in Priuilegiis Minimorum *Tomo* 3. *Cap.* 12. *Conſtitut.* 18. *aliàs* 28. dum ex eodem fundamento affirmat non reuocari priuilegia viuâ voce conceſſa ante Pium V. Quod ait etiam poſſe extendi ad Oracula ante Gregor. XIII. & poſſet etiam ad conceſſa ante Sixtum V. prorogaſſe. Peyrini ſententiam jam antè probabilem iudicauerat Lezana *qq. regular. Cap.* 3. *num.* 21 quam & ſequitur Thomas Hurtadus *Tract.* 12. *num.* 1171. *& ſeqq.* & valde probabilem cenſet P. Quintanad. in libello de Caſibus occurrentibus in Iubilæis duarum hebdomadarum: quidquid dicat *Tomo* 1. *Tractat.* 9. *ſingulari* 3. *num.* 5. Iuuat itidem quod affirmat Iacobus Bordonus in Conſiliis Regularium *Tomo* 1. *Reſolut.* 31. & *Tomo* 2. *Reſolut.* 54. *num.* 238. ſcilicet non reuocari oracula purè fauorabilia, & per quæ nullum cuiquam præiudicium generatur. Quod & videtur probare P. Pellizarius *Tomo* 2. *Tractat.* 8. *Cap.* 1. *num.* 133. dùm refert, explicat, & defendit. Qui & *num.* 131. 5. *Addo quod*, adducit Bullam Pauli V. quâ priuilegia Ordinis Prædicatorum, etiam Oraculis conceſſa, confirmat *die* 23. *Maij, Ann.* 1605. & § *Sequenti* confirmationem priuilegiorum Ordinis Theatinorum, ex certâ ſcientiâ, eorum etiam, quę per communicationē aliarum Religionū ſunt ipſis facta cōmunia, nō eas limitationes adiiciens, quæ in ſuperiori confirmatione reperiuntur, ſcilicet *quatenus ſint in vſu, & non ſint reuocata, ſeu ſub aliquibus reuocationibus cōprehenſa, ac Sacris Canonibus, & Concilij Tridentini Decretis non aduerſentur.* Priuilegia autē viuæ vocis oraculo conceſſa jam fuerūt facta bullata, & ita reualidantur à Gregor. XV. *die* 16. *Octobris, Ann.* 1621. vnde neque reuocatione

Etiam die Paſcha poſſe Indis cōferri Euchariſtiam in Eccleſiis Regulariū qui doceāt, & vnde probent.

Non obſtare fuiſſe viuæ vocis oraculo cōceſſum, ob doctrinam circa Oracula.

Fr. Leandri à Murcia.

Laurentij de Peyrin.

Lezana, & P. Quint.

Iacobi Bordoni.

P. Pellizari.

Digitized by Google

tione eiuſdem circa oracula, neque Vrbani ſucceſſoris cenſentur reuocata. Et huiuſmodi confirmatione Religiones aliæ potiuntur, quia & ipſa confirmatio & innouatio priuilegium eſt, iuxta P. Suarium *Lib.*8. *de Legibus*, *Cap.*19.*n.*8. in quo etiam beneficiũ communicationis debent, qui eadem fruuntur, experiri. Id quod magis apparet certum ex confirmatione Oraculorũ facta Societ. Iesv ab Vrbano VIII. *An.*1624. *die* 19. *April.* cuius mentionẽ facit Portel *in Dubijs Regul. pag.*909. *&* 910. & Murcia *ſuprà*, licèt prior *tom.*2. *Caſu vlt.* ſententiam retractauit circa reualidationem, de quo & *Caſu* 13. *&* 34. & poſt hæc ſcripta inuenio plures ſententiã iſtã tenentes apud Dianam *Parte* 11. *tract.*6. *reſol.*43. licèt ipſe neget. De quo etiam *Parte* 10. *tra.*1.14. *reſol.*24. vbi ſimiliter negat, ſed aſſertores adducit. In quam etiam valde inclinat P. Eſcobar de Mendoza *Tomo* 1. *lib.*6. *n.*195.

Aliorum plurium.

220 Et hæc quidem pro priuilegio, de quo loquimur, ſufficientia videntur, vt eo vti Religioſi ſecurè queant: cùm tamen pro eo ratio alia maximè ſpecialis ſit, cum ſcilicet ipſum, qui conceſſionem ſuâ inſtantiâ impetrauit, cùm Cardinalis erat, Pontificem poſteà factum, vnde teſtificatio iſta maioris ponderis eſt: quia licet non ſit formaliter Pontificis, reuerà Pontificis eſt: qui quidem cùm pro eâ gratiâ inſtanter ſupplicaſſet, & impetraſſet, ſi factus Pontifex vim illi aliquam deeſſe conſpiceret, & opus Bullâ, eam illi proculdubio, expeditis etiam Litteris, adieciſſet. Eſt ergo virtualiter teſtificatio Pontificis, & in quâ cùm ſpecialiſſima ratio ſubſit, non eſt ad communes regulas exigenda. Et licet Vrbanus *conceſſiones & gratias etiam à S. R. E. Cardinalibus obtentas, & ipſorum manu firmatas*, reuocauerit, eam tamen rationem addit, quòd ſcilicet *ſæpè ab his, in quorum fauorem emanarunt, minus Canonica interpretatione extendi, & perperàm in diſciplina Eccleſiaſtica detrimentum executioni demandari* contingat. Hoc autem præſumi nequit de Oraculis ad inſtantiam Cardinalium impetratis, quæ ipſi ſuâ auctoritate firmarunt, & facti Pontifices rata eſſe voluerunt: quandoquidem de conceſſione dubitari nequit: & quidquid aliunde periculi eſſe poſſet ex interpretatione, ſatis ſuperque penetrarunt, & ita de eorum nequit firmitate dubitari. Hoc certè veroſimile apparet, quidquid Vrbanus de ſuiſmet ipſius voluerit Oraculis: & licet ex hac ratione integra haberi firmitas priuilegij nequeat, iuncta tamen adductis aliis poteſt nouum robur eidem conciliare, vt ad vſum poſſit adſciſci, iuxta dicta.

Noua vis in illo ex eo quod à Cardinali impetratũ, qui poſteà Pontifex, cum notã da doctrina.

Vrbani 8. Conſtitutio reuocatoria, quomodo non obſtet.

221 Neque obſtat priuilegium dictum non videri vndequaque fauorabile, cùm ſit in tertij præiudicium, iuris videlicet Parochorum: iam enim vidimus *Cap.* 1. *&* 2. fauorabilia eſſe Indorum priuilegia: & quod ad caſum attinet, in quo ſumus, de Communione Paſchali, id eſt certius, quia Parochi circa hoc non ſunt inuiti, vt experientiâ conſtat, & generaliter de eorum Communionibus non multùm ſoliciti ſunt, parùm eaſdem approbantes, licèt aliqui erga illud ſolicitiores inueniantur, qui tamen minimè vſui prædicto reluctantur. Pro quo faciunt quæ habet Diana *Parte* 11. *Tractat.*7. *Reſolut.*28. §. *Nota tamen*: ſcilicet ex probabili ſpe quòd Parochus gratum habebit, Communionem Paſchalem poſſe conferri. Licèt ergo dicamus de iure non eſſe priuilegium fauorabile, eſt tamen de facto: & ita etiam ſine priuilegij notitiâ multi circa Indos & Æthiopes ſine ſcrupuli alicuius interpellatione procedunt. Quòd ſi quis contendat eſſe adhuc dubiam huiuſmodi extenſionem, quia priuilegium dictum purum Oraculum eſt, ad alias poteſt conceſſiones recurſus haberi, quarum Bullæ extant, & ante alias celebris illa Adriani VI. Cùm enim priuilegium Pauli IV. Communionem Paſchalem in ſpeciali non contineat, ſed illius conceſſio ex generalitate circa Sacramentorum adminiſtrationem colligatur: ex generalitate item in Bullâ Adriani reperta poteſt ſimiliter colligi. Et hoc, quidquid ſit de priuilegio illo Monaſterij de Guadalupe circa Paſchalem Communionem, ex quo multi ſcriptores contendunt, eam Religioſis priuilegium communicationis habentibus poſſe competere: quod poſt alios docet P. Bauny *Tomo* 1. *Tractat.* 5. *Quæſt.* 15. Crouſers *in Cap.* 7. *Regulæ Minorum*, *Sect.* 7. *num.* 539. Baſſæus. Verb. *Communio ſacra*, *num.*10. tamquam valde probabile, & alij apud Dianam *Parte* 11. *Tractat.*7. *Reſolut.*4. Addit autem P. Bauny §. *De occaſione*, talis priuilegij vſum non expedire, ob vitandas vtique cum Ordinariis controuerſias. Vbi ergo illæ non timentur, talis vſus erit expediens. Quidquid inquam de priuilegio illo ſit, circa quod non leuis eſt difficultas, & quia Vrbanus VIII. priuilegia omnia circa hoc, etiam Societati conceſſa reuocauit.

Eſſe fauorabile, etſi videatur iuri Parochorũ præiudicari.

Ex Bullâ Adriani VI. idem deduci.

Sicut iuxta aliquos ex priuilegio de Guadalupe.

222 Sed quia poſt Vrbanum declaratio alia prodijt poſt grauem in Galliâ inter Ordinarios & Religioſos concertationem, meliùs in eâ poteſt facultas dicta fundari. Extat illa apud P. Martinon *Tomo* 5. *Diſput.* 53. *num.* 84. eamdemque adducit Diana *Parte* 9. *Tractat.* 9. *Reſolut.* 27. & in illâ Pontifex Decretum Congregationis Cardinalium comprobans circa cauſſæ deciſionem, quæ circa audiendas Confeſſiones Paſchalis temporis præcipuè fuerat agitata, ita ſubdit: *Poſt maturam diſcuſſionem cenſuit Archiepiſcopum Burdigalenſem non poſſe prohibere Regularibus habentibus priuilegia Apoſtolica, vt à Dominica Palmarum vſque ad Dominicam in Albis incluſiuè adminiſtrare non valeant perſonis ſæcularibus Sacramentum Confeſſionis: poſſe tamen eiſdem prohibere, vt perſonis ſæcularibus in die Paſchatis non adminiſtrent Euchariſtiæ Sacramentum, etſi dictæ perſonæ ſæculares in aliâ die ſatisfecerint præcepto Eccleſiæ hac de re edito, &c.* Ex quibus apparet ſolam Communionem diei Paſchalis, primi inquam, non licere, ſi ab Epiſcopis prohibeatur. Dum ergo in ſpeciali prohibita non inuenitur, omnino licet. Quòd autem reſpectu Indorum prohibita non ſit, perſpicuè liquet. Quòd ſi prohibeant, Apoſtoli monitum penitus hauriendum 2. *Timoth.*2. *verſ.*14. dicentis: *Seruum autem Domini non oportet litigare.* Videatur P. Pellizarius *Tomo* 2. *Tractat.* 8. *Cap.* 3. *num.* 295. aliorum dicendi modos adducens, probanſque cum aliquibus praxim, quæ ſit à litibus aliena, & Ordinariorum vitet offenſiones, quandoquidem hoc ſtare ſaluo iure Religionum poteſt, quæ ſi in aliquo ſe læſas deprehenderint, habent Paſtorem ſummum, à quo poſſit illatum iniuſtè grauamen emendari de quo aliàs in Cap. *Paſtoralis*, *de appellat.* Circa Indos autem paucæ lites, niſi cùm de

Declaratio Innocentij X. producit.

Circa praxim quid commodius.

Digitized by Google

de eorum operis ad temporalia lucra applicandis agitur: ad omnia enim iudicantur apti, qui ad Communionem ſacram ſolùm inepti & incapaces iudicantur: vt videantur iuxta iſtos à generali illo edicto ſummi legiſlatoris excluſi: *Niſi manducaueritis carnẽ Filij hominis & biberitis eius ſanguinẽ, non habebitis vitam in vobis. Ioan. 6. v. 54.*

Indos ſine Communione poſſe lucrari Iubilæa ex conceſſione Pij IV.

223 Priuilegium aliud à Pio Quarto conceſſum adducit Fr. Emmanuel *Tomo 2. qq. regul. quæſt. 100. artic. 6.* ad Euchariſtiam ſpectans, & circa quod conueniens videtur expoſitio deſiderari. Concedit ergo omnibus vtriuſque ſexus fidelibus Indis Occidentalium Indiarum ad ſupplicationem Philippi Secundi, vt cùm Indulgentiæ plenariæ aut aliæ publicantur, pro quibus ieiunium, Confeſſio, & Communio debent præcedere, *ſi ante tempus ad Indulgentiarum conſecutionem ſtatutum peccata ſua commodè confiteri nequiuerint, dummodò corde contriti ſint, ac cùm primùm Presbyteri copiam, confitendique opportunitatem nanciſcentur, vel ſaltem intra menſem primum Præsbyteri copiam, & confitendi opportunitatem habuerint, factâ debita quoad ieiunium diligentiâ, prædictas Indulgentias etiam plenarias, & peccatorum ſuorum remiſſiones verè conſequantur, & conſequi valeant in omnibus & per omnia, perinde acſi Confeſſionis & ſacræ Communionis Sacramenta ſuſceperint. &c.* Vbi quidem de eleëmoſyna mentio nulla; cùm tamen ſimul exigi ſoleat: vnde dubitari poteſt an neceſſaria ſit? quod quidem alterius loci eſt. Sed vt id hoc loco, vbi occurrit, dirimamus, videtur dicendum ab Indis pro conſecutione Indulgentiarum eleëmoſynam non requiri: quia Pontifex minimè illius meminit: *quòd ſi voluiſſet, expreſſiſſet*, ex toties citato *Cap. Ad Audientiam*, de decimis. Vbi & vulgatum circa Indulgentias axioma ſuccurrit, quòd ſcilicet tantùm valeant, quantùm ſonant. Et præterea, vt à Pontifice non fuerit requiſita, ſpecialis ratio in promptu eſt, Indorum ſcilicet tenuiſſimæ facultates, ſicut in Religioſis dicendum, vt videri poteſt apud P. Leſſium *in Reſolutionibus poſthumis verb. Indulgentia num. 5.* & licet eorum aliqui pinguioris fortunæ ſint, pauci profectò illi reſpectu eorum, qui in paupertate & miſeriâ viuunt, nec potuit commodè pro illis taxa, ſicut pro Bulla Cruciata, definiri: hæc enim cùm ad ſubſidium pro bellis contra infideles concedatur, meritò eleëmoſynæ onus reſpectu quorumlibet importat, & ita etiam pro Indis, iuxta eorum eſt conditionem deſignata. Contrarium tamen tenet Fr. Emmanuel *ſuprà §. Sed reſpondetur*, illius tamẽ ſunt debita fundamẽta: quòd ſcilicet non ſit ratio cur Indi ab eleẽmoſynâ largiendâ eximantur: & quia ſi ab aliis eximuntur durante publicatione, ideò eſt, quia adimpletionis facultas defecit. Iam enim vidimus eſſe rationem exceptionis ſpecialem: & quòd in eleẽmoſynâ non ſit eadem ratio, quæ pro aliis: & ita non ob occurrentem impoſſibilitatem tempore publicationis; ſed quia ita viſum, & quidem prouidentiſſimè, gratiæ huiuſmodi largitori. Neque quod ille reſpondet, vllo modo ſatisfacit, vt conſulenti patebit.

Sicut & ſine eleemoſyna.

Poſitio de non neceſſaria Euchariſtia ſumptione fundatur.

224 Illud difficiliùs an Indi ad lucrandas Indulgentias dictas debeant neceſſariò Euchariſtiam ſumere. Et videtur quidem non debere, quia à b ipſis non exigitur: ſed ſola Confeſſio & ieiunium, quando Iubilæum celebrius occurrit. Quod probatur ex tenore cõceſſionis: cùm enim Confeſſionis, Communionis, & ieiunij mentio fiat verbis illis: *& cum conditione quòd ieiunium, & Confeſſio, & ſacra Communio præcedere debeant*: ſtatim ſolius ieiunij & Confeſſionis mentio inducitur per verba illa: *ſi ante tempus ad Indulgentiarum conſecutionem ſtatutum peccata ſua commodè confiteri nequiuerint, dummodo corde contriti ſint, ac cùm primùm Presbyteri copiam, confitendique opportunitatem nanciſcentur &c.* Et inferiùs. *Factâ debitâ quoad ieiunium diligentiâ.* Cùm ergo Communionis obligatio nulla inueniatur iniuncta, ad illam non videntur adigendi. Et vrgere poſſumus ex eo quod de eleẽmoſyna nuper diximus: illius enim obligationem non eſſe probauimus, quia mentio illius nulla habetur. Si dicas ſtatim addi verba illa: *conſequi valeant in omnibus & per omnia, perinde acſi Confeſſionis, & ſacræ Communionis Sacramenta ſuſceperint.* Vbi videtur ſupponi obligatio Communionis, ſi illius opportunitas præceſſiſſet. Reſponderi poteſt obligationem non ſupponi, ſed effectum eumdem quoad conſecutionem Indulgentiarum, acſi Confeſſionis & Communionis Sacramenta ſuſcepiſſent. Et quidem vt obligatio talis Indis iniecta non fuerit, communis perſuaſio in cauſſa eſſe potuit de illorum incapacitate: vel quia nouiter Chriſtiani minoribus ad lucrandas Indulgentias oneribus videntur afficiendi. Licet autem reuerà plures ex illis capaces ſint, non ideò addenda obligatio, quam Pontifex non expreſſit, cùm videamus aliquando Indulgentias plenarias concedi ſine Communionis obligatione; immò & id frequentiùs. Pro quo ſatis obuium eſt exemplum in Iubilæo Portiunculæ. In Eccleſia etiam Hoſpitali Diuæ Annæ Ciuitatis huius Regiæ: idem videmus in præclaro Iubilæo; quo neſcio an maius aliud toto ſit Orbe in Chriſtiano.

Conceſſionis ratio.

Vnicum in illa fundamentum Aſſertionis.

225 Et hoc modo fundari veroſimiliter poteſt poſitio propoſita; circa quam audiui iam pridem indubios aſſertores: cùm tamen eorum fundamentum ad hoc diuerſum non deprehenderim pro antiquioribus illis temporibus. Et ita Fr. Ioannes Baptiſta in Animaduerſionibus citatis, Aſſertionem dictam ſine vllâ reſtrictione proponit de priuilegiis locutus à Pio Quarto conceſſis *fol. 365. pag. 2.* vbi ſic ait: *Aſi miſmo concedio muchas coſas en fauor de eſtos Indios nueuamente conuertidos, como es que oyan Miſſa en tiempo de Entredicho, y que en tiempo de Iubileo le ganen aunque no comulguen, y ſino ſe pudieren confeſar en el tiempo Señalado, como propongan confeſar ſe dentro de vn mes; y otras coſas ſemejantes, que ſon argumento de la voluntad que la Silla Apoſtolica ſiempre tiene de fauorecer à los nueuamente conuertidos, y à ſus Miniſtros.* Sic ille ad prædictam conceſſionem alludens, & generaliter ſtatuens Indos pro lucrandis Iubilæis ad Communionem non teneri: & ſtatim ad caſum ſpecialem deſcendens, cùm Confeſſarij copia deeſt, vt ea quaſi omnino diuerſa conſtituat. Eſt ergo illud veroſimile, quamuis curandum ſemper ſit vt Indi ſacrâ ſe Cõmunione reficiant, vt frequenter faciunt, ad ſacram menſam corditus aduolantes. Eſt autem pro eodem recentior & apertior Pauli V. conceſſio, vt videri poteſt apud Dom. Solorzanum *Tomo 2.*

F. Ioannes Baptiſta.

Conceſſio alia Pauli V. ſed non omnimoda.

Lib. 1. *Cap.* 27. *numer.* 91. & apud P. Quintanam *Tomo* 2. *Tract.* 6. *Cap.* 14. *num.* 11. quando iudicio Confeſſarij debent abſtinere, vt ex illius tenore conſtat apud Synodum Diœceſanam Limenſem *An* 1614. *Lib.* 5. *Titulo* 2. *Cap.* 7. *Chriſti fidelibus recenter ad fidem conuerſis Indiarum Occidentalium, qui Confeſſariorum iudicio ab Euchariſtiæ Sacramento accipiendo tūc temporis abſtinere debere videbuntur.* Quæ ſunt verba Pontificis, cuius conceſſionem Vrbanus Octauus confirmauit *die* 13. *Martij. Anni* 1634. cuius authenticum traſumptum apud me habeo. Non eſt ergo abſoluta conceſſio, vnde ad priorem pro omnimoda recurrendum.

De Altari portatili.

226 QVæ circa illud in Indiis conceſſa ſunt, ad Euchariſtiæ Sacramentum conſtat pertinere, & Indorum poſſe priuilegia dici, quatenus eorum Miniſtris pro ipſorum bono, & acceſſoriè pro aliis ibidem degentibus conceduntur. Dicendum ergo de illis aliquid, fuſiori omiſſa de materiâ iſtâ tractatione, de qua poſt alios P. Pellizarius. *Tomo* 2. *Tract.* 8. *Cap.* 2. & habet quidem Societas perpetuum priuilegium circa illud in Miſſionibus, de quo in Compendio generali. verb. *Altare.* Et in eo communicationem habere Religioſos, qui priuilegium habent generalis communicationis, aduertunt P. Fagundez circa primum Præceptum Eccleſiæ *Lib.* 3. *Cap.* 13. *num.* 17. P. Pellizarius *ſuprà numer.* 86. P. Quintanad. *Tomo* 2. *Tract.* 6. *Singulari* 10. *n.* 7. Paſqualigus *Tomo* 1. *Deciſione* 53. *num.* 2. & alij. Sed certè non aliter communicatur, niſi illi Miſſiones more Societatis frequentauerint: non enim Societati abſolutè conceditur, ſed eiuſdem Miſſionariis, & ita neque Religioſi eius poſſunt ex vi prædictæ conceſſionis talem vſum habere, niſi dum verſentur in Miſſionibus, & ita exercitium tale pro conditione aſſignatur, quâ deficiente nequit locum habere, vt eſt conſtans doctrina, de qua *num.* 211. & videri poteſt P. Palaus *Tomo* 1. *Tract.* 3. *Diſputat.* 4. *Puncto* 2. §. 11. P. Quintanad. *ſuprà Singulari* 4. *numer.* 9. & alij paſſim. Vnde communicationem dictam aliter non licere obſeruat P. Pellizarius *ſuprà* poſt P. Fagundez *loco citato.* Et nihil videtur penitus exploratum. Quod eſt etiam iuxta mentem P. Suarij *Tomo* 3. *in* 3. *p. Diſput.* 81. *Sect.* 3. in fine, vbi ait in Altari prædicto Miſſionum non poſſe Sacerdotes alios, etiam Miſſionum ſocios, celebrare. Benè verum eſt de Religioſis in ſpeciali non loqui: vnde P. Arriaga *Tomo* 7. *Diſput.* 54. *numer.* 28. non retulit fideliter verba P. Suarij, dum ait quòd iuxta eum, ſi cum noſtris Miſſionariis ſint, alij Religioſi non poſſunt in Altari celebrare. Probat ille ſententiam noſtram dum non reiicit, ſed locum aut in Auctore non legit, aut curſim profectò.

Priuilegiũ Societatis circa Altare.

Commune aliis Religioſis ſed ſi Miſſionarij, & non aliter.

227 Et cùm conceſſio dicta expreſſam contineat Concilij Tridentini derogationem, nequeunt Ordinarij propter facultatem ſibi in Cōcilio Tridentino conceſſam *Seſſione* 22. *in Decreto de obſeruandis & vitandis &c.* illius vſum prohibere; ad hoc enim priuilegium conceditur: ſi enim prohibere poſſent, non eſſet opus Concilij derogatione, quandoquidem non plus poſſunt eâ poſitâ, quàm ſi adhibita non fuiſſet: & ita notant docti Scriptores. Neque Delegati alij id poſſunt facere: & Commiſſariis Cruciatæ non licere, ex ipſius Bullæ tenore colligitur: in quo cùm prohibeatur vſus quarumcumque gratiarum & facultatum, quę cōtrariæ cenſeri poſſint illæ excipiuntur, quæ Prælatis Religionum Mendicantium erga ſuos Fratres conceſſæ inueniuntur: & talem hanc eſſe ſatis perſpicuum habetur: à Pontifice enim conceditur Superioribus, vt eam iis, quos ad Miſſiones deſtinant, concedere queant. Quod quidem Commiſſarij dicti oportet aduertant, ex inaduertētiâ enim metas aliquando Commiſſionis ſibi traditæ tranſgrediuntur, & magnum illud Miſſionum bonum in tempeſtiuis contradictionibus impeditur. Videant tamen Religioſi ne limites conceſſionis tranſiliant, & miſſi ad alia, Miſſionem Apoſtolici inſtituti prætendant, vt priuilegio potiantur: quandoquidem Pontifex ad licitum illius vſum exigit, vt à Superioribus miſſi, in eo Apoſtolico munere, & non aliter occupentur. Quia verò in Compendio, vbi priuilegium dictum ponitur, nulla ſubiicitur Adnotatio, omnibus forſitan cenſebitur eſſe conceſſum, iuxta ea, quæ in Præfatione habentur. Eo ergo ipſo quòd quis ad Miſſionem miſſus tendat, vti Altari portatili poterit, iuxta formam conceſſionis. Sed certè non eſt ita: limitatio enim in ipſo textu continetur, ſeu tenore conceſſionis, vbi judicium circa hoc Superioris exigitur: vnde ſine diſcrimine omnibus illud concedi contra mentem Pontificis eſt. Quia verò conceſſio, quæ habetur in Compendio Indico, limitationem in textu non habet, in Adnotatione ſtatim adhibetur.

Vſum priuilegij ab Ordinariis aut aliis non poſſe prohiberi.

Neque à Cōmiſſariis Cruciatæ.

Miſſio qualis futura.

Non omnibus indiſcriminatim conceditur.

228 Sed cùm conceſſiones aliæ ampliores ſint, de quibus P. Quintana *citato Singulari* 10. & P. Pellizarius *citato etiam numer.* 86. & qui ante eos ſcripſerunt, Fr. Emmanuel *Tomo* 1. *qq. regular. quæſt.* 43. *artic.* 4. & Fr. Ioannes Baptiſta in Animaduerſionibus citatis *fol.* 165. *& ſeqq.* poterunt illis Religioſi vti, adhibitâ prudenti moderatione. Præter conceſſiones autem à præfatis Auctoribus adductas, eſt alia Leonis X. pro Religione Sancti Iacobi, *vt poſſint habere Altare portabile cum debita reuerentia & honeſtate in locis aptis & decentibus, in quo Miſſam dicere valeant, & diuina officia ſine præiudicio alieni iuris celebrare.* Iuſſa eſt imprimi in Comitiis Ordinis Matriti habitis, ante paucos annos. Alia item, in quâ Pius IV. Religioni S. Ioannis Melitenſis varia priuilegia concedit, & in iis vſum Altaris portatilis: quæ quidem ad Religiones alias beneficio communicationis extenditur: vnde extra Miſſiones talis vſus licebit, neque eum poterunt Ordinarij aut Delegati prohibere. Quod quidem eatenus accipiendum, ſi priuilegij talis authentica copia exhibeatur, qualem apud me habui, vno ex Religioſis Ordinis commodante: cuius & mentionem facit Barboſa de *Poteſtate Epiſcopi Allegat.* 4. *n.* 65. vbi ex eadem verba proponit: *& in quibuſuis tam ſæcularium, quàm Regularium Eccleſiis, abſque alicuius licentia, etiam Altari portatili, celebrare poſſint.* Vbi licet conceſſio tantùm videatur pro Altari portatili, in Eccleſiis; non eſt tamen talis intelligentia

Ampliora alia priuilegia.

Ordinis S. Iacobi Leonis X.

S. Ioannis Melitenſis. Pij IV.

Illius explicatio.

tia vllatenus veroſimilis: nam ad celebrandum in Eccleſiis in altari portatili non eſt opus priuilegio, ſine illis enim licet: tum quia in Eccleſiis altaria fixa ſunt, & ita pro illis priuilegium eſſet ferè ſuperuacaneum. Quia verò opponi poſſet illud eſſe per Concilium Tridentinum reuocatum; cōceſſum enim eſt *die 24. Martij Anni 1561.* cùm tamen Concilium confirmatum fuerit ab eodem Pontifice *die 26. Ianuarij Ann. 1263.* Reſponſio eſt obuia: nam dicta Bulla confirmata eſt à Pio V. Greg. XIII. Sixto V. Greg. XIV. & Clemente VIII. Sed aliunde ſuboritur difficultas: quia Concilio Tridentino non derogatur, niſi de illo expreſſa mentio habeatur, qualis in præfatâ Bullâ non videtur reperiri. Sic affirmant Doctores, quos adducunt Bonacina *Tomo 2. Diſput. 1. de legibus Quæſt. 3. Puncto* 8. §. 3. *num.* 13. Portel *Tomo* 2. *Caſu* 92. *num.* 5. & P. Pellizarius *ſuprà Cap.* 1. *numer.* 98. quos & ipſi ſequuntur. Ad quod dici poteſt, etiamſi talis mentio non ſit, conſtare tamen de mente Pontificis, quod eſſe ſufficiens affirmant Scriptores, quos adducit P. Thomas Sancius *Lib.* 3. *de Matrimonio, Diſput.* 26. *num.* 7. & tradiderat Portel ſui immemor *Caſu* 4. *n.* 6. quòd autem conſtat, ex eo oſtenditur, quia aliàs priuilegium eſſet inutile: cùm enim Concilium Tridentinum celebrare extra Eccleſias vetet; ſi conceſſo priuilegio ad celebrandum extra illas, ſtat eadem prohibitio, priuilegio certè nihil conceditur, vnde & eſt inutile: cùm tamen priuilegium aliquid debeat concedere, vt expreſsè deciſum *Cap. in his quæ*, de priuilegiis, quod in materia præſenti procedit, ſcilicet in altari viatico. Cùm ergo voluntas Pontificis ſit Iuri conformis, & conceſſionem ſuam nolit eſſe ſuperuacuam, Concilio Tridentino intelligendum eſt manifeſtè derogaſſe. Quibus addi poteſt id, quod de mentione Tridentini dicitur, non eſſe certum, ſed contrarium valde probabile, quando Conſiliorum generalium Conſtitutiones non debere obſtare in priuilegiis pronuntiatur: quod in præſenti caſu accidit, vt videri poteſt in Bulla 77. Pij V. & Gregorij XIV. 5. apud Cherubinum *Tomo* 2. Videatur Bonacina *ſuprà*, vbi ſe ad alium locum remittit, in quo id ex profeſſo diſcutit.

A multis Pontificibus confirmata.

Non obſtare quod derogatio Tridenti per verba expreſſa non habeatur.

Etiam illius non factâ mentione, ſtare priuilegiū poſſe, probabile iuxta plures.

229 Iuxta quæ venit accipiendum priuilegium, quod pro Indiis iam olim conceſſum à Gregorio XIII. & quia temporale, finitum: ſed à Paulo V. Vrbano VIII. & Innocentio X. prorogatum: & ſic habet; *poſſunt etiam extra Eccleſias conſecratas, ſuper altaribus portatilibus, in loco tamen decenti, vbi non eſt commoditas Eccleſiarum, & in caſu neceſſitatis tantùm, etiam per horam ante lucem, vel etiam poſt meridiem, in eiſdem regionibus, cùm opus fuerit, celebrare.* Circa quam conceſſionem nullus dubitauit hucuſque, quòd in eâ non contineatur Tridentini Concilij derogatio, ob nuper adductam rationem; quia ſcilicet aliàs priuilegium eſſet inutile. Circa illud autem nonnullæ difficultates occurrunt. Et in primis, an pro Indiis generaliter currat, quia in illo fit relatio ad regiones dictas, dum dicitur, *in eiſdem regionibus*: regiones autem, de quibus erat ſermo, illæ ſunt, de quibus ita præmiſſum: *prouincias remotiſſimas, vbi non eſt Inquiſitio, & fideles inter infideles degunt, neque Ordinarij ſaltem inter duas diætas exiſtentes, huiuſmodi facultatem habentes &c.* Quod ſi ita eſt, magnam profectò limitationem tale priuilegium habet, & neque in Peruuio, neque in Noua-Hiſpania, ac Prouinciis aliis ſuffragari poterit, in quibus fideles cum infidelibus non degunt, & Inquiſitio adeſt, ac Epiſcopi, qui in ordine ad Altare viaticum priuilegio Canonico perfruuntur.

Priuilegiū ſpeciale pro Indiis.

Prima circa illud difficultas.

230 Sed hoc non debet amplitudinem priuilegij coërcere: prædicta enim verba, quibus videatur arctari, non ſunt ad Altaris conceſſionem referenda, ſed ad id, quod immediatè ſequitur, ad abſolutionem ſcilicet à caſibus in Bullâ Cœnæ contentis, in quibus eſt ſpecialis conuenientiæ ratio. Licet enim recepta doctrina ſit clauſulam poſitam in vna parte diſpoſitionis, ſiue ponatur in principio ſiue in medio, ſiue in fine, ad omnia in tali diſpoſitione contenta referendam: id tantùm eſt verum, quando omnium eadem eſt ratio, vt notat Menchius *Libr.* 4. *de Præſumptionibus, Præſumptione* 181. *numer.* 2. In caſu autem noſtro non eſſe eamdem rationem apertè conuincitur: nam quòd fideles inter infideles degant, non infert maiorem neceſſitatem Altaris portatilis, quandoquidem inter fideles nouiter conuerſos maior poteſt occurrere, dum per pagos diſperſi ſunt, nec facilè ſemper poſſunt ad contubernia frequentiora reduci. Præterea, Cùm limitatio iſta aliis duabus ſit adnexa, iuxta ea explicanda eſt, vt omnes illæ in ordine ad eumdem effectum connectantur. Quod tamen clarè apparet dici non poſſe: loquendo enim iam de ſecundâ limitatione, & prima in ordine, quòd ſcilicet in regionibus dictis non ſit Inquiſitio: quis non videat minimè ad Altaris portatilis negotium pertinere? vſus enim illius nullum habet ad Inquiſitionem reſpectum, neque ablatio Inquiſitoribus eſt, ſed Ordinariis demandata. Alia autem de Epiſcopis huiuſmodi facultatem non habentibus, nihil etiam ad propoſitum facit: quia etiamſi Epiſcopi facultatem habeant vtendi Altari portatili, eam tamen nequeunt aliis concedere, vi Decreti citati, vbi prohibitio, non conceſſio, eiſdem commiſſa reperitur. Et vt concedere in aliquo caſu poſſint, generalis tamen facultas, qualis in Euangelicis operariis occurrit, ad Epiſcopos non ſpectat; aliàs ſuperuacaneum eſſet illam à Sede Apoſtolicâ poſtulare. Nouiores autem Pontificum declarationes manifeſtè conuincunt facultatem talem minimè eſſe Epiſcopis, aut quibuſuis aliis Papa inferioribus tribuendam. Stet ergo conceſſionem dictam ſine præfatis limitationibus ad regiones omnes Indicas, & remotiſſimas alias, de quibus loquuntur Pontifices, extendi debere.

Fit illi ſatis, cum notanda doctrinâ.

Clauſula quando ad omnia in diſpoſitione contenta referatur.

231 Quia verò caſus neceſſitatis exprimitur, circa illum non multùm hærendum, aut ſcrupuloſiùs arbitrandum; qualis namque caſus neceſſitatis à Pontifice requiratur, ab eodem eſt ſtatim ſufficienter expreſſum, dum ſubdit: *Cùm opus fuerit.* Quoties ergo prudenter iudicatum fuerit opus eſſe Altaris vſu, id licebit. Vt autem circa hoc ſcrupulus omnis abſcedat, communis doctrina pariter adſciſcenda, iuxta quam etiam ſine priuilegio, accedente neceſſitate, poteſt in Altari viatico celebrari, vt videri poteſt apud Expoſitores

Caſus neceſſitatis qualis ſufficiat.

Sine priuilegio quam

Auctores dicant ſufficientem. — *D. Thomas* — *P. Suarez.* — *Cardinal. Toletus.* — *Antonius Moure.* — *P. Arriaga. P. Sà.* — *Dominicus Sotus, cuius aſſertio defenditur.*

poſitores D. Thomæ 3.*p.* *q*.83. *art*.3. & licet in Cap. *Sicut*, de Conſecratione, *diſtinct*.1. dicatur neceſſitatem ſummam eſſe debere, illi tamen eſt per contrariam conſuetudinem derogatum, vt docet P. Vaſquez *Tomo* 3. *in* 3.*p. diſp*.232. *cap. vlt*. & S. Thomas *ſuprà art*.1. ait, quòd in itinere poſitus, ſi Eccleſia deſit, licitè poteſt ſub dio, vel tentorio, in Altari portatili celebrare, id deducens ex Cap. *Concedimus*, *de Conſecrat. diſtinct. citatâ*. Quod P. Suarez ita intelligit *Tomo* 3. *in* 3.*p. Diſp*.81.*Sect*.2. §. *Tertia exceptio*, quando per plures dies itineris non occurrit locus aptus ad celebrandum. Cardinalis Toletus *Lib*.2.*Cap*.2. ait ſufficientem neceſſitatem eſſe, ſi dum fit iter, occurrat præceptum audiendi Miſſam. Moure *Parte* 3. *cap*.5. §.10. *n*.2. eum ſequitur, addens rationem communicandi aliquē in mortis articulo: quod vltimum admittit tãtùm P. Arriaga *ſuprà n*.29. Sed cùm addat *Maximè*, alia videtur admittere iuxta P. Suar. P. Sà verb. *Miſſa n*.2. Sic loquitur poſt reſolutionem circa iter facientes: *Extra neceſſitatē verò ſi fiat, & abſit contemptus & ſcandalū, non eſt mortale.* Quod eſt Dominici Soti doctrinæ conforme *in* 4. *diſt*. 13. *q*.2. *art*. 3. §. *Circa hoc*, vbi ſic ait: *Immò verò vbi nullus ſit contemptus, vel ſcandalum, vix arbitror poſſe contingere*, quod ſcilicet graue peccatum ſit. Quem tamen circa hoc impugnant plures, & præſertim P. Suarez *ſuprà*, dicens eum nimis exceſſiſſe videri, eò quòd in Cap. *Sicut* citato ſumma neceſſitas exigatur, & materia grauis ſit. Sed cùm ipſe P. Suarius ſummam neceſſitatem non requiri cenſeat, vt ex eo vidimus, non poteſt ex prædicti Capitis deciſione vrgens fundamentum pro condemnandâ Soti ſententiâ deſumi. Neque ex materiæ grauitate argui item poteſt, ſtante derogatione, de quâ diximus.

Cap. Sicut non eſſe contrarium, & de Miſſa ſolemni procedens.

232 Et addi poteſt prædictum Caput, quod ex Epiſtolâ eſt S. Felicis IV. deſumptum, videri de Miſſa ſolemni procedere, ſic enim ſubdit: *Satiùs eſt ergo Miſſam non cantare, aut non audire, quàm in locis, vbi fieri non oportet*: & licet ſic concludat: *In domibus autem ab Epiſcopis, ſiue Presbyteris oblationes celebrari nullatenus licet.* Vbi Gloſſa Euchariſtiæ oblationes exponit: id tamē non videtur ita certū, & vt certum ſit, alia eſt ratio de domibus priuatis, & de locis aliis, ob indecentias, quę in illis poſſunt occurrere: & quia cùm Sacrificium Miſſæ, etiam priuatæ, publicum ſit ex inſtitutione ſuâ, & Eccleſiæ ritu, vnde in Canone ſic dicitur: *Hanc igitur oblationem ſeruitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ, &c. Vnde & memores, Domine, nos ſerui tui, ſed & plebs tua ſancta.* & in fine dicitur, *Ite miſſa eſt*, pro dimiſſione populi. In Quadrageſimæ etiam ferialibus Miſſis dicitur Oratio *ſuper populum*. Inde eſt locum publicum magis proportionatum eſſe, quàm ſit domus priuata, etiamſi talis locus non ſit ad ſacrarum functionum exercitium deſtinatus. Quod poſt hæc ſcripta inuenio à P. Arriaga ſic pronuntiatum *ſuprà num*.29. §.1. Quæ quidem licet non ita dicta à me ſint vt probanda penitus veniant, vbi priuilegium non habetur: eo tamen extante, in ordine ad tollendos ſcrupulos, dum de neceſſitatis gradu non ita apertè conſtat, coniungi omnia poſſunt, & ſic non pro ſola deuotione. Sed iuſto alio accedente titulo, extra Eccleſiam cum Altari portatili celebrare, de quo alia à nobis dicta *Titulo* 5. *à n*.316.

Dubium incidens.

Epiſcopos Cenſuris vti contra Religioſos non poſſe in vſu Altaris, qui & qualiter probent. — *Mendicantium priuilegium in Iure.* — *Concilij verba.*

233 NOn videtur illud hoc loco prætermittendum, an Epiſcopi poſſint Religioſos Cenſuris compellere vt Decretum Concilij circa vſum præfatum obſeruent. Negant plures, & fundamentum eſſe poteſt in primis pro Mendicantibus, & priuilegiorum cum illis communicationem habentibus, quia ex Iure communi habent Altaris portatilis priuilegium, vt conſtat ex Cap. *In his*, de priuilegiis: quod non eſſe à Concil. Tridentino reuocatum, cum P. Præpoſito *Tom*.4. *q*.83. *art*.3. *n*.151. & aliis affirmat Baſſæus Verb. *Miſſa* 4. *n*.1. §. *An autem*; ex eo quòd Concilium non abroget priuilegia in Iure communi contenta, quæ pro Iure ipſo habentur, vnde opus erat de illis expreſſam fieri mentionem: iuxta communē Doctorum ſententiam, de quâ Emmanuel Rodericus circa materiam præſentem *tom*.1. *qq. regul. q*. 43. *art*.5. Item; quia cùm Religioſi omnimodâ exemptione gaudeant, nequeunt Epiſcopi circa illos iuriſdictionem exercere, niſi in caſibus expreſſis, vt omnes admittunt. Quando item iuriſdictio conceditur, ſi ad ferendas Cenſuras non concedatur, id ſufficienter exprimendo, non debet conceſſa cenſeri, quia id valdè odioſum eſt, & ita reſtringendum. Non concedi autem in prædicto Decreto, ex illius videtur tenore conſtare, ſic enim habet: *Ipſi quoque datâ ſibi à ſacroſancta Synodo poteſtate, ac etiam vt Delegati Sedis Apoſtolicæ prohibeant, mandent, corrigant, ſtatuant, atque ad ea inuiolatè ſeruanda Cenſuris Eccleſiaſticis, aliiſque pœnis, quæ eorum arbitrio Conſtituentur, fidelem populum compellant.* Hęc Concilium, vbi fidelis quidem populi mētio facta, cùm de cenſuris agitur, nulla tamē Religioſorum. Circa illos ergo id tantùm licet, quod fuerat præmiſſum: *Neue patiantur priuatis in domibus, atque omnino extra Eccleſiam, &c.* Ad quod equidem Cenſuris vti poterunt, iubendo ſuis ſubditis nē id permittant, aut locum præſtent; ſiue Miſſis adſtent, & ad ſummum aliis pœnis, de quibus Concilium loquitur, & in ſpeciali proponuntur à P. Thoma Sancio *ſuprà*. His accedit priuilegium Mendicantibus conceſſum ne excommunicari, ſuſpendi aut interdici poſſint, niſi id expreſsè Epiſcopis concedatur. Quod quidem agnoſcit Barboſa *Alleg*.105. *n*.13. & conſtat ex eorum Compendio, verb. *Exemptio*, *n*.9. 23. & 24.

Contrarij tenentes, & quo fundamento.

234 Contrarium autem plures Doctores tenent, quia poteſtas illa ordinariis tamquam Apoſtolicæ Sedis Delegatis conceſſa propter Exemptos eſt; ad alios enim ſibi ſubditos coërcendos ordinaria poteſtas ſufficiebat. Et ita ſpecialiter quoad hoc Religioſos eſſe ſubiectos affirmat P. Sancius *ſuprà*, & alij, quos citat P. Pellizarius *Tract*.8. *Cap*.6. *num*.44.

Aſſertio 1. ex Iuris priuilegio non eximi à cenſuris.

Dico primò. Propter priuilegium in Iure contentum nequeunt Religioſi à iuriſdictione Ordinariorum eximi quoad Cenſuras. Sic præter citatos Emmanuel Rodericus *ſuprà*: qui licet aſſerat priuilegium dictum non eſſe abrogatum; ait tamen illud tantum licere, dum ab ordinarijs illius vſus non prohibetur, quod facere per Cenſuras poſſunt. In quo quidem non videtur veroſimiliter philoſophari, ſicut neque Ioannes à Cruce eum ſecutus in Epitome de ſtatu Religionis *Lib*.2. *Cap*.5. *Dub*. 7. *Concluſ*.4. & nonnulli

alij;

Digitized by Google

alij: quod & probabile cenſet Cardinalis Lugo *Tomo* 1. *de Sacramentis*, *Diſputat.* 20. *numer.* 51. Nam vel Concilium reuocat priuilegium, vel non. Si primum, nullo modo eſt vſus licitus. Si ſecundum, non poterunt ordinarij, non ſolùm Cenſuris, ſed neque pœnis alijs ad obſeruantiam compulſare. Quòd autem ex parte reuocet, & abſolutè in ſuo relinquat robore, diſtinctio eſt, quæ in Textu nullum habet fundamentum. Sed probo jam abſolutam reuocationem. Nam Gregorius XIII. in ſpeciali Bullâ pro Societate circa vſum Altaris portatilis cõceſſa, ita declarat verbis illis: *Vſũ Altaris viatici Societatis veſtræ à fel. recordat. Paulo Papa III. conceſſum, deinde à Concilio Tridentino vniuersè ſublatum, &c.* Quæ declaratio omnibus ſcriptorum ſubtilitatibus eſt robuſtior, vt eâ ſtante, nequeat circa poſitionẽ iſtam dubium aliquod ſupereſſe. Illius Data eſt *Die* 1. *Octobr. An.* 1579. Videatur Barboſa *Alleg.* 23. *n.* 4. qui diſtinctionem Emmanuelis allatam friuolam appellat.

Aſſertio 2. *exemi ex priuilegijs alijs, quæ referuntur.*

235 Dico ſecundò. Ratione ſpecialis priuilegij, quo gaudent Mendicantes, & qui communicationem cum ipſis habent, iure ſe tueri poſſunt, vt nequeant in caſu, de quo loquimur, ab ordinariis per Cenſuras obligari. Priuilegium eſt Nicolai IV. conceſſum Minoribus vt nequaquam poſſint Cenſuris ligari, etiam hominis, niſi nominatim fiat eorum mentio, nec ſufficere ſi dicatur in ſententiâ generali vt perinde valeat ac ſi eſſent nominatim expreſſi. Quod habetur in Ceremoniali, ſeu Pontificali; in Bibliothecâ Vaticanâ, vt fidem facit Compendium commune Societatis verb. *Excommunicatio*, §. 3. Adducit etiam P. Sancius *ſuprà*, priuilegium Pauli III. Societati conceſſum in Bullâ, quæ incipit, *Licèt debitum*, quod tamen non eſt ad rem, in eo enim tantùm decernit Pontifex vt Societatis Religioſi nequeant contra ſua priuilegia à Prælatis per Cenſuras moleſtari: & ita Compendium noſtrum talis priuilegij nullam habuit rationem. Hic autem de caſu agimus, pro quo priuilegium non habetur, vt ex *præcedenti* conſtat *Aſſertione*. Probari autem efficaciter poteſt: nam licèt priuilegium celebrandi extra Eccleſiam à Conſilio ſublatum ſit, & ita eo ſe tueri Religioſi nequeant: aliud autem priuilegium, de quo nuper, ſublatum non eſt; ex nullo enim Conſilij verbo tale aliquid deduci poteſt: cùm aliàs ſtare optimè queat, vt vnum priuilegium tollatur, perſeuerante alio. Et ita videtur ſentire Barboſa *Allegat.* 105. vbi à *num.* 14. caſus recenſet, in quibus Regulares poſſunt ab ordinariis per Cenſuras diſtringi, & inter eos, cùm alios ex Tridentino congerat, præſentem non attingit.

Nicolai IV.

Pauli III. non eſſe ad rem.

Religioſi vt ſe gerere debeant, cùm Epiſcopi pro ſe habeant probabilem opinionem.

236 Sed cùm graues ſcriptores, & ex iis multi Religioſi, contrarium ſentiant, pro certo habendum eſt ordinarios eam praxim amplexuros: vnde licet Religioſi poſſint in foro interiori, ſeu ſecreto, quantùm res hæc patitur, ſententiâ propoſitâ ſe tueri; non benè illi facent, ſi ordinariis prohibentibus obluctentur, & à Cenſuris ſe prorſus liberos fuiſſe contendant, eò quòd nequeant illis innodari. Orta quandoque circa hoc iurgia moleſtiſſima, quibus potuit facili condeſcenſione præcurri: & vſque ad conſeruatoris iudicis ob fulminatam excommunicationem deuentum eſt creationem, non ſine ſcandalo populorum. Circa quod variè poteſt accidere controuerſia. Aut enim Religioſus prudenti priuilegij vſu Miſſam dixit: & tunc ordinarius aliter potuit iudicare. Tunc quidem audiendus ille, & legitimâ redditâ ratione, manifeſtum eſt non debere ad pœnam aliquam procedi, ſi iuridicè & Chriſtianè res eſt iſta tranſigenda. Vel manifeſtus fuit exceſſus, & excuſatio friuola: & neque in eo caſu vlteriùs progrediendum, niſi ad intimationem ſpecialis prohibitionis. Conſilium enim nullam pœnam facto ipſo incurrendam ſtatuit; ſed ordinarios monet ne patiantur, & vt prohibeant, mandent, corrigant, ſtatuant, & ad ea ſeruanda, quæ ſtatuerint, Cenſurarum impoſitione compellant. Aut poſt ſpecialem prohibitionem; quo euentu licebit prohibenti, ſeruatis Iuris Regulis, citatione ſcilicet præmiſſâ, & loco defenſionis conceſſo, quidquid in ſimilibus licere ſolet. Ne ergo ad huiuſmodi deueniatur anguſtias, prohibenti parendum: quidquid enim aliter factum fuerit, à malo eſt, etiamſi alicuius magni boni zelo coloretur. Numquam enim magna bona Deus alterationibus indiſcretis immiſcuit, cuius ſpiritus nõ in turbine, ſed in ſibilo auræ tenuis, tranquillo inquam ſpiramine perſentitur.

Diuerſa circa hoc controuerſiæ genera, & quid circa illas vtrique.

De Priuilegio circa tempus dicendi Miſſam.

237 Circa hoc vidimus *num.* 229. quid per Indicum priuilegiũ habeatur: ſic enim Pontifex: *Etiam per horam ante lucem, vel etiam poſt meridiem, in eiſdem regionibus, cùm opus fuerit, celebrare.* Pro quo & eſt Gregor. XIII. conceſſio, de quâ in communi Compendio, ſic ſe habens: *Poſſunt Presbyteri Societatis celebrare Miſſam per horam ante auroram, & infra horam poſt meridiem, itineris, vel alicuius legitimi impedimenti cauſſa, de licentia Præpoſiti Generalis, vel cuiuſlibet alterius ad id ab eo deputati.* Sic ibi. Videtur ergo priuilegium Indicum nihil concedere à communi diuerſum; immò commune plus aliquid: nam Indicum, *Per horam*, inquit, *poſt meridiem*: Commune autem *infrà horam*: vnde tranſactâ horâ poſt meridiem celebrari poteſt: cum tamen per Indicũ intra illã tantùm celebratio concedatur. Nihilominùs plus aliquid per Indicũ licet, quatenus minorẽ cauſſam ad celebrationẽ requirit, cùm in eo dicatur: *Cùm opus fuerit*: in alio autẽ legitimum impedimentũ requiratur. Et ratio quæuis in Indiis ſufficiet, cùm tamen extra illas plus aliquid requiratur. Quòd autem de horâ poſt meridiem dicitur, ſimiliter eſt accipiendum: quia non eſt credendum priuilegium Indicum minùs aliquid conceſſiſſe: & etiam, quia quod de horâ ante auroram dicitur, ſic etiam eſt receptum, vt non intra illam Miſſa incipi debeat, ſed poſſit ante illam, dummodò intra eamdem finiatur. Et eo modo poſſe etiam poſt meridiem dici, ita vt poſt horam terminetur, omnino tenendum eſt: ſic enim abſolutè verificatur poſt meridiem per horam dici. Et cùm priuilegium fauorabile ſit, amplè interpretandũ venit, quãdoquidẽ in nullius præiudiciũ cedit. Sed parùm eſt illud. Inchoari Miſſa ante horam auroræ proximã poteſt, & etiam finiri. Quia iuxta communẽ ſententiam, quam poſt alios tenent Baſſæus verb. *Miſſa* 4. *n.* 6. P. Martinon *Tomo* 4. *Diſp.* 40. *n.* 15. P. Bauny *Tomo* 1, *Tractat.* 10.

Priuilegiũ circa horã ante lucem pro Miſſa celebranda &c.

Aliud Gregor. XIII.

Plus priore pro Indiis concedi.

Sine priuilegio quando inchoari poßit.

*ctat.*10. *Quæſt.*13. P. Gaſpar Hurtadus *Diſput.* 4. *de ſacrificio Miſſæ Difficult.* 4. & P. Pellizarius *Tractat.*8. *Cap.* 2. *numer.*98. Miſſa inchoari & finiri ante auroram poteſt ſine priuilegio: cùm ergo illud horam vltra communiter licitam concedat, iuxta illud inchoatio & finitio dictâ ratione licebit.

Duabus horis ante ortum ſolis licere, tribus cum illo.

238 Sed addendum aliquid, quo priuilegium auguſtius comprobetur. Miſſam ſcilicet ſine priuilegio inchoari poſſe duabus horis ante ſolis ortum, iuxta id, quod cum alijs tenet P. Suarius *Tomo* 3. *in* 3. *q. Diſp.*80. *Sect.*4. §. *Secundò inquiri.* Vnde & conſequenter affirmat §. *Tertia inceptio*, ex priuilegio vnius horæ ſpatium concedente, poſſe tribus horis ante ſolis ortum celebrari. Quod & tenent Cardinalis Lugo *Diſput.* 20. *numer.* 33. P. Dicaſtillus *infrà, numer.* 55. P. Leſſius *quæſt.*83. *num.*74. Diana *Parte* 1. *Tractat.* 14. *Reſolut.*33. & *Parte* 10. *Tractat.*12. *Reſolut.*26. Baſſæus *ſuprà*. P. Pellizarius etiam *ſuprà*. P. Arriaga *Tomo* 7. *Diſput.* 54. *num.*17. & alij. Addit autem Diana poſſe poſt matutinum, aut duabus horis poſt dimidiam noctem illicò Miſſam dici, ductus auctoritate Ioannis de la Cruz, qui in Directorio Conſcientiæ *Parte* 2. *de ſacrificio Miſſæ. Quæſt.*2. *Dub.* 1. *Concluſ.* 3. *in fine* affirmat, ad ea remittens, quæ dixerat *in Epitome de ſtatu Religionis, Lib.* 2. *Cap.*5. *Dub.* 1. *Concluſ.*2. Tenent etiam P. Dicaſtillus, P. Tannerus, P. Pellizarius, P. Quintanad. Tamburinus, & Hieron. Rodriguez apud Dianam *Reſolut.* 26. *citatâ*: vbi pro eo adducit priuilegium Alexandri VI. Bullâ 13. pro Benedictinis Montis-Serrati, & conceſſionem Leonis X. viuæ vocis oraculo. Quod & propter Alexandri VI. conceſſionem tenet Baſſæus cum Hieronymo Rodriguez, & Portel. Conceſſioni enim Leonis X. cùm oraculum fuerit, non videtur momenti aliquid exhibere. Pro alio, in hoc genere latiſſimo, militat P. Dicaſtillus *Tractat.* 5. *Diſput.* 4. *numer.* 65. & *ſeqq.* vt ſcilicet poſſit dici Miſſa quauis horâ poſt dimidiam noctem. Pro quo & aliud conceſſum dicitur PP. Mexicanæ Prouinciæ Societatis noſtræ, ſed à quo Pontifice ſcire non potui. Videtur autem à Paulo V. eo enim viuente illius notitia in Peruuiam delata, cum quâ & vſus ſcientium, & communicationem eiuſdem à Prouincialibus poſtulantium & obtinentium inoleuit. Quâ & ego iam inde à tempore illo potitus, Prouincialium ſigno ac ſubſcriptione munitâ. Nec mirum hoc videri debet, quandoquidem Remigius *Tractat.* 5. *Cap.* 4. §. 4. *num.*1. teſtatur Religioſos virtute priuilegiorum idem poſſe. Vbi & addendum pro dando Viatico id ſine priuilegio omnibus licere, vt cum aliis tenet Diana *Parte* 11. *Tractat.*7. *Reſolut.* 21. qui & videndus *Parte* 10. *Tractat.*12. *Reſol.*57. vbi cum multis probat tres Miſſas Natiuitatis dici nocte poſſe. Pro quo & P. Amicus *Tomo* 7. *Diſputat.* 33. *numer.*330. P. Dicaſtillus *numer.*72. vbi quòd à puncto mediæ noctis. Et P. Granadus *Tomo* 2. *in* 3. *p. pag.* 1070. *num.* 5. vbi quòd Romæ ita fiat.

Duabus poſt mediā noctem qui teneant ob priuilegia.

Et quálibet poſt illam, ex alijs.

Quid de Miſſis Natiuitatis.

Circa tempus, vltra quod differri nequit, varia ſententia.

239 Circa tempus autem, vltra quod differri celebratio nequit, cùm Eccleſiæ praxis, Rubricæ Miſſalis, & Pontificum conceſſiones circa illud, meridiem eſſe ſignificent, in huius termini taxatione variæ ſententiæ ſunt, de quibus Diana *tract.*14. *cit. reſol.*34. & *Parte* 5. *tract.*5. *reſol.*58. & *Part.* 10. *tract.*12. *reſol.*22. & communiter Doctores excuſant inchoantes poſt meridiē, dummodò intra horam immediatam finiatur: cùm etiam ſint qui probabile cenſeant poſſe inchoari ante finitã horam, etiamſi poſt tranſactam finiatur. Immò & poſt tranſactam inchoari poſſe, vt videri poteſt apud citatum Auctorem *Reſol. illâ* 22. Circa quod P. Suarij congrua doctrina ſuccurrit *ſuprà*, §. *Quocirca.* Cùm enim dixiſſet in die feſto, ſi Miſſa ſolemnis & concio non finiatur vſque ad vnum vel duas horas poſt meridiem, id licere: & ratione itineris, quamuis non debeat vnius horæ ſpatium excedi, ita ſubdit: *Quod ſignificat Soto ſuprà, & fauet conſuetudo; immò & regula Miſſalis, in quâ non ſine cauſſa additur illa particula, Communiter: Ac denique quia res morales, quando non ſunt per legem omnino declaratæ ac limitatæ, non poſſunt indiuiſibiliter definiri; præſertim quia hæc res non eſt tam grauis vel neceſſaria ad honeſtatem, vt intercedente rationabili cauſſa non poſſit prædicto modo ampliari.* Sic ille. Cuius præclara ſententia ad varios poteſt caſus, rationabiliter tamen, applicari. Id autem quod Nauarrus tradit *in Manuali Cap.* 25. *num.* 87. nec diſplicet P. Becano *de Sacrificio Miſſæ*, 2. *p. q.* 4. *num.* 5. dum non reprobat de tertiâ horâ poſt meridiem: & ſecutus eſt Viualdus *in Candelabro aureo, de Euchariſtiâ, num.* 50. & Pitigianus apud Bonacinam *Tomo* 1. *Diſput.* 4. *de Euchariſtiâ, quæſt. vlt. Punct.* 9. *num.*7. P. Dicaſtillus *ſuprà, num.* 77. & *ſeqq.* & P. Tannerus *Tomo* 4. *Diſput.* 5. *quæſt.*9. *num.*61. vbi plures adducit dicens non eſſe mortale: communiter Doctores improbant, nec praxis admittit. Immò Emmanuel Rodericus *in Summa Cap.* 249. *Concluſ.*3. cenſet eum, qui per audaciam & præſumptionem ſic celebrat, remanere perpetuò ſuſpenſum à diuinis, quia Pius V. in Bullâ 4. (apud Cherubinum *Tomo* 2.) prohibet in virtute ſanctæ obedientię, ne quis ſub pœna prædictæ ſuſpenſionis à diuinis præſumat quouis prætextu, etiam licentiarum, in Veſperis celebrare. Ad quæ quidem Bonacina *ſuprà*, ſic ſubiicit: *Ego tamen cenſeo illam ſuſpenſionem non incurri ipſo facto, quia in præfatâ Bullâ dicitur, ſub indignationis ſuæ, ac perpetuæ ſuſpenſionis à diuinis pœnâ: quæ loquendi forma continet Cenſuram comminatoriam, non autem latam ipſo iure.* Sic ille. Sed miror vtrumque, ſicut & Hieronymum Garciam *Tractat.* 3. *Difficult.* 8. *Dub.* 1. *Puncto* 1. *num.*8. non animaduertentes Bullam illam nihil ad intentum præſens conducibile continere. In ipſâ enim Pontifex contra illos tantùm decernit, qui Miſſas Natiuitatis, Reſurrectionis, & alias, ſummo manè dici ſolitas, prætextu licentiarum quarumdam, præcedentibus veſperis, *de ſerò*, vt loquitur ille, & ante ſolis occaſum, celebrabant. Quod quidem valde diuerſum eſt ab eo, quod citati ſcriptores aſſerunt, ſcilicet Miſſam dici, aut votiuam dici permiſſam, circa horam nonam, quâ Chriſtus ſui Corporis & Sanguinis ſacrificium obtulit, poſſe celebrari. Vnde illorum ſententia nullam notam promeretur: & eam, ſi abſit ſcandalum, abſolutè tenet P. Sà *V. Miſſa, num.* 27. Pro quâ etiam Hieronymus Garcia *ſuprà*, adducit Sotum, Durandum, L. Lamas, & Salcedum, & P. Leſſius *ſuprà*, non improbabilem cenſet. Quòd ſi pro dando Viatico neceſſitas occurrat, id certiùs licèt

P. Suarij notanda doctrina.

Sententia de tertia hora poſt meridiem.

A Pio V. reprobatā qui conſentit, pœnâ adiectâ.

Sed impugnatur.

licet, vt cum aliis tenet Diana *Parte* 10. *Tract.* 12. *Reſolut.* 26. & *Parte* 11. *Tract.* 7. *Reſolut.* 21.

Supra tempus, in quo celebrare licet, horam à priuilegio concedi.

240 Iuxta hæc ergo priuilegij eſt regulanda conceſſio; vt quoties ſine illo id licet, quod iuxta probabiles Auctores ſententias expoſuimus, vna prætereà hora adiiciatur. Licet enim ſint qui velint non adiiciendam, ſed iuxta tempus Iure aut conſuetudine deſignatum, ſcilicet auroram, & meridiem, pro quo Hieron. Garcia *ſuprà num.* 17. adducit Patres Vazquez, Fagundez, & Bauny: contrarium tamen tenent P. Suarez, Emmanuel Rodericus, Tamburinus, Miranda, Diana apud eumdem *num.* 16. & prætereà P. Pellizarius *ſuprà* P. Gaſpar Hurtadus *Difficult.* 4. *citat.* §. *Circa concluſionem.* P. Dicaſtillus, *citat. num.* 55. Baſſæus *num.* 6. *citat.* Remigius *ſuprà num.* 2. Gauantus *in Rubricas Miſſalis Parte* 1. *Tit.* 15. *num.* 1. §. *Priuilegiati.* Et alij communiter: atque optimo ſanè fundamento: nam priuilegium, quando non eſt tantum ad tollendos ſcrupulos, aliquid debet concedere vltra id, quod aliunde licet: aliàs erit inutile, *vt ſuprà num.* 228. dicebamus. Et conſtat etiam ex Cap. *Si Papa*, de Priuilegiis in *Sexto*. Quomodocumque ergo aliquid circa horam liceat, horæ eſt ſpatium adiiciendum; dummodò ſcandalum non adſit, quod remoueri poterit adſtantium inſtructione, vt ſciant id beneplacito Pontificis agi poſſe. Et ita à Religioſis Miſſam per tres horas poſt meridiem differri poſſe affirmant P. Dicaſtillus *ſuprà num.* 84. Ioannes de la Cruz etiam *ſuprà*, qui adducit Priuilegium Eugenij Quarti in Bullâ eius 11. Baſſæus *loco citato*, Diana *citato Tract.* 14. *Reſolut.* 34. & *Parte* 10. *citat. Reſolut.* 22. vbi alios adducit. Remigius *numer.* 2. Pro quo etiam ſtat Cardinalis Lugo *ſuprà numer.* 42. licet cenſeat conceſſionem non eſſe abſolutam. Ait etiam Baſſæus Dianam pro eodem adducere P. Suarium; cùm tamen reuerà eum non adducat, vt conſulenti conſtabit. Vnde & idem dicendum, ſi Commiſſarius S. Cruciatæ ſimile priuilegium horæ concedat, affirmat Remigius §. *citat.* licet alij contrarium ſentiant, vt videri poteſt apud P. Mendum in eamdem Bullam *Diſput.* 37. *num.* 98. Neque negabit quod de horâ tertiâ eſt dictum P. Arriaga, qui circa id hæret, dum Diana ſpeciale priuilegium non aſſignat, & ita duas horas tantùm concedit. *num.* 20. iuxta priuilegium Societatis: ſed eſt illud Eugenij Quarti, vt diximus apud Ioannem de la Cruz, & alios, Alexandri Sexti, & aliorum.

Quid circa Commiſſarij Cruciatæ conceſſionem.

Difficultas circa priuilegia dicta quia à Tridentino videntur reuocata.

241 Circa priuilegia autem citata hærent aliqui, quia ante Tridentinum ſunt, à quo omnia eiuſcemodi reuocata, ſicut loquentes de Altari portatili diximus, & præſertim *num.* 235. & prætereà tenent P. Azor *Parte* 1. *Libr.* 10. *Cap.* 26. *Quæſt.* 7. P. Ægidius *Quæſt.* 83. *num.* 226. P. Becanus *ſuprà quæſt.* 5. §. *Tertia exceptio.* Durantus *de Ritibus Eccleſiæ Lib.* 2. *Cap.* 6. *num.* 8. Nauarrus *ſuprà num.* 82. aliique. Nam quod ad horam dicendi Miſſam attinet, à Concilio etiam eſt Epiſcopis demandatum, ſicut alia, de quibus dictum, ne ſcilicet inordinatum quidquam patiantur, verbis illis: *Poſtremò, ne ſuperſtitioni locus aliquis detur, edicto, & pœnis propoſitis caueant ne Sacerdotes aliis quàm debitis horis celebrent, ne ritus alios, aut alias Cæremonias, & preces, in Miſſarum celebratione adhibeant, præter eas, quæ ab Eccleſiâ probatæ, ac frequenti, & laudabili vſu receptæ fuerunt.* Sic Concilium. Verùm hæc non videntur obſtare, quia Regularium ibi non meminit, ſicut ſuperiùs, cùm de celebratione extra Eccleſiam ageretur. Et certè cùm ritus apud ipſos diuerſi extent, circa Miſſæ celebrationem à Sede Apoſtolicâ approbati, ſatis ex eo liquet ea, quæ de ritibus, & conſequenter de horâ ſtatuit, ad eos non eſſe referenda. Præterquam quòd vt ex verborum tenore apparet, à Concilio ſuperſtitio tantùm circa Miſſarum celebrationem propulſari intenditur, à quâ longè abſunt, qui ex priuilegio ſacrificandi horam anteuertunt, aut extendunt. Auctores ergo priuilegia Eugenij Quarti, Alexandri Sexti, & aliorum afferentes, id leui non faciunt fundamento, ſi iis, quæ diximus, permoti fuerint, quæ tamen apud ipſos non deprehendi: vel quia generaliter cenſent priuilegia Regularium non eſſe à Concilio reuocata, quod præter alios *ſuprà* adductos tenet P. Dicaſtillus *num.* 69. & Cardinalis Lugo *Diſputat.* 20. *citat. num.* 29. qui ait ita ſentire Dianam *Tract.* 14. *citat. Reſol.* 33. Circa quod P. Arriaga *ſupra num.* 16. ſe in Diana nec mentionem huius dubij inueniſſe teſtatur. Et ne fortè erratum eſſet in citatione, in Indice omnium trium Tomorum quæſiuiſſe, nihilque ea de re inuenire potuiſſe. Sed certè Dianæ mens citato eſt loco perſpecta, dum §. 2. ſic ait: *ſed plus ego addo cum Ioanne de la Cruz in Directorio conſcientiæ Parte* 2. *de Sacrificio Miſſæ. Quæſt* 2. *Dub.* 2. *Concluſ.* 3. *in fine; poſſe illicò poſt Matutinum, aut poſt duas horas mediæ noctis, Miſſas celebrare ex priuilegiis.* Sic ille. Atqui priuilegia talia ante Tridentinum ſunt, vt conſtat, cùm illud Eugenius, & Alexander præceſſerint: ergo ſentit non eſſe reuocata. Id quod clariſſimè etiam conſtat ex *Reſolut.* 34. Qui etiam *Parte* 10. *Tract.* 12. *citato, Reſolut.* 25. cum aliis pro Alexandri priuilegio militat. Potuit ergo meritò à Cardinali Lugo citari: qui tamen circa priuilegium Alexandri Sexti, conceſſum Monaſterio Montis-Serrati, fundamentum communicationis non inuenit ob reſtrictionem ad ipſum. Licet Hieron. Garcia *ſuprà num.* 15. qui malè Adrianum pro Alexandro poſuit, aduertat Auctorem dictum videri de Monachis loqui, quando extra Monaſterium celebrant. Fundamentum autem communicationis ſatis eſt obuium apud Recentiores, ob conceſſiones Pontificum in ordine ad huiuſmodi extenſionem, vt vidimus *n.* 116.

Illius Decretum circa horam &c.

Circa Dianam legitima citatio Card. Lugo defenditur contra P. Arriagam.

In Priuilegio Alex. VI. quod difficultatis, aduertitur.

Contra illud & alia ante Tridentinum qui militent: ſed defendendum.

242 Sed adhuc parùm curanda illa quando ante Concilium Tridentinum ſunt, contendit citatus Scriptor propter illa, quæ habet *num.* 14. vbi nonnullos adducit ita ſentientes, in quibus eſt P. Fagundez circa primum Eccleſiæ præceptum *Lib.* 3. *Cap.* 17. *num.* 3. vbi ait priuilegium Societati conceſſum fuiſſe à Gregorio XII. cum Concilij derogatione, quod priuilegia talia reuocarat. Sed id non eſſe, vt ille aſſerit, conſtabit Bullam conceſſionis legenti, quæ incipit, *Quanta in vinea die* 5. *Maij Ann.* 1578. nulla enim ibidem mentio Tridentini. Plus autem videtur vrgere Declaratio Cardinalium, quam adducunt Card. Bellarminus, & Barboſa, Sicque habet: *Ante diem & horis indebitis nulli licet celebrare, etiam vi priuilegij ante Tridentinum conceſſi.* Sed quòd hæc

Declarationem Cardinalium non obſtare.

hæc Declaratio generatim non vrgeat debet fateri citatus Auctor, qui *num.* 13. cum pluribus ſtatuit Epiſcopos poſſe ante auroram celebrare, ſiue vi priuilegij, ſiue conſuetudinis, & aliis licentiam celebrandi concedere, etiam poſt meridiem: cùm tamen poſt Tridentinum nullum priuilegium huiuſmodi conceſſum reperiatur. Dicendum ergo Declarationem dictam authenticam non eſſe: & vt verè talis fuerit, quod non negamus, probabili ſententiæ innixam; cùm tamen nos probabilem etiam, & ſatis veroſimilem conſectemur.

De Priuilegiis circa ſumptionem Particularum Euchariſtiæ, peracto Miſſæ ſacrificio.

DE hoc priuilegio dictum *num.* 163. ſed hoc loco quæ ad illud ſpectant ampliùs explicanda.

Aſſertio 1. Particulas ejuſdem Miſſæ poſſe poſt purificationem ſumi.

243 Dico primò. Particulæ, quæ ad immediatè peractum ſacrificium ſpectant, ſumi poſſunt abſque vllo ſcrupulo etiam poſt ſumptam purificationem. Sic P. Suarez *Tomo* 3. *in* 3. *p. Diſp.* 68. *Sect.* 6. *§. Secundus caſus.* P. Vazquez *Diſp.* 214. *n.* 49. P. Præpoſitus *Tomo* 4. *Quæſt.* 80. *n.* 45. P. Reginaldus *Lib.* 29. *num.* 123. P. Filliucius *Tract.* 4. *num.* 239. P. Fagundez *circa tertium Eccleſiæ Præceptum Cap.* 5. *num.* 28. P. Dicaſtillus *Tractat.* 4. *num.* 354. *Diſputat.* 9. P. Arriaga *ſuprà num.* 49. Diana *Parte* 1. *Tractat.* 14. *Reſolut.* 66. *Parte* 2. *Tract.* 4. *Reſolut.* 45. *& Parte* 5. *Tractat.* 14. *Reſolut.* 43. *alibique*, & apud ipſos alij plures. Pro quo communis ratio eſt, quia huiuſmodi reliquiæ non ſumuntur per modum integræ Communionis, ſed vt complementum vnius ſacrificij, ad quod Sacerdos ieiunus acceſſit, & ita totum illud eſt per modum vnius moraliter actionis. Item, quia non poteſt aliter Sacerdos miniſterium ſuum, & actionem illam perfectè adimplere modo conuenienti: ſæpè enim non poſſunt reliquiæ conſeruari, neque ante ablutionem ſumi: vnde Eccleſiæ ieiunium præcipientis intentio non eſt credenda vllatenus aduerſari.

Quoties inuenta fuerint.

244 Circa quod P. Suarez ſic faciendum ait *quando moraliter oportuerit*: qui videtur ſignificare non eſſe abſolutè licitum: vnde dubitari vlteriùs poterit quando id erit moraliter conueniens. Sine vllo tamen ſcrupulo fieri poterit, quoties reliquiæ extiterint, quia hoc clarè probat ratio adducta de ſacrificij actione, quæ vna moraliter eſt, & de illius perfectione, ac conuenienti modo miniſterium adimplendi. Quòd ſi ad neceſſitatem reducitur, iam ratio talis minimè erit ſufficiens; quam tamen & ipſe Eximius Doctor, & alij ſufficientem arbitrantur. Vnde eo ſtante videtur particulas debere ſumi, etiamſi commoditas non deſit ad earum conſeruationem. Quod quidem tunc accidere poterit, ſi quando Sacerdos poſt Miſſam daturus Communionem, pyxidem è ſacrario extrahit, in Corporali particulam aliquam deprehendit. Eſt enim tunc facile eam in pyxide reponere; quod tamen ſi faciat, conuenienti modo non ſe gerere ratio adducta conuincit: quia ſcilicet ſacrificium perfectè non peragit, cùm aliquid ex eo relinquit, quod à ſe ſumendum conſecrauit. Licet enim non ſit neceſſarium vt Sacerdos totum id ſumat, quod conſecrat, cùm pro aliis etiam conſecrare poſſit: id tamen quod à ſe ſumendum conſecrat, ſumere debet, quia ſumptio, vel ad ſubſtantiam ſacrificij ſpectat, vt volunt multi, vel ad integritatem. Non videtur ergo juxta mentem Doctorum ſic tenentium & probantium, aliter fieri poſſe, cùm in eo & ratio conuepientiæ, & integritatis requiſitæ concurrant. Vnde & P. Vazquez, qui ait non eſſe obligationem particulas huiuſmodi ſumendi, ſi ſeruari poſſint, probabiliter quidem loquitur, ſed non iuxta rationem communis aſſertionis. Et quidquid de obligatione in ordine ad culpam ſit, de maiori quidem conuenientiâ non videtur poſſe dubitari. Et vrgeri ex receptiſſimâ ſententia poteſt; iuxta quam, qui in Miſſa poſt conſecrationem etiam ſolius hoſtiæ, recordatur ſe non eſſe ieiunium, debet in ea proſequi. Pro quo ipſe P. Vazquez *Cap.* 5. *§. Idem dicendum.* junctis iis, quæ habet *Diſput.* 208. *Cap.* 2. Nam communis ea reſolutio in eo fundatur, quòd integritas ſacrificij præferenda ſit Eccleſiaſticæ legi ieiunij. Ex quo arguere pro caſu, de quo eſt ſermo, efficaciter poſſumus: quandoquidem particulæ de integritate ſacrificij ſunt: vt ergo abſoluta neceſſitas non ſit, quia eam communiter non recognoſcunt Doctores, ſaltem magnæ conuenientiæ onus incumbit Sacerdoti. Vnde non benè P. Gaſpar Hurtadus *Diſputat.* 9. *de Euchariſtiâ Difficult.* 17. *§. Nos tamen*, aſſerit particulam relictam non poſſe poſt ablutionem ſumi, ſi ſeruari poſſit, ſed reponendam in ſacrario, quia tunc abſque cauſſa aliqua excuſante ſumptionem à non ieiuno ſumitur: conſtat enim cauſſam eſſe legitimam & vrgentem, vt iam vidimus.

Et debere ſemper ita fieri videtur.

Saltem id eſſe valde conueniens.

Etiamſi ſeruari poſſint, contra P. Hurtadum.

Aſſertio 2. idem de hoſtiolis ſeu Formis ſtatuens.

245 Dico ſecundò. Non ſolùm minuſculæ particulæ, ſed hoſtiolæ, quas Formas dicimus, pro communicandis aliis conſecratæ, ſumi poſſunt, ſicut illæ, vt accidit cùm Communio fit poſt Miſſam, & aliquæ factâ Communione ſuperſunt. Sic P. Suarez *ſuprà*, Poſſeuinus, Chamerota, P. Filliucius, quos citat & ſequitur Bonacina *Tomo* 1. *Diſput.* 4. *de Euchariſtia. Quæſt.* 6. *Puncto* 2. *num.* 13, *&* 14. P. Fagundez *num.* 31. P. Vazquez, & P. Præpoſitus *ſuprà* P. Henriquez *Libr.* 9. *Cap.* 30. *num.* ad finem P. Ægidius *Quæſt.* 8. *numer.* 68. & alij. Licet autem ita ſentiant, non eſt tamen apud eos ratio, quæ reſolutionem iſtam & præcedentem complectatur. Illa enim quæ pro præcedenti adducta eſt, ex integritate ſacrificij procedit, quæ non videtur poſſe ad præſentem adaptari. Particulæ ſiquidem pro communicandis aliis conſecratæ, ad integritatem ſacrificij non ſpectant ſicut aliæ, quia non conſecrantur vt à Conſecrante ſumantur, licet ſimul conſecratæ cum hoſtiâ vnum ſacrificium conſtituant: ergo ratione integritatis ſumi nequeunt. Nihilominùs ſuſtineri ratio prædicta poteſt: tum quia dici poſſunt ad integritatem pertinere, quatenus ita conſecrantur, vt Sacerdos virtualiter intendat eas ſumere, ſi fortè ſuperſint. Tum etiam quia ratio communis Doctorum non ad integritatem ſacrificij referenda eſt, quo pacto nos ſumus argumentati, ſeu ad integritatem & perfectionem illius actionis.

Ratio pro eadem notanter deducta.

246 Neque

Obiectio P. Hurtadi diſcuſſa, quæ & aliorum.

246 Neque vrget quod obijcit P. Hurtadus *ſuprà* §. *Tertius caſus*, quod ſcilicet ſi ea ratio valeret, non eſſet contra prohibitionem ſumendi Euchariſtiam à non ieiunis, ſumere ſcienter aliquid cibi ante ſumptionem reliquiarum. Et ſimiliter arguit Cardinalis Lugo *Diſput.* 15. *num.* 77. & cum eo P. Arriaga *num.* 47. Pro quo poteſt caſus adduci; ſi quis poſt Miſſam virium defectum ſentiret ad Communionem multis conferendam, & ante illam ſecretò aliquid ſumeret, quo eas repararet. Non inquam vrget; quia eo ipſo quòd aliquid ſcienter ſumeret Sacerdos, actio ſacrificandi finiretur: talis enim cibi ſumptio ſufficiens illius ſignum eſt, cùm adeò aliena ſit ab actione illa omnium ſacratiſſima: ſic enim teſtatur Sacerdos de cœleſti cibo ſe iam non agere, qui terrenum capit. Quòd ſi intra Miſſam detur Communio, idem etiam dicẽdum, etiamſi Sacerdos alia adiecturus ſit, quæ ad finem Miſſæ ſpectant: ante illa enim ſacrificium terminatum eſt ſumptiòne illâ cibi, non ſolùm ſubſtantialiter, ſed integraliter ac completiuè; licet ex Eccleſiæ præcepto, prætermittenda non ſint. Deinde. Diuerſa eſt ratio de ablutione, & ſumptione illa cibi: nam ablutio ad complementum illius actionis pertinet, ex inſtituto Eccleſiæ; non ita cibi ſumptio aut potus: & ita illa obſtare nequit ſicut iſta. Pro quo etiam eſt, circa vnam nullum eſſe indicium permiſſionis Eccleſiæ, cùm tamen ſit erga aliam. Vnde P. Hurtado ex illius poteſt reſponderi doctrina, qui communem ſententiam, de qua *Aſſertione* 1. ex eo probat quòd voluntas Eccleſiæ pro eo ſit; vult enim fractionem ieiunij non impedire, ſicut non item impedire vult, quando in Paraſceue ex ipſius præcepto particula hoſtiæ conſecratæ remanentis ex Feriâ 5. vino non conſecrato infunditur, & cum eo ſumitur: & tamen regulariter contingit quòd particula aliqua vini priùs deglutiatur, quàm particula illa hoſtiæ conſecratæ. Sic ergo & nos dicere poſſumus circa fractionem per ſumptionem cibi præfatam nullum eſſe indicium voluntatis Eccleſiæ, cùm tamen circa ablutionem ſit, quam Doctores veroſimiliter coniiciunt, de alia nihil tale vſpiam odorati. Quo pacto philoſophantem inuenio poſt hæc ſcripta P. Dicaſtillum *ſuprà n.* 357. *& ſeqq.*

Ex ſua ipſius doctrina redarguitur.

Aſſertio 3. Idem concludens de particulis ex alia Miſſa.

P. Suarez.

247 Dico tertiò. Particulæ poſt ſumptionem ablutionis inuentæ ſumi poſſunt, etiam ſi ex alia ſint Miſſa relictæ. Sic P. Suarez *ſuprà* §. *Ad ſecundam*, quatenus ſic ait: *ſi autem ſint ex præſanctificatis, conſultiùs erit illas reſeruare, ſicut anteà conſeruabantur.* Sic ille, qui dum conſultius eſſe ait, oppoſitum indicat fieri abſolutè poſſe & ita probabiliter. Quod etiam tenet P. Fagundez ſententiam P. Suarij, & verba deſumens. Bonacina *ſuprà num.* 14. dicens meliùs eſſe eas aſſeruare. Baſſæus verb. *Communio*, in fine, vbi eiſdem vtitur verbis, quibus P. Suarez. Marchinus apertiùs, *de Sacramento Ordinis Tract.* 3. *p.* 3. *Cap.* 3. *num.* 19. Eſt ergo hoc probabile, cuius tamen ratio apud Scriptores non occurrit: poteſt nihilominùs ex eo fundari, quia ad actionem præſentis ſacrificij non ſolùm pertinet quidquid à Sacerdote oblatum eſt, ſed etiam quòd ab alio, ſi illud ſumere ſit conueniens. Vnde manifeſtum eſt Sacerdotem poſſe ſumere ante oblationem particulas ex alia Miſſa relictas, ſicut & purificare ciborium, in quo ſacræ hoſtiolæ aſſeruantur: ergo quemadmodũ ſumere à ſe conſecrata poteſt poſt ablutionem, ita & conſecrata ab aliis, quia hoc etiam pertinet ad actionis illius complementum.

Aſſertio 4. reſolutionẽ præcedentẽ de hoſtiolis etiam procedere videtur.

248 Dico quartò. Præcedens reſolutio videtur procedere non ſolùm de maiuſculis particulis, ſed etiam de hoſtiolis pro Communione tribuendâ conſecratis. Id probatur ex eorum auctoritate, quos nuper adduximus. P. Suarez abſolutè loquitur de reliquiis poſt datam Communionem, ſicut & P. Fagundez & Bonacina: poſt Communionem autem non ſolùm reliquiæ minutiores reſtare ſolent, ſed etiam formulæ aliquæ. Si ergo oporteat ciborium purificare, ſumi poterunt, aut quauis aliâ rationabili cauſſâ intercedente. Baſſæus de reliquiis loquitur, etiamſi notabilis ſint quantitatis. Et quidem P. Fagundez de reliquiis loquens præſentis ſacrificij, ita ſumi à Sacerdote, qui per longum ſpatium Communionem populo diſpenſauit, & poſteà vaſa purificat, poſſe arbitratur: vt nullum in eo eſſe dubium, non dubitet pronuntiare. Quod quidem oportebit obſeruent illi, qui ſcrupulis circa iſta perurgentur. Ex eo autem quòd nullum dubium in eo ſit, vt vult ille; in eo quod de præſanctificatis addit cum aliis, conſultum quidem eſſe ea ſeruare: licet dubium aliquod eſſe poſſit, ſatis tamen veroſimiliter affirmatur, quia indubitato adhæret, quaſi proximo ab eo gradu.

Aſſertio 5. Particulas poſt receſſũ ab altari ſumi poſſe.

249 Dico quintò. Etiamſi Sacerdos ab altari receſſerit, poterit particulam inuentam ſumere, quæ commodè ſeruari non poſſit. Sic citati, quatenus id admittunt quando ſine irreuerentia ſeruari nequit: quæ quidem ordinariè continget; cùm enim Sacerdos nequeat ſine nota ad altare redire, videtur particula in Sacriſtiâ ſeruanda ſecretò, vnde & irreuerentia eſt manifeſta. Eſt ergo ſufficiens ratio, quæ ex incommoditate in aſſeruatione deſumitur, & ita generaliùs locutus circa hoc P. Martinon *Tomo* 4. *Diſput.* 35. *num.* 63. & de aliorum vſu teſtatur P. Arriaga *num.* 51. cùm eſſent valde docti. Pro quo & alij apud Dianam *Parte* 6. *Tractat.* 6. *Reſolut.* 17. *& Parte* 10. *Tract.* 13. *Reſolut.* 54. Accedit particulas iſtas dubitari poſſe an ſint conſecratæ.

Aſſertio 6. Præfatas reſolutiones Indico priuilegio iuuari.

Dico ſextò. Licet aliqua ex prædictis non ita recepta ſint, ad ea tamen poteſt priuilegium Indicum, de quo *num.* 163. probabiliter applicari, vt eo pacto magis licita videantur. Diximus ibi priuilegium dictum nihil ſpeciale concedere. Sed eſſe pro tollendis ſcrupulis impetratum. At erunt qui cenſeant aliquid aliàs non licitum cõcedi per illud: & cùm nihil aliud præter dicta excogitari poſſit, ad ea erit applicandum.

Dubium circa dicentes duas Miſſas, ob reſiduum ſanguinem in Calice & rationẽ adductam de particulis.

250 Vbi dubium incidit circa id, quod eſt in Parochis Indorum frequentiſſimum. Miſſas enim dicunt duas diuerſis in populis. Poſſuntnè illi in priori Calicem purificare, & purificationem ſumere? Videtur enim id licitum ex dictis, quia purificatio illa ad complementum ſacrificij pertinet: ergo quemadmodum ſacrificium non obſtat quo minùs aliud offerri & ſumi queat, ita neque talis ſumptio. Item. Poſt ſumptionem talem poſſunt ſumi particulæ in eadem Miſſâ non conſecratæ: ergo & ſumi poterunt, quæ in Miſſa ſequenti

Fundamenta vt

quenti fuerint conſecratæ: nam in hoc Sacramento magis & minùs non variant excellentiam, ob contentum in illo, Chriſtum ſcilicet. Ponamus ad huius comprobationem Sacerdotem poſt ſumptam ablutionem circa Communionem miniſtrandam occupari, vt contingere in magnis Iubilæis poteſt, & interim Sacerdotes alios in eodem altari Miſſas facere, & vaſa hoſtiolis plena conſecrare, quas & ipſe ad Communicandum accedentibus largiatur. Finitâ certè Communione purificare omnia vaſa poterit, & reliquias ſumere non ſolùm à ſe, ſed ab aliis etiam in præcedentibus Miſſis, ac etiam in ſubſequentibus conſecratas: quia quòd præſanctificatæ, aut poſt ſanctificatæ ſint, omnino materialiter ſe habet, iuxta dicta *Aſſertione* 3. & 4. Idem ergo in caſu, de quo loquimur, dici poteſt. Quòd ſi dicatur actionem ſacrificij prioris omnino fuiſſe finitam, & ſequentis ſacrificij actionem minimè ad illam pertinere, occurri poteſt ex adductis *num.*246. vt ſaltem probabiliter in hoc poſſit aliquis arbitrari: quia non eſt certum id, quod Doctores de ſumptione particularum dicunt in eo fundari, quòd eadem actio totalis & completa moraliter reputetur. Deinde. Particulæ Sanguinis in Calice relictæ nequeunt ſine ablutione perfectè exhauriri, vt experientiâ conſtat: ex eo autem quòd remaneant, ſequitur primò non habere ſacrificium omnimodam integritatem. Secundò irreuerentiis exponi: Calix enim in alium populum ſine cultu debito deportatur, quia vel ſeruari commodè nequit, aut Calix alius non eſt, vnde & pro ſecundâ Miſſâ etiam adhibendus. Cùm ergo Doctores ob irreuerentiam Sacramenti vitandam licitum cenſeant non ieiunos illud ſumere, hic certè doctrina illa accommodanda venit opportunè. Et ex hoc videtur occurri poſſe notiſſimo Eccleſiæ præcepto, quod in Miſſali Romano extat ante Miſſas Natalis Domini, vbi dicitur Sacerdotem, qui tres eſt dicturus Miſſas, in duabus prioribus non ſumpturum purificationem. Ibi enim nullum eſt irreuerentiæ periculum, ſicut in caſu, de quo loquimur: & propter hæc erit forſan qui huiuſmodi veroſimilem cenſeat poſitionem; aliæ enim minoribus fundamentis probabiles ſolent ab aliquibus reputari.

Sumi in primâ poſſe purificatio.

In Miſſis Natalis D. non eamdē eſſe rationē.

251 Sed ego non audeo probare illam, quia ſenſus Eccleſiæ pro contrariâ videtur manifeſtus. Et quod de Miſſis Natalis Domini nuper dictū, fortiter vrget: ibi enim ex integritate ſacrificij argui nequit: & licet ablutio ad illius complementum ſpectet, omnino ſublata ab Eccleſiâ eſt. Iam ergo ex illis capitibus nihil, quod iuuet, poteſt afferri. Vide Cardinal. Lugo *in Reſponſis Moral. Lib.* 1. *Dub.* 10. *num.* 13. Quod autem ad rationem totalitatis in actione ſpectat, nihil etiam confert: nam qui dicunt eam non eſſe potiſſimam, adducunt aliam, ſcilicet voluntatem Eccleſiæ: quæ quidem in caſu præſenti non deprehenditur, neque vllum eius apparet indicium, ſed potius appoſitæ. Iam quod ad irreuerentiam attinet, vitari illa facilè poteſt, ſi ſacerdos ipſe Calicem decenter exportet, neque Indo tradat cum ſarcinis aliis ſacris deportandum, vt nonnulli ſatis inconſideratè faciunt. Vt autem quidquid eſſe periculi circa hoc poteſt, penitus euitetur, duo ſint Calices, aut plures pro populorum numero, quod eſt ſanè facillimum, ſi in Parochis aliquis ſit pietatis & Religionis igniculus, & Prælati circa hoc eâ, quâ debent, ſolicitudine pergant prouidere. Licet autem in præfatâ Miſſalis Rubricâ non videtur eſſe præceptum, quia ſimpliciſſimo modo proponitur: ex eo argumentum ſumi nequit; quia cùm res ipſa circa id verſetur, quod eſt graui præcepto prohibitum, communicare inquam non ieiunum, & circa purificationem in Cap. *Ex parte*, de Celebratione Miſſarum; quod eſt Innocentij III. omnino apertè deciſum: ſatis ſuperque fuit ſimplex adhibita declaratio, quâ Sacerdotes obligationis ſuæ, de quâ fortè dubitarent indocti aliqui, moneantur. Si enim non defuit, qui ſumptione panis benedicti non ſolui naturale ieiunium ad Communionem neceſſarium, ſibi perſuaſum haberet, an non tale aliquid circa præſentem articulum potuit prouidentia Eccleſiæ ſuſpicari? Vnde etſi Rubrica talis non extaret, præceptum vrgeret ex generali Eccleſiæ lege, iuxta traditionem Apoſtolicam in diuerſis Conciliis ſtabilitâ. Pro quo videri poteſt P. Suarius *Diſput.* 68. *citat. Sectione* 3. & ita præceptum circa Miſſas Natalis Domini, prout ibidem præſcribitur, ſub mortali obligans communis aſſenſio Doctorum agnoſcit. Quamuis Baſſæus verb. *Communio, numer.* 21. ita ſcribat: *Sacerdotes in die Natiuitatis Domini poſſunt ter communicare celebrando, modò ablutionem digitorum in primâ & ſecundâ Miſſâ non ſumant.* Sic ille. Iuxta quem ablutio prior, ſeu purificatio Calicis, non videtur celebrationem impedire. Sed hoc non vrget. Vnde eius non erit audacia toleranda, qui contrarium non fuerit veritus practicare. Iam ad alia.

Contrariū ſtatuitur, & fit ſatis. in contrarium adducti.

Rubrica Miſſalis circa Miſſas Natalis D. quomodo obligaret ſub mortali indicat.

Cap. Ex parte.

Baſſæus.

De Priuilegijs circa ornamentorum, linteorum, & ſacrorum vaſorum benedictionem.

252 Circa hæc ita habetur in Compendio Indico Verb. *Benedictio: Poſſunt ij, qui mittuntur à Præpoſito Generali in loca remotiſſima, à quibus non poteſt adiri Sedes Apoſtolica, veſtes Sacerdotales, Pallas, Corporalia, Calices, Altaria, & Cæmeteria, (ſi Epiſcopus, qui ea faciat, Catholicus ibi non adſit) in eis partibus benedicere.* Sic ibi: & ſtatim hoc ad omnes, qui in prædictis regionibus ſunt, extendendum eſſe, dicitur conceſſione Gregorij XIII. Eſt autem priuilegium dictum Pauli III. vt in eius habetur Bulla *pag.*43. Quomodo autem Prouincialibus, & alijs per eos vſus talis priuilegij concedatur, ibidem dicitur, & dictum etiam à nobis *numer.* 176. Fit autem *citato loco* remiſſio ad Compendium commune circa benedictionem Eccleſiarum, Oratoriorum, & Paramentorum: vbi de benedictione eorum, in quâ vnctio interuenit, nihil extat: pro aliis autem illud habetur ſpeciale, vt tam propria, quàm aliena poſſint benedici. De Eccleſiis & Oratoriis dicemus inferiùs. Præter conceſſiones autem in Compendiis citatas, aliæ ſunt, de quibus agunt Fr. Emmanuel *Tomo* 1. *qq. regular. quæſt.* 19. Baſſæus verb. *Altare*. Fr. Ioannes Baptiſta *in Animaduerſionibus citatis, Parte* 2. verb. *Benedicere*. P. Pellizarius *Tomo* 2. *Tractat.* 8. *Cap.* 5. *Sect.* 3. P. Quintanad. *Tomo* 2. *Tractat.* 5. *Singular.* 12. Fr. Ioannes

Priuilegiū Indicum circa benedictionem, quibuſdam adnexū.

Ioannes de la Cruz *in Epitome ſtatus Religioſi*, *Lib.* 2. *Cap.* 5. *Dubio* 8. & pleniùs ceteris Aſcanius Tamburinus de Iure Abbatum *Tomo* 1. *Diſput*.23. *quæſt*.4. *num*.3. & alij.

Aliud generale Innocentij 8. & vniuerſalius.

253 In quibus tamen quod ad generalem conceſſionem attinet, vnam tantùm inuenio Innocentij VIII. Abbati factam Ciſtercienſi Monaſterij Cabilonenſis, & eius ſucceſſoribus, nec non quatuor aliis eiuſdem Ordinis Abbatibus, in Bullâ, quæ incipit, *Expoſcit tuæ deuotionis*, die 3. Aprilis, Ann. 1489. & eſt quinta huius Pontificis apud Fr. Emmanuelem, & ad omnes eſt Ordinis Abbates extenſa à Gregorio XIV. vt teſtatur idem Fr. Emmanuel *ſuprà*, *Quæſt*.28. *Artic*. 2. illa enim ad Calices & Altaria porrigitur verbis illis: *& quæcumque alia veſtimenta ac ornamenta Eccleſiaſtica, Corporalibus, vaſculiſque ad reponendam Euchariſtiam, ac imaginibus quibuſlibet comprehenſis, in locis, & domibus dicti Ordinis benedicere, & Calices conſecrare, tam de dicto Ordine, quàm ſi ad vos aliunde nonnumquam deferantur. Ac Altaria de nouo constructa, ſeu tranſlata reſtaurare, aut mutata in quibuſlibet locis dicti Ordinis, Chriſmate ſacro priùs ab aliquo Catholico Antiſtite recepto, conſecrare, &c.*

Quæ in illo limitatio.

Vbi notanda limitatio, quòd ſcilicet prædicta in domibus tantùm præfati Ordinis fieri poſſunt; non ergo extra, dum ſcilicet quis itinerandò vt id faciat ab aliquibus inuitatur. Dixi autem conceſſionem dictam magis eſſe generalem, quia omnia complectitur: alia enim eſt, quæ Altarium portatilium conſecrationem indulget, non tamen Calicum & Patenarum, & eſt Pij IV. in ordine 97. Abbatibus Benedictinis, pro ſuis tamen Eccleſiis tantùm, & ad eorum vſum.

Pro conſecratione Ararum aliud Pij 4.

Ait autem P. Pellizarius *ſuprà num*. 102. ſimilem facultatem conceſſiſſe Minoribus Honorium ſecundum, vt in eorum habetur monumentis *Conceſſione* 212. & refertur in Compendio Societatis verb. *Eccleſia*, §. 1. Sed certè ſimilis facultas non eſt: quia tamen per eam habetur, vt poſſint Minores facere benedici altaria à quocumque Antiſtite, ſi Diœceſanus renuerit; hæc certè ſimilis eſt ei, de quâ ibi, à Paulo III. conceſſâ Societati; alia enim de Conſecratione ab eiſdem Religioſis facienda, valde eſſet diſſimilis.

Circa ſimilem conceſſionem deceptum P. Pellizariū.

Neque in Compendio habetur Honorium ſecundum id conceſſiſſe, neque haberi potuit, quia Honorius ſecundus multò fuit antiquior Ordine Minorum. Honorius ergo tertius reponendus. Idem Auctor ibidem affirmat Adrianum VI. conceſſiſſe Prouincialibus Indiarum Ordinis Minorum, & Fratribus, quibus illi conceſſerint, facultatem conſecrandi Aras & Calices, etiam pro vſu alieno in caſu neceſſitatis, Epiſcopis in Prouinciâ non exiſtentibus, pro quo Auctorem nullum, aut inſtrumentum allegat; ſed neque allegare poteſt, quia conceſſio talis non eſt pro Altaribus, ſed pro ornamentis, & aliis, quibus Calices addit, vt videri poteſt apud Emmanuelem *ſuprà*, *Artic*. 3. *&* *Quæſt*. 28. *Artic*. 2.

Sicut circa aliud pro Indijs Adriani 6.

Vbi quidem conceſſionem Leonis X. factam duobus Fratribus Minoribus ad Indias euntibus, de quâ diximus *num*. 209. etiam producit: ſed ex eâ nihil ad intentum deduci poteſt, cùm fuerit perſonalis, vt citato loco demonſtratum. Vide tamen *infrà*, *num*.385.

Abbatibus conceſſum non poſſe ad alios extendi, qui probent.

254 Quòd autem conceſſiones dictæ ad Religiones omnes priuilegium communicationis habentes extendi nequeant, ex Auctoribus citatis, & aliis nonnullis colligitur. Procedunt enim illæ de Abbatibus vſum Pontificalium habentibus: quæ autem talibus conceduntur, nequeunt ad Prælatos alios, qui Abbates non ſunt, per communicationem extendi. Quod tenent Miranda *Tomo* 2. *Quæſt*. 41. *Artic*. 4. Diana *Parte* 3. *Tractat*.2. *Reſolut*.15. Ceſpedes *de Exemptione*. *D*. 158. *numer*. 1. P. Pellizarius *ſuprà*, *numer*. 104. Hieronymus Garcia *Tractat*.3. *Difficult*.8. *Dub*.3. *Puncto* 1. *num*.4. & alij, ante quos id luculentiùs proſecutus P. Suarez *Tom*. 4. *de Religione*, *Tractat*. 8. *Lib*. 2. *Cap*. 30. vbi probat Abbatibus Regularibus numquam in vſu fuiſſe Altarium & Calicum conſecrationem, ſicut & aliorum, pro quibus Chriſma debet adhiberi. De priuilegio autem dicto Innocentij VIII. loquens *numer*.8. ſic concludit:

P. Suarez.

Non eſt ergo dubium quin poſſit Pontifex hunc actum committere Sacerdoti non Epiſcopo. Cur ergo non poterit etiam conſuetudine præſcribi, vel benedictioni Abbatis ipſo iure coniungi? De facto verò certum eſt non ita factum eſſe: immò & de illo ſpeciali priuilegio mihi incertum eſt an fuerit vſu receptum, & an nunc duret. Sic ille: cuius doctrina circa priuilegium ſimile ad conferendos Ordines minores, de quâ *Cap*.29. *num*. 28. huic loco accommodanda venit, quòd quoties Iura loquuntur de inferioribus Prælatis, quibus hæc poteſtas ordinandi communicata eſt, ſemper loquuntur de illis ſub nomine Abbatis: quod eſt ſignum per eam vocem in Iure ſignificari peculiarem dignitatem, quam non habent Prælati aliarum Religionum, qui hoc nomine non vocantur, & ideò in hac poteſtate non communicant: præſertim quia ex ſe & ex primæuâ inſtitutione poſtulabat hæc poteſtas benedictionem ipſius Abbatis: & licet ſpecialiter commiſſa ſit poſteà Abbatibus non benedictis eorumdem Ordinum, id ſolùm fuit quia eis quodammodo erat debita benedictio, ne omnino priuarentur commodis eius: Prælati verò aliarum Religionum per ſe nullam habent benedictionem, vnde diuerſa circa illos eſt ratio, & ita non eſt locus communicationi.

Fundamentum diſcriminis inter illos.

In Compendijs Societatis omiſſa conceſſiones, vti non ad rem.

255 Prætereà. Vt conceſſiones dictæ circa conſecrationem non habeant vim ſufficientem, argumentum eſt non leue omnes illas in Compendiis Societatis omiſſas. In communi enim nihil circa illam habetur, & in Indico ſolius conceſſionis Pauli III. mentio extat eidem Societati factæ: cùm tamen exacta diligentia circa priuilegiorum explorationem adhibita fuerit à viris non vulgariter eruditis.

Argumentum aliud, ex peculiari quadam conceſſione.

Cùm etiam R. P. Generali Iacobo Laynio à Cardinali S. Angeli Summo Pœnitentiario conceſſa fuiſſet, vt Generalis per ſe, vel plures alios, quos nominaret, poſſet benedicere ornamenta, veſtes ſacras, & alia ad diuinum cultum neceſſaria; illa tamen excepit, quæ ab Epiſcopis tantùm benedici poſſunt, id eſt, citra Calices & Patenas, vt teſtatus ipſe P. Generalis, & habetur in viuæ vocis Oraculis *pag*. 19. vt videre etiam eſt in opuſculo Cardinalis Lugo circa viuæ vocis Oracula pro Societate, verb. *Benedicere*. Hæc ergo exceptio videtur arguere nullum circa hoc aliis conceſſum priuilegium extare: ſi enim verè eſſet, non adeò ſtricta limitatio fieret, neque ita apertè ſignificare-

tur

Digitized by Google

tur conſecrationem talem taliter ad Epiſcopos pertinere, vt aliis minimè competere poſſe iudicari videatur. Pro quo & facit id quod præter nuper dicta habet P. Suarez *Tomo 3. in 3. p. Diſp. 81. ſect. 5. § Tertiò additur*, vbi ſic ait: *Papa reſtè poteſt hanc facultatem committere ſimplici Sacerdoti, ordinariè autem non facit: ſolùm inuenio hoc eſſe conceſſum Presbyteris Societatis* Iesv *pro locis remotiſſimis infidelium, in quibus Epiſcopi Catholici non adſunt, in Bullâ Pauli III. An.* 1549. Sic ille.

P. Suarez ſingularem in Societate conceſſione agnoſcit.

Aſſertio 1. ea, in quibus vnctio adhibetur, poſſe à Mendicantibus probabiliter conſecrari.

256 Dico primò. Probabile eſt Prælatos Religionum Mendicantium, & alios habentes priuilegium communicationis, poſſe Altaria fixa, Aras, Calices, Patenas, & alia, in quibus Chriſma adhibetur, conſecrare. Probatur ex adductis priuilegijs, propter quæ ita ſentiunt ex citatis Auctoribus Ioannes de la Cruz, P. Quintana, Emmanuel Rodericus, Fr. Ioannes Baptiſta, qui in ſpeciali conceſſionem Innocentij VIII. omnino ſuffragari Religioſis communicationem habentibus arbitrantur. Quòd & tenet P. Pellizarius *Tractat.* 10. *Cap.* 9. *num.* 38. ob priuilegiorum tenorem, quæ in ſpeciali non recenſet. Et vt id veroſimilius fiat, manifeſtè oſtendendum eſt priuilegium conſecrationis, de quo loquimur, aliis non Epiſcopis conceſſum, & in vſu haberi. Pro quo in primis facit Declaratio Cardinalium, quam ex Naldo adducit Diana *Reſolut.* 15. *citata*: quæ quidem in iudicio contradictorio eſt impetrata, & poſt ſententiam prohibentem ob allegationes Procuratorum, pro Abbatibus fauorabiliter pronuntiatam. Deinde. Tamburinus *ſuprà*, pro conceſſione in ordine ad conſecrationem Altarium varia priuilegia adducit, refertque Viſitatores Pontifices, cùm Romæ ad Auctoris eiuſdem Conuentum acceſſiſſent, quod eſt Religionis Vallis vmbroſæ, & illis inſtillatum fuiſſet Abbates ipſius Altaria conſecrare, quod à Congregatione Rituum non ſolùm de portatilibus, ſed etiam de fixis intelligendum declarauerat, id ratum habuiſſe. Additque ita haberi in Miſſalis regulis, quo dicta Religio vtitur, à Paulo V. approbato. Vnde non eſt vllatenus deferendum Patri Fagundez, qui circa primum Eccleſiæ Præceptum *Lib.* 3. *Cap.* 22. *numer.* 3. ita ſcribit, *Conſecratio petræ Aræ, ſicut & Calicis & Patenæ, ad ſolos Epiſcopos de iure ſpectat: poteſt tamen Summus Pontifex illam committere ex priuilegio ſimplici Sacerdoti: numquàm verò (quod ſciam) adhuc illam Sacerdotibus ſimplicibus commiſit niſi ſolis tantummodò Religioſis Societatis* Iesv, *& non alijs, & his quidem ſolum pro remotiſſimis infidelium partibus, in quibus Epiſcopi Catholici non ſunt.* Sic ille.

In vſu illã Abbatum diuerſarum Religionũ.

Nec toti Societati conceſſa, contra P. Fagund.

Inde argumentũ pro Aſſertio.

Mendicantium maiora ergo Eccleſiam merita.

257 Suppoſitâ ergo conceſſione huiuſmodi reſpectu Abbatum, ſatis iam veroſimile apparet communicationem Prælatis Mendicantibus conuenire: nam illorum maiora merita erga Eccleſiam in cauſsâ fuerunt, vt ipſis communicatio ampliſſima tribueretur omnium eorum priuilegiorũ, quæ Monachalibus fuerant attributa, & in poſterùm erant tribuenda: ſunt enim in acie contra inimicos Eccleſiæ, & ſæculares Prælatos egregiè adiuuant in Paſtorali cura, quod nõ ita faciunt Monachales, ad pedes Domini cum Mariâ ſedentes, & ſanctæ contemplationis dulcedinem ex fonte viuo per otium haurientes. Vnde in *Clement.* 1. de Regularibus iis, qui ex Mendicantibus ad non Mendicantes tranſeunt, etiam auctoritate Apoſtolicâ, variæ inhabilitates imponuntur, de quibus ibi, & pro quibus videri poteſt P. Thomas Sancius *in Opere Morali, Lib.* 6. *Cap.* 7. *num.* 109. *& ſeqq.* Sicut & alter Thomas à Iesv *in Cap. Non dicatis, Parte* 5. *Cap.* 1. vbi multa de Mendicantium dignitate. Ex quo argui efficaciter poteſt: nam ſi merita Mendicantium talia ſunt, & propter illa communicationis ſunt priuilegio donati, quod nullam limitationem importat; videtur non obſcurè deduci, hoc, de quo loquimur, in illis conuenire. Aut enim magnum eſt, aut non magnum. Si primum: non eſt æquum eo priuari, qui magna pro Eccleſiâ moliuntur, & dum faciunt & docent; magni ſunt in regno cœlorum. Si ſecundum: non eſt cur debeat, vbi maiora alia conceduntur, denegari. Licèt ergo Abbates ſpeciali aliquâ ſint præditi qualitate, quâ Mendicantes carent; id non debet obſtare, quando conceſſionis motiuum ea qualitas non eſt, ſed commune aliud meritum, vt in præſenti contingit, & ex tenore ipſius conceſſionis conſtat, viderique poteſt in citatâ Innocentij VIII. quæ ſic incipit: *Expoſcit tuæ deuotionis ſinceritas, & Religionis promeretur honeſtas, &c.* Per quod patet ad rationem adductam pro contraria poſitione. Ad id autem, quod ex conceſſione R. P. Generali Laynio factâ obiiciebatur, reſponderi poteſt concedentem potuiſſe ea cum limitatione concedere, quia ita conueniens iudicauit, de priuilegijs alijs nihil cogitans, per quod illis nihil incommodatum: & P. Generalem eâ conceſſione ſecuriorem vſum voluiſſe: quamuis dubitari nequeat ſine illa licuiſſe, quod conceſſione præfatâ continetur, vt conſtat ex allatis in Compendio. Quòd verò ſignificetur id ad Epiſcopos tantùm pertinere, verum quidem eſt de iure loquendo, non ex priuilegio, de cuius nequit conceſſione vllatenus dubitari.

Dilemma concludens.

Fit ſatis obiectu.

Innocentij 8. verba.

Aſſertio 2. ex Ararum benedictione ad alia faciendam extenſionẽ, & è conuerſo.

258 Dico ſecundò. Ex conceſſione circa Aras, aut fixa Altaria, ſatis veroſimiliter deduci poteſt licere etiam Calicum, Patenarum, & aliorum huiuſmodi conſecrationem, ſicut è conuerſo: vnde conceſſiones aliquæ ex adductis, quæ circa hoc videntur diminutæ, generales poſſunt reputari. Et quod ad conceſſionem pro Calicibus ſpectat, etiam pro Aris eſſe accipiendum tenet Tamburinus *ſuprà*, *Quæſt.* 5. *num.* 3. *& Quæſt.* 13. *num.* 3. quem ſequitur Hieronymus Garcia *ſuprà*, arguendo de maiori ad minus: maius enim videtur poſſe Calicem conſecrare, in quo Chriſti Sanguis, & etiam Corpus, cùm ſit commixtio, immediatè, licèt comitanter aliàs, continetur, quàm conſecrare Aram, in quâ immediatus contactus non interuenit. Quando autem licet maius aliquid, etiam & minus licet, ſi in eodem genere ſint, per vulgarem regulam iuris in *ſexto*. Sed certè pro oppoſito argui etiam poteſt: nam conſecratio Aræ maius quid eſſe videtur, vt ex multitudine eorum conſtat, quæ pro illâ adhibentur: neque enim in ipsâ tantùm contactus attenditur, ſed myſtica etiam ratio, eò quòd Chriſtum ſignificet, vt in eadem conſecratione habetur. Hinc eſt vt Corporalium benedictio, in quibus immediatus contactus eſt, Prælatis omnibus ſine difficultate concedatur:

Ara an Calix cõſecrari, maius quid ſit.

Digitized by Google

cedatur. Et ita quod ad Calicem attinet non eſſet difficile, ſi contactus tantum attenderetur: ciborium enim, in quo hoſtiolæ conſecratæ aſſeruantur, etiamſi immediatè eas tangat, benedici à Prælatis poteſt: quia verò Romæ conſecrari ſacrà vnctione ſolet, eadem pro eo, quæ pro Calice, reſpectu eorum, qui Epiſcopi non ſunt, difficultas reperitur. Eſt ergo Aræ conſecratio aliunde valde ſublimis, dum ſacra in illa adhibetur vnctio, illius inſtar quæ à Patriarcha Iacobi adhibita, cùm *erexit lapidem in titulum, fundens oleum deſuper*; de quo Geneſ. 28. *verſ.* 18.

Aſſertio 3. Circa priuilegium Indicum. Vbi quando Epiſcopi dicantur non adeſſe.

259 Dico tertiò. De priuilegio Indico Societati conceſſo loquendo, ad illius vſum non eſt neceſſarium, quòd in partibus remotiſſimis Epiſcopi non ſint habitualiter, id eſt, quod pro locis talibus nòn ſint aſſignati, & numquàm ad ea perueniant, quod videtur ſignificari dum dicitur *In quibus Catholici Epiſcopi non ſunt*. Sed ſufficit reipſa ibi non eſſe, ſicut in priuilegij tenore habetur, verbis illis: *Si Epiſcopus, qui ea faciat, Catholicus ibi non adſit*. Cenſetur autem non adeſſe, ſi Sedes vacet, iuxta id, quod habet Fr. Emmanuel *Quæſtione* 19. *citatâ Artic.* 3. & Fr. Ioannes Baptiſta ex eodem. Item. Si Sede plena, quia iam eſt confirmatus, aut etiam conſecratus Epiſcopus, nondum tamen in Prouinciam venit: vel, ſi venit, longè abeſt, nec breui ſperatur adfuturus. Neque enim quod dicitur. *Non adſit ibi*, omnino materialiter eſt accipiendum de loco, in quo eſt conſecratio facienda: adeſſe enim dicitur ſtatim rediturus, qui & non putatur receſſiſſe, iuxta vulgatam iuris regulam: vnde & ſtatim venturus, etiamſi à loco numquam receſſerit, quia numquàm ad eum peruenit. Quod ergo dicitur *Ibi*, non eſt ad locum referendum, ſed ad partes in conceſſione deſignatas, loca ſcilicet remotiſſima. Si ergo ibi, in locis inquam talibus, Epiſcopus non adſit, priuilegio locus eſt, iuxta datam explicationem. Quòd ſi adſit, nec velit, aut nequeat, cenſendus non adeſſe: inutilis enim pro mortuo habetur, per Textus, & Doctores, quos adducit P. Thomas Sancius *Lib.* 4. *Conſiliorum, Cap.* 2. *Dub.* 13. *num.* 1. Ex quâ conſideratione conceſſum eſt priuilegium à Sixto, & Eugenio, vtroque Quarto, de quo Ioannes de la Cruz *Dub.* 9. *Concluſ.* 3. vt ſi Diœceſanus ter requiſitus pro conſecratione Eccleſiarum, & Altarium, venire renuerit, à Religioſis poſſint Epiſcopi alij aduocari. Et per priuilegium Societati conceſſum à Paulo Tertio in Bulla, quæ incipit, *Licebit debitum*, ſi vltra *quatuor menſes id facere diſtulerint*. Verè enim acſi in mundo non ſint, cùm ſe ita gerant, reputantur. Vnde & ſimiliter eſt, in caſu, de quo loquimur, æſtimandum.

Inutiles pro mortuis.

Priuilegiũ ob Epiſcoporum tarditatem.

Aſſertio 4. Etiam non propria poſſe benedici, ſeu externorũ.

260 Dico quartò. Quæ benedici à Prælatis, aut ab iis, quibus ipſi conceſſerint, poſſunt, non eſt ad ea tantùm, quæ pro eorum ſunt vſu, coarctandum: nam & pro externis eſſe locus priuilegio poteſt. Sic conſtat ex Bulla Innocentij citata, & ex aliis, iuxta quas in Compendio Societatis ita recognoſcitur, & additur moderatio, videlicet; *ſi neceſſitas vrgeat, & Prælati diſtent, & ſine eorum offenſione*. Vbi neceſſitas latè accipienda eſt, vt quæuis ſufficiat, talis prudenter iudicata. Et cùm talis eſt, etſi Prælatus adſit, nihil obſtat, ſi credatur non facilè ſuam ad id operam præſtiturus. Offenſio autem facilè vitatur, quia illi circa hoc non multùm ſolent eſſe ſoliciti, quibus labor & tædium excuſatur: quod de ornamentis & veſtibus ſacris præſertim intelligendum. In Indiis autem id faciliùs, quia in §. *Benedictionis*, nulla huiuſmodi limitatio circa prædicta proponitur, ſed quæ additur de graui neceſſitate, & cauſſa magni momenti, ad ea, quæ vnctionem exigunt, videntur referenda; pro aliis enim non erat cur maior obligatio in Indiis, circa quas indulgentiores ſolent eſſe Pontifices, quàm pro aliis, poneretur.

De Benedictione Eccleſiarum, Cœmeteriorum, Oratoriorum, aliorumque.

Priuilegiũ Pauli 3. circa benedictionem Eccleſiarũ. &c.

261 IN Compendio Indico, vt vidimus. *num.* 252. Eccleſiarum, & Oratoriorum mentio nulla, ſed tantùm Cœmeteriorum, quia in Bulla Pauli Tertij ſæpiùs citatâ illorum tantùm mentio videtur haberi, vnde pro aliis remiſſio fit ad communes conceſſiones. Sed certè conceſſio Pontificia ad Eccleſias eſt etiam referenda, de quibus ibidem ſermo, dum ſic dicitur: *At in locis prædictis remotiſſimis Eccleſias, hoſpitalia, & alia pia loca, prout expediens fuerit, erigere, ac tunc & pro tempore erecta reformare, ſine alicuius præiudicio: & veſtes Sacerdotales, Pallas, Corporalia, Calices, Altaria, Cœmeteria, (ſi Epiſcopus, qui ea faciat, Catholicus, inibi non adſit) benedicere, ac profanatas Eccleſias reconciliare poſſint*. Sic ille. Quia ergo de Eccleſiis locutus fuerat, poſteà Cœmeteria tantùm addidit: neque Oratoria addi neceſſarium fuit: ſi enim Eccleſiæ benedici poſſunt, de Oratoriis eſſe dubium nequit, cùm id multò minus ſit. Nec dici poteſt de erectione quidem Eccleſiarum actum, ſed non de earum benedictione: nam cùm pro vſu erigantur, & ad hunc benedici debeant, & ibi Epiſcopus non adſit, manifeſtum eſt benedictionem erectionis indulto & nomine comprehenſam. De Cœmeteriis autem ſpecialis mentio ſubiuncta, quia non ſemper ſolent benedici, & quia non dicuntur erigi, ſicut Eccleſiæ. Præterquam quòd, cùm Cœmeterium acceſſorium quidquam ſit reſpectu Eccleſiæ, dum illius benedictio conceditur, ea, quæ ad Eccleſiam ſpectat, videtur præſupponi.

In Indiis non eſt neceſſaria quatuor menſium expectatio, renuentibus Prælatis. Et alia iuxta communes conceſſiones.

262 Hinc eſt, vt quod de expectatione per quatuor menſes ab eodem Pontifice dicitur, de quo *num.* 259. ad Indias non ſit referendum, quia diuerſa eſt diſpoſitio, & circa diuerſa verſatur; vt ex contextu liquet. Quod item habetur in Compendio communi verb. *Eccleſia*. §. 2. in hunc modum: *Poſſunt omnes Præpoſiti, & Rectores, etiam aquâ per eos benedictâ, præſertim in locis remotis, vbi Epiſcopum aquam benedicentem per duas dietas adire non poſſunt, liberè & licitè reconciliare noſtras Eccleſias, Cœmeteria, & Oratoria, & eorum quodlibet, ſanguinis, ſeu ſeminis effuſione, aut aliàs quomodolibet pollutas, ſeu polluta, quoties opus fuerit. Conceſſit Leo X. præfatis Minoribus. &c.* Hoc inquam pro Indiis neceſſarium non eſt, ſed Superiores omnes aquâ à ſe benedictâ id præſtare poſſunt, etiamſi Epiſcopi adſint, quia in prædicta Paulij Tertij conceſſione conditio illa de ab-

Compendiũ Societatis.

ſentia Epiſcopi non apponitur pro effectu prædicto, ſed pro aliis præcedentibus, vt vidimus. Cùm enim dictum pro illis fuiſſet: *Si Epiſcopus qui ea faciat, Catholicus ibi non adſit*: poſteà additur: *At profanatas Eccleſias reconciliare poſſunt.* Et ita tenet P. Quintanad. *Tractat.* 6. *Singulari* 13. verſ. *Eccleſia* §. 1. fundamento tamen nullo aſſertionis indicato. Circa quod non eſt multùm digladiandum, cùm grauis ſcrupuli materia in eo non ſit, quandoquidem opinio multorum eſt, & inter alios, Patrum Suarij, Azorij, Henriquez, Coninck, Reginaldi, Poſſeuini, Graſſij, Sayri, & Finellij apud Bonacinam *Tomo* 1. *Tractatu de Matrimonio. Quæſt.* 4. *Puncto vlt. num.* 27. & Cardinalis Lugo *Diſputat.* 20. *de Sacramentis num.* 61. aſſerentium Eccleſiam pollutam poſſe per aſperſionem aquæ ab eo benedictæ reconciliari à ſimplici Sacerdote ſi non erat conſecrata. Addit Bonacina ex P. Henriquez *Lib.* 9. *Cap.* 27. *num.* 6. expedire vt licentia ab Epiſcopo petatur, vel ab eius Vicario Generali, quod tamen ipſe iudicat neceſſarium. Pro eodem eſt Diana *Parte* 1. *Tractat.* 15. *Reſolut.* 6. qui & videndus *Parte* 11. *Tractat.* 8. *Reſolut.* 27. poſt hæc ſcripta viſus. Baſſæus verb. *Sacrilegium* 1. §. 8. Portel *Tomo* 1. *verb. Eccleſia num.* 2. P. Auila de Cenſuris, *Parte* 5. *Diſputat.* 7. *Dub.* 4. P. Fagundez in primum Eccleſiæ Præceptum. *Lib.* 3. *Cap.* 14. *num.* 60. Barboſa de Poteſtate Epiſcopi. *Allegat.* 28. *num.* 57. & alij complures, quos ipſi adducunt, & prætereà Diana *Parte* 4. *Tract.* 4. *Reſolut.* 91. Vnde non videtur cui debeat attribui, quod ait Hieronymus Garcia *Tractat.* 3. *Difficultat.* 8. *Dub.* 2. *Puncto* 5. *numer.* 52. ſe ſcilicet non inuenire Auctorem, qui hoc clarè affirmet: nam qui id aſſerunt, de Religioſis loquuntur, qui pro eo ſpecialia habent priuilegia.

Eccleſiam non conſecratam à quolibet Sacerdote aqua communi benedicta poſſe reconciliari.

263 Circa Eccleſias autem conſecratas eſt maior difficultas. Et poſſe à Superioribus Societatis reconciliari probatur ex priuilegio adducto *num. præced.* quod de Eccleſiis conſecratis procedit: ad reconciliationem enim Eccleſiarum, quæ conſecratæ non ſunt, non eſt aqua Pontificaliter benedicta, cum vino ſcilicet, & cinere, neceſſaria, vt citati Auctores tradunt: alia autem, quæ benedici à quolibet Sacerdote poteſt, inutiliter ab Epiſcopis poſceretur. Et ita fatentur Auctores, qui priuilegium circa hoc Religioſorum agnoſcunt, vt Peyrinus, Nouarius, & Graſſius, quos adducunt Diana *Parte* 4. *Reſolut.* 91. *citata*, & Hieronymus Garcia *numer.* 54. ac videtur etiam tenere P. Pellizarius *Tract.* 10. *Cap.* 9. *num.* 38. dum generaliter loquitur. Et hoc quidem vniuerſim loquendo: nam pro Indiis non videtur neceſſarium vt aqua ab Epiſcopo benedicta, ſiue adſit ſiue non adſit, expectetur, iuxta dicta *n.* 261. quod tamen ſi fieri poſſit, à Superioribus Societatis non prætermittendum, tum ex vrbanitate, & ad remouendam offenſionem; tum etiam quia ſic in communis Compendij propoſitione præſcribitur, & ad quam in Indico fit remiſſio: vt non liceat de priuilegio, niſi quantùm R. P. Generali viſum fuerit communicari conueniens. Quamquàm remiſſio illa, quæ ad Compendium commune fit, non videatur prorſus vrgere, vt ſcilicet nihil plus circa illud liceat, quàm quod per commune priuilegium habetur. Conſtat enim ex dictis *citato num.* Eccleſias poſſe in Indiis vi priuilegij Pauli Tertij benedici: neque erat ratio cur circa hoc limitatio apponeretur, quæ circa cœmeteria non eſt adiecta. Sicut ergo quoad Eccleſiarum benedictionem non erat neceſſaria remiſſio, ita neque in ordine ad reconciliationem. Quando ergo remiſſio fit, non tollitur quod aliàs licet; ſed id, quod iuuare poteſt, & pro rerum opportunitatibus vſui eſſe valet, indicatur.

Conſecratas poſſe vi priuilegij Pauli 3. à Religioſis Societatis.

Et in Indiis non eſſe neceſſarium aquam ab Epiſcopo poſtulari.

264 Neque obſtat quòd in Compendio Indico verb. *Eccleſia* §. 1. id quod de abſentia Epiſcopi à Pontifice dicitur, ad reconciliationem referatur: ſic enim ibi: *At Eccleſias profanatas, (ſi Catholicus Epiſcopus, qui id faciat, ibi non adſit) reconciliare.* Sic ibi. Non inquam obſtat; quia cùm verborum tenor immutatus ſit, non eſt credendum ex propoſito id factum, ſed Scriptoris aut diſtantis minori animaduerſione: vel quia qui id ita diſpoſuit, in ea ſententia fuit, vt omnia, de quibus priuilegium procedit, pariter iudicauerit comprehenſa. Verbis ergo Pontificis potiùs ſtandum eſt, quæ non poſſunt arbitrio cuiuſlibet alterari. Aliquas etiam in Compendiis peculiares Collectoris eſſe ſententias Auctores noſtri non vno in loco proteſtantur. Et in Adnotatione poſt §. 2. Verb. *Euchariſtia*, ideſt obuium, quam frequentiùs Doctores præfati reiiciunt, licet an benè, alterius conſiderationis ſit. De quo *num.* 222. & in Indico id minùs mirabile, circa quod non eſt ita exactâ diligentiâ, licet non culpabili, laboratum. Res enim hæc, cùm ad remotiſſima ſpectet, maiorem notitiam exigit, quam ſit ea, quæ ab iis haberi poſſit, qui Indias neque à limine ſalutarunt. De quibus hæc ſatis.

Ex Compendij Indici tenore cui difficultas factum ſatis.

Notandum circa illud & Commune.

De Priuilegiis circa adminiſtrationem Euchariſtiæ extra Miſſæ ſacrificium.

265 Communionem intra Miſſam debere fieri, poſtquàm ſcilicet Sacerdos Sacramentum ſumpſerit, antiquus Eccleſiæ vſus fuit: pro quo videri poſſunt quæ adducit Cardinalis Bellarminus *Lib.* 2. *de Miſſa Cap.* 9. vnde & Nouantes aliqui contendunt Miſſam dici non poſſe, in qua adſtantes non communicent, iuxta illud quod in Canone dicitur: *Vt quotquot ex hac altaris participatione ſacroſanctum Filij tui Corpus & ſanguinem ſumpſerimus &c.* & licet iam inde antiquis temporibus in more fuerit vt Euchariſtia extra Miſſam aſſeruetur, id pro infirmis tantùm videtur inſtitutum, vt habetur in Cap. *Presbyter.* de Conſecrat. *diſt.* 2. vbi ſic dicitur: *Presbyter Euchariſtiam ſemper habeat paratam, vt quando quis infirmatus fuerit, ſtatim eum communicet, ne ſine Communione moriatur.* Sic ibi ex Concilio Wormatienſi. Quod etiam ſtatuitur in Rubricis Miſſalis pro Feria 5. in Cœna Domini, verbis illis: *Reſeruat etiam aliquas particulas conſecratas ſi opus fuerit, pro infirmis.* Et colligitur etiam ex Rubrica alia, de qua *infrà n.* 267. Et ex priuilegiis, quæ circa hoc concedi ſolent: ſi enim prohibitio non fuiſſet vlla, fruſtrà conceſſa viderentur. Neque ad tollendos ſcrupulos dici poſſunt poſtulata; quia ſcrupuli prohibitionem aliquam indicant, quæ licet

Communio intra Miſſam facienda ex Eccleſiæ vſu.

Iuxta quẽ etiam pro infirmis aſſeruatur.

Cap. Presbyter.

Rubrica Miſſalis.

Digitized by Google

licet non extet, aliquando tamen fuerit: neq; enim ſcrupuli tales imperitorũ ſunt, qui non rarò ex nimia oriuntur peritia, dũ aliqui plus ſapiunt quàm oporteat ſapere, cũ ſapere oporteat ad ſobrietatẽ.

Priuilegiũ Societatis pro Communicatione extra Miſſam.

266 Propter quod conceſſione ſpeciali Societati Paulus Tertius indulſit id, quod habetur in eius Bulla, quæ incidit, *Cùm inter cunctas*, in hunc modum: *At Miſſas ante diem, circa tamen diurnam lucem, & etiam infra horam poſt meridiem, quando & quoties, ſtante legitimo impedimento, moderno, & pro tempore exiſtenti Præpoſito veſtro præfato id neceſſarium; vel aliàs in Domino expedire viſum fuerit, & poſt ſeu ante illarum celebrationem, aut aliàs, Chriſti fidelibus ipſis Euchariſtiæ & alia Eccleſiaſtica Sacramenta, ſine alicuius præiudicio miniſtrandi, Diœceſanorum locorum, Rectorum Parochialium, & aliarum Eccleſiarum, ſeu quorumuis aliorum licentia deſuper minimè requiſita.* Hæc Pontifex: vbi ſatis eſt perſpicua conceſſionis amplitudo, dum ante Miſſam, vel poſt illam, aut aliàs, communicandi facultas tribuitur: quòd enim, *aliàs*, dicitur, vſitatum tribuendi modum indicat, cùm Sacerdos ſuperpelliceo & ſtolâ indutus, tale exhibet miniſterium: ſiue Alba & ſtola, ſi fortè adminiſtrandum in altari ſic reperiatur, dum Communio petitur, quam non oporteat protelare. Et cùm adeò ampla & luculenta ſit huiuſmodi conceſſio; in Compendio tamen Communi verb. *Euchariſtia*, aut verb. *Miſſa*, nulla illius mentio fit, ſed duæ aliæ adducuntur, quæ per communicationem habentur: alia ex Monumentis Minorum, de qua §. 3. in priori Verbo vt Euchariſtia miniſtrari poſſit omni tem pore. Aliud. §. 4. ex Minimorum priuilegiis, miniſtrandi illam quibuſcumque perſonis, quoties opus fuerit. Vtraque autem præſenti inſtituto deſeruire poteſt: ſi enim omni tempore, & omnibus quoties opus fuerit miniſtrari poteſt: ergo extra Miſſam, quia & extra illam tempus occurrere poteſt, in quo oporteat illam miniſtrari. Sed verb. *Sacramenta* priuilegij prædicti mentio extat; nec tamen ſpecialis conceſſionis in ordine ad illud, de quo agimus, quidquam additur. Sed tantùm in Annotatione ſic dicitur: *Facultas quidem adminiſtrandi Euchariſtiam omnibus Sacerdotibus conceditur, iuxta id quod dictum eſt verb. Euchariſtia.* §. 2. Sic ibi. In §. autem illo Feſtum Paſchæ Reſurrectionis, & articulus mortis excipitur, niſi neceſſitas vrgeat. In Compendio verò Indico verb. *Miſſa* §. 3. ſic habetur: *Poſſunt Superiores in vtraque India diſpenſare in Regula Miſſalis de communicandis laicis intra Miſſam; ita vt quando eis videbitur expediens, fieri id poſſit finitâ Miſſâ. Gregorius XIII. in viua vocis Oraculis.* Sic ibi. Sed quia Oraculum iam expirauit: etſi non expiraſſe contendat quis, ſatis anguſta conceſſio eſt. Quod ergo ad amplitudinem conceſſionis attinet, miniſtrãdi ſcilicet ante, vel poſt Miſsã, vel aliàs, vt *ſuprà*, omnibus Societatis Sacerdotibus eſt licitum ſicut & aliis qui cõmunicatione omnimodâ perfruuntur.

Paulus Tertius.

Quid in Compendio communi.

Quid in Indico.

Sine priuilegio id videri licitum, ex communi ſententia.

267 Nec parui pendendum hoc ex eo quòd Communio dicto modo ſine priuilegio dari poſſe videatur: iuxta receptam enim ſententiam, quam tuentur multi, quos adducit & ſequitur P. Pellizarius *Tract.* 8. *Cap.* 3. *num.* 319. & Baſſæus verb. *Communio ſacra num* 22. & circa caſum præſentem P. Quintanad. *Tomo* 2. *Tract.* 6.

Singulari 7. verb. *Miſſa.* Communio dari poteſt qualibet horâ, ſecluſo ſcandalo; vt patet ex *ſuperiùs* dictis: ergo ſignum eſt non habere illam cum Miſſa connexionem. Licet enim hoc ita ſit, & Canones circa hoc loquentes videantur conſuetudine mitigati, & Regula Miſſalis obligationem non ſtrictam imponere, ſed id, quod fieri ſolet regulariter; indicare: nihilominùs difficultas aliqua occurrere circa praxim poteſt ex iis, quæ habet Gauantus in *Rubri Miſſalis. Parte* 2. *Titulo* 10. *ad* §. 6. *Lit.* D. vbi cùm de Communione in Miſſa facienda agatur, ita ſubdit: *Regulariter hoc loco facienda eſt Communio. Amalarius Præfat.* 2. *ad librum de Eccleſiaſt. officiis & Vualfridus Cap.* 20. *Sed hodie quia plurimi exoptant finem Miſſæ, & eos tædat expectare alios vt communicent, præſertim ſi multi ſint communicandi, differri ſolet Communio vſque ad peractam Miſſam: tolerandum videtur, ſi multi communicent, non autem ſi pauci.* Sic ille. Iuxta cuius doctrinam, quando adſunt qui communicare intra Miſſam poſſunt, neque obſtaculum multitudinis intercedit, non eſt tolerabile vt Communio ad finem Miſſæ protrahatur. Pro eo ergo priuilegium ſuffragari poteſt, ſi id conueniens videatur: neque enim dici poteſt ſtante conuenientiâ id licere ſine priuilegio, ſicut ratione illius licet quando adeſt communicare volentium multitudo. Non enim conuenientia quæuis pro omnibus eſt ſufficiens, licet adducta iudicetur talis, quia ſic obtinuit conſuetudo: cùm tamen in Religioſis ratio quæuis conuenientiæ ſufficiat, iuxta tenorem conceſſionis: quod eſt à Pontifice prouidentiſſimè diſpoſitum, vt ſic fideles ad vſum ſacræ Communionis alliciantur, pro quâ Operarij Societatis ſpecialiſſimâ curâ decertant. Pro quo & teſtimonium illuſtre Pontificis eiuſdem ſuccurrit in Bulla, quæ incipit, *Licet debitum*, & ſic habet: *Præterea cùm intellexerimus populos ciuitatum, terrarum, & locorum, apud quæ habitationem ijdem Socij habent, vel ibi eos verſari, aut tranſire contingit: exemplo allectos & inductos Religioſæ vitæ, quam Domino concedente ducunt, libenter ad confitendum eiſdem, & ſacratiſſimam Communionem de manibus eorum accipiendam confluere, &c.*

Priuilegiũ tamen locum habere.

Gauantus.

Illuſtre Pauli III. teſtimoniũ pro Societate circa frequentiã Communionis

268 Quia verò ante Miſſam dari Communio poteſt, difficultas occurrit circa modum, quo id fieri debeat, ſolent enim aliqui poſt inceptam Miſſam, & Pſalmo cum Confeſſione ac Orationibus ante Introitum dictis, ſacrarium aperire, & Communionem miniſtrare. Quod quidem non eſt Miſſalis Rubricæ conforme. §. enim 3. *num.* 4. *de Ritu ſeruando in celebratione* ſic habetur: *Producens manu dextra à fronte ad pectus ſignum Crucis; dicit intelligibili voce: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen, & poſtquàm id dixerit, non debet diuertere quemcumque in alio Altari celebrantem, etiamſi Sacramentum eleuet, ſed continuatè proſequi Miſſam vſque ad finem.* Sic ibi Iuxta quæ, cùm Miſſa interrumpenda non ſit, non licebit Communionem ante Introitum miniſtrare. Si dicas Miſſam interrumpi ſolitam Concione: id certè ex Eccleſiæ præſcripto fit, ſicut & per oblationes ad Offertorium ex illius permiſſione, & per Communionem item circa finem, quod ipſius eſt Eccleſiæ ordinatione diſpoſitum: id quod circa prædictum miniſtrandi modum

An dari poſt inceptam Miſſam queat.

Rubrica Miſſalis pro continuatione ex qua reſolutio.

Digitized by Google

dici nequit. Vbi neque allegari priuilegium poteſt, iuxta quod omni tempore dari Communio poteſt, & quoties oportuerit; quia id intelligitur ſine violatione legum circa ritum celebrationis Miſſæ diſponentium. Neque enim licet illas ſine expreſſâ circa hoc licentiâ præterire. Aliàs licebit etiam Communionem poſt dictam Gloriam, aut Symbolum, vel Præfationem præbere. Præterquam quòd nulla eſſe ratio conuenientiæ in eo poteſt, quandoquidem ante inceptam Miſſam dari Communio poteſt eo modo, quo præberi ſolet, quando qui præbet non eſt Miſſam celebraturus. Et hoc indicatum non obſcurè à Pontifice, cùm dixit: *Et poſt, ſeu ante illarum celebrationem* Sicut enim *Poſt* abſolutam penitus Miſſam indicat, ita & *Ante*, eiuſdem exordium. Et ita quidem ſtatutum in hac Prouincia Peruuienſi fuit à P. Didaco Aluarèz de Paz. Vener. mem. Prouinciali. Tunc autem Benedictio poſt Communionem conferenda eſt, licet in Rubrica Miſſalis habeatur dandam non eſſe, cùm Communio fit ante Miſſæ finem. Ibi enim ſpecialis ratio eſt, quòd ſcilicet finitâ Miſſâ eſt tribuenda Benedictio, cuius finem ij, qui communicant expectaturi creduntur: quod non ita accidit cùm ante Miſſam tribuitur, quia pars *Miſſæ* non eſt, ſicut alia: neque eſt cur debeat credi eos, qui communicarunt, Benedictionem vltimam eſſe expectaturos.

Circa modum ſeruandum in tradenda Indis Communione.

269 Quibus ſtabilitis videndum iam vtrùm pro Indiis ſpeciale aliquid occurrat in eo, de quo agimus. Et quod ad priuilegium attinet, jam admonui in Compendio Indico nihil haberi: per communicationem autem nihil inſuper apparet. Illud ergo tantùm adiiciendum, oportere vt Indis Communio extra Miſſam non tribuatur, ita vt neque illam immediatè audierint, nec ſint ſtatim audituri: quia ſic reuerentiùs accedunt, & de eo, quod accipiunt, digniorem efformant illi conceptum. Recipientes quidem immediatè ante *Miſſam*, eodem gaudent bono, vt non ſtatim poſt Communionem abſcedant, quod facere aliàs ſoliti: poſt *Miſſam* autem, quia eo pacto meliùs ſe diſponere ad Communionem poſſunt: & tunc prouidendum vt poſt acceptam illam aliquantùm in gratiarum actione perſiſtant. Quia verò in hoc variæ poſſunt conuenientiæ occurrere, vt hoc aut alio modo Communio Indis tribuatur, præter commune priuilegium, de quo dictùm, poteſt priuilegium Adriani, in quo omnimoda *Miniſtris* Euangelicis poteſtas ad ea, quæ huius generis eſſe poſſunt, conceditur, iuxta rationabile iudicium applicari.

Indis pro Viatico ad Eccleſias Regulariũ accedentibus illud eſſe tribuendum.

270 An autem Indis miniſtrari Euchariſtia poſſit in mortis articulo, quæſtionis eſt minimè prætermittendæ. In qua illud inprimis videtur certum, quòd ſi Indi accepturi Viaticum ad Eccleſiam deferantur, quod ſæpiùs accidit, non ſit illis denegandum. Probari hoc poteſt ex Bulla Pauli Tertij, *Licet debitum*, ſæpiùs allegatâ, in qua ille ſic loquitur: *Nec non omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus, tam ſeſentibus, quàm in ciuitatibus & locis, in quibus Socij prædicti conſiſtunt, commorantibus, aut illac tranſeuntibus, Euchariſtiæ Sacramentum (quod in ſuis Eccleſiis decenter tenere Socios præfatos volumus) quorumque anni tempore, præterquàm in Feſto Paſchalis Reſurrectionis Dominicæ, & mortis*

Priuilegiũ Pauli III. pro Societate.

articulo, niſi neceſſitas vrgeret eorumdem fidelium, Parochialium Eccleſiarum Rectorem, licentiâ nimine requiſitâ, accipere libere & licitè valeant. Sic Pontifex. Iuxta quæ, cùm neceſſitas vrget, dari Euchariſtia poteſt: atqui, cùm Indi ad Eccleſiam accepturi Euchariſtiam deferuntur, neceſſitas vrget: ergo dari illa poteſt, nullâ Parochorum licentiâ requiſitâ. Quòd neceſſitas vrgeat oſtenditur: quia ſi circa licentiam petendam cura deferentibus imponatur, timeri poteſt, ne infirmus ſine Viatico moriatur. Indi enim Parochos ſuos magis formidant, quàm diligunt, & ita de eorum circa hoc ſolicitudine ſufficiens nequit haberi fiducia. Præterquam quòd Parochi inuiti eſſe non ſolent, dummodò illis iura funeris integrè reſeruentur. Et ita hoc in caſu ſine ſcrupulo procedendum.

Poſſe etiam ad infirmos deferri.

271 Si verò ad infirmorum domos Viaticum deferendum ſit, ſimiliter dicendum, ſi Parochus in populo non adſit, vt ſæpiùs accidit, eò quòd plures populi vni & eidem Parocho committantur; eadem enim ratio eſt, vel quia fortè, etſi vnus populus tantùm ſit tunc abeſſe contingit. Quod quidem etiam ſine priuilegio fieri poſſe, non obſtante Clement. *Religioſi*, de priuilegiis, in qua excommunicatio maior ipſo facto incurrenda profertur, tenent communiter Doctores, vt videri poteſt apud P. Fagundez circa tertium Eccleſiæ Præceptum *Lib.* 3. *Cap.* 2. *num* 20. vbi plures adducit. Et addunt illi idem faciendum, ſi Parochus malitioſè neget: in quo quidem valde cautè procedendum eſt: nam videntur inde graues rixarum occaſiones excitandæ: & cùm Euchariſtia non ſit de neceſſitate ſalutis reipſa ſuſcepta, infirmuſque Sacramentum Confeſſionis acceperit, omnino eſt à litibus abſtinendum. Si verò id fieri ſine Parochi offenſione poſſit, non eſt infirmus eo priuandus ſubſidio, etiamſi occultè, & ſine comitatu ac lumine Viaticum deferendum ſit; eo tamen decenti modo quem charitas iudicabit. Pro quo facit priuilegium conceſſum Epiſcopis Indiarum inter alia ab Innocentio X. iuxta formam, de qua *ſuprà num.* 208. & ſic habet: *Deferendi Sanctiſſimum Sacramentum occultè ad infirmos ſine lumine, illudque ſine eodem retinendi pro eiſdem infirmis, in loco tamen decenti, ſi ab hæreticis, aut infidelibus ſit periculum ſacrilegij.* Sic facultas. Ex quo apparet neceſſitatem ſubueniendi infirmo per cæleſte præſidium, decentiæ illi ex comitatu, lumine, & ornatu Sacerdotis, præualere.

Quod cauendum in eo.

Occultè vt liceat.

Priuilegiũ Epiſcoporum Indicorum.

272 Ad vitandam prætereà excommunicationem Clementinæ dictæ in Indiis, aliud P. Pellizarius exhibet fundamentum *Tractat.* 8. *Cap.* 3. *num.* 304. vbi ex Miranda & Emmanuele Roderico docet, ſuppoſita donatione noui Orbis facta Regibus Catholicis ab Alexandro Sexto, poſſe illos auctoritate Papæ ipſis delegatâ dare Regularibus licentiam miniſtrandi Euchariſtiam, ſicut & alia Sacramenta. Additque *Miranda Tomo* 1. *Qu.* 42. *Art.* 6. Epiſcopos id prohibentes eſſe excommunicatos excommunicatione reſeruatâ Papæ aut de licentiâ Prælatorum Regularium, de quorum intereſſe agitur, ob Indultum Leonis X. factum Minoribus adminiſtranda Sacramenta Neophytis, & præcipientis ſub pœna dicta, ne quis eos impedire audeat directè aut indirectè, quocumque quæſito colore.

Ex poteſtate Regibus Catholicis data ab Alexandro VI videri aliquid in præſenti fundamentum.

Sed

Sed illud non eſſe ad rem oſtenditur.

Sed vt de hoc vltimo in primis loquamur, quod ex Bulla Leonis adducitur, nullius eſt momenti: iam enim aliquoties admonuimus illam fuiſſe temporalem. De aliis verò etſi Emmanuel Rodericus loco à P. Pellizario citato, ſcilicet *Tomo* 1. *qq. regular. q.* 56. *artic.* 11. ita ſentiat, vt etiam contradicentibus Epiſcopis poſſint Reges Catholici Religioſis Sacramentorum adminiſtrationem committere, quia ad id delegatâ Pontificis poteſtate potiuntur: quoad factum tamen res aliter ſe habere poteſt. Neque enim ex eo quòd à Rege mittantur, tali ſunt præditi poteſtate, niſi quando ad terras mittuntur, in quibus Epiſcopi non ſunt, ſed de fundãda apud illas Chriſtiana religione tractetur. Vbi verò iam Epiſcopatus erecti ſunt, omnino alia eſt Regum Catholicorum mens, quod ab eodem P. Emmanuele luculenter expoſitum *Tomo eodem Quæſt.* 35. *Artic.* 2. vbi ita ſcribit: *Aduertendum tamen quod hæc habent vim, quando illa loca vbi Rex mittit auctoritate huius conceſsionis Alexandri Sexti Prædicatores, & Miniſtros, non haberent Epiſcopum, vel Capitulum Sede vacante. Et ratio eſt quia Alexander Sextus ſolùm committit Regibus Hiſpaniarum vt mittant viros doctos ad inſtruendum Indos in fide. Quòd verò ex his verbis concedatur Regibus quod contra voluntatem Epiſcoporum poſſint præferre Parochos, indecens videtur officio Epiſcopali, nec admittendum talem ſenſum ex verbis illis generalis conceſsionis Alexandri puto: quia notabiliter læditur iuriſdictio Epiſcoporum, & de hac læſione non fit mentio, & ſic non debemus talem intellectum admittere, iuxta tradita à Silueſtro & Panormitano. Secundò quia Rex mandauit vt prouideatur Indorum populis, vocato Epiſcopo, & Prouinciale coràm Vice-rege.* Sic ille.

Pro quo luculenta Emmanuelis Roderici doctrina, vt nequeat Rex Parochos independenter ab Epiſcopis conſtituere.

Auctorem citatum ſibi contrarium in tali Aſſertione fuiſſe.

273 Quamquàm id non ſatis videatur conforme ijs, quæ habet *citato, Artic.* 11. vbi ita ſcribit: *Quòd autem Reges Hiſpaniæ ſine conſenſu Epiſcoporum poſſint aſsignare dictis Fratribus Mendicantibus populos Indorum, vt ibi exerceant hanc poteſtatem Parochorum, eſt notorium in Nouo orbe, nam ſic practicatum fuit Mexici Anno* 1566. *&c. & hanc poteſtatem habent Reges Hiſpaniæ per Breue Alexandri VI. concedentis dictis Regibus Hiſpaniæ conuerſionem Indorum.* Et concludit ſic: *Ex dictis ſequitur quod etiam Communionem Paſchalem poſſunt dicti Religioſi in illis partibus miniſtrare ſine timore alicuius Cenſuræ.* Hæc ille. Quidquid autem de poteſtate ad aſſignandos Parochos ſit, ea quidem jam ita eſt limitata, vt Reges Catholici ſine dependentia ab Epiſcopis, & inſtitutione Canonicâ, nolint quæ ad hoc ſpectant practicari. Et quidquid etiam de Parochis ſit, qui eo ipſo quòd tales ſint, Sacramenta miniſtrare poſſunt; non eſt hoc ad eos adſciſcendum, qui Parochi non ſunt, & in ijs adſunt partibus, in quibus Sedes ſunt Epiſcopales: ibi enim, etſi à Rege miſſi, perinde ſe gerere debent, acſi miſſi non eſſent in ordine ad ſpiritualem adminiſtrationem, quia Rex circa hæc non ſe interponit. Sed quæ ſunt Dei, Deo ſummâ pietate reſeruat, Patronatus ſui prærogatiuâ contentus juxta conuenientiſſimam formam pro illius vſibus conſtitutam. Quod autem de Bullâ Pij V. quâ concedit vt Religioſi in Indiis ſine licentia Ordinariorum Sacramenta miniſtrent, addit citatus P. Emmanuel *Artic.* 2. per quod indicat omnem eſſe ſublatum ſcrupulum: non item vrget:

Quid praxi ſtatutum, & omnino tenendum.

jam enim vidimus *ſuprà, num.* 181. ex declaratione Innocentij X. ſolùm in illis locis habere locum, vbi defectus interuenit Parochorum; de quo & *inferiùs*: nam circa Confeſſiones audiendas iterùm eſt mentio eiuſdem inducenda: modò dicendum reſtat.

De Priuilegijs pro duabus Miſsis Sacerdotis vnius eodem die.

Priuilegiã pro duabus Miſſis in Indiis.

274 PRo eo ſic in Compendio Indico verb. *Miſſa*, §. 2. *Presbyteri Societatis, qui à Præpoſito Generali mittuntur in Saracenorum, & Paganorum, aliorumque infidelium terras, & prouincias alias remotiſsimas, à quibus adiri non poteſt Sedes Apoſtolica, factâ ſibi ab eodem Præpoſito facultate poſſunt ibidem bis in die diuerſis in locis Miſſas celebrare. Paulus III. in Litteris Apoſtolicis communibus, pag.*44. *Qualiter verò hoc ſit extenſum ad eos, qui à Præpoſito Generali non mittuntur, collige ex verb. Gratiarum communicatio, & extenſio.* §. 2. Sic ibi, & ſtatim additur: *Hac facultate vti poterunt Superiores, & ij, quibus ipſi eam communicauerint.* Eſt ergo communis non ſolùm Ordinarijs Prælatis, ſed eorum vicem gerentibus, iuxta vtriuſque Compendij Præfationem, de quo *ſuprà*. Vnde & Rectores, ac Vice-Rectores, ac Superiores exemptarum Reſidentiarum juriſdictionem habentes, eam poſſunt alijs communicare. Et id quidem non ſolùm pro caſibus occurrentibus, ſed etiam generaliter: durabitque talis conceſſio donec per ſucceſſorem reuocetur, de quo & dictum *ſuprà, num.* 170. 174. & 192.

Ratio conceſſionis indicat qualis eſſe vſus debeat.

275 Quia in priuilegij præfati tenore qualiter vſus illius liceat non exprimitur, verba ſunt Pontificis ad pleniorem intelligentiam proponenda: ſic enim loquitur citata Bulla. *Lucèt debitum*, Paulus III. *& quia in numeroſis populis illarum regionum tanta eſt Sacerdotum raritas, vt vnus plurium curam populorum ſuſcipere debeat: vt bis eadem die Miſſam celebrare diuerſis in locis valeant, &c.* Non ergo quæuis ratio conuenientiæ ad hoc videtur ſufficiens: circa quod video aliquoties valde alienam à Pontificis mente licentiam vſurpari. Sacerdotum raritas, & populorum numeroſitas, vt ſtare locus priuilegio poſſit, exigitur; & id quidem in illis, quibus plurium cura populorum incumbit. Non verò requirit Pontifex vt cura hæc Parochialis eſſe debeat, ad quod non eſt opus priuilegio, juxta communem Doctorum ſententiam, ex quibus plures refert P. Fagundez circa primum Eccleſiæ præceptum *Lib.* 3. *Cap.* 16. *num.* 5. Sufficit ergo vt cura qualiſcumque ſit, ex charitate ſcilicet ob neceſſitatem aſſumptâ, quia Pontificis prouidentia omnibus eo ſubſidio carentibus pariter voluit eſſe conſultum in eodem neceſſitatis articulo conſtitutis. Quo euentu meritò etiam exiſtimare quis poteſt non eſſe neceſſarium priuilegium: quia & caſum illum ſimiliter videntur Doctores admittere propter eamdem rationem: bono enim animarum, & impletioni præcepti, in caſu præcedenti conſulitur; quæ ratio militat in præſenti, quidquid de diuerſo genere obligationis ſit in cura, quæ erga populos exercetur. Et ita P. Azor *Tomo* 1. *Lib.* 10. *Cap.* 24. §. *Quæres, an vbi*, ait quòd vbi

Sufficit cura populorum ex charitate.

Digitized by Google

Vtilitas audientiũ pro neceſſitate habetur.

raritas eſt Sacerdotum Catholicorum, vt in Anglia, id licet: nam in Cap. *Conſuluiſti*, de celebratione Miſſarum, excipitur neceſſitas; quæ meritò judicatur raritas Sacerdotum. Et Gloſſa ibidem ait neceſſitatem eſſe vtilitatem non ſolum ſacrificium facientis, ſed etiam perſonarum rem diuinam audientium. Abbas item ibi docet neceſſitatem boni viri arbitrio judicandam: & quando aliquid abſolutè & ſimpliciter, & non certò ac definitè Canones, vel leges, & iura conſtituunt, definitio arbitrio boni viri relinquitur. *L.* 1. *D. de jure delib.* & Cap. *De cauſſis*, de officio judicis delegati. Sic ille poſt Nauarrum *Lib.* 3. *Conſil. Titulo de Celebrat. Miſſarum, Conſilio* 9. vbi ſpecialiter de Anglia loquitur.

Diu Indijs recepta circa prouincias alias doctrina ſuccurrit.

276 Quis autem non videat totum hoc reſpectu Indiarum pariter locum habere? Nam in Angliâ Sacerdotes Catholici non ex iuſtitiâ, ſed ex charitate curam animarum ſuſcipiunt, & vtilitas magna pro neceſſitate, quam Ius exigit, reputatur. Quòd autem boni viri pariter intercedat arbitrium circa neceſſitatis gradum, ſimiliter eſt compertum. Vnde P. Fagundez *ſuprà*, caſum hunc vt diſtinctum ab alio de Parochis proponit & cum Angliâ, Hyberniâ, & Germaniâ Indias in in illius reſolutione componit: ſic autem ſcribit: *Secundus caſus eſt, cùm quis præeſt duabus Eccleſijs vnitis, duobus ſacrificijs indigentibus, & non eſt alius ſacerdos, qui aliam poſſit dicere: ſimiliter in locis vbi rari ſunt admodum Sacerdotes, vt in Anglia, Hybernia, & nonnullis partibus Germaniæ, & in Indiis tam Orientalibus, quàm Occidentalibus, quilibet Sacerdos bis poterit requirente neceſſitate celebrare in die, non pluries, quia Ius in Cap. Conſuluiſti, de celebratione Miſſarum, ſolùm bis in die concedit in neceſſitate celebrare jejunis.* Sic ille: qui manifeſtè caſum habentis duas Eccleſias à ſequenti diſtinguit, quod & exempla confirmant. Et eamdem ſententiam in Prouinciis hæreticorum admittit Cardinalis Lugo *Diſput.* 20. *num.* 46. cum Patre Laymam, & aliis: quam & tenet P. Martinon *Tomo* 4. *Diſputat.* 4. *num.* 14. P. Amicus *Tomo* 7. *Diſput.* 27. *num.* 14. *Diana Parte* 11. *Tract.* 4. *Reſolut.* 34. & alij. Iuxta hæc ergo ad id, quod præfata Pauli Tertij conceſſio continet, non erat priuilegium neceſſarium, & ita ad tollendos tantùm ſcrupulos videtur attributum. Pro quo & facit quod P. Fagundez habet *ſuprà num.* 12. ſic locutus:

P. Fagundez.

Eiuſdem pro caſu præſenti accommoda ſententia.

Quamuis enim in omnibus ferè Orbis partibus multi iam ſint Sacerdotes: tamen non rarò etiam inter Catholicos, aut aliquis ex prænumeratis caſibus poterit euenire, aut alij, in quibus iudicio prudentis neceſſe ſit tunc bis ſacrificare, maximè in pagis ac oppidis ruſticanis, in quibus non ita facilè eſt inuenire huiuſmodi Sacerdotes, qui commodè poſſint ſpiritualibus proximorum ſubuenire: nam in populoſis vrbibus ac oppidis cultioribus rarò id contingere poterit. Hæc ille. Iuxta quod cùm numeroſus eſt populus, & omnes nequeunt ad eamdem Miſſam concurrere, idem licebit, vt tenent Doctores, quos adducit & ſequitur Diana *ſuprà*. Qui & benè addit cum illis plures duabus rariſſimè permittendas.

Quid ex priuilegio amplius liceat,

quàm ſit iure conceſſum.

277 Ex quibus apparet plus ex Iure, vt illud Doctores intelligunt, quàm per dictum licere priuilegium: illud ſiquidem pro caſu tantùm conceditur in eodem contento, quando ſcilicet numeroſi ſunt populi, & vnus plurium curam gerit; cùm tamen, vt vidimus, Doctores ampliorem à Iure facultatem conceſſam affirmant: quãdoquidem boni viri arbitrio diſpenſatio reſeruatur, & in pagis non ita numeroſis, vt eſſe ſolent, & oppidis ruſticanis id licere teſtantur. Vnde Religioſi, qui priuilegio nixi Sacerdotem deſtinant, qui in duobus prædiis Miſſam celebret, quia commodè nequeunt Indi, aut Æthiopes ad vnum eorum conuenire, videntur ſanè à Pontificis mente penitus deuiare. Tum quia non ſunt illi numeroſi populi: tum etiam quia non eſt raritas Sacerdotum: duo enim mitti non ægrè poſſunt. Quod & tunc accidit, cùm Religioſus Miſſa in Eccleſia vrbis dicta, ad prædium dicturus aliam contendit: nullo enim modo poſſunt priuilegij verba diſpenſationibus iſtis adæquari. Benè verum eſt priuilegium, cùm fauorabile ſit, poſſe extendi, iuxta ſæpiùs dicta: debet tamen conceſſionis forma ſeruari, vt verborum proprietas teneatur. Poterit itaque Sacerdos duas Miſſas facere, etiamſi populi non adeò numeroſi ſint, & etiamſi Sacerdotum raritas non ſit magna, ſed aliqualis, iudicio prudentis: quia totum id priuilegij verba patiuntur. Illud autem, de quo loquimur, extra omnem verborum ſignificationem eſt, & tale vt non ſolùm in Indiis, & remotiſſimis partibus habere locum poſſit, ſed in media Europa, vbi Religioſorum prædia paſſim inueniuntur. Si ergo plures Miſſæ dici tũc poſſunt, non ex virtute priuilegij id licebit, ſed quia neceſſitas occurrit, prudentis arbitrio talis iudicata: quæ ſi deſit, ex nullo capite licebit tranſgredi Eccleſiæ cautionem. Vide P. Dicaſtillum *Tract.* 4. *Diſput.* 4. *num.* 51. vbi cum aliis plures duabus dici poſſe concedit, ſicut & Thom. Hurtadus *Tract.* 2. *num.* 43.

Fauorabilis eius interpretatio vt ſtare debeat.

Habere rationem vtilis declarationis circa neceſſitatem.

278 Quid ergo? Eritne priuilegium prædictum ſuperuacuum? Non vtique, quia eſt vtilis declaratio eius, quod iure communi licet, & de quo eſſe poterat dubitatio. Ius enim comune caſum neceſſitatis excipit, vt conſtat ex Cap. *Sufficit* de Conſecrat. Diſt. 1. vbi Alexander Secundus prohibet plures fieri Miſſas eodem die ab vno Sacerdote, ſic ſubdens: *Quidam tamen pro defunctis vnam faciunt, & alteram de die, ſi neceſſè fuerit.* Vbi conſuetudinem referens, neque improbans, neceſſitatem pro ratione reddit. Et ex Cap. *Conſuluiſti*, de celebrat. Miſſarum, vbi idem ſtatuitur, illâ additâ limitatione: *Niſi cauſſa neceſſitatis ſuadeat.* Cùm ergo neceſſitas locum diſpenſationi præbeat, & circa illius gradum magna eſſe poſſit iudiciorum varietas, vt conſtat ex variis ſententiis, quæ apud Auctores occurrunt: inde eſt vt cùm Pontifex caſum deſignat, in quo liceat, vt non ſit iam opus opiniones Doctorum in patrocinium adduci, valde vtilis debeat reputari. Immò & priuilegium meritò iudicari poteſt, quia id concedit omnino ſecurè & indubitanter fieri, ac ſine contradictione inferioris cuiuſcumque Prælati, quod anteà non ita licebat. Et quamuis plus aliàs videatur licere, quàm quod priuilegium concedit; id quidem per opiniones tantùm habetur probabiles. Dici prætereà poteſt vi priuilegij poſſe duas Miſſas dici, non ſolùm in Feſtis de præcepto, ſed in profeſtis etiam; ſi cauſſa rationabilis vrgeat, in quo modus aliquis neceſſitatis

Cap. Sufficit.

Cap. Conſuluiſti.

Et etiam priuilegij propriè dicti.

Digitized by Google

Licere per illud duas Miſſas dici etiam diebus non feſtiuis.

ceſſitatis deprehendatur, vt affirmat P. Martinon *Tomo* 4. *Diſput.* 40. *num.* 7. & licet P. Suarez *Tomo* 3. *in* 3. *p. Diſputat.* 80. *Sect.* 3. circa ſextum caſum, id abſolutè concedat Parochis, ſi ſufficiens ſit populi multitudo, quia ſatis grauis cauſſa eſt, vt illi non priuentur ſacrificij fructu, & opportunitate audiendi *Miſſam*: quod & tenet Thomas Hurtadus *Tract.* 2. *num.* 422. id non eſt penitus exploratum, licet probabile. Et præterea tantùm de Parochis ille loquitur: ſicut & Card. Lugo in *Reſponſis moral. Lib.* 1. *Dub.* 12. & negat Trullench *Lib.* 3. *de Sacramentis Cap.* 8. *Dub.* 10. *numer.* 4. cùm tamen priuilegium ad eos etiam, qui Parochi non ſunt, poſſit extendi, iuxta dicta *num.* 285. quamuis & non Parochis id concedat Thom. Hurtadus. *num.* 438. vbi & obligationem eſſe poſſe ait. Addendum inſuper in priuilegio nullam neceſſitatis rationem apponi, niſi quam multitudo ipſa, & raritas Sacerdotum adducit, vt patet ex tenore ipſius: *Vt bis eadem die Miſſam celebrare diuerſis in locis valeant.* Vnde plus ratione illius videtur liceret, quàm Iura permittant.

Simile pro Epiſcopis Indiarum haberi

279 Et huic ſimile Epiſcopis Indiarum conceditur in ſerie illâ facultatum, de qua *num.* 208. ſic enim ibi: *Celebrandi bis in die, ſi neceſſitas vrgeat; ita tamen vt in prima Miſſa non ſumpſerit ablutionem, per vnam horam ante auroram, & alteram poſt meridiem.* Vbi cùm caſus neceſſitatis addatur, nihil videtur ſpeciale concedi. Si præſertim ſit pro Viatico dãdo infirmo, pro quo citatus Hurtadus *n.* 431. Nihilominus ita accipiendum, vt minor neceſſitas ſufficiat, quæ quidem ſecluſo priuilegio minimè ſufficiens putaretur. Non videtur autem qualis neceſſitas poſſit occurrere in Epiſcopis ad huiuſmodi celebrationem, niſi quatenus in eadem videtur conceſſione ſupponi, non eâ auctoritate & tranquillitate gaudeant, quâ in Indiis communiter perfruuntur: ſed grauem perſecutionem ſuſtineant, qualem Iaponienſes Antiſtites, vnde & additur in eo conceſſione prædicta: *Sine Miniſtro, ſub dio, & ſub terra; in loco tamen decenti: etiamſi Altare ſit fractum, vel ſine Reliquiis Sanctorum, & præſentibus hæreticis, ſchiſmaticis, infidelibus, & excommunicatis, & aliter celebrari non poſſit.* Sic ibi: ex quo id, quod diximus, videtur manifeſtum. Quod autem de ablutione non ſumenda dicitur, notandum pro iis, quæ circa Parochos dicta ſunt. *numer.* 291. Id enim quod Epiſcopis non licet, quomodo Parochis licitum eſſe, poſſit ſibi quiſpiam vllatenus perſuadere?

Qualis in illis poſsit eſſe neceſsitas.

Eo ceſſante minimè licere, vt certiſsimũ amplectendum.

280 Supponit autem præfata facultas, quæ non omnibus, ſed petentibus à Sede Apoſtolicâ, & cum temporis limitatione conceditur, Epiſcopis non licere bis eadem die *Miſſam* celebrare; quod quidẽ expreſsè deciſum ab Honorio Tertio reſcribenti Epiſcopo Sipontino, vt habetur in Cap. *Te referente*, de celebrat. *Miſſarum*, ſic enim ibi: *Cùm cuilibet Sacerdoti, quacumque dignitate præfulgeat, vnam in die celebrare Miſſam ſufficiat: nam & valde eſt felix, qui celebrat dignè vnam: Fraternitati tuæ mandamus quatenus die Cœnæ Domini in Eccleſia Sipontina dumtaxat in qua teneris Chriſma conficere, Miſſarum ſtudeas ſolemnia celebrare.* Sic Honorius, verba Alexandri Secundi, quæ circa idem habentur in citato Cap.

Cap. Te referente.

Sufficit, *de Conſecrat. diſt.* 1. ad conſimilem determinationem vſurpans. Quod quidem Theologi omnes ita intellexerunt, vt non ſit opus circa hoc ad alia properantibus immorari. Scio tamen non defuiſſe aliquem, qui circa hoc perniciabilem verbo & exemplo conatus ſit introducere nouitatem. Sed illius ſententia cum eo pariter moritura, neque apud Catholicè ſentientes vnquam præualebit. Et circa hoc deſideratum iam diu eſt à ſuprema Poteſtate remedium, quod necdum hucuſque adhibitum validâ executione fuiſſe, neſcio cui poſſit aduerſanti ſpiritui, quod frequens eſt Indiarum malum, imputari. Eſt quidem pro eo Eccleſiæ deciſio, Doctorum conſenſus, praxis inuiolabilis. Et quid aliud ad veritatem aliquam ſtabiliendam deſiderari vlteriùs queat? Si hoc quidem non ſufficit, nihil profectò erit in toto Canonico iure, aut Eccleſiaſticis dogmatibus inconcuſſum. Sed quid ad hæc dicatur videamus.

Contra quod nuperus abuſus apud Indias emerſit.

281 Eccleſiæ inquam determinationem nullam eſſe, quæ in hac parte vrgeat, præſertim Epiſcopos. Alexander enim Pontifex præceptum generaliter non ſtatuit, ſed contra eos decernere, qui ex turpibus reſpectibus plures *Miſ*ſas dicere non verentur: vt ex eiuſdem apparet verbis, dum ſubdit: *Qui verò pro pecuniis, aut adulationibus ſæcularium vna die præſumunt plures facere Miſſas non æſtimo euadere damnationem.* Licebit ergo eos facere ex purâ deuotione, & Dei gloriam altiſſimi ſacrificij oblatione ſpectanti, cùm maior ea ſit, quàm quæ à Sanctis omnibus, & Beatiſſima etiam Virgine ei poſſit impendi. Innocentium item in Cap. *Conſuluiſti* non plus obligare, etiam ex illius verbis habetur, eodem enim modo loquitur, dum ſufficere vnam Miſſam ait, vnde eodem modo illius eſt accipienda deciſio. Et ita Gloſſa ſic ait: *Nec expreſsè prohibetur quin plures poſſint celebrari ex eo quod dicit, ſufficit.* Quod etiam circa Decretalem Honorij Tertij dicendum, qui duorum prædictorum Pontificum verba ſubſumit, vnde quod ad generalem obligationem pertinet, quatenus etiam quacumque dignitate præfulgentes comprehendit, nihil inſuper ex illius determinatione reſultat, quàm vnam *Miſſam* cuicumque Sacerdoti ſufficere, & propter nullum humanum reſpectum plures illi eſſe licitum celebrare. Quatenus verò mandatum eiuſdem ſequitur, dum addit: *Fraternitati tuæ mandamus*: id non eſt ad generalem prohibitionem trahendum, ſed ad caſum illius Textus, vt ſcilicet *Miſſa* vnica dici in eo loco debeat, in quo eſt Chriſma conficiendum. Et vt mandatum generale in prædictis ſit Decretis, ſecum profectò poteſt Epiſcopus diſpenſare; immò & cum aliis, quandoquidem recepta ſententia eſt poſſe illum in Diœceſi ſua quod Pontifex in vniuerſali Eccleſia: pro quo Doctores adducit P. Thomas Sancius *Libro* 1. *de Matrimonio Diſput.* 61. *num.* 3. & circa idem latè excurrit Dom. Villaroel *Parte* 1. *Pacificæ gubernationis. Quæſt.* 1. *Artic.* 4. & licet addant id intelligi, niſi aliquid ſit Pontifici reſeruatum; in præſenti nulla eſſe videtur reſeruatio. Quòd ſi Archiepiſcopus Sipontinus, cùm diſpenſare ſecum poſſet, Pontificem cenſuit conſulendum, id certè non neceſſitati eſt, ſed deuotioni eiuſdem

Non eſſe circa hoc generale præceptum reſponſio auctoris illius.

Cap. Sufficit, *apertè ſuffragari negatur, & alia iuris* Canonici.

Gloſſa.

Etiamſi obligent, poſſe Epiſcopum diſpenſare ſecum, & cum aliis, pro ampliſsima in diœceſi poteſtate, ſicut eſt Pontificis in Eccleſiam.

Ò ſic alias

dem tribuendum. Cùm ergo ille ſe Pontificis diſpoſitioni ſubmiſerit, meritò potuit Pontifex illi mandatum imponere, verbis quidem tale, ſed quod reuerà conſilij tantùm rationem eſſet habiturum. Vel ſi tale ſit, ita tantùm obligans, vt illud, quod vniuerſos conſtringit Sacerdotes circa vnius Miſſæ celebrationem: vt ſcilicet propter eos reſpectus nón dicantur plures qui à Pontificibus condemnati reperiuntur. Vel ſi etiam plus vrgeat, diſpenſationi tamen locus eſt, quam ſicut aliis, ita etiam ſibi poteſt Epiſcopus exhibere.

Doctorum conſenſum non obſtare vt dicatur & probatur.

282 Quod vero ad Doctorum communem ſententiam attinet, non vrgere, ex eo dicitur, quòd doctus Epiſcopus, qui eo ipſo quòd talis eſt, Eccleſiæ eſt Doctor conſtitutus, probabilem ſententiam facere queat: cùm tamen ea, de qua loquimur, non videatur ſingularis: eam enim tenet Gloſſa, vt vidimus: pro qua & eſt Bernardus in Cap. *Conſtituiſti*, ſic dicens: *Nota contra Sacerdotes, qui plures Miſſas celebrant cauſſâ cupiditatis.* Cupiditatem ergo, & non deuotionem volunt Pontifices relegare. Conſuetudinem autem non eſſe attendendam ex eo contenditur, quia ex ignorantiâ procedit: quando enim talis eſt, non obligat, iuxta receptam ſententiam Theologorum & Iuriſperitorum, vt videri poteſt apud Dianam *Parte 6. Tract. 5. Reſolut. 9.* Pro quo & notabilis textus adducitur ex *Geneſ 31. verſ. 35.* vbi Rachel parenti Laban Idola quærenti, ſupra quæ illa ſedebat, ſic locuta: *Quia iuxta conſuetudinem feminarum nunc accidit mihi.* Ignorantes enim in Scriptura per feminas ſoliti deſignari.

Bernardi Gloſſa.

Et etiam conſuetudinem: quæ non valet, cùm ex ignorantia procedit.

Quod ad Pontificum Decreta attinet humanos tantùm repellentium reſpectus, confutatur.

283 Sed hæc quàm ſint futilia quis non videat? & in primis quod ad Pontificum determinationem attinet, eos ſolùm prohibere plures Miſſas, ob humanos reſpectus, apertè conuellitur; quia de eo nulla eſſe dubitatio poterat, quandoquidem neque vna Miſſa dici propter illos poteſt: vnde & inepta circa hoc eſſet conſultatio. Præterquam quod minimè ſtare poſſet ratio à Pontificibus inculcata, dum dicunt ſufficere Sacerdoti vnam Miſſam facere: ſi enim ex deuotione fieri plures poſſunt, deuotioni certè vna non ſufficit, licet obligationi ſufficiat. Vnde & qui ita philoſophatur, ex eo arguit quod iam vidimus, ſcilicet ex gloria, quæ ex ſacrificio Miſſæ Deo conciliatur. Quis enim dicat ſufficere vt Deo tantùm gloriæ detur, ſi dari plus laudabiliter poteſt, & ille ſignificat ſic ſuæ eſſe beneplacitum Maieſtati? Item. Si non pluralitas Miſſarum, ſed turpes in illis reſpectus prohibentur, cùm Innocentius Tertius in citato Cap. *Conſuluiſti*, ſic ait: *Reſpondemus quòd excepto die Natiuitatis Dominicæ, niſi cauſſa neceſſitatis ſuadeat, ſufficit Sacerdoti ſemel in die vnam Miſſam ſolummodò celebrare.* Cùm inquam hoc dicit, ſenſus erit non licere plures Miſſas facere ob reſpectus turpes, excepto die Natiuitatis Dominicæ. Similiter quòd plures Miſſas dicere Sacerdos poſſit ob reſpectus dictos ſi neceſſitas ſuadeat. Nam ille ſenſus prohibitionis eſt, exceptio facta eumdem importat, juxta exceptionis naturam. Quod cùm abſurdiſſimum ſit, neceſſariò fatendum eſt abſolutam eſſe prohibitionem, & non reſpectus illos tantùm interdici. Quibus accedit ratio myſtica adducta in Cap. *Sufficit*: quòd ſcilicet *Chriſtus ſemel paſſus eſt, & totum mundum redemit.* Hic enim reſpectus omnis alius remouetur, niſi quem inducit neceſſitas, de quo ibidem.

Cap Conſuluiſti.

Myſtica ratio vnius Miſſæ.

Verbo Sufficit, ſufficienter declaratam obligationem.

284 Quòd autem per verbum *Sufficit*, obligatio ſatis ſit à Pontificibus declarata, ex eo conſtat, quia aliàs eorum Decreta ſuperuacua redderentur. Nullum certè in Dei Eccleſiâ momentum ei æquale, quod im Miſſæ ſacrificio continetur: neque circa quidquam aliud par debuit adhiberi cura ab illius Paſtoribus, quàm vt illud dignè & religioſè tractetur. Pro quo eſt Concilium Tridentinum *Seſſione 22. in Decreto de obſeruandis & vitandis in celebratione Miſſæ*, cuius illud exordium: *quanta cura adhibenda ſit, vt ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebretur. &c.* Eſt autem circa hoc ſummæ conſiderationis, an ſemel, aut pluries poſſit eodem die à Sacerdotibus ſingulis celebrari: vnde & negari nequit Eccleſiam circa hoc aliquid, quod obligatorium grauiter ſit, iam olim decreuiſſe. Si enim grauiter obligatorium non ſit, & res ſingulorum permittatur arbitrio, ſatis eſt perſpicuum grauibus circa id inconuenientibus non eſſe conſultum. Vbi ergo Decreta iſta? vbi prouidentiæ adeò neceſſariæ extant argumenta? Certè ſi alicubi; in citatis maximè Capitibus: vel ſi qua ſunt alia, ad eadem appellamus: ergo dicendum eſt in illis, quidquid de verborum ſtricta ſignificatione ſit, obligationem dictam contineri.

Concilium Trident.

Ex conſenſu Doctorum vrgetur.

285 Et hoc Doctorum omnium conſenſus ita firmat, vt ne fas fuerit reluctari. Ad cognoſcendum enim quando Decreta Pontificia grauem obligationem importent, illa eſt receptiſſima regula, qualiter ſint recepta diſpicere, & quid Doctores circa illa communi conſenſu pronuntient. De populari enim exiſtimatione non ita curandum eſſe, iam vidimus graues affirmare Doctores. Cùm enim in Pontificiis Decretis varij eſſe termini ſoleant, & nullus talis, cui ex ſe grauis ſit obligatio affixa, niſi quádo aut mortalis peccati violatio arguitur, aut excommunicatio ipſo facto fulminatur: valde debent circumſtantiæ non ſolùm verborum, ſed & rerum, ac perſonarum expendi: & cùm Doctores vnanimes circa obligationem decernunt, id eſt pro certo ſine tergiuerſationibus accipiendum. Sin autem, rogo vnde lex ieiunij grauiter obligatoria cenſeatur, ſicut & de auditione Miſſæ, de recitatione Horarum Canonicarum, & ſimiles? Non aliunde equidem; etſi animus repugnandi ſit, etiam circa illas inueniri poterunt, quæ circa legem, de quâ loquimur, vt obligare non debeat, opponuntur. Et de eâ quidem loquẽdo, admittamus quod dicitur, eſſe quidem grauiter obligatoriam, quando ob reſpectus illos, qui à Pontificibus expreſſi, pluries Miſſæ celebrari prohibentur. Et arguo iam grauiter obligatoriam non eſſe: ſi enim ita contingeret, maximè ob verba illa Alexandri II. in Cap. *Sufficit*, iam citato: *qui verò pro pecunijs, aut adulationibus ſæcularium, vnâ die præſumunt plures facere Miſſas, non æſtimo euadere damnationem.* Atqui ea non obſtare probo: nam dicere Miſſam ob pecunias, quando illæ vt ſtipendium accipiuntur, non eſt graue peccatum; immò neque veniale, ſi in illo non excedatur, nec ſit finis celebrationis præcipuus: & hoc quidem

Cap. Sufficit vnde intellectum.

quod

quod ad intentionem ſpectat, ad forum Eccleſiæ non ſpectat, dum illa per actum externum non eſt ſufficienter declarata, vt eſt communiſſima Doctorum ſententia: ergo ex prædicto Capite non obligat præfata deciſio. Iam quod ad adulationes attinet, graue peccatum non arguit: nam vana gloria regulariter loquendo graue peccatum non eſt, ſed in quatuor caſibus, quos explicat Cardinalis Toletus *Lib.* 8. *Cap.* 7. ſcilicet cùm eſt de peccato mortali, vel ob mortale peccatum appetitur, aut quis propter illam paratus eſt tranſgredi præceptum ſub mortali obligans, aut ex eâ ſequitur notabile damnum proximo: pro quibus congrua adducit exempla. In qua doctrina communiter Auctores conueniunt. Nihil autem tale in caſu, de quo loquimur, inuenitur, vt conſtat; & cùm vana gloria non ſit ſigno aliquo externo manifeſta, ad forum item Eccleſiæ non ſpectat, vt de motiuo præfato dicebamus. Quid ad hæc? Illud certè: aliter à Doctoribus deciſionem illam accipi, & ita grauiter obligare. Vnde nec dici poteſt damnationem, de qua ibidem, non eſſe eam, quæ mortali tranſgreſſioni reſpondet, ſed aliqualem: omnis enim pœna damnationem importat: quod tamen dici poſſet, ſi communis acceptionis, iuxta quam pro æternâ ſumitur, ratio neutiquam habeatur.

Vana gloria regulariter venialis, niſi in quatuor caſibus.

286 Quòd ſi dicatur in præfata deciſione non dici eum, qui pluries celebrat, non euadere damnationem, quod tamen dici debuerat, ſi generalis eſſet prohibitio: ſed tantùm iteratam celebrationem ob fines dictos reprobari. Reſponſio eſt facilis. Nam cùm prohibitio abſoluta ſit, quando legem dictam violari contingit, aliquis ſemper finis damnabilis admiſcetur, quem ad duo præcipua capita Pontifex reuocauit; auaritiæ ſcilicet, & gloriæ vanæ. Vnde nequit ſe quiſquam deuotionis prætextu tueri: nam ibi etiam præſumtio eſt à Pontifice pariter indicata, dum ait, *vna die præſumunt* &c. Vitio enim præſumptionis non caret, qui contra communem Eccleſiæ ſenſum agere in re momenti tanti non veretur. Et hoc etiam quòd præſumptio tantùm in Pontificia deciſione damnatur, pro fundamento aſſumi poſſet, vt ea grauiter non obliget, nec pœnis ſubiaceat, niſi quatenus aliàs contra diuinam legem delinquitur, quod & in Miſſa vnica contingere poſſe iam admonuimus. Id enim iuxta communem Doctorum ſententiam eſt, qui id ita dicendum affirmant, cùm pœna ſtatuitur contra præſumentes, quia præſumptio dolum importat, vt videri poteſt apud Nauarrum de *Regularibus, Comment.* 4. *Quæſt.* 5. *verſ. Septimò nota. Tom.* 5. & alios. Quod & ſimiliter refellendum ex eodem fundamento: quia videlicet ſic Doctores accipiunt: cùm prædicta doctrina generalis non ſit, & præſumere etiam dicatur qui contra legem facit, ex iis, quæ affert Marius Antoninus *Lib.* 3. *Variarum Reſol.* 9. *n.* 12.

Prohibitionem ſufficienter declaratam.

Ex eo quòd præſumptio tantum damnatur, euaſio præcluſa.

287 Nec conſiderationis alicuius eſt, quod ex Gloſſa adducebatur, quia nullatenus contraria eſt: ſi quidem in eodem loco ſolùm caſum neceſſitatis admittit, & illius mens eſt non prohiberi abſolutè plures Miſſas, quandoquidem interueniente neceſſitate duæ dici poſſunt: vnde poſt verba adducta ſtatim ſubdit: *vnde poteſt vnam celebrare de die, & aliam pro defunctis:* ſcilicet iuxta Cap. *Sufficit*, vbi caſus neceſſitatis adiicitur. Et vt demus Gloſſam in eâ fuiſſe ſententiâ, illius non debet auctoritati hac in parte deferri, quia antiquata eſt, & communi Doctorum ſenſu reprobata. Quòd & de Bernardo Parmenſi Gloſſatore etiam dici poſſet, ſi verè adverſaretur; cùm tamen ita non ſit; quia ſolùm admonet Decretalem notanter inſpiciendam, vt ſic Sacerdotes illi à manifeſto reuocentur abuſu, qui plures Miſſas cupiditatis cauſſâ celebrant, quia vt diximus. *num. præced.* quando plures Miſſas celebrari ſine legitimâ neceſſitate contingit, cupiditatis reſpectus interuenit, aut alius ſimilis. Sed certè Bernardus pro Pontificia deciſione ſtat in Cap. *Te referente* citato, vbi ita ſcribit: *nota quod Sacerdos duas Miſſas in die celebrare non debet, niſi ex cauſſa neceſſaria.* Sic ille.

Gloſſam non refragari.

Bernardus Parmenſis.

288 Id etiam quod additur de Epiſcopali auctoritate ad faciendam opinionem probabilem, tolerabile eſt, quando ſententia contra apertam non militat deciſionem, iuxta conſenſum, quem Doctores alij, ex quibus & complures ſunt Epiſcopi, certum & inuiolabilem proteſtantur. Vnde ſi Concilio generali Epiſcopi, & Theologi, ac Canonum ſacrorum periti in re aliquâ conuenirent, & vnus aliquis Epiſcopus contradiceret, illius aſſertio minimè curaretur, quia ſententia loquentis contra omnes nequit probabilis reputari. Sunt quidem Epiſcopi Eccleſiæ Doctores, quia eſſe ita docti debent vt alios inſtruere pro dignitate poſſint, vnde & teſtimonium litteraturæ habere debent, iuxta id quod Iura præſcribunt. Quæ acceptio inferioris notæ eſt, neque id explere ſufficiens, quod præclarus titulus Doctoris Eccleſiæ complectitur: & ita abſolutè non ſunt Eccleſiæ dicendi Doctores, niſi præclarâ aliquâ in eo genere prærogatiuâ decorentur. Vnde cùm Eccleſia plures Epiſcopos memoria feſtiua concelebret, eos titulo Doctorum non donat, licet in Eccleſia pro ſuo munere conſtiterit docuiſſe: aliàs honore illo haberentur indigni, vtpotè qui ſuo muneri defuiſſent. Non ergo infulæ ita in doctrina ſublimant, vt eo ipſo qui priùs probabilitatem conferre aſſertioni non poterant, debeant ad id potentes iudicari. Vnde Caramuel in Theologia morali *num.* 1348. poſt relatum iudicium notiſſimi Auctoris, qui circa impedimentum matrimonij in caſu dubij admonet ad Epiſcopum recurrendum, vt declaret quòd non requiratur diſpenſatio, ita ſubdit: *ſed neſcio an ſecura ſit illa Epiſcopi declaratio, rarò enim ipſi tam docti, vt præponi debeant Theologiæ Profeſſoribus.* Sic ille.

Epiſcopi quomodo Eccleſiæ Doctores vt probabiles facere ſententias ſingulares poſſint.

Nota.

Caramuel.

289 Iam quod ad conſuetudinem pertinet libenter admittendum, eam ſcilicet vim non habere, quæ ex ignorantiâ obligationis procedit; & ex eo redarguenda manifeſtè reſponſio: nam conſuetudo, & receptiſſima praxis circa obligationem non dicendi plures Miſſas, non eſt ignorantium, ſed doctiſſimorum. Omnes eam Sacerdotes agnoſcunt, ſupremarum facultatum Profeſſores, Epiſcopi, eorum Generales Vicarij, Cardinales, & ipſi etiam Pontifices, qui priuilegia circa hoc cum difficultate concedunt, & vix niſi pro remotiſſimis partibus. Pro quo eſt & alia vrgentiſſima probatio, ex huius ſcilicet legis tranſ-

Ex conſuetudine euidens redargutio.

Digitized by Google

Grauis pœna tranſgreſſorum.

tranſgreſſione ſeueriſſimè punitâ : id enim ita debere fieri tradit Bernardus Diaz *in Practicâ Criminali, Cap.* 35. *n.* 2. & quia per leges non eſt ſpecialis pœna aſſignata, debet eſſe arbitraria, vt ex eodem Auctore affirmat Menochius *de Arbitr. Caſu* 407. & diuerſas pœnas ex Auctoribus diuerſis reipſa iniunctas refert P. Pellizarius *Tr.* 9. *Cap.* 4. *n.* 181. in quibus & triremium per tres annos ex auaritia celebranti. Vbi & diſputat an ſit irregularis, & cũ aliis affirmat, ſi crimen ſit notorium, quia infamis infamia juris & facti : omne enim delictum contra Religionem in cultu Sacramentorum eſt dignum depoſitione, & quod depoſitione dignum eſt, infamiâ afficit delinquentem. Videatur ille ; qui tamen non addit, quod addere poterat, delictum ſcilicet hoc ad Inquiſitionis etiam Tribunal pertinere, ob rationem dictam, quia videlicet circa cultum Sacramentorum verſatur, & ſuſpicionem generare poteſt non benè de illis à tranſgreſſore ſentiri. Præterquàm quòd aſſertio iſta verbis, ſcriptis, & quotidianis operibus conteſtata, contra communem eſt Eccleſiæ ſenſum : quæ autem tales ſunt, ad Inquiſitionis Sanctæ Tribunal pertinere affirmant plures, vt videri poteſt apud Dianam *Parte* 4. *Tractat.* 8. *Reſolut.* 94. An autem priuatiuè, negari veroſimiliter poteſt, nam & praxis pro Ordinarijs facit, vt videri apud eos poteſt, quos adducit P. Pellizarius *ſuprà.*

Et infamia iuris & facti.

Ad Inquiſitionem pertinet eius cauſſa.

Sed non priuatiuè.

Non eſt locus diſpenſationi Epiſcopalis circa illud quia Pontifici reſeruatum.

290 Diſpenſationem autem non poſſe in caſu huiuſmodi locum habere, ex dictis habetur, quandoquidem hanc ſibi Pontifices reſeruarunt. Cùm enim in Cap. *Te referente* mandatum habeatur, quo Epiſcopis iterata in eodem die Miſſæ interdicitur celebratio, ex eo eſt omnino perſpicuum eos non poſſe circa illud diſpenſare ; aliàs mandatum eſſet inutile, quia in caſu Textus cauſſa diſpenſandi ſuberat, vt patet ex caſus ipſius narratione, vt proponitur à Gloſſa. Et licèt Pontifex circa ſingularem caſum diſponat, diſpoſitio talis non eſt ſingularis, ſed vim legis habet, quia eſt Reſcriptum in Corpore juris poſitum, quod à Iuriſperitis definitur, *Reſponſum Principis faciens jus.* Et quòd generalis deciſio ſit, ex tenore ipſius conſtat, cùm ad omnes extendatur quacumque dignitate præfulgentes, vt *num.* 280. vidimus. Vnde & Epiſcopis circa hoc priuilegia à Pontificibus, & quidem cum limitatione magnâ conceduntur, vt vidimus *num.* 279. Ad quod dici nequit id, non ex neceſſitate, ſed ex obſeruantia erga Sedem Apoſtolicam fieri, ſicut factum dicitur ab Epiſcopo Sipontino : quia Epiſcoporum mens alia proculdubio eſt, ideò ad Sedem Apoſtolicam recurrentium, quia certè arbitrantur talem ſibi non competere facultatem. Et verò ſi ex obſeruantiâ tantùm, & non ex neceſſitate conſultatio dicta proceſſiſſet, verbo *Mandamus* vſus Pontifex non fuiſſet : non enim hoc obſeruantia merebatur, vt ſcilicet poteſtas tolleretur ab eo, qui eâ vti noluit ob reuerentialem reſpectum, cùm potiùs eâ de cauſſâ debuerit ampliari. Poteſt quidem aliquando contingere, vt aliquis recognitione iudicis aliàs non ſui, illius juriſdictionem amplificet, de quo Doctores communiter : id tamen reſpectu Pontificis ſtare nequit, cuius eſt ampliſſima poteſtas, & nulli vmquam tollit eam, quæ competere poteſt, niſi id eius exceſſus mereatur. Et pro attentiſſima prouidentia, vt ſubditis ſua conſeruetur auctoritas, cùm Pontificia prouiſio contingit, facit Cap. *Cùm aliquibus*, de Reſcriptis in ſexto, vbi Bonifacius VIII. ita concludit : *Si verò Canonicorum receptio aliàs pertineat ad eoſdem, non Apoſtolica, ſed recipientium cenſetur auctoritate receptus : niſi quod eum auctoritate noſtra reciperent, in noſtris Litteris caneretur expreſſe.* Sic ille, Benè ergo Dom. Villaroel. *Parte* 1. *citata, Artic.* 10. *num.* 143. admonet ſententiam illam de ampliſſima Epiſcoporum poteſtate, de qua *num.* 281. plenam eſſe periculo.

Reſcriptum eſt generale.

Pontificis nemo poteſt iuriſdictionem ampliare.

Studioſè libus auctoritas conſeruanda.

Cap. Cùm aliquibus.

Vnam Miſſam dicere Sacerdotibus ſufficiat.

191 Nec de hoc plura operæ pretium fuerit addidiſſe, vbi inter Catholicos, & obſequentiſſimos Eccleſiæ filios res agitur ; illam digniſſimam conſideratione ſententiam animo retractantes, quam ex Pontificio Oraculo grauiter inculcatam habemus : *vnam in die celebrare Miſſam ſufficiat.* Et quis tantus vt vnam ? notiſſimum illud Venerabilis & Apoſtolici Magiſtri Ioannis de Auila, qui cùm audiſſet mortuum Sacerdotem ; qui vnam tantùm Miſſam dixerat, ſic narranti ſubiunxit : *habet ille affatim, de quo reddere debeat rationem.* Ita ille de requiſitis ad celebrationem tremendi ſacrificij ſentiebat. *Non modica res eſt vnam Miſſam facere, & valde felix eſt, qui vnam dignè celebrare poteſt.* Ex ore duorum teſtium omni exceptione maiorum ſtat hoc verbum, Alexandri inquam, & Honorij, quibus ob audiendum potiùs, quàm perículoſo dictamini deuotionis nihil Deo magnum, niſi quod eidem gratum : & ita zelo gloriæ ipſius non eſt contra gloriam eiuſdem militandum. Qui enim miſericordiam vult, & non ſacrificium, vult etiam obedientiam ſacrificio, quantumuis ſit illud magnum, anteferri. Vnde & Samuelis illud : *melior eſt enim obedientia, quàm victima.* 1. *Reg.* 15. *verſ.* 22. vbi ex eo quod additur. *Et auſcultare magis quàm offerre adipem arietum :* non debet ſuſpicari quiſpiam priorem ſententiam non eſſe ad victimam Euchariſticam referendam : veriſſimè enim referenda eſt ; non quòd obedientia melior ſacrificicio ſecundùm ſe ſumpto, quod infinitæ dignitatis eſt, ſed in fieri ; ita vt obedientia, illius oblationem prohibens, dum impletur, melior ſit actu ipſius oblationis ; quatenus Deus hic & nunc magis vult obediri ſibi, quàm ſacrificium offerri : vnde & oblatio hoc modo, ſcilicet contra obedientiam facta, poteſt Deo non eſſe grata.

Dictum memorabile V. M. Ioannis de Auila.

Deuotioni obedientia ſubijcienda.

1. Reg. 15. verſ. 22.

Idque Deo magis ſacrificio placere.

Explicatur amplius, & vnde aliquid Deo gratius.

Concilium Tridant.

292 Eſt quidem veriſſimum quod Concilium Tridentinum de huius ſacrificij munditia *Seſſione* 22. *Cap.* 1. his expoſuit verbis : *& hæc quidem illa munda oblatio eſt, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari poteſt.* Sic ibi, & ex hac munditiæ inuiolabilitate procedit, vt quoties Deo offertur oblatio iſta, ſit illi gratiſſima. Nihilominùs cùm ex Dei præſcripto, cuius auctoritate Prælati Eccleſiæ præcipiunt, oblatio ſacroſancta vetatur, & huic quis ordinationi ſe ſubiicit, obedientia talis gratior Deo eſt, quia Deus non vult modò delectationem illam habere æternitate regulandam, quæ ex ſacrificio illi poterat prouenire ; & ita ſi hic & nunc illi offerretur contra ſuam voluntatem, minori voluptate frueretur : voluptas enim non ſemper maior, quia ex gratioribus ſecūdùm ſe ſed quia magis iuxta præſentem diſpoſitionem. Vnde licet mel ex ſe gratius

Digitized by Google

tius palato ſit, aliquid ſecundùm præſentem ſtatum poteſt eſſe magis gratum, quia magis appetibile: licèt reuerà ſi hìc & nunc mel guſtaretur, gratum palato eſſet, cuius tamen guſtu carere quis vult, altero minùs ex ſe delectabili, ſed nunc magis appetibili, fruiturus. Deo ergo non quod maius ex ſe, ſed quod gratius ſecundùm occurrentes circumſtantias, offerendum. Nec putemus aliquid eius gloriæ deceſſurum ex eo quòd ſacrificij Euchariſtici oblationem iuxta morem Eccleſiæ coarctemus, quia & ſine hac gloria ante mundi conſtitutionem fuit, & ſine ea eſt poſt finem mundi futurus: neque ideò inglorius, quia in ſe ipſo gloriæ cumulos omnes includit: & quod ad externam attinet, quod ex vno videtur deeſſe capite, ex aliis poteſt cumulatiſſimè compenſare. Ad eum ergo modum voluptatem, quam ex iterati ſacrificij oblatione habere poterat, ſubtractæ propter obedientiam oblationis gratiſſimo ſibi obſequio compenſat. Quod vrgetur ex eo quòd ſi reſpectus talis attendendus foret, multa licerent, quæ planè illicita ſunt, vt Sacerdotem non ieiunum ſacrificare, & ſine ſacris veſtibus, lumine, libro, & aliis; ne ſcilicet Deus eâ priuaretur gloriâ, quæ ex ſacrificij oblatione reſultat. Ac prætereà fieret Eccleſiâ non rectè diſponere vt in Paraſceue ſacrificium non fit, & quod in triduo omnes non ſacrificant ſacerdotes. Pœnam item excommunicationis, ſuſpenſionis, & Interdicti non rectè Sacerdotibus infligi, cùm tot inde impediantur ſacrificia, & ſic Dei gloria valde minuatur. Quæ cùm dici fide conſtante, nequeant, fatendum neceſſario eſt reſpectum illum non ſemper vrgere, & cum Dei gloria etiam ex multiplici illa diſpoſitione quæratur, varios eſſe modos, quibus ſuppleri illa poſſit, quæ ex ſacrificij moderatione à ſuprema illius Maieſtate captatur. Videatur Diuus Thomas 2.2. *quæſt.* 104. *artic.* 3. *ad.* 3. Et P. Cornelius in citatum locum 1. Regum.

Non inde Deo minor gloria aut voluptas.

Rationem ex Dei gloria deſumptâ nimiùm probare.

CAPVT XI.

De Priuilegiis circa Sacramentum Pœnitentiæ.

§. I.

An reſpectu Indorum ſit peccatum aliquod reſeruatum, à quo abſoluere nequeant approbati Confeſſarij.

Aſſertio 1. à Religioſis Societatis poſſe Indos abſolui ab omnibus reſeruatis, ſicut ab aliis priuilegiatis.

293 Dico primò. Religioſi Societatis, & qui eorum gaudent priuilegiis, poſſunt Indos abſoluere ab omnibus caſibus, Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, nullo excepto. In huius Aſſerti confirmationem adducit Fr. Ioannes Baptiſta in Animaduerſionibus pro Confeſſarijs Indorum *fol.* 151. priuilegium Societati conceſſum à Paulo III. in Bullâ *Anni* 1549. *Kalend. Nouemb.* Pontificatus ſui *Ann.* 15. ſæpiùs à nobis citatâ, quæ incipit *Licet debitum*, & à Iulio III. confirmatum *die* 22. *Octobris Ann.* 1552. cuius Bulla incipit, *ſacræ Religionis.* Et proportiori cautela etiam à Gregorio XIII. *die* 8. *Septembris Ann.* 1573. ad omnes Sacerdotes Societatis extenſa: quia conceſſio Iulij III. de Profeſſis loquebatur, nec de Indiis, & tranſmarinis regionibus. Quæ ampliatio licet temporalis fuerit, perpetua denique facta eſt. Quæ omnia patere ait ex Litteris Apoſtolicis impreſſis, & ex Compendio Indico. verb. *Abſolutio*, §. 1. & 2. cuius Adnotationem circa vſum cum ſolis Neophytis, & ſine offenſione S. Inquiſitionis, vbi illius Tribunal extiterit, etiam adducit. Quod valde conſiderandum eſſe affirmat Mag. Alfonſus à Veracruce, apud ipſum. Addit à Gregorio XIV. *die* 22. *Septembris Ann.* 1591. extenſam facultatem eamdem ad duo decennia: ſed id non tollere nec infirmare præcedentis conceſſionis perpetuitatem, quia Gregor. XIII. firmam, validam, & perpetuam eſſe voluit donec per Sedem Apoſtolicam reuocaretur.

Priuilegia illius à Fr. Ioanne Baptiſta propoſita.

294 In quibus quod ad conceſſionem Pauli III & Iulij III. attinet, ita prorſus eſt, quia in eorum Bullis id habetur manifeſtum: alia autem, licèt ita in veteri legerentur Compendio, in nouo non ita habentur. Et in primis conceſſionis Iulij III. illud non meminit, forſitan quia tantùm de Profeſſis illius conceſſio procedit: videtur autem commodè apponi potuiſſe, quia & ſpeciale illud habet, vt de abſolutione ab hæreſi apertè loquatur: & valde expediens eſt vt Profeſſi ſciant quid ſibi ſpecialiter per Sedem Apoſtolicam fuerit attributum: circa hoc enim frequentes oriri ſolitæ quæſtiones. Ex Gregorio autem XIII. conceſſio tantùm temporalis aſſertur, & eam vſque ad annum 1603. duraſſe in margine adnotatur. Alterius ergo perpetuæ mentio nulla, quia nulla reuerà extat, licèt nonnulli quoad conceſſionem huiuſmodi ad Confeſſarios ſpectantem perpetuam eſſe contendant, de quo inferiùs *n.* 343. Extenſio ergo temporalis licet iam expirauerit, nihil eius defectus incommodare poteſt, duplici conceſſione Pauli & Iulij ſuo in robore perſiſtente. Quod enim Iulius de Profeſſis loquatur, nihil obſtat, quia Paulus abſolutè de ſociis loquitur. Præterquàm quòd etiam illius conceſſio ad ſacerdotes quoſcumque Societatis poteſt & debet extendi: quia abſolutè & omnimodè confirmat omnia ab aliis Pontificibus, & à ſe etiam conceſſa, quomodolibet, & ſub quibuſlibet tenoribus & formis. Neque item Profeſſos in eâ proprietate ſumit, quâ à non Profeſſis in Societate diſcernuntur, ſed ſecundùm vniuerſaliorem aliam ſignificationem, iuxta quam aliqui dicuntur Religionem talem, aut tale inſtitutum profiteri, ſicut & dicuntur diuerſorum ſtatuum homines profiteri illos. Id quod ex verbis eiuſdem Pontificis liquet, ſic enim ait: *Per te, vel alios Societatem ipſam profeſſos.* Vnde cùm addit inferiùs: *Per te, & ſucceſſores tuos, vel alios ſimiliter Profeſſos:* eodem modo eſt intelligendus. Quod ad hæreſim autem attinet in conceſſione Pauli III. contineri illam Societas iudicauit. Cùm enim conceſſionis Iulij III. in verb. *Abſolutio*, non meminerit, in Adnotationibus cautionem addit circa illam, & cum Neophytis vtendum tantùm huiuſmodi facultate præſcribit. Expreſſio autem Indiarum, & tranſmarinarum regionum neceſſaria non eſt, quia illæ ſatis apertè ſunt Pauli verbis comprehenſæ, dum ait: *In Saracenorum, Paganorum, aliorumque infidelium terras, & prouincias aliàs*

Sed non ita eſſe omnia oſtenditur.

Extenſio temporalis Greg. XIII. licèt finita non incommodat. Et Paulum ac Iulium eſſe conformes.

Profeſſi non ſemper cū omni proprietate ſumuntur.

Digitized by Google

Hæreſis abſolutio ab vtroque conceſſa Pontifice pro Indijs

alias remotiſſimas, à quibus adiri non poteſt Sedes Apoſtolica. Quæ enim terræ aut regiones Indicis remotiores? & vnde ad Sedem Apoſtolicam difficilior acceſſus? Non ergo eſt abſolutè neceſſaria prædicta conceſſio. Circa quam dici etiam poteſt non improbabiliter cum P. Quintanad. *Tomo 2. Tractat. 6. Singulari* 10. & Portel *Tomo 2. Caſu* 13. *num.* 13. non expiraſſe, quia tantùm habet vim declarationis, de quo *num.* 129. Conceſſionis autem Gregorij XIV. mentio nulla in Compendio, pro quo videnda quæ diximus *num.* 38.

Conceſſiones aliæ.

295 Adducit prætereà citatus Fr. Ioannes Baptiſta conceſſiones alias, de quibus quia generales ſunt, dicemus *inferiùs*, & præſertim Omnimodam Adriani, pro quâ etiam in fine *Partis* 2. Eſt autem magis ſpecialis ad intentum, quæ habetur in Confeſſionali, auctoritate Limenſis Cõcilij confecto ſub finem, his verbis: *Por Bulla de Gregorio Decimo tercio, à inſtancia de la Mageſtad Catholica, ſe conceda à todos los Arzobiſpos y Obiſpos de las Indias, y a las perſonas à quien ellos en eſta parte cometieren ſus veres, que puedan abſoluer de crimen de heregia, y Idolatria, y otros qualeſquier caſos reſeruados, aſi en el fuero de la conciencia, como en el fuero exterior, à qualeſquier Indios hombres y mugeres. Y aſi miſmo à los que fueran nacidos de Indios y Moras, y de Moros y Indias, imponiendales alguna penitencia ſaludable. Y declara ſu Santidad que quanto à eſto no eſtoruia el vſo declarado, que por la Bulla de la Cruzada no ſe concede abſoluer de caſo de heregia. Ex Litteris authenticis Gregorij XIII. Fue enuiado eſte Breue por el Commiſſario General de la Santa Cruzada Don Thomas de Salazar. Y añadioſe à los Priuilegios viſtos por el Santo Concilio Prouincial por mandado del Reuerendiſſimo Metropolitano.* Sic ibi euideri profectò alicui poſſet præfata ſine priuilegio licere: Epiſcopos enim poſſe à reſeruatis Pontifici abſoluere, cùm ille nequit adiri, vt in Indiis accidit, tenent ij quos Diana ſequitur *Parte* 11. *Tract.* 8. *Reſolut.* 1. & in defectu Epiſcopi Parochum, atque in huius defectu ſimplicem Sacerdotem. Pro quo & *Parte* 5. *Tractatu* 9. *Reſolut.* 6. §. *Non deſinam.* Quòd ad hæreſim extendit P. Dicaſtillus *Tract.* 8. *Diſput.* 11. *num.* 267. à Diana minimè reprobatus. Et procedit quidem reſolutio dicta in notoriis; nam pro occultis conceſſio eſt manifeſta. Quid autem notorium circa hoc dicatur, videndum apud citatum *Parte* 11. *Tract.* 8. *Reſolut.* 68. Addit autem citatus Fr. Ioannes Baptiſta animaduerſionem in hunc modum ſcribens: *circa hanc conceſſionem animaduertendum eſt ex doctiſſimo Mag. Alfonſo à Vera-cruce in ſuo Compendio, verb. Epiſcopus, quòd Religioſi habent ſpecialia priuilegia, vt poſſint omnia illa quæ Epiſcopus in foro pœnitentiæ.* Sic ille. Quæ autem priuilegia hæc ſint ibi non explicat. Sed poteſt pro eo allegari conceſſio, de quâ Auctor idem fol. 363. n. 13 vbi ſic ait: *y deſpues el año de 1553. el meſmo Iulio Tercero por ſu Delegado Iuan Poggiro Cardenal, que eſtaba en Eſpaña, dio poder para diſpenſar los Religioſos en la Nueua-Eſpaña en Irregulandad contrahida, aunque ſea ex homicidio voluntario; y para commutar los votos, que puede el Ordinario, y diſpenſar, y abſoluer en todos los caſos, que puede el Ordinario, y otras coſas à eſte tono. Y que pueda el Prouincial con ſu Definitorio en cada Conuento nombrar dos o tres Confeſſores, que el llama Penitenciarios, que puedan abſoluer de todos los caſos reſeruados à los Diœceſanos. Eſte priuilegio Original ſe guarda en S. Franciſco.* Hæc Auctor ille.

Specialiſſima ad intentum, ex Confeſſionali Hiſpana lingua confecto, iuxta Gregor. XIII conceſſionem.

Videri ſine priuilegio id licere, iuxta quorumdam doctrinam.

Etiam quoad hæreſim.

Conceſſiones aliæ ad prædicta, & nonnulla inſuper.

Fr. Ioannes Baptiſta.

Indij III. quadã per Delegatum in Hiſpania.

296 Sed priuilegio præfato poteſt id ſtatim opponi, quod multis aliis hoc tempore, eſſe ſcilicet viuæ vocis Oraculum, vt ex conceſſionis tenore apparet. Cùm enim à Pontifice per ſuum fuerit Delegatum Prouinciæ illi conceſſum, non fuit pro eo Bulla ſpecialis expedita, licet teſtimonium authenticum eiuſdem aſſeruetur. Sic ergo conceſſum cum aliis conſimilibus expirauit. Niſi fortè quis velit illorum ſe Doctorum opinione tueri, qui reuocationem Oraculorum non obſtare contendunt, ex eo quòd priuilegia ſint per Bullam generaliter confirmata, vt ſic iam non Oracula, ſed Bullata debeant reputari. Et alioqui conſtat Religioſorum priuilegia poſt conceſſionem dictam confirmata, reualidata, & innouata fuiſſe, per ea, quæ adducit Ioannes de la Cruz in Epitome Status Religioſi *Lib.* 2. *Cap.* 3. *Dub.* 5. *Concluſ.* 3. *& Dub.* 6. §. *Si tamen*, de quo & nos *ſuprà num.* 219.

Obiectio ex eo quòd videatur viuæ vocis oraculum.

Quid ad illam.

297 Meliùs probari poteſt ex eo quòd Religioſi poſſunt abſoluere à caſibus, qui non ſunt Papæ reſeruati, Indos præſertim pro quibus non ſolùm illi, ſed reſeruati etiam Papæ conceduntur, vt vidimus *num.* 293. Eo autem ipſo quòd caſus, de quibus loquimur, ſint conceſſi Epiſcopis generaliter, & eorum officio, ac non perſonis, quarum induſtria requiratur, adhæreant, deſinunt eſſe Papales: quod tenet P. Thomas Sancius in Opere morali *Libr.* 4. *Cap.* 54. *numer.* 27. & multi Recentiores. Conſtat autem induſtriam perſonalem non requiri ex tenore conceſſionis, cùm in ea ſic dicatur: *Se concede à todos los Arzobiſpos y Obiſpos de las Indias, y à las perſonas à quien ellos en eſta parte cometieren ſus veres.* Pro quo & videri poteſt P. Pellizarius *Tract.* 8. *Cap.* 3. *n.* 68. & P. Mendus in *expoſitione Bullæ Diſputat.* 23. *num.* 63.

Probatio melior ex eo quòd caſus deſinant eſſe Papales dũ Epiſcopis conceduntur.

298 Dico ſecundò. Archiepiſcopi & Epiſcopi, & ij, quibus ipſi commiſerint, poſſunt Indos abſoluere ab omnibus caſibus, nullo excepto, Pontifici reſeruatis. Conſtat ex dictis *num.* 305. *& ſeqq.* Non eſt autem neceſſarium quod commiſſio fiat pro caſu ſingulari, ſed generalis ſufficit: quod probo, quia quando Concilium Tridentinum voluit commiſſionem generaliter non fieri, id expreſſit, vt in caſu hæreſis, pro quo *Seſſione* 24. *Cap.* 6. & talis eſſe ſolet ſtylus Pontificum: ergo cùm in conceſſione prædictâ non fiat, non eſt cur neceſſariò ſit faciendum, aſſeramus.

Aſſertio 1. ordinarios Prælatos Indicorum ab omnibus abſoluere poſſe, & quãlis pro eo commiſſio ſufficiat.

Dico tertiò. Omnibus Indorum Parochis videtur facta commiſſio ad effectum dictum. Id conſtat. Quia cùm maximè illis neceſſaria ſit, neque Indi poſſint ad Prælatos remitti, aut facultas in caſibus frequenter occurrentibus peti, nequit illis iuſtè denegari. Quando ergo officium Parochi tribuunt, etſi non exprimant, tacitè tamen illam conferunt, quia & pariter credendi ſunt omne illud conferre, ſine quo nequit officium rectè adminiſtrari, iuxta dicta *n.* 176.

Aſſertio 3. Parochis eam officio commiſſam.

299 Dico quartò. Sacerdotes alij, qui ita approbantur, vt Parochorum eſſe adiutores poſſint, eamdem cenſendi ſunt facultatem habere, ob eamdem rationem: immò & illis fortè maior con-

Aſſertio 4. idem de coadiutoribus.

Digitized by Google

conuenit, quia faciliùs ſe illis Indi quàm Parochis credunt, & in quibus lapſi fuerint, manifeſtant.

Aſſertio 5. ſed non de communiter approbatis, niſi vſus aliter ferat.

Dico quintò: Sacerdotes alij communiter approbati, facultates ſibi conceſſas conſulant, quia non eo ipſo quòd quis approbetur, cenſeri debet ad ea approbari, quæ tanti momenti ſunt, & quæ ſi generaliter eſſent omnibus concedenda, fruſtrà Prælatis ſupremis fuiſſent conceſſa, & iis, quibus illi concedenda iudicarent. Si autem ex vſu aliud habeatur; & Prælati circa hoc nullam ſoleant limitationem adiicere, nec curent vt ad ſe talia crimina deferantur, aut ſpecialis commiſſio poſtuletur, iuxta ſtylum huiuſmodi procedendum, quem communis Scriptorum doctrina complectitur. In Concilio autem Limenſi Tertio *Act.* 2. *Cap.* 17. omnibus Parochis & Confeſſariis approbatis caſus prædicti conceduntur, optimâ redditâ ratione. Vide *infrà num.* 431. quinam autem Indorum nomine comprehenſi debeant intelligi, diximus. *num.* 129. & 130. Vbi & de mixtim progenitis; quamuis conceſſio, de qua *num.* 295. de mixtim progenitis ex Indis & Mauris tantùm videatur procedere.

Quid ex Concilio Limenſi.

§. II.

An quod de Indis dictum eſt, ad omnes Indiarum incolas poſſit extendi.

Aſſertio 1. omnes Indiarum incolas abſolui poſſe à caſibus Bullæ Cœnæ.

300 Dico primò. Abſolutè loquendo omnes Indiarum incolæ abſolui poſſunt à caſibus Pontifici reſeruatis, etiam in Bullâ Cœnæ contentis per Religioſorum priuilegia. Probatur clarè ex priuilegiis adductis Pauli & Iulij Tertij, ac Gregorij XIII. *num.* 303. illa enim de omnibus Indiarum incolis procedunt, dum dicitur, *Fideles ibi commorantes.* Et ita abſque vlla dubitatione proponitur in Adnotationibus ad illa, dum moderatio circa illorum vſum indicitur, & inter Neophytos, ac Chriſtianos alios diuerſitas conſtituitur. Quæ quidem omnibus in priuilegiis communicantibus debent attendi, & ita Mag. Alfonſus à Veracruce in ſuo Compendio, quem adducit P. Ioannes Baptiſta *fol.* 150. *pag.* 2. valde hoc conſiderandum eſſe ait: quia verò Annotatio prædicta ad ſolos Societatis alumnos ſpectat, viderint alij quid ſibi ex vſu liceat, & priuilegiis iuxta proprium vtantur inſtitutum.

Aſſertio 2. exceptio hæreſis, quod ex Cruciata demonſtratur.

301 Dico ſecundò. Quod ad hæreſim attinet, vbi eſt Inquiſitio, nequeunt Religioſi vi priuilegiorum dictorum Hiſpanos, & Europæos alios abſoluere. Id probo. Nam virtute Bullæ Cruciatæ nequit abſolui, ſic enim in ea expreſsè habetur, neque oppoſitum poteſt tutò ſuſtineri ob declarationes Pontificum, pro quibus videri poteſt P. Mendus *Diſput.* 23. *citata, Cap.* 8. Item. In Edicto Inquiſitorum promulgata eſt prohibitio ſpecialis circa hoc SS. D. N. Alexandri VII. pro Iubilæo ab eodem conceſſo. Ex quibus videtur conſtare virtute priuilegiorum id præſtari non poſſe: ſi enim poſſet, prohibitiones dictæ eſſent prorſus inutiles, cùm adeò facilè poſſit abſolutio per priuilegia Religioſorum obtineri. Videtur autem id ex tenore Bullæ apertè deduci: in eâ enim ſuſpenduntur facultates & conceſſiones, quæ contrariæ ſunt conuenienti Bullæ expeditioni, de quo *ſuprà Titulo* 5. Cùm ergo prohibetur abſolutio ab hæreſi, non ſolùm prohibetur ne quis virtute Bullæ poſſit abſoluere, ſed etiam ne abſolutè poſſit, quia facultas illa valde contraria eſt: etſi prohibitio non eſſet vniuerſalis quoad perſonas, de quibus agitur, prohibitio eſſet ferè nomine tenus: cùm poſſint fideles non obſtante illâ facillimum ad Religioſos recurſum habere. Quæ ratio probat ſaltem durante publicatione Bullæ, id non licere. Si autem contingeret Bullam non publicari, adhuc videtur prohibitio ſubſiſtere: nam Pontifices ideò prohibent abſolutionem, cùm publicatur Bulla, quia vt ipſi apertè ſignificant, grauiſſimi eſſet inconuenientis talem concedere facultatem, vbi Tribunal S. Inquiſitionis exiſtit, contra hæreticam prauitatem principaliter inſtitutum: ergo cùm inconueniens idem ſequeretur, ſi Religioſi ad abſolutionem dictam generali priuilegio gauderent, minimè credendum eſt aliam eſſe circa hoc Pontificum voluntatem.

Et etiam eius publicatione non ſtante.

Aſſertio 3. licere vbi non eſt Inquiſitio.

302 Dico tertiò. Vbi non eſt Inquiſitio, licitus eſt vſus priuilegij prædictus. Ita ſupponitur in Adnotatione ad illud verb. *Abſolutio*: vbi ſic dicitur: *nec in locis, in quibus Officium S. Inquiſitionis reſidet, hac facultate vtentur, niſi cum ſolis Neophytis, & eâ moderatione vt Inquiſitores nullâ ratione offendantur.* Sic ibi. Supponitur ergo in locis, in quibus Inquiſitio non eſt, cum omnibus facultatis prædictæ vſum licere. Pro quo & eſt priuilegium aliud à Paulo V. & Vrbano VIII. cum temporis limitatione conceſſum, & ab Innocentio X. confirmatum & innouatum, licet temporale etiam ſit, ſed à Succeſſoribus dubio procul continuandum, in quo ſic dicitur: *inſuper Preſbyteris eiuſdem Societatis IESV, quos in Saracenorum, & aliorum infidelium terras, & alias vtriuſque Indiæ, & transmarinas regiones maris Oceani, ad quas Hiſpani & Luſitani penetrant, ac prouincias remotiſſimas, vbi non eſt Inquiſitio, & fideles inter infideles degunt, neque Ordinarij ſaltem inter duas dietas exiſtunt, huiuſmodi facultatem habentes, Præpoſitus Generalis miſerit; Chriſtianos in eiſdem prouinciis, Indiis, & regionibus commorantes, ab omnibus peccatis, ſententiis, & Cenſuris, etiam in Bullâ Cœnæ Domini contentis, & reſeruatis, etiam gratioſè abſoluendi facultatem &c.* Circa quam conceſſionem non videtur poſſe dubitari aliquid concedere voluiſſe Pontificem quod anteà per priuilegia non licebat. Cùm enim aſſerant illi ad huiuſmodi conceſſiones Prædeceſſorum ſuorum veſtigiis inhærere, argumentum inde minimè dubium deſumitur eiſdem conceſſiones eorum innotuiſſe: & quid perpetuum, quid temporale, quid cum reſtrictione, quid ſine illa, miniſtris Indicis indulſiſſent. Priuilegia ergo habuiſſe illos ad abſoluendum à caſibus in Bulla Cœnæ contentis fideles omnes in vltramarinis partibus conſiſtentes, ſine reſtrictione vllâ, perſpicuum fuit; vnde reſtrictionem addere minimè voluerunt. Quod ex eo etiam oſtenditur in eorum conceſſionibus occurrente: nam ad illas faciendas fatentur ſe Præpoſiti Generalis ſupplicationibus inclinatos, vt videri in earum exordiis poteſt. Præpoſiti autem Generales aliquid obtineri ſuis ſupplicationibus ſunt conati, quod aliàs priui-

Adnotatio Compendij.

Plurium conceſſio Pontificii.

Quid iuxta illam deducendum.

Digitized by Google

priuilegiorum non valebant virtute præſtare.

Nouam non habere reſtrictionem, licet aliqualis appareat.

303 Iuxta hæc ergo exponendum venit adductum priuilegium, vt ſcilicet reſtrictio in eo nulla ſit, quæ de nouo ſit adiecta, ſed potiùs fauorabile aliquid largiatur. Quod ergo dicitur, *vbi fideles inter infideles degunt*, illud ipſum eſt quod à Paulo Tertio dictum, *in terras Saracenorum, Paganorum, aliorumque infidelium.* Vbi ſcilicet adhuc de conuerſione agitur & multi hucuſque infideles ſunt, vt in omnibus ferè Indiarum regionibus accidit. Quòd ſi in aliquibus iam infideles non extent, quia & Indi penitus, aut ferè conſumpti, ſicut in Inſula Hiſpaniola, aut S. Dominici, ac nonnullis aliis, pro iis, quod ſequitur, ſuffragatur: *& in alias Prouincias remotiſſimas, à quibus non poteſt adiri Sedes Apoſtolica.* Hoc autem vltimum ſublatum eſt, & eius loco poſitum, *vbi non eſt Inquiſitio*: vt pro eodem reputari debeat, quòd adiri Sedes Apoſtolica non poſſit, & quòd non ſit Inquiſitio, aut loco vnius ſuccedat aliud. Hoc autem ita factum, quia Societas ita voluit. Cùm enim in eius Adnotationibus inuentum fuiſſet non eſſe vtendum huiuſmodi facultate, niſi cum Neophytis, vbi eſt Inquiſitio, viſum eſt Pontificibus Priuilegio eam hac in parte renuntiaſſe, aut interpretatam ſic eſſe intelligendum: circa quod fortè etiam priorum concedentium inſtructio præceſſit. Conceſſio ergo iuxta mentem Societatis fuit, & ita per communicationem nequit plus licere aliis, quàm ipſi licitum habeatur. In eo autem quod de Ordinariis dicitur, videtur eſſe limitatio; ſed reuera non eſt, ſolumque explicatio fauorabilis: Epiſcopi enim ſunt Ordinarij Inquiſitores: & cùm de Inquiſitione dictum fuiſſet, hoc non tantùm de habentibus delegatam poteſtatem, qui communiter Inquiſitores dicuntur, ſed de Ordinariis etiam accipiendum Pontifices declararunt. Quia verò dubitari poterat, quando non eſſe dicerentur, explicatio addita eſt de duabus diætis, ſeu duorum dierum itinere, juxta communem explicationem. Quod quidem ſatis fauorabile eſt.

Qua & iuxta Societatis voluntatem.

Quid circa Epiſcopos ut Ordinarij ſunt Inquiſitores.

Diſtantia eadem Inquiſitionis, qua & Epiſcoporum ſufficit, circa abſolutionem ab hæreſi.

304 Et iuxta hæc videtur explicandum quando Inquiſitio non dicatur eſſe in ordine ad prædictum effectum: regulandum enim videtur ſecundùm quod de diſtantiâ Ordinariorum dicitur, quia eadem omnino ratio eſt neque apparet cur eſſe diſcrimen debeat inter diſtantiam Inquiſitorum & Epiſcoporum, qui Ordinarij Inquiſitores ſunt, in ordine ad effectum omnino eumdem in perſonis eiſdem. Et quia in Indiis viæ ſolent eſſe difficiles, pauciores leucæ multoties ſufficient quàm in Europa vnius diei ſoleant itineratione percurri. Et hoc quidem circa crimen hæreſis intelligendum videtur, de quo in Annotationibus priuilegij tantùm eſt ſermo, & iuxta quam priuilegij alterius conceſſio procedit: nam de aliis non ita procedit diſpoſitio, à quibus abſolui poſſunt, qui in ea incurrerint, etiam cùm non extiterit diſtantia præfinita. Nec videtur priuilegium iſtud Bullæ publicatione ſublatum, quia Bulla directè priuilegia circa illud non tollit: quatenus autem ex tali prohibitione colligitur mentem Pontificum eſſe vt facultas adeò generalis non ſit, quia ſine grauibus ſtare inconuenientibus nequit, id non videtur aduerſari: quia id quod per priuilegium cum moderatione conuenienti à tot eſt Pontificibus conceſſum, nequit dici grauia inconuenientia continere. Et ex eo etiam ſoluitur id, quod ex ſuſpenſione facultatum obiici poterat, iuxta id quod à nobis eſt *ſuperiùs* comprobatum. Nam facultas hæc non eſt abſolutè contraria intentioni Pontificum in Bullæ expeditione. Nullus enim ex eo quòd vbi Inquiſitio non eſt, & Ordinarij abſunt, abſolui à peccatis poſſit, Bullam recuſabit accipere, cuius pro multis aliis commoda poterit experiri. Et hæc quidē philoſophandi ratio an minùs aliquid ſimile vero contineat, viderint doctiores

Pro criminibus aliis nulla neceſſaria.

Neque per Cruciatā tolli.

Abſolutionem præfatam licere virtute priuilegij Pauli Tertij, aliquorum ſententia.

305 Et multò plus aliqui hac in parte concedunt, dum ſine limitatione aiunt abſolutionem ab hæreſi licere virtute priuilegij Pauli Tertij. Sic enim tenet P. Ioannes Perez Menacho in explicatione priuilegiorum Indicorum verb. *Abſolutio, Dub.* 8. vbi pro eodem adducit R.P. N. Generalem Claudium in Adnotatione citatâ, & doctos Societatis viros Compendij eiuſdem, & Annotationis auctores, ac præterea Ioannem de la Cruz in *Epitome Status Religioſi, Lib.* 2. *Cap.* 6. *Concluſ.* 3. Fr. Ioannem Baptiſtam in *Animaduerſionibus citatis fol.* 150. *pag.* 2. Zerolam in *Praxi pœnitentiali Cap.* 13. *Quæſt.* 4. & in *Praxi Epiſcopali* 1. *p. verb. Abſolutio,* §. *Ad quintum*, ſub finem Ioannem Mariam Braſilenſem, Magiſtrum ſacri Palatij in Indice Expurgatorio *Tomo* 1. *verb.* Manuel Sa. *pag.* 424. *num.* 20. propter illa eius verba: *conceſſis omnibus caſibus huius Bullæ* (Cœnæ) *intelligitur etiam conceſſus caſus hæreſis. Ita declarauit Congregatio.* Sic ille. Adducit etiam P. Sa verb. *Excommunicatio.* § de excommunicationibus Bullæ Cœnæ. *num.* 20. quatenus id reputat probabile, & viros pios & doctos. Pro quo ait etiam poſſe allegari Sotum in 4. *diſt.* 22. *quæſt.* 2. *artic.* 3. *in caſu* 1. *Concluſ.* 5. Magiſtros Ioannem de la Peña, & Bartholomæum Medinam, quos refert Viualdus in Candelabro. *Titulo de abſolutione Sacramentali num.* 16. Franciſcum Pernam Directorio Inquiſitorum 2. *p. Comment.* 25. *Col.* 10. *verſ. Quid ſi quis quærat.* Et in terminis priuilegij Vgolinum de Cenſuris Romano Pontifici reſeruatis, *Parte* 3. *Cap.* 2. *verſ. vlt. num.* 4. Et hæc quidem eatenus adducit, quatenus tradunt in generali conceſſione caſuum Bullæ Cœnæ hæreſim comprehendi. Quod de Iubilæo loquentes tenent alij quamplures adducti ab eodem *Ad ſecundum.* Et à Diana *Parte* 1. *Tract.* 5. *Reſolut.* 1.

Rationes pro illa.

306 Probat deinde *Primò*, quia priuilegium hoc latè interpretandum eſt, cùm ſit in fauorem animarum. *Secundò*, quia hęc videtur fuiſſe voluntas Pontificum, vt hoc pacto multis à Sede Apoſtolica remotiſſimis, & grauibus oppreſſis criminibus ſubuenirent. *Tertiò*, ex ſolutione eorum, quæ in contrarium adduci poſſunt. Et in primis publicationem Bullæ Cœnæ quotannis fieri ſolitam non obſtare, benè oſtendit Emmanuel Rodericus *Tomo* 1. *qq. regul. quæſt.* 20. *artic.* 9. Et in *Additionibus ad explicationem Cruciatæ, circa* §. 9. *num.* 62. Et ex eodem Fr. Ioannes Baptiſta *ſuprà fol.* 124. *&* 125. Pro quo & eſt, vt citatus Pater ait, id quod in Compendio Indico habetur in fine Adnotationum circa verb. *Abſolutio.* Sic enim ibi: *qualiter item non cenſeatur reuocata per Bullam Cœnæ, vide in Compendio Communi verb. Bulla Cœnæ* §. 2. Vbi ad hunc effectum affertur Oraculum

Compendij Additio.

Gregorij

Digitized by Google

Per Bullã Cœnæ non reuocari Religioſorũ priuilegia.

Gregorij XIII. *die* 18. *Martij An.* 1584. Et prætereà extat ampliſſima confirmatio priuilegiorum per Paulum V. 4. *Septemb.* 1606. Quia verò conceſſioni prædictæ Gregorij opponi reuocatio poteſt, eò quòd fuerit Oraculum, occurrere obiectioni poſſumus ex eo quòd talis conceſſio vim tantùm declarationis habuerit circa priuilegium dictum, iuxta dicta, *num.* 294. quidquid de aliis ſit: quamquàm de omnibus idem videatur dicendum: cùm enim priuilegia huiuſmodi à Pontificibus pro expeditâ miniſteriorũ circa animarum ſalutem in diuerſis mundi partibus executione tribuantur, inuerofimile prorſus eſt ea ſtatim reuocari, & neceſſariam eſſe annualem innouationem: iuxta ea quæ docti Scriptores tradunt apud P. Pellizarium *Tractat.* 8. *Cap.* 3. *num.* 73. *& ſeqq.* Et apud Dianam *Parte* 3. *Tract.* 2. *Reſolut.* 10. vbi & plures & grauiores.

Specialis difficultas circa Annotationẽ.

Quod verò ad remiſſionem illam in Annotatione prædictâ ad Compendium commune vlteriùs attinet, conſideratione dignum eſt eam in nouiore Compendio Indico non exſtare. Cur enim ſublata illa? Non vtique ſublatum priuilegium in Communi Compendio, ſed Gregorij conceſſio ibidem habetur. Non ergo licet iam illud conceſſioni prædictæ, vt anteà licuerat, applicare? Sed reſponderi opportunè poteſt partem illam Adnotationis expunctam, quia neceſſaria non erat. Cùm enim priuilegia Societatis per Bullam Cœnę non reuocentur, neceſſarium non fuit id ſpecialiter circa prædictum adnotare. Item. quia id iam ex Compendio communi conſtabat in fine Adnotationum circa verb. *Abſolutio*: ſic enim ibi: *& quòd facultates hoc verbo contentæ, quæ Bullæ Cœnæ repugnant, hodie perſeuerent, vide Verb. Bulla Cœnæ.* §. 2.

Ad Greg. XIII. declarationẽ reſponſio ex P. Menacho.

307 Ad id autem quod ex Gregorio XIII. adduci poteſt, qui in Breui ſpeciali apud Fr. Emmanuelem in Additionibus ad explicationem Cruciatæ, circa §. 9. *num.* 96. declarat non eſſe facultatem abſoluendi ab hæreſi, reſpondet citatus P. Menacho tantùm intelligi, vt id non poſſit fieri virtute Bullæ, ſecus ſi aliàs facultas habeatur: quia reſtrictio odioſa eſt, & ſtricti iuris, ac proptereà non debet ampliari, cùm inſuper in priuilegio non omnino ſimiles militent rationes.

Ad Breue Pauli IV.

Ad Breue autem Pauli Quarti. *Ann.* 1558. in quo idem videtur prohiberi, reſpondet non vrgere, vt legenti patebit. Adducitur illud à Fr. Emmanuele *ſuprà.*

Ad aliud Pij V.

Quia verò magis videtur vrgere Breue aliud Pij V. *die* 30. *Iannuarij. Ann.* 1572. propter quod Rojas *in priuilegijs Inquiſitorum num.* 416. id planiùs conſtare pronuntiat, quem ſequuntur P. Henriquez *Lib.* 3. *de Pœnitentia. Cap.* 16. *num.* 2. *in textu, & in Gloſſa.* Et alij, reſpondet ex prædicto Breui potiùs inferri contrarium, ſi attentè legatur: vnde qui illud citant, & ex eo moti decernunt, prioris illius Scriptoris auctoritate ducti, cùm illud non legerint, nihil plus auctoritatis eidem aſſertioni conciliarunt.

Ad Vrbani etiam Quarti, ſeu potiùs Alexandri.

Quod autem addit Fr. Emmanuel *ſuprà. num.* 67. Vrbanum Quartum eamdem declarationem in fauorem Inquiſitorum protuliſſe, nullius eſſe momenti affirmat, quia declaratio talis poſt diligentem perquiſitionem non eſt inuenta. Et in Repertorio quidem Inquiſitorum verb. *Crimen*, vbi ab Emmanuele citatur, nullatenus extat quidpiam, quod poſſit obſtare: ibi enim tantùm dicitur hæreſim eſſe crimen exceptum, pro quo allegatur Vrbanus Quartus: cùm tamen Vrbanus non ſit, ſed Alexander Quartus in *Conſtitut.* 10. quæ incipit, *quod ſuper nonnullis*: in cuius verbis nihil eſt quod poſitioni iſti ſuffragetur. Et quamuis P. Henriquez *ſuprà* Vrbanum adducat, nihil plus fidei meretur, quia ita citat vt ab Emmanuele ſcriptum deprehendit. Sic doctus & diligens Pater, & S. Tribunalis Qualificator.

Sententiam Auctoris prædictã nõ eſſe generaliter admittendã.

308 In cuius diſcurſu negari nequit quin veriſimilitudo non leuis elucelcat, ſi doctrina illius priuilegio, de quo loquimur, applicetur, in quo quidem non facultas abſoluta & omnimoda ad abſolutionem confertur, ſed cum limitatione iam dictâ. Quatenus verò ex ea videtur deduci abſolutam facultatem non reuocari, minùs eſt probandus, ob dicta *num.* 301. Quatenus verò ad prohibitionem pro Bullâ Cruciatæ factam, reſponſio poteſt etiam declarationi SS. D. N. Alexandri VII. pro Iubilæo ſimiliter applicari, quia dici poterit, pro Iubilæo quidem factam, quia ſic benè viſum Pontifici; cùm tamen priuilegij alia ratio ſit, quia pro Indiis eſt conceſſum, vbi fidei negotium agitur, ad quod incolæ omnes ſuo modo poſſunt concurrere: id reſtat efficaciter refellendum, & ita arguo: nam Cruciata, & Iubilæum anni Sancti, aut illi ſimile, omnium maximæ conceſſiones ſunt; & tamen in illis abſolutio dicta prohibetur ob grauia inconuenientia, quãdo ad illam abſoluta facultas conferretur: ergo manifeſtum ſignum eſt non eſſe voluntatis Pontificum eam aliàs generaliter indulgeri. Et quidem facultas abſoluendi per Iubilæum ſatis breue ſpatium habet, duarum inquam hebdomadarum; & tamen tunc in conceſſione talis facultatis grauia inconuenientia Sedes Apoſtolica deprehendit: ergo incredibile eſt eam generaliter ſuppetere communicatione ampliſſimâ priuilegiorum: vbi maximè locum habet vulgaris regula, de quâ ſæpiùs: *In generali conceſſione. &c.*

Ratio efficaciſſima pro aſſerto.

In Indiis idem procedere quoad generalem conceſſionem.

309 Deinde. Quod pro Indiis ſpecialis ratio non ſit in ordine ad generalem conceſſionem, ex eo oſtenditur quòd in Indiis etiam publicatur Cruciata cum eadem prohibitione: ergo ſignum eſt grauia inconuenientia in Indiis ex abſolutâ conceſſione timeri. Et certè à crimine hæreſis per Bullam ſpatio biennij ſemel tantùm in vitâ & ſemel in articulo mortis abſolui poſſe, vel ad ſummum bis durante ſpatio, ſi duplex Bulla ſumatur, ſine grauibus ſtare inconuenientibus nequit: ergo multò maiora timeri poſſunt ex abſolutâ facultate nullis temporis ſpatiis coarctatâ. Iubilæum etiam eodem modo in Indiis publicatur, & cum eadem reſtrictione: ergo ſimiliter eſt de illo ſicut de Bulla philoſophandum, & colligendum ex eo pro Indiis etiam inconuenientia illa extare, quæ planè obſtent, quominus facultas abſoluta ad effectum dictum de Pontificiâ poſſit voluntate præſumi.

Difficultas ex eo quòd Societas priuilegio, renuntiauit. Et quomodo illam

310 Sed reſtat aliud, in quo non leue videtur eſſe momentum: nam quinta Congregatio Generalis ad inſtantiam Philippi II. Regis noſtri priuilegijs, quæ habebat in ordine ad abſoluendum ab hæreſi, renuntiauit, vt conſtat ex *Decreto* eiuſdem 21. Quod quidem ex zelo fidei, & ad

quidam Auctor expedias.

& ad inſtantiam Inquiſitionis Hiſpaniæ, à piiſſimo & religioſiſſimo Principe factum: ergo non licet iam illorum vſus. Et vrgetur ex eo quòd fertur communiter Pontificem ad inſtantiam R. P. Claudij priuilegia dicta reuocaſſe. Ad quam obiectionem reſpondet P. Menacho de reuocatione Pontificia nullâ ratione conſtare poſt ſolicitam inueſtigationem: immò oppoſitum non obſcurè colligitur ex citato Decreto Congregat. 5. in quo reuocationis dictæ mentio nulla; ſed Societas vſum priuilegiorum talium in Regnis Hiſpaniæ ſponte dimittit. Quoad dimiſſionem autem huiuſmodi, nihil in eâ eſſe ait, quod Indias attingat, vnde in illis nulla eſt intimata prohibitio; & meritò, quia valde diuerſa ratio in ipſis militat, ac in Regnis Hiſpaniæ. Addit reuocata quidem priuilegia, quæ expreſsè facultatem abſoluendi ab hæreſi concedunt, non verò illa, in quibus hæreſis non expreſſa, ſed in generali conceſſione eſt caſuum Bullæ comprehenſa. Sic ille reſpondet. Iuxta quem dicendi modum videtur reddi ratio poſſe, cur in Compendio Indico non ſit facta mentio conceſſionis Iulij III. quæ quidem expreſſiſſima eſt, quia videlicet talis priuilegij vſum noluit Societas in ſuâ illâ generalitate pro Regnis Hiſpaniæ permittere, ſicut eius tenor continebat.

Non admittitur reſponſio, quia pro Indiis etiã renuntiatum.

311 In hoc tamen aliqua difficilia ſunt: nam in primis id, quod in Congregatione 5. ſtatutum eſt, ad Indias etiam videtur pertinere, ſic enim ibi: *Quæ quoniam ſuis priuilegijs ad ædificationem, & diuinum tantùm obſequium vti cupit, & ſancto illi Tribunali, vt par eſt, plurimum deferri, prædictas patentes litteras* (R. P. Claudij) *præſenti Decreto confirmat, præcipiens atque interdicens, ne quis Noſtrorum in illis Regnis, aliiſque Dominijs, illi Tribunali ſubiectis, priuilegio illo, quod ad prædictum S. Officium pertinet, quoquomodo vti, aut illo ſe tueri vllatenus præſumat. Immò omnem facultatem eo vtendi ſibi prorſus ſublatam eſſe intelligat, acſi priuilegium ipſum à Sede Apoſtolicâ numquam impetratum eſſet.* Hæc ibi. Ex quibus apparet in Indiis etiam vſum priuilegij ſublatum, quandoquidem ſublatus eſt in omnibus Regnis & Dominiis Hiſpanicæ Coronæ Tribunali dicto ſubiectis, ad quæ Indias eſt manifeſtiſſimum pertinere.

Alia in eadem additã deijciuntur.

Conceſſione caſuũ Bullæ Cœnæ venire hæreſim, praxi Pœnitentiariæ.

312 Deinde. Si in priuilegio abſolutionem à caſibus Bullæ Cœnæ generaliter concedente, hæreſis continetur, vt id Societas dubio procul intellexit, pro quo & eſt praxis ſacræ Pœnitentiariæ Romæ, quoties Caſus Bullæ Cœnæ indefinitè conceduntur, vt affirmat P. Filliucius Collegij ipſius Pœnitentiariæ Rector *Tractat.* 8. *num.* 265. quod valdè commendat P. Pellizarius *Tractatu* 8. *Cap.* 2. *num.* 39. ob dicentis auctoritatem: ex eo videtur fieri, vt & illius vſui debuerit renunciari, quandoquidem taciti & expreſſi ratio eſt eadem, vt aliàs diximus; & renuntiatio expreſſi priuilegij valoris nullius eſſet, ſi remaneret aliud, per quod idem omnino liceret, pro quo expreſſum, facultatem tribuebat. Non ergo videtur exacta ratio illa, quæ pro ſublatâ mentione priuilegij Iulij III. reddebatur. Præterea. Si in Indiis non eſt eadem ratio prohibitionis vſus priuilegij, quæ in Hiſpaniæ Regnis, & conceſſio Iulij III. ad Indias ſpectare ſpecialiter poteſt, in quibus inconueniens circa illius vſum non eſt, ſicut non eſt in vſu alterius ad eumdem effectum; additâ moderatione, quæ in alio; ſatis erat cuilibet inconuenienti conſultum: vnde Pontifices in Bullis citatis, in quibus generalem conceſſionem pro caſibus Bullæ Cœnæ in Indiis indulgent, additâ limitatione circa Inquiſitionem ſatis inconuenientibus fuiſſe occurſum indicarunt. Sed his non obſtantibus

Renuntiationem pro Indiis etiã fuiſſe concluditur.

313 Dicendum videtur renuntiationem illam priuilegiorum quoad Hiſpaniæ Regna ita pertinere, vt Indias etiam comprehenderit, quatenus abſolutè eorum vſus non licet, niſi cum moderatione adhibitâ, & à nobis explicatâ. Vnde & priuilegio generali de caſibus Bullæ Cœnę, & non tantùm ſpeciali renuntiatum; quandoquidem & in generali limitatio eſt inuiolabilis appoſita, iuxta quam illa ſuſtineri poſſe conſtat ex Bullis citatis, in quibus mentio Inquiſitionis ad limitationem adiecta. Conſtat item ex editione Compendij poſt quintam Congregationem, in quo facultas dicta cum Adnotatione iam expoſitâ continetur. Congregatio ergo cùm de Regnis ac Dominiis S. Tribunali ſubiectis eſt locuta, Indias minimè voluit comprehenſas quoad ſpeciale illarum priuilegium, quia neque hoc Regis poſtulatio continebat, ſed quòd *vſu nonnullorum priuilegiorum in illis regionibus abſtineret.* Pro Indiis enim ſciebat S. Tribunali, quod à Rege vt poſtularet obtinuit, ſatis prouidam in Compendio adhibitam cautionem. Quod ergo mentio conceſſionis Iulij III. facta non ſit, cùm tamen abſque dubio fieri poſſet, moderatione additâ, ea fuit ratio, quia abſolutè neceſſaria non fuit, & cùm in illâ hæreſis expreſſa habeatur continentia, conueniens iudicatum eſt offenſionem omnem eius prætermitione vitare: cùm præſertim conceſſio illa generalis ſit, & non tantùm pro Indiis. Neque circa iſta opus eſt rationem exactiſſimam reddidiſſe. Mentio quidem fieri potuit, ſed non facta. Aliqua profectò viris doctis ratio pro eo ſuccurrit: ſi minùs placeat quæ à nobis aſſignata eſt, alia equidem fuit, vel ſi non alia, de Concilij alicuius Generalis definitione non agitur, ſed de peculiari hominum diſpoſitione: & in huiuſmodi non ſolent omnia ita exactè peragi, vt nihil poſſit ab iis, qui rem oculatiſſimè introſpexerint, vti minùs congruum ſubnotari.

Sed non quoad illarum ſpeciale priuilegium.

§. III.

Notanda quædam circa vſum Priuilegiorum, de quibus dictum.

Aſſertio 1. etiamſi adſint Commiſſarij, non cenſeri adeſſe Inquiſitionem ad effectum abſolutionis.

314 DIco primò. Etſi Commiſſarij Inquiſitionis adſint, ſi tamen diſtantia interueniat, de quâ loquitur priuilegium, vſus illius licet. Sic Docti aliqui. Et ratio eſt clara; quia Commiſſarij communiter loquendo, & prout in Indiis ſolent conſtitui, non habent iuriſdictionem pro foro interno. Sed ad ſpecialem quamdam prouidentiam deſignantur: & ita in ordine ad bonum animæ, quod priuilegij conceſſione prætenditur, perinde eſt acſi non adeſſent. Si verò contin-

Digitized by Google

contingeret Commiſſarium facultatem habere pro foro interiori ab Inquiſitoribus eidem attributum, iuxta probabilem ſententiam de facultate eadem pro foro dicto Inquiſitoribus competenti,& eamdem delegandi poteſtate;aliter videtur dicendum. Tunc enim in eo loco diceretur eſſe Inquiſitio, quandoquidem in eo Miniſter eiuſdem adeſt, ad effectum huiuſmodi ſufficienter inſtructus. Nihilominùs hoc non videtur certum; quia reuerà, & ſecundùm communem ac receptum loquendi modum, ibi Inquiſitio non eſt. Et prætereà Miniſter talis ſatis dubiâ facultate eſt præditus,vnde Religioſus Priuilegiarius, cui illa certiùs conuenit, videtur præferendus. Præterquàm quòd in concurſu priuilegiatorum ille eſt præferendus,qui excellentiori modo priuilegiatus eſt, vt apertè liquet: atqui Religioſus in concurſu dicto talis eſt, ſcilicet vt Miniſter Euangelicus per priuilegium Pontificum Religioni conceſſum: Commiſſarius autem per nudam commiſſionem facultate gaudet à Pontificis factam Delegato,cui ratione ſtatus nihil tale conuenit; in quo excellentia apparet manifeſta: poteſt ergo in concurſu Commiſſarij datâ ſibi vti à Pontifice facultate.

Aſſertio 2. de Vicariis Epiſcoporum idem ſtatuens.

315 Dico ſecundò. Id quod eſt de Commiſſariis dictum, de Vicariis etiam Epiſcoporum dicendum. Et ratio eſt ſimilis: quia illis non ſolet talis facultas attribui: quòd ſi tribuatur aliquando, verificatur tamen ibi non eſſe Ordinarium,quia Vicarij foranei non dicuntur Ordinarij. Licèt autem Vicarius Generalis dicatur Ordinarius, iuxta magis receptam ſententiam, quia illius & Epiſcopi, aut alterius, cuius Vicarius eſt, idem eſt tribunal, vt habetur in Cap. *Romana de appellationib. in 6.* Pro quo innumeros Auctores adducit P. Thomas Sancius *Lib. 3. de Matrimonio, Diſput. 29. num.* 3. ea tamen facultas non ſolet illis cum officio committi, quia Concilium Tridentinum prohibet per Vicarios abſolutionem ab hæreſi dari. Et quamuis probabile ſit poſſe committi Vicariis; addunt tamen Doctores id non poſſe per modum habitus fieri, ſed iuxta caſuum occurſum. Quando autem ita fit commiſſio, Vicarius non fungitur Ordinariâ iuriſdictione, vt docent plures apud eumdem Auctorem *ſuprà, num. 6.* qui & idem aſſerit *num.* 8. Sed limitatione additâ; videlicet ſi in commiſſione fiat expreſſa mentio vicariatus, ſiue in ſalutatione, ſiue in progreſſu: *vt tali Officiali noſtro, vel Vicario committimus, aut poteſtatem aliàs per Nos commiſſam extendimus.* Quæ quidem in caſu, de quo agimus, non videntur habere locum; quia commiſſio iſta ſecretiſſima eſt, neque pro ea ſcripto vti Ordinarij ſolent. Accedit id,quod omne videtur dubium ſubmouere: cùm commiſſio hæc ſecretò fiat, non poſſe ab eo, qui abſoluere aliàs à prædicto crimine poteſt, an verè illam Vicarius habeat agnoſci: & meritò poſſe præſumere Epiſcopum circa id modo conuenienti procedere: ac proinde poteſt ille priuilegio ſuo ſine aliqua dubitatione potiri. Fateor in caſu quo facultas abſolutè ad effectum dictum Ordinariis Indiarum tribuatur, de quâ an modò competat, valde dubia quæſtio eſt, alium eſſe poſſe conceſſionis modum ab eo, quem Concilium ſuperiori determinatione præſcribit, & ita forſitan illis licebit id per alios exercere, ſicut in facultate abſoluendi Indos vidimus. §. 1. Sed tunc etiam valde probabile eſt non eſſe Ordinarios reſpectu illius, vt citati Doctores ſentiunt; etiamſi cum officio pariter tribuatur; quia officio non eſt annexa, ſed penitus delegata. Cùm aliàs adhuc ſub iudice lis ſit an Vicarij ſint Ordinarij: vnde P. Bauny *Tomo 1. Tractat. 9. Quæſt.7.* ait opinionem affirmantem videri ſibi tutam in praxi, & ſequendam; apertè indicans contrariæ probabilitatem, de quo & *Quæſt.* 24. Ex quo habetur multò plus probabilitatis eſſe in eâ ſententiâ, quæ negat Ordinarios eſſe in iis, quæ minimè ratione officij conueniunt. Sed ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ priuilegio, pro cuius executione ab Ordinariis ſunt gratioſè ſubſtituti, procedunt.

Eſſe Ordinarios ſi Generales, ſed non in omnibus.

Non eſſe Ordinarios probabilis ſententia multorū.

De Vicariis Sede vacante idem decernitur

316 Circa Vicarios autem Sede vacante, etſi iuxta communem ſententiam; pro quâ Auctores *ſuprà*, Ordinarij ſint; dubitari tamen poteſt an in prædictâ facultate ſuccedant, quæ Prælatis Indiarum concedi circa hoc poteſt, & quidem ſi ita tribuatur, vt perpetuò adhæreat officio, & non eligatur perſonæ induſtria, ad Capitulum tranſire ſatis probabilis ſententia eſt, quam cum aliis tenet Barboſa de poteſtate Epiſcopi *Allegat.* 54. *num.* 26. P. Thomas Sancius *Lib.* 8. *de Matrimonio, Diſputat.* 2. *num.* 10. *& in Opere Morali, Lib.2. Cap.* 11. *num.* 4. vbi de facultate abſoluendi ab hæreſi id etiam affirmat, ſicut & *num.*23. qui & videndus ſpecialiter *Lib. 2. de Matrimonio, Diſp.* 40. *num.* 17. vbi benè oſtendit non eligi induſtriam perſonæ, quoties aliquid conceditur Prælatis præſentibus & futuris in perpetuum; cùm perſonis incognitis delegetur: pro quo ibidem graues Auctores adducit. Vnde & deducit Concluſionem præſenti accommodatam inſtituto.

Quando nō cenſeatur induſtria perſona eligi.

317 Sed verò ita ad Capitulum tranſire aliqui exiſtimant, vt Vicario Generali ab eodem conſtituto, tota ad illum iuriſdictio transferatur, quia conſilium Tridentinum eam videtur ipſi conferre, dependenter quidem à Capitulo in fieri, non tamen in conſeruari, ſic enim *Seſſione* 24. *Cap.* 16. decernit de Reformatione: *Officialem ſeu Vicarium infrà octo dies poſt mortem Epiſcopi conſtituere, vel exiſtentem confirmare omnino teneantur.* Sic illud. Hæc enim obligatio conſtituendi Vicarium planè indicat apud eum Capituli iuriſdictionem futuram; aliàs non eſſet cur Capitulum ad conſtitutionem huiuſmodi teneretur. Ideò namque Epiſcopo non imponitur obligatio talis, quia apud illum juriſdictio reſidet, & ita poteſt per ſe ipſum iudicare. Et inde eſt quod in eodem Capite Concilium præcipit vt eligendus Vicarius ſit in Iure Canonico Doctor vel Licentiatus; quod tamen de Vicario Epiſcopi non inuenitur decretum: eo videlicet, quia tota apud illum eſt iuriſdictio futura. Pro quo faciunt quæ adducit Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 3. *Cap.* 13. *num.*70. Vnde pro certo videtur ſtatuere Barboſa *ſuprà*, *num.* 157. cum Doctoribus, quos citat, iuriſdictionem Epiſcopi ad Capitulum deuolui Sede vacante, ſed iuxta formam præſcriptam in Cap. *Vnico*, de maioritate & obedientia in 6. in quo ſic dicitur: *Epiſcopali Sede vacante, poteſt Capitulum, ſeu is, ad quem Epiſcopalis iuriſdictio tunc temporis noſcitur pertinere, &c. abſolu-*

Ad Vicarium tali totam iuriſdictionē transferri qui cenſeant, & fundamenta pro eo.

Cap. Vnicum de maioritate in 6.

Gloſſa.

tionis beneficium impertiri. Vbi Gloſſa ſic habet: *Habes ex hoc textu, Ibi, ſeu is, ad quem; quòd iuriſdictio Epiſcopalis poteſt etiam ad alium deuolui, quàm ad Capitulum Sede vacante, ſecundùm Dominicum.* Sic ille. Quis autem hic eſſe poſſit, declaratur in fericis, dum ſic dicitur: *Puta, Viſitator datus à Papa ſuprà eod. Lib. de Electione. Is cui. Vel ab Archiepiſcopo in caſu, ſuprà eod. Lib. de ſupplenda neglig. Prælat. Cap. vltimo, vel electus ad hoc per Capitulum.* Hæc Gloſſa. Iuxta quæ citatus Auctor *num.* 163. cum aliis affirmat tamquàm ſpeciale Capitulum Sede vacante infra octo dies vacationis non arctari ad conſtituendum Vicarium, ſed poſſe ſucceſſiuè per ſe adminiſtrare, ex Quaranta. In deeſt quòd ſuſpenſo Capitulo non ſuſpendatur Vicarius, vt tradit Vgolinus *Tractatu de Cenſuris, Tab.* 1. *Cap.*4. §. 2. Ex quibus videtur fieri nomine Ordinarij in caſu noſtro Vicarium talem accipiendum, quia ad ipſum iuriſdictio deuoluitur etiam in ijs, quæ per priuilegium, perpetuum tamen, obtinentur.

Non eſſe obligationem eligēdi illum infra octo dies.

Contraria ſententia circa iuriſdictionem præfatur. Et iuxta eam deciſio caſus præſentis.

318 Verùm iſta non videntur vrgere, iuriſdictionem namque apud Capitulum reſidere communis ſententia eſt, & ita eo ſuſpenſo Vicarium etiam ſuſpendi tenet P. Suarez *Tomo* 5. *in* 3. *p. Diſput.*7. *Sect.*3. *num.* 13. Barboſa *ſuprà num.* 180. & alij, quoad priuationem ſcilicet à iuriſdictione. Poteſt ergo Capitulum facultatem, de quâ agimus, ſibi penitus reſeruare, aut etiam conferre. Quòd ſi conferat, iuxta eam iudicandum eſt, quæ dicta ſunt *numer.* 315. vt non debeat maior ratio haberi Vicarij à Capitulo electi, quàm ab Epiſcopo deſignati; cùm vtrique facultas dicta voluntariè concedatur. Ad ea autem quæ pro contrariâ poſitione allata ſunt, non eſt operoſum reſpondere, licèt loci præſentis non ſit, & apud Auctores, qui de Vicariis agunt, ſint obuiæ reſponſiones, de quibus & nos *infrà, Titulo* 14. *&* 19. Illud ſit modo dixiſſe ſatis, quòd licet Conſilium Tridentinum ad electionem Vicarij obliget intra octiduum, non ideò debet intelligi juriſdictionem ita illi à Concilio tribui, vt nullo modo reſideat in Capitulo: quia cùm ex Iure certum habeatur iuriſdictionem Epiſcopi ad Capitulum deuolui, & ex obligatione eligendi Vicarij nihil contrarium ponatur, ſicut non poneretur, ſi Epiſcopo ad faciliorem negotiorum expeditionem ſimilis imponeretur obligatio: non eſſe fundamentum ad priuandum illud iuriſdictione: cùm enim res grauiſſima ſit, & in eius notabile præiudicium, nonniſi per manifeſtiſſimam determinationem fieri debuiſſet. Obligatur ergo Capitulum, cùm non obligetur Epiſcopus, ob faciliorem, vt dixi, negotiorum expeditionem, quia faciliùs eſt eum vno agere, quàm cum multis, & quia ille ad Capitulum non poteſt ſic facilem habere recurſum, ſicut ad Epiſcopum eius Vicarius poteſt, ideò maior pro eo eſt litteratura à Concilio requiſita. Gloſſa autem dicta circa *Cap. Vnicum de Minoritate*, aſſerit quidem in electo à Capitulo eſſe poſſe, ſed non negat in Capitulo etiam reſidere. Vbi & dici poteſt Capitulum ita ſuam transferre iuriſdictionem in electum poſſe, vt ſe eâ priuet, niſi in ijs, quæ ad ipſum ita ſpectant, vt etiam electo Vicario perſeuerent. Quod intelligendum de vſu proximo iuriſdictionis, quatenus obligare ſe poteſt ad hoc vt illam minimè exercere tentet, licèt ſemper in eo maneat poteſtas radicalis. Pro quo hæc modò ſatis.

Non eſſe fundamentum ad priuandum Capitulum iuriſdictione.

Illud tamē ſe poſſe illa aliquomodo priuare.

Aſſertio 3. circa vſū priuilegij cum delatis ad S. Officium.

319 Dico tertiò. Quod in Adnotatione dicitur his verbis: *Pro abſolutione tamen à caſibus hæreſis, eâ non vtantur cum ijs, quos probabiliter ſciuerint ad Inquiſitionis Officium eſſe delatos, niſi fortè hac de re cum Inquiſitoribus agatur, atque ipſis placeat vt Noſtri hac facultate vtantur.* Diligentiſſimè obſeruandum eſt, &, vt docti quidam Magiſtri exiſtimant, obligatione ſub mortali, quia res grauiſſima eſt, & priuilegia ſic, & non aliter conceduntur. Putat autem P. Menacho verba illa ad inſtructionem tantùm, & non ad ſubſtantiam pertinere; ex quo fit vſum quidem eſſe illicitum. Sed non inualidum. Sic circa verb. *Abſolutio*, in Compendio Indico, *Dub.*9. *in principio*, ad ea ſe referens, quæ dixerat *Diſput.*4. *Proœmiali, Dub.*13. Vbi quidem id probat ex eo quòd ſuppoſitâ priuilegij communicatione, quidquid deinde additur ad vſum ſpectans, ad ſolam inſtructionem ſpectat, juxta communem Doctorum ſententiam, pro quâ eſt ſpecialiter Panormitanus in Cap. *Ex parte, de Conſtitutionib. in* 6. Felinus *ibidem num.*8. Paulus de Caſtro *Conſilio* 124. Gloſſa *in Clement.* 1. verb. *Inhibentes, de Iure patronatus.* Romanus *Conſilio* 202. *Col.*2. Immola, & Zabarella, & facit pro eodem doctrinâ, quam Doctores deducunt ex Cap. *De cauſis*, de officio Delegati, quòd quando tempus præfigitur ſoli iudici, & non juriſdictioni, præfixio talis non ſpectat ad formam ſubſtantialem, ſed accidentalem. Vt etiam conſtat ex *L. Properandum*, in principio. *C. de iudicijs.* Vbi Bartholus, & clariùs, *ex L. vnica. C. vt omnes judices, &c.* vbi Beroius *à num.* 48. pro quo & Panormitanus *ſuprà num.* 9. & cauſſæ præſenti meritò venit applicandum, vbi modus vtendi gratiis non imponitur commiſſioni, ſed commiſſario. Et quidem cùm ſaltem dubia res ſit, in eo fauorabiliter accipienda moderatio, vt ad inſtructionem, & non ad ſubſtantiam ſpectet: quia negari nequit quin hoc fauorabile ſit: & ſicut priuilegium fauorabiliter interpretandum eſt, vt à Pontifice procedit, iuxta ſæpiùs dicta: ita etiam vt illius communicatio ab immediato Prælato deſcendit: ſic enim gratia Pontificis ad eum peruenit, & conſequenter fauorabilem eſt effectum habitura.

Inſtructionem ſub mortali obligare.

Ad ſubſtantiam non pertinere, qui videātur probare juxta doctā Magiſtrā.

Temporis præfixio quando ad ſubſtantiā non ſpectat.

Ex P. Suario vt colligatur, ſed non benè.

320 Et hanc doctrinam generaliter propoſitam, licèt non ita confirmatam, colligit doctus Pater ex P. Suario *Lib.* 5. *de Legibus, Cap.*31. *num.* 14. *&* 15. Sed certè *num.*14. nihil habet, quod ſuffragari poſſit, vt legenti conſtabit; immò oppoſitum poſſet aliquo modo ex eodem deduci, quatenus ait quòd cùm in lege dicitur, *Non poſſit*, actus ſit inualidus, ſi circa id verſetur, quod pendet ex voluntate concedentis: & in caſu noſtro certum eſt actum verſari circa id, quod à concedentis voluntate dependet. Et licet non dicatur, *Non poſſit*: quia tamen in Præfatione vſus negatur eſſe licitus, niſi vbi conceſſio priuilegij præcedit, & licitum abſolutam indicat facultatem, vt ex tenore conſtat & diximus, *num.* 165. *Difficult.*7. per totam, ei potiùs videtur Doctor Eximius ſuffragari. Quidquid autem de præcipuâ aſſertione ſit, in eo, de quo agimus, quando ſcilicet dubium eſt, verùm inſtructio, an

forma

Digitized by Google

forma ſit, nihil ex prædicta doctrina habetur, pro quâ tamen allegatur. Sequenti autem §. hæc habet, quibus fauere videtur: *quia ibi lex ſupponit poteſtatem ad actum, cui formam præbet, & ideò ex vi verborum non videtur eſſe forma ſubſtantialis, niſi per verba ſatis expreſſa declaretur, qualis non videtur eſſe ſola illa. Aliter non poſſit, niſi aliunde conſtare poſſit intentio legiſlatoris eſſe limitare ſimpliciter poteſtatem operandi, & non tantùm licitè operandi, & ideò ordinariè addi ſolent verba irritantia ad hoc explicandum. Item, ſi non addantur, aliæ circumſtantiæ ſpeciales ſunt.* Hæc ille. In quibus tamen quominùs fauere poſſint, materia ſubiecta obſtat, quia loquitur de actibus priuati dominij, quia ſcilicet abſolutè licent, in quibus tamen lex modum præſcribit. Nos autem de actibus loquimur, qui abſolutè non licent ante priuilegij communicationem. Nec videtur verum concedi priuilegium, & poſteà formam decerni: nam reuerà vtrumque eſt ſimul, conceſſio ſcilicet priuilegij cum ſua limitatione. Et hoc quidem contra præcipuam poſitionem facit: quatenus verò P. Suarez non quamlibet prohibitionis formam eſſe ſubſtantialem dicit, etiamſi addatur quòd *aliter non poſſit*, patrocinari videtur aſſerto, non quidem apertè, vtcumque tamen: vtquoties de irritatione apertè non conſtat, quia non adduntur verba irritantia, vt addi ſolent, neque circumſtantiæ vrgent, non eſſe ſubſtantialem formam debeat iudicari.

Quid tamen obſtat, vt non faueat caſui præſenti.

Pro quo efficaciter arguitur, vt ſubſtantialis probetur inſtructio.

321 In quo quidem negare non poſſumus quin doctrina præfata generaliter ſumpta ſit ſatis veroſimilis, & quòd vbi dubium eſt, eâ maximè locum habeat, libenter admittimus. Præſenti autem caſui non bene applicari videtur, vt merè accidentalis forma debeat reputari, propter dicta *Difficultat. 7. citata*. Licet enim verba ipſa inſtructionem ſonent, & non ſubſtantiam quia nullus in illis terminus ex iis, qui ſolent vt irritationis ſignum adhiberi; circumſtantiæ tamen vrgent, quia res eſt grauiſſima, vt diximus, & tranſgreſſio magnis inconuenientibus & turbationibus obnoxia, vnde & peccatum graue in ea committi citatus Pater affirmat: ergo minimè credendum eſt Societatem voluiſſe ad actum talem abſolutam concedere poteſtatem. Cuius mens aliunde etiam conſtat, ex Compendij ſcilicet Præfatione, in qua, vt diximus, negatur ſine Generalis conceſſione vſum priuilegiorum licere, id eſt, poſſe validè exerceri actum, vt citato loco probatum. Atqui non conceditur pro delatis ad Inquiſitionis Tribunal: ergò nec licitè, nec validè poteſt priuilegium ad vſum aduocari. Et vrgere efficaciter poſſumus: nam ſicut in Adnotatione prædictâ apponitur limitatio, de quâ agimus, ita etiam alia, de qua *ſuprà*, quòd ſcilicet vbi eſt Inquiſitio, eâ facultate non vtantur Noſtri, niſi cum Neophytis. Hoc autem non ſpectat ad ſolam inſtructionem, quia priuilegium ad aliud non ſe extendit: ergo ſimiliter eſt in caſu priori dicendum: quia nequit vis fieri in eo quòd verba ſolummodò ſonent inſtructionem, quandoquidem etiam ſequentia eumdem tenorem ſeruant, & nihilominus ſubſtantialia ſunt ratione ſignificati.

Efficax inſtantia.

Alia Adnotationis pars, qualis ſit.

322 Alia autem quæ in eadem Adnotatione habentur, quòd ſcilicet Pœnitentibus declarent nihil eam abſolutionem illis in foro externo prodeſſe, eoſque exhortentur vt complices, ſi quos habuerint, reuelent, & hæreſes abiurent, & vt in iis, quæ in foro exteriori reuelare tenentur ſuo officio non deſint. Hæc inquam magna ex parte ſubſtantialia ſunt, ſed non ex vi Adnotationis, ſed ex obligatione rectè adminiſtrandi Sacramentum: cùm enim Pœnitens ad reuelandos complices, non tamen ſe ipſum, teneatur, quando id facere ſine ſui manifeſtatione poteſt, niſi damnum ingens in Chriſtiana Republica timeretur, & ad abiurandum hæreſim cautione iuratoriâ adhibitâ de parendo mandatis Eccleſię, quam eſſe neceſſariam dicunt aliqui, cùm tamen plures negant: pro quo videndus Vgolinus de *Cenſuris Rom. Pontifici reſeruatis Parte 3. Concluſ. 2. §. 1. numer. 4. verſ. Immò vbi quis:* dum id non præſtat, non eſt capax abſolutionis, & ita ad ſubſtantiam actus ita pertinens, vt ſine illis validus non ſit. Quod verò attinet ad exhortationem pro foro exteriori, in quo non præbet abſolutio libertatem, ad ſubſtantiam non pertinet, quia etiamſi deſit talis declaratio, qui abſoluitur, Tribunali S. Inquiſitionis manet obnoxius, neque quidquam illi ex omiſſa declaratione detrahitur. Cùm enim non teneatur ſe manifeſtare, ſiue abſoluatur, ſiue non abſoluatur: pro quo videatur Nauarrus in *Rubrica de Iudiciis num. 53. & ſeqq.* vbi alios adducit. Sotus *de tegendo ſecreto Membro. 2. Quæſt. 7. Dub. 1.* Diana *Parte 1. Tractatu. 5. Reſolut. 4.* ex abſolutione nullo modo Tribunalis poteſtas ab executione ſui muneris impeditur. Poterit autem declarationis talis defectus ſine culpa graui contingere, aut etiam ſine leui, ex obliuione ſcilicet: & vix eſt credibile vt in eo mortalis culpa interueniat, dū ex malitia quadam affectatâ non omittitur, quæ cùm commodum nullum habere queat reſpectu omittentis, nequit vllâ ratione præſumi.

Abiuratio vt requiratur.

Nullus ſe manifeſtare tenetur S. Inquiſitioni.

§. IV.

Quid circa abſolutionem Religioſorum ſpecialius habeatur.

Aſſertio 4. Religioſi Societatis vt poſſint abſolui in Indijs, cum doctrinâ vtili.

323 Dico quartò. Si aliquis ex Societate (quod Deus auertat, & auerſurum ſperamus, ſicut huc uſque fecit) abſolutione, de quâ eſt dictum, indigeret, obſeruandum quod in Adnotatione prædictâ diſponitur, vt ſcilicet à Prouinciali abſoluatur, cui ad eum effectum facultas abſoluta conceditur, ſine obligatione ſe præſentandi Generali, vt in Compendio communi dicitur verb. *eodem poſt §. 8.* Quam facultatem poſſit quidem ſubdelegare, non tamen abſolutè, ſed taliter vt Pœnitens teneatur ſe Prouinciali manifeſtare eo modo quo teneretur Generali, vel ſe ipſum præſentando, vel rem ei aperiendo eo modo, quo ſeruata ſigilli integritate Prouinciali videbitur. Quibus equidem eo tenditur, vt malo huic omnium maximo conueniens poſſit remedium adhiberi. Quomodocumque ergo hoc obtineri valeat, ceſſat obligatio ſe præſentandi, ſicut in caſibus aliis reſeruatis; licèt circa hunc maior debeat cautio eſſe, & minor fides Pœnitenti præſtari. Leges ergo reſeruationis,

Digitized by Google

de quibus frequens apud Doctores tractatio, circa hoc obſeruandæ. Illud autem ſpecialiter aduertendum, quod in Compendio communi obligatio manifeſtationis quantùm ad modum, quo illa fieri Generali debet, Prouincialis iudicio remittitur, quia eidem abſoluendi facultas communicatur. In Indiis autem cùm ſolutio communicetur Prouincialibus ſine onere aliquo erga Generalē, & Prouincialis ipſe poſſit eam ſubdelegare, non remittitur illius arbitrio modus manifeſtationis, ſed Subdelegato, quia ille ſuccedit loco Prouincialis, qui eò quòd rem in foro pœnitentiæ tractauerit, poteſt circa hoc conuenientius judicium efformare. Cùm ergo Subdelegatus rem in eodem foro diſcuſſerit, eius eſt ſtandum iudicio. Neque hoc eſt contra id, quod in Ordinatione pro reſeruatis diſponitur circa iudicium Confeſſarij, cui non tenetur deferre ſuperior: ibi enim agitur de concedendâ facultate ad abſoluendum; hîc autem non de illâ ſermo, ſed eâ ſuppoſitâ, de modo eſt quæſtio, quo debeat manifeſtatio fieri Prouinciali. Sicut enim iudicio Generalis ſtandum non dicitur, ſed Prouincialis extra Indias, quia Confeſſarius eſt, etſi valde Generali inferior, ita & de Subdelegato dicendum Prouincialis comparatione.

Notanda obſeruatio.

Religioſi alij an teneantur Adnotationem ſeruare.

324 Circa Religioſos autem communicationem priuilegiorum habentes dubium eſſe poteſt an ſimiliter debeant in modo abſolutionis procedere. Et docti aliqui exiſtimant idem planè ſeruandum, quod in Adnotatione præſcribitur: Prouinciales ſcilicet abſoluere poſſe, & Subdelegatos pariter ab ipſis cum onere comparendi. Facultas ſiquidem dicta à Paulo III. Generali Societatis conceditur, ſicut & modus communicationis eidem committitur verbis illis: *Poſſit eis, authoritate noſtrâ, facultatem concedere.* Cùm ergo priuilegium tale in Religionibus aliis ſit adinſtar, non ampliùs eis licet, quàm quòd Generali Societatis pro eadem viſus eſt expedire. Nihilominùs id, quòd in Adnotatione dicitur, de manifeſtatione, non videtur pro Religioſis aliis vrgere, vt ſcilicet Prouincialis teneatur onus illud imponere: quod eatenus tantùm videtur obligare, quatenus ex naturâ rei, de quâ agitur, id videtur oriri. Quia enim crimen hoc grauiſſimum eſt, videtur remedium illud opportunum, vt ſcilicet Pœnitens ſe debito modo Prouinciali manifeſtet.

Sine priuilegio abſolutionem licere, qui teneant, & eorum fundamentum ex Epiſcopali Prælatorum authoritate.

325 Addunt aliqui Adnotationes prædictas tunc quidem ſeruandas, cùm ex virtute priuilegij agitur. Sed eſſe modum alium circa hoc expeditiorem, quandoquidem ſine priuilegio, circa hoc procedi poteſt. Epiſcopos enim facultatem habere abſoluendi ab hæreſi ex Tridentino conſtat *Seſſione* 24. *Cap.* 6. & illam non eſſe reuocatam tenent quamplures, quos adducit Diana *Parte* 1. *Tract.* 5. *Reſolut.* 2. Thomas Hurtadus *Tract.* 12. *num.* 10. 14. & alij: ex quibus multi cenſent poſſe Epiſcopum facultatem abſoluendi Confeſſario tribuere pro caſu occurrenti. Prouinciales autem eadem, quâ Epiſcopos circa ſibi ſubditos poteſtate gaudere tenent multi, quos ſequitur Emmanuel Rodericus *Tomo* 1. *qq. regul. q.* 61. *artic.* 9. Licèt enim nullum in ſpeciali citet, quia tamen ſententiam contrariam nouam appellat, pro ſuâ communem ſenſum eſſe manifeſtat. Et eam non ſolùm de Prouincialibus, ſed etiam de ſuperioribus localibus procedere aſſerit, quia non debent eorum ſubditi peioris eſſe conditionis, quàm ſint communiter ſæculares, qui ab Epiſcopis poſſunt abſolui in prædictis omnibus. Cùm autem omnia contenta in Decreto Concilij liceant, & in iis abſolutio ab hæreſi, illa pariter licebit. Pro quo etiam extat priuilegium Pij V. cuius tenorem adducit citatus Auctor, & cuius etiam apud Recentiores frequens occurrit mentio, in quo Partibus Dominicanis concedit, quidquid in foro animæ licèt Epiſcopis ex Concilio Tridentino erga ſuos ſubditos. Vbi licet hæreſis non meminerit, eam tamen comprehendit, quia ſi excipere voluiſſet, expreſſiſſet. Et ita in ſpeciali tenent P. Suarez *Tomo* 4. *de Religione, Lib.* 2. *Cap.* 20. *num.* 10. & 11. *Tract.* 8. Portel *in dubijs Regular.* verb. *Abbas, num.* 10. & 11. Candidus *Tomo* 1. *de Cenſuris, Diſquiſit.* 21. *art.* 4. *Quæſt.* 32. verſ. *Certant*, *& ſeqq.* & alij, quos adducit Diana *Parte* 1. *Tractat.* 5. *Reſolut.* 6. verſ. *Plus addam.* & adeò certum hoc putat Megala 1. *p. Lib.* 1. *Cap.* 13. *numer.* 10. vt indubius affirmet, etiamſi facultas à Tridentino conceſſa reuocata ſit, in Religioſis priuilegij dicti virtute perſiſtere: non enim priuilegia Religioſis cum reſpectu ad Epiſcopos conferuntur, ſed maiora quandoque illis, vt conſtat in facultate ad diſpenſandum in matrimonij impedimentis, de quibus *inferius*: ac in nonnullis aliis: quia ergo Religiones aliæ communicationem prædicti priuilegij habent, eo pariter frui poterunt. Alij adducunt priuilegia alia, & præ illis ea, quæ ſunt Societati conceſſa. Sed de priuilegiis modò non agimus, de quibus dictum: cùm circa illud verſemur, an ſcilicet ſecluſo priuilegio abſolutio liceat: quòd ex citatis colligitur, dum facultatem conceſſam Epiſcopis, Religioſis etiam Prælatis competere pariter arbitrentur. Iuxta quod dicendum eſt non eſſe locum limitationibus, neque communicationem deſiderari, quandoquidem ea; quæ conceſſione iuris communis competunt, non poſſunt per inferiorum imperia prohiberi. Licèt enim priuilegia dicantur; quia tamen in Iure inſerta ſunt, pro iure habentur, & ita tolli nequeunt, quia inferior in ſuperiorem non habet poteſtatem. Pro quo videri poſſunt quæ adducit Diana *Parte* 3. *Tractat.* 2. *Reſolut.* 1. vbi multi & graues Auctores pro huiuſmodi poſitione ſuccurrunt.

Pij V. priuilegium circa illud.

Limitationes nō poſſe in vſu abſolutionis apponi.

Difficultas ex reuocatione facultatis circa caſus Bullæ Cœnæ.

326 Eſt tamen circa doctrinam prædictam, probabilem quidem aliquando, difficultas ex nouioribus declarationibus: Diana enim *Parte* 1. *Tract.* 5. *Reſolut.* 6. & *Parte* 3. *Tractat.* 2. *Reſolut.* 122. & *Parte* 8. *Tract.* 7. *Reſolut.* 50. affirmat circa hoc non poſſe iam eſſe quæſtionem ex Decreto Vrbani Octaui *die* 7. *Nouemb. Ann.* 1628. per quod reuocantur in amplâ formâ priuilegia Regularium abſoluendi à caſibus reſeruatis in Bulla Cœnæ, ex quibus præcipuus eſt hæreſis. Pro quo etiam facit, id quod habet Cardinalis Lugo *Diſput.* 23. *de fide num.* 46. vbi ita ſcribit: *ego verò non poſſem primam* (ſententiam) *amplecti, quia mihi moraliter certa eſt Pontificis mens, & ſenſus Romanæ Curiæ, in quâ omnes Pontificis Miniſtri pro certò ſupponunt, ſingulis annis denuò eam facultatem Epiſcopis auferri, & ea ſolùm de cauſſa, ad eumque finem*

Card. Lugo.

Digitized by Google

finem addita eſſe in Bulla Cœnæ verba illa, quibus reuocantur facultates conceſſæ etiam per cuiuſuis Concilij Decreta: nullius enim alterius Concilij eſt facultas aliqua, niſi in Concilio Tridentino; quod reuerentiæ fortaſsè cauſsâ nominatum non eſt, ſed ſolùm ſub illa generalitate verborum. Sic ille. Pro eodem item eſt id, quod ait P. Pellizarius *Tractat.* 8. *Cap.* 2. *num.* 36. ita ſcribens: *Illud aſſerunt communiter Doctores, in eiuſmodi rebus ſtandum eſſe interpretationi, quam ſtylus Curiæ Romanæ admittit, & ſeruat: hic enim facit ius. Cap. Ex litteris, de Conſtitut.* Sic ille. Cùm ergo Epiſcopis ſublata facultas ſit & illis pariter ſublatam, qui Epiſcoporum nomine comprehenduntur; eò quòd iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habeant, neceſſarium eſt penitus confiteri.

P. Pellizarius.

Non obſtare probabilitati poſitionis propoſitæ.

327 Nihilominùs Epiſcopis adhuc conceſſam tibi à Concilio facultatem competere, ſunt qui teneant, vt fatetur ipſe Cardinalis Lugo *ſuprà numer.* 53. quibus ipſe circa probabilitatem non videtur refragari, quatenus eâ ſuppoſitâ pergit explicare quinam Epiſcoporum nomine in ordine ad illam debeant reputari. Qui etiam *citato num.* 46. ita ſcribit: *ſi Epiſcopus non credat Pontificem eam facultatem de facto reuocare voluiſſe, poteſt primam ſententiam probabiliter complecti, quæ tot Auctores, adeoque graues pro ſe habet: ſi verò id credat, debet ſtare ſecundæ ſententiæ. Ego verò non poſſem &c.* Sentit ergo, non obſtante morali illâ certitudine ſuâ, poſſe Epiſcopos aliter, & quidem probabiliter, iudicare. Vt enim ex Peyrino, & Menochio adducit P. Pellizarius *ſuprà*, non eſt neceſſariò ſtandum dicto vnius Doctoris atteſtantis de ſtylo Curiæ, quippe qui conſiſtit in facto, ideoque debet probari pluribus de certitudine & ſcientiâ atteſtantibus, & licet aliqui ſint, qui de ſtylo Curiæ circa caſum præſentem teſtentur, illi certè oculati teſtes non ſunt, ſed extra Romam ſcribunt. Probabilitatem etiam agnoſcit P. Martinon *Tomo* 5. *Diſputat.* 59. *Sect.* 18. *num.* 208. P. Layman *Lib.* 1. *Tract.* 5. *Parte* 2. *Cap.* 5. *num.* 2. vbi adducit Marium Alterium Romanum Scriptorem, & Nauarrum Doctorem Pontificium, quamuis Doctores iſti antè declarationem ſcripſerint ſuprà dictam. P. Bauny *ſuprà Quæſt.* 31. qui extenſionem ad Religioſos, non ſolùm ex priuilegiis probat, ſed ex æquitate naturali, vt videri poteſt. verſ. *Primum, quod æquitati* P. Fagundez in ſecundum Eccleſiæ Præceptum *Lib.* 8. *Cap.* 9. *numer.* 32. Qui licet ſcripſerit ante Decretum Vrbani, ſecunda tamen editio poſterior fuit, & ſententiam iſtam non ſolùm probabilem, ſed probabiliorem exiſtimat. P. Gaſpart Hurtadus *Diſput.* 15. *de Excommunicatione Difficult.* 3. *num.* 12. vbi circa hoc ſe remittit ad ea, quæ habet P. Thomas Sancius in Opere morali *Lib.* 2. *Cap.* 11. *num.* 27. qui vtramque ſententiam probabiliſſimam dicit, licet addat negatiuam tenendam, quam non pœnitendi Doctores à Pontifice declaratam atteſtantur, & ſupremæ Inquiſitionis Tribunal amplecti iubet: neque in re tam graui amplectendam eſſe ſententiam affirmantem, quia valde dubia, & parùm tuta. Quod quidem indicium pugnantia videtur inuoluiſſe, quod ſcilicet in ſententiam affirmantem illa concurrant, quæ circa ipſam pronuntiat; vnde ſic dubia, & parum tuta ſit; & quòd nihilominùs ſit probabiliſſima; vnde circa hoc aliqui aliter arbitrantur.

Cardin. Lugo.

Vnitati circa ſtylum Curiæ non credi neceſſariò.

P. Sancij pugnantia in dictis.

Pro Indiis maior ſententiæ probabilitas.

328 Sed quidquid de præfata ſententia ſit, generaliter loquendo, & præſertim de Regnis Hiſpaniæ; circa Indias alia ratio eſt, vnde ad illas poteſt probabilius doctrina Scriptorum extendi. Quia in illis eſt impoſſibilitas adeundi Summum Pontificem, ex quâ prouenit vt caſus Papales reddentur Epiſcopales, quæ eſt generalis regula, vbi adeſt impedimentum, vt ait P. Layman *ſuprà Cap.* 6. *num.* 6. & approbat P. Martinon *numer.* 209. quia bonum regimen, & congrua ſuauiſque ſubordinatio inter Eccleſiæ Prælatos id requirere videtur. Vnde illi in partibus Septemtrionalibus id habere locum affirmant, propter frequentiam & multitudinem abſoluendorũ, ex qua naſcitur impedimentum ſufficiens. Pro quo etiam eſt Bordonus, quem adducit, & videtur omnino ſequi P. Pellizarius *Tract.* 8. *Cap.* 2. *num.* 40. qui & *Reſolut.* 3. *num.* 35. & 36. ait pro impeditis facultatem concedi Epiſcopis à Iure. Cap. *De cetero* 11. *Cap. Ea noſcitur* 13. Cap. *Quod de his* 16. Cap. *Quamuis* 50. & Cap. *Eas* 20. *de ſententia excommunicat.* Et eam competere Prælatis Regularibus reſpectu Religioſorum ſubditorum: cùm Iura concedentia talem facultatem de Epiſcopis loquantur, non formaliter, ſed æquipollenter, pro quouis habente dignitatem quaſi Epiſcopalem, cuiuſmodi ſunt Prælati Regulares. Addit tamen ſic abſolutos, ceſſante impedimento, debere ſe Pontifici præſentare, cùm ſic illis pateat aditus de licentia proprij Prælati. Vnde melius eſt in tali caſu priuilegio vti Concilij Tridentini, vel aliis conceſſis immediatè Religioni pro vtroque foro: ſic enim abſoluti non debent ſe Papæ præſentare. Pro quo addo priuilegium Indicum, de quo *num.* 302. verbis illis: *Neque Ordinarij ſaltem inter duas diætas exiſtant huiuſmodi facultatem habentes.* Licet enim hoc ita intelligi poſſit, vt conditionem prædicta verba contineant, ſi videlicet Ordinarij ſint, quos huiuſmodi facultatem habere contingat, cùm poſſit eis priuilegium tale concedi: valde tamen proprius & genuinus ſenſus eſſe poteſt, vt conditio non intelligatur, ſed abſolutè ita contingere pronuntietur: *Neque Ordinarij ſint huiuſmodi facultatem habentes; id eſt, qui verè habeant huiuſmodi facultatem*, ratione inquam diſtantiæ, & difficultatis magnæ Sedem Apoſtolicam adeundi. Vnde quod ait Thomas Hurtadus *ſuprà numer.* 1018. de probabilitate ſpeculatiuâ, ſed non practicâ, poteſt circumſtantiis attentis ad practicam etiam aduocari. Et hæc iuxta dictorum Scriptorum ſententias dicta ſint: quid enim nobis conuenientius appareat, diximus *ſuprà*, & præſertim *num.* 308. & 309. De quibus hæc ſatis.

Ratione impedimenti caſus Papales fieri Epiſcopales.

Priuilegij Indicum fauere, iuxta non vulgarem intellectum.

§. V.

De Priuilegiis Indicorum Confeſſariorum circa approbationem.

Circa approbationē quæ priuilegia Societati cōceſſa

329 Dictum circa hoc pro Confeſſariis Indorum *num.* 180. & 181. Generaliter autem loquendo, licet Gregorij XIII. conceſſio

Digitized by Google

ceſſio ſatis ampla præceſſerit, quia temporalis fuit, ad alias fuit neceſſariò prouocandum. Et Pij V. habetur alia, de qua citato *num.* 181. quia tamen dubius intellectus ob declarationem Innocentij X. certius aliquid requirendum & habetur illud in Bullâ eiuſdem Innocentij nunc vigente, conceſſionibus ſimilibus Pauli V. & Vrbani VIII. iam finitis, & ibidem confirmatis. Sic ergo ille habet: *eiſdemque, vt ſemel ab aliquo illarum partium Epiſcopo approbati ad prædicandum, Confeſſiones audiendas, & Miſſas celebrandum, in Eccleſiis & Oratoriis Societatis IESV prædictæ, pro miniſteriorum huiuſmodi exercitio vlterius licentiam & approbationem ab aliis Epiſcopis, quatenus diſtent vltra duas diætas, petere ſeu habere minimè teneantur, ſed abſque illis præmiſſa facere poſſint. Si vero Epiſcopus ab Eccleſia vel loco vbi prædicatur, vel Confeſſiones audiuntur, non diſtet vltra præfatas duas diætas, tunc licentia etiam alterius Ordinarij ita vicini priùs obtineri debeat, quæ tamen per epiſtolam etiam impetrari poſſit.* Hæc Pontifex. Circa quæ quia nonnulla obſeruatione digna occurrunt, pro illis

Innocentij X. verba.

Aſſertio 1. facultatem audiendi confeſſiones non eſſe locis deſignatis adſtrictam.

330 Dico primò. Quod de approbatione pro Eccleſiis & Oratoriis Societatis dicitur, non eſt ad Confeſſiones referendum: vnde approbatio talis non eſt locis adſtricta, ſed generaliter accipienda. Id videtur clarum: quia priuilegium hoc Societati conceditur ad vſum ordinarium huiuſmodi miniſterij: illud autem non ſolùm in Eccleſiis & Oratoriis propriis, ſed in priuatis domibus, ad quas pro infirmis vocantur, in Miſſionibus, & alienis Eccleſiis ſolet exerceri: non eſt ergo ad nominata loca vllatenus adſtringendum. Quod & de aliis dicendum pariter. Et quod ad Miſſas attinet, ſine priuilegio id fieri poteſt: de approbatione autem & licentia ad prædicandum pro Eccleſiis aliis nihil ſpecialiter dictum, quia ij, qui idonei iudicantur ad prædicandum in ſuis Eccleſiis, idonei etiam reputantur à Pontifice, vt in aliis poſſint prędicare: cùm & audiẽtes iidem eſſe poſſint, & Religioſæ Eccleſiæ ſatis graues & celebres ſint, & non rarò Cathedralibus ipſis celebriores: quod quidem ad Eccleſiæ Catholicæ decus & ornamentum, conſequenterque ad Chriſti gloriam egregiè conducit. Quod etiam cõſtat ex generalitate verborum, quibus Pontifex vtitur, dum addit: *Pro miniſteriorum huiuſmodi exercitio vlteriùs licentiam & approbationem ab aliis Epiſcopis. &c.*

Circa prædicationem quid ſpecialiter concedatur. Et quod ſola benedictio Epiſcopi pro Eccleſiis propriis exigatur.

Concilium Trident. id ſtatuit.

331 Eſt etiam pro eodem ratio alia, verbis prædictis ampliùs ponderatis, in quibus de licentia & approbatione agitur. Nam ad prædicandum in propriis Eccleſiis Religioſi non indigent approbatione & licentiâ, ſed tantùm Epiſcopali benedictione, vt conſtat ex Concilio Trident. *Seſſione* 5. *Cap.* 2. *de Reformat.* ibi. *Cum qua licentia* (Superiorem) *perſonaliter ſe coràm Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequàm prædicare incipiant.* Sic Concilium: pro quo & extat declaratio Cardinalium apud Barboſam circa citatum Caput, qui pro eadem adducit Fr. Emmanuelem, Ricium, & P. Reginaldum. Et extat etiam manifeſta deciſio Innocentij X. de qua *num.* 181. vbi Patres Societatis ſolâ benedictione, & non approbatione ac licentiâ Epiſcoporum indigere ait, vt in ſuis Eccleſiis concionentur. Quòd ſi eam dare noliut, eo non obſtante concionari poſſe, Citati affirmant, quia petita requiritur, non obtenta. Sed in casûs contingentia vitandæ turbellæ, & cautè ac prudenter procedendum. Quoties autem, & qualiter peti debeat, videri poteſt apud P. Pellizarium. *Tract.* 8. *Cap.* 4. *num.* 11. & 12. Cùm ergo approbatio & licentia neceſſariæ non ſint, dum à Pontifice conceditur, vt cum approbatione & licentiâ in ſuis Eccleſiis ſemel obtentâ concionari poſſint, ad generalem facultatem id faciendi videtur referendum, iuxta ea quæ Concilium citato loco præſcribit, dum ad prædicandum in Eccleſiis, quæ Ordinum non ſunt, quorum ipſi ſunt alumni, licentiam petendam his verbis iubet: *In Eccleſiis vero, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, vltra licentiam ſuorum Superiorum, etiam Epiſcopi licentiam habere teneantur, ſine quo in ipſis Eccleſiis non ſuorum Ordinum nullo modo prædicare poſſint: ipſam autem licentiam gratis Epiſcopi concedant.* Sic Concilium. Vbi obſeruandum, non approbationem Epiſcopi, quæ aliquod videtur examen indicare, ſed ſolam licentiam neceſſariam eſſe decerni. Et ita tenent plures, quos adducit & ſequitur. P. Pellizarius *ſuprà num.* 22. & 23. in quibus eſt Diana *Parte* 3. *Tract.* 2. *Reſolutio* 111. qui videndus etiam *Parte* 4. *Tract.* 4. *Reſolut.* 22. vbi adductâ declaratione Cardinalium in contrarium, videtur hærere. Sed de illâ non eſſe curandum affirmat Pellizarius, ſtante in contrarium Bullâ Leonis X.

Pro Eccleſiis alienis licentia neceſſaria ex eodem ſed non examen.

Ex priuilegio autem Innocentij X. eam non requiri, ſuppoſita ea, quæ datur pro Eccleſiis propriis.

332 Cùm ergo in priuilegio licentiæ & approbationis ratio habeatur ad prædicandum in Eccleſiis Ordinum, quod proprium eſt reſpectu Eccleſiarum, quæ Ordinum non ſunt, id genus ſuperabundantis ſubiectionis meritò exiſtimatur ſufficiens, vt ad Eccleſias, quæ Ordinis proprij non ſunt, licentia talis extendatur. Quidquid igitur illud eſt, quod hoc priuilegio conceditur, generale exiſtimari debet, vt vnica generis dicti approbatio tantùm requiratur. Neque poſitioni iſti aduerſatur, quod in Breui citato Innocentij X. habetur, vbi tantùm pro Eccleſiis propriis benedictio requiſita ſtatuitur, cùm circa alias diſpoſitioni Iuris videatur relinqui, quandoquidem exceptio firmat regulam in contrarium. Nam reuerà id damus, quod obiectione contenditur. Sed fauorabili priuilegij explicatione. Cùm enim pro Eccleſiis propriis ſola petatur benedictio, non eſt credendum in priuilegio plus aliquid contineri; iam enim priuilegium non eſſet. Sed noui oneris impoſitio. Alia ergo quæ adduntur de approbatione & licentia, ad ampliorem effectum ſunt trahenda, & ita iam pro Eccleſiis alienis licentia additur, quam Pontifex etiam in Indiis ſtatuit requirendam. Et hoc pacto priuilegium dictum habet rationem talis; nam alio modo nihil videtur licere per illud, quod ſine ipſo non etiam licitum haberetur. Prædicare enim in propriis Eccleſiis cum ſolâ Epiſcopi benedictione, & in alienis cum eorum approbatione & licentiâ, ſine priuilegio licet, quandoquidem id à Concilio manifeſtè conſtat attributum. Neque enim dici poteſt priuilegium tantùm concedi pro caſu diſtantiæ in eodem expreſſo, & in aliis iuris communis diſpoſitioni relinqui: nam id eſt incredibile alias Pontifex ſicut locutus de Eccleſiis propriis fuit, ita etiam

de

Digitized by Google

de alienis fuiſſet locutus. Quod cùm non fecerit, perſpicuum ex eo habetur id quod de propriis dixit, ad alienas modo dicto extendendum voluiſſe.

Ad prædicandum in plateis an licentia neceſſaria, aut quid aliud.

333 Quia verò Concilium de ſolis Eccleſiis propriis & alienis eſt locutum, videtur aliquibus ſine licentia aut benedictione poſſe Religioſos in plateis publicis concionari. Sic Lezana, quam adducit & ſequitur P. Pellizarius *ſuprà num.* 32. ob rationem inſinuatam. Et id quidem tenendum tamquam probabile; quod tamen aliàs eſt difficile, cùm eadem prorſus ratio, & fortè maior, in huiuſmodi concionibus inueniatur. Et quòd Eccleſiæ tantùm nominatæ ſint, proptereà fuit, quia in illis ordinariè prædicari ſolet, & ita pro communi exemplo appoſitæ ſunt. Quando autem aliquid ita in diſpoſitionibus Põtificiis aut Ciuilibus apponitur, non ſolet generalitatem coarctare, quia exempla non arctant regulam, vt eſt communis Scribentium canon, ex Gloſſa in Cap. *Quod Dei timorem*, de ſtatu Monachorum. Pro quo Marius Antoninus *Lib.* 2. *Variarum Reſolut.* 56. *num.* 26. P. Thomas Sancius *Lib.* 1. *de Matrim. Diſput.* 59. *num.* 6. Nihilominus quia probabile eſt quod citati Scriptores dicunt, illius ratio reddi poteſt ex eo quòd prædicatio in plateis, compitis, ſcalis furcarum, & ſimilibus, non fit cum cæremoniis ſacris, neque vt res ſacra tractatur, ſicut ea, quæ fit in Eccleſiis, in quibus benedictio à Celebrante petitur, & Miſſæ officium interrumpitur. Et licet in Eccleſiis ſine prædictis etiam prædicari contingat, vt in concionibus veſpertinis: quia tamen illæ eiuſdem ſolent auctoritatis reputari, & quandoque maioris, videanturque eſſe veſpertini Officij complementum, pro illis eſt etiam benedictio requiſita. De lectionibus autem ſacris alia videtur eſſe ratio, ſicut & de exhortationibus, quæ non in ſuggeſtu, ſed ſedendo haberi ſolent. Sed cùm benedictio facilè haberi poſſit generaliter ad prædicationem, non eſt circa hoc cum tot limitationibus procedendum. Et hoc circa prædicationem hic interim dictum ſit, vbi tamen de Confeſſariorum approbatione agimus, quia ob connexionem in eadem clauſula, conueniens viſum eſt connexa etiam explicationis fibula præbuiſſe.

Ratio cur neceſſaria non ſit, iuxta probabilem ſententiam.

Aſſertio 2. Priuilegio dicto aliquid concedi, per commune non licitũ.

334 Dico ſecundò. Prædictum priuilegium aliquid concedit, quod per priuilegium Societati commune non liceat. Huius tenor ſic habet verb. *Confeſſarius* §. 2. *Confeſſarij noſtri, ac Prædicatores ab aliquo Ordinario ſemel approbati, & à ſuis Superioribus ad huiuſmodi munera deputati, quandocumque, ſiue mari, ſiue terrâ, iter faciunt, poſſunt, non repugnantibus tamen Curatis Parochialium Eccleſiarum, verbum Dei prædicare, & quorumcumque Chriſti fidelium Confeſſiones audire; dummodo id non faciant in oppidis aut locis, in quibus Ordinarij exiſtunt, niſi eorum licentiâ deſuper obtentâ. Gregorius XIII. pag.* 146. *& ſeq.* Eſt Bulla quæ incipit *Decet Romanum die* 3. *Maij. Ann.* 1575. in primis priuilegium hoc tantùm eſt pro itinerantibus: vnde non itinerantes aliter ſe gerere debent, vt in Inſtructione dicitur, quando ſcilicet aliqui ad Miſſionem tendunt in aliquâ diœceſi faciendam: *per eam enim excurrere non debent, antequàm rectà ad Epiſcopum, vel eo abſente, ad eius Vicarium tendant, illi ſe offerant, & facultatem fructificandi obtineant: quod ſi longè abſint, petant per litteras.* Sic Inſtructio. Priuilegium autem Indicum generale eſt, & etiam ad eos, qui in loco aliquo degunt, extenditur, ſi diſtantia ea ſit, quæ in eodem explicatur. Cùm tamen alibi, etiamſi plus diſtent, licentiam petere teneantur.

Priuilegiũ commune.

Inſtructio circa degentes in aliquo loco.

Inuitis Parochis, poſſe in Indijs prædicari, &c. ſed nõ expedire regulariter.

335 Deinde. In priuilegio Gregorij dicitur miniſteria dicta poſſe exerceri ab itinerantibus, *non repugnantibus tamen Curatis Parochialium Eccleſiarum*; quod in priuilegio Innocentij non habetur: vnde in rigore videtur ita fieri poſſe, quidquid de conuenientiâ ſit. Neque inſolitum eſt vt priuilegia hoc modo concedantur, aliqua enim talia inueniuntur, vt videri poteſt apud P. Pellizarium *ſuprà num.* 33. vbi de prædicatione, in quo plus videtur difficultatis eſſe, determinant. Et ratio eſt obuia: quia Summus Parochus omnium Eccleſiarum eſt Pontifex, & ita inferioribus ſibi pleno iure ſubiectis prorſus inuitis, in ſuâ domo poteſt Religioſis talem licentiam dilargiri. Eâ tamen non vti conuenientius erit regulariter loquendo: quod quidem in Regulis eorum, qui in Miſſionibus verſantur, ita habetur: quandoquidem ſi ſecus fiat, neque fructus miniſteriorum talis eſſe, qualis à Societate expetitur, poterit, neque ſine populorum ſcandalo eâ in concertatione procedi. *Eoſque omnes, tam Eccleſiaſticos, præcipuè Parochos, quàm Sæculares, quorum auctoritate aut fauore opus habent, beneuolos ſibi facere ſtudeant.* Sic Regula 7. Quod licet in Miſſionibus, & aliàs, ita regulariter ſeruandum ſit; caſus tamen occurrere poteſt, in quo liceat Religioſis traditâ ſibi à Pontificibus vti laudabiliter poteſtate: ſin minùs Parochorum contradictionibus irrationabiliter obtruſis, eorum priuilegia poterunt reddi prorſus inutilia, & Dei gloria, atque animarum ſalus multipliciter impediri. Videatur Bonacina *Tomo* 1. *Diſputat.* 5. *Puncto* 4. *numer.* 18. §. *Hinc ergo*, & alij apud ipſum.

Regula Miſſionariorum.

Aliquando poſſe expedire.

Etiam poſt mutatum domiciliũ non eſt neceſſaria approbatio ab eodem Epiſcopo.

336 Prætereà. Quia difficultas eſſe poteſt an approbatus ab aliquo Epiſcopo, ſi à diœceſi abeat, & poſt diuturnam in alio loco habitationem redeat eodem viuente, nouam licentiam petere debeat. Licet communiter negent Doctores, & ita praxim habere affirmet P. Pellizarius *Tract.* 8. *Cap.* 3. *num.* 40. poſt P. Fagundez *Lib.* 7. *in* 2. *Eccleſiæ Præceptum Cap.* 2. *num.* 20. vbi plures adducit: Per priuilegium Indicum omnis tollitur ambiguitas, vt patet ex verbis illis: *Vlteriùs licentiam & approbationem ab aliis Epiſcopis, quatenus diſtent per duas diœtas, petere aut habere minimè teneantur.* Pro aliis ergo Epiſcopis illud conceditur, cùm pro eodem nihil tale neceſſarium ſupponatur. Siue ergo ille diſtet per duas diœtas, ſiue non, vlterior recurſus pro licentia ad diœceſim reuertenti, etiam poſt mutatum domicilium, neceſſarius non eſt. Quod & ſequentia indicant, ibi, *Alterius Ordinarij.* Et addo videri ex præfatis ſequi habentem approbationem ab Epiſcopo, ſi in aliam diœceſim tendat, ad quam ille promotus eſt, nouâ non indigere cùm alius Epiſcopus abſolutè non ſit, & ſufficientia approbati ſit illi omnino perſpecta. Sed hoc non eſt adeò certum, vt prius illud.

Caſus magis ſpecialis.

337 Immò ſi alius Epiſcopus in diœceſi ſit,

ad

Neque à ſucceſſore, juxta veroſimilem Priuilegij intellectũ.

ad quam pro eâ approbatus reuertitur, non eſſe nouam licentiam neceſſariam, ex eiuſdem priuilegij tenore deduci videtur. Nam verba illa, *Ab alijs Epiſcopis*, verificantur viuente eo, qui licentiam dedit: atqui illi ſunt Epiſcopi aliarum diœceſium: ergo de illis intelligendum eſt priuilegium. Et quidem cùm fauorabile ſit, ita interpretandum venit, iuxta dicta non vno in loco. Præſertim quia ſententia valde probabilis eſt ſic reuertentem non indigere nouâ approbatione, etiamſi Epiſcopus mortuus ſit, & ſucceſſor datas à prædeceſſore licentias minimè reuocarit. Sic Nauarrus, Rebuffus, Antonius Gabriel, & alij, quos adducit & ſequitur P. Fagundez *ſuprà*; iunctis iis, quæ habet *num.* 34. P. Pellizarium *num.* 40. & colligitur ex doctrinâ aliorum, qui cùm dicant eum, qui reuertitur viuente Epiſcopo, non indigere nouâ approbatione, etiam generaliter aſſerunt morte approbantis non expirare approbationem, apud Patrem Fagundez *ſuprà*: pro quo & plures adducit Bonacina *ſuprà*, *Puncto* 3. *numer.* 2. & eſt receptiſſima ſententia. Et ſucceſſorem non poſſe examinare aut ſuſpendere examinatum & approbatum à prædeceſſore, niſi in caſu particulari, tenent etiam ij, quos adducit Diana *Parte* 11. *Tractat.* 8. *Reſolut.* 52. in quibus eſt P. Dicaſtillus. Quandoquidem ergo ſine priuilegio aliquo reuerſus ad eumdem Epiſcopatum nouâ approbatione non indiget, non eſt mirum ſi ad id priuilegium dicamus extendi, vt ſcilicet id certiùs liceat, Sicut de priori caſu dicebamus, quia mutatione domicilij videtur licentia penitus diſperire.

Immò & ſine priuilegio, juxta multorum ſententiã.

Aſſertio 3. numquam eſſe neceſſariam duplicem licentiam Ordinarij.

338 Dico tertiò. Non eſt neceſſaria vmquam duplicis Ordinarij approbatio aut licentia ad audiendas Confeſſiones. Hanc Aſſertionem propono priuilegij explicandi gratiâ, in quo oppoſitum videtur indicari. Sic enim in eo dicitur: *Si verò Epiſcopus ab Eccleſia, vel loco, vbi prædicatur, vel Confeſſiones audiuntur, non diſtet vltra prædictas duas diætas, tunc licentia etiam alterius Ordinarij ita vicini priùs obtineri debeat.* Vbi cum alterius Ordinarij ab eo, qui licentiam conceſſit, etiam obtinenda dicatur, duæ videntur licentiæ prærequiri. Cùm enim dicitur, *ſi Epiſcopus non diſtet*; dicendum in ſequentibus videbatur, *Tunc licentia eius priùs obtineri debeat.* Non tamen ſic dicitur, ſed *Tunc licentia etiam alterius Ordinarij ita vicini, &c.* ergo eſt vnus & alter reſpectu eiuſdem. Sed certè alius eſt priuilegij ſenſus, licèt verbis potuerit clarioribus illius forma componi: ſcilicet ſemel approbatum ab vno Epiſcopo, ab aliis per duas diætas non diſtantibus etiam debere licentiam obtinere. Cùm ergo dicitur: *Si verò Epiſcopus ab Eccleſia, vel loco non diſtet*, non eſt ſermo de Epiſcopo, qui licentiam conceſſit, ſed de eo, qui non diſtat à loco, vbi miniſteria exercentur, de quo proximè ſermo præceſſerat verbis illis: *Approbationem ab alijs Epiſcopis quatenus diſtent, &c.* Vbi quia in plurali locutio fuerat, dicendum ſtatim videbatur: *Si verò Epiſcopi ab Eccleſia, vel loco non diſtent.* Non tamen ſic dictum, quia in ſingulari conuenientior viſa eſt. Additum tamen: *Tunc licentia etiam alterius Ordinarij, &c.* vt omnino conſtaret non eſſe ſermonem de Epiſcopo, qui licentiam conceſſerat: poterat enim exiſtimare aliquis licentiam petitam ab Ordinario, qui per duas non diſtat diætas, ſufficientem eſſe ad generalem vbique miniſteriorum functionem. Quòd autem is, qui priùs dictus fuerat Epiſcopus, ſtatim Ordinarius dicatur, obſtare nequit, quia Epiſcopus eo nomine ſolet frequentiſſimè deſignari. Pro quo tamen noua videtur difficultas emergere; an ſcilicet ſi Epiſcopus non exiſtat intra duas diætas, ſed Capitulum, aut Vicarius Generalis Sede vacante aut plenâ, priuilegium de illis intelligendum veniat, quatenus Ordinarij nomine intelligi conſueuerunt. Circa quod

Priuilegiũ Innocent X

Aſſertio 4. à Capitulo aut Vicario non videri licentiam neceſſario petendam.

339 Dico quartò. Iuxta priuilegij tenorem dicendum videtur ſolùm ab Epiſcopis, quando per duas diætas non diſtant, licentiam eſſe petendam. Et ita neque Capitulum, neque Vicarium Generalem, plenâ aut Vacante Eccleſiæ Sede pro obtinendâ illâ neceſſariò adeundum. Conſtat ex nuper dictis: nam licet in priuilegio Ordinarij mentio fiat, eo tamen nomine Epiſcopus intelligitur: ergo ab illo tantùm, & non ab aliis licentia eſt obtinenda. Benè verum eſt communem Doctorum ſententiam, & receptiſſimam praxim tenere, cùm in Concilio Tridentino *Seſſione* 23. *Cap.* 15. de Reformatione, approbationem etiam Regularium ab Epiſcopo obtinendam decernitur, nomine Epiſcopi Ordinarium intelligi, etiamſi Epiſcopus non ſit. Quando verò de priuilegiis agitur, quæ ad animarum ſalutem, propagationem fidei, & religionis incrementum conceduntur, alia ratio eſt: tunc enim ampla facienda interpretatio, & ſtandum verbis, vbi odioſum aliquid intercedit. Et in ordine ad approbationem diſcrimen aliquod inter Epiſcopum & Capitulum, ac Vicarium neceſſariò eſſe conſtituendum, multorum Doctorum ſententia eſt, dum dicunt, Capitulum quidem, ſi de rigore iuris loquamur, reuocare poſſe licentias Regularibus conceſſas ad prædicta miniſteria: attentis autem priuilegiis non poſſe, de quibus P. Fagundez *ſuprà num.* 28. P. Pellizarius *Cap.* 3. *num.* 44. cum aliis. P. Martinon *Tomo* 5. *Diſput.* 53. *num.* 74. Idem autem eſſe de Vicario ſatis videtur manifeſtum, qui Capitulo habetur inferior: & ita non poſſe Regulares ſuſpendere à munere Confeſſiones audiendi, ſicut poteſt Epiſcopus in caſibus permiſſis, tenet cum aliis Diana *Parte* 3. *Tractat.* 2. *Reſolut.* 27. *& Parte* 8. *Tractat.* 7. *Reſolut.* 94. Regularem etiam, qui benedictionem ab Epiſcopo accepit ad prædicandum in Eccleſiis ſui Ordinis ſi moriatur Epiſcopus, non teneri ad benedictionem à Vicario petendam, & proportionaliter idem in approbatione ad Confeſſiones audiendas euenire, tamquam probabile cum doctis Neotericis tenet P. Pellizarius *ſuprà Cap.* 4. *num.* 9. Non ergo mirum videri debet ſi per priuilegium Indicum, cùm ex eorum genere ſit, quæ magis eſſe ſpecialia congruit, tale aliquid concedatur. Cùm aliàs conſtans aliquando ſententia fuerit Religioſos in Indiis ſine approbatione Epiſcoporum potuiſſe Confeſſiones audire, ſic intellectâ Pij V. ampliſſimâ conceſſione, & Pontificũ aliorũ. Stante ergo neceſſitate Epiſcopalis approbationis, quòd circa Capitulum & Vicarium aliquid ſpeciale indultũ ſit, non debet vt abſonũ reiectari.

Circa multa diuerſã eorum eſſe rationem.

340 Dico

Aſſertio 5. circa licentiam per epiſtolam. Vbi quid ſpeciale cõcedatur, cùm aliàs id liceat.

340 Dico quintò. Quod in priuilegio tandem dicitur verbis illis: *Quæ tamen per epiſtolam etiam impetrari poſſit*; licentia inquam; attento eiuſdem tenore, de licentia intelligendum videtur, quæ iam approbato conferri ab aliis Epiſcopis poteſt. Cùm ergo aliquis primò ad audiendas Confeſſiones à Superioribus exponitur, aliter videtur dicendum: debere inquam comparere, quia aliter iudicium efformari de ſic expoſiti ſufficientiâ ab Epiſcopo poteſt, ac de eo qui tunc primò ad miniſterij dicti difficile exercitium accedit. Quo pacto nihil videtur ſpeciale per priuilegium haberi; cùm tamen valde ſit veroſimile pro ſpeciali aliquâ gratiâ fuiſſe conceſſum: id enim, dum clarè aliud non conſtat, ſemper debemus æſtimare. Poſſe namque licentiam per epiſtolam obtineri certa res eſt, vnde & in Adnotatione ad §. 2. verb. *Confeſſarius*, in Compendio communi id tamquàm certum ſtatuitur, vt vidimus, *num.* 334. verbis illis: *Quòd ſi longè abſint, petant per litteras*: quod & expreſsè deciſum ab Innocentio X. in citato Breui, contra id, quod Angelopolitanus Epiſcopus contendebat. Immò & ore tenus. Ideò dicendum videtur Epiſcopos non debere ſic petentes ad comparendum obligare: licèt enim ex diſpoſitione Concilij *citato Cap.* 15. examinare poſſint etiam Regulares, & ita non comparentibus approbationem denegare: in caſu autem dicto, cùm abſolutè de ſufficientiâ conſtat, neque ſit quidquam in contrarium, meritò vult Pontifex vt licentia ſic petenti tribuatur. Et quidem Concilium ad habendam idoneitatis notitiam, non requirit examen, vnde addit: *Aut aliàs idoneus iudicetur*, in quo magna eſt latitudo. Videatur P. Fagundez *ſuprà, num.* 70. Poteſt ergo ſic petentem idoneum aliàs iudicare, quo pacto concedere licentiam præſenti deberet. Pro quo videndus P. Martinon *ſuprà num.* 39. ergo & abſenti, ſi non eſſet commoditas acceſſus. Quid ergo mirum ſi Pontifex ad conceſſionem obliget, in quo vix onus aliquale Epiſcopis imponitur, pro quorum exonerandâ conſcientiâ Societas noſtra deſudat? Si præſertim addamus opinionem eſſe multorum ſemel approbatum generaliter, vlteriori approbatione non egere, niſi ad alium Epiſcopatum accedens approbatione habitâ vti prohibeatur: pro quâ militat P. Bauny *Tomo* 1. *Tract.* 4. *Quæſt.* 4. §. *Dico primò*, vbi alios pro eadem adducit. Vbi licet de Sacerdotibus aliis loquens, id ita temperet, vt in Epiſcopatibus aliis Confeſſiones audire nequeant, niſi à Parochis inuitati, quia præter approbationem debent eis oues aſſignari, & in poteſtate approbantis non fuit alienas committere, quamuis iudicium illius de idoneitate vniuerſalem efficaciam habeat, ſicut habent alia authentica inſtrumenta. Circa quod omnino conſentit P. Dicaſtillus *Tractatu* 8. *Diſput.* 10. *Dub.* 9. omnino & videndus. In Religioſis autem aliam dicit eſſe rationem, quibus à Pontifice iuriſdictio tribuitur dependenter ab approbatione: qui vniuerſalis Paſtor cùm ſit, omnes illis poteſt oues commendare. Pro quo præſertim *in fine*, cum Mag. Candido, quem citat, *de Confeſſione, Diſquiſit.* 24. *art.* 5. *Dub.* 9. & de quo etiam P. Martinon *num.* 39. *citato.* & P. Amicus *Tomo* 8. *Diſput.* 15. *num.* 123. cum limitatione quadam, de quâ & P. Ægidius *Diſput.* 8. *Dub.* 7. & Innocentij X. Decreto conformi. Et P. Leſſius *circa Additiones D. Thomæ q.* 8. *num.* 17. Nec non Hieron. Pharaonius *Tract.* 1. *Seſſione* 17. *Caſu* 15. vbi ex Quaranta ſpeciale priuilegium etiam adducit, & alij apud Dianam *Parte* 10. *Tract.* 14. *Reſolut.* 23. Vbi ergo opinio talis eſt, huc uſque non penitus improbata, quidquid dicat Dom. Reyna *Tomo* 1. *de Perfecto Prælato, pag.* 89. non debet DD. Epiſcopis intolerabile videri, ſi minimum aliquid ex illâ, ratione priuilegiorum in Indiis licere Religioſis aſſeramus.

Quando nequeant Epiſcopi eos qui licentiã petunt, ad comparendum obligare.

Semel approbatum poſſe vbique ex Parochorũ conſenſu Confeſſiones audire, multorum opinio. Circa quod amplior Religioſorum facultas, quia ſine licentia illorũ poſſunt.

In Indijs neceſſariã non eſſe Ap. Regularibus Epiſcoporum approbationẽ ſententia aliquorũ.

341 Et cùm ſententia dicta ita generalis fuerit, non equidem minùs veroſimile reputari debet quod docti aliqui circa Indias cenſuerunt: non inquam eſſe neceſſariam Ordinariorum approbationem, ſed Superiorum Religionis, ad quos ſpectat Confeſſarios approbare. Quod quidem in Societate faciliùs oſtenditur, & per communicationem ad Ordines alios deriuandum. Paulus enim III. priuilegium eidem conceſſit, de quo Compendium Indicum verb. *Abſolutio*, & Nos *ſuprà, n.* 293. & 294. in quo Generali facultatem tribuit mittendi in terras infidelium, & concedendi item facultatem eiſdem vt fideles ibi commorantes abſoluere poſſint à caſibus ibidem expreſſis. *Conceſſâ ſibi facultate ab eodem Præpoſito fideles ibi commorantes, confeſſione ſuorum peccatorum auditâ, &c. abſoluere.* Verba priuilegij ſunt: vbi quidem Epiſcoporum mentio nulla, ſicut neque in Adnotationibus. Nec mirum eſt à Pontifice non adiectam, quia cùm priuilegium dictum ante promulgationem Concilij Tridentini fuerit, quando licentia & approbatio Epiſcopi neceſſaria non erat, neque erat cur addi debuiſſet. Hoc autem priuilegium poſt Concilium vim ſuam retinuiſſe ex eo conſtat, quòd non ſolùm à Iulio III. qui etiam Concilij promulgationem anteiuit, ſed etiam à Gregorio XIII. pro maiori eſt cautelâ conceſſum, vt vidimus *citato num.* 293. & quidem cum omnibus ſuis qualitatibus, vt verba illa eiuſdem indicant: *Prout per dictos prædeceſſores conceſſa fuit.* Dictio enim *Prout*, eſt relatiua & repetitiua omnium qualitatum præcedentium, vt tenent multi quos refert & ſequitur Ioannes Garcia de Hiſpanorum nobilitate *Titul. Diuiſio, num.* 51. Verba etiam illa, *pro potiore cautela*, continere nouam conceſſionem tenet Rota cum alijs *Parte* 2. *ex libro Deciſionum nouiorum Deciſione* 36. *num.* 7. Quod & ſatis declarant verba illa: *De nouo concedimus.* Pro quo etiam faciunt ſupplicationis verba in eadem Bullâ inſerta, dum dicitur: *Ipſe quoque Præpoſitus, & Presbyteri Societatis huiuſmodi, pro tempore, & locorum ratione eamdem facultatem confirmari ac aliàs de nouo ſibi concedi deſiderant*, ſic ibi. Et licet Concilium dicat, *Priuilegijs non obſtantibus*, per id non excluduntur priuilegia poſt ipſum concedenda, ſed ante illud conceſſa: & ita eiſdem ſtantibus non requiri Epiſcoporum approbationem, tenet Corduba *in Summâ, quæſt.* 10. *dub.* 3. P. Suarez *Tomo* 4. *in* 3. *p. Diſput.* 28. *Sect.* 4. *num.* 9. & alij. Quamuis autem idem Gregorius in Bullâ citatâ mentionem faciat approbationis Epiſcoporum, dicens vnius ſufficere; id quidem non eſt ad conceſſionem pro Confeſſariis referendum, pro quo non erat noua neceſſaria conceſſio, ſed ad alia ibidem

Priuilegiũ Pauli III.

A Gregor. XIII. confirmatum.

Concilium non excludere priuilegia concedenda.

Digitized by Google

ibidem contenta de miniſteriis prædicationis, ac Miſſarum celebrationis. Neque obſtat conceſſionem illam fuiſſe temporalem, quia reuerà quoad hoc perpetua fuit, quatenus priorem Pauli Tertij cum ſuis confirmat qualitatibus, quarum vna eſt perpetuitas, quidquid de conceſſione in ordine ad alia ſit.

Quid ſententia prædicta obſtat, quã aliquando in vſu.

342 Et hæc quidem P. Ioannes Perez Menacho in explicatione priuilegiorum ad Compendium Indicum. Verb. *Abſolutio, Dub.* 4. quæ cùm veroſimilia appareant, niſi aliquid aliàs occurreret, propter quod aliter ſentire neceſſarium ſit, poſſent ſine ſcrupulo recipi, & generaliter practicari, ſicut factum in his Prouinciis: licet ob reuerentiam Epiſcoporum, noui Sacerdotes eiſdem ſolerent à Superioribus præſentari. Vnde cùm *Anno* 1618. Venerabilis memoriæ P. Didacus Aluarez de Paz tunc Prouincialis, Neomyſtæ mihi licentiam ad audiendas confeſſiones daret, addidit præſentatum me cum aliis pariter Ordinatis Illuſtriſſimo D. P. Bartholomæo Lobo Guerrero, Archiepiſcopo Limano, licet non eſſet neceſſarium. Illius enim Prælati ſingularis in Societatem affectio, & amabilis comitas, id ſanè promeruit, vt erga eum officia aliàs non debita Societas frequentaret. Sed occurrit certè quod ſententiam compulerit aliam amplexari, quia ſcilicet R. P. N. Generalis præſentationem faciendam eſſe præſcripſit: inſtantibus enim Epiſcopis ſic fieri conueniens viſum eſt, vnde & priuilegij vſus, ſi verè legitimus, eatenus limitatus. Sic etiam videntur ſenſiſſe Pontifices: nam Gregorius XIII. in citatâ Bullâ confirmans Pauli Tertij conceſſionem, vnius Epiſcopi approbationem ſufficientem ſtatuit, & gratiam huiuſmodi voluit eſſe temporalem. Et ita Societas intellexit, addens in margine priuilegij Verb. *Confeſſarius*, duraſſe tantùm vſque ad annum 1603. & eam quidem cum eâ amplitudine nullus poſteà Pontifex concedere voluit, ſed cum limitationibus, de quibus *ſuprà*.

Diſpoſitio R. P. Generalis.

Mens Pontificum.

Cum qualitate perpetuitatis non eſſe confirmatam conceſſionem à Greg. XIII.

343 Velle autem illam eſſe perpetuam ob rationem illam, quòd ſcilicet per eam conceſſio Pauli & Iulij confirmetur, prout ab illis confecta fuit, & ita vt perpetua, difficillimum ſanè apparet, quia cùm perpetuitatis qualitas ab eodem denegata ſit, qui ſtare queat, vt ſecundùm eamdem priuilegium dictum voluerit confirmare? Generi ergo per ſpeciem derogatum, iuxta vulgarem regulam: neque conceſſio ad id extendenda, pro quo ſpecialiter eſt prouiſum. Cap. *Si propter*, de Reſcriptis in 6. vbi Doctores, & pro quo ſpecialiter Calderinus *Conſilio* 1. & Horatius Mandoſius, *de priuilegiis ad inſtar. Gloſſa.* 8. *n.* 6. & pro eodem eſt. *l. Doli. D. de verbor. ſignificat.* in qua ſic dicitur: *Clauſula, quæ in ſtipulationibus ſubiicitur, non pertinet ad eas partes ſtipulationis, in quibus nominatiuè cauetur.* Vbi Gloſſa Verb. *Cauetur*, ſic ait: *& nota generale Verbum non pertinere ad ea, de quibus nominatim cauetur:* quod ex variis iuribus illuſtrat. Quæ quidem & alia meliùs & vrgentiùs in hanc partem aduocantur, quàm vt per illa oſtendatur limitationem in conceſſione Gregorij non eſſe ad Confeſſionum auditionem trahendam, quia de illâ dictum fuit: *Prout per dictos Prædeceſſores confecta fuit.* Vbi quidem doctrina prædicta non ſine violentia videtur applicari. Satiùs quidem fuiſſet aſſerere conceſſionem Gregorij temporalem fuiſſe, ſed non obſtare conceſſionum aliarum perpetuitati, dum eas non reuocauit, iuxta doctrinam ſuperiùs traditam: quia priuilegia dicta non ſunt per Tridentinum reuocata, quod de Indiis, & remotiſſimis partibus non egit, in quibus neceſſarium eſt ſpecialiùs prouideri. Vide *infra num.* 484. Vbi & accommodari nuper tradita doctrina poteſt, in generali inquam diſpoſitione non venire ea, de quibus ſpecialiter eſt prouiſum; quando ſcilicet ad ita prouidendum peculiares rationes occurrunt. Extat etiam pro neceſſitate dictâ Breue Innocentij X. de quo *num.* 181.

L. Doli. de Verb. ſignificat.

Gloſſa.

Reſponſio contra-ria ſententia congruentior.

In Religionibus alijs priuilegiũ cum limitatione practicandum.

344 Et prædicta quidem oſtendunt non ſolùm in Societate priuilegium cum limitatione prædicta ad praxim applicandum, ſed etiam in Religionibus aliis communicationem habentibus: quia non inſiſtimus tantùm in Generalis ordinatione, ſed in vrgentibus fundamentis, propter quæ illa proceſſit. Quamquàm erunt fortè qui contendant totum hoc ad forum externum ſpectare, cùm tamen in conſcientiæ foro contrarium liceat, ob ea quæ adducit Fr. Ioannes Baptiſta in Animaduerſionibus pro Confeſſariis Indorum *fol.* 440. *& ſeqq.* vbi & pro eodem citat graues alios & doctos Magiſtros: ſunt enim priuilegia Pontificum ſic concedentia. Quod autem poſt illorum Auctorum ſcripta, & eos allegantis, qui ante *annum* 1600. ſcripſit, circa hoc videtur innouatum, cùm in gratiam Epiſcoporum fuerit, & illis per recurſum in ordine ad exterius forum videatur fieri ſatis, non eſt cur Religioſi tot Pontificum fauoribus debeant ſpoliari. Poterit ergo contra eos procedi, qui ſine approbatione deprehenſi fuerint miniſterium iſtud exercere; ſed non Cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, ſicut in citato Breui Innocentij X. declaratur. Si dicas negotium hic agi merè internum, & ſolùm ad forum conſcientiæ ſpectans, ac propterea non benè accommodari fori vtriuſque diſtinctionem, neganda eſt illatio, quandoquidem Pontifices de negotio tali loquentes, & dicta priuilegia concedentes, forum vtrumque circa illa etiam diſcreuerunt: quod & alij Scriptores agnoſcunt de hoc agentes: vnde ex eo nulla videtur repugnantia circa huiuſmodi emergere poſitionem. Veroſimilis profectò diſcurſus: ſed an verus, viderint doctiores. Ego quidem non auſerim improbabilem penitus ob reuerentiam & auctoritatem ita ſentientium pronuntiare. Cùm videamus paſſim multa vt probabilia admitti, & juxta ea praxim decurrere, quæ minori cum fundamento, & leuiori auctoritatis pondere, à ſuis ſunt auctoribus promulgata. Vide P. Eſcobar de Mendoza *Tomo.* 1. *Theol. moral. in Præloquio Cap.* 4. & Pharaonium *Tract.* 1. *Seſſione* 3. *Caſu* 14. *&* 17. Pro quo & facit, quod in Compendio Indico, Verb. *Confeſſarius*, Adnotatio ſic habet: *Poteſtas approbandi conceditur Prouincialibus.* Quod quidem ita Scriptum poſt *annum* 1603. ad quem, vſque conceſſionem Gregorij duraſſe ibidem adnotatur. Iuxta quæ illud certius Epiſcopos in approbationibus non poſſe limitationes apponere, quando in approbatis abſoluta ſufficientia comprobatur, vt quòd feminas

Solùm pro foro externo prohibitiones Pontificum procedere, quia & quæ probent.

Non eſſe id penitus improbabile.

Epiſcopus non poſſe cum Lai-

ſationibus Religioſos approbare.

feminas non audiant niſi poſt 40. annos, & ſimiles. Quod tenent Auctores à Diana adducti *Parte* 11. *Tractat.* 8. *Reſolut.* 27. & iis addendus Dom. Villaroel *Parte* 1. *Quæſt.* 6. *Artic.* 12. *num.* 8. *& ſeqq.* Vbi & quòd approbati cum limitatione ſunt eligibiles per Bullam & Iubilæum; pro quo Magiſtros Salmanticenſes adducit. Nec tamen proptereà laudandi Prælati, qui iuuenes in Eccleſiis exponunt: id quod aliquando Epiſcopos ad graues ſolet querimonias publicitùs prouocare. Nec de materia iſta plura, circa quam difficultates aliæ; nec leues, occurrunt: ſed quæ pro Indiis ſpeciales non ſunt, vnde omittendæ illæ, ne dum communia tractationi ſubiiciemus, opus immenſum moliamur. Sit ergo

Non tamen iuuenes publicè exponendos.

CAPVT XII.

De Priuilegiis Indorum circa Sacramentum Extremæ Vnctionis.

Simplex Sacerdos an poſſit oleum pro Vnctione benedicere, aut ſine benedictione conferre.

345 NVllum extat ſpeciale in Compendio Indico, præter illud, de quo, *num.* 115. *& ſeqq.* de vſu ſacrorum oleorum vltra annum. Pro vitandis autem circa hoc ſcrupulis videnda quæ habet Diana *Parte* 3. *Tract.* 4. *Reſolut.* 176. & pro Indiis facit quod ait P. Martinon *Tomo* 5. *Diſput.* 65. *num.* 16. circa poteſtatem ſimplicis Sacerdotis ad benedictionem, & quòd ſine benedictione conferri poſſit: verba illius ſunt: *Immò quia opinio Gloſſæ initio relata videtur nonnullis eſſe probabilis in praxi, poſſet Sacerdos in caſu extremæ neceſſitatis oleum ipſe benedicere, eoque moribundum inungere: aut ſi neque benedicere liceret, poſſet vti oleo etiam non benedicto. Sed ſi ægrotus ſuperuiueret, vngendus eſſet iterùm ſub conditione, propter ſecuritatem.* Sic ille. Idem cenſet probabile P. Amicus *Tomo* 8. *Diſput.* 19. *n.* 40. Neque alibi mentio magis ſpecialis occurrit, niſi quatenus generali conceſſione circa adminiſtrationem Sacramentorum comprehenditur in Bullis Adriani Sexti & aliorum. Poterit quidem conferri quoties Parochus abeſt, & infirmus periclitatur, pro quo non eſt priuilegium neceſſarium: immò etiamſi adſit, & iniuſtè neget, vt docent Auctores, quos adducit & ſequitur Diana. *Parte* 3. *Tractat.* 4. *Reſolut.* 170. *& Parte* 5. *Tract.* 3. *Reſolut.* 62. ex quibus P. Laymam *Lib.* 5. *Tract.* 8. *Cap.* 7. *numer.* 3. non ſolùm poſſe, ſed teneri affirmat, non tamen ſub mortali. Quod quidem ego in Indis non admiſerim, qui ob capacitatis defectum non ita facilè diſponi poſſunt ad habendum actum contritionis, aut ſupernalis attritionis ad Sacramentum Pœnitentiæ iuxta communem ſententiam neceſſarium: ad Sacramentum autem Vnctionis minùs aliquid ſufficere, & bona fide receptum ſine affectu ad peccatum, quod memoriæ non occurrit, gratiam conferre graues Doctores affirmant, de quo dixi *Tomo* 1. *Theologicorum Problematum, in fine*, & videri etiam poteſt P. Martinon *ſuprà num.* 36. vbi ita affirmat. Puſillos ergo iſtos tali remedio, cùm adhiberi facilè poſſit, priuare, inhumanum eſt, & à Chriſtianâ charitate penitus alienum. Neque obſtat, ſi dicatur non eſſe obligationem ſub mortali Sacramentum iſtud recipiendi, de quo Auctores apud Scriptorem citatum: & ita neque conferendi. Nam illatio iſta in aliis Sacramentis non eſt legitima: licet enim quis non teneatur intra annum confiteri, Parochus tamen, iuxta receptiſſimam ſententiam, de qua *infra*, tenetur audire, & idem eſt de Euchariſtia, ac Matrimonio, ſicut & de Confirmatione atque Ordine reſpectu Epiſcopi. Et in eodem Sacramento Vnctionis communiter tenent Scriptores: & aliqui adeò grauem obligationem agnoſcunt, vt cum periculo vitæ etiam conferendam arbitrentur. Pro quo videndus Diana *ſuprà Tractat.* 4. *citato. Reſolut.* 174. In caſu autem, de quo loquimur, ſimplex Sacerdos loco proprij ſuccedit, facturus ex obligatione charitatis, quod alius facere ex obligatione iuſtitiæ tenebatur. Pro quo & P. Martinon *ſuprà n.* 48.

P. Martinon.

Poſſe conferri, Parocho non adſtante, aut recuſante.

Circa Indos peccari mortaliter per omiſſionem.

Qualis obligatio Parochorũ generaliter circa illud.

Priuilegiũ circa adminiſtrationem pro externis, dum in domibus Religioſis infirmantur.

346 Eſt etiam in compendio communi aliquid, de quo videndum quomodo poſſit ſpecialiter ad Indos pertinere. Verbo enim *Extrema Vnctio*, ſic habetur: *Poſſunt Noſtri iis, qui intra ſepta Collegiorum, ſeu Domorum, infirmati fuerint, Extremam Vnctionem Apoſtolicâ auctoritate liberè & licitè, Parochialis Presbyteri vel alterius cuiuſq; Epiſcopi vel Superioris licentiâ vel aſſenſu nullatenus requiſito, miniſtrare. Conceſſum eſt Benedictinis, vt in Compendio Minorum. Verb. Vnctio extrema* §. 1. Sic illud. Vbi videndum præſcribitur. verb. *Sacramenta*, & Verb. *Familiares.* §. 1. *&* 2. vbi idem conceditur pro omnibus, qui in noſtris morantur obſequiis, & pro familiaribus tam intra, quàm extra ſepta Collegiorum ſeu Domorum commorantibus, atque etiam pro famulis. In Adnotatione autem ad. §. 1. Verb. *Familiaris*, ſic dicitur: *Familiaribus Extrema Vnctio poterit adminiſtrari, atque adeò iis ſolis, qui in Domibus, Collegiis, Reſidentiis, & aliis locis Societatis habitauerint.* Sic ibi. Quod quidem ad id, quod de Extremâ Vnctione dictum eſt in §. *propriò*, videtur referendum: quandoquidem ibidem dicitur videndum quod *verbis citatis* continetur. Iuxta quæ priuilegium dictum non videtur ita ad vſum adſciſcendum, vt extra ſepta nominatis in illo conferatur. Sed cùm Adnotatio pro Societatis tantùm vſu appoſita ſit, poterunt qui priuilegiorum communicatione, aut etiam directâ conceſſione fruuntur, illis vt iacet vti, ſeruatis tamen iis, quæ pro vitandâ offenſione prudentia dictauerit obſeruanda.

Adnotatio pro Religioſis aliis non vrget.

Difficultas ex eo quòd videatur viuæ vocis oraculum.

347 Verùm ne vſus liceat, obſtare aliud poteſt, quòd ſcilicet priuilegium illud videtur fuiſſe viuæ vocis oraculum, quia auctoritate Apoſtolicâ conceſſum fuit à Nicolao Franco de Latere Legato, vt ex Lezano obſeruat Diana *Parte* 9. *Tract.* 9. *Reſolut.* 36. §. *Sed hic obiter.* Et ita tamquàm oraculum proponitur in Compendio Minorum. Videtur autem Cardinalis Lugo in Adnotationibus ad Oracula Compendij communis, illius auctoritati deferre, ex eo quòd addat Verb. *Extrema Vnctio*, quaſi aduerſatiuè: *ſed conceſſum in primis fuit per Litteras Benedictinis à Nicolao Franco Nuntio cum poteſtate Legati à Latere in Regnis Caſtellæ & Legionis, vt conſtat ex Bullario Regularium apud Fr. Emmanuelem Rodriguez ſub titulo Bullæ* 42. *num.* 4. *ſub Sixto IV.* Sic ille. Sed id non obſtat: quia non potuit Auctoris dicti iudicium contra apertam deciſionem

Cardinalis Lugo vt ſatisfacere videatur.

Alij vt fa-uerant non reuocationi.

Vrbani VIII. procedere reuocantis oracula etiam à Cardinalibus authenticè roborata. Quamuis Lezana dubitet an inter oracula computari debeat: cuius fundamentum eſſe poteſt, quia vti Bulla Pontificia inter alias recenſetur. Et etiam non reuocari ea, quę à Legatis de Latere authenticata ſunt. Pro quo videri poſſunt quæ adducit P. Pellizarius *tract.* 8. *cap.* 3. *n.* 326. Non item reuocatum cenſet P. Quintanad. *Tom.* 1. *tract.* 5. *ſingul.* 4. *in fine.* Senſus ergo aduerſatiuus quidem eſt, ſed non ratione prædictâ, ſed ob id, quod ſequitur, ſcilicet Patribus Theatinis ſimile priuilegium conceſſum à Pio V. per Bullam 31. §. 17. apud Cherubinum *Tom.* 2. Itaque iuxta ipſum non obſtat illud prius, quando poſterius aliud irrefragabile in eadem cauſſâ ſuccurrit, ſicut alia, de quibus *ſuprà.* Et quidquid de illis ſit, in eo, de quo ſpecialis eſſe difficultas poteſt, miniſtrandi inquam extra ſepta, ſola allegatur Martini V. conceſſio, quæ valde diuerſa eſt ab oraculo illo Nicolai Franci auctoritate Sixti IV. In quo quidem video Auctores nonnullos æquiuocatione aliquâ laborare dum priuilegium vtrumque confundunt. Et P. Suarez *Tom.* 4. *de Religione*, *Tract.* 10. *Lib.* 9. *Cap.* 4. *n.* 16. licèt diuerſas eſſe conceſſiones admittat, nõ tamen vt certum; ſed tantùm ait diuerſas videri, quia in Compendio Benedictinorum ſub diuerſis verbis proponuntur, ſcilicet verb. *Extrema vnctio* §. 1. & verb. *Familiares*, §. 10. Vbi pro *Benedictinorum* reponendum *Minorum*, ſicut in Compendio communi habetur. Et indicium illud ex diuerſitate locorum non eſt magni momenti, quia eadem priuilegia diuerſis in locis apponi ſolent, eò quòd multa contineant, quæ ad diuerſa poſſunt verba pertinere. Ad manifeſtius ergo aliud, ad diuerſos ſcilicèt concedentes Pontifices, recurrendum.

Cardinalis citati alia eſt mens, quatenus Bulla extat conceſſionis.

Duo extare diſtincta priuilegia, quæ aliqui confundũt.

348 Non videtur autem conceſſioni illi Martini V. vllatenus inſiſtendum, quia à Concilio Tridentino *Seſſione* 24. *Cap.* 11. de Reformatione, huiuſmodi priuilegia reuocata ſunt, dum ibidem dicitur: *Exceptis tamen ijs, qui prædictis locis, atque militijs actu ſeruiunt, & intra eorum ſepta ac domos reſident, ſubque eorum obedientia viuunt.* Sic ibi. Alij ergo Ordinariorum ſubiectioni penitus ſubijciuntur. Et ita tenet P. Suarez *ſuprà*, *numer.* 12. Vbi licet Concilij Decretum ad hoc referendum cenſeat: addit tamen per priuilegium Pij V. de quo Fr. Emmanuel *Tomo* 1. *qq. regular. quæſt.* 56. *articul.* 14. & in Compendio communi Societatis. Verb. *Concilium Tridentinum*, §. 3. ſic dicitur: *Poſſumus vti in foro conſcientiæ omnibus gratijs per conceſſiones Pij V. Minoribus conceſſis, etiam quoad illas ex eis, quæ ſunt reſtrictæ, ſeu derogatæ per Concilium Tridentinum, prout eiſdem conceſſit ipſe Pius V. viuæ vocis Oraculo, &c.* In Adnotatione autem ſic additur: *Quæ hoc §. dicuntur, intelligantur de occultis, ſeu non manifeſtis. Nam pro huiuſmodi tantùm fieri ſolent ſimiles conceſſiones viuæ vocis oraculo.* Sic ibi. Per priuilegium inquam tale ea licere, de quibus agimus, in foro conſcientiæ: addens tamen quòd ſi Parochi aliquod ſibi ius circa huiuſmodi perſonas vendicare vellent, & in exteriori foro illud poſtularent, non poſſet eis reſiſti, virtute priuilegiorum, niſi quatenus per Concilium Tridentinum non ſunt reſtricta: quamdiu autem ipſi non reſiſtunt, tutâ conſcientiâ poſſumus vti priuilegijs iuxta conceſſionem Pij V.

Priuilegiũ Martini V. videri à Tridentino reuocatũ.

Compendium commune.

In foro cõſcientiæ validum iuxta P. Suarium.

349 Circa quam Eximij Doctoris doctrinam ſic ait P. Pellizarius *ſuprà*, *numer.* 325. *Qui tamen attentâ reuocatione viuæ vocis Oraculorum, de quâ ſuprà, improbabiliter docet præfatum Decretum Concilij Tridentini non obſtare quominùs Religioſi Societatis, immò & aliorum Ordinum participantium de ipſorum priuilegijs, poſſint miniſtrare extremam vnctionem etiam familiaribus non habitantibus in eorum domibus, &c.* Debuit tamen attendere dictus Auctor P. Suarium non ſcripſiſſe poſt reuocationem Oraculorum, & ita ſatis probabiliter locutum. Immò etiamſi dicamus poſt reuocationem dictam ſcripſiſſe, non debuit eius aſſertio improbabilis pronuntiari, propter ea, quæ Auctor idem adducit *Tractatu citato*, *Cap.* 1. *numer.* 150. & *ſeqq.* potuit enim priuilegium dictum non reuocatum cenſeri, quia poſt illius conceſſionem Bullæ aliorum Pontificum confirmantium & innouantium priuilegia omnia prodierunt, vt videri apud eumdem poteſt. Quod ſi P. Suarius improbabiliter locutus, cur non etiam eamdem notam Compendio Societatis inurit, quod priuilegium dictum citato loco proponit? Illud ergo minùs circumſpectè dictum, ſicut & priuilegium Benedictinis circa miniſtrandam vnctionem à Nicolao V. conceſſum, cùm à Martino V. conceſſum ſit, vt in Compendio dicitur. Extat autem priuilegium Nicolai V. familiaribus Hieronymianis conceſſum, de quo Portel *Tomo* 1. *V. Famuli*, ſed ad alia. Aliud item eiuſdem pro Hoſpitalibus Religioſorum, vide apud Dianam *Parte* 8. *Tractat.* 7. *Reſolut.* 95. quod pro cauſſâ præſenti non facit.

Improbabiliter locutũ malè aſſerere P. Pellizarium.

350 Pro quo item arguo: nam P. Suarez *citato num.* 16. quem ſequitur idem P. Pellizarius *ſuprà num.* 326. & alij affirmant ei, qui intra domum Religioſam in morbum incidit, etiamſi, neque famulus, neque familiaris ſit, poſſe vnctionem miniſtrari, ob priuilegium citatum conceſſum Benedictinis à Sixto IV. de quo *numer.* 356. Cùm autem à Concilio exigatur actuale ſeruitium, & commemoratio intra ſepta, & quòd tales ſub obedientia viuant eorum, dubitari meritò poteſt quomodo tale priuilegium non ſit reuocatum. Ad quod quidem P. Suarez nihil reſpondet, ſed tantùm explicat conuenientiam conceſſionis, & quòd Societati poſſit eſſe valde accommodatum, de quo *inferius*: ergo quod attinet ad reuocationem, Concilium non videtur vrgere, quia de illo, & ſimilibus non procedit. Deinde. Diſcurſus eiuſdem Patris *à num.* 13. hoc etiam conuincit: ait enim ibi quòd ſeclusâ etiam conceſſione Pij V. ſtare poteſt vſus priuilegij Pauli III. ſicut in Societate circa illud habetur diſpoſitum, vt conſtat ex Adnotatione citatâ ad §. 1. verb. *Familiares*: quod ſcilicet intra domos Societatis commorentur, & intra ſepta contingat infirmari. Quòd autem non ſit neceſſarium vt familiares ſint, & ita etiam debeat intelligi priuilegium Pauli III. colligit ex priuilegio citato Benedictinis conceſſo, in quo familiaritatis nulla eſt mentio. Iuxta illum ergo, etiam ſecluſo Pij V. priuilegio, ſtat dicta conceſſio: ergo non eſt per

Pro illo clara tamen arguitur ex conceſſione quam admittit, circa ægrotantes intra ſepta etiamſi non ſint familiares.

Con-

Digitized by Google

Inde procesſione vrgetur agrotantium extra ſepta.

Concilium reuocata: vnde recurrendum ad rationem à nobis adductam, quòd ſcilicet Concilium de huiuſmodi priuilegiis non loquatur. Ex quo etiam ſequitur priuilegium Martini V. de adminiſtratione etiam extra ſepta non eſſe reuocatum, quia vt ait idem Doctor Eximius *num.* 15. vbi illud adducit, familiaritas, & compellatio domeſtici eſſe poteſt, etiamſi quis non habitat intra ſepta Monaſterij: & cùm ex vi priuilegij non petatur commoratio intra domos Religioſas, licebit certè per illud: quod tamen in Societate prudenter non admiſſum, vt iam vidimus.

P. Pellizarij non ſibi conſtare doctrinam.

351 Pater autem Pellizarius cùm P. Suarium pro ſuâ citet aſſertione, illius videtur amplecti doctrinam. Nec potuit conceſſioni Pij V. aſſertio eius inniti, quia eam reuocatam contendit, *n.* 325. de quo & Nos *ſuprà*, *n.* 349. neceſſariò ergo debet ad illud haberi recurſus, quod contendimus, ſcilicet à Concilio conceſſiones huiuſmodi minimè reuocatas. Quàm autem conſequenter dictus loquatur Auctor non eſt cur anxiè proſequamur, ſi ea, quæ *cit. n.* 325. *&* 326. habet ille, inter ſe componantur. In priori enim contendit duas conditiones à Concilio requiſitas debere ſeruari, & P. Suarium, qui conditionem de habitatione intra ſepta non eſſe neceſſariam dixit ob priuilegium Pij V. improbabiliter id aſſerit docuiſſe. In poſteriori autem idem quod P. Suarez de non neceſſaria conditione illa prorſus admittit, ob priuilegium illud conceſſum Benedictinis, de quo in Compendio. Verb. *Extrema vnctio.* Addens cum Miranda non reuocatum reuocatione Oraculorum, quia fuit per Legatum à Latere Apoſtolicâ auctoritate conceſſum. Sed cùm Concilium priuilegia reuocet, vt ipſe fatetur; quomodo ſtare poteſt, vt priuilegium illud Legati auctoritate firmatum, reuocatum non ſit, quando generaliter conceſſa & concedenda reuocantur? Viderit ipſe quid dicturus ſit: Nos ratione iam redditâ conquieſcimus.

Conc. Tridentinum non obſtare, & de quibus priuilegiis loquatur.

352 Sed oportet vt eam ſatis efficaciter comprobemus, & ſic P. Suarium defendamus, non iam inſiſtendo conceſſioni dictæ Pij V. ſed quia Concilium Tridentinum neutiquam videtur obſtare, non enim loquitur de priuilegiis circa prædicta, ſed de iis ratione quorum aliqui à iuriſdictione Ordinariorum penitus eximuntur, ſeruitiis quibuſdam exemptorum addicti, ex quo fit quòd priuilegia talia *exemptis occaſionem laxioris vitæ præbere dignoſcuntur*, vt ibidem habetur. Hìc autem de exemptis non loquimur, ſed de ſubditis Ordinariæ iuriſdictioni, qui tamen propter ſpecialia obſequia Religioſis præſtita, aut decentiam eorum domibus congruentem, ne ſcilicet Parochi in eas Sacramenta miniſtraturi ingrediantur, fauore aliquo per benignitatem Apoſtolicam potiuntur. Et hæc eſt mens Societatis, Patrum inquam Generalium, ac eorum, qui concinnando Compendio communi operam ſedulam, viri ſanè eruditiſſimi, contulerunt. Priuilegia enim in eo, vt vidimus, proponuntur nullâ Concilij Tridentini factâ mentione, aut remiſſione ad ea, quæ *in* §. 3. de illo extare perſpeximus. In Adnotatione autem ad §. 1. verb. *Familiares*, ſic habetur: *Extra ſepta verò cum illis periade atque cum alijs agatur, prout habetur.* Verb. *Sacramenta.* Sic ibi. Quæ limitatio non additur vt Decreta à Tridentino; ſed quia cùm priuilegium Martini V. præmiſſum fuiſſet, per quod Sacramentorum adminiſtratio etiam extra ſepta conceditur, noluit Societas eâ in parte eodem frui, ob vitandam Ordinariorum offenſionem. Quòd ſi vſum alium contrarium Tridentini diſpoſitionibus cenſuiſſet, non vtique eam propoſuiſſet abſolutè, & aliter Adnotatio procederet, vt intelligeretur talem vſum non licere. Sed iam ad alia, quæ ad Indias poſſunt ſpecialiùs pertinere.

Compendium commune.

In Seminariis alumnorum poſſe vſum priuilegij ſuſtineri, qui & qua oſtendant.

353 Sunt in illis Indorum Collegia aut Seminaria curæ Societatis & gubernationi commiſſa. Et dubitari meritò poſſet an priuilegiorum dictorum vſus poſſit ad illos extendi. Circa quod, de Seminarijs Generaliter loquendo, reſpondet P. Pellizarius *ſuprà numer.* 328. quòd ſi extra Monaſteria ac proprias domos ſint, illis poteſt vnctio ſacra adminiſtrari ex priuilegio Martini V. citato: quia alumni reuerà veniunt nomine Familiarium; quo vti poſſunt alij Religioſi. In Societate verò id non licere ob limitationem additam ad Familiares, qui in Domibus, Collegiis, Reſidentiis, & aliis locis Societatis habitauerint. Supponit ergo pro certo illis, ſi in prædictis Seminarijs ſint, vnctionem poſſe conferri, quia familiares ſunt, & intra ſepta. Quod & tenet P. Quintanad. *Tomo* 2. *ad* 4. *Eccleſiæ Præceptum, Singulari* 33. *num.* 3. & pro eodem deſeruire poſſunt quæ ex Bordono adducit Diana *Parte* 8. *Tractat.* 7. *Reſolut.* 95. vbi infirmos in Hoſpitalibus Regularium de eorum dicit eſſe familiâ in ordine ad Sacramenta: quod plus eſt quàm id, quod de alumnis Seminariorum præfati determinant.

Obiectio ex ſtylo Societatis circa nomina Domorum, Collegiorũ, &c.

354 Poteſt autem opponi id, quod in Compendio habetur verb. *Extrema vnctio*, & verb. *Familiares.* In priori enim dicitur: *Qui intra ſepta Collegiorum, ſeu Domorum infirmati fuerint.* In alio autem: *Tam intra, quàm extra ſepta Collegiorum, ſeu Domorum.* Sic §. 1. In Adnotatione autem ſic additur: *Qui in Domibus, Collegijs, Reſidentijs, & alijs locis Societatis habitauerint.* Iuxta ſtylum autem Societatis *Domus* non quamcumque, ſed Profeſſam deſignat; Collegium autem, illud quod Sociorum proprium eſt, pro ſtudijs inſtitutum, vt expreſsè habetur *Parte* 1. *Conſtitut. Cap.* 1. §. 27. Reſidentia verò propriam item Sociorum habitationem, quæ neque Domus Profeſſa, nec Collegium ſit. Quod autem additur, *In alijs locis Societatis*, Seminaria videtur excludere, quæ loca Societatis non ſunt, ſed prorſus aliena; licèt eorum gubernatio ſit Societati commendata: vnde *Seminarium Societatis*, cùm dicitur, illud deſignatur quod Sociorum Societatis eſt; *ad formandos Profeſſores, & alios operarios Vineæ Chriſti in humanioribus litteris, Philoſophiâ, & Theologiâ: vt toti Prouinciæ poſteà ſufficiant*: vt habetur *Canone* 5. *Congreg.* 2.

Defenditur poſitio affirmans, & proprietas nominum comprobatur.

355 His tamen fieri ſatis poteſt, & reſolutio dicta ſuſtineri: nam Seminaria dicta etiam Collegia dici poſſunt, vt conſtat ex *Congregat.* 3. *Decreto* 24. vbi Seminarium Germanicum vocatur Collegium, in quo alebantur etiam Conuictores propriis ſumptibus pro alimentis impenſis. Collegium item Anglicum, Hybernicum,

Digitized by Google

Scoticum, in Catalogis eo nomine deſignata reperiuntur. Quòd autem alumni proprijs aut communibus alantur ſumptibus, nihil videtur intereſſe, quia ratione huius diſcriminis, neque plus, neque minùs, ad Societatem ſpectant. Et vt Collegia non ſint, iuxta morem loquendi Societatis, ſub generali illo locorum Societatis nomine comprehenſa: ſic enim in Catalogis Societatis tamquàm illius propria proponuntur: & vt alia dicantur duo ſunt tituli ſufficientes, habitationis ſcilicet, & gubernationis. Domus enim, quam quis inhabitat, dici illius ſolet, quamuis reuerà illius non habeat proprietatem, & ita dici ſolitum: eo in domum Epiſcopi, Canonici, Senatoris, Aduocati, Medici, Mercatoris, &c. abſque reſpectu aliquo ad dominium, ob ſolam habitationem. Accedente autem gubernationis titulo, id veriùs pronuntiatur: quia adminiſtratio genus quoddam videtur eſſe dominij, cùm ſupra habitationis vſum addat aliquid, quod eſſe proprium ſolet dominorum. Et ita videtur tenere P. Suarez *citato num.* 16. vbi ait priuilegium, de quo dictum *numer.* 360. eſſe vtiliſſimum pro Scholaſticis, qui intra Collegia Societatis poſſunt admitti, vt habetur *Parte* 4. *Conſtitut. Cap.* 3. *num.* 3. *in declarat. L. B. & Cap.* 9. *L. A.* Inſpectis autem ijs, quæ circa illos dicuntur, idem quod in Seminarijs ferè occurrit: debent enim diuerſam ab alijs habere habitationem: & Scholaſtici noſtri nequeunt cum ipſis liberè conuerſari: & tamen illis applicari priuilegium poteſt, etiamſi quandoque ſuis alantur ſumptibus, vt ibidem dicitur. Ergo & dici idem de Seminarijs magis diſiunctis poteſt, pro quibus eadem ratio occurrit, & fortè maior, quia ſpecialis eorum gubernatio non iam quaſi per accidens, & incidenter, ſed omnino per ſe congruit, quandoquidem pro ipſis diuerſis Superiores, & adminiſtri alij deſignantur. Et ita R. P. Mutius Vitelleſchus declarauit Eccleſias Seminariorum etiam eſſe dicendas Eccleſias Societatis ad effectum lucrandi in illis Iubilæum Generalis Communionis, in quo viſitatio Eccleſiæ Societatis præſcribitur, vt affirmat P. Quintana *ſuprà, Singulari* 5. *num.* 2. Vnde & idem de Viatico dicendum: licèt vtrumque neget Cardinal. Lugo *in Reſponſis Moral. Lib.* 4. *Dub.* 33.

P. Suarez vt faueat.

Eccleſiæ Societatis quæ dicantur.

Specialis difficultas circa periclitantem in Seminario veſpertino tempore, non aſſeruato ibidem Sacramento.

356 Sed quid faciendum, ſi contingat alumnum aliquem in vitæ diſcrimen adduci veſpertino tempore, cùm in Seminario non ſit aſſeruatum Sacramentum? Vbi quod ad Extremam vnctionem attinet, parum circa hoc difficultatis inuoluit, cùm poſſit Oleum ſanctum ex Collegio Societatis adduci omnino occultè. Circa Euchariſtiam verò omnino cauendum eſt ne publicè deferatur: id enim non licere per priuilegia affirmat P. Suarez *ſuprà, Cap.* 3. *num.* 12. qui aliquod in eo præiudicium eſſe Parochorum exiſtimat, quatenus modus ille deferendi ad proprium eorum ius ſpectat, ob ſpecialem ſolemnitatem in delatione huiuſmodi requiſitam. Occulta autem delatio non apparet decens, ob reuerentiam altiſſimo debitam Sacramento. Si autem à Parocho vt id officij præſtet poſtuletur, ex eo eneruari videtur priuilegium, & ius in Parochis recognoſci; vnde ad alios caſus fieri argumentum poterit, & plus illi ſibi, quàm ſit debitum, vſurpare. In quo difficultatum conflictu videtur dicendum tamquàm veroſimile Euchariſtiam poſſe occultè deferri, id firmando ex eo quod habet P. Quintanad. *Singulari* 33. *citato num.* 5. Religioſos ſcilicet reſpectu eorum, quibus conferre Sacramenta poſſunt virtute priuilegiorum, quoad effectum dictum Parochos eorum conſtitui. Sicut ergo Parochus, quando publicè deferre Euchariſtiam nequit, occultè id præſtare poteſt, etiam ſine lumine, ſi commodè nequeat afferri, pro quo videndus idem *Tomo* 1. *Tractat.* 4. *Singulari* 8. Nec tenetur ad Parochum alium proximiorem recurrere, qui cum maiori deferre decentiâ poſſit; quia pro obligatione tali ius extat nullum, & ipſe habet plenum ius adminiſtrationis, quando in eâ non deprehenditur indecentia poſitiua. Quòd autem defectus reuerentiæ ſit ab alijs exhibendæ, obligationem ſemper non inducit. Vnde Sacerdos, qui peractâ Miſſâ, quando moraliter eſt certum Sacramentum intra pectus haberi, coràm alijs ſe ſiſtit, ignorantibus eum Miſſam tunc temporis abſoluiſſe, ex eo grauiter non peccat; immò fortè nec venialiter, quia pro eo eſſe cauſſa rationabilis poteſt: & tamen illud eâ reuerentiâ priuat, quæ eidem ſic clauſo, ſicut manifeſto debetur. Ad hunc equidem modum in Religioſis dicendum præfato gaudentibus priuilegio, qui deferre Euchariſtiam poſſunt in burſâ collo appenſâ, aut certè in vaſculo decentiſſimo ad latus pectoris intra veſtem: ſi enim in manibus, vix fieri decenter poterit, cùm illis ſit ad continendam veſtem vſurus, & ad ſigna vrbanitatis: ſi verò noctu, in manibus deferri poterit, & lumen pariter adhiberi: quia cùm aliàs illud portari à Religioſis ſoleat, decentiæ potiùs, quàm neceſſitatis gratiâ, non poterunt illud videntes id, quod caſus habet, ſuſpicari.

Poſſe deferri occultè.

Quo id modo decenti fieri poſſit.

In Seminarijs Indorū id maximè locum habere.

357 Et hæc quidem generaliter dicta Indorum Collegijs poſſunt ſpecialiter applicari, in quibus peculiares occurrunt rationes. Prima, Parochos circa adminiſtrationem dictam inuitos nõ haberi, iuxta dicta *num.* 221. Secunda, cùm Collegia iſta ex fine conuerſionis Indorum, & extirpandæ penitus Idololatriæ ac ſuperſtitionis inſtituta ſint, quæ de locis Societatis dicuntur, & generaliter quæ in priuilegijs habentur, ampliſſimè interpretanda eſſe, vt ſæpiùs dictum. Tertia, opportuniùs, faciliùs, & accommodatiùs ad eorum ingenium, hoc pacto fieri, dum à ſuis Patribus inſtruuntur, vt alia omittam conſiderationi prudentum remittenda.

Circa partes in fœminis vngendas abſurda reprobata ſententia.

Fr. Ioan. Baptiſta.

358 Illud tandem adiiciendum, quod Fr. Ioannes Baptiſta in Animaduerſionibus pro Confeſſarijs Indorum habet *Parte* 2. *in Indico.* Verb. *Extrema vnctio*, ita enim ibi: *Circa partes Oleo ſancto vngendas, eſt aduertendum, quòd Manuale Mexicanum præcipit mulieribus in vmbilico vnctionem fieri; viris autem in lumbis*, his verbis: *Ponga el olio al hombre en los lomos, y à la muger en el ombligo.* Sic ille, adducens ſtatim Manuale aliud præcipiens tam in viris quàm in fœminis vngendos lumbos, *veluti voluptatis & libidinis ſedes.* Circa quod ille nihil ſtatuit; vnde vtrumque videtur tamquàm praui conueniens approbare. Pro quo etiam ita ſcribit P. Henriquez *Lib.* 3. *Cap.* 12. *num.* 3. *Vnctio ſexta renum, cùm non ſit de eſſentia, non adhibetur Monachis, aut Monialibus propter honeſtatem:*

Digitized by Google

tem : ſæculares autem fœminæ vngi ſolent propè vmbilicum. Sic ille.

Ex Rituali Romano Pauli quinti. Vel qua partes generatium vngenda.

Sed certè nihil tale reſpectu feminarum admittendum : & propter hujuſmodi abuſus extirpandos, & indecentias ſubmouendas, Paulus V. Rituale diligenter & ſapienter concinnatum ſtuduit promulgari. In eo ergo juxta communem Theologorum ſententiam, pro qua aliquos adducit Bonacina *Tomo* 1. *Diſput.* 7. *Quæſt. vnica. Puncto* 5. *num.* 18. & videri etiam poteſt P. Martinon *Tomo* 5. *Diſput.* 65. *num.* 17. & Auctores alij apud P. Palaum *Tomo* 4. *Tract.* 26. *Puncto* 3. *num.* 3. Vnctionem lumborum in feminimis non ſolùm vti non neceſſariam, remouendam duxit, ſed vti parum honeſtati congruentem, vt clarè ſignificat, dum omittendam dicit *Propter honeſtatem.* Quis autem non videat vmbilici vnctionem magis honeſtati repugnare? & ita de vtraque pariter idem ſtatuit Bonacina *ſuprà citato num.* 18. Quod ex generali alia cautione ibidem appoſitâ manifeſtè colligitur, dum decernitur quòd cùm vnum membrum vngi nequit, vnctio in altero nequaquam fiat, niſi fortè illud deficiat; tunc enim in proximiori illius eſt parte facienda. Quæ fuit ſententia Diui Thomæ in 4. *dub.* 23. *quæſt.* 3. *artic.* 3. & multorum, qui eum ſecuti apud Bonacinam *num.* 16. quòd etiam in viris lumborum vnctio omittenda ſit, quando illi commodè moueri nequeunt, citato loco Ritualis aduertitur, quod ex cõmuni etiam eſt Theologorum doctrinâ deſumptum.

Effectus Sacramenti an minor ob vnctionis prædicta defectum.

369 An verò ob talis vnctionis defectum minor ſit effectus Sacramenti, dubitari poteſt: ex eo enim aliquid in ordine ad praxim poteſt deduci, de quo ſtatim. Et non eſſe, ex eorum ſententia habetur, qui dicunt Sacramentum hoc priori perfici prorſus vnctione, alias autem ex Eccleſiæ conſuetudine adhiberi. Sic Molſeſius *Tract.* 4. *Cap.* 3. *num.* 29. P. Becanus de Sacramentis *Cap.* 25. *Quæſt.* 7. *numer.* 6. Vniuerſitas Louanienſis vt teſtatur P. Coninck *Diſputat.* 19. *num.* 9. & alij : quamuis P. Suarez *Tomo* 4. *in* 3. *p. Diſputat.* 41. *Sect.* 2. *num.* 3. dicat nullum pro ea extare Auctorem, quem ipſe ſciat. Et eſſe probabilem judicant Syluius in *Additionibus ad* 3. *p, quæſt.* 32. *artic.* 6. §. Quæritur ſecundò P. Amicus *Tomo* 8. *Diſput.* 19. *num.* 73. vbi pro ea adducit P. Becanum, non citato loco. Eſt autem Tractatu de Sacramentis. *Cap.* 27. *Quæſt.* 7. *n.* 6. & 7. Ipſe autem P. Amicus relatis opinionibus nihil determinat. Et Diana *Parte* 3. *Tractatu* 4. *Reſolut.* 179. & *Parte* 8. *Tractatu* 1. *Reſolut.* 21. §. *Probatur Tertiò.* Item ex aliorum opinione, qui exiſtimant quinque vnctiones tantùm ad eſſentiam Sacramenti huius pertinere, quæ in organis ſunt quinque ſenſuum faciendæ, in quarum vltima ſecum habet effectum, virtute illius, & aliarum præcedentium. Sic P. Suarez *ſuprà n.* 13. & alij, quos adducunt & ſequuntur Bonacina *ſuprà Puncto* 6. Diana *loco priori citato.* Baſſæus Verb. *Extrema Vnctio* 3. *num.* 2. & 3. P. Gaſpar Hurtadus *Tractatu de Extrema Vnctione, Difficult.* 6. P. Coninck *ſuprà num.* 12. & 21. P. Palaus *ſuprà Puncto* 5. *num.* 13. P. Martinon *ſuprà n.* 29. P. Valentia *Diſputat.* 8. *Quæſt.* 2. *Puncto* 2. Verb. *Effectus, Tomo* 4. P. Dicaſtillus *Tract.* 7. *num.* 49. & 115. P. Maratius *Tractatu de Extrema Vnctione Diſput.* 3. P. Granadus *Tomo* 2. *in* 3. *Par. pag.* 1347. *numer.* 20. P. Leſſius *de Sacramento Vnctionis, num.* 23. vt alios omittam. Præterea, ex aliorum placito, qui licet cenſeant qualibet Vnctione conferri gratiam ſanctificantem, quia eſt ſufficiens materia & forma effectum gratiæ ſignificans, id tamen ad Vnctiones quinque reſtringunt, ita vt per alias Sacramenti effectus neutiquam conferatur. Sic aliqui apud P. Coninck *ſuprà num.* 9. Ex iis autem quæ idem habet *num.* 10. §. *Dices, Illicitum eſt,* media alia ſententia colligitur, dari ſcilicet gratiam ſanctificantem per primam Vnctionem, quæcumque illa ſit, per alias autem quinque ſenſuum effectum partialem Sacramenti, qui diſtinctus ab illâ eſt, remiſſionem inquam, ſeu ablationem reliquiarum peccatorum, quæ poſſunt per partes auferri.

Sententia aliorum.

360 Sed ſunt inſuper qui per omnes ſeptem Vnctiones, aut earum quamlibet, ſi ſeorſim adhibeantur, gratiam ſanctificantem conferri dicunt. Sic aliqui apud citatos, qui dum per quamlibet Vnctionem effectum Sacramenti, & partialem gratiam conferri aſſerunt, inter illas non diſtinguunt, quorum & ratio id probat, quòd ſcilicet in qualibet Vnctione materia & forma conſimilis adhibeatur. Propter quam Sotus *in* 4. *diſt.* 23. *quæſt.* 2. *artic. vlt.* cenſet omnes ſeptem vnctiones ad eſſentiam Sacramenti pertinere, & per omnes pariter conferri gratiam, quando reipſa fiunt, & intentio Miniſtri eſt tali adæquatæ actioni conformis. Licet ſentiat gratiam tantùm dari in vltima : pro quo etiam D. Thomas, & Doctores alij citantur, & amplectitur P. Henriquez *ſuprà num.* 3. Per ſingulas autem ſeptem dari tenet P. Bauny. *Tomo* 1. *Tract. vlt. Quæſt.* 2. & alij, vt dixi, de eiſdem ſine diſcrimine affirmantes. Pro quo & videtur eſſe Concilium Florentinum in Decreto §. *Quintum Sacramentum,* vbi pro materiâ huius Sacramenti ſeptem vnctiones proponit cum correſpondentibus formis : ergo per omnes gratia Sacramenti confertur : hac enim ratione materias & formas alias Sacramentorum ibidem traditas, vt veras & proprias recognoſcimus : ſin minùs, doctrina Concilij tunc maximè neceſſaria pro vnione Eccleſiæ, diminuta & incerta fuiſſet. Et quidem cùm materia eadem ſit, forma item illi proportionata omnino ſimilis, ritus collationis idem, incredibile apparet adeò latam differentiam intercedere, vt in quibuſdam ratio Sacramenti ſit, & in aliis merus cæremonialis ritus inueniatur. Cùm præſertim partes illæ, quas Concilium inungendas determinat, non minùs quàm aliæ poſſint eſſe inſtrumenta peccandi ; & frequentiſſimè ſint *arma iniquitatis* ad peccandum, vt Apoſtolus loquitur. Ex eo autem quòd neceſſariæ tales vnctiones non ſint, non ſequitur ſufficientem materiam eſſe non poſſe : ſicut panis fermentatus non eſt materia neceſſaria, & tamen ſufficiens eſt pro Sacramento Euchariſtiæ : & peccata venialia, ac mortalia iam confeſſa, pro Sacramento Pœnitentiæ, eo modo quo peccata materia eſſe dicuntur. Pro quo etiam facit id, quod ait P. Henriquez *ſuprà num.* 2. vnctionem in manibus minùs neceſſariam eſſe ; & tamen negabit nullus materiam eſſe ſufficientem.

Ratio cur omnes ſeptem vnctiones Sacramentales pariter videantur.

Neque obſtare neceſſarias non eſſe.

Digitized by Google

tem. Quòd autem ſi ſufficiens materia eſſent, non debuerint ab Eccleſia prohiberi, vel vt non neceſſariæ proponi, ex quo arguunt aliqui, quia non poſſunt rationabiliter fideles beneficio Sacramentalis gratiæ priuari, quo à Chriſto liberaliter ſunt donati: id certè nullatenus videtur vrgere, quia ſtante ratione conuenientiæ, id non videtur repugnare.

Prohiberi aliquas ab Eccleſia potuiſſe exemplo cõmunionis ſub vtraque ſpecie.

361 Et pro ampliori rei huius declaratione, id quod ab Eccleſia de Communione ſub vna ſpecie ſtatutum eſt, exactè ſuffragatur. Per vtramque enim ſpeciem maiorem gratiam conferri multi & graues Scriptores tenent, vt videri poteſt apud P. Martinon, qui eorum agmen adducit *Tomo* 4. *Diſput*. 34. *num*. 20. & nihilominus ob conuenientiam in tali prohibitione repertam, ob inconuenientiam vſus alterius, id ſanctè & prudenter potuit generali præcepto ſtabiliri. Vnde & Doctores qui affirmant ſub vtraque ſpecie communicantibus non plus gratiæ tribui, niſi maior diſpoſitio accedat, fatentur prohibitionem fore legitimam, etiamſi gratia maior conferretur, vt videri poteſt apud P. Suarium *Tomo* 3. *in* 3. *p. Diſput*. 71. *Sect*. 3. *Dicto*. 2. circa finem. P. Coninckium *Quæſt*. 80. *num*. 127. *ad Secundum*, & alios. Nihil ergo mirum, ſi circa Extremam Vnctionem aliquid tale fuerit ab Eccleſia conſtitutum. Quamuis de eo præceptum nõ extare, ex eo poteſt colligi, quòd ſi alicubi, maximè in Rituali Pauli V. quod tamen non obligare ſub præcepto ex eo aliqui colligunt, quòd in eo Pontifex exhortando potiùs, quàm præcipiendo loquatur. Nihilominus ex eo deduci efficaciſſimè poteſt vnctionem renum non eſſe de neceſſitate Sacramenti: quia licet Pontifex tantùm hortando procedat, cùm tamen doctrina illa generalis pro Eccleſiâ ſit, errare in illa Pontifex nequit, vt non neceſſarium proponens id, quod reuerà neceſſarium eſt.

De eo non extare in Rituali præceptum videri quibuſdam. Ex eo tamè arguitur, vt neceſſaria non ſint.

Vnde non eſſe neceſſarias deduci potuerit.

362 Quòd autem vnctio talis, ſicut & ea, quæ pro pedibus indicitur, cùm Sacramentalis eſſe poſſit, & ita ex inſtitutione Chriſti habeatur, nihilominùs neceſſaria iudicata ab Eccleſia non ſit, ex ipſius Sacramenti inſtitutione haberi potuit, quia in eo indecentia aliqua eſſe poteſt, quam ſicut in diſcooperiendis renibus, ita & in pedibus aliqui reperiunt: vnde propter eamdem rationem aliquæ Eccleſiæ vtramque omittendam cenſuerunt, vt obſeruat P. Ægidius *Diſput*. 19. *num*. 8. poſt P. Suarium *ſuprà Diſputat*. 20. *Sect*. 2. *numer*. 6. ſi autem obiiciat quis indecentiam hanc Chriſto præuiſam, & nihilominùs vnctiones dictas pro materia ſtatuiſſe, Occurri poteſt indecentiam in hoc non ſemper fuiſſe, & ita primæuis illis Eccleſiæ ſanctæ temporibus, ſinceritate ac puritate regnantibus, vſum talem decentem eſſe potuiſſe. Poſteà tamen refrigeſcente charitate, & abundante malitiâ, circa hoc cautiùs oportuit prouideri, ſicut circa vſum Calicis notant Scriptores citati: creſcente enim fidelium numero non potuit circa illum, ea, quâ par eſt, reuerentia verſari: quod tamen anteà experimentis ſimilibus non fuerat comprobatum. Accedit vnctionem renum multoties ſine incommodo infirmi fieri non poſſe: neque credibile eſſe Chriſtum, qui Sacramentum hoc pro ſalute etiam corporali prodeſſe voluit, cum illius detrimento miniſtrandum voluiſſe. Et quia circa pedes tale aliquid poteſt accidere, quòd ſcilicet diſcooperiri ſine periculo aliquo nequeant, ideò de illis ſimiliter iudicatum; non ita de aliis, quæ in propatulo ſunt, caput ſcilicet, & manuum aliqua.

Aliquãdo nullam indecentiam in illis repertam.

In Praxi quid tenendum.

363 Iuxta hæc ergo id in ordine ad praxim deducendum, pro quo, vt admonui. *num*. 359. diſquiſitio iſta proceſſit in viris ſcilicet nullam eſſe vnctionem omittendam, quod Rituale Pauli V. ita decernit, quando id commodè fieri poteſt. Quod intelligendum etiamſi Monachi ſint: non obſtante eo, quod ex P. Henriquez *num*. 358. eiuſdem verbis eſt poſitum. Cùm enim valde probabile ſit gratiam ſanctificantem & Sacramentalem etiam ſpecialem qualibet vnctione conferri, non debet infirmus in eo tantæ neceſſitatis articulo huiuſmodi ſubſidio fraudari. Vt autem commodè ad receptionem poſſit aptari, non eſt ſtatus periculi in talibus commotionibus expectandus, ſed opportunè occurrendum. Licet autem aliqualis defatigatio infirmo ſit ex motione futura, ad eam eſt ſuauiter excitandus ob fructus magnitudinem: maiores enim à medicis pati grauitates ſolent, nullo frequenter ſalutis compendio: *Vt valeant* ergo *animo quidquam tolerare negabunt*?

Specialis caſus, & vtilis in eius reſolutione doctrina.

364 QVia in Indiis accidit, licet non ad Indias tantùm ſpectet, & his fermè diebus, illius diſcuſſionem iuuat hoc loco, neque inutilem, vt reor, attexere. Cùm moribundum Religioſus Sacerdos inungeret, in quarta vnctione *locutionem* omiſit, tantùm dicens, *Quidquid per guſtum deliquiſti*. Et dubitatum quid fieri oporteret, nihil tamen factum, ſed cæremonia illa ſacra more ſolito conſummata. Et vt ita fieret, in primis ratio eſſe potuit, quòd iuxta ſententiam grauium Scriptorum de qua *n*. 359. primâ vnctione Sacramentum quoad omnia eſſentialia perficitur. Item, quia ſecundùm aliam ſententiam, de qua *num*. 360. per quamlibet vnctionem ſpecialis gratia confertur, vnde vnâ earum aliquâ deficiente, non ideò infirmus Sacramenti defraudatur effectu. Quòd ſi dicatur defraudari partiali illâ gratiâ reſpondente quartæ vnctioni, id non debet eſſe cauſſa vt illa ſeorſim perficiatur, quia iam extra ſuum locum eſt, neque moraliter continuatur cum aliis, & ita non videtur conueniens vnctionis iteratio: gratiæ autem illius defectus, cùm præter intentionem Miniſtri fuerit, caſui tribuendus eſt, & alia ratione ſupplendus: ſi tamen ad ſupplementum vrgens obligatio eſt, quod poteſt non ſine fundamento negari, quia iactura illa inculpabilis fuit, vel ſi culpa aliqua interuenit, ea fuit profectò leuiſſima, ob inaduertentiam inquam, aut perturbationem, quæ in rebus hiſce non rarò ſolet admiſceri.

In vnctione 4. omiſſa locutionis an ſit in cauſa iterandi illam. Et quæ oſtendant non eſſe.

365 Poteſt etiam pro eodem eſſe fundamentum aliud, ex valore ſcilicet vnctionis prædictæ, etiam locutionis non adhibitâ mentione. Nam additio ad valorem non videtur neceſſaria:

Vnctionem fuiſſe validam vnde probari queat.

iuxta

iuxta probabilem enim multorum ſententiam, de qua *numer.* 359. Vnctiones tantùm quinque neceſſariæ ſunt, quatenus in organis quinque ſenſuum fiunt, eò quòd inde omnium ſit peccatorum origo, quia nihil in intellectu, quod priùs non fuerit in ſenſu: atqui locutio non eſt actus ſenſationis, vt conſtat: ergo licet in vnctione exprimi ſoleat, non erit ſubſtantialis defectus expreſſionis. Tum etiam quia in vnctione membri non eſt neceſſarium exprimi omnes illius actus, ſed præcipuum: quemadmodum etiamſi exprimatur locutio, non eſt neceſſarium exprimi ſilentium, per quod multoties grauia peccata committantur.

Non eſſe neceſſariū exprimi ſenſum, in quo fit vnctio, ſentētia quorumdam.

Pro quo etiam facit illorum ſententia, qui affirmant non eſſe neceſſarium exprimi ſenſum, in cuius organo fit vnctio: & ita dictiones illæ *Per viſum. Per auditum* &c. de ſubſtantia non eſſe; quia determinationem effectus non eſt neceſſarium indicari: Deus enim non dat veniam dimidiatam, ita vt in prima vnctione remittantur peccata commiſſa per viſum, & ſic de aliis: ſed mortalia omnia ſimul remittuntur, etiam illa, quæ per ſenſus commiſſa non ſunt, ſed per actus merè internos.

Sicut nec partem, in quā fit illa.

Immò nec determinatio partium neceſſaria videtur, aut quòd vnctio in illis fiat: quandoquidem ſi quis careret aliquibus earum, vt manu, vel pede, nequiret alioqui validè iſtud ſuſcipere Sacramentum. Et etiamſi ſit de Sacramēti eſſentia vt vnctio in partibus determinatis fiat; non tamen eſt earum expreſſio: quemadmodum licet vnctio in fronte dicatur eſſe de eſſentiâ Confirmationis, id tamen in illius forma non declaratur. Et ita tenet P. Reginaldus *Tomo* 2 *Lib.* 28. *Cap.* 9. *num.* 56. Hermes Chriſtianus, & Petrus à S. Ioſeph, apud Dianam *Parte* 9. *Tract.* 7. *Reſolut.* 56. vbi cum P. Præpoſito ſententiam dictam non eſſe improbabilem affirmat. Quod & firmat *Parte* 10. *Tract.* 12. *Reſolut.* 32.

Iterandam vnctionem veriſimilius.

366 Nihilominus vnctio videtur iteranda fuiſſe: quia defectus formę fuit in parte valde ſubſtantiali: à Concilio enim Florentino locutio exprimenda decernitur verbis illis; *In ore, propter guſtum, vel locutionem.* Et quidem quod ad locutionem attinet, videtur eſſe præcipuum: peccata enim frequentiora & grauiora per locutionem, quàm per guſtum, committuntur, iuxta Diui Iacobi doctrinam in ſua Catholica *Cap.* 3. vbi inter alia *verſ.* 6. & 7. illud:

Iacobi 3. v. 6. & 7.

& lingua ignis eſt, vniuerſitas iniquitatis. Quæ maculat totum corpus, & inflammat totam natiuitatis noſtræ inflammata à gehenna. His ergo linguæ malis medicinam Sacramenti oportuit ſpecialiter adhiberi. Potuit autem defectus ille ſuppleri ſine aliquo incommodo abſque aliarum vnctionum repetitione, iuxta doctrinam multorum, quos adducit & ſequitur P. Martinon *Diſputat.* 65. *citata, num.* 20. dicentes

Si Sacerdos non perfecit vnctiones, poſſe alium. Et vnam vnctionem aliam non ſupponere. Vnde arguitur.

quòd ſi Sacerdos ante perfectum Sacramentum moriatur, aut non poſſit vlteriùs pergere, poteſt Sacerdos alius ſine noua inchoatione perficere: ergo multò potiùs Sacerdos idem. Item, in caſu neceſſitatis poſſe plures Sacerdotes vngere, & vnctionem vnam non ſupponere aliā, de quo idem ibidem. Et P. Coninck *Diſputat.* 19. *numer.* 10. 5. *Antecedens.* Quod intelligendum, etiamſi omnes neceſſariæ ſint: à quacumque enim inchoetur, validum eſt Sacramentum: vt ex P. Suario, P. Sa, & Bonacina docet P. Palaus *ſuprà Puncto* 3. in fine. Quòd autem diſcontinuatio aliqua non obſtet, ex prædictâ doctrinâ colligitur: nam ſi deficiente vno Sacerdote, alius proſequi poteſt, quod peculiare eſſe in hoc Sacramento aduertit P. Henriquez *Libr.* 3. *Cap.* 12. *num.* 4. pro quo & P. Palaus *ſuprà numer.* 8. & P. Bauny *Tract. vlt. citato Quæſt.* 2. 5. *Quintum*: dum alius vocatur, qui miniſterium impleat, diſcontinuatio eſt neceſſariò futura.

Sicut ex doctrina alia notāda, circa diſcōtinuationem.

Quod ex doctrinâ aliâ deduci etiam poteſt, juxta quam ſi infirmus ante quintam vnctionem an ſit mortuus dubitetur, ad illam & alias procedendum: ſi autem mortuus putabatur ob paroxiſmum, & poſteà ſigna vitæ oſtendat, adijciendæ, quæ defuerant, vnctiones. Sic P. Henriquez *citato numer.* 4. In quo euentu diſcontinuatio eſt manifeſta.

Non obſtare probabilitatem ſententia appoſita, pro quā adducuntur.

367 Neque obſtat probabile eſſe id, quod pro contraria parte adduximus, pro qua etiam militant ea, quæ Diana congerit *Parte* 8. *Tract.* 1. *Reſolut.* 21. ad fundandam ſententiæ illius probabilitatem, quæ contendit vnicâ vnctione hoc poſſe perfici Sacramentum. *Et Parte* 10. *Tract.* 12. *Reſolut.* 31. vbi & cum P. Pellizario tenet non repetendum Sacramentum, ſed ſupplendam vnctionem quæ defuit, ſi non multùm temporis interceſſit, caſu neceſſitatis excepto. Et in ordine ad caſum noſtrum addo, etiamſi quinque, aut plures neceſſariæ ſint, in quarta ſufficere expreſſionem guſtus ex variis Ritualibus ab eodem adductis, in quibus cùm guſtùs mentio fiat, non tamen locutionis. Vnde & P. Martinon *ſuprà n.* 23. cenſet quòd ſine repetitione illarum vocum. *Per hanc ſanctam vnctionem*, conſtaret Sacramentum, ſi quis vnctiones quinque ſenſuum celeriter perficeret ſub hac forma: *Per iſtam Sanctam Vnctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, dimittat tibi Deus quidquid peccaſti per viſum, auditum, odoratum, guſtum, & tactum.*

Quia contra charitatem delinquitur.

Non inquam, obſtat, quia probabilitate illâ non obſtante, res dubia perſiſtit, & contra charitatem eſt ſine vrgenti cauſſa dubium reddere effectum Sacramenti; & ſic recipientem ingenti iacturæ bonorum ſpiritualium exponi. Pro quo videnda quę adducit Diana *Parte* 8. *Reſolutione illa* 21. circa finem. Quod equidem in caſu, de quo loquimur, videtur ſpecialiter vrgere, quia recipiens in periculoſiſſimo verſatur articulo, & ſubſidiis eget potentiſſimis, qualia Chriſtus Sacramentorum inſtitutione prouidit.

Obſeruatio ad praxim.

Claudo, aduertens in defectùs prædicti ſupplemento ſic dicendum: *Quidquid per locutionem deliquiſti*: de guſtu nihil addendo, quia pro eo ſufficiens forma præceſſit. Licet enim vt vna tantùm proponatur pro vtroque, virtute tamen eſt duplex, & re ipſa diuiſibilis. Pro quibus hæc ſatis.

CAPVT XIII.

De Priuilegiis Indorum circa Sacramentum Ordinis.

Indis nullum circa Ordinē priuilegiū, & quare.

368 NVllum equidem pro illis extat, neque neceſſarium fuit: quia cùm illorum capacitas pro miniſterio tāto hucuſque ſufficiens viſa non fuerit, & ipſum miniſterium in Hiſpanorum oculis tali promotione

Digitized by Google

rione vileſceret, nullo opus priuilegio fuit, neque vt credo, erit, ſi de maioribus loquamur Ordinibus: pro Minoribus autem faciliùs poterit indulgeri: licèt in Concilium Limenſi ſecundo *Parte* 2.*Cap.*74. caueatur ne aliquis Eccleſiaſticus Ordo eiſdem conferatur. Sed cùm communis Doctorum ſententia ſit Tonſuram non eſſe Ordinem, exiſtimare quiſpiam poterit non eſſe Canone dicto comprehenſam, & poſſe ijs conferri, qui Eccleſiæ ſeruitio ſe dedicant, vt nouæ iſtæ Eccleſiæ plantæ ab Eccleſiaſticis gradibus non penitus arceantur. Quod quidem Prælatorum eſt prudentiæ relinquendum, qui circumſtantijs inſpectis poterunt quod ſibi benè viſum fuerit agere, cùm nulla aliàs prohibitio extet, vt videri poteſt apud Dom. Solorzanum *Tomo* 2. *Lib*. 3. *Cap*. 20. *num*. 1. & *ſeqq*. & in Politicâ *Lib*. 4. *Cap*. 20. de quo & *Lib*. 2. *pag*. 242.

Tonſuram poſſe illis aliquando conferri.

369 Prout verò Indi ad generalem conceſſionem ſpectant, iuxta quam nouiter conuerſis gratiis aliquibus frui licet, Regularibus attributis, extat pro illis priuilegium Nicolai III. de quo Emmanuel Rodericus in Bullario *Bullâ* 2. eiuſdem Patribus Dominicanis conceſſum vt nouiter conuerſos poſſint Clericali charactere inſignire, & ad Acolythatus Ordinem promouere. Ex eo autem quòd gradus iſte inter quatuor Minores ſupremus, concedatur, manifeſtum eſt tres priores concedi, vt obſeruat P. Pellizarius *Tract.* 8. *Cap*. 2. *numer*. 180. Sed eſt circa hoc non leuis dubitatio, an ſcilicet priuilegium hoc à Concilio Tridentino fuerit reuocatum *Seſſione* 23. *Cap*. 10. *de Reformat.* Vbi priuilegia omnia reuocat ad conferendum Tonſuram, & Minores Ordines iis, qui Regulares ſubditi non ſint, ſi intra fines alicuius diœceſis conſiſtunt. Et reuocari generaliter omnia, etiam in Iure contenta, affirmat P. Suarez *Tomo* 4. *de Religione*, *Tract.* 8. *Cap*. 29. *num*. 19. qui pro eo Congregationis Cardinalium Declarationem allegat. Alij autem etſi de priuilegiis in Iure contentis aliter ſentiant, & quando illa ab aliquo ſunt Generali Concilio conceſſa, circa alia conueniunt: & ita tenet P. Thomas Sancius *Tomo* 2. *Conſiliorum*, *Lib*. 7. *Cap*. 1. *Dub*. 19. *num*. 22. & P. Quintanad. *Tomo* 1. *Tractat*. 2. *ſingulari* 5. *num*. 6. & 7. cum aliis, qui de priuilegiis Indorum loquitur, & celebre illud Adriani VI. adducit, cuius & tenorem *num*. 1. proponit, quod dicitur *Omnimoda*: licèt enim in illo Ordinum mentio non extet, in generali illa & omnimoda facultate contentum arbitratur: & ex eo quòd ibidem ſic dicatur: *& quòd præfata auctoritas extendatur etiam quoad omnes actus Epiſcopales exercendos, qui non requirunt Ordinem Epiſcopalem.* Innititur prætereà priuilegio Leonis X. in Bullâ, quæ incipit. *Aliàs felicis, die* 25. *Aprilis, Anni* 1521. in quâ ſic habetur: *Nec non aggregatos eoſdem, vbi Epiſcopi non habentur, Clericali inſignire charactere, & ipſos ad Minores Ordines promouere licere.* Sic ille.

Priuilegiũ Nicolai III. ad conferẽdum Tonſuram & Minores Ordines.

An ſit per Tridentinũ reuocatum. circa quod diuerſa ſententia.

Priuilegia alia pro eodem.

370 Verùm quod ad Omnimodam attinet, licèt videatur probabile, incertum tamen, quia tantùm conceditur illa quatenus neceſſaria eſt pro Indorum conuerſione vel opportuna aut expediens ad promouendam fidem: ad quem effectum minimè neceſſaria eſt facultas conferendi Ordines ſic conuerſis, ac aliis in eo opere laborantibus. Quòd ſecus accidit in facultate ad ornamentorum benedictionem, & aliorum pro vſu Altaris ſeruientium, & etiam, vt hoc etiam demus, ad Confirmationis Sacramentum. Priuilegium autem Leonis X. temporale & valde limitatum fuit, vt non ſemel admonui. Vide tamen *num*. 385. Priuilegij autem Nicolai III. nullus ex citatis meminit, cùm tamen amplius & expreſſius ſit: ſicut neque priuilegij Innocentij IV. pro eodem conceſſi Patribus etiam Prædicatoribus, de quo & nos *ſuprà*, & habetur apud Emmanuelem Rodericum in Bullario, *Bulla* 19. citati Pontificis, vbi & de Indis mentio fit, ſicut & in aliâ citatâ, licèt Indiæ tunc temporis non eſſent detectæ, quia de antiquiore India erat ſermo, cuius frequens apud Auctores mentio, ſicut & Indi fluminis, à quo ſic dicitur compellata. Et ex doctrinâ Auctoris eiuſdem colligi poteſt priuilegia dicta non fuiſſe per Concilium reuocata iuxta ea, quæ habet *Tomo* 1. *qq. regul. q.* 35. *art*. 1. eò quòd Pius V. conceſſerit Mendicantibus vſum priuilegiorum, etiam eorum, quibus per Concilij reuocationem vti non licebat. Licèt autem Gregorius XIII. conceſſionem iſtam reuocauerit, non videtur de iis locutus priuilegiis, quibus Indici Miniſtri fruebantur. Cùm enim de infidelium conuerſione, & conuerſorum manutentione tractetur, pro quo quotidiè varia priuilegia contra Tridentini Decreta conceduntur, non eſt credibile Gregorium zelo propagandæ fidei præſtantiſſimum, adimere voluiſſe illa, quæ pro effectu dicto fuerant à diuerſis Pontificibus attributa. Circa quod & nos *ſuprà* philoſophati ſumus *num*. 344. & hinc eſt P. Pellizarium *ſuprà* de priuilegio iſto vti de valido loqui, & minimè reuocato: vnde negari nequit quin ſit probabile talem eſſe in Prælatis Regularibus poteſtatem: vbi ſcilicet Epiſcopi non ſunt, neque citò ſperantur adfuturi. Quamquàm in illius vſu neſcio an ſit conuenientia alicuius momenti futura, cùm tamen rebus vt nunc ſtantibus, inconuenientia potiùs non leuia poſſint pertinere.

Et minùs Leonis X.

Aliud Innocent. IV.

Poſt Concilium vim habere, nec reuocationẽ Greg. XIII. obſtare pro Indijs.

Quid circa vſum.

371 An verò ſtante prædictâ facultate conferendi Minores Ordines conuerſis, ea poſſit ad ſubditos Regulares extendi, inquirit P. Pellizarius, & reſpondet *num*. 181. videri non poſſe, niſi fortè & ipſi ex conuerſis eſſent; quia priuilegia non debent extendi vltra intentionem concedentis ſufficientibus verbis expreſſam; quod in præſenti accidit; immò oppoſitum videtur deduci ex fine conceſſionis, videlicet ob promouendam conuerſionem. Sed contrarium ſatis veroſimile apparet, quia cùm ſic conuerſi, ſi in Religionem admittantur, eo frui beneficio poſſint: maxima eſſet diſſonantia in eo quòd alij, in quibus maior eſt ſufficientia, illo gaudere non poſſent. Sunt quidem priuilegia aliqua nouiter conuerſis conceſſa, quibus frui antiqui Chriſtiani nequeunt: illa tamen differentia ex eo accidit quòd antiqui Chriſtiani robuſtiores ſunt ad onera Eccleſiaſtica præceptorum portanda, ad quæ nouiores eſſe imbecilles ſolent, vt in ieiunijs, obſeruatione feſtorum, matrimonijs, & alijs eſt videre. Priuilegium autem, de quo agimus, alterius generis eſt, in quo præcipuè dignitas perſonæ ſpectatur, quæ pro ordinatione à ſacris eſt Canonibus conſtituta. Cùm ergo Religioſi ex antiquâ Chriſtianorum progenie digniores ſint nouiter

Recenter conuerſis conferre, an poſſint & Regularibus ſibi ſubiectis. Circa quod ſententia negans.

Affirmatiua præfertur, & probatur.

Digitized by Google

nouiter conuerſis; diſſonantia magna eſſet, vt dixi, ſi his beneficio dicto gaudentibus, illo in Ordine ad ipſum repulſum paterentur. Præterquàm quòd Religioſi tales in partibus illis, vbi de conuerſione agitur, conſiſtentes, ad eam cooperaturi cenſentur, & ita conuerſis beneficium ex ordinatione, quatenus ad illud diſponunt, ſunt aliquo modo collaturi. Et indignum videtur, vt Miniſter Euangelicus eo priuetur Apoſtolicæ Sedis beneficio, cuius eſt in aliis inſtrumentum: cùm aliàs ſic Ordinatus poſſit meliùs & digniùs Euangelicæ prædicationis munus exercere. Hoc ergo non videtur improbandum.

Priuilegiũ Vrbani 8. pro Iaponiâ quomodo ſuffragetur.

372 Quia etiam Vrbanus VIII. Euangelicis miniſtris in Iaponiâ durante præſenti perſecutionis ſtatu conceſſit Sacramenta (Ordinem tamen Epiſcopalem non requirentia) etiam Parochialia miniſtrare, vt vidimus *ſuprà*. Dubitari item poteſt an ſub conceſſione huiuſmodi Tonſura, & Ordines minores veniant. Circa quod ita ſcribit P. Quintanad. *Tomo* 2. *Tract.* 6. *Singulari* 4. *num.* 8. *Ordinum minorum collationem, cùm adeo neceſſarij non ſint ad hunc finem, & pro perſecutionis tempore, nec (iuxta veriorem ſententiam) Sacramenta hîc non committi probabilius exiſtimo.* Sic ille, probabile quidem contrarium cenſens, dum ſuum placitum probabilius reputat. Fundamentum autem quatenus ex eo deſumitur, quòd Ordines dicti Sacramenta non ſint, minùs eſt firmum: Sacramenta enim eſſe probabiliſſimum eſt, vt oſtendi *Tomo* 2. *Theologicorum Problematum*, circa Sacramentum Ordinis. Quod autem de non neceſſariâ ad effectum, pro quo eſt facta conceſſio, huiuſmodi facultate aſſerit, ijs eſt conforme, quæ à nobis dicta ſunt *num.* 370. circa Adriani conceſſionem. Sed certè ſicut de præſenti priuilegio dictus Pater cenſet, de Adriani, in quo conceſſio & exceptio ſimilis, cenſere pariter debuiſſet. Vtrumque ergo æquè videtur eſſe probabile, attentâ tantùm conceſſione Adriani. Cùm autem illa, & aliæ, quas adduximus, ſuſtineri adeò veroſimiliter queant, pro Iaponienſibus Miſſionibus maximè ſuffragantur: vnde quod minoris probabilitatis ex conceſſione Vrbani videtur habere, ex alijs poteſt abundè ſuppleri, ſi attento rerum ſtatu vſus expediens videatur.

P. Quintanad.

Aliud Innocentij X. pro Ordine ante certã ætatem, conceſſum Societati.

373 Eſt inſuper priuilegium aliud pro Indijs circa Ordinem conceſſum, de quo *num.* 152. & licèt Indorum directè non ſit, de illo hic aliquid adnotandum. Conceſſerunt illud Pontifices aliqui, ſed temporale, ſicut & temporale eſt, quo fruimur modò, & in Bullâ extat Innocentij X. his verbis: *Ac cum ſuis Regularibus* (Societatis ſcilicet) *vt ad ſacros etiam Presbyteratus Ordines per annum ante legitimam ætatem promoueri poſſint, diſpenſare valeant, ſimiliter concedimus.* Sic Pontifex. Cuius conceſſionis planus videtur eſſe ſenſus, vt ſcilicet quilibet Ordo ſacer ex diſpenſatione Superiorum per annum ante legitimam ætatem ſuſcipi poſſit. Particula enim *Etiam* in conceſſione appoſitâ, caſum magis dubitabilem exprimit, vt per varios Textus & Doctores oſtendit P. Quintanad. *Tomo* 1. *Tractat.* 3. *ſingulari* 25. *numer.* 4. & vt deeſſet illa, tenor ipſe conceſſionis idem oſtendit: cùm enim Pontifex de omnibus ſacris loquatur Ordinibus, ad omnes eſt extendenda conceſſio, in quibus eadem ratio eſt; immò & in prioribus maior, quàm in Presbyteratu, qui, vt nomen ipſum indicat, ætatem exigit maturiorem.

Ad omnes ſacros Ordines extendi.

Religioſis alijs vt frui eo liceat.

374 Propter quam rationem Religioſi aliqui priuilegio iſto frui tentarunt, communicationem generalem allegantes, quod tamen à Prælatis obtinere minimè valuerunt. Volebant illi expleto anno vigeſimo, & vigeſimo-primo inchoato, Subdiaconatum recipere, & vno plus anno Diaconatum. Sed Epiſcopi communicationi huiuſmodi nihil deferentes, quod in Bullâ non videbant expreſſum, neque conceſſum agnoſcebant. Præterquàm quòd modus ille anticipationis in omnibus ſacris Ordinibus diſſonus videbatur, & extra receptum ſtylum. Quæ quidem abſolutè loquendo tolerabilia non ſunt; ſic enim Summi Pontificis priuilegia concedentis non parùm videtur auctoritati derogari. In caſus tamen contingentia occurrere rationes potuerunt, ad ſimilem negationem: præſertim quia videri eis potuit in Societate ſpecialem aliquam rationem extare, ob quam priuilegium dictum fuerit ipſi conceſſum; quâ non extante in alijs, non debet communicatio eiuſdem admitti. Pro quo & Ioannes de la Cruz in Epitome ſtatus Religioſi in Indice verb. *Priuilegium*, vbi ait quòd gratiæ Monaſterio conceſſæ vnius Ordinis extenduntur ad alia eiuſdem Ordinis, & ſic ad omnes Ordines. Sed intelligitur exiſtente eadem cauſſâ: nam priuilegia conceſſa Religioſis Indiarum non extenduntur ad Religioſos totius Ordinis, quia ſpecialem attendunt rationem in illis partibus. Ita Clemens VII. in Compendio Minorum *Conceſſione* 19. Quæ eſt etiam aliorum doctrina, vt *ſuperiùs* vidimus. His accedit priuilegium dictum à Societate impetratum vt ipſi iuxta propriam agendi rationem deſeruiret. In illâ autem numquam accidit vt quiſpiam anticipatione illâ annorum pro omnibus Ordinibus, initietur, ſed finitis ſtudijs, vnde & pro non ſeruandis interſtitiis priuilegia etiam ſpecialia ſunt eidem impartita. Cùm ergo communicatio non plus conferat quàm priuilegiario directo conueniat, quia eſt adinſtar, vt aliàs dictum; non debet eſſe mirum ſi Prælati hoc modo conceſſionem dictam intellexerint, & ita iuxta Religioſorum operati non fuerint voluntatem. Iam ad alia.

Non extare eamdẽ rationem in illis, quæ in Societate, vnde videtur communicatio locum non habere.

CAPVT XIV.

De Priuilegijs Indorum circa Sacramentum Matrimonij.

SVnt illa nec pauca, nec leuia, vt ex Compendio, & Bullis conſtat, & ita pro illis

Aſſertio 1. Indos non egere diſpenſatione vltra ſecũdum gradum.

375 Dico primò. Indi vt matrimonium contrahant, non obſtante cognatione vltra ſecundum gradum tranſuerſalem, aut affinitate, nullâ indigent diſpenſatione, iam enim illâ generaliter potiuntur. Sic Mag. Alfonſus à Veracruce, quem adducit Fr. Ioannes Baptiſta in Animaduerſionibus pro Confeſſarijs Indorum *Parte* 1. *Fol.* 88. *Pag.* 1. in hunc modum loquentem: *A la primera duda digo, que ſin tomar la Bulla los Indios ſe pueden caſar en el tercero y quarto grado, como antes.*

La

Mag. à Veracruce.

La razon de eſto es porque eſto ya entre los Indios es comun derecho, y la tal Bulla, que diſpenſa en el contraer matrimonio en tercero y quarto grado, no es priuilegio, ſi no Extrauagante, y de derecho. Y aſi como lo fue quando eſtaban los grados del matrimonio eſtendidos à ſiete grados, los quales ſe reduxeron à quatro por Innocencio Tercero; lo miſmo hizo Paulo Tercero en eſtos Indios, que los reduxo al primero y ſegundo. Y eſto que aqui digo no es ſolo opinion mia, ſino tambiem aueriguada con otros muy doctos aqui; y en Eſpaña, y conſultada, y admitida por el Señor Arzobiſpo Don Pedro Moya de Contreras. Sic ille. Circa quod aliqui ob conceſſionis ignorationem Indos ſolent ad oneroſas diligentias compellere, quod & in Parochis ac Prælatis ipſis non ſemel deprehenſum. Pro conceſſione alia Gregor. XIV. vide Cardinal. Lugo *in Reſponſis Moral. Lib. 6. Dub.* 5. qui alios adducit.

Aſſertio 2. intelligitãtium in lineâ tranſuerſali.

376 Dico ſecundò. In gradibus lineæ directæ aſcendētium ſcilicet, & deſcendentiũ, non videtur admittendũ, quod præcedenti eſt Aſſertione probatũ. Id probo; quia licet Pontifex circa hoc, diſcrimen non videatur ſtatuere, ita tamen eſt recepta conceſſio, neq; oppoſitum vnquam practicatum; immò neque de praxi aliquando cogitatum. Et quidem vix ratio occurrere poteſt, quæ conuenientiam aliquam in huiuſmodi matrimoniis oſtendat, vt facultas generaliter debeat cenſeri conceſſa, vbi plurimi Doctores ſunt affirmantes talia matrimonia eſſe iure naturę illicita & inualida, vt videri poteſt apud P. Thom. Sancium, qui eorum agmen valde numeroſum congerit *Lib. 7. de Matrim. Diſp.* 51. *n.* 12. Sed de eo ſtatim *Aſſert.* 4.

Aſſertio 3. extenduntur ad directos in affinitate.

377 Dico tertiò. Reſolutio Aſſertionis primæ ad gradus affinitatis in lineâ rectâ extendi poteſt. Itaque Indus coniungi poteſt nepotis vxori eo mortuo, & Inda neptis ſuæ marito, aut è contrà; ſi aliunde impedimentum non ſit, & ita in ſimilibus. Ratio eſt; quia conceſſio generaliter procedit & in hoc ea non apparet indecentia, quæ in conſanguineis lineæ rectæ ob ſanguinis eiuſdem participationem. Itaque ſi Indi, & alij ſimili prærogatiuâ gaudentes, eâ vti velint, prohibendi non ſunt, niſi ratio aliqua ſpecialis occurrat, de quâ iuxta caſus contingentiam iudicandum.

Aſſertio 4. non ſeparãdos conuerſos in gradibus iure naturæ nõ prohibitis coniugatos.

378 Dico quartò. Si Indi ante Baptiſmum, coniugium inierint in gradibus iure naturæ non prohibitis, neque per eorum leges, ita vt apud eoſdem, licèt illicita, non tamen inualida cenſeantur, non debent poſt Baptiſmum ſeparari. Sic communiter Doctores, & ratio eſt clara; quia coniugium tale validum fuit iure naturæ & ciuili apud Gentes illas: coniugium autem legitimum indiſſolubile eſt, & ita Eccleſia nequit illud, ſtante voluntate coniugum permanendi in illo, vllatenus irritare. Leges enim illius non ligant ipſos, quia extra eamdem ſunt, neque intra eamdem iam per Baptiſmum receptis, retrotrahi ad tempus inhabile poſſunt.

Iuxta probabiles opiniones iure fauorabiliter procedendum.

Quia verò circa gradus iure naturæ prohibitos valde diuerſæ Doctorum ſententiæ ſunt iuxta earum probabilitatem, ita eſt in hac cauſſâ procedendum, vt voluntati Neophytorum quantùm potuerit deferatur. Hoc enim vnum fidei impedimentum maximum eſſe ſolet, quod ex monogamiâ oritur, vnde vt illa ſtatui ſuauiter poſſit, conniuendum eſt paruulorum iſtorum deſiderio, quatenus illud per probabiles potuerit ſententias regulari. Eſt ergo ſatis probabilis illa, immò & probabilior, vt exiſtimat P. Thomas Sancius *ſuprà, numer.* 19. quæ aſſerit in ſolo primo gradu aſcendentium & deſcendentium eſſe ita interdictum coniugium iure naturæ, vt irritum ſit eo attento inter ſolos parentes & filios. Quod quidem magnum habet fundamentum in D. Thomæ doctrinâ 2. 2. *q.* 159. *art.* 9. *ad* 3. vbi quidquid indecentiæ circa hoc haberi poteſt, ad conſuetudinem, & legem humanam reducit, & tenent multi & grauiſſimi Doctores apud P. Sancium citatum: quibus addendi Bonacina *Tomo* 1. *Quæſt.* 3. *de Matrimonio, Puncto* 5. §. 1. *num.* 8. Diana *Parte* 8. *Tractat.* 1. *Reſolut.* 69. Caramuel *in Theologiâ morali, num.* 543. Baſilius Legionenſis *Lib. 7. de impedimentis Matrimonij, Cap.* 81. *num.* 6. Baſſæus verb. *Matrimonium* 7. *numer.* 23. P. Filliucius *Tomo* 1. *Tractat.* 10. *Parte* 2. *Cap.* 1. *numer.* 180. P. Palaus *Tomo* 5. *Diſputat.* 4. *Puncto* 7. *num.* 7. licèt non penitus ſecundum excludat. P. Bauny *Tomo* 1. *Tractat.* 12. *Quæſt.* 1. *de impedimento cognationis.* P. Reginaldum negantem illicitum eſſe adducit Bonacina *ſuprà*, ex *Lib.* 31. *num.* 140. §. *Aduerte tertiò.* Sed circa ſecundum gradum aliter videtur ſentire *num.* 119. vt omittam alios, quos citati adducunt; addentes infideles ſic coniunctos, cùm ad fidem veniunt, non eſſe ſeparandos; ſi id ægrè ferant, & futurum ſit illud recipiendæ fidei obſtaculum, aut minùs in eâ proficiendi. Ad hoc ergo non habent illi opus priuilegio.

Inter ſolos parentes & filios eſſe irritum matrimonium iure naturæ.

In lineâ tranſuerſali nullum tale impedimentũ.

379 Præterea, valde probabilis ſententia eſt in lineâ tranſuerſali nullum eſſe impedimentum iure naturæ aut diuino, quod diuerſum eſſe à jure naturæ nequit; quia quod in lege veteri, iam ceſſauit; in noua autem aliud non eſt, niſi quod pro Baptizatis Eccleſiâ ſtatuit, & infideles non tangit, vt benè obſeruat cum alijs P. Thomas Sancius *ſuprà, Diſput.* 52. *num.* 2. Itaque coniugia fratrum cum ſororibus iure naturæ licent, & apud Peruuianos in vſu fuerant, præſertim apud Reges, vt Regium genus hoc pacto illuſtrius haberetur, ſicut & apud Reges Mexicanos, & incolas prouinciæ de Vera-pace: pro quo videri poteſt Fr. Ioannes de Torquemada *Parte* 2. *Monarchiæ Indicæ, Lib.* 13. *Cap.* 11. vbi de Peruuianis negat; ſed apud Reges in more fuiſſe certis fundamentis compertum habetur: immò & apud alios, vt ex Concilio Limenſi colligitur, de quo ſtatim. Sententiam dictam tenent plures, quos adducunt & ſequuntur Baſilius Legionenſis *ſuprà, Cap.* 32. *num.* 3. *& ſeqq.* Diana *Parte* 4. *Tract.* 4. *Reſolut.* 93. *& ſuprà, Reſolut.* 70. Quidquid habeat *Parte* 11. *Tractatu* 8. *Reſol.* 63. ex Cardinali Lugo *Diſput.* 16. *de Pœnitentiâ*, *num.* 145. Franciſcus Ramus *in Allegatione ſpeciali de hac quæſtione.* Caramuel *ſuprà, numer.* 544. P. Bauny *Quæſt.* 2. P. Gaſpar Hurtadus *Diſput.* 17. *de Matrimonio, Difficult.* 5. P. Ægidius *Diſput.* 32. *num.* 15. P. Tannerus *Tomo* 4. *Diſputat.* 8. *de Matrimonio, Quæſt.* 4. *Dub.* 4. *num.* 59. *&* 60. Adducit etiam complures P. Thomas Sancius *Diſputat.* 52. *citatâ, num.* 10. Quidquid dixerit Sotus, cuius aſſertio non videtur P. Amico diſplicere *Tomo* 9. *Diſput.* 16. *n.* 33. Vbi ait hanc ſententiam eſſe valde probabilem, ſicut & P. Fragoſus *Tomo* 3. *Lib.* 10. *Diſput.* 22. §. 3. *num.* 36.

Digitized by Google

num. 36. addens cum eodem ſic conuerſos non eſſe ſeparandos, ſi id ægrè ferant, quod & Veracruz & Vega apud eumdem affirmant. Tenent etiam P. Palaus *ſuprà num.* 11. P. Martinus Perez *Diſput.* 28. *de Matrimonio Sect.* 5. & deberent certè tenere quotquot de ſecundo conſanguinitatis gradu dudum in aſcendentibus vidimus tenuiſſe. Maior enim reuerentia auis debetur quàm fratribus, & ita videmus fratrum conuictum eſſe familiariſſimum, vt minùs videatur dedecere ſororem ſupra corpus fratris poteſtatem habere, quàm neptem ſupra corpus aui. Quæ enim neptis ab auo non verecundetur petere debitum; quod tamen in ſorore non ita accideret, conſuetâ fratrem familiùs contrectare? Si ergo, non obſtante reuerentiâ illâ, validum eſt coniugium, multò id videtur certius in coniugio tranſuerſaliter coniunctorum, quicumque illi fuerint. Quod ergo in Concilio Limenſi Tertio dicitur, *vt coniugia inter fratres, cùm ad Baptiſmi gratiam peruenerint, rata non habeantur, ſed quicumque ita coniuncti fuerint, reperti ſeparentur.* De quo & Concilium ſecundum *Cap.* 38. iuxta probabilem ſententiam procedit, & ita non videtur generaliter, neque pro foro conſcientiæ, obligare.

In conſequentia affirmantium in ſecundo gradu aſcendentiū.

380 Eſt inſuper ſatis communis, & valde probabilis ſententia, quæ affirmat ex affinitate in quocumque gradu ſiue tranſuerſæ lineæ ſit, ſiue etiam rectæ, non oriri impedimentum, ex quo irritum matrimonium naturæ iure reddatur, quidquid de indecentia aliquali ſit. Sic tenent quamplures, quos adducit P. Thomas Sancius *ſuprà Diſputat.* 66. *numer.* 7. Bonacina *Quæſt.* 3. *citata Puncto* 12. *n.* 7. *& ſeqq.* Baſſæus verb. *Matrimonium* 7. *numer.* 72. Caramuel *num.* 591. Baſilius Legionenſis *Libr.* 7. *Cap.* 34. P. Gaſpar Hurtadus *Diſput.* 20. *Difficult.* 3. *&* 4. P. Bauny. 5. de impedimento affinitatis. verſ. *Oppoſita tamen.* Cardin. Lugo in *Reſponſis moral. Libr.* 1. *Dub.* 4. *numer.* 1. P. Amicus *ſuprà Sect.* 2. P. Mæratius *Tractatu de Matrimonio Diſput.* 9. *Sect.* 13. P. Eſcobar de Mendoza in *Theologia morali. Tract.* 7. *n.* 94. vbi tantùm ait eſſe probabile dirimere matrimonium iure naturæ in primo gradu, quaſi de probabilitate alterius nequeat dubitari. P. Martinus Perez *Diſput.* 31. *Sect.* 3. *num.* 6. Diana *Parte* 4. *Reſolut.* 93. *citata & Parte* 8. *Tract.* 1. *Reſolut.* 67. *&* 68. & alij. Sic ergo coniuncti, cùm conuertuntur, in ſuo ſunt relinquendi coniugio, ſi nequeunt ad ſeparationem in primo gradu rectæ lineæ conuenienter induci. Circa quos quidem caſus admonet Pater Laymam *Libr.* 5. *Tract.* 10. *Cap.* 5. *numer.* 3. conſultiùs eſſe adire Pontificem: vbi quidem ſpecialiter loquitur de coniugio inter fratres & ſorores. Vbi cùm conſultius dicat, conuenientiam talis aditionis oſtendit, ſed non obligationem. Et quidem admonitio talis pro Indiis videtur inutilis, in quarum remotiſſimis regionibus qui conuertuntur, nequeunt reſponſum per tot temporum ſpatia venturum expectare. Pro re ergo nata iuxta probabiles ſententias agendum: licet de conuenientia conſultationis dictæ pro caſibus eius generis, quatenus occurrere poſſunt, inpoſterùm, nequeat dubitari, & ad hoc, vt dixi, non eſt opus priuilegio. Poteſt quidem inter fideles matrimonium fratris & ſororis tolerari, qui ignorent ſe eſſe tales, eo quòd nequeat eius diſſolutio ſine graui inconuenienti tentari: pro quo ſingularem caſum adducit P. Comitolus *Lib.* 1. *Reſponſorum moralium. Quæſt.* 112. Ex quo fit inter infideles, vbi pro eius valore, & rationum pondus & ſcriptorum militat auctoritas, magis eſſe tolerabile, vt cùm ad fidem veniunt, non debeat illud penitus improbari. Neque vrgent, quæ Cardin. Lugo adducit *ſuprà num.* 4. *& ſeqq.* quia hic de diſpenſatione non agimus, ſed de tolerandis coniugiis contractis ab infidelibus. Concilium autem Limenſe, ex quo ille arguit, probabilitatem ſententiæ non tollit, ſicut neque declaratio Pauli Quarti, quorum deciſio generalis eſt & non tollit quin in caſu particulari id poſſit fieri, quod eſt à nobis comprobatum.

Nullum affinitatis gradum eſſe iure naturæ prohibitū, vt irritans matrimonium probabilis ſententia multorum.

381 Iuxta hæc ergo priuilegium Pauli Tertij, quod habetur in Compendio Indico verb. *Diſpenſatio* 5. 5. abſolutè neceſſarium non eſt, ſed ad tollendam dubitationem omnem impetratum. Habetur in Bulla eiuſdem, quæ incipit. *Licet debitum*, cuius verba ſunt: *& cum iis, qui ab infidelitate conuertuntur, & in locis remotiſſimis, in gradibus non licitis, tamen lege diuina non prohibitis, matrimonia contraxerint, vt in eiſdem manere poſſint diſpenſare.* Sic Pontifex. Cùm enim matrimonia dicta non ſint contracta in gradibus diuinâ lege prohibitis, iuxta probabiles valde ſententias, non videtur eſſe opus diſpenſatione, quia in illis nihil contrarium eſt dogmatibus Catholicis. Niſi dicamus Eccleſiam poſſe ſic coniugatos ad Baptiſmum non admittere, niſi ſe illius legibus hac in parte velint conformare: quod dum non facit, ſed benignè ſuſcipit, videri diſpenſare. Sicut enim illi probabiliter in coniugio permanere poſſunt, ita & Eccleſia probabiliter de inualiditate eorum iudicare, & ſic ſeparationem renuentibus ingreſſum prohibere. Sicut prohibet polygamis in polygamia perſeuerare volentibus; cùm tamen polygamiam non eſſe contra legem naturalem, graues ſcriptores teneant, vt videri poteſt apud P. Thomam Sancium *Lib.* 7. *Diſputat.* 80. *num.* 5. & licet ad hoc vt Eccleſia polygamiam non admittat in iis, qui conuertuntur, afferri pro ratione adæquatâ poſſit præceptum poſitiuum Chriſti, qui *Matthæi* 19. matrimonium ad primæuum ſtatum reduxit, in quo vnica tantùm licebat vxor, id quidem non eſt certum ad infideles extendi: & ita apud illos polygamiam eſſe licitam tenent Abulenſis *in citatum Caput Matthæi. Quæſt.* 35. paulò poſt principium, Veracruz *Secunda Parte ſpeciali Artic.* 17. *Concluſ.* 5. tamquàm valde probabile. Et quamuis P. Sancius *ſuprà numer.* 14. ſententiam dictam tolerabilem, non eſſe affirmet, alij tantùm dicunt oppoſitam eſſe communem, vt videri poteſt apud Bonacinam *Quæſt.* 3. *Puncto* 10. P. Palaum *Diſput.* 3. *Puncto* 1. P. Martinon *Diſput.* 72. *numer.* 27. & alios. Et Victorellus in Additionibus ad Cardinalem Toletum *Lib.* 7. *Cap.* 7. ſic ait: *Problema eſt an infideles nunc plures vxores habentes peccent.* Qui dicendi modus licet ſuſtineri aliquo modo poſſit, contrarium tamen magis eſt Eccleſiæ menti conforme in Cap. *Gaudemus*, de diuortiis, vbi permittitur fideli conuerſo habitare cum infideli, ſic reddita ratione: *Cùm per Sacramentum Baptiſmi non ſoluantur matrimonia, ſed crimina dimittantur.* Cùm ergo

Priuilegiū Pauli III. non eſſe abſolutè neceſſariū.

Illius tenor.

Quomodo habere rationem diſpenſationis videtur: vbi ex polygamia arguitur iure naturæ non permiſſa, & tamen non tolerata ab Eccleſia.

Lex monogamia infideles non obligare qui cenſent, & de probabilitate ſententia.

Cap. Gaudemus.

Digitized by Google

ergo matrimonia non ſoluuntur per Baptiſmum; ea quæ probabiliter talia ſunt, ab Eccleſia debent probabiliter ſuſtineri: & ita pro illo diſpenſatio neceſſaria non eſt, quæ propriè talis ſit; vnde ſi detur, ad maiorem debet ſecuritatem aduocari.

Aſſertiones aliæ pro eodem.

Aſſertio 5. Religioſos Societatis poſſe in omnibus gradibus iure diuino non prohibitis diſpenſare.

382. Dico quintò. Religioſi Societatis poſſunt cum Neophytis diſpenſare in quibuſcumque gradibus conſanguinitatis & affinitatis iure diuino non prohibitis, iuxta formam conceſſionis, quæ habetur in Compendio Indico per Gregorium XIII. Pium IV. & Pium V. & ſic habet: *Poſſunt Presbyteri Societatis à Præpoſito Generali per ſe vel alios ad id electi Auctoritate Apoſtolica (gratis tamen, diſpenſare cum Neophytis in quibuſuis Orientis, Braſiliæ, Peru, Nouæ-Hiſpaniæ, & aliis vltramarinis regionibus, inſulisque Oceani maris, ac Occidentalibus partibus degentibus, in quibuſcumque iure diuino non prohibitis conſanguinitatis vel affinitatis gradibus, vel aliàs coniunctis, aut ſe attinentibus, vt impedimentis huiuſmodi non obſtantibus, matrimonium inter ſe contrahere, & ſolemnizare, ſeu, ſi iam ſcienter contraxerint, denuò contrahere valeant. In partibus quidem vbi locorum Ordinarij de facili adiri poſſunt, in foro conſcientiæ tantùm, ſed perpetuo.* Sic ibi. Pro quo & adduci potuit conceſſio Pauli V. in Bulla, quæ incipit: *Cùm ſicut accepimus* Ann. 1614. Vbi quidem aliqua continentur ſatis eximia. *Primum*, nullum gradum excipi, niſi qui jure diuino ſunt prohibiti, de quibus iam dictum. *Secundum*, non ſolos gradus conſanguinitatis & affinitatis, ſed quamcumque aliam conjunctionem diſpenſationi non obſtare, quæ quidem non alia eſſe videtur, niſi cognationis ſpiritualis, legalis, & publicæ honeſtatis. *Tertium*, ad Ordinarios neceſſarium non eſſe recurſum, vbi de facili adiri nequeunt. *Quartum*, conceſſionem in foro conſcientiæ eſſe perpetuam. Circa quæ aliquid adiiciendum.

Priuilegij tenor.

Eximia illius conceſſio.

Diſpenſationem circa omnes dictos gradus ſtare poſſe, ſi probabiles ſententiæ circa eoſdem ſint.

383 Circa primum, cùm ſolùm in primo gradu aſcendentium ſit prohibitio indicta lege naturæ, & ſic diuina, circa alios conceſſio locum habere poteſt, ſi id forum conſcientiæ patiatur. Nam cùm cognationes ſoleant eſſe notiſſimæ, ſicut & affinitates, quæ ex copulâ illicitâ non proueniunt, non videtur frequenter poſſe occaſionem occurrere, in qua forum illud ſecretum poſſit obſeruari. Sed quia reuera eſſe poteſt, licet non frequens, tunc dictâ vtendum facultate; vt ſi ignoretur feminam aliquam eſſe neptem cuiuſquam, quia ex fornicaria copulâ genita, quod tamen auus ſciat, & ſic in aliis. Vt inter ignotos fratres & ſorores, pro quo duos caſus notabiles refert P. Comitolus *Lib. 1. Quæſt. 112.* Tales enim circa hoc occurrere congruentiæ poſſunt, vt priuilegium applicandum ſit iuxta probabiles de graduum prohibitione ſententias: illæ enim non ad meram ſpeculationem inuentæ, ſed vt per eaſdem poſſit animarum ſaluti, & conſcientiarum tranquillitati ſuccurri. Quomodò autem ſtare huiuſmodi ampla conceſſio poſſit cum limitatione circa primum gradum ab aliis Pontificibus adiecta, dicemus *n. 387. & ſeqq.*

Idem circa cognationem ſpiritualem, legalem, & publicæ honeſtatis.

384 Circa ſecundum, quod ad impedimenta dicta cognationis ſpiritualis, legalis, & publicæ honeſtatis verba illa referri debeant. *vel aliàs coniunctis, aut ſe attinentibus*, ex eo conſtat, quia ratione illorum aliqua coniunctio ſeu attinentia eſt; & cùm nulla dicatur obſtare, generali ſunt clauſulâ cõprehenſa. Et quod ad duo poſteriora impedimenta pertinet, nulla videtur eſſe difficultas: quoad primùm autem id forſan obſtare quiſpiam arbitretur, quod habet P. Thomas Sancius *Lib. 8. de Matrimonio, Diſp. 19. num. 7.* ex diuerſis Auctoribus, ſcilicet diſpenſationem in hoc impedimento eſſe difficiliorem, quia coniunctio eſt dignior, vtpotè à venerabiliori principio, & ita magis ab huiuſmodi coniugiis abſtinendum eſſe præterea illud indecens, & Eccleſiam Romanam numquàm in eo diſpenſare. Quod quidem vt non debeat ſic generaliter accipi; ſaltem habere verum in cognatione inter leuantem ac tenentem, & leuatum ac tentum, experientiâ eſt compertum. Et confirmari poteſt ex facultatibus conceſſis Epiſcopis Indiarum, de quibus aliàs: nona enim ſic habet: *Diſpenſandi in impedimento cognationis ſpiritualis, præterquam inter leuantem & leuatum.* Sed hæc non videntur obſtare: nam in primis diſpenſatio talis concedi ſæpè ſolet in ſecunda eius ſpecie, in compaternitate inquam, quæ eſt inter leuantem & tenentem ac inter leuati ac tenti parentes: vnde ratio illa dignioris coniunctionis ob venerabilius principium non cogit, eo quòd totum illud iuris poſitiui Eccleſiaſtici ſit, & in eo tantùm inueniatur quædam imitatio naturæ in ordine ad ſuperiorem finem, vt exponit D. Thomas *in 4. Diſt. 42. q. 1. art. 1. in Corpore, & art. 2. ad 1.*

Difficultas circa cognationem ſpiritualẽ.

Cui clarè occurritur.

385 Deinde. Quod Doctores de difficultate illa dicunt, intelligendum venit de diſpenſatione pro foro externo; nec de Indiis locuti, in quibus ratione immenſæ diſtantiæ aliter oportuit prouideri. Quòd ſi Pontifices in facultatibus Epiſcopis Indiarum conceſſis id cum limitatione dicta conceſſerunt, alij eam non apponentes, liberalitatem exhibuêre maiorem, & id erga Epiſcopos etiam, vt *inferiùs* exponemus. Vnde in rigore facultate dictâ non egent, durante Societatis priuilegio, de quo & ſtatim. Et ita conceſſionem ad omnia impedimenta extendi, quæ iuris diui non ſunt, tenent Fr. Ioannes Baptiſta in Animaduerſionibus pro Confeſſariis Indorum *fol. 143. pag. 1.* P. Quintanad. *Tomo 2. Tract. 6. Singulari 12.* verb. *Diſpenſatio n. 17.* & alij; quamuis de aliis loquantur conceſſionibus, ex quibus quæ à nobis aliàs allata eſt, Innocentij Quarti ſic habet: *Vel in gradibus, & caſibus, à diuina minimè lege prohibitis, matrimonia contraxerant &c.* Vim etiam facit P. Quintana in conceſſione Alexandri Sexti omnimodâ facultatem tribuentis: vbi per errorem pro Adriano poſitus Alexander, erroris repetitione, quales alij in eodem opere, quæ eſſe ſolet fortuna poſthumorum. Adducitur etiam conceſſio Leonis X. *die 25. Aprilis Ann. 1521.* de quo diximus non ſemel temporalem fuiſſe & perſonalem, & ita non curandum. Nunc autem prædictâ Adriani Bullâ accuratiùs inſpecta ad communem exiſtimationem firmandam, iuxta quam vim retinere cenſetur, in eadem aliquale inuenio fundamentum: ſic enim in illa Adrianus poſt *Omnimoda* conceſſionem: *& quia vt accepimus, per præfatos Prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices aliqua indulta* conceſſa

Et quid ex difficili conceſſionis praxi ſequatur.

Conceſſio alia Innocentij IV.

Et Adriani Sexti altera.

Digitized by Google

conceſſa fuerunt Fratribus exiſtentibus, aut ire procurantibus in dictis; & ad dictas Indiarum partes; Nos, omnia illa confirmando, ac (quatenus opus eſt) de nouo concedendo, volumus vt præfati Prælati Fratrum pro tempore exiſtentes, & quibus ipſi de ſuis Fratribus duxerint concedendum, omnibus prædictis indultis in genere vel in ſpecie hactenus conceſsis, & in poſterùm concedendis, vti, potiri & gaudere liberè & licitè poſsint. Hæc Adrianus: quæ quidem ad ea præſertim referri poſſunt, quæ prædeceſſor eius Leo X. anno proximo conceſſerat; ſed cum temporariâ limitatione. Cùm autem in confirmatione & innouatione prædictâ nulla limitatio ſit, & ad futuros Prælatos ac Fratres, quibus illi concedendum duxerint, indultum præfatum extendat, veroſimile apparet generale eſſe & perpetuum, ac per communicationem alijs eâ gaudentibus conuenire. Quibus quid opponi poſſit video; ſed ea alijs diſcutienda relinquo.

Recurſum ad Ordinarios non eſſe neceſſariū. Et quando neque pro foro externo diſtantia ſpatio deſignato.

386 Circa tertium. Quòd ſcilicet recurſus ad Ordinarios neceſſarius non ſit, cùm de foro conſcientiæ agitur, vbicumque illi ſint, indicat pro foro externo etiam facultatem concedi, cùm de facili adiri nequeunt, vt exponit P. Quintanad. *Singulari* 12. *citato*, *num.* 10. ſic cenſens vt Ordinarius debeat itinere decem diætarum diſtare, quarum quælibet viginti millia paſſuum contineat, & omnes ducenta millia paſſuum, ſicut in eodem priuilegio extat, & in Bullâ Innocentij X. poſt alias Pauli V. & Vrbani VIII. Veroſimilius tamen eſt quod ex conceſſione prædicta Adriani habetur, & ab eodem ipſius verbis proponitur *numer.* 12. dum ſic loquitur: *Tamen intra duarum diætarum ſpatium ipſi, vel Officiales eorum, inueniri minimè poſſint.* Sic ille. Pro quo etiam facit id, quod Pontifices alij circa facultatem abſoluendi à caſibus Bullæ Cœnæ decernunt, & poſt alios ab Innocentio X. cuius verba dedimus *num.* 302. & quæ ad inſtitutum præſens faciunt, illa ſunt: *Neque Ordinarij ſaltem inter duas diætas exiſtant.* Diſtantia ergo duarum diætarum, quas communiter dicimus *Iornadas*, difficilem aditum reddit, vnde eâ ſtante, licebit vſus prædictæ facultatis virtute priorum conceſſionum, quamuis Innocentius X. priores illas decem diætas aſſignet: expediet autem ad offenſiones, quæ oriri inde aliquando poterunt, ſubmouendas, plus, quàm de iure neceſſarium ſit, Ordinariis hac in parte, ſicut & aliàs ſæpè, deferre.

Quid perpetuitati priuilegij obſtare videatur ex temporali aliorum Pontificum conceſſione.

387 Circa quartum, vt prædicta gratia perpetua non ſit, videntur obſtare temporales aliorum Pontificum conceſſiones, iuxta quas Innocentius X. verba illa. *Sed perpetuo* ſuſtulit, & ad viginti tantùm annos ſuas voluit prorogari. Et conceſſionem quidem perpetuam extitiſſe ignorare non potuit, quia eius meminit, quæ in Bullâ habetur Pauli III. & videtur eſſe, quæ incipit *Licet debitum*, de quâ *num.* 381. & ſine vlla temporis limitatione procedit. Aut ergo eam reuocare quoad hoc voluit, aut non eſſe perpetuam iudicauit. Cumque hoc vltimum dici nequeat, prius videtur aſſerendum. Et hoc quidem magis videtur vrgere in conceſſione prædictâ, quatenus eadem eſt cum conceſſione Pauli V. & Vrbani VIII. vt ex earumdem tenore conſtat. Paulus autem in conceſſione ſuâ, & ſimiliter Vrbanus, in earum exordio proteſtantur, in huiuſmodi gratiarum conceſſionibus, veſtigiis multorum Prædeceſſorum ſuorum inſiſtere. Vnde non videtur dubitari poſſe quominùs quidquid illi conceſſerant, habuerint ſatis ſuperque perſpectum. Hoc ergo ſcientes, & cum limitatione temporis concedentes, inutilem equidem conceſſionem ſuam non poterant ignorare: quandoquidem limitatione dictâ non obſtante, id quod ipſi temporale volunt, perpetuum fore ſciebant, & ita minimè à priuilegiatis de eorum limitatione curandum. Cùm ergo hoc dici nequeat, dicendum ſanè actum vtilem facere voluiſſe, & ita priuilegiorum antecedentium amplitudinem limitaſſe.

Eidem occurritur.

388 Nihilominùs pro perpetuitate ſtandum, quæ cùm ita manifeſta ſit ex vi priorum priuilegiorum, neque à Pontificibus limitationem addentibus fuerit expreſsè, aut etiam tacitè, ita vt expreſsæ reuocationi æquiualeat, illius conceſſio reuocata; non eſt cur debeat ſublata reputari. Regula Iuris in Sexto notiſſima eſt, oportere beneficium Principis eſſe manſurum: & ita cùm de illius permanentia dubitatio ſuboritur pro illâ eſt ferenda ſententia, & beneficium perpetuum iudicandum. Si ergo ita accidit quando perpetuitas in eodem priuilegio expreſſa non habetur, quantò id potiùs aſſerendum, vbi in priuilegio verbis expreſſis perpetuitas conſignata reperitur. Neque adducta obſtant, vt in caſu vrgentiore diximus, *num.* 15. quando ſcilicet ab eodem beneficium cum limitatione conceditur, quod ab ipſo fuerat ſine limitatione conceſſum; dummodò voluntatem ſuam non amplius declararit, vt *ibidem* citati tenent. Pro quo diſcurſus eſt ſatis vrgens in hunc modum efformatus. Nam concedentes cum limitatione, aut non meminerunt perpetuitatis aliàs conceſſæ, aut memoriam eiuſdem habuerunt. Si primum: non eſt locus reuocationi, quia ignorantia, & idem de inconſiderantiâ eſt, facit inuoluntarium: neque eſt credibile id, quod tantâ eſt cum conſideratione conceſſum, ſine conſideratione aliqua erga ipſum, ſiue in genere, ſiue in ſpecie reuocatum. Et hinc eſt ſolemnis Iuris deciſio in *Cap.* 1. *de Conſtitut. in* 6. pro ijs, quæ Pontifex in ſcrinio pectoris habere non debet, quia ſunt res facti, & ita poteſt ignorantia aut obliuio in eodem reperiri. Si autem meminit, cùm reuocare expreſsè potuerit, nec tamen ita fecerit, contra illum eſt interpretatio facienda: ſic enim & Pontifices ipſi ſtatuunt, & habetur etiam in Regulis Iuris *in* 6. 57. dum ibi dicitur quòd *contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs, eſt interpretatio facienda.* Et in rigore contra eum non eſt, licèt ſpecies aliqua oppoſitionis eſſe videatur. Verè enim ſibi non voluit eſſe contrarius, qui ſic ſtatuit, cùm expreſſionem ſuæ ſubtraxerit voluntatis.

Pro quo & vrgens diſcurſus.

Cap. Contra, de Regulis Iuris in 6.

Omnes cōceſſiones quomodo cohærere poſſint.

389 Poſſunt autem conceſſiones dictæ, etſi contrariæ appareant, inter ſe cohærere, & poſterioris ratio aliqua ſpecialis ſubeſſe: velle inquam Pontificem non ita independenter Euangelicos miniſtros ſe gerere, vt non debeant ad Sedē Apoſtolicam aliquē recurſum habere, quod modus limitatæ indicat conceſſionis, licèt aliàs ſciant conceſſionē eſſe perpetuam: vel moderationis in eius vſu admonere, cùm adeò facilis ſubtractio ſit, ſicut eſt facilis limitatio. Et generaliter loquendo, dum limitatio additur, id eſſe indicio poteſt, non ſibi

modò conceſſionem amplam ita placere, ſicut aliis, aut etiam ſibi anteà placuiſſet: & quòd fortè ſi conceſſa prius ſine limitatione non fuiſſet, modò non concederetur, eò quòd ratio aliqua poſteà occurrerit, quæ pro voluntatis mutatione conſiderabile poſſit habere momentum; quâ tamen non obſtante, prior conceſſio abroganda minimè videatur. Quando autem ſic confirmari diſpoſitiones poſſunt, fauorabiliter iudicandum eſt, quia ſemper vitari debet cōtrarietas voluntatum. *L. Repugnantia. D. de Regulis Iuris:* prò quo & alia adducit Marius Antoninus *Lib.2. Variarum, Reſol. 22.num.7.*

Limitationem circa gradus ſimiliter non obſtare.

390 Iuxta quam doctrinam affirmandum etiam non obſtare limitationem, quam Pontifices poſteriores addunt circa gradus conſanguinitatis & affinitatis: primum enim excipiunt, vt in eo non poſſit diſpenſari, vt videri poteſt in Bullis Pauli V. Vrbani VIII. & Innocentij X. Cùm enim Paulus III. & Greg. XIII. aliique eos tantùm excipiant, qui iure diuino ſunt prohibiti, eorum eſt ſtandum conceſſioni; quod viri docti in hac & aliis Prouincijs cenſuerunt, & quaſi pro certo ſtatuit P. Quintan. de ſimilibus conceſſionibus loquens *ſuprà ſingul.* 13.*n.*7. Eſt autem pro eo ſpecialiter ratio vltima, & quod de volūtate Pontificum dictum eſt: velle ſcilicet hoc pacto oſtendere, quòd ſi ipſi primi huius priuilegij eſſent auctores, primum gradum minimè eſſent conceſſuri, quamuis ob reuerentiam concedentium, & tuendam Sedis Apoſtolicæ auctoritatem, quæ formitati & obſeruantiæ ſuorum priuilegiorum aduigilat, illud noluerint penitus reuocare. Quibus addo conceſſionem iſtam vt à præfatis Pontificibus profectam, meram gratiam continere, vt ex illius conſtat exordio: iuxta poſtulationem enim RR. Patrum Generalium procedit, qui augeri Societati gratias, non adimi cupiebant: & per eam regulanda conceſſio. Cap. *Inter dilectum*, §. *Cæterum*, de fide inſtrumentorum, cùm Gloſſa ibi. Et Pontifices ipſi omnino beneplacentem circa hoc voluntatem præſeferunt: ergo nihil tali conceſſioni ademptum, quòd aliàs liceret, quia circa hoc poſtulatio non eſt directa, & Pontifices meram gratiam conferre voluerunt.

Inſtantia vrgens pro aſſerto.

Aſſertio 6. circa forū exterius quòd Ordinarij cum aſſiſtentibus ſacerdotibus Societatis poſſint.

391 Dico ſextò. Secunda priuilegij pars, de quo *num.* 382. iuxta illius tenorem decurrere poteſt, qui ſic habet: *Ordinarij verò ipſi ibidem in vtroque foro, ſed tantùm ad viginti annos, à data præſentium computandos, de conſilio tamen & aſſenſu dictorum Societatis Presbyterorum, tamquam Adiutorum & Aſſeſſorum ſuorum, vbi eorum copia commodè haberi poſſit. In reliquis autem Prouincijs Ordinariorum præſentia deſtitutis, vel ab eis non minùs ducentis millibus paſſuum remotis, ijdem Presbyteri per ſe in vtroque foro poſſint in prædictis diſpenſare. Poſſunt etiam prædicti Sacerdotes in eiſdem locis denuntiationes, & alias extrinſecas ſolemnitates & cæremonias, cùm id expedire, aut neceſſum eſſe viſum fuerit, omittere: prolemque ſuſceptam aut ſuſcipiendam, legitimam declarare.* Sic ibi.

Priuilegij tenor.

Vbi quidē licet conceſſio temporalis ſit, in ordine tamen ad eius effectum cum amplitudine dicta debet intelligi. Itaque poſſunt Ordinarij Aſſeſſōrum prædictorum conſilio & aſſenſu in omnibus gradibus iure diuino non prohibitis, diſpenſare, non obſtante limitatione, de qua diximus; quia ſicut illa pro Religioſis Societatis non obſtat, ita neque prò Ordinarijs, quia ſimilis ratio militat. Vbi non iam in conceſſione Vrbani & Innocentij vis facienda eſt; quia cùm temporalis fuerit, & limitata, ſatis fundatum ex illa nequit deſumi præſidium; quod tamen ex Bullâ Pauli V. valde robuſtū occurrit. Ille enim in Bullâ citatâ *An.* 1614. quæ incipit: *Cùm ſicut accipimus*, priuilegium Societati in ordine ad diſpenſationem in quocumque gradu non prohibito iure diuino concedit, in foro conſcientiæ perpetuum: & poſt huiuſmodi conceſſionem pro foro externo idem, & eiſdem propè verbis, quod ex Indico Compendio eſt poſitum. Illa ergo conceſſio ad omnia ſe extendit, ad quæ prior pro foro conſcientiæ: quæ finita quidem eſt *Anno* 34. ſed inſtaurata ab alijs Pontificibus iuxta eumdem ſenſum intelligenda eſt, licèt illi primum gradum exceperint. Cùm enim, vt probauimus, eorum mens non fuerit amplitudinem priuilegij demoliri: ſicut in foro interno id dicendum eſt, ita & in externo, in quo id priori conceſſione licebat. Et quemadmodum circa amplitudinem numquàm in vtroque foro aliqua eſt decreta varietas, ſed ſolùm circa durationem; ita in poſterioribus eſt conceſſionibus aſſerendum, ad idem ſcilicet fori vtriuſque conceſſionem extendi, quidquid ſit de illorum duratione. Neque credibile eſt Pontifices velle Ordinariorum circa hoc facultatem eâ eſſe minorem, quæ Religioſis in foro conſcientiæ competit; quandoquidem in omnibus præcedentibus indultis eos pariarunt. De duratione autem priuilegij modò vigentis, ſcilicet Innocentij X. iam dictum *ſuprà*, quoad hoc ab *Anno* 1654. decurrens *Anno* 1674. finiendum.

Ordinarios poſſe in omnibus prædictis gradibus diſpenſare.

392 Sequitur iam illud: *De conſilio tamen & aſſenſu dictorum Societatis Presbyterorum.* Vbi manifeſtum eſt particulam, &, ſenſum copulatiuum reddere, & ita conſilium petiiſſe non ſufficere, niſi conſenſus ſeu aſſenſus accedat. Ea enim eſt vis dictæ particulæ copulatiuæ, quæ requirit concurſum copulatorum. Per Gloſſam & Doctores, in *Cap. 2. de Reſcriptis.* Baldum *Conſilio* 318. in fine, *Volum.* 4. Caſtrum *Conſilio* 44. *Col.* 2. *Volumine* 1. & alios communiter. Neque obſtat quod additur: *Tamquam Adiutorum & Aſſeſſorum ſuorum.* Aſſeſſorum enim non aſſenſus, ſed conſilium requiri debet, vt diximus *Titulo.* 3.92. Id namque communiter verum eſt, non tamen repugnat Aſſeſſorum aliquando Conſilium à Pontifice requiri. Et ita, videmus in his regionibus accidere in iudicibus delegatis circa ciuiles cauſſas Regularium, quando Iuriſperiti non ſunt: nequeunt enim contra Aſſenſorum Conſilium ſententiam pronuntiare. Præterquàm quòd Religioſi Societatis non Aſſeſſores tantùm, ſed etiam Adiutores compellantur; vnde in partem vocantur ſolicitudinis, vtpotè quibus eſt priuilegium directè conceſſum, & miniſterium conuerſionis, & fidei propagationis incumbit. Conſilium ergo Aſſeſſoribus reſpondet, aſſenſus Adiutoribus.

Sacerdotes Societatis ita eſſe Aſſeſſores, vt iuxta eorū aſſenſum nequeant Epiſcopi ferre ſententiam.

393 An autem aliunde poſſint Indiarum Epiſcopi ſine Aſſeſſoribus & Adiutoribus diſpenſare ſi quis quærat. Reſponderi poteſt affirmatiuè iuxta conceſſionem Adriani VI. de quâ *num.* 385. & 386. In eâ enim Religioſis diſpenſandi

Sine illis ex conceſſione Adriani poſſe diſpenſare.

facultas

facultas committitur, ſi Epiſcopi, aut eorum Officiales, intra duarum diætarum ſpatium non exiſtant. Vbi ſupponitur Epiſcopos ipſos, & eorum Officiales facultatem talem habere: aliàs non eſſet cur ea Religioſis deberet, vbi illi adſtant, limitari. Adducit etiam P. Quintanad. *Tractat. 6. citato, Singular. 12. numer.* 19. priuilegium Pij V. conceſſum Epiſcopis Indiæ Orientalis: ſic enim ille Archiepiſcopo Goano reſcribit:

Aliud Pij V

Quod Nos hortatus es ad concedendum iſtarum partium Epiſcopis facultatem diſpenſandi cum his, qui matrimonium inter ſe in gradibus à iure prohibitis contraxerunt, vel in poſterum contrahere contigerit Nos ſaluti animarum conſulere volentes, & conſiderantes quàm difficile ſit ac longum ex tam remotis Orbis terrarum partibus ab Apoſtolica Sede huiuſmodi abſolutiones & diſpenſationes petere, facultatem eam duximus concedendam, ſicut ex alijs noſtris Litteris Intelliges. Sic ille. Quam conceſſionem etiam ad Indias Occidentales extendi conſtat ex dictis, *numer.* 114.

Quid pro praxi & de Epiſcoporũ obligatione ad vſum priuilegij iuxta formam in eo præſcriptã.

Verùm quia iſta non adeò certa ſunt: non ex eo quòd priuilegia ſint incerta, ſed quia illatio irrefragabilis non eſt, licèt appareat probabilis, Ordinarij, dum conceſſio alia viget, iuxta illam debent in diſpenſatione procedere; quia aliàs inutile reddent priuilegium Societatis quoad forum exterius, iuxta id ſpeciale, quod ipſis in Ordinariorum ipſorum præſentiâ conceditur, contra Pontificis mentem, & ſecurâ relictâ viâ dubiam amplectentur ſine congruenti ratione: ex affectatâ inquam independentiâ à Religioſis, in quâ deberent Pontificiæ Sedi obſequium præſtare fidele, cuius beneficio ſunt id, quod ſunt, poſt Dei gratiam. Et hac ex parte eorum non limitat poteſtatem, cùm de iure illis diſpenſandi in prædictis non competat, ſed eiſdem benignè tribuitur cum aliorum adiutorio, ſicut in multis tenentur Capituli Conſilium adhibere. Si tamen conceſſio temporalis, de quâ agimus, aliquando deſit, tunc ad duas præfatas poterunt iuxta caſuum exigentiam prouocare.

Priuilegiũ Pij V. ad omnes Indiarum incolas extendi.

Et priuilegium quidem Pij V. non de ſolis Neophytis procedit, ſed generaliter: & licet de ijs procedat, qui in gradibus prohibitis contraxerunt, ad eos etiam extendendum, qui contrahere volunt, propter rationem eamdem, difficilem inquam aditum Sedis Apoſtolicæ: quæ ſanè vrget, dum de ſalute agitur animarum, vt Pontifex ibidem atteſtatur. Quod eſt dignum obſeruatione pro caſu ſaltem vrgentiore.

Diſtantia per paſſus quomodo cõputanda.

394 Circa id, quod de diſtantia ducentorum millium paſſuum dicitur, videtur aſſerendum non eſſe arithmeticè computandos, quod quidem impoſſibile moraliter eſt; ſed ad diætas reducendos: cùm enim diæta viginti millia paſſuum ſoleat cõtinere, iuxta dicta *n.* 386. & in Indiis ob locorum & viarum incommoda, minoris ſpatij eſſe ſoleant, iuxta diætarum communium, quas *Iornadas* dicimus, numerum, dicta eſt computatio facienda: cùm ſtet aliàs id, quod *cit. num.* de minoris ſpatij ſufficientiâ dicebamus. Alia autem ex priuilegio adducta ſpecialem difficultatem non habent, vt circa ea debeamus immorari.

Admonitio circa vſum priuilegiorũ attentâ ſolum conuenientiâ.

Tandem ſic additur: *Admonentur tamen omnes à Summo Pontifice, ne ijs facultatibus vtantur, niſi vbi id expedire exiſtimauerint, ſuper quo eorum conſcientiæ onerantur.* Sic ibi. Quæ admonitio non Religioſos Societatis ſolummodò, ſed & Ordinarios tangit, vt non pro libitu diſpenſationes faciant, ſed momentis vtilitatis expenſis, in quo video non rarò delinqui. Curati enim volentes contrahere Ordinarijs nudè proponunt, nullâ conuenientiæ additâ ratione, & ſine inquiſitione alia diſpenſantur. Niſi fortè exiſtiment Indos & ſimiles priuilegiatos eo ipſo quòd contrahere velint, diſpenſari debere, quia in diſpenſationis negatione inconueniens poteſt non leue timeri, quòd ſcilicet in pellicatu inceſtuoſo perſeuerent. Quæ ſuſpicio indole eorum inſpectâ, non debile habet fundamentum.

Admonitionis alia pars.

Iuxta quod etiam procedit id, quod tandem adijcitur in hunc modum, *& iniungitur vt diligenter Neophytos ipſos admoneant, vt ab eiuſmodi matrimonijs Canonica lege prohibitis abſtineant.* Quæ adhortatio nihil diuerſum videtur præſeferre: ſi enim prędictorum onerantur conſcientię, ne dicta facultate vtantur, niſi vbi expedire exiſtimauerint: eo ipſo ſatis intelligitur debere eos, qui contrahere ſine ſpeciali conuenientia volunt, à diſpenſatione repellere, & ſic matrimonia lege Canonicâ prohibita, nõ eſſe ab illis frequentanda.

Obſeruatio pro ſcrupulis ſubmouendis.

Pro huiuſmodi autem admonitionibus id ſit dixiſſe ſatis ad ſcrupulos ſubmouendos, quamcumque rationem conuenientiæ, ſuppoſita talium indole, ſufficientem fore, vt ſine conſcientiæ onere diſpenſatio poſſit impartiri.

Alia circa eamdem materiam Pronuntiata.

Priuilegiũ eximium Greg. XIII.

395 PRiuilegium aliud in Compendio Indico habetur §. 7. in hunc modũ. *Poteſt Præpoſitus Generalis, & alij Præpoſiti ac Presbyteri Societatis per Præpoſitum Generalem in Indiæ Orientalis partibus deputandi, exiſtente rationabili & legitimâ cauſſa, diſpẽſare in foro conſcientiæ cum Neophytis & alijs omnibus ibidem commorantibus, qui in facie Eccleſiæ illegitimum matrimoniũ, ſiue ſcienter ſiue ignoranter, contraxerunt, ſuper quouis occulto impedimento, propter quod tale matrimonium in conſcientia fuerit inualidum, ipſique contrahẽtes ſine ſcandalo ſeparari nõ poſſint, iniunctâ eis pro modo culpæ pœnitentiâ ſalutari; ſummodo de nouo inter ſe ſecretò contrahãt, ſeruata forma Concil. Trid. ſi id ſine ſcandalo fieri poſſit: alioqui (ſuper quo eorum conſcientia oneratur) etiam dicta formâ nõ ſeruata.* Sic ibi, admonitione eadem addita, de quâ *n. præced:*

Ad omnia impedimẽta & perſonas extenditur.

Quæ quidẽ conceſſio eximia eſt, quia nullus gradus aut impedimentum excipitur, ſed ad omne coniugium illegitimum extenditur. Deinde non pro Neophytis tantùm, ſed pro omnibus aliis Indiarũ incolis procedit. Et licet pro Indiâ Orientali ſit facta, ex declaratione tamen eiuſdem, qui conceſſit, quæ ad illam ſpectant, ad occidentalem ſunt etiam adſciſcenda, vt *num.* etiam *præced.* dicebamus. Illud autem eximiam conceſſionem obnubilat, quod ſcilicet temporaria fuerit, vtpotè à Gregor. XIII. ad decennium tantùm indulta. *Ann.* 1579.

Quia temporale, & finitum, ad praxim nõ videri reducendũ.

396 Quia verò, vt dixi *num.* 27. non deerunt qui cenſeant priuilegium dictum à Paulo V. confirmatum & innouatum; iuxta dicta *citat. num.* & antecedentibus aliis, magnum profectò ex eo pro caſu vrgentiſſimo poterit haberi perfugium. Quod tamen in Societate non videtur facilè admittendum, quia ad priuilegiorum vſum neceſſaria eſt communicatio R. P. Generalis; & illam pro caſu præſenti non eſſe ex eo apparet,

Digitized by Google

quòd cùm ipſe R. P. Generalis in eâ ſit fundatiſſimâ perſuaſione, vt priuilegia huiuſmodi perpetua non ſint, & ita neque vſum licitum; non videtur credibile velle ipſum communicationem talem cuiquam facere in re profectò grauiſſima, & in cuius vſu non leuia poſſunt inconuenientia reperiri. Quòd ſi contingat illum Prouincialibus, aut aliis ſine diſcrimine priuilegia concedere ſecundùm omnia in illis contenta, vtpotè viris doctis & ſcientibus quid ſibi per illa liceat: nihilominùs res ſcrupulo plena eſt, eò quòd numquàm videatur ſic communicantis ea eſſe mens vt ad præfatum effectum priuilegium extendatur: vnde ſi ipſe adeſſet, minimè tale aliquid aut faceret aut fieri pateretur. Currit ergo vulgatiſſima regula iuris, quod in generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis in ſpecie non eſſet veroſimiliter conceſſurus. Quòd ſi à Societate confirmatio dicti priuilegij non eſt admiſſa, vt quæ fundamento carere ſolido videatur, ex eo deducendum neque Religioſos alios poſſe virtute talis confirmationis operari: neque enim plus illis licere poteſt, quàm principali priuilegiario, cùm conceſſio illorum ſit adinſtar, vt iam dictum & probatum. Vbi nequit ſententia illorum ſuffragari, qui affirmant non vſum priuilegij reſpectu aliquorum non nocere aliis habentibus communicationem, quo minùs vti eo poſſint. Pro quo Emmanuel Rodericus *Tomo 1. qq. regular. q. 55. artic. 19.* nam id verum habet quando priuilegium in ſuâ origine ita receptum eſt, vt vim habuerit, cui tamen ſit vſus denegatus: quod quidem in caſu præſenti non accidit, iuxta præmiſſam explicationem. De priuilegio autem Pij V. de quo *numer.* 393. alia eſt ratio, quia ſine temporis limitatione conceſſum.

Sententia circa non vſum in vna Religione, non ſuffragari.

Quomodo extendi priuilegium ad matrimonia non contracta poſſit.

397 Poteſt autem circa dictum priuilegium, aliquando forſitan confirmandum, vel ſecundùm eam vim, quam aliqui eidem affingunt, inquiri an deſeruire poſſit, vt qui nondum matrimonium contraxerunt contrahere queant, ſicut de priuilegio Pij V. diximus *num.* 393. Ad quod negatiuè reſpondendum videtur, quia ſatis eſt tenor conceſſionis expreſſus: neque illius & alterius citati eadem eſt ratio: in priori enim pro ratione conceſſionis tantùm redditur diſtantia; in alio verò ſcandali euitatio: quæ quidem in matrimonio contracto locum habere poteſt, non ita in contrahendo. Quòd ſi reuerà aliquando ſit, idem dicendum, idque iuxta caſus contingentiam iudicandum. Dixi *licitè*, quia de remedio illicito alia eſt ratio: vt ſi aliqui ſcientes diſpenſationem ſibi non poſſe conferri vt contrahant, quæ ſolùm pro contracto iam matrimonio conceditur; re ipſa illud ineant, & ita eo beneficio gaudere contendant. Vbi quidem negandum videtur, quia nemini ſua fraus prodeſſe debet, vt clamant iura: neque dici poteſt eum, qui ſic agit, ſuo iure vti, quandoquidem non iure, ſed iniuriâ proceditur, reddendo irritum contractum, & nullum pariter Sacramentum. Si tamen poſt factum reuerà pœnitcant, & ſatisfactionem offerant, qualem Pontifex in ſuâ conceſſione requirit, non debent illius beneficio priuari, iuxta multorum ſententiam, docentium eum, qui opere prauo in eam defatigationem incidit, quæ ſi aliunde procederet, eum à ieiunio penitus excuſaret, non eſſe ad ieiunium obligandum, quamuis ſciens & prudens id fecerit, pro quo videri poteſt P. Fagundez circa quartum Eccleſiæ Præceptum *Lib. 1. Cap. 8. num. 17.* Cùm enim Pontifex de contrahentibus ſcienter etiam determinet, neque caſum præſentem excipiat, ac ſatisfactione ſit proportionatâ contentus; id ſatis videtur ad beneficium diſpenſationis obtinendum.

Quid de ſcienter contrahentibus.

Ex ſententia ſe ad ieiunii impotentem reddentes arguitur.

398 Dico ſeptimò. Priuilegium, de quo in Compendio Indico verb. *Matrimonium*, vſum habet penitus expeditum, vt ſcilicet *Ordinarij locorum, Parochi, & Religioſi Societatis cum Indis & Æthiopibus, liberis ſeu ſeruis, ad fidem conuerſis, qui ante ſuſceptum Baptiſma matrimonium contraxerunt, vt eorum quilibet, etiam ſuperſtite coniuge infideli, & eius conſenſu minimè requiſito, aut reſponſo non expectato, matrimonia cum quouis fideli, aliàs tamen ritè contrahere, & in facie Eccleſiæ ſolemnizare, & in eis poſteà carnali copulâ conſummatis quoad vixerint, remanere licitè valeant: dummodò conſtet, etiam ſummariè, & extra iudicialiter, coniugem, vt præfertur, abſentem moneri legitimè non poſſe, aut monitum intra tempus in eadem monitione præfixum ſuam voluntatem non ſignificaſſe.* Gregorius XIII. *die 25. Ianuarij, Ann.* 1585. & habetur in Litteris Apoſtolicis pro Indijs *Pag.* 103. *Decreuit etiam eiſdem Litteris* (ſic in Compendio additur) *talia matrimonia, etiamſi poſteà contigerit coniuges priores infideles ſuam voluntatem iuſtè impeditos declarare non potuiſſe, & ad fidem etiam tempore contracti ſecundi matrimonij conuerſos fuiſſe; nihilominùs reſcindi numquàm debere, ſed valida & firma, prolemque inde ſuſceptam legitimam fore.* Sic ibi. Et hac facultate vti poſſe omnes Superiores, & eos, quibus ipſi eam communicauerint, ex Adnotatione habetur. Quæ quidem iuxta id intelligenda videtur, quod in textu extat, dum ſic dicitur: *In Angolâ, Æthiopiâ, Braſiliâ, & alijs Indicis regionibus poſſunt eorumdem locorum Ordinarij, Parochi, & Presbyteri noſtræ Societatis, ad Confeſſiones audiendas ab eiuſdem Societatis Superioribus approbati, & ad dictas regiones pro tempore miſſi, vel in illis admiſſi, diſpenſare, &c.* Cùm enim ad fruendum dicto priuilegio ſolùm requiratur approbatio Superiorum ad audiendas Confeſſiones, illa ipſa eiuſdem priuilegij videtur communicatio, quæ in Adnotatione præſcribitur, & à quolibet fieri Superiore poteſt. Vnde in ſimili alia facultate, de quâ verb. *Diſpenſatio* §. 5. nihil aliud requiritur quàm legitima deputatio ad audiendas Confeſſiones, iuxta ea, quæ dicta ſunt, *num.* 180. & 181. Sufficiet ergo ad audiendas Confeſſiones Indorum à Superioribus eſſe deputatos.

Aſſertio 7. circa priuilegium pro conuerſis, coniuge non conuerſa, aut è contrà.

Gregor. XIII.

Speciale illius decretum, & declaratio.

Quibus ſit vſus facultatis conceſſus.

399 Continet autem priuilegium dictum ſatis difficilem deciſionem. Cùm enim ex Eccleſiæ declaratione conſtet matrimonia infidelium legitimè contracta Baptiſmo non ſolui, de quo ſpecialiter in Cap. *Gaudemus*, de diuortijs: *Cùm per Sacramentum Baptiſmi non ſoluantur matrimonia ſed crimina dimittantur.* De quo *numer.* 378. Qui fieri poteſt, vt ab eadem ſoluantur Eccleſiâ, quando id accidit, quod in priuilegio habetur? Sed certè illud ita componi poteſt, vt non ſoluantur matrimonia per Baptiſmum, quando infidelis coniux habitare cum fideli non renuit, neque iſte periculum peruerſionis ex cohabitatione ſubit, propter quod eligat ſeparari. Tunc ſiquidem ad alias tranſire nuptias cum fideli coniuge poteſt; neque

Difficultas circa priuilegium ex legitimo matrimonio inter infideles, vt diſſolui nequeant.

Fit illis ſatis optima adducta ratione, & Iuris diſpoſitione nil iuncta.

Digitized by Google

neque enim ad cœlibatum cogendus eſt; aliàs fidei Chriſtianæ ſuſceptio multis exoſa redderetur. Cùm præſertim ij, qui conuertuntur, ex Paganiſmo veniant nondum plenè fibris gentilitatis euulſis, & carnis illecebris, quibus innutriti, vi ſpiritus mitigatis. Hoc ergo ſic voluiſſe Chriſtum meritò ſibi Eccleſia perſuaſit, & iam diu in vſu habuit, cùm id ratio videatur vrgentiſſima comprobare. Pro quo eſt, Cap. *Quantò*, de diuortiis, poſt citatum Cap. *Gaudemus*. Cap. *Iam nunc*. Cap. *Sic enim* 28. *q*. 1. Cap. *Si infidelis*, & alia ibidem, *& quaeſt*. 2.

Pro eodem D. Pauli auctoritas.

400 Nec ratione tantùm in eam perſuaſionem inductâ, ſed D. Pauli auctoritate, qui 1. *Cor*. 7. *verſ*. 10. *& ſequentib.* ita ſcribit: *Iis autem qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere: quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. Et vir vxorem non dimittat. Nam cæteris ego dico, non Dominus. Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et ſi qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic conſentit habitare cum illa, non dimittat virum. Quòd ſi infidelis diſcedit, diſcedat: non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater aut ſoror in huiuſmodi: in pace autem vocauit nos Deus.* Hæc Apoſtolus: qui dum libertatem fidelis coniugis, alio diſcedente, commendat, de illâ eſt accipiendus, quæ talis ſit, vt liceat ad nuptias alias animum applicare. Sic enim intellexerunt Patres & Pontifices, iuxta quorum intelligentiam citati Canones prodierunt. Quod verò conſenſus in ordine ad habitationem, non qualiſcumque ſit ſatis, ſed qui eſſe queat ſine iniuria Creatoris, ex eiuſdem Apoſtoli doctrinâ deducitur, dum non quemlibet conſenſum ſtatuit, ſed qui poſſit eſſe pacificus: qualis non erit, ſi coniuges ſe ad fidem eiurandam, aut grauia aliqua crimina infidelibus propria prouocarint. Pro quo Innocentius III. in Cap. *Quantò* iam citato ita loquitur: *Si enim aliquis infidelium coniugum ad fidem Catholicam conuertatur, altero, vel nullo modo vel non ſine blaſphemia diuini nominis, vel vt eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad ſecunda, ſi voluerit, vota tranſibit: & in hoc ſenſu intelligimus quod ait Apoſtolus: ſi infidelis diſcedit, diſcedat: frater enim, vel ſoror, non eſt ſeruituti ſubiectus in huiuſmodi: & Canonem etiam, in quo dicitur:* (citato Cap. *Si infidelis*, *q*. 1.) *Contumelia Creatoris ſoluit ius matrimonij circa eum, qui relinquitur*, Sic ibi; quia verò ſtante infidelitate non videtur obtineri poſſe, vt ſine periculo peruerſionis cohabitare coniuges poſſint; cenſent Doctores aliqui, eo ipſo quòd conuerti nolint, poſſe fideles ad alias nuptias pertranſire. Videantur illi apud Dianam *Parte* 3. *Tractat*. 4. *Reſol*. 252. qui pro contraria plures adducit, iuxta quam diſcurſus noſter procedit.

1. Cor. 7. v. 10. & ſeqq.

Cap. *Quantò, de diuortijs.*

Doctrina Apoſtoli vt ſtare queat cum præcepto Chriſti non dimittendi vxorem.

401 Quòd ſi quis vrgeat, cùm Chriſtus non eſſe vxorem dimittendam præceperit, & diſcedentem manere innuptam, quomodo ſtare poſſit vt Apoſtolus diſſolutionem aſſerat licere coniugij? Reſpondeo vtrumque ſtare optimè poſſe, quia quod Chriſtus iubet, abſolutum præceptum eſt, neque conditiones conuerſionis inſinuat, pro quibus ratio ſpecialis occurrit: debet ſiquidem vxor non dimitti, ſicut neque à viro vxor recedere, & vterque ad alias nuptias non tranſire: quod generaliter loquendo verum eſt. Sed cùm fidei cauſſa agitur, ſpeciale aliquid eſt, propter quod poſſit licitus eſſe receſſus: nō quidē expreſſum à Chriſto, ſed quod Apoſtolus ſpeciali Spiritus ſancti inſtinctu optima ratiocinatione deduxerit. Eſt ergo in illius doctrina aliquid, quod rationem præcepti diuini contineat, & aliquid quod humani. Si periculum peruerſionis ſit, obligatio dimiſſionis vrget, quia vt *Matth*. 18. *v*. 8. Chriſtus ait: *Si manus tua, vel pes tuus, ſcandalizat te, abſcinde eum, & proiice abs te.* Quod autem hoc receſſu aut dimiſſione lex matrimonij ſoluatur, humanum præceptum eſt, quia id à Chriſto non inuenitur expreſſum. Sicut enim quando duo in hæreſis ſtatu contrahunt, & vnus conuertitur altero nō conuerſo; ſi hic ob periculum peruerſionis dimittendus ſit; non ideò Catholicus nouas contrahere nuptias poteſt, quia hæreſis non eſt ſufficiens ad matrimonij diſſolutionem, vt determinat Pontifex in Cap. *Quantò* iam citato. Ita & circa infideles id ſtatui poterat: Quod autem non ita ſtatutum ſit, Apoſtolus cæleſti illuſtratus lumine, per quem & locutus Chriſtus, vt teſtatur ipſe 1. *Corinth*. 13. *v*. 3. declarauit. Quòd autem generalis aliqua Chriſti aſſertio peculiarem caſum non excludat, ex eodem loco poteſt, vbi Chriſtus ſtatuit matrimonij firmitatem dicens: *Dico autem vobis, quia quicumque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur.* Sic Matth. 19. v. 9. Eodem Capite ſic Dominus ad interrogationem Petri reſpondens: *& omnis qui reliquerit domum, &c. aut vxorem, & filios, &c.* vxor ergo non ſolùm ob fornicationem, ſed propter Chriſtum relinqui poteſt; & ita cùm generalis doctrina traditur, non ſemper ſub ea veniunt, in quibus peculiaris aliqua ratio pro diſpoſitione contraria ſuffragatur.

Matth. 18. v. 8.

Idem 19. v. 9.

Et quomodo illius præceptum ad totam Eccleſiam poſſit pertinere.

402 Licèt autem Apoſtolus non potuerit Eccleſiam aliquo ſuo præcepto ligare, quia Vniuerſalis Paſtor non fuit, quod ſolius D. Petri prærogatiua continuit: potuit tamen iudicium ſuum Eccleſiæ proponere, quod Chriſto inſpirante conceperat, & ipſa illud non vt præceptum amplecti: vt præceptum enim ad eos dirigi tantùm potuit, qui ad ſpecialem Apoſtoli curam pertinebant, & ad quos ſcribebat: ſed vt doctrinam Apoſtolicam, in quâ error eſſe non poterat; & ita quod ad particularem Eccleſiam ſcriptum, ad generalem vſum aduocare: neque enim id, quod ex diuina inſpiratione, in quâ error eſſe non poteſt, ab eo, cui eſt facta, proponitur, diuinum præceptum eſt abſolutè dicendum; licèt alias præceptum generale ſit obediendi ex tali inſpiratione præcipienti. Sicut hunc Sanctum ab Eccleſia Canonizatum coli non eſt de præcepto diuino, ſed Eccleſiaſtico; quamuis præceptum diuinum ſit obediendi Eccleſiæ in ijs, quæ ad cultum Sanctorum ſpectant. Illa enim de præcepto diuino eſſe dicuntur, quæ à Deo ipſo proprio nomine proponuntur, non ita quæ à Vicarijs eius, ipſo infallibiliter dirigente, progrediuntur. Et iuxta hoc non tollitur quin dici poſſit Chriſtum Dominum in diſſolutione matrimonij pro caſibus, de quibus loquimur, diſpenſare, vt loquuntur Doctores aliqui apud P. Thomam Sancium *Lib*. 2. *de matrimonio Diſput*. 13. *numer*. 9. *& Lib*. 10. *Diſput*. 15. *num*. 7. Quia cùm Chriſto inſpirante, & per

De præcepto diuino quæ dicantur, quæ de Eccleſiaſtica.

Digitized by Google

Explicatio alia ex eo quòd matrimonium ex natura ſua indiſſolubile non ſit.

Apoſtolum loquente, ſic res iſta procedat, Chriſto adſcribi poteſt, & debet. Quamquàm ſatis veroſimiliter dici poſſit in hoc non interuenire diſpenſationem, ſed id eſſe iuxta matrimonij natiuam conditionem, quod ex ſe non habet omnimodam indiſſolubilitatem: & cùm ex cauſſa aliqua diſſolui queat, nulla profectò maior eſſe poteſt, quàm illa, quæ ex cultus diſparitate conſurgit. Quando autem aliquid iuxta natiuam conditionem rei alicuius fit, non eſt diſpenſatio in eo, quia neque communis lex, ſed diſpoſitio accommodata naturæ. Et ita etiam dicendum in matrimonio rato, quod per Religioſam diſſoluitur Profeſſionem: cùm enim conſummatum non eſt, ex natura ſua more aliorum contractuum diſſolui poſſet ex voluntate contrahentium, naturâ contractûs eiuſdem attentâ: ſicut autem ex mutua voluntate, ita & per vnius ex illis, factâ Deo ſui traditione in ordine ad ſtatum incomparabiliter perfectiorem. Videatur P. Sancius *ſuprà num.* 10. & hæc explicandi ratio videtur ſatis congrua & expedita, quales non aliquæ aliæ, quæ apud Doctores occurrunt. Locum Apoſtoli elegantiſſimè verſat D. Auguſtinus *Lib.* 1. *de adulterinis coniugiis Cap.* 18. & refertur in Cap. *Si enim* 28. *q.* 1.

Priuilegiũ adductum quid conferat, vt tale dici propriè poſſit. Et vt tale non ſit, qua videantur vim habere.

403 Cùm ergo diſſolutio matrimonij facta mutatione vitæ melioris per Baptiſmum liceat, videndum quid in priuilegio adducto ſpecialis gratiæ rationem habeat, vt verè & propriè priuilegium poſſit compellari. Et videtur quidem tale non eſſe, ſed meram communis iuris declarationem, ſicut de priuilegio alio ex § 5. verb. *Diſpenſatio* dicebamus. Quòd enim tranſire ad alias nuptias abſolutè liceat, ex communi iure, vt nuper vidimus, compertum habetur. Volentem autem coniugem infidelem cohabitare fideli, ſine periculo peruerſionis non poſſe dimitti, iam etiam oſtendimus, iuxta Eccleſiæ mentem in Cap. *Quantò*, de diuortiis, cuius verba dedimus *num.* 40. & in Cap. *Gaudemus*, eodem Titulo. Vnde doctrina Apoſtoli in caſu tantùm periculi procedit. Id ergo quod dicitur in priuilegio de monendo coniuge infideli, & eius expectando reſponſo, iuxta huiuſmodi præſuppoſitum cadit, quòd ſcilicet, ad ſecuram habitationem ſit tantùm admittendus: & quòd moneri debeat, non priuilegij, ſed ſtricti præcepti continet rationem. Quòd ſi reſpondere intra terminum competentem nequeat, aut nolit, coniux fidelis nouum poſſit inire coniugium, ex Iure habetur: ſic enim in Cap. *Gaudemus* citato, verbis illis: *niſi poſt conuerſionem ipſius illa renuat habitare cum ipſo.* Quæ autem non reſpondet, apertè renuit, cùm ſciat ſe non reſpondente, coniugem ad alias nuptias tranſiturum. Si autem nequeat expectari reſponſum, eadem ratio eſt, quia non debet coniux fidelis obligari ad valde diuturnum cælibatum: & eſſet profectò, vt diximus, magnum ad fidei receptionem obſtaculum, ſi is, qui de conuerſione ſua agit, ad onus eiuſmodi cogeretur. Ex quo prouenit vt Æthiopes in regiones alias diſtracti, & fideles redditi ſuſceptione Baptiſmi, ſine ſcrupulo aliquo matrimonium contrahere permittantur, cùm tamen certum ſit multos illorum in natiuo ſolo matrimonia ſuis ritibus contraxiſſe. Quod tandem Gregorius priuilegij largitor attexuit de firmitate matrimonij ſic contracti, etiamſi coniux impeditus reſpondere, poſteà voluntatem ſuam manifeſtet, & reipſa conuertatur ita dicendum neceſſariò fuit: quia cùm matrimonium in facie Eccleſiæ contractum omnino validum fuerit, ab alterius iam conſenſu non pendet, neque illi iniuria fit, quandoquidem & ille liber à vinculo manet, & alias poteſt nuptias ſibi fortè gratiores & commodiores celebrare. Nihil ergo videtur ſpeciale per hoc priuilegium concedi, quod anteà non liceret.

Diſpenſationem non videri neceſſariã.

404 Qui diſcurſus etiam oſtendit ad effectum prædictum diſpenſationem non eſſe neceſſariam: vnde non apparet quomodo in priuilegio ipſo dicatur ibi expreſſos poſſe cum Neophytis in ordine ad illum diſpenſare. Diſpenſandi enim facultas ex Iure habetur, & Apoſtolicâ declaratione: neque in ſpeciali infidelium genere, de quo agitur, quidquam occurrit, vt pro iis peculiaris ſit diſpenſandi facultas requiſita. In quo quidem licet non multùm ad rem ipſam ſpectare videatur hoc aut illo modo loqui, dummodo conſtat quid ſit in facti contingentiâ faciendum; dici tamen poteſt gratiam aliquam admiſceri in eo quòd ſpatium temporis ad expectationem reſponſi coniugis infidelis, & alia, quæ circa hoc occurrere poſſunt, non ſolùm Ordinariorum, ſed Parochorum, & Religioſorum Societatis diſpoſitioni committitur, cùm ad Epiſcopos id ſpectare ſoleat, & ita per eos, aut etiam per Prouincialia Concilia ſpatium ſit temporis definitum, vt ſtatim videbimus. Eſt ergo diſpenſandi facultas non tam in ſubſtantiâ ipſâ, quàm in modo. Deinde, licet verum ſit, quod ex aliis habet P. Sancius *Lib.* 7. *Diſput.* 74. *num.* 4. poſſe ſcilicet diſſolui matrimonium in prædictis euentibus non eſſe ex iure aliquo Pontificio: matrimonium enim conſummatum nequit iure Pontificio diſſolui, quamuis in infidelitate initum ſit, ſaltem lege naturali: ſed id haberi ex priuilegio Chriſti ſic in fidei fauorem concedentis, quod D. Paulus citato loco promulgauit verbis allegatis ſic ab Eccleſia intellectis. Id tamen non eſt ita certum, vt graues Auctores deſint aſſerentes diſſolutionem talem iure Pontificio peragi, vt videri poteſt apud eumdem Patrem *ibidem*. Potuit ergo Doctiſſimus Pontifex Gregorius in ea eſſe fortè ſententia, vti priuatus Doctor, & ita ad diſpenſandum omnibus præfatis tribuere facultatem. Quòd ſi dicatur iam illam ex Iure haberi: occurri poteſt non eſſe omnino certum eos, qui conuertuntur, non conuerſis coniugibus, eo ipſo eſſe diſpenſatos, & ſine dependentia omni ab Eccleſiaſticâ iuriſdictione poſſe contrahere: quia hoc non debuit Neophytorum arbitrio, qui rudes circa res Eccleſiaſticas ſolent eſſe, relinqui. Immò generaliter loquendo non diſſolui matrimonium, de fide eſſe affirmat P. Sancius *ſuprà Diſput.* 73. *num.* 6. & deſiderari ſententiam iudicis ſunt qui affirment, vt videri apud eumdem poteſt *Diſput* 74. *num.* 11. & neceſſariam eſſe Pontificiam auctoritatem, cùm coniux moneri non poteſt, tenent Baſilius, Pontius, & alij, quorum ſententiam vt probabilem proponit Diana *Parte* 3. *Tract.* 4. *Reſ.* 264. vbi pro contraria plures adducit. Eſt ergo locus diſpenſationi auctoritate Pontificis à Miniſtris Euangelicis faciendæ.

Aliquam tamen gratiam admiſceri oſtenditur.

Diſſolutionem matrimonij iure Pontificio peragi, aliquorum ſententia. Et quid ex illa ſicut ex nonnullis alijs.

Cap. Gaudemus.

Quid

Digitized by Google

Quid ſpecialiter in Conciliis Peruuianis diſpoſitum circa eos, qui poſt contractum in Paganiſmo matrimonium conuertuntur.

Decreta Concilij 2. & 3. Limenſis.

405 CONcilium Limenſe ſecundum quod Prouinciale fuit, & *Anno* 1567. celebratum, ea circa cauſſam præſentem decreuit, quæ Conſilium Limenſe Tertium *Anno* 1582. his eſt verbis *Act.* 2. *Cap.* 10. complexum. *De iis, qui iam matrimonio iuncti conuertuntur ad fidem, coniuge adhuc infideli permanente, in Superiore Concilio prouidè conſultum eſt, vt ſi infidelis quidem ſpem ſuæ conuerſionis maturam oſtendat, Chriſtianus nullo modo ad alias nuptias tranſeat, quemadmodum ſacris eſt Canonibus definitum, ſed coniugis lucrum in Chriſto expectet. Si verò differat conuerſionem ſuam, neque tamen iam baptizato coniugi pernicioſus exiſtat, eum à fide auertendo, aut ad peccatū mortale pertrahendo (ceterùm id cùm ſit, ſacri Canones eos ſeparandos volunt, & Chriſtiano noui coniugij ineundi poteſtatem tribuunt) tunc & expectandum adhuc eſſe per ſemeſtre tempus, & aſſiduè de ſua interim conuerſione admonendum. Sed quoniam tum periculum recens conuerſi cauendum eſt, ne ſi diu permanſerit in toro infidelis, fidem Chriſto fortaſſis amittat, dum vult ſeruare homini: tum verò libertati illius conſulendum eſt, ne celebs viuere cogatur, qui forſitan vritur. Idircò decernimus vt tranſacto ſex menſium ſpatio res ad Epiſcopum deferatur, qui benè perſpectâ cauſſâ, fideli declaret copiam eſſe aliud matrimonium ineundi propter fidei aut charitatis ſcandalum, quod patitur. Quòd ſi nullum eſſe periculum in cohabitatione viderit, iubeat expectare infidelem, vel etiam conſulat cohabitare, ſi prodeſſe intelligit iuxta Pauli Apoſtoli conſilium.* 1. *Cor.* 7. *Neque enim poteſt omnibus conuerſis eadem lex præfigi, cùm occurrant profectò variæ circumſtantiæ, neque ſit omnium infidelium eadem ratio. Quarè Epiſcopi prudentia in re dubia, ne grauiter erretur, conſulenda erit, & iuxta Cap. Quanto, de diuortiis, cùm caſus acciderit, decernendum.* Sic Concilium à Sede Apoſtolica confirmatum, circa quæ à nobis aliquid adiiciendum.

Qua ſpes conuerſionis infidelis coniugis eſſe debeat.

406 Primò ergo quòd fidelis ad alias nuptias tranſire nequeat, ſi infidelis ſpem ſuæ conuerſionis oſtendat, ſacris dicitur eſſe Canonibus definitum: & ſpem hanc non qualemcumque ſufficere, ſed maturam eſſe debere, id eſt, non conuerſionis in longum protractæ, ſed tempus poſt breue futuræ. Pro quo eſt Apoſtolus *citato Cap.* 7. *Cor.* 1. vbi cùm præcipiat conjugem fidelem ab infideli non diſcederem volente in pace habitare cum illo, ita ſubdit: *Vnde enim ſcis mulier ſi virum ſaluum facies? aut vnde ſcis vir, ſi mulierem ſaluam facies? Niſi vnicuique ſicut diuiſit Dominus, vnumquemque ſicut vocauit Deus, ita ambulet.* Sic *v.* 16. & 17. & ita habetur in Cap. *Iam nunc* 28. *quæſt.* 1. vbi ſic dicitur: *& ſic ad lucrandos coniuges, & filios Chriſto, exemplis etiam, quæ prouenerant, videtur hortatus. Cur ergo non expediat etiam infideles coniuges dimitti à fidelibus, cauſſa euidenter expreſſa eſt. Non enim propter vinculum cum talibus pactum coniugale eſt ſeruandum, ſed vt quærantur in Chriſto recedi ab infidelibus coniugibus Apoſtolus vetat.* Sic ibi ex D. Auguſtino *Libr.* 1. *de adulterinis connubiis. Cap.* 13. Quod autem ſpes maturæ conuerſionis eſſe debeat, & non in longum protractæ, ex eadem doctrinâ deducitur: nam experimentum diſpoſitionis in ordine ad conuerſionem breui tempore haberi poteſt, & ita ceſſat finis huiuſmodi permiſſionis, quòd ſcilicet coniux infidelis *quæratur in Chriſto.* Aliàs grauiſſimum onus conuerſis imponeretur coniugibus, quòd ſcilicet per totam vitam deberent in coniugio cum infidelibus permanere, quia per totam vitam ſpes aliqua eſſe poteſt, & conſtat aliquos in illius fine conuerſos.

1. Cor. 7. v. 16. & 17.

Cap. Iam nunc.

D. Auguſt.

Modo non licere habitationem cum infideli, aliquorum ſententia.

407 Secundò addit Concilium coniugem infidelem ad cohabitationem admittendum, ſi pernicioſus non ſit, aliàs dimittendum. In quo quidem ſunt qui contradicant, exiſtimantes non eſſe licitam huiuſmodi cohabitationem, quia ab Eccleſiâ prohibita, quidquid de ſæculis prioribus fuerit. Tria enim tempora diſtinguunt. Primum ab Apoſtolorum prædicatione, & ſexcentis poſteà annis, quibus frequens erat infidelium conuerſio ac Iudæorum. Et tunc permittebatur cohabitatio ſecundùm D. Pauli conſilium, & conditiones ab eodem propoſitas. Et ita id tenuit D. Auguſtinus relatus in Cap. *Si enim* 27. *quæſt.* 2. Vbi manifeſtus error eſt: in prædicto enim Capite. *Si enim* nihil tale habetur; benè tamen in Cap. *Sic enim* 28. *quæſt.* 1. Secundum tempus ſecutum eſt, quo rariſſimè Iudæi ad Chriſtum conuertebantur, erantque peruicaciores in ſua perfidiâ; & tunc edita eſt Synodi Toletanæ Conſtitutio, quæ habetur in Cap. *Iudæi* 28. *quæſt.* 1. vbi prohibentur Iudæi, qui mulieres habent Chriſtianas, cum eiſdem habitare, cuius ratio redditur verbis illis: *Verùm hoc ideò ſtatutum eſt, ne dum fidelis ſalutem quærit infidelis, potiùs ipſe cum ea infidelitatis perditionem inueniat.* Sic Concilium Toletanum 4. Ratio autem prædicta, licet ad omnes ſpectare infideles videatur, ad ſolos eſt Iudæos, de quibus agebatur, referenda; quia infideles alij non ita obſtinati in ſua perfidiâ erant, vt eorum deberet conuerſio deſperari. Tertium tandem; quo Eccleſiæ conſuetudine eſt receptum, ac præceptum inductum, vt coniux ad fidem conuerſus non permittatur cum infideli cuiuſque ſectæ habitare. Eo quòd experientia docuerit ſucceſſu temporis coniugi fideli ex infidelis conſortio non modicum periculum imminere. Sic P. Thomas Sancius *Lib.* 7. *Diſp.* 73. *numer.* 12. vbi plures pro eodem adducit. Qui tamen, cùm præceptum eſſe dicat; vbi tamen illud extet, & à quo ſit impoſitum, non exponit: niſi velit conſuetudine ipsâ præceptum inductum, vt aliàs ſolet accidere.

Concilium Tolet. 4.

Contraria Concilium Limenſe ſecutum, quæ & veriſimilior oſtenditur.

408 Nihilominus Concilium Limenſe opinionem ſatis probabilem eſt ſecutum, quam tenent Doctores plures apud eumdem P. Sancium *numer.* 11. & 13. & præterea P. Fragoſus *Tomo* 3. *Lib.* 10. *Diſput.* 22. *num.* 75. P. Valentia *Tomo* 4. *Diſput.* 10. *Quæſt.* 1. *Puncto* 1. Cardinalis Toletus *Lib.* 7. *Cap.* 11. *num.* 2. P. Mæratius *Diſput.* 7. *de Matrimonio Sect.* 6. P. Martinon *Diſput.* 72. *num.* 77. & alij. In ſpeciali autem, de Indis loquens ita affirmat Veracruz *Parte* 2. *ſpeciali. Artic* 32. *Concluſ.* 4. P. Leſſius *de Matrimonionium.* 95. Et videtur ſanè veroſimilior iis ſuppoſitis, quæ nuper dicta ſunt circa obligationem non nece-

Digitized by Google

recedendi à coniugio, ſi coniux cohabitare velit ſine periculo peruerſionis: ſic enim docet D. Paulus, ſic Sancti Patres, & Pontifices eius doctrinam accipiunt, & inter ſacros Canones commendatur. Neque ſatisfacit quod dicitur, *Primò* doctrinam D. Pauli non continere præceptum, ſed conſilium, & ita Eccleſiam contrarium ſtatuere potuiſſe. Sic enim tenet Pater Sancius, & alij, quos citat *ſuprà num.* 7. Apoſtoli verbis innixus, dum ait: *Nam ceteris ego dico, non Dominus.* Si enim id Dominus non præcipit, ex ipſa lege coniugij, quæ diuina eſt, fieri neceſſariò non debet. Nec credendum eſt D. Paulum onus adeò graue imponere infideli voluiſſe, qui ad fidem conuertitur, cùm illud Chriſtus non impoſuerit: noluit enim Chriſtus vt fidelis obſtrictus eſſet ad conuiuendum infideli in vitæ conſuetudine adeò arctâ ac familiari, qualis eſt coniugalis. Pro quo etiam militat P. Martinon *ſuprà num.* 70. & P. Leſſius *n.* 93. Non inquam ſatisfacit, quia præceptum in verbis Apoſtoli Patres agnoſcunt, quos *ibidem* adducit P. Sancius, & plures alij Scriptores. Et D. Auguſtini doctrinam ſic inter alios ſentientis Pontifices admittunt, & in Canonico Iure proponunt. Quamuis autem quæ in Decreto habentur, non adeò habeantur vrgentia, in hoc autem puncto Innocentius Tertius Decreti Canones citat, & exponit in Cap. *Quantò*, de diuortiis; qui & in Cap. *Gaudemus* ſic ſtatuit, §. *Qui autem*, verbis illis: *Numquam ea viuente poterit aliam etiam ad fidem Chriſti conuerſus habere, niſi poſt conuerſionem ipſius illa renuat cohabitare cum ipſo, aut etiam ſi conſentiat, non tamen abſque contumelia Creatoris, vel vt eum pertrahat ad mortale peccatum.* Sic ille: quo nihil dici apertius potuit. Quomodo autem D. Paulus exponendus ſit diximus *num.* 401. *& ſeqq.*

Præceptum ab Apoſtolo non impoſitum vt probant aliqui.

Qui improbantur.

Cap. Gaudemus, *de diuortiis.*

409 Deinde, vt demus conſilium fuiſſe, ratio quæ illud licitum nunc temporis reddidit, poteſt ſimiliter in aliis occurrere: cur enim non poſſit haberi ſpes conuerſionis coniugis infidelis? & quidem Concilium Limenſe, poſt experientiam recentiſſimam, huiuſmodi ſpem eſſe poſſe teſtatur, & iuxta eam ſtatuit id quod iam ex ipſo poſuimus, cui credendum potiùs, quàm Auctoribus multis rem iſtam à longè ſalutantibus. Vbi & argui efficaciſſimè poteſt: nam ſi non liceret modò quod hortatur Apoſtolus, maximè ob experientiam, quæ in cauſſa fuit vt vim præcepti habens inducta fuerit conſuetudo. Atqui omnium maxima experientia ex conuerſione Indorum deduci debuit, illa enim omnium eſt maxima ab initio ferè naſcentis Eccleſiæ: & qui circa illam occupantur, ſpem eſſe conuerſionis affirmant, ſi coniuges infideles cohabitationem non renuant, quæ ſtare ſine contumelia Creatoris poſſit: ergo illi eſt potiùs innitendum, quàm non ita fundatis aliquorum ſcribentium coniecturis.

Etiamſi conſilium fuerit, robur ſententiæ veroſimilioris perſiſtere.

410 Vnde nec ſatisfacit quod *Secundò* dicitur, etiamſi in D. Paulis verbis præceptum ſit, circa illud potuiſſe variationem induci, ſic temporum neceſſitate poſtulante, vt habetur in Cap. *Non debet*, *de Conſanguin. & affinit.* iam enim vidimus neceſſitatem non eſſe generalem. Et licet Concilium Toletanum rationem illam generalem reddiderit, de qua *num.* 407. iam *ibidem* vidimus ad ſolos eam ſpectare Iudæos, & ita fatetur P. Sancius *citatò num.* 12. de ceteris infidelibus nullibi ſtatutum, quia non ita obſtinati in ſua perfidia erant, vt eorum deberet deſperari conuerſio, vnde & *num.* 13. tandem fatetur admitti cohabitationem poſſe in illis inſulis vbi crebrior eſt conuerſio, & conuerſionis ſpes, ex Epiſcopi tamen diſpenſatione. Concilium ergo Limenſe ſapientiſſimè in ſuo Decreto proceſſit, & illud quidem, ſicut alia eiuſdem, diligentiſſimè ſunt Romæ perſpecta in Cardinalium Congregatione iuſſu Sixti V. & ſic ab eodem confirmata; vt minimè ſuſpicari liceat in hoc, de quo tractamus, articulo, à Patribus Concilij quidquam minùs conſonum Iuri ſtatutum, aut à Pontifice comprobatum: cùm res adeò grauis ſit, vt vix vlla maioris conſiderationis in eodem occurrat.

Variationem induci potuiſſe circa præceptum Apoſtoli, aliorum reſponſio, quæ & reiecta.

411 Tertiò addit Concilium, expectandum per ſemeſtre, & crebrò coniugem admonendum. Quodquidem intelligendum quando expectatio talis ad deſideratum effectum vtilis eſſe poteſt: ſi autem intra dictum tempus haberi reſponſio nequeat ob rationes quas adducit Gregorius XIII. in Breui, ex quo priuilegium citatum eſt traſumptum, & affertur à Fr. Ioanne Baptiſta in Animaduerſionibus pro Confeſſariis Indorum *Parte* 1. *Verb. Matrimonium*; quia ſcilicet *interdum ad hoſtiles & barbaras prouincias, ne nunciis quidē acceſſus pateat; vel quia ignorent prorſus in quas regiones fuerint tranſuecti: vel quia ipſa itineris longitudo magnam afferat diffi cultatem.* Tunc equidem non eſt expectandum ſemeſtre, ſed poſt Baptiſmum poteſt iniri coniugium. Pro quo & eſt declaratio Pij V. ad Nouam-Hiſpaniam directa, cuius meminit. P. Sancius *Lib.* 7. *Diſp.* 74. *n.* 13. qui & pro admonitionis modo ac nonnullis aliis ad hoc ſpectantibus videri poteſt *ibidem n.* 12. *& ſeqq.* Quia verò Concilium Pontificiis obſtare priuilegiis nequit, non obſtante ſemeſtris aſſignatione, quando coniux infidelis moneri poteſt, intra breuius ſpatium poterit coniugium celebrari, & illa omnia peragi, quæ in ipſo conceduntur: quandoquidem facultas non eſt tantùm pro foro interno, vt ex tenore conſtat, & quia Pontifex verbis vtitur id ſignificantibus, dum ait: *Plenam auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus facultatem diſpenſandi cum quibuſcumque &c.* Et certè cùm priuilegium dictum adeò generale ſit, vt Ordinariis, Parochis, & Religioſis communicationem habentibus ſit commune, deſignatio ſemeſtris vix vllius videtur eſſe momenti. Neque id mirum, quia Concilium ante priuilegij conceſſionem celebratum eſt, quod *Anno* conſtat 1585. ab Apoſtolicâ prouidentiâ prodiiſſe, in quo & Paternâ pietate Gentium iſtarum ſe miſeratum ſortem magnus ille Pontifex atteſtatus.

Semeſtris expectatio qualiter practicanda.

Greg XIII.

Facultas priuilegij etiam pro foro externo.

412 Poteſt autem circa dictum ſemeſtre dubitari, an currat aliquomodo in fauorem coniugis infidelis, ita vt propter rationem aliquam poſſit ampliari. Vt ſi notitia conuerſionis coniugis, & de nouo contrahendo matrimonio deliberantis, ante ſemeſtre ad coniugem infidelem perueniat, ſed maiori illius ſpatij parte iam decursâ, ita vt deliberationi in re adeò graui tempus ſufficiens non ſuppetat, vt reſponſum intra ſemeſtre tranſmitti ad coniugem fidelem queat. Si videlicet

Semeſtre quomodo ampliari poſſit in fauorem coniugis infidelis.

Digitized by Google

videlicet hoc modo reſpondeat : *Serò ad me nuntium perlatum eſt , & opus habeo in re tanta maturam conſiderationem adhibere : videbo quid expediat , & re benè perpenſâ reſpondebo.* An hæc reſponſio ad protrahendum ſemeſtre compellet , ita vt ea extante nequeat fidelis coniux nouum inire coniugium ? Ad quam dubitationem iuxta Limenſis eiuſdem Concilij doctrinam ita reſpondendum , vt circa hoc Epiſcopus adeatur , qui fidelis coniugis diſpoſitione perſpectâ , iuxta eamdem quid ſit faciendum iudicabit. Iudicium autem eius tale futurum , vt ſi fidelis coniux ſine periculo lapſus in carnalia peccata expectare poſſit , expectet , quia ſcilicet non vritur , vt Concilium loquitur, D. Pauli phraſim amplexus. Si autem vratur , igni huiuſmodi aquas applicet nuptiales , de quibus integro volumine Nouarinus. Quia verò difficile eſt gentes Indorum, & ſimiles , heri carnis mancipia, ſe diu continere, in eam partem inclinandum eſt, vt illis matrimonij adminiculo quantociùs ſuccurratur. Coniux ergo, qui intra præfixum terminum non reſpondit , ſine culpâ ſuâ conſorte priuabitur, quia in fauorem fidei ſic ſtatui oportuit , ſicut aliàs in Iure habetur , vt permanente matrimonij vinculo , ſine culpâ ſuâ coniux vſu illius priuetur, idque multis ex cauſſis: pro quo Innocentius III. in Cap. *Quantò* citato ita loquitur : *Nec obſtat quod à quibuſdam forſan obiicitur, quòd fidelis relictus*, (dum fidelis qui fuerat, coniux fidem deſerit) *non debeat iure ſuo ſine culpa priuari : cùm in multis caſibus hoc contingat, vt ſi alter coniugum incidatur.* Sic ille. In caſu autem noſtro minùs eſt cur dolere coniux infidelis debeat , quia liber manet, vt coniugium aliud poſſit celebrare.

Cap. Quãtò.

Quid ſit ſcandalum charitatis, de quo in Concilij Decreto.

413 Quartò, circa alia, quæ in præfato Concilij Decreto habentur , non eſt difficile intelligi quid ſit ſcandalum charitatis, quod pati fidelis coniux poteſt; eſt enim amiſſio gratiæ per peccatum, retentâ fide , & contingere poteſt ſi coniux talis à nouo coniugio ineundo impediatur. Illud autem quod dicitur, vt Epiſcopus ſemeſtri tranſacto, benè perſpectâ cauſſâ fideli declaret copiam eſſe matrimonium aliud contrahendi, propter fidei aut charitatis ſcandalum , quod patitur , iam eſt à nobis explicatum. In eo verò quod additur , aliqua occurrit difficultas ; quòd ſcilicet, ſi nullum eſſe in cohabitatione periculum videat , expectare iubeat infidelem , vel etiam cohabitare conſulat, ſi prodeſſe intelligat : cùm enim aliquid ſit, quod iubere poſſit, & aliquid, quod conſulat, videndum cur ea ſit differentia conſtituta : neque enim videtur cur debuerit illa conſtitui; quia enim ſpes eſt lucrandi Chriſto coniugem, expectatio iuberi poteſt : ergo & cohabitatio ; quia eadem eſt in vtroque ratio. Et quidem cùm pro eo Apoſtoli locus adducatur, ita fatendum videtur; quia Apoſtolus non de expectatione tantùm ſed etiam eſt de cohabitatione locutus ; vt illius verba manifeſtant : *& hæc conſentit habitare cum illo. Et hic conſentit habitare cum illa , non dimittat illam, &c.* Sed certè Concilium ſapienti eſt diuerſitate verborum vſum : poſt tranſactum ſiquidem ſemeſtre , & ſcandalum nullum in vlteriori aliqua expectatione deprehenſum , ſtare optimè poteſt vlterioris adhuc expectationis imperium , in quo fidelis coniux nullum patitur detrimentum ; immò & commodum aliquod eſſe poteſt , ſi filij ſint, quos parentis vtriuſque oporteat curâ tunc temporis enutriri. In cohabitatione autem licet periculum ſcandali non ſit, poteſt tamen eſſe moleſtia ob cultùs diſparitatem, & ita conſuli poteſt, non iuberi , generaliter loquendo. Quòd ſi ex cohabitatione ſpes maior affulſerit , poterit etiam Epiſcopus illam indicere, quia caſus ſpeciales non ſunt Generali Canone comprehenſi , vt in ſimili habet P. Sancius *num.* 13. *citato* & alij apud ipſum. Apoſtolus autem admittendum coniugem ad cohabitationem iubet, ſed pro tempore rationabiliter aſſignando, vt eius doctrinam Patres, Pontifices, & Doctores communiter iam pridem acceperunt, & pro Concilio hæc ſatis.

Cohabitatio quomodo conſuli & non præcipi poſſit.

Cohabitatio quanta futura, iuxta Apoſtolum.

De ijs, qui conuertuntur, & ante conuerſionem plures vxores habuerunt.

414 PRo illis eſt ſpecialis deciſio in Breui quodam Pij V. quod aſſeruatur authenticum in archiuo Metropolitanæ Limenſis Eccleſiæ , vt aſſeritur in Confeſſionali, auctoritate Concilij præfati vulgato , cuius & meminit Fr. Ioannes Baptiſta in Animaduerſionibus pro Confeſſarijs Indorum *Parte* 1. verb. *Matrimonium*, cuius Data eſt, *die* 2. *Augusti Ann.* 1571. & in eo iubet Pontifex , vt cùm aliquis conuertitur plures habens vxores , ei nubat , & cum ea legitimè copulatus cenſeatur, quæ ex eiſdem conuerſa fuerit, & Baptiſmum pariter receperit , quamuis non prima earum fuerit, quę in gentilitate habuerat, & ſunt adhuc ſuperſtites. Et quòd ſine vllo ſcrupulo matrimonium hoc pro legitimo habeatur. Quod quidem tunc videtur procedere, cùm vna tantùm ex vxoribus conuertitur, & in fauorem fidei reſpectu coniugis vtriuſque decernitur: & expreſsè habetur in Facultatibus , quæ Indiarum Epiſcopis per quinqennium conceduntur , ibi , circa Facult. 11. *Niſi prima voluerit conuerti.* Videtur autem ſupponere Pontifex vxores omnes legitimas eſſe potuiſſe ; aliàs enim non apparet quomodo eſſe conueniens diſpoſitio poſſit : ſiquidem earum legitimitate ſublatâ nullum ius ſpeciale in viro eſt, ſicut neque in illis , vt ratione eius priuilegium hoc ipſis concedatur. Deinde. Iuxta diſpoſitionem Cap. *Gaudemus* , prima vxor pro legitimâ tantùm habenda: cùm enim ibi hoc modo quæſtionem proponat Pontifex : *Quia verò Pagani circa plures inſimul fœminas affectum diuidunt coniugalem , vtrùm poſt conuerſionem omnes, vel quam ex omnibus retinere valeant , non immeritò dubitatur.* Poſt quæſtionis autem propoſitionem in reprobanda vxorum pluralitate multus eſt Pontifex, neque difficultati propoſitæ directè reſpondet, vt notat Gloſſa verb. *Vel quam*, quæ tamen addit quòd indirectè ſatis reſpondetur quòd prima ſit vxor, ex eo quòd dicit Pontifex pluralitatem ex vtroque ſexu reprobandam : pro quo & in verb. *Pluralitatem.* Vnde & deciſum expreſsè eo loco affirmat P. Thomas Sancius *Lib.* 7. *Diſput.* 73. *num.* 5. Quod & in Facultate dicta pro Epiſcopis Indiarum non obſcurè videtur indicatum. Cùm ergo prima tantùm pro legitimâ habenda ſit ; quomodò ſtare poteſt, vt ea quæ conuertitur , eo ipſo præferatur ; cùm ratione conuerſionis

Pij V. deciſio circa conuerſum plures habentem vxores.

Obſeruatio prima circa illud.

Obſeruatio ſecunda, & difficultas circa Pontificis deciſionem.

Cap. Gaudemus.

uerſionis plus juris non acquirat, quàm ſi minimè fideli conuerſo fuiſſet vnquam copulata, vt ex D. Thoma, & alijs docet P. Sancius loco dudum adducto. Et vt demus legitimas fuiſſe omnes, cùm primam præferendam Ius ſtatuat, & expectari illius conuerſio debeat volentis cohabitare, non debet iure illo priuari ob maturatam coniugis alterius conuerſionem: quæ enim prior fuit tempore, prior eſſe & iure debet, neque Baptiſmo iura quæſita in coniugio ſoluantur, ſed crimina dimittantur, vt in eodem Capite Pontifex proteſtatur. Circa quod

Aſſertio vlt. ſatisfaciens difficultati.

415 Dico tandem Pontificiam deciſionem poſſe ſuſtineri. *Primò*; quia dici poteſt in eâ nullum ius coniugis conuerſæ ſpeciale eidem agnoſci, ſed amorem peculiarem ſupponi, tum ex communi titulo coniugij, tum ex ſpeciali, qui ex conuerſione accreſcit, cùm virum in fidei profeſſione ſequatur, alijs id facere renuentibus. Quòd ſi poſteà dicat ſe Baptiſmum fictè ob viri amorem ſuſcepiſſe, non eſſe illi in foro exteriori credendum, niſi adſint legitimæ probationes, obſeruat Ferdinandus Zurita *in Enchiridio Indico*, *Quæſt.* 24. vbi & teneri illam ad Baptiſmum ritè ſuſcipiendum, niſi coniux copiam abeundi fecerit. *Secundò*, ob rationem dictam poſſe in illâ ſpeciale ius agnoſci, licèt prima non ſit, quia verum coniugium inter fideles non ex primitate colligendum eſt, ſed ex voluntate in eo permanendi ſecundùm principalem rationem contractûs lumine naturæ conſtantem. *Tertiò*; quia veroſimiliter exiſtimari potuit apud Indos non fuiſſe vera matrimonia, eorum cognitâ ruditate, quia neque animo perſeuerandi in coniugio inſeparabiliter contrahebant, neque in ordine ad ſeruandam fidem, & filiorum educationem; quæ ad ſubſtantiam contractûs pertinent, intentione expreſſâ aut tacitâ ducebantur. Pro quo facit diſcurſus P. Balthaſſaris Barreira apud P. Fragoſum *Tomo* 3. *Lib.* 10. *Diſput.* 22. *num.* 48. & 49. & alia quæ habet Auctor idem *numer.* 57. & *ſeqq.* & P. Andreas Perez in Hiſtoriâ Miſſionum Cinaloenſium. Et id quod tunc temporis, de Indorum, qui conuertebantur, moribus circa coniugia vigebat, in ijs pariter diſpicitur, qui modò in diuerſis regionibus conuertuntur. Et apud Indos non fuiſſe vera matrimonia ſecundùm id, quod ex naturâ ſuâ, & diuina inſtitutione, talis contractus exigit, fuère non contemnendi magiſtri, & Euangelici operarij, qui ob indubitata experimenta cenſuerunt, vt videri poteſt apud Fr. Ioannem de Torquemada *in Monarchiâ Indianâ*, *Parte* 2. *Lib.* 13. *Cap.* 15. Poſt plantatam ſiquidem fidem in Nouâ-Hiſpaniâ inuenti ſunt multi coniuges, qui ſe mutuò relinquebant. Quod quidem cùm à Chriſtianis accipere non potuerint, fatendum eſt ex antiquis eorum moribus deſcendiſſe.

Indicia veri matrimonij qualia in Indis.

An reuerà talia.

Quid apud nonnullos in vſu.

Refert autem Auctor idem *citato Libro Cap.* 5. in in more apud Indos fuiſſe, vt ſi quando aliquis inſcijs puellæ parentibus contrahebat, maritus ad illos ſit venire ſolitus, & facti pœnitens veniam, & puellam pariter poſtulare, in eorum ipſam tradendo manus, vt ſi connubio annuere nollent, apud ipſos remaneret. Et *Cap.* 9 narrat prouinciæ cuiuſdam incolas à ſuis hoſtibus vxores dato pretio comparare: ex quibus quos generant filios, reſeruant quidem, filias autem occidunt, ne ſi eas hoſtes capiant, ex eis filios generent, hoſtes ſibi parentum imitatione futuros. Hoc autem matrimonium, cùm contra finem legitimi huius contractus ſit, bonum ſcilicet prolis, à propria illius ratione alienum fuiſſe, extra dubitationem eſt. Vt alia præteream diuerſarum gentium in eodem genere iniurioſa naturæ portenta. Iuxta hæc ergo potuit Pontifex decernere, vt primæ vxoris ratio haberetur nulla, ſi cum alia ex conuerſis velit vir pariter conuerſus ſtabili connubio copulari.

Cùm plures conuertuntur vxores, quid faciendũ.

416. Ex his ergo apparet quid faciendum ſit in caſu à Pontifice prætermiſſo: ſi videlicet plures vxores eius, qui conuertitur, pariter conuertantur, non tamen prima. Vnde & habetur Pontificiæ voluntatis non fuiſſe onus conuerſo imponi, vt eam, quæ conuerſa eſt, ducere teneretur: quandoquidem plures conuerti poſſunt, & nullum tunc ius cuiuſquam eſſe ad coniugium poteſt; & ita neque cùm ſola vna conuertitur; quia ſi verè in illâ eſſet ius tale, non poſſet per aliarum conuerſionem tolli, quæ valde accidentaria eſt. In caſu ergo dicto nullam tenetur ducere conuerſus, vt docet D. Thomas *in* 4. *diſt.* 39. *q. vnicâ, art.* 3. *ad* 4. vbi & Sotus, *q. vnicâ, Articul.* 3. *ad* 5. quibuſcum P. Thomas Sancius *Diſput.* 73. *citat. num.* 5. & alij communiter. Quod verò ad primam attinet, iuxta dicta iudicandum eſt, & inſpiciendus modus, quo ij, de quorum coniugio agitur, in contrahendo vtuntur. Neque enim ſatis eſt, vt legitimum, & iuri naturæ eſſe conforme intelligatur, ritus aliquos in eo ſeruari, quales ij ſunt, de quibus citatus Fr. Ioannes de Torquemada *Lib.* 13. *Cap.* 5. & *ſeqq.* Neque diuerſa nomina haberi apud illos, quibus vxores & pellices diſtinguantur, ſicut habentur apud Peruuianos, qui etiam ad ſignificandum fornicationis peccatum nomen ſpeciale habent. Quemadmodum enim apud antiquos diuerſa nomina ad Vxores & Concubinas deſignandas, non erat indicium ſufficiens, vt concubinas non eſſe etiam vxores crederetur: ſicut ſpecialiter obſeruant Interpretes circa *Cap.* 6. *Cantici Salomonis*, *v.* 7. ita neque indicium ſufficiens ad intelligendum eam, quæ vxoris gaudet nomine, propriè eſſe talem debet æſtimari. Vult autem P. Fragoſus *ſuprà num.* 55. quando res fuerit dubia, ſemper in fauorem matrimonij non ſolùm inclinandum, ſed pro eo iudicandum: pro quo adducit Patrem Tholozam Prouincialem quondam Braſiliæ. Quod quidem verum eſt, quando fauor in aliquod eorum, qui conuertuntur, commodum reſultat, & non ſolius contractus habetur ratio. Quod ſecùs accidit in matrimonio fidelium, eò quòd Sacramentum ſit, in illius enim fauorem ſemper inclinandum, cùm res dubia eſt, iuxta communem Doctorum animaduerſionem; niſi fortè non dubium tantùm, ſed probabilis opinio ſit: tunc enim eam licebit amplecti, quæ opportunior pro caſu occurrenti fuerit iudicata. Et de priuilegijs ad Sacramenta ſpectantibus hæc ſatis, vt ad ea, quæ ad Eccleſiæ Præcepta pertinent, tranſeamus.

Quid cum prima, & quid primitas non ſufficiat, vt legitima cenſeatur.

De

De Priuilegijs Indorum circa Præcepta Eccleſiæ.

CAPVT XV.

De Priuilegijs circa Feſtorum obſeruationem.

Concil. Limenſis Decretum circa Feſta Indorum.

417 PRo illis ſic habet Concilium Limenſe Tertium *Act.4.Cap.9.* iuxta ea, quę Concilium ſecundum *Seſſione 3. cap. 90.* tradiderat: *Porrò Neophyti, quos Eccleſia materna indulgentia præceptorum ſuorum ſarcina magnâ ex parte leuandos exiſtimauerit, ſequentes tantùm dies juxta Superioris Synodi Prouincialis ſtatutum, obſeruare cogantur. Primùm dies omnes Dominicos, vt Eccleſia vniuerſalis ſemper obſeruat. Deinde, Diem Natiuitatis Domini, diem Reſurrectionis primum, diem Pentecoſtes primum. Item Circumciſionis, Epiphaniæ, Aſcenſionis, & Corporis Chriſti. Beatæ quoque Virginis* MARIÆ *Feſtum Natiuitatis, Annuntiationis, Purificationis, & Aſſumptionis. Demùm, Apoſtolorum Petri & Pauli.* Sic Concilium: quod dum maternam circa hoc indulgentiam Eccleſiæ recognoſcit, priuilegium indicat Pauli III. cuius mentionem faciunt Fr. Ioannes Baptiſta in Animaduerſionibus pro Confeſſarijs Indorum *Parte 1.* Verb. *Feſtum.* D. Solorzanus *Tomo 2. Lib. 1. Cap. 27. numer. 94. & ſeqq.* vbi primò ait priuilegium eſſe Pauli IV. ſcilicet, *numer. 94.* ſicut in Politicâ *Pag. 240. Col. 2.* & in fine eiuſdem. §. Pauli III. eſſe teſtatur, & ita proculdubio aſſerendum. Ferdinandus Zurita in Enchiridio Indico *Quæſt. 10.* & P. Quintanad. *Tomo 2. Tractat. 1. Singul. 11.* & alij apud ipſum. Circa quod quæri poteſt

Pro quibus & priuilegium Pauli III.

Non teneri ad alia Feſta poſteà generaliter præcepta.

418 Primò, an præter dicta Feſta teneantur Indi ad aliorum obſeruationem. Circa quod P. Quintanad. *loco dudum citato* cenſet teneri ad Feſta S. Ioſeph & S. Annæ, quia illa pro omni Eccleſiâ obſeruanda proponuntur, & priuilegium Pauli III. de Feſtis agit, quæ in vſu Eccleſiæ tunc erant, non verò de futuris. Et illud eſt vnicum aſſertionis huiuſce fundamentum. Sed certè non vrget: quia cùm priuilegium, vt illud Concilium intelligit, & ex tenore adducto conſtat, ad hoc ſit, vt Neophyti deſignatos tantùm dies obſeruare cogantur, huiuſmodi excluſio ad futura etiam Feſta debet extendi. Particula enim *Tantùm* omnimodam excluſionem dicit, & ita eius abſolutam vim expendit inter alios Pariſius *Conſilio 48. num. 7. & ſeqq.* Immò indefinitus loquendi modus ad hoc ſatis, vt probat Textus in Cap. *Quia circa*, de priuilegijs, ibi: *Prædeceſſor tuus indefinitè decimas Epiſcopales Monaſterio remittendo, cùm nihil exceperit, & potuerit excepiſſe, & in beneficijs pleniſſima ſit interpretatio adhibenda, nec debeat vna eademque ſubſtantia ſub diuerſo iure cenſeri, intellexiſſe videtur non ſolum de decimis poſſeſſionum illius temporis, ſed futuri.* Sic Innocentius III. Deinde vrget ratio à Concilio adducta, quòd ſcilicet Neophytis ſarcina ſit præceptorum minuenda, & maternâ ſint indulgentiâ tranctandi: ex quo ſit ab obligatione multorum Feſtorum exemptos, quamuis ſint illa ſolemniſſima, qualia ſunt Feſta Reſurrectionis & Pentecoſtes: licèt enim primi illorum dies obligent, ea obligatio ſpecialis non eſt, quandoquidem ſub obligatione Dominicorum dierum habentur. Feſtum S. Ioannis Baptiſtæ, Apoſtolorum, præter Diuos Petrum & Paulum, D. Stephani, Sanctorum Innocentium, D. Laurentij, S. Crucis, D. Michaëlis, Omnium Sanctorum. Quorum ſolemnitati non venit Feſtum D. Ioſephi, & S. Annæ, ſecundùm gradus & qualitates ab Eccleſiâ conſtitutos, vllatenus exæquandum. Cùm ergo circa illa exemptio conceſſa ſit, non eſt veroſimile ad duo præfata obligatos Eccleſiam voluiſſe. Cui enim licet id quod plus eſt, licèt etiam & quod minùs, iuxta regulam iuris notiſſimam, ſic intelligendam, vt plus & minùs in eodem genere ſint, vt aliàs diximus, & hoc loco conſtat euenire. Pro quo & *L. Filius famil. §. finali. D. de donationibus.* Ex quâ idem P. Quintanad. *Tractat. 6. Singul. 7.* in fine, & ex Cap. quodam *Ex parte* malè citato probat priuilegia Indis conceſſa, & alijs Neophytis, ad mixtionem aliquam habentes extendenda. Prætereà, Priuilegium hoc in fauorem fidei militat, vt eſt manifeſtum; quæ autem talia ſunt, amplè interpretanda eſſe ſæpiùs dictum iuxta communem ſcriptorum atteſtationem, quod & citatus Auctor agnoſcit *ſuprà, Singular. 6. numer. 6.* vbi & de priuilegijs circa ieiunia ſequitur.

Particula Tantùm *quam habeat vim, ex quâ arguitur.*

Cap. Quia circa.

De Feſtis ab Epiſcopis inſtitutis idem tenendum, etiamſi velint expreſſè obligare.

419 Idem etiam dicendum de Feſtis, quæ ab Epiſcopis poſt huiuſmodi conceſſionem inſtitui poſſunt, ijs ſeruatis, quæ ſacri Canones circa talem inſtitutionem iniungunt. In quo quidem citatus ſcriptor ex aduerſo ſtat, idem affirmans quod de duobus illis Feſtis auctoritate Apoſtolicâ conſtitutis: niſi Epiſcopi Indos exciperent, vel aliunde ex Bullâ aliâ excepti ſint. Sic *num. 6.* Sed ſimiliter refellendum, & à fortiori. Poteſt autem dubitari an ſtante priuilegio dicto, vt ſcilicet Indi ad alia Feſta non cogantur, poſſint nihilominùs Feſta conſtitui, ad quorum illi obſeruantiam obligentur. Et ſatis veroſimile eſt non poſſe, quia contra Apoſtolicam eſt prohibitionem: etſi id admittatur, inutile reddi poterit priuilegium: quia etiam circa Feſta, pro quibus exceptio conceditur, obligatio eſſe poterit, cùm pro omnibus eadem ratio ſit; etſi in ordine ad Feſta futura extendi poteſt, pro alijs item poterit obligatio eadem, ijs, quibus Pontifex leuare onus intendit, imponi. Quo non obſtante, in caſus alicuius contingentiâ ordinariâ auctoritate vti Epiſcopi poterunt, & pro diebus aliquibus ad obſeruantiam Feſti alicuius obligare: quia hoc ad congruum regimen ſpectat, neque eſt credibile à Pontifice, cuius ſolicitudo in commune fidelium bonum incumbit, prohiberi.

Exceptus caſus.

Neque ad Feſta addita in Bullâ Vrbani 8.

420 Ex quo manifeſtum relinquitur Indos non obligari ad Feſta illa, quæ ab Vrbano VIII. in Bullâ moderationis illorum vt obligatoria proponuntur; ſcilicet Sanctorum Innocentium, & S. Syluestri. In quo quidem P. Quintanad. non aduerſatur, vt videri poteſt *num. 7.* Aut enim hæc Feſta obſeruabantur ante priuilegium Pauli III. & ſic pro illis obligatio ſublata eſt: ex eo autem quòd de nouo à Pontifice vt obligatoria propoſita ſint, noua obligatio non conſurgit, quia illam Pontifex non intendit imponere, ſed antiquam confirmare: vnde exempti ab eorum obliga-

Digitized by Google

obligatione, eam non contrahunt ratione declarationis. Si autem non obſeruabantur, ratione nouæ Conſtitutionis non accreſcit obligatio: quia intentio Pontificis non eſt Feſta addere, ſed eorum multitudinem moderari, vt ex tenore Cõſtitutionis apparet. Vnde exiſtimat citatus Auctor, & ex profeſſo probat Feſta dicta non obligare, vbi conſuetudine receptum erat, vt non obſeruarentur, videatur *Singul. 2.* Quod fundamentum licet non omnino firmum ſit, quia moderatio cum obligatione duorum illorum Feſtorum ſtare poteſt, quandoquidem reſpectu quamplurium aliorum eſt ſublata: in caſu tamen noſtro ſpecialiter aptari poteſt, quia Pontifex non intendit ſuâ Conſtitutione nouam ſarcinam recèns conuerſis imponere, quos Eccleſia maternâ vult indulgentiâ confouere. Et quidem generaliter loquendo Conſtitutio dicta pro moderatione Feſtorum eſt, & alleuiatione fidelium circa onus prædictum; & ita proportionaliter de Neophytis dicendum, eos ſcilicet per eandem non grauari, ſed potiùs onere liberari. Quod quidem ad illud ſaltem applicandum, vt onus nouum non cenſeatur impoſitum, vt hoc alleuiationis genus reputari poſſit; in ſua videlicet moderatione circa prædictam obſeruantiam conſeruari.

An poſſint ad laborandum compelli in Feſtis ad quæ non obligantur.

421. Secundò quæri poteſt an cogi ad laborandum poſſint in Feſtis, quæ pro ipſis de præcepto non ſunt. Circa quod eſt admonitio Concilij Limenſis *citata Act. & Capite.* vbi ſic dicitur: *ſi qui autem Indorum plures alios dies feſtos noſtro more ſeruare voluerint, & in ijs ab opere ſeruili vacare, integrum ſit eis facere ex deuotione: neque vllo modo in ijs laborare, à quoquam penitus compellantur.* Sic Concilium: cuius verba graue præceptum non continere, ſed ſolùm habere rationem admonitionis, directionis, conſilij, & deprecationis, affirmat P. Quintana d. *Singulari 11. citato numer. 3.* Quod quidem ante eum docti aliqui Magiſtri tenuerunt. An autem aliunde grauis obligatio conſurgat, diuerſæ quæſtionis eſt. In qua ex citatis Dom. Solorzanus, Fr. Ioannes Baptiſta, & apud ipſum Fr. Ioannes Focher, cùm illicitum dicant, de peccati grauitate non diſputant. P. Quintana peccatum eſſe mortale negat, ſi Indorum domini eos fortiter & ſuauiter ad laborandum impellant. Et hoc quidem tenuit P. Ioannes Perez Menacho. Quòd ſi violentia diræ tractationis accedat, graue quidem peccatum erit, ſed non ab eo diuerſum, quod tales vim facientes committerent, ſi eos in quibuſcumque aliis diebus ad laborandum compellerent. Cùm enim obligatio Feſtorum ſublata ſit, perinde ſe habent, acſi talia non eſſent. Ex eo autem intuitu, vt copia metallorum ſit, quæ in communem vtilitatem redundat, poſſe ad laborandum cogi, tenent aliqui apud Dom. Solorzanum *num. 98.* qui tamen *num. 99.* contrarium ſe conſuluiſſe teſtatur, eo quòd magis fauorabilis ſit Feſtorum obſeruatio: pro quo Auctores & alia eruditè congerit *in ſequentibus.* Ad quæ quidem dicere poſſunt ij, qui ex aduerſo ſtant, eſſe quidem veriſſima quando obligatio Feſti vrget: in caſu autem noſtro, cùm obligatio ſublata ſit, aliam eſſe rationem: cùm aliàs labor huiuſmodi vtilis laborantibus ſit, qui ex eo iuſtam mercedem accipiunt, vt ſuæ ordinariæ indigentiæ ſuccurrant.

Concilium Limenſe 3. id prohibens non imponere præceptum, aliquorum ſententia.

Aliunde an graue peccatum ſit, qui negant, & vnde probant.

Contrariũ oſtenditur.

422. Sed certè non videtur negari poſſe quominùs in hos, ſublatis etiam inhumanis violentiis, graue peccatum poſſit admiſceri. Sit quidem in compulſione ſuauitas, vt P. Quintana præmonuit: ſi tamen non ſolùm ſuauiter, ſed & fortiter Indi, & alij ad laborem compellantur. Ita vt nequeant niſi cum probabili detrimento reſiſtere, labor illis inuitis accidit, nec licet ipſis ſuo priuilegio vti, quod ſine graui compellentium peccato ſtare nequit. Et priuilegium quidem id ſecum affert, pro quo admonitio Concilij adiecta. Priuilegiis enim vtimur cùm volumus: ergo Indi, quibus illud circa Feſtorum obſeruationem conceditur, vti eo poſſunt pro libitu aut non vti. Si ergo vti velint, nequeunt ad laborem forti pertractione compelli. Quòd ergo in hoc peccatum ſit, aut non ſit, non debet ex Concilij monitione deſumi, ſed ex priuilegij conditione in materiâ graui, cuius vſus puſillis iſtis Eccleſiæ filiis impeditur. Indo equidem volenti matrimonium contrahere cum cognatâ in gradu aliquo ab Eccleſiâ prohibito, ſed in quo diſpenſari poteſt virtute priuilegij Indis conceſſi, ſi quis obſtaculum opponat ob aliquod tantùm apponentis commodum, grauiter proculdubio peccabit; neque alia ratione, niſi quia priuilegij Apoſtolici vſum impedit, idque in materiâ momenti magni. Pro quo eſt Cap. *Quantò*, de Priuilegiis, vbi: *& ſic Apoſtolicorum priuilegiorum, non vim & poteſtatem, ſed ſola verba ſeruantes &c.* Concludit autem ſic Pontifex: *Si ſuper hoc ad Nos clamor denuò aſcenderit, non poterimus conniuentibus oculis pertranſire, quin promulgatores talium ſententiarum ſeueritate debitâ caſtigemus.* Sic Honorius Tertius, vbi tamen de indirecto impedimento tantùm agebatur, vt ex Summario Capitis eiuſdem conſtat. Præterquam quòd ſi talis compulſio liceret, priuilegium Indis præiudiciale foret, contra regulã Iuris ſat celebrem 61. *in 6.* ſic habentem: *quod ob gratiam alicuius conceditur, non eſt in eius diſpendium retorquendum.* Si enim Indi communi iure cenſerentur in ordine ad Feſtorum obſeruationem, non poſſent in illis ad laborandum compelli: cùm ergo ſtante priuilegio compelli poſſe dicantur, perſpicuum eſt gratiam in eorum retorqueri diſpendium. Et hæc profectò illorum miſeranda conditio, cui vſus magis, quàm ratio, iuſtitia, ac pietas ſuffragatur: vt quidquid pro ipſorum alleuiandis oneribus Principum benignitate diſponitur, in eorum paſſim videatur incommodum retorqueri. In quo non iam quæſtio circa ius vertitur, cùm agi contra ius omne exploratiſſimum ſit; ſed cauteriatarum audaciam & immanitatem traducere, vt ab iis, quibus rerum iſtarum incumbit cura, remedium aliquale prouideatur.

Ex priuilegij violatione arguitur.

Cap. Quantò. de priuilegiis.

Ca. Quod ob gratiam de reg. iur. in 6.

De Æthiopibus idem aſſerendũ.

423. Et hæc quidem non ſolùm de Indis intelligenda, ſed etiam de Æthiopibus, licet mancipia ſint: non poſſunt enim ad laborandum compelli, cùm eiſdem, quibus Indi, priuilegiis perfruantur, vt oſtendimus. *num. 129.* & in illis quidem videtur maior eſſe ratio, eo quòd maius diſpendium ex priuilegio ſubeant, quàm Indi, qui effugere multoties coactionem poſſunt, cùm tamen mancipia id aſſequi nequeant, ſub manu

Digitized by Google

Et de Indis mancipijs.

manu ſemper dominorum conſtituta. Et de Indis in ſeruitutem redactis, vt ſunt Chriſtianorum plures, dubitari nequit priuilegio præfato frui, vnde ab laborandum nequeunt violenter adſtringi: ſeruitus ergo priuilegij fruitioni non obſtat. Ex quo efficaciter argui poteſt: nam Æthiopes liberi poſſunt priuilegio frui: ergo & ſerui. Conſequentia eſt clara: quia ſeruitus non obſtat priuilegij fruitioni, vt in Indis conſtat. Licet autem Concilium Limenſe admonitione præfatâ de Indis loquatur, vt conſtat ex verbis illis: *ſi quis tamen Indorum &c.* in Decreto tamen de Neophytis locutum, vt illa ſatis expreſſa verba manifeſtant: *Porro Neophyti, quos Eccleſiæ materna indulgentia &c.* In admonitione verò de Indis ſpecialiter loqui oportuit, ob grauiſſimam, quam pati ſolent in metallis effodiendis vexationem; & quia imbecilliores ſunt. Ratio autem ab eodem adducta de materna indulgentia, quæ debet teneris filiis impendi, ad omnes extenditur, vnde & diſpoſitio pariter, iuxta vulgatum iuris axioma, de quo aliàs, *Vbi eſt eadem ratio &c.*

Concilium Limenſe 3.

Excipiuntur Feſta ſublata ſpecialia, quæ ex deuotione ſeruari poſſunt.

424 Sed eſſe circa hoc peculiaris difficultas poteſt ex eo conſurgens, quòd Bulla Vrbani Octaui de moderatione Feſtorum publicata, & iuxta eam multorum Feſtorum obligatione ſublatâ, quæ etiam ex conſuetudine, aut ſpeciali lege fuerant introducta, Epiſcopi aliquid ad ea ſeruanda ex deuotione monuerunt, & Indulgentias obſeruantibus ſunt pariter dilargiti. Si ergo Neophyti ea ſeruare velint, vt multi ex Hiſpanis ſeruant, eritne ſpeciale peccatum eos ad laborandum compuliſſe? Ad quod videtur dicendum in eo graue non eſſe peccatum, quia materia priuilegij penitus ſublata eſt: erat enim priuata lex, quatenus lege circa alios ſtante, ab ea illi eximebantur. Atqui lex penitus circa dicta Feſta ceſſauit: ergo & priuilegium: vnde & ceſſat peccati materia ex eo quòd Neophyti ſuo priuilegio vti prohibeantur. Quòd autem Epiſcopi ad obſeruationem hortentur, & gratias concedant, dominorum ius erga ſeruos non tollit, neque aliis nouum ius tribuit, vt poſſint titulo peculiari reſiſtere, ex quo iniuria peculiaris ſubſequatur. Cùm prætereà videamus maiorem populorum partem Feſta huiuſmodi non ſeruare, vnde neque domini tenentur eam ſeruis indulgentiam exhibere. Sicut enim plebi minuuntur Feſta, ne commodis ad vitæ ſuſtentationem laboris ceſſatione priuetur, ita & dominis hæc debet prodeſſe gratia, ne ſcilicet ſeruorum operis multiplici Feſtorum vacatione fraudentur. Quamuis autem oppoſitum poſſet non inueroſimiliter comprobari: à probationibus abſtineo, quia nullus eſt futurus, qui in praxi huiuſmodi ſententiam amplectatur.

Oppoſitum veroſimile.

De adſtantibus labori Indorum in Feſtis notanda reſolutio.

425 Dum autem Neophyti ſponte in diebus feſtis ſuo vtentes priuilegio laborant, poſſe Hiſpanos eorum labori ſuperintendentes operam ſuam præſtare, admonet P. Quintanad. *num.* 3. addens poſſe etiam per ſe ipſos laborare, dummodò plus ſpatij quàm duarum horarum non ſit: illa enim gubernatio actus eſt potiùs dominij, aut libertatis, quàm opus ſeruile. Sed certè ſi labor ſuperintendentis ita neceſſarius ſit, vt ſine eo peragi commodè opus nequeat, cui Neophyti incumbunt, continuari per maius ſpatium poterit, quia in priuilegio eorum videtur id veroſimili conſequentiâ conceſſum. Neophytis enim conceditur vt laborare poſſint, & id intelligendum de illo præſertim laboris genere, in quo illi ſolent occupari. Si ergo occupatio talis commodè ſtare nequeat, niſi Hiſpanis, qui labori aſſiſtunt, pariter laborantibus, id etiam conſequenter indultum, iuxta communem doctrinam de priuilegiis, pro qua videri poteſt P. Suarius *Lib.* 8. *de legibus Cap.* 11. *num.* 7. Bonacina *Tomo* 2. *Diſputat.* 1. *Quæſt.* 3. *Puncto* 6. *num.* 7. & alij, apud quos congrua exempla ſuccurrunt de miniſtro pro Miſſa dicendâ Interdicti tempore, & ſocio ad recitationem Horarum, aliaque. Debent autem illi Miſſam audire, ſi commodè poſſint. An autem Neophyti ad eamdem audiendam teneantur, ita vt priuilegium tantùm circa laborem verſetur, quem licitum reddit, hæret P. Quintanad. *n.* 6. ſed res eſt penitus explorata, cùm in Bulla obligatio ſeruandi prædicta Feſta abſolutè tollatur, quorum obſeruatio in auditione Miſſæ magna ex parte verſatur. Et cùm Pontifex nullam circa hoc limitationem addiderit, neque nos addere debemus: vbi id omnino conuincit, quod ex Cap. *Quia circa*, de priuilegiis poſitum *n.* 418. *Cùm nihil exceperit, & potuerit excepiſſe, ac in priuilegiis pleniſſima ſit interpretatio adhibenda. &c.*

Neophytos non teneri ad Miſſam audiendã in Feſtis priuilegiatis.

Cap. Quia circa.

426 Tertiò inquiri poteſt an Parochi Indorum teneantur priuilegium hoc ipſis manifeſtare. Circa quod Ferdinandus Zurita in Enchiridio Indico *Quæſtione* 10. affirmatiuè reſpondet, quando illius extat ignoratio: ſecus autem, ſi Indi à multo iam tempore illo non vtantur, & tranſgreſſores Feſtorum puniantur: immò tunc ait Parochos male facturos, ſi priuilegium in memoriam reuocarint ex D. Thoma 1. 2. *quæſt.* 97. *artic.* 2. & 3. & *quæſt.* 90. *artic.* 4. ſubdens non valde culpabilem videri Parochi ſimulationem, ſi priuilegio non appareat renuntiatum; vbi id ſtudet, vt Indi paulatim ſe reducant ad obſeruantiam iuris communis: hoc enim ex legiſlatoris veroſimili voluntate deſcendit, & reprobari non poteſt, vt in ſimili docet D. Thomas *ſuprà q* 96. *artic.* 2. & *qu.* 97. *artic.* 1. & 4. Sic Auctor dictus: quod videtur probare Dom. Solorzanus *num.* 97. Circa illud tamen adnotare iuuat, poſſe quidem contingere vt Indi ante aliquod tempus cœperint Feſta, pro quibus priuilegium extat, obſeruare: nec tamen conſuetudinem talem ſufficere, vt ad commune jus reducti debeant exiſtimari: quandoquidem conſuetudo talis potuit ex priuilegij ignorantia deſcendere, vnde & inuoluntaria fuit; quia ignorantia facit inuoluntarium. Pro quo ſunt Doctores, quos adducit & ſequitur Diana. *Parte* 6. *Tract.* 5. *Reſolut.* 9. vbi & in obſeruatione Feſtorum exemplum apponit.

Parochi an teneantur Indis de priuilegio notitiam præbere.

427 Zelus prætereà ille reducendi Indos ad ius commune, non videtur ſecundùm ſcientiam, quia Pontifices nolunt eo modo ad reductionem vti, qui in errore fundatur, ſed hortationibus, vt conſtat ex Bullis, quæ de diſpenſationibus circa matrimonia agunt. Et quidem Indi ita propenſi ad laborandum ſunt in ſuis agellis, vt difficilè illis perſuaderi poſſit, quod in Feſtis, in quibus diſpenſati non ſunt, à labore abſtineant. Dum ergo

Zelus quidam Parochorum expunctus.

Digitized by Google

go obligatos ſe ad plura Feſta ſibi habent perſuaſum, occaſio illis multiplicis tranſgreſſionis offertur; quam vitare cùm debeant Parochi, non poſſunt à peccato graui in ſimulatione circa priuilegij reuelationem excuſari. Et vtinam diſſimulatio dicta ex bono illo oriatur zelo, & non ex turpis lucri reſpectu, vt ſcilicet plura Feſta cùm ſint, Indorum creſcant obligationes. Neque D. Thomas omnibus citatis locis quidquam habet, ex quo illius Auctoris doctrina poſſit vel apparenter confirmari. *Ex Artic.* autem 2. *Quaſt.* 96 illud pro Indis facit, quod S. Doctor his ait verbis: *non eſt idem poſſibile puero, & viro perfecto: & propter hoc non ponitur eadem lex pueris, quæ ponitur adultis. Multa enim pueris permittuntur, quæ in adultis lege puniuntur, vel etiam vituperantur. Et ſimiliter multa ſunt permittenda hominibus non perfectis virtute, quæ non eſſent toleranda in hominibus virtuoſis.* Sic ille. Quod quidem caſui præſenti conuenienter aptatur, cùm conſtet Neophytos puerorum inſtar eſſe, & ita circa leges non debent adultorum more tractari, vnde neque conandum vt ad communia iura diſſimulatione priuilegiorum in omnibus, & per omnia reducantur.

D. Thomæ doctrina pro Indis faciens.

CAPVT XVI.

De Priuilegiis Indorum circa ſecundum Eccleſiæ Præceptum annuæ Confeſſionis.

Priuilegiũ circa annuam confeſſionem, quam tribuat latitudinem.

428 DE priuilegiis circa Confeſſionem multa dicta *Cap.* 11. Neque hoc loco plura ſunt, quæ addi oporteat. In ordine autem ad annuæ Confeſſionis obligationem nullum ſpeciale inuenio, niſi quatenus cum obligatione communicandi Paſchali tempore ſolet eſſe coniuncta, de qua *Capite ſequenti.* Cùm enim præceptum illud poſſint implere à Septuageſima vſque ad Octauam Corporis Chriſti; vltra annum & menſes aliquos differri eius adimpletio poteſt: ſi videlicet qui eſt die Septuageſimæ confeſſus, anno ſequenti in Octaua Corporis Chriſti confiteatur. Iuxta probabilem enim, & ſatis receptam opinionem, annus non debet eſſe naturalis, ſed Eccleſiaſticus. Sicut ergo contingere poteſt, vt qui die 15. Martij, in quam incidit Dominica Palmarum, confeſſus eſt, anno ſequenti die Maij, in quâ Octaua Paſchæ incidat, confiteatur, & ſic præceptum adimpleat, vbi vltra anni naturalis ſpatium notabilis apparet exceſſus: vel ſi id accidere nequeat attentâ ratione temporum, ſaltem ex vi præcepti non repugnaret, quia totam illam latitudinem annus Eccleſiaſticus habere poteſt: Ita & in caſu noſtro philoſophandum eſt: totum enim illud ſpatium à die Septuageſimæ vſque ad Octauam Corporis Chriſti, ad annum Eccleſiaſticum pro Indis, & Neophytis aliis ſpectat, vnde intra illud impletio præcepti ſtare poteſt.

Conſuetudinem circa hoc extare, & poſſe præualere.

429 Vbi non immeritò addere poſſumus, ſecluſo priuilegio ſtare poſſe prædictam anni computationem, ratione ſcilicet conſuetudinis, quam extare in locis aliquibus teſtatur Synodus Diœceſana Limenſis Anni 1614. *Lib.* 1. *Cap.* 5. *Tituli* 5. & generalem eſſe Pacenſis ſub Illuſtriſſimo ac Doctiſſimo Dom D. Feliciano à Vega *Libr.* 1. *Titulo* 2. *Cap.* 4. Circa hoc enim, poſſe conſuetudinem præualere, dubitari nequit, quia circa id verſatur, quod eſt de præcepto Eccleſiaſtico, iuxta communiorem Doctorum ſententiam, ex quibus aliquos adducit & ſequitur P. Eſcobar de Mendoza *Tomo* 2. Theologiæ moralis *Lib.* 15. *num.* 71. vbi marginale ſummarium errat, ſic enim illud, *Hoc mihi placet*, cùm tamen non placeat niſi priori loco relata ſententia, quæ eſt Scoti, Durandi, Gabrielis, Richardi, Paludani, & aliorum.

430 Ad maiorem autem ſecuritatem priuilegium eſt à Sede Apoſtolica impetratum, & eſt illud Vrbani Octaui, quod habetur authenticum in archiuo Collegij Limani Societatis IESV, tenoris ſequentis.

Vrbanus PP. VIII.

Ad futuram rei Memoriam.

Priuilegiũ Vrbani VIII.

C*Vm ſicut dilecti filij Communitas, Vniuerſitates, & homines Regnorum Peruiani, de Chile, & Paraguay, in Indijs Occidentalibus, Nobis nuper exponi fecerunt, ipſi ob eorum multitudinem, & Confeſſariorum penuriam inibi vigentem, peccata ſua infra breue tempus confiteri minimè poſſint, vnde fit vt quam plures illa nullatenus, aut minùs accuratiùs & fructuoſiùs confiteantur, cupiantque propterea dicti Exponentes ſibi per Nos, vt infrà opportunè prouideri. Nos qui omnium Chriſti fidelium ſaluti pro Paſtorali noſtra ſolicitudine iugiter inuigilamus, Exponentes præfatos ſpiritualibus fauoribus & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſuis excommunicationis &c. Supplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, & ex ſententia nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum hac ſuper re ſpecialiter à Nobis deputatorum. Quòd in Regnis præfatis tam Indi, quàm Meſtizi vulgò nuncupatis vel ab Indis & Europæis: nec non Æthiopes, ſeu Mauri, & Mulati etiam vulgò nuncupati, vel qui ab Europæis & Mauris nati ſunt: Præcepto Eccleſiæ de confitendo peccata ſua, & ſumendo Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento quotannis, poſſint à Dominicâ Septuageſimæ vſque ad, & per totam Octauam feſti Sanctiſſimi Corporis Chriſti ſatisfacere, Apoſtolicâ auctoritate tenore præſentium concedimus & indulgemus. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac Lateranenſis ſub Innocentio Papa Tertio Prædeceſſore noſtro celebrati, aliorumque Conciliorum vniuerſalium, & Prouincialium, Synodaliumque, generalibus vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datis Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die 16. Aprilis 1639. Pontificatus noſtri Anno 16.*

M. A. Maraldus.

Notatu digna circa illud.

Quæ conceſſio quomodo ſit Indicis aliis Prouinciis communis conſtat ex dictis *n.* 114. & Meſtizorum ac Mulatorum nomine qui veniant, dictum *Titulo* 5. *num.* 274. *& ſeqq.* Licet autem penuria Confeſſariorum non adeò magna alicubi ſit, priuilegio tamen vti licebit, quia conceſſio generalis eſt, & pro communi neceſſitate

Digitized by Google

tate facta ſupplicatio; cùm tamen Exponentes ita non eſſe in locis aliquibus neutiquam ignorarent, quod & Pontifex potuit ſibi veroſimiliter perſuadere. Dum ergo non diſtinxit, viſus generaliter conceſſiſſe; iuxta dicta *numer.* 435. & alibi. Et hæc ſatis iuxta prædictam conceſſionem.

Concilium Limenſe concedens abſolutionẽ caſuum omnium, an obliget poſt diuiſionẽ Prouinciæ, & eius vim habeat conceſſio vrgens ſpectantes ad aliam.

431 Prætereà; quia *num.* 399. diximus in Concilio Limenſi omnibus Parochis, & Confeſſarijs Indorum approbatis, caſus omnes concedi; obſeruare oportet, poſt celebratum illud vti Prouinciale, vnam illam Prouinciam in duas fuiſſe diuiſam, Limenſem inquam, & Argentinam, quia Argentina Eccleſia in Metropolitanam erecta, à cuius Archiepiſcopo ſuum eſt etiam Prouinciale Concilium conuocatum & celebratum, de cuius conformatione ab Apoſtolicâ Sede actum quidem, ſed ea hucuſque non impetrata. Vnde dubitari poteſt an caſuum conceſſio prædicta poſt diuiſionẽ locum habeat, ita vt Parochis & Confeſſarijs Indorum Argentinæ Prouinciæ liceat illos ſine nouâ conceſſione eoſdem abſoluere. Ad quod dico factâ diuiſione videri ceſſaſſe Limenſis Concilij auctoritatem erga nouæ Prouinciæ membra & Capita, iuxta multorum ſententiam. Et in primis Archiepiſcopus non manet Concilio ſubiectus, quia quando illud eſt coactum, talis dignitas non erat; vt autem illi onus imponi poſſet pro futuris temporibus, debebat Dignitas talis vt talis in eodem Concilio habere ſuffragium. Quemadmodum enim ſi ad Concilium vnus non fuiſſet vocatus Epiſcopus, cùm vocari poſſet, Concilium aut eſſet nullum, aut Epiſcopo tali, ſicut & eius ſubditis, legem nullam poſſent imponere: ita neque Archiepiſcopo, qui neque per ſe, neque per alium, in quo eſſet eadem dignitas, Concilio interfuit, nec potuit intereſſe.

Negatiua pars oſtenditur, quoad ſubiectionem.

432 Ex quo argui etiam pro nouâ Prouinciâ poteſt: nam Archiepiſcopus non tenetur Legibus Concilij, eò quòd dignitas talis vt talis Concilio non potuit intereſſe: ergo neque Prouincia. Illatio oſtenditur; quia Prouincia vt talis Concilio non interfuit, per ſua ſcilicet Capita, quæ eam vt talem repræſentarent: diuerſus enim valde ſtatus illius eſt, vt ſub diuerſo Metropolitano exiſtit, & diuerſis legibus eſt ſubiecta, quæ per Prouinciale Concilium condi poſſunt, nec debet ſimul antiquis nouiſque grauari. Si enim Legibus antiquis tenetur; non poterunt illæ per Concilium ex nouis Suffraganeis congregatum reuocari. Tenetur enim, quia Concilium prius ſupra membra & Capita eſt: Superioris autem leges nequit inferior abrogare. Iuxta hæc ergo, cùm auctoritas Concilij ceſſet, ceſſabit etiam præfata ad abſoluendum conceſſio; quia ceſſat iuriſdictio ad conceſſionem penitus requiſita. Nihilominùs oppoſitum videtur dicendum: quia cùm ratio à Concilio adducta valde vrgens ſit, & negotium ſalutis animarum in momenti magni rebus agatur, credendum omnino eſt Prælatos nouæ Prouinciæ in idipſum conſentire, & velle non irritari ea, ex quorum irritatione inconuenientia adeò ingentia ſequerentur. Concilij verba ſic habent: *Præſentis auctoritate Synodi, Parochis, & approbatis Confeſſarijs Indorum, caſus Epiſcopis reſeruati conceduntur, vt ab omnibus illis, & Cenſuris annexis, poſſint abſoluere Indos, cùm id expedire in Chriſto iudicauerint: ne Indi propter imbecillitatem ſuam, & ſpiritualis ſenſus inopiam, dum ad Superiores pro reſeruatorum caſuum abſolutione recurrere ceſſant, quod crebrò fit, conſcientijs ſuis illud experiantur noxium, quod pro earum ſalute ab Eccleſia prouiſum eſt.* Sic Concilium: addens tandem: *Liceat tamen Epiſcopo aliquibus Parochis hanc facultatem reſtringere, cùm ei videbitur expedire.* Sed certè vix apparet conuenientia aliqua huiuſmodi reſtrictionis, ſuppoſitâ ratione à Concilio adductâ, damni inquam conſcientiis Indorum imminentis, ſi ad Superiores recurrere compellantur, *propter imbecillitatem ſuam, & ſpiritualis ſenſus inopiam:* Vnde non ſcimus reſtrictionem talem Confeſſariis impoſitam. Et ita propter rationem dictam omnibus Parochis & Confeſſariis dicendum eſt talem competere facultatem. Quòd autem Concilium non Confeſſarios indefinitè poſuit, ſed Confeſſarios Indorum, non ideò fuit, quia ad Confeſſiones Indorum debent eſſe ſpecialiter approbati: ſed Concilium id poſuit, quòd eſt minimum in genere approbationis: pro Confeſſionibus enim aliorum limitationes eſſe ſolent, pro Indis autem nulla: quia ad eorum Confeſſiones audiendas minima omnium ſufficientia ad hoc genus miniſterij ſufficiens iudicatur, ſicut & ad Æthiopum Confeſſiones, circa quos idem dicendum, ob eamdem prorſus rationem. Videantur dicta, *numer.* 129.

Sed affirmatiua quoad caſuum conceſſionem præfertur.

Concil. Limenſe 3.

Cur Confeſſarij Indorum expreſſi.

Idem pro Æthiopibus.

CAPVT XVII.

De Priuilegijs Indorum circa Sacram Communionem; ſecundùm quod tertio eſt Eccleſiæ indicta Præcepto.

DE iis, quæ ad præceptum hoc ſpectant, & Communionem Paſchalem concernunt, dictum *Cap.* 10. §. .. *& Capite præced.* Sed quia illud ad Communionem etiam pro Viatico ſumendam adſtringit, pro vtroque hoc loco adiicienda nonnulla ad peculiarem Indorum cauſſam opportuna.

Indos, & Neophytos alios ad Paſchalem Communionem teneri.

433 Et illos quidem, ſicut & Neophytos alios ad Paſchalem Communionem teneri certiſſimum eſt, quidquid nonnulli circa eorum incapacitatem ineptè diſcurrant. Exculti ſanè multis æquantur Hiſpanis, & Europæis aliis, quin & quandoque illis ad ſacrum epulum aptiores. Vitium illis ebrietatis obiicitur, quibus, vt ebrij ſint, vinum ab iis, qui circa extirpationem vitij huius validè obniti debuerant, paſſim obtruditur, qui & communicant ipſi, indigniores procul dubio, cùm grauiùs delinquant, neque animum habeant ab eo ſe lutulento ſtatu vindicandi. Hoc ipſo, quo hæc ſcribo, anno, teſtis fideliſſimus, & oculatus ſacerdos retulit, cùm in quodam Indorum populo omnes Communione fuiſſent ſacrâ refecti, veſpere ebrios deprehenſos: ſed in promptu cauſſam fuiſſe, vini ſcilicet copiam eiſdem à Prætore violenter obtruſam, quòd velint nolint empturi ſunt, & per Caciquios diſtributum, nec bonum tamen, exceſſiuo nihilominùs pretio dato, bibituri. Dolebat ille, & meritò tanti mali

Ebrietas quæ obijcitur, quam habeat cauſſam.

Digitized by Google

labem, & difficile illius remedium, circa quod vtinam Gubernantium zelus aduigilet, pro quo non ſolùm inter veſtibulum & altare plorare Sacerdotes oportet, & miniſtros Domini, ſed in altari ipſo, & ſemper ac vbique conclamare. Nec tamen hoc generale malum eſt, cùm videamus Indos & Æthiopes in maioribus Hiſpanorum oppidis, aut numquàm, aut raró caducos: quòd ſi plus aliquid in quibuſdam, in hac cultiores habent ex Europæis ſimiles damnatione prouincias, quarum incolæ non ideò penitus à receptione Communionis arcentur, quidquid de quibuſdam ſit eo in genere deſperatis.

Non omnes eo infames.

Concilij Limenſis 3. circa hoc ſalutaris prouiſio.

434 Vt ergo circa hoc vti par eſt ſacri Miniſtri procedant, à Concilio Limenſi tertio piè & ſalubriter eſt prouiſum, vt ex *Act.* 2. *Cap.* 20. conſtat, vbi ſic habetur: *In Paſchate omnes Chriſtianos adultos communicare iubet ſancta Dei Eccleſia, niſi iuſta de cauſſa prorogandam Communionem Sacerdos, auditâ Confeſſione, cenſuerit. Quòd ſi plerique Neophytorum hactenus ad Euchariſtiæ perceptionem non facilè admiſſi ſunt, fidei exiguitati, & morum ineptitudini tribuendum eſt: cùm requirat tanti Sacramenti communicatio tum firmam fidem, cœleſtem illum cibum à terreno & humano diiudicantem, tum conſcientiæ munditiam, quam turpitudo ebrioſitatis, & concubinatus, & multò magis ſuperſtitionis nefariæ prorſus labefactat: quibus vitijs plurimi his regionibus grauiter laborant.* Hæc Concilium: quibus planè iudicat Euchariſtiam neque in Paſchate illis tribuendam, qui præfatis vitiis obnoxij fuerint deprehenſi. Quod ita intelligendum, vt tunc recipere non debeant, quando de emendationis propoſito probabile indicium non habetur: ſi enim illud extet, licèt de emendatione firma non habeatur ſpes, Confeſſarij erit certum circa id ferre iudicium, ſicut Doctores generaliter tradunt, cùm id commune ſit aliis vitiorum luto ſubmerſis, qui tamen cùm conentur emergere, ad hauriendas aquas accurrunt ex Sacramentis, fontibus videlicet Saluatoris. Tunc enim ſicut Sacramentum Pœnitentiæ non negatur, ita non negandam Euchariſtiam, boni Scriptores affirmant, vt videri poteſt apud Dianam *Parte* 3. *Tract.* 4. *Reſolut.* 36. quia ex Concilio Trid. *Seſſione* 13. *Cap.* 7. ad dignè communicandum ſola requiritur à peccato mortali munditia, iuxta doctrinam Apoſtoli 1. *Cor.* 11. Pro quo eſt ſententia aliquorum dicentium Communionem negari non poſſe peccatori occulto, ſi eam à proprio Paſtore petat ad implendum de illâ præceptum, vt videri poteſt apud P. Gaſparem Hurtadum *Diſput.* 9. *de Euchariſtiâ, difficult.* 10. Si enim tali negari nequit, multò minùs ei, quem conſtat eſſe confeſſum, & hìc & nunc in ſtatu peccati non eſt. Licèt autem citatus Auctor contrarium cenſeat de peccatore occulto: idque ex D. Thoma, & communi Theologorum ſententia probet; eius tamen ratio pro inſtituto præſenti facit, dum ex eo arguit, quòd peccator, dum eſt in ſtatu peccati, non habet ius ad Euchariſtiam, quia non eſt in ſtatu à Chriſto requiſito, vt eam poſſit accipere, & credi nequit Chriſtum contuliſſe ius iuſtitiæ ad Sacramenta ei, qui non eſt in ſtatu requiſito ab ipſo. Qui diſcurſus de eo procedit, qui in ſtatu peccati eſt, quod in caſu noſtro ſecus accidit, vt Confeſſario conſtat: ergo non debet ſic Confeſſo Euchariſtia, eam ad præceptum implendum petenti, denegari.

Ebrietas quãdo impediat Cõmunionem.

Ex eo quòd peccatori occulto negari nequeat, arguitur.

Alia à Concilio enata vtiliſſimè præſtuma.

435 Pergit Concilium, & ſic loquitur: *Sed quoniam & multi Indorum quotidie in Chriſtianâ religione proficiunt, & ſunt etiam ceteri inuitandi & præparandi, vt cœleſti menſâ, ad quam etiam paruulos vocari vult* (Prouerb. 9.) *diuina ſapientia, ſalubriter ſruantur: præcipit ſancta Synodus Parochis, ceteriſque Indorum Prædicatoribus, vt ſæpè ac ſerio de fide huius myſterij eos inſtruant, veram ac realem Chriſti Dei noſtri præſentiam ſub panis ſpecie doceant, eorum deſiderium ad tantum beneficium excitent, præcipueque ad omnium peccatorum deteſtationem, ac puram Confeſſionem, vitæque in melius emendationem exhortentur: vt aſſiduâ denique prædicatione dignos dono illo viuifico reddant. Quos autem Parochus & ſatis inſtructos, & correctione vitæ idoneos iudicauerit, iis ſaltem in Paſchate Euchariſtiam adminiſtrare non prætermittat; ne ipſe alioqui Eccleſiaſtici præcepti violati reus ſit: in quibus autem certam ſententiam tenere non poterit, conſulat Epiſcopum.* Hæc Concilium, & piè, & prudenter, & ſanctè, in quibus id quod dicitur de tradendâ Communione iis, qui ſatis inſtructi, & correctione vitæ idonei fuerint iudicati, difficultas occurrit; quia etiam illis, qui emendatione vitæ non ſunt idonei reddıti, eò quòd eiſdem peccatis hoc anno impliciti, quibus & præcedentibus, non videtur deneganda Communio, ſi hìc & nunc de peccatis doleant, ſecundùm illum doloris gradum, qui ab eiſdem expromi poteſt, iuxta dicta *num. præced.* & eadem confiteantur. Ad quod dici poteſt eum dolorem ſufficientem videri, additâ Confeſſione, vt vitæ emendatio poſſit affirmari: iam enim hìc & nunc talis emendatus eſt, cùm peccandi affectum expulerit, & vitæ proponat nouitatem. Quod autem additur, vt ſaltèm in Paſchate Communio talibus præbeatur, non tollit aliàs etiam præberi: dictio enim *ſaltem* non arctat, ſed ampliat, quod Iuriſperiti dicunt eſſe ſubſidiariam, vt ſcilicet alij caſus liceant, ſed ille præcipuè, pro quo applicatur. Ex Cap. *Statutum.* 5. *Cùm viro*, de Reſcriptis in 6. vbi Doctores.

Non omninò dum quomodo tribuenda Communio.

Dictionis ſaltem vis.

Parochorum culpa, & pœna qualiter illam denegatione.

436 Id autem quòd Parochi officij ſui admonentur, attentâ eſt conſideratione tractandum, eos ſcilicet violati præcepti reos eſſe, qui Indos, ac Neophytos alios Sacramenti diuini alimento defraudant, cùm idonei ad receptionem ſint, & paruuli petentes panem, cùm non ſit qui frangat eis. Immenſa enim eſt ſarcina, quam ob violationem dictam Parochi ſupra ſe tollunt, dum omnium eorum, quibus Sacramentum ſubtrahunt, præcepti tranſgreſſiones, licèt materiales, eò quòd ipſi grauiter non peccent, dum vim in eo patiuntur, formales in ipſis ſunt, grauiter peccantibus, dum id negant, quod tradere ad præcepti impletionem debuiſſent. Si ergo in vnoquoque adeò eſt graue delictum huiuſmodi præceptum non implere, vt pœna grauiſſima indicat, quam Eccleſia citato in Cap. *Omnis vtriuſque ſexus*, tranſgreſſoribus eius imponit, vt onus debet importabile reputari: quale illorum erit onus, quàm importabilis ſarcina, & inſuperabile pondus, quod ex tot ac talibus ſarcinis, oneribus, & ponderibus integratur?

437 Quòd verò in caſu dubio conſulendus Epiſcopus dicitur, non erit facilè ad praxim applica-

Digitized by Google

Conſulendi Epiſcopi quæ obligatio.

plicari; & in eo Conſilium videtur eſſe potiùs, quàm præceptum. Et tunc conuenienter exequendum, cùm Epiſcopi viſitant, ad quos eſt ſtatus rei Chriſtianæ in iis, quæ ad Indos ſpectant, deferendus, & pro Communione illis tribuendâ, ſecundùm rerum exigentiam, conueniens inſtructio requirenda. Si tamen ita feliciter eueniat, vt Epiſcopi eò accedant; multa enim loca ſunt eorum oculis inacceſſa, vt vultum nequeant ſui gregis agnoſcere, nec famem propterea diuini nutrimenti ſentire. Sed hoc ipſi viderint; ad me enim non ſpectat iudices iudicare, licèt pro illis ſubiicienda nonnulla *Titulo ſequenti*, neque cauſſas inquirere, futuras, vtinam iuſtas, ac cœleſti probandas Tribunali, cur viſitationis beneficio oues à Principe Paſtorum eiſdem traditæ per ingentia adeò temporum ſpatia priuentur. In longinquo illæ, fateor: ardua ſunt itinera deuoranda, concedo: multum de commodis eſt domeſticæ habitationis abiiciendum, annuo: periclitatur ſalus, non inficior: ſed numquid cùm Epiſcopatus oblatus eſt, ad hæc non erat animus obfirmatus? An non licuit tunc dicere, detur validiori: *ego* enim *in pace in idipſum dormiam, & requieſcam?* Si Epiſcopum & Paſtorem animarum noſtrarum ita vnius ouis erraticæ cura ſolicitat, vt eam per inuia, ardua, inamæna, & confragoſa perquirat: quomodo non iam vna, ſed innumeræ ab eo desertæ pereunt, qui vice functionis eius nomen Paſtoris aſſumpſit? Sed ipſi (iterum dicam) viderint, quibus à videndo nomen præclarum affulget.

Et quæ illorum pro viſitatione.

Licentia ad Communionem quomodo ſcripto danda iuxta Concilium.

438 Illud in Concilio additur, ſuis etiam verbis proponendum: *Nemo verò Indorum aut Æthiopum ad Communionem recipiatur, niſi proprij Parochi, aut Confeſſoris licentiam ſcripto ſibi datam, oſtenderit:* Sic Concilium, cuius deciſio præcepto Chriſti ſubnititur *Matth. 7. v. 6.* dicentis: *Nolite ſanctum dare canibus.* Neque enim aliud eſt Euchariſtiam prædictis ad eam imparatis tribuere, quàm ſi canibus tribueretur. Et Diuus quidem Chryſoſtomus in eum locum per *canes* Gentiles intelligit, per *ſanctum* Euchariſtiam. Licèt autem Indi & Æthiopes Chriſtiani ſint accepto Baptiſmo, dum tamen Chriſtianis moribus non viuunt, ſed brutorum inſtar, Gentilibus in ordine ad effectum dictum adnumerandi ſunt, & ita per canes à Chriſto deſignati. Cuius circa hoc etiam doctrinâ non ſtante, ex ipſâ rei naturâ graue præceptum emergit, cùm ſit manifeſtum rem omnium ſanctiſſimam cum omni ſanctitate tractandam, & ita altiſſimum Sacramentum non eſſe præfatis miniſtrandum. Cùm ergo ij, qui idonei ſunt, aliquo debeant ſigno dignoſci; nullum certè adhiberi commodius poteſt, quàm ſchedula, in quâ licentia contineatur. Quod ſi aliud ad effectum talem occurrat indicium, id certè ſufficiens; cùm Conſilium non requirat licentiam ſcripto expreſſam vt authenticum inſtrumentum, ſed vti licentiæ facilius & frequentiùs argumentum. Et licet Regulares Concilij Decreta non adſtringant, iuxta communem Doctorum ſententiam, de quâ *Titulo 5. numer.* 150. circa hoc tamen non poſſunt reluctari, quia, vt vidimus, ex Chriſti, & naturæ ipſius præcepto, grauis obligatio conſurgit: ex cuius neglectu grauia irreuerentiæ incommoda timeri poſſunt, quæ & conſtat acci-

Regulares ad id teneri.

diſſe, quorum & oculati teſtes eſſe poſſumus. Quòd ſi Indi, aut Æthiopes aliàs noti ſint, aut idonei appareant, vt ſæpè accidit, ſine ſchedula adminiſtrari illis Communio poterit; aliquando enim eam Confeſſarij ad manum non habent, etſi remoueantur tales, non ſine eorum dolore ſtare repulſâ poteſt in oculis aliorum.

Quando admitti ſine illa poſſint.

439 Et hæc quidem circa Communionem Paſchalem, & extra mortis articulum, in quo Viaticum à Parochis debere tribui iuxta ſacrorum Canonum inſtituta, Concilium ſecundum Limenſe prouidit *Seſſ. 3. Cap. 59.* Quòd cùm executioni non fuiſſet euſque mandatum, vt par erat, à Concilio tertio grauiſſimo eſt præcepto decretum *Act. 2. Cap. 19.* vbi ſic habetur: *Volens igitur ſancta Synodus ad executionem perduci, quæ, Chriſto duce, pro ſalute Indorum neceſſariò ordinata ſunt, ſeuerè præcipit omnibus Parochis vt extremè laborantibus Indis, atque Æthiopibus, Viaticum miniſtrare non prætermittant; dummodo in ijs debitam diſpoſitionem agnoſcant: nempe fidem in Chriſtum, & pœnitentiam in Deum pro ſuo modo.* Sic Concilium: cuius loquendi modus excuſationem poteſt fouere quorumdam, qui dum Indos atque Æthiopes circa prædictam diſpoſitionem minùs habentes inueniunt, miniſtrare cœleſte Viaticum prætermittunt. Cùm tamen minimè ſint propterea excuſandi; quandoquidem tenentur diſpoſitionem prædictam in eiſdem accurare. Si enim minorem fidem deprehendant, excitare illam debent, & poſſunt quidem iteratâ doctrinâ, quo & fiet pœnitentiam etiam poſſe in illis excitari. Concilium ergo ſic intelligendum, vt Parochi tunc debeant præbere Viaticum, cùm diſpoſitionem explicatam inuenerint: vt inueniant autem ſuo non debent officio deeſſe, quod à Concilio vt indubitatum ſupponitur, cùm inſtructio diligens circa hoc inter præcipuas officij ipſorum partes veniat computanda, ſicut de Baptiſmo decernitur *Actione eadem Cap. 4.* non quidem dandum indiſpoſitis; ſed vt indiſpoſiti non ſint, à Parochis inſtruendis.

Parochos teneri Indis, & Neophytis alijs Viaticum miniſtrare.

Decretum Concilij Limenſis 3.

Vtilis circa intelligentiam obſeruatio.

440 Sed non his contentum illud, ita ſubdit: *Neque enim in extremâ illâ neceſſitate perfecta omnia exigenda ſunt. Cùm Sanctorum Patrum Decreta habeant qualecumque fidei, & pœnitentiæ teſtimonium, in vltimo agone poſitis vt ſalutaria Sacramenta miniſtrentur, debere ſufficere.* Sic illud: quod eſt quidem ad tollendos ſcrupulos maximè opportunum; cùm accidere poſſit vt à Viatici ſumptione multorum ſalus æterna dependeat: quandoquidem ſententia grauiſſimorum ſcriptorum eſt, & in ijs, D. Thomæ virtute illius primam gratiam poſſe conferri. Citantur autem in margine prædicti Decreti Concilium Carthagin. 4. in Cap. *Is qui in infirmitate 26. q. 6.* Cap. *Si quis, de Pœnitentiâ, diſt. 7.* & Cap. *Nullus*, ibidem. Cap. *Hic qui tempore, 26. q. 6.* Ex quibus ſolùm Cap. *Is qui*, de Euchariſtiâ agit, alia enim de non deneganda pœnitentia & reconciliatione, generaliter determinant. Eſt autem illud ex Concilio Carthaginenſi citato, & ſic habet: *Is, qui in infirmitate pœnitentiam petit, ſi caſu, dum ad eum inuitatus Sacerdos venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel ſi in phreneſim conuerſus fuerit, dent teſtimonium qui eum*

Minor diſpoſitio requiritur in extremè laborantibus.

Cap. Is qui ex Concilio Carthag. 4.

 audie-

Digitized by Google

eu lietunt, & accipiat pœnitentiam: etſi continuò creditur moriturus, reconcilietur per manûs impoſitionem, & infundatur ori eius Eucharistia. Si ſuperuixerit, admoneatur à ſupradictis teſtibus petitioni ſuæ ſatisfactum &c. Ex quibus Patres Limenſis Concilij non incongruè deducere potuerunt in mortis articulo non eam exactam diſpoſitionem, quæ aliis ſolet peti temporibus, requirendam. Qui enim tantùm voluntatem confitendi oſtendit, & vocari Sacerdotem voluit, nondum cenſetur plenè diſpoſitus: quia tamen voluntatem illam ſolet comitari dolor, ea judicatur ſufficiens diſpoſitio, vt abſolutionis beneficium ei poſſit impendi, & Eucharistia, cuius remotam tantùm & virtualem voluntatem oſtendit, miniſtrari. Quod quidem cùm ita Iura diſponant, & generalis doctrina ſit, Indis & Æthiopibus dubio eſt procul adaptanda: eoque vrgentius, quòd cùm ex opere operantis parum ſalutis æternæ negotium valeant promouere, Sacramentorum debent ſubſidiis roborari.

Vnde colligat Concilium Limenſe poſitionem ſuam.

Alia circa adminiſtrationem ex eodem.

441 Addit Concilium alia pro decenti adminiſtratione, & poſteà ſic ſubdit: *vbi verò Euchariſtia non aſſeruatur, id fiet peracto ante meridiem Miſſæ ſacrificio, atque hoſtijs pro indigentium numero conſecratis.* Sic illud, ſapienter cauens aliquorum inſcitiam, qui ad Communionem morituris præbendam, Miſſam fortè importunis temporibus celebrarent. Neque enim deſunt aliquando tales, ſicut nec defuit, qui Ioannis Maioris ſententiam complexus, ſolam hoſtiam veſpere conſecrauit. Non eſt tamen propterea credendum voluiſſe Conſilium probabiles circa hoc opiniones expungere, vt minimè illis locus eſſet futurus. Videtur autem circa hoc illa regula deſeruire, vt ij, qui priuilegium nullum habent ad poſtponendum Miſſæ tempus; vt ſunt communiter Sacerdotes ſæculares, dicere Miſſam poſſint horâ tertiâ poſt meridiem, quantùm ſcilicet priuilegiatis licet, iuxta probabilem opinionem, pro qua videri poſſunt quæ adducit Mag. Ioannes de la Cruz *in Directorio Conſcientiæ Parte 2. de Sacrificio Miſſæ quæſt. 2. dub. 1. Concluſ. 4.* & approbat Diana *Parte 2. Tractatu 14. Reſolut. 34.* de quo & Nos *ſuprà à num.* 247. quia verò in caſu neceſſitatis plus aliquid eſt priuilegiatis concedendum quàm aliàs liceat; neceſſitas enim priuilegium aliquod ſecum affert, ad totum illud ſe poteſt facultas cuiuſlibet Sacerdotis extendere: quia in priuilegiato totum illud licet ratione neceſſitatis; ne ſcilicet moriturus circa æternam ſalutem irreparabile diſpendium ſubeat: quæ ratio in quocumque Sacerdote militat, vt non debeat infirmum ſubſidio tali, dum lex Eccleſiæ non deprehenditur contraria, defraudare: & de his ſatis.

Circa tempus celebrandi notata nonnulla.

CAPVT XVIII.

De Priuilegiis Indorum circa Quartum Eccleſiæ Præceptum, de Ieiunio.

Priuilegia Indorum circa ieiunium.

442 MAgnis circa hoc illi priuilegiis perfruuntur: per conceſſionem enim Pauli Tertij in Bulla, quæ incipit, *Altitudo diuini conſilij*, ab omnibus ieiunij Eccleſiaſtici legibus eximuntur, præter Ferias Sextas Quadrageſimæ, Sabbatum Sanctum, & Vigiliam Natiuitatis Domini. Poſſunt etiam in omnibus diebus, in quibus à carnibus abſtinentia præcipitur, omnibus iis veſci cibis, quibus veſci poſſunt qui Bullam Cruciatæ accipiunt, ex eiuſdem Pontificis conceſſione: de quo Fr. Ioannes Baptiſta *in Animaduerſionibus pro Confeſſariis Indorum Parte* 1. verb. *Ayuno.* F F. Emmanuel, & Hieronymus Rodriquez, & Veracruz apud P. Quintanad. *Tomo 2. Tract. 9. Singulari* 34. Neque hoc mirum, cùm in Indiis conſuetudo inualuerit circa talem vſum, de quo diximus *Titulo 5. num.226. & ſeqq.* & pro quo pugnat Dom Villaroel *Parte 1. Pacifi.æ gubernationis Quæſt. 3. Artic. 2. per totum.* Contranitentibus Commiſſariis S. Cruciatæ, ſed non obtinentibus, dum docti, & pij, ac in iis Religioſi pro conſuetudine ſtant, eamque ſuo ipſorum vſu non verentur roborare. Videat ergo ſanctorum illud Tribunal quid circa hoc præſtandum, ne, dum priuilegium Bullæ tueri curat, laqueus conſcientiis, vt experientiâ conſtat, iniiciatur. Præter dictos etiam dies Indi in multis partibus Indiarum ad abſtinentiam à carnibus non tenentur in Sabbatis: pro quo quidem priuilegium nullum extat, ſed id conſuetudine eſt tantùm introductum. Quia verò Æthiopum conſuetudo talis non fuit, ad illos talis non extenditur permiſſio. Et certè oportuit Indis occaſionem lapſuum frequentium amputari. Cùm enim in Indiis, ſicut & in Hiſpania, liceat Sabbatis animantium extremitatibus, & inteſtinis veſci, quorum carnes diebus non vetitis ſolent manducari; difficile eſſet Indos inter extremitates, & partes alias diſtinguere, cùm diſcrimen illud nullâ ſit rationis luce perſpicuum, & circa vſum nihil tale diſcernet appetitus, in iis præſertim, qui ad hæc immoderatâ inclinatione feruntur. Ex quo alicui forſitan videbitur pro Æthiopibus eamdem facere rationem; quia & iſti diſcrimen tale deprehendere rationis lumine nequeunt, & inclinatio ad negotia ventris non minor in illis, cum onere aliàs ſeruitutis, exilij à patriis ſedibus, & derelicto penitus ſolatio parentelæ. Quod quidem reuerà ita eſt, ſed ratio pro conſuetudine vrget. Nihilominus non videtur improbabile oppoſitum ex doctrina multorum, dicentium legem fauorabilem extendi ſecundùm identitatem rationis, immò & priuilegium, ſi præſertim fauor in eo fidei aut Religionis verſatur. Cõſuetudinem autem inſtar legis interpretandam quoad obligationem, & alia legis propria, docent P. Suarez, P. Azor, & P. Salas, quos adducit & ſequitur Diana *Parte 6. Tractatu 5. Reſolut.* 17. & quidem cùm ad conſuetudinem legitimè introducendam conſenſus Principis requiratur, qualiſcumque ille ſit, de quo *num.* 199. circa eam, de qua loquimur, conſenſus Principis, Pontificis inquam, inuenitur. Quis enim credat Paternam illius pietatem erga Indos hac in parte propenſam, erga Æthiopes, miſerabiliores profectò perſonas, minùs ſe ſuauem ac liberalem exhibere?

Sabbatis licet Indis veſci carnibus, non tamen Æthiopibus, ex conſuetud.

Non eſſe improbabile licere iſtis.

443 Sunt inſuper priuilegia alia à Pontificibus circa ieiunium Indis conceſſa, vt videri poteſt in Compendio Indico Societatis verb. *Diſpenſatio*

Priuilegiũ ad diſpenſandum

iam Indis & Neophytis circa ieiunia.

ſpenſatio 5. 1. *&* 2. & quia illa iam finita, vel quòd Oracula, vel quòd cum temporis limitatione tributa, ab Vrbano Octauo noua eſt facta conceſſio, quæ & ipſa expirauit, non ita quæ ab Innocentio X. & ita habet: *nec non cum Indis in foro conſcientiæ tantùm, & cum Neophytis in vtroque foro, ſuper ieiuniis, gratis tamen diſpenſandi.* Sic ille. Vbi non videtur facilis conceſſionis huius intellectus, cùm Indi à Neophytis diſtinguantur, & his major quàm illis circa diſpenſationem gratia fiat. Cùm in eadem etiam Bulla ſtatim declaret Pontifex *omnes oriundos ſeu naturales ſupradictarum omnium, tam Orientalium, quàm Occidentalium partium: immò etiamſi Æthiopes, Angulani, vel quarumuis aliarum tranſmarinarum regionum, etiamſi Chriſtianorum filij, ac in infantia baptizati, vel etiam inter ſe, vel cum Europæis mixtim progeniti ſint, ad conceſſionis huiuſmodi effectum eſſe & intelligi debere Neophytos.* Si dicatur Neophytorum nomine alios intelligi, qui Indi non ſunt, ſed tranſmarini incolæ, id non eſt vllo pacto veroſimile, quia incredibile eſt Pontifices plus illis quàm Indis fauere voluiſſe: cùm pro Indis diſpenſandi facultas tantùm circa forum conſcientiæ concedatur, aliis pro vtroque. Videtur ergo dicendum Neophytorum nomine illos intelligi, qui verè tales ſunt, iuxta Iuris acceptionem, recèns inquam conuerſos, qui nondum à recepto Baptiſmo in adulta ætate decem annos exegerunt, vt Doctores communiter explicant, & videri poteſt apud Bonacinam *Tomo* 1. *Tractatu de Cenſuris Diſput.* 7. *Quæſt.* 2. *Puncto* 1. *num.* 5. vel quomodocumque aliter explicetur: pro quo P. Suarez *Tomo* 5. *in* 3. *p. Diſput.* 43. *Sect.* 3. *num.* 6. *&* 7. Cùm Indis ergo in infantiâ baptizatis diſpenſari tantùm in foro conſcientiæ poteſt, cum aliis in vtroque: vbi ratio diſcriminis eſt comperta. Quòd verò Pontifices ſtatim declarent Neophytorum nomine venire Indos & quoſcumque alios vltramarinos incolas, non obſtat traditæ expoſitioni; quia id intelligendum eſt, vbi contrarium manifeſtè non ponitur, vt in caſu noſtro.

Indi à Neophytis quomodo diſtinguantur in illa.

In rigore qui dicantur Neophyti.

Religioſos diſpenſare poſſe, etiam ſi Parochi non ſint. Si autem Parochi, etiam ratione officij.

444 Poſſunt autem Religioſi Societatis prædictam diſpenſationem impendere, etiamſi Parochi Indorum non ſint, in quo præſertim virtus priuilegij conſiſtit. Si enim ſint Parochi, ſatis probabile eſt poſſe ex vi talis muneris diſpenſare, vt docent complures Doctores: idque non ſolùm abſente Epiſcopo, aut eius Vicario, ſed etiam præſente: non enim ita facilis ad illos eſt aditus. Videantur illi apud Paſqualigum *Deciſione* 387. *num.* 1. qui & addit cum Ioanne Sancio *in Selectis Diſputat.* 54. *numer.* 36. non ſolùm Parochos id poſſe, ſed etiam eorum Vicarios. Quæ extenſio nimia profectò eſt, & contra id, quod conſuetudine videtur eſſe receptum, ſi de Vicariis quibuſcumque loquamur. Sunt enim Vicarij, qui plenam officij adminiſtrationem habent, & alij, qui in partem ſolicitudinis tantùm aduocantur. Illis prioribus cùm juriſdictio plenè competat, id etiam licebit, quod ad diſpenſationes ſpectat, in quibus iuriſdictio exercetur; aliis autem non ita; niſi fortè ad Parochum aditus non facilis ſit, tunc enim rectè præſumitur iuriſdictio ad actus huiuſmodi, qui frequenter occurrunt, prorogata. Pro quo videri poteſt P. Quintanad. *ſuprà Singul.* 33. *n.* 1.

Quid Vicarij.

Amplitudo diſpenſationis explicatur.

445 Facultas autem diſpenſandi Religioſis conceſſa valde ampla eſt, cùm limitationem nullam habeat, niſi illam de foro interno & externo, *ſuper ieiuniis* inquam. Poſſunt ergo diſpenſare ſuper ieiuniis, non ſolùm quæ pro Indis, & Neophytis aliis de præcepto ſunt, pauca ſcilicet illa, de quibus *num.* 442. ſed etiam in aliis, quæ ſunt communia, & in quibus abſtinentia à carnibus ſeruari ab illis debet, ſic enim dies ieiunij etiam dici poſſunt. Vnde cùm in Iure ſtatuta ieiunia ſint, obligatio eorum tantùm erat de abſtinentia à carnibus, neque aliud ex eo expreſsè colligi poteſt, ſed vnica comeſtio conſuetudine introducta eſt, vt teſtantur Doctores, quos adducit & ſequitur P. Fagundez circa Præceptum 4. *Lib.* 1. *Cap.* 4. *num.* 1. qui & videndus *Cap.* 6. *num.* 4. *&* 5. circa ieiunium Sabbati, & Feriæ 6. quod imperfectum quidem eſt; tale tamen vt dies prædicti poſſint ieiunij compellari. Et licet imperfectum illud; vbi de priuilegio agitur, ad ipſos extendendum, cùm cauſſa eſt pia, iuxta ſæpiùs dicta, & eſſe in præſenti liquet. Pro quo videri poteſt P. Palaus *Tomo* 1. *Tractatu* 3. *Diſputat.* 4. *Puncto* 10. *num.* 5. & P. Pellizarius *Tractat.* 8. *num.* 142. vbi de priuilegiis Regularium agunt. In priuilegio autem, de quo loquimur, pietatis, fidei, & Religionis negotium agitur, vnde & conſtat ampliandum. Poterunt ergo Religioſi Societatis cum Neophytis diſpenſare vt carnes comedant in diebus dictis, congruâ ad id ſuppetente ratione, vt frequenter ſuppetit, ob defectum ciborum aliorum, quæ ad robuſtum alimentum requiruntur: valde enim debilia eſſe ſolent illorum pulmenta, carnibus demptis, in iis præſertim, qui ab oppidis Hiſpanorum diſtant. Et licet talibus ſoleant eſſe contenti; aliud eſt, quod neceſſitate cogente ſuſtinent, aliud quod lege Eccleſiaſticâ conſtricti debeant ſuſtinere: vnde & frequentiſſimè propter hanc cauſſam à ieiuniis etiam ſibi propriis excuſantur. Et in paſtoribus hoc ſpecialiùs præſtari debet, quia præter carnes vix eſt ſolidum aliquid, quo veſci poſſint: & licet lacticiniis ieiunium tolerare poſſint; non tamen alimentum huiuſmodi tale videtur, vt licet in rigore ſufficiens ſit, non debeat ſufficiens ratio diſpenſationis ad edendas carnes, illius ſola copia iudicari. Rigor enim cum illis tenendus non eſt, ex quo apertè reſultat incommodum, & dubia prætereà manet obligatio: quo euentu diſpenſari in ieiunio poſſe, innumeri tenent Doctores videndi apud Paſqualigum *Deciſione* 596. *num.* 3. ſicut & plures aſſerentes diſpenſari poſſe quando dubium eſt an ratio ad diſpenſandum ſit ſufficiens.

Pro comedendis carnibus vt debeat practicari.

Indos non teneri ad ieiunia ſpecialia populorum.

446 Sed dubitari vlteriùs poteſt an Indi teneantur ad ieiunia vel à Magiſtratibus ex voto, Epiſcopo ex ſtatuto indictis. Ad quod affirmatiuè reſpondet P. Quintanad. *ſuprà*, in fine: niſi aliunde hi prohibiti ſint eiuſmodi condere ſtatuta vel Indos in eis apertè excluſos proteſtentur. Sed contrarium dicendum, ſicut de Feſtis diximus *Cap.* 15. quòd ſcilicet Indi comprehenſi talibus ſtatutis non ſint, niſi de illis mentio expreſſa habeatur. Cùm enim Eccleſia ab obligatione ieiuniorum, quæ grauiſſimis legibus in eadem, & ob ſolemnitates celeberrimas ſeruari ſunt ſolita, exemptos velit; non eſt præſumendum

Digitized by Google

cu.lierunt, & accipiat pœnitentiam: etſi continuò creditur moriturus, reconcilietur per manûs impoſitionem, & infundatur ori eius Eucharistia. Si ſuperuixerit, admoneatur à ſupradictis teſtibus petitioni ſuæ ſatisfactum &c. Ex quibus Patres Limenſis Concilij non incongruè deducere potuerunt in mortis articulo non eam exactam diſpoſitionem, quæ aliis ſolet peti temporibus, requirendam. Qui enim tantùm voluntatem confitendi oſtendit, & vocari Sacerdotem voluit, nondum cenſetur plenè diſpoſitus: quia tamen voluntatem illam ſolet comitari dolor, ea judicatur ſufficiens diſpoſitio, vt abſolutionis beneficium ei poſſit impendi, & Euchariſtia, cuius remotam tantùm & virtualem voluntatem oſtendit, miniſtrari. Quod quidem cùm ita Iura diſponant, & generalis doctrina ſit, Indis & Æthiopibus dubio eſt procul adaptanda: eoque vrgentius, quòd cùm ex opere operantis parum ſalutis æternæ negotium valeant promouere, Sacramentorum debent ſubſidiis roborari.

Vnde colligat Concilium Limenſe poſitionem ſuam.

441 Addit Concilium alia pro decenti adminiſtratione, & poſteà ſic ſubdit: *vbi verò Euchariſtia non aſſeruatur, id fiet peracto ante meridiem Miſſæ ſacrificio, atque hoſtijs pro indigentium numero conſecratis.* Sic illud, ſapienter cauens aliquorum inſcitiam, qui ad Communionem morituris præbendam, Miſſam fortè importunis temporibus celebrarent. Neque enim deſunt aliquando tales, ſicut nec defuit, qui Ioannis Maioris ſententiam complexus, ſolam hoſtiam veſpere conſecrauit. Non eſt tamen propterea credendum voluiſſe Conſilium probabiles circa hoc opiniones expungere, vt minimè illis locus eſſet futurus. Videtur autem circa hoc illa regula deſeruire, vt ij, qui priuilegium nullum habent ad poſtponendum Miſſæ tempus; vt ſunt communiter Sacerdotes ſæculares, dicere Miſſam poſſint horâ tertiâ poſt meridiem, quantùm ſcilicet priuilegiatis licet, iuxta probabilem opinionem, pro qua videri poſſunt quæ adducit Mag. Ioannes de la Cruz *in Directorio Conſcientiæ Parte 2. de Sacrificio Miſſæ quæſt. 2. dub. 1. Concluſ. 4.* & approbat Diana *Parte 2. Tractatu 14. Reſolut. 34.* de quo & Nos *ſuprà à num. 247.* quia verò in caſu neceſſitatis plus aliquid eſt priuilegiatis concedendum quàm aliàs liceat; neceſſitas enim priuilegium aliquod ſecum affert, ad totum illud ſe poteſt facultas cuiuſlibet Sacerdotis extendere: quia in priuilegiato totum illud licet ratione neceſſitatis; ne ſcilicet moriturus circa æternam ſalutem irreparabile diſpendium ſubeat: quæ ratio in quocumque Sacerdote militat, vt non debeat infirmum ſubſidio tali, dum lex Eccleſiæ non deprehenditur contraria, defraudare: & de his ſatis.

Alia circa adminiſtrationem ex eodem.

Circa tempus celebrandi notata nonnulla.

CAPVT XVIII.

De Priuilegiis Indorum circa Quartum Eccleſiæ Præceptum, de Ieiunio.

442 MAgnis circa hoc illi priuilegiis perfruuntur: per conceſſionem enim Pauli Tertij in Bulla, quæ incipit, *Altitudo diuini conſilij*, ab omnibus ieiunij Eccleſiaſtici legibus eximuntur, præter Ferias Sextas Quadrageſimæ, Sabbatum Sanctum, & Vigiliam Natiuitatis Domini. Poſſunt etiam in omnibus diebus, in quibus à carnibus abſtinentia præcipitur, omnibus iis veſci cibis, quibus veſci poſſunt qui Bullam Cruciatæ accipiunt, ex eiuſdem Pontificis conceſſione: de quo Fr. Ioannes Baptiſta *in Animaduerſionibus pro Confeſſariis Indorum Parte 1. verb. Ayuno.* F F. Emmanuel, & Hieronymus Rodriquez, & Veracruz apud P. Quintanad. *Tomo 2. Tract. 9. Singulari 34.* Neque hoc mirum, cùm in Indiis conſuetudo inualuerit circa talem vſum, de quo diximus *Titulo 5. num. 226. & ſeqq.* & pro quo pugnat Dom Villaroel *Parte 1. Pacifi a gubernationis Quæſt. 3. Artic. 2. per totum.* Contranitentibus Commiſſarijs S. Cruciatæ, ſed non obtinentibus, dum docti, & pij, ac in iis Religioſi pro conſuetudine ſtant, eamque ſuo ipſorum vſu non verentur roborare. Videat ergo ſanctorum illud Tribunal quid circa hoc præſtandum, ne, dum priuilegium Bullæ tueri curat, laqueus conſcientiis, vt experientiâ conſtat, iniiciatur. Præter dictos etiam dies Indi in multis partibus Indiarum ad abſtinentiam à carnibus non tenentur in Sabbatis: pro quo quidem priuilegium nullum extat, ſed id conſuetudine eſt tantùm introductum. Quia verò Æthiopum conſuetudo talis non fuit, ad illos talis non extenditur permiſſio. Et certè oportuit Indis occaſionem lapſuum frequentium amputari. Cùm enim in Indiis, ſicut & in Hiſpania, liceat Sabbatis animantium extremitatibus, & inteſtinis veſci, quorum carnes diebus non vetitis ſolent manducari; difficile eſſet Indos inter extremitates, & partes alias diſtinguere, cùm diſcrimen illud nullâ ſit rationis luce perſpicuum, & circa vſum nihil tale diſcernet appetitus, in iis præſertim, qui ad hæc immoderatâ inclinatione feruntur. Ex quo alicui forſitan videbitur pro Æthiopibus eamdem facere rationem, quia & iſti diſcrimen tale deprehendere rationis lumine nequeunt, & inclinatio ad negotia ventris non minor in illis, cum onere aliàs ſeruitutis, exilij à patriis ſedibus, & derelicto penitus ſolatio parentelæ. Quod quidem reuerà ita eſt, ſed ratio pro conſuetudine vrget. Nihilominus non videtur improbabile oppoſitum ex doctrina multorum, dicentium legem fauorabilem extendi ſecundùm identitatem rationis, immò & priuilegium, ſi præſertim fauor in eo fidei aut Religionis verſatur. Cõſuetudinem autem inſtar legis interpretandam quoad obligationem, & alia legis propria, docent P. Suarez, P. Azor, & P. Salas, quos adducit & ſequitur Diana *Parte 6. Tractatu 5. Reſolut. 17.* & quidem cùm ad conſuetudinem legitimè introducendam conſenſus Principis requiratur, qualiſcumque ille ſit, de quo *num. 199.* circa eam, de qua loquimur, conſenſus Principis, Pontificis inquam, inuenitur. Quis enim credat Paternam illius pietatem erga Indos hac in parte propenſam, erga Æthiopes, miſerabiliores profectò perſonas, minùs ſe ſuauem ac liberalem exhibere?

Priuilegia Indorum circa ieiunium.

Sabbatis licet Indis veſci carnibus, non tamen Æthiopibus, ex cõſuetudine.

Non eſſe improbabile licere iſtis.

443 Sunt inſuper priuilegia alia à Pontificibus circa ieiunium Indis conceſſa, vt videri poteſt in Compendio Indico Societatis verb. *Di*

Priuilegiũ ad diſpenſandum

ſpenſatio

Digitized by Google

iam Indi & Neophyti circa ieiunia.

ſpenſatio §. 1. & 2. & quia illa iam finita, vel quòd Oracula, vel quòd cum temporis limitatione tributa, ab Vrbano Octauo noua eſt facta conceſſio, quæ & ipſa expirauit, non ita quæ ab Innocentio X. & ita habet: *nec non cum Indis in foro conſcientiæ tantùm, & cum Neophytis in vtroque foro, ſuper ieiuniis, gratis tamen diſpenſandi.* Sic ille. Vbi non videtur facilis conceſſionis huius intellectus, cùm Indi à Neophytis diſtinguantur, & his major quàm illis circa diſpenſationem gratia fiat. Cùm in eadem etiam Bulla ſtatim declaret Pontifex *omnes oriundos ſeu naturales ſupradictarum omnium, tam Orientalium, quàm Occidentalium partium: immò etiamſi Æthiopes, Angulani, vel quarumuis aliarum tranſmarinarum regionum, etiamſi Chriſtianorum filij, ac in infantia baptizati, vel etiam inter ſe, vel cum Europæis mixtim progeniti ſint, ad conceſſionis huiuſmodi effectum eſſe & intelligi debere Neophytos.* Si dicatur Neophytorum nomine alios intelligi, qui Indi non ſunt, ſed tranſmarini incolæ, id non eſt vllo pacto veroſimile, quia incredibile eſt Pontifices plus illis quàm Indis fauere voluiſſe: cùm pro Indis diſpenſandi facultas tantùm circa forum conſcientiæ concedatur, aliis pro vtroque. Videtur ergo dicendum Neophytorum nomine illos intelligi, qui verè tales ſunt, iuxta Iuris acceptionem, recèns inquam conuerſos, qui nondum à recepto Baptiſmo in adulta ætate decem annos exegerunt, vt Doctores communiter explicant, & videri poteſt apud Bonacinam *Tomo* 1. *Tractatu de Cenſuris Diſput.* 7. *Quæſt.* 2. *Puncto* 1. *num.* 5. vel quomodocumque aliter explicetur: pro quo P. Suarez *Tomo* 5. *in* 3. *p. Diſput.* 43. *Sect.* 3. *num.* 6. & 7. Cùm Indis ergo in infantiâ baptizatis diſpenſari tantùm in foro conſcientiæ poteſt, cum aliis in vtroque: vbi ratio diſcriminis eſt comperta. Quòd verò Pontifices ſtatim declarent Neophytorum nomine venire Indos & quoſcumque alios vltramarinos incolas, non obſtat traditæ expoſitioni; quia id intelligendum eſt, vbi contrarium manifeſtè non ponitur, vt in caſu noſtro.

Indi à Neophytis quomodo diſtinguãtur in illo.

In rigore qui dicantur Neophyti.

Religioſos diſpenſare poſſe, etiam ſi Parochi non ſint. Si autem Parochi, etiam ratione officij.

444 Poſſunt autem Religioſi Societatis prædictam diſpenſationem impendere, etiamſi Parochi Indorum non ſint, in quo præſertim virtus priuilegij conſiſtit. Si enim ſint Parochi, ſatis probabile eſt poſſe ex vi talis muneris diſpenſare, vt docent complures Doctores: idque non ſolùm abſente Epiſcopo, aut eius Vicario, ſed etiam præſente: non enim ita facilis ad illos eſt aditus. Videantur illi apud Paſqualigum *Deciſione* 387. *num.* 1. qui & addit cum Ioanne Sancio *in Selectis Diſputat.* 54. *numer.* 36. non ſolùm Parochos id poſſe, ſed etiam eorum Vicarios. Quæ extenſio nimia profectò eſt, & contra id, quod conſuetudine videtur eſſe receptum, ſi de Vicariis quibuſcumque loquamur. Sunt enim Vicarij, qui plenam officij adminiſtrationem habent, & alij, qui in partem ſolicitudinis tantùm aduocantur. Illis prioribus cùm juriſdictio plenè competat, id etiam licebit, quod ad diſpenſationes ſpectat, in quibus iuriſdictio exercetur; aliis autem non ita; niſi fortè ad Parochum aditus non facilis ſit, tunc enim rectè præſumitur iuriſdictio ad actus huiuſmodi, qui frequenter occurrunt, prorogata. Pro quo videri poteſt P. Quintanad. *ſuprà Singul.* 33. *n.* 1.

Quid Vicarij.

445 Facultas autem diſpenſandi Religioſis conceſſa valde ampla eſt, cùm limitationem nullam habeat, niſi illam de foro interno & externo, *ſuper ieiuniis* inquam. Poſſunt ergo diſpenſare ſuper ieiuniis, non ſolùm quæ pro Indis, & Neophytis aliis de præcepto ſunt, pauca ſcilicet illa, de quibus *num.* 442. ſed etiam in aliis, quæ ſunt communia, & in quibus abſtinentia à carnibus ſeruari ab illis debet, ſic enim dies ieiunij etiam dici poſſunt. Vnde cùm in Iure ſtatuta ieiunia ſint, obligatio eorum tantùm erat de abſtinentia à carnibus, neque aliud ex eo expreſsè colligi poteſt, ſed vnica comeſtio conſuetudine introducta eſt, vt teſtantur Doctores, quos adducit & ſequitur P. Fagundez circa Præceptum 4. *Lib.* 1. *Cap.* 4. *num.* 1. qui & videndus *Cap.* 6. *num.* 4. & 5. circa ieiunium Sabbati, & Feriæ 6. quod imperfectum quidem eſt; tale tamen vt dies prædicti poſſint ieiunij compellari. Et licet imperfectum illud; vbi de priuilegio agitur, ad ipſos extendendum, cùm cauſſa eſt pia, iuxta ſæpiùs dicta, & eſſe in præſenti liquet. Pro quo videri poteſt P. Palaus *Tomo* 1. *Tractatu* 3. *Diſputat.* 4. *Puncto* 10. *num.* 5. & P. Pellizarius *Tractat.* 8. *num.* 142. vbi de priuilegiis Regularium agunt. In priuilegio autem, de quo loquimur, pietatis, fidei, & Religionis negotium agitur, vnde & conſtat ampliandum. Poterunt ergo Religioſi Societatis cum Neophytis diſpenſare vt carnes comedant in diebus dictis, congruâ ad id ſuppetente ratione, vt frequenter ſuppetit, ob defectum ciborum aliorum, quæ ad robuſtum alimentum requiruntur: valde enim debilia eſſe ſolent illorum pulmenta, carnibus demptis, in iis præſertim, qui ab oppidis Hiſpanorum diſtant. Et licet talibus ſoleant eſſe contenti; aliud eſt, quod neceſſitate cogente ſuſtinent, aliud quod lege Eccleſiaſticâ constricti debeant ſuſtinere: vnde & frequentiſſimè propter hanc cauſſam à ieiuniis etiam ſibi propriis excuſantur. Et in paſtoribus hoc ſpecialiùs præſtari debet, quia præter carnes vix eſt ſolidum aliquid, quo veſci poſſint: & licet lacticiniis ieiunium tolerare poſſint; non tamen alimentum huiuſmodi tale videtur, vt licet in rigore ſufficiens ſit, non debeat ſufficiens ratio diſpenſationis ad edendas carnes, illius ſola copia iudicari. Rigor enim cum illis tenendus non eſt, ex quo apertè reſultat incommodum, & dubia prætereà manet obligatio: quo euentu diſpenſari in ieiunio poſſe, innumeri tenent Doctores videndi apud Paſqualigum *Deciſione* 596. *num.* 3. ſicut & plures aſſerentes diſpenſari poſſe quando dubium eſt an ratio ad diſpenſandum ſit ſufficiens.

Amplitudo diſpenſationis explicatur.

Pro comedendis carnibus vt debeat practicari.

446 Sed dubitari vlteriùs poteſt an Indi teneantur ad ieiunia vel à Magiſtratibus ex voto, Epiſcopo ex ſtatuto indictis. Ad quod affirmatiuè reſpondet P. Quintanad. *ſuprà*, in fine: niſi aliunde hi prohibiti ſint eiuſmodi condere ſtatuta vel Indos in eis apertè excluſos proteſtentur. Sed contrarium dicendum, ſicut de Feſtis diximus *Cap.* 15. quòd ſcilicet Indi comprehenſi talibus ſtatutis non ſint, niſi de illis mentio expreſſa habeatur. Cùm enim Eccleſia ab obligatione ieiuniorum, quæ grauiſſimis legibus in eadem, & ob ſolemnitates celeberrimas ſeruari ſunt ſolita, exemptos velit; non eſt præſumendum

Indos non teneri ad ieiunia ſpecialia populorum.

Digitized by Google

dum aliam eſſe eorum mentem, qui ieiunium aliquod ſpeciale conſtituunt, cùm membrorum ſenſus Capitis ſui debeat ſenſui eſſe conformis.

Neque ad abſtinentiã à carnibus.

Quod & intelligendum de ieiunio imperfecto, abſtinentiâ inquam ſolâ à carnibus: quia cùm non exprimatur, non eſt cur debeat ea fieri diſcretio vt illi grauentur, quorum iugum oportet leuius reddi, & de quorum imbecillitate agit idem Auctor *num.* 4. quæ generalis quidem non eſt, ſunt enim quamplures eorum robuſtiſſimi. Quòd autem eorum aliquando imbecillitas generaliter prædicetur, vt in Concilio Limenſi, de quo diximus *numer.* 432. ad animam eſt potiùs, quàm ad corpus referendum, vt ibidem Concilium expoſuit addens *& ſpiritualis ſenſus inopiam &c.*

CAPVT XIX.

De Priuilegiis Indorum circa decimas, & primitias, pro quibus quintum Eccleſiæ Præceptum.

Circa obligationem Indorum ſoluendi decimas dictum *ſuprà.* & quæ dici generaliter poſſunt, ad eorum cauſſam coarctando, pro ea

Aſſertio 1. Indos ad ſolutionem decimarum conuenienter obligari.

447 Dico primò. Indos decimas, & primitias, aut tale aliquid Eccleſiæ ſoluere, res eſt ſanctiſſima, & quæ ab omnibus rectè ſentientibus debet commendari. Id conſtat ex Alexandri Tertij Conſtitutione in Cap. *Parochianos*, de decimis, vbi ſic ait: *Cùm decimæ, non ab homine, ſed ab ipſo Domino ſint inſtitutæ, quaſi debitum exigi poſſunt.* Sic ille. Sunt quidem à Domino inſtitutæ in veteri lege; ex quo conſtat eſſe illas iuri ac diuinæ inſtitutioni conformes. Licet autem in lege gratiæ præcepta veteris, quæ iuris erant poſitiui, non obligent: ex inſtitutione tamen illâ, quæ in iure naturæ fundatur, optimè potuit Eccleſia formam præcepti deſumere, vt id ſtatueret, quod alendis Miniſtris, & decori ſuo ſuſtentando ac promouendo opportunum videretur. Quotam ergo Eccleſiaſtici juris eſſe, ſolutionem verò in genere diuini, quatenus ex naturæ inſtinctu deſcendit, ſic dictante Deo, vt danti ſpiritualia, non vt pretium, ſed vt alimenta corporalia miniſtrentur, communis Doctorum reſolutio eſt, qui videri poſſunt apud Dom. Solorzanum *Tomo* 2. *Lib.* 1. *Cap.* 21. *numer.* 44. *& ſeqq.* & in Politica *Lib.* 2. *Cap.* 22. §. El ſegundo, *& ſeqq.* & P. Fagundez *Lib.* 1. *circa* 5. *Eccleſiæ Præceptum. Cap.* 1. *num.* 1. *& ſeqq.* Licet non deſint multi Canonici iuris Interpretes, qui præfatis Alexandri Tertij verbis, & conſimilibus aliis Innocentij Tertij in Cap. *Tua nobis*, & Cap. *Cùm non ſit*, eodem Titulo, innixi, jus in quotâ etiam diuinum agnoſcant, vt videri apud citatos poteſt, & alios de hoc agentes. Hoc autem ſic ſtante, quòd Indi ad Chriſtum conuerſi, & ab illis præcipuè progeniti, ſoluere decimas debeant, exploratum eſt, cùm ſubditi Eccleſiæ ſint, & ad ſuſtentationem ſibi in ſpiritualibus ſeruientium teneantur. Neque enim illi ſpiritualibus miniſteriis occupati fodere aut arare poſſunt, nec debent mendicare. Quòd ſi D. Paulus ſuo ſe labore ſuſtentabat, ſcenæ factoriam exercens artem, id quidem ex ſupererogatione ingentis ſpiritus factum, non ex obligatione, cùm a Chriſto dictum fuerit Lucæ 10. v. 7. *In eadem autem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos ſunt: dignus eſt enim operarius mercede ſua.* Pro quo & Apoſtolus ipſe 1. *Cor.* 9. longum diſcurſum attexit, & inter alia ſic dicit: *Sed non vſi ſumus hac poteſtate: ſed omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Chriſti. Neſcitis, quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt: & qui altari deſeruiunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinauit iis, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere. Ego autem nullo horum vſus ſum.* Non ergo Indi ab hac diuina & naturali lege exempti ſunt: modus autem in eâ ſeruandus potuit ab Eccleſia præſcribi; & ſic factum decimarum impoſitâ præſtatione.

Cap. Parochianos

Quomodo illa ex diuina inſtitutione.

D. Pauli exemplum non obſtare, cum ſuffragetur doctrina.

Lucæ 10. v. 7.

1. Cor. 9. v. 12. 13. & 14.

Aſſertio 2. Indos non teneri ſoluere decimas, ſi aliunde tribuant pro ſuſtentatione Paſtorum.

448 Dico Secundò. Decimæ non ita debentur ab Indis, vt ſi aliunde Paſtores alant ſuos, debeant illas, aut minus etiam aliquid ex naturæ prouentibus exhibere. Id conſtat ex Cap. *Ad Apoſtolicæ*, citato Titulo, vbi duplicem decimam ſoluendam non eſſe decernitur, ſed vnicam illi Eccleſiæ, in qua fideles *Eccleſiaſtica percipiunt Sacramenta.* Item. Quia decimæ ſtipendium laboris ſpiritualis ſunt; vnde in Cap. *Nouum genus*, ibidem, ſic dicitur: *Illi profectò Clerici, qui à Clericis ſpiritualium miniſteriorum labores accipiunt, decimas eis debent.* Sic ibi. Pro quo Caietanus 2. 2. *q.* 87. *art.* 1. §. *Ad hoc dicitur.* Nulli autem pro ordinario labore duplex ſtipendium debetur, niſi fortè nouus titulus, aut incrementum laboris accedat, vt videri poteſt apud P. Leſſium *Lib.* 2. *Cap.* 24. *Dub.* 5. P. Fragoſum *Tomo* 1. *pag.* 420. *num.* 58. & alios. Magiſque pro inſtituto præſenti P. Suarez *Tomo* 1. *de Religione Tract.* 2. *Lib.* 1. *Cap.* 5. *num.* 8. Hinc eſt vt cùm Indi, dum tributum ſoluunt, partem eius pro Parochorum ſuſtentatione contribuant, ſecundùm id, quod Regiis eſt legibus ex Pontificia facultate conſtitutum, non debeant vlteriùs decimarum exactionibus aggrauari. Quòd ſi decimas ab eis exigi videatur expediens, vt Indi magis Eccleſiaſticis inſtitutionibus conformentur; minuatur tributum iuxta eam partem, quæ pro primo effectu, vt dicitur, doctrinâ inquam, exhibetur. Neque enim dici poteſt decimas etiam deberi ad ſuſtentationem Prælatorum, vt ſunt Epiſcopi, & alij: vt ait P. Suarez *ſuprà num.* 7. nam pro illo ea ſufficiunt quæ ab aliis fidelibus miniſtrantur, & vt miniſtrare poſſint, Indorum operæ conferunt, quia in eorum prædiis vt laborent, exiguo deſignato ſtipendio, compelluntur. Item Hiſpani ob titulum dictum non ſoluunt decimas, & tributum aliud: ergo neque Indi ſoluere debent: quæ eſt euidens conſequentia. Et ita quidem, vt dixi aliàs, à ſupremo eſt Indiarum Conſilio poſt diuturnam controuerſiam iudicatum: ſed illius ſententiæ obluctatum validè, vt fit paſſim in iis, quæ pro Indorum commodis diſponuntur. Quid autem in talibus pro foro conſcientiæ liceat, ſciunt illi, qui aliquid ſciunt. vnde non eſt opus circa illud immorari. Pro quo etiam

Cap Ad Apoſtolicæ.

Cap. Nouum genus.

Ob titulũ ſuſtentationis Prælatorum non deberi ab ipſis.

Aſſertio 3. Conſuetudinem non ſemper atten-

449 Dico tertiò. Licet verum ſit in exigendis decimis attendendam eſſe conſuetudinem, iuxta id quod in Iure ſtatuitur, vt videri præſertim poteſt in Cap. *Cum ſint*, de decimis, ibi: *& ide*

tendendâ, cùm de exactione decimarum agitur erga Indos.

ideò in huiuſmodi dubitatione ad conſuetudinem diximus recurrendum. Et Cap. *Ad Apoſtolicæ*, ibidem, verbis illis: *Tu eliges in hoc caſu, quod per conſuetudinem diu obtentam ibidem videris obſeruatum.* Et ſic alibi. Circa Indos tamen conſuetudo nequit allegari. Id conſtat ex eo quòd erga illos non iure, ſed iniuriâ agi ſolet, nec iudicari poteſt Pontificem circa hoc annuere; vbi puſillos & imbecilles violentia opprimit, vt conſuetudo legitimè præſcripta iuxta iuris qualitates ſanctè diſpoſitas cenſeatur, de quo dictum *num.* 199. Cùm enim rationabilis eſſe debeat, ex Cap. *Cùm tanto*, quod eſt finale de Conſuetudine, & *Cap.* 1. de Conſtitutionibus in 6. id quidem in caſu præſenti penitus deficit, tum ex Cap. 1. de Conſuetudine Titul. citato, & Libro, vbi ſic dicitur: *Corruptelam, cùm*

Cap. 1. de conſuetudine in 6.

ſacris ſit inimica Canonibus, & de ambitionis radice proceſſerit, meritò reputantes, &c. Quomodo ergo rationabilis eſſe conſuetudo poteſt, in quâ contra iura naturæ, violentiâ incuſſâ, proceditur, & auaritiâ ſtimulante firmatur? Tum etiam ex citato Cap. *finali*, de Conſuetudine, vbi quæ eſt iuri naturali contraria, penitus reprobatur. Tum denique, quia id quod omnibus rectè ſentientibus cum horrore proponitur, rationabile eſſe nequit, quia ratio conſonat rationi, minimè paſſionibus lucem eius inuoluentibus obumbratæ: ſic autem euenit in præſenti, vt luce eſt ipſa manifeſtius. Cùm etiam debeat eſſe legitimè præſcripta, ex citato Cap. *finali*. Cap. *Non eſt*, de Conſuetudine in 6. & alibi: id ſanè in caſu noſtro non ſuppetit: iuxta communem enim Doctorum ſententiam, quos adducit Diana *Parte* 6. *Tractat.* 5. *Reſolut.* 9. actus per vim & metum à populo eliciti non ſufficiunt ad ſtabiliendam legitimè conſuetudinem. Pro quo eſt *Cap.* 5. *de Regulis Iuris*, in quo ſic dicitur: *Quod latenter, aut per vim, vel aliàs illicitè introductum eſt, nullâ debet ſtabilitate ſubſiſtere.* Sic ibi. Videatur Dom. Villaroel *Parte* 1. *Pacificæ gubernationis*, *Quæſt.* 3. *Art.* 2. *n.* 41. & 42. vbi plures Auctores accumulat.

Aſſertio 4. non teneri ad illas ſi egeant, ſicut neque generaliter pauperes.

450 Dico quartò. Indi non tenentur decimas integrè ſoluere, ſi ita egeant, vt id quod ſubtrahunt, ad ſuam & ſuorum ſuſtentationem, neceſſaria recognoſcant, vt ſæpè accidit. Sic Doctores qui de pauperibus generaliter loquuntur, ex quibus videri poſſunt P. Suarez *ſuprà Cap.* 16. *n.* 15. & 16. P. Filliucius *Tractat.* 27. *num.* 167. P. Palaus *Tractat.* 1. *Diſput. unicâ*, *Puncto* 11. *num.* 3. P. Vincentius Tancredi *de Religione*, *Tractat.* 4.

Ratio ex P. Suario.

Lib. 2. *Diſput.* 6. *num.* 4. & alij. Probat id P. Suarez ex Matris Eccleſiæ pietate: non enim veroſimile eſt velle illam cum tanto rigore obligare pauperes vt ex fructibus ſibi & familiæ ad ſuſtentationem neceſſarijs, decimas ſoluere teneantur; vt poſteà ſibi & ſuis de alimento neceſſario ad vitam emendicando prouideant: nam priùs tenetur quiſque ſe alere, quàm alios: præſertim hoc tempore, in quo pars illa decimarum, quæ pro alendis pauperibus deſtinata erat, diſparuit, & Eccleſiaſtici illam poſſident, & ſibi ita applicant, vt eam pauperibus non diſtribuant. Argumenta, quæ contra hoc fieri poſſunt, ſoluit P. Fagundez

Alia boni Auctoris.

Lib. 2. *Cap.* 3. *numer.* 4. & 5. vbi benè ait decimas minùs principaliter ſolui in ſignum vniuerſalis dominij Dei, principaliter autem ad congruam ſuſtentationem Sacerdotum: & iniuſtum ac irrationabile eſſe obligare aliquem ad alium ſuſtentandum, cùm tamen ipſe fame pereat. Si inſtes nec teneri Sacerdotem gratis operam ſuam impendere; id negandum reſpectu pauperum, ſicut de Medico, & Aduocato Doctores aſſerunt. Nec propterea Parochi fame peribunt, quandoquidem aliunde habent vnde ſatis ſuperque ſuſtententur, ſicut Aduocati & Medici, cùm ſint multi decimas copiosè ſoluentes. Iuuat id, quod ex grauibus adducit Zerola in *Praxi Epiſcopali*, *Parte*

Notanda doctrina.

1. verb. *Decimæ, ad Primum*, populum quidem teneri præſtare alimenta Miniſtris de jure naturali, & diuino; ſecùs verò ſi non indigeant. Accedit quod ait Caietanus 2. 2. *q.* 81. *art.* 1. §. *Secundò dicitur*, his verbis: *Quia de jure naturæ decimæ dandæ ſunt in ſubſidium Miniſtrorum: idcircò ſi Miniſtri tacentes non indigent, ceſſat ratio obligationis juris naturalis.* Sic ille. Pauperes autem ad ius naturale reducuntur, cùm pro neceſſitate non ſit alia lex. Cap. *Quod non eſt*, de regulis juris.

Aſſertio 5. irrationabiliter introductum non ſoluendum.

451 Dico quintò. Quidquid irrationabile eſt circa exactionem decimalem, etſi conſuetudine videatur introductum, non eſt cenſendum obligare. Conſtat ex generali ſcriptorum doctrina circa materiam præſentem, qui abrogandum exiſtimant quidquid irrationabile eſt. Vnde Zerola *ſuprà*, *ad ſeptimum*, ait conſuetudinem vt decimæ non ſoluantur, qualis in multis partibus Italiæ viget, ab Epiſcopis debere reſcindi, cùm ſit irrationabilis. Quod deſumpſit ex Couarruuia *Lib.* 1. *variarum*, *Cap.* 35. *num.* 11. Sicut ergo quando irrationabilis videtur conſuetudo, quâ jus Eccleſiæ minuitur, & Miniſtri ſuâ videntur debitâ procuratione fraudari, reſcindenda illa eſt; ita & cùm irrationabilitas in præiudicium ſoluentium vergit, quia per paria debent iudicari. Talis autem

Talis cùm ex vno decima exigitur.

videtur conſuetudo vt ex vno indiuiduo decima pars ſoluatur, ſi ſolùm illud natura contulerit, vt ex vno pullo animantis cuiuſque, & ſimilibus. In quo exactores aliqui inhumanè ſe gerunt, vnum illud penitus ſubtrahentes.

Probatio ex Lege, cuius Eccleſia ſecuta exemplar.

452 Probatur autem præfata poſitio ex Eccleſiæ ſenſu, iuxta exemplar Legis, quod ſecuta: ſic enim in Cap. *Omnes decimæ*, 16. *q.* 7. vbi Dei præceptum adducitur ex *Leuit.* 27. *v.* 30. *& ſeqq.* & ſic dicitur: *Omnes decimæ terræ, ſiue de frugibus, ſiue de pomis arborum, Domini ſunt, & illi ſanctificantur. Boues, & oues, & capræ, quæ ſub virga paſtoris tranſeunt, quidquid decimum euenerit, ſanctificabitur Domino. Non eligatur neque malum, nec in alterum commutabitur. Si quis mutauerit, & quod mutat, & quod mutatum fuerit, Domino ſanctificabitur, & non redimetur. Sed quia modò multi inueniuntur decimas dare nolentes; ſtatuimus vt ſecundùm Domini præceptum admoneantur ſemel & ſecundò, & tertiò, &c.* Sic ibi ex Concilio Rothomagenſi. Ex quibus manifeſtum eſt vnum ex decem naturæ fructibus, non verò vnam decimam partem ex vno ſolo deberi. Et iuxta hunc intellectum Canones alij indubitatè procedunt. Quod & indicat Concilium Limenſe tertium *Act.* 4. *Cap.* 12. dum ſoluendam ex omnibus terræ fructibus decimam Deo ait, *qui dat omnibus abundè ad fruendum.* Non ergo vbi nulla abundantia eſt, vt in caſu noſtro: neque aliter intelligendum id, quod habetur in Cap. *Non eſt*, de decimis, vbi ſic dicitur. *Et de omnibus bonis decimæ ſunt Miniſtris*

Leuit. 27. *v.* 30. *& ſeqq.*

Cap. Omnes decimæ 16. q. 7.

Cap. Non eſt, *de decimis.*

Eccleſiæ

Eccleſiæ tribuendæ, de omnibus inquam bonis, in quibus decimum aliquid numeratur. Vnde Gloſſa verb. *de omnibus*, citatum Cap. *Omnes decimæ* in confirmationem adducit, vtpotè quod poſterioris illius intelligentiam manifeſtat: neque obſtat ſi quis dixerit pro vnius illius naturę fructu recognitionē diuini dominij deberi, iuxta id, quod habetur in Cap. *Decimæ* 16. q. 1. vbi ex D. Auguſt. *ſerm.* 119. *de Tempore*, ſic dicitur: *Non igitur Dominus Deus præmium poſtulat, ſed honorem. Deus enim noſter, qui dignatus eſt totum dare, decimam à nobis dignatus eſt recipere, nō ſibi, ſed nobis ſine dubio profuturā.* Sic ille. Licèt enim recognitio talis debeatur, ea multis modis fieri poteſt, præſertim Euchariſtici ſacrificij immolatione, cùm in Miſſali Miſſa pro actione gratiarum, & ſpeciales orationes habeantur. Acceptis filijs, Deo debetur recognitio, nec tamen pro illis, cùm pretioſiſſimi omnium fructus ſint, oblatio exigitur decimalis. Et ipſi quidem, quibus decimæ ſoluuntur, pro earum debent grati eſſe prouentibus; nec tamen decimarum ſolutione, & ſic aliàs.

Cap. Decimæ 16. q. 1.

D. Auguſt.

Aſſertiones aliæ pro eodem.

Aſſertio 6. à noviter conuerſis exigendas non eſſe.

453 Dico ſextò. Ab Indis, qui de nouo ſunt conuerſi, non ſunt decimæ exigendæ. Id planum; quia vt conuertantur, non ſolùm Euangelicâ prædicatione, ſed muneribus attrahuntur: tali enim genio præditi plerique eorum ſunt, immò & ferè omnes. Qui ergo fieri poſſit vt ab eiſdem decimales laborum portiones exigantur? Pro quo eſt doctrina D. Thomæ 2. 2. q. 87. *art.* 1. *ad* 5. vbi ſic ait: *Miniſtri Eccleſiæ maiorem curam debent habere ſpiritualium bonorum in populo promouendorum, quàm temporalium colligendorum. Et ideò Apoſtolus noluit vti poteſtate ſibi à Domino tradita; ſcilicet vt acciperet ſtipendium victus ab his, quibus Euangelium prædicabat; ne daretur aliquod impedimentum Euangelio Chriſti. Nec tamen peccabant illi, qui non ſubueniebant; alioquin Apoſtolus eos corrigere non omiſiſſet. Et ſimiliter laudabiliter Miniſtri Eccleſiæ non requirunt, vbi ſine ſcandalo requiri non poſſent, propter diſſuetudinem, vel propter aliquam aliam cauſſam. Nec tamen ſunt in ſtatu damnationis qui non ſoluunt in locis illis, in quibus Eccleſia non petit; niſi fortè propter obſtinationem animi, habentes voluntatem non ſoluendi, etiamſi ab eis peterentur.* Hæc S. Doctor.

D. Thom.

Circa temporis exactionis quid tenendum, & vtilia alia.

454 Ex quibus compertum habetur Indos non eſſe pro ſolutione decimarum vrgendos, donec in fide adultas radices egerint: neque circa hoc temporis eſt ſtatuenda menſura, ſed tunc de eo tractandum, cùm ipſi ad ſolutionem benè fuerint animati: omne enim temporale bonum debent Euangelici miniſtri ſpirituali eorumdem poſthabere. Neque propterea credendi ſunt illi in malo ſtatu eſſe, dum beneuolas aures non præſtant de decimis admonentibus, ſicut S. Doctor aduertit, quia ſtare talis reſiſtentia poteſt ſine graui peccato, dum illis talis obligatio non proponitur ita ſtricta, vt ſub mortali reatu vrgeat. Et ex eo quòd audiant alios grauiter obligari, non eſt neceſſarium ſe pariter obligatos arbitrari, quandoquidem alij obligationes multas ſubeunt, à quibus ipſi ſunt virtute priuilegiorum immunes, & Chriſtus quidem vt baptizari Gentes poſſent, nullum Eccleſiaſticum præceptum eis imponendum docuit, ſed ea tantùm quæ ab ipſo Domino præcepta fuerant, dum *Matth.* 28. *v.* 19. *&* 20. ſic locutus: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: docentes eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis.* Quod ergo ait D. Thomas: *Niſi fortè propter obſtinationem animi*, non eſt ad Neophytos referendum ſed ad veteres Chriſtianos, vt ex Commentario Cardin. Caietani conſtat, dicentis ita dictum, *quia nolentes dare petentibus Miniſtris decimas, poſſent allegare aut præſcriptionem, aut Eccleſiæ Romanæ tacitam donationem, eò quòd tam diuturno tempore ſciuit & tolerauit.*

Indos non peccare dū nō ſoluunt.

Matth. 28 v. 19. & 20

Card. Caietanus.

Notanda ex eodem doctrina.

455 Et roboratur doctrina tradita ex iis, quæ citatus Commentator addit in fine ſic dicens: *In eadem reſponſione iuncta Corpori Articuli, Nota quòd ſi gens aliqua vellet fidem Chriſtianam amplecti ſine onere decimarum, non ſolùm Eccleſia poſſet eis hoc concedere, quia Eccleſiaſticâ auctoritate decimæ debentur; ſed deberet eis hoc concedere: quia Miniſtri Eccleſiæ maiorem debent habere curam ſpiritualium bonorum in populo promouendorum, quàm temporalium colligendorum; & Apoſtoli exemplo efficere deberent ne decimarum onus præſtaret impedimentum Euangelio Chriſti.* Hæc ille. Si ergo ita fidem accipere poſſunt, vt onus tale à ſe penitus amoliantur, non eſt cur debeant ad illud ſubeundum adigi, qui cùm de ſuſcipiendo Baptiſmo egerunt, nihil tale cogitarunt. Neque magnum inde Eccleſia detrimentum accipit, tot nouellis germinibus adornata; præſertim quod onus à parentibus depulſum poteſt ſuccedentibus temporibus filijs imponi, cum eâ tamen moderatione, quæ maternam Eccleſiæ deceat pietatem. Quòd verò ad ſuſtentationem Miniſtrorum attinet, non eſt alicuius conſiderationis, quia numquàm illis diuina eſt prouidentia defutura: & in Indijs minùs eſt ea ex parte timendum, cùm Rex Catholicus adminiſtranda neceſſaria Euangelicis operarijs teneatur; quod & abundè præſtat, & multiplicari eos exoptat, atque hortatur crebris litteris, quibus ad Miſſiones excitat, *abundantiùs æmulator exiſtens*, vt aliàs Apoſtolus, *Paternarum* ſuarum *traditionum.* Viuat vtinam diu inimicis circumquaque irruentibus triumphatis. Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.

Circa ſuſtentationē Miniſtrorum non hærendum.

Aſſertio 7. quæ priuilegia ſpecialia Indorum circa illas.

456 Dico ſeptimò. Indorum priuilegia circa ſolutionem decimarum ſpecialia nulla ſunt, niſi quæ in diuerſis prouincijs inuexit cōſuetudo: dum alij nihil, alij non decimam, ſed vigeſimam, & cum diſtinctione fructuum, vt decima pro quibuſdam, vigeſima pro alijs tribuatur. Quia verò omnes cum tributo id ſoluunt, quod ad ſuſtentationem ſpectat Parochorum, reipſa priuilegio nullo potiuntur, ſed minùs graue onus ſuſtinent, quod tamen tollendum penitus Aſſertione eſt ſecundâ demonſtratum. Videat ergo ſua Maieſtas quid magis in negotio præſenti ad commune bonum expediat, eâ irrefragabili perſuaſione, ex Indorum conſeruatione, & paternâ tractatione bonum commune pendere: pro quorum aliàs conuerſione, & promouendâ fide, ac Chriſtianis ſtabiliendis moribus, grauiſſimæ obligationis pondus ſuſtinetur.

457 Dico octauò. Suppoſitâ tributâ quantitate,

Digitized by Google

Aſſertio 8. Circa primitias, & qualiter ab Indis debeantur.

titate, quam Indi pro Parochorum ſubſtentatione dependunt, ſi aliquid præterea decimæ nomine ſoluant, non tenentur ad primitiarum ſolutionem. Probatur rationibus adductis *Aſſertione* 2. pro decimis. Licet autem decimas & primitias Auctores diſtinguant in hoc, quod illæ primariò ordinentur ad ſuſtentationem Miniſtrorum, & ſecundariò ad Dei honorem; è contrario verò primitiæ. Pro quo D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 86. *artic.* 4. P. Fagundez *Lib.* 4. *Cap.* 1. & alij communiter. Id non cogit vt deberi in rigore cenſeantur: quia id quod decimæ nomine ſoluitur, cùm ex obligatione ad ſuſtentationem non ſit, poteſt primitiæ rationem habere: ſic enim eſt virtualis aut interpretatiua voluntas ſoluentium.

Quid determinatè non dicere. Et cur decimæ etiam primitiæ dicantur.

Non enim primitiæ aliquid determinatum dicunt ex parte rei, quæ datur, vt ſit ex primis terræ fructibus, aut prouentibus, ſed poteſt eſſe ex quibuſcumque, vt notant Doctores; ſic enim & decimæ dicuntur etiam primitiæ, quia ſoluendæ ſunt antequàm deducatur tributum alicuius domini, cuius fortaſsè eſt feudalis fundus, & antequàm extrahatur ſatum, & expenſæ, & in ſumma ante omnia, vt notat Zerola in *Praxi Epiſcopali* verb. *Decimæ*, circa Nonum *Parte* 1. Si verò Indi cum tributo decimas non ſoluant, & conſuetudo ſit vt loco primitiæ aliquid tribuatur; poterit quidem peti, ſed cum maximâ moderatione: vt ſcilicet ſit eorum tenuitati conforme, & minimè relinquendum exigentium voluntati, quia circa iſta inhumanæ ſolent violentiæ contingere, vnde neque conſuetudinem attendendam diximus *Aſſert.* 3. licet alioqui ſeruanda in primitiis conſuetudo ſit, vt docet D. Thomas *ſuprà*. Et alij communiter, quorum aliquos affert P. Fagundez *ſuprà num.* 4. Niſi talis illa, quæ à Prælatis ſit approbata, & rationabilis, vt de conſuetudine Iura ſtatuunt, & vidimus *num.* 449. Quòd enim Prælatorum poteſtas ad talia ſe extendat, ex Iure oſtendit P. Suarez. *Tomo* 1. *de Religione Tract.* 2. *Lib.* 1. *Cap.* 5. *numer.* 9 Pro quo & Concilium Limenſe Tertium *Act.* 4. *Capite* 12.

Conſuetudo vt ſeruanda circa illas.

Indi ad Oblationes qualiter teneantur.

Aſſertio 9. Circa oblationes, & Indos non teneri ad illas, ſicut neque generaliter alios per ſe loquendo.

458 Dico nonò. Indi non tenentur ad oblationes in feſtiuitatibus faciendas ad offertorium Miſſæ, etiam ſi circa hoc videatur eſſe conſuetudo. Primum probatur ex communi ſententiâ, quam cum aliis tenet & probat P. Azor. *Tomo* 1. *Libr.* 7. *Cap.* 7. *Quæſt.* 11. ex quo hauſit P. Fagundez *ſuprà num.* 5. P. Palaus *Tomo* 2. *Tract.* 10. *Diſputat. Vnica Puncto* 17. *num.* 2. P. Vincentius Tancredi *de Religione Tract.* 1. *Lib.* 2. *Diſput.* 1. *num.* 8. P. Bauny *Tomo* 1. *Quæſt.* 41. *Tract.* 10. qui tres tantùm agnoſcit titulos obligationis, quorum duo in præſenti locum non habent, de tertio autem, conſuetudine ſcilicet, dicemus ſtatim. Et omnium optimè P. Suarez *ſuprà num.* 2. *& ſeqq.* qui dicunt oblationum per ſe loquendo nullam eſſe obligationem, neque ex iure naturali, neque diuino, aut Eccleſiaſtico. Qui verò allegari poteſt titulus ſuſtentationis, reſpectu Indorum non habet locum, quia cum tributo id præſtant, quod eſt ad illam neceſſarium. Si verò decimas ſoluant, id manifeſtiùs ap-

paret. Et aliunde Rex Catholicus debet illis de Miniſtris neceſſariis prouidere, cum eo enim onere dominium eſt illis Indiarum generaliter attributum. Quòd ſi circa hoc defectus aliquis contingat, non ideò Indi ad ſupplementa Magiſtratuum obligandi ſunt: pro quo videnda quæ habet P. Suarez *ſuprà num.* 7. *&* 8.

Neque ratione conſuetudinis.

459 Secundum autem, quod ſcilicet ad conſuetudinem attinet, probari primò poteſt ex doctrina grauium Scriptorum, qui affirmant conſuetudinem circa oblationes non eſſe obligatoriam in conſcientiæ foro; quia cùm oblationes gratis fuerint factæ ab exordio, & cum eodem reſpectu continuatæ; non poteſt ex illis titulus oneroſus emergere. Sic Angelus verb. *Oblationes num.* 1. *in Additionibus ad illum. Sotus Lib.* 9. *de Iuſtitia Quæſt.* 6. *Artic.* 1. & alij: quod probabile reputant P. Azor *ſuprà & Cap.* 27. *Quæſt.* 12. id abſolutè affirmat, quando abſolutè conſtiterit oblationes ſtudio pietatis & religionis in Deum liberaliter fieri. Fatetur etiam eſſe probabile P. Palaus *ſuprà num.* 3. in quod etiam maximè inclinat, aſſerens *num.* 4. oppoſitam ſententiam ſolùm propter auctoritatem Doctorum eſſe probabiliſſimam. Deinde probari poteſt ex dictis *Aſſert.* 3. circa conſuetudinem in rebus huiuſmodi, quæ per violentiam tantùm ſolet induci. Vnde tantùm abeſt quod Indi ad oblationes obligari poſſint, vt potiùs Parochi ad reſtitutionem eorum, quæ per vim obtinuerunt, ſint indubitanter obligati. Violentia autem circa hoc facilè dignoſci poteſt, puſillanimitate Indorum attentà, & circumſtantiis exactionis obſeruatis, in quo nullus eſt alius neceſſarius iudex, quàm propria Parochorum conſcientia, ſi eam ſemotis auaritiæ tumultibus velint auſcultare. Extat autem in Concilio Limenſi Tertio *Act.* 2. *Cap.* 38. prouida circa hos Conſtitutio, dum ſic loquitur: *Sed neque ad oblationes faciendas in Miſſa, aut aliàs Indi cogantur: ſed ſi quis offerre voluerit, intelligat id quidem meritorium & pium, ſed tamen prorſus liberum eſſe, vel facere vel non facere.* Sic Conſilium. Quod & Synodus Diœceſana Limenſis *Libr.* 3. *Titulo* 5. *Cap.* 6. pari verborum grauitate decernit. Et iuxta illa quæſtio omnis circa hoc ceſſat, vt ſcilicet nequeat pro obligatione ad oblationes faciendas conſuetudo earum allegari, quandoquidem Concilium eas ſemper liberas eſſe teſtatur. Videnda etiam quæ poſt hæc ſcripta in Deciſione Rotæ viſa apud Dianam *Parte* 11. *fol.* 660. *Col.* 2. vbi eruditè oſtenditur quòd ex actibus facultatiuis, ſeu ſpontaneis, non inducitur poſſeſſio contra aliquem. Quòd ſi Parochus huius liberæ facultatis non admoneat Parochianos, & ita illi vti obligati offerre pergant, non eſt propterea legitima cenſenda conſuetudo, iuxta dicta *num.* 449. Nec debet Parochis ſua prodeſſe malitia, aut incuria, qui eo ipſo ad reſtitutionem aliquam tenentur, cùm ſit doctrinæ defectus, de quo Concilium citatum *Act.* 3. *Cap.* 14. vbi licet de eo tantùm doctrinæ defectu agat, qui propter abſentiam inofficioſam accidit, ad defectum etiam qualemcumque referendum eſt: dum enim minùs laboris impendit, quàm ſit obligatus, & in re quidem, ex quâ Indi non leue detrimentum ſubeunt, minùs etiam ſtipendij debet accipere,

Parochos ad eorum reſtitutionem teneri.

Concilium Limenſe 3.

Nec taciturnitatem illis prodeſſe.

Ex doctrinæ defectu grauius alius.

Intolerandus quorumdam abuſus.

vt naturalis ratio apertè conuincit. His addo quod nuper comperi, Parochos quoſdam non ſolùm à præſentibus, ſed ab iis etiam, qui Sacro non interfuerunt, aut in illo non obtulerunt, ſtatas oblationes, diuerſâ quantitatis deſignatione, per miniſtros ad id deſignatos exigere. In quo ſe conſuetudine tuentur: ſed cùm illa rationabilis non ſit, & iuxta dicta penitus explodenda: diuini iudicij formidanda diſtrictio, dum ſic pauperculi à ſuis paſtoribus opprimuntur. Nec plura de priuilegiis circa Eccleſiæ Præcepta.

CAPVT XX.

De priuilegiis Indorum circa diſpenſationes in votis.

Facultas diſpenſandi in voto Caſtitatis.

460 IN Bullis recentiorum Pontificum diſpenſandi facultas illa conceditur, quam Innocentius X. cujus modò conceſſio viget, in Breui, quod incipit, *Animarum ſaluti*, die 1. Martij An. 1649. his verbis expreſſit: poſtremò iiſdē *Presbyteris à Præpoſito Generali, & dicta Societate deputandis, vt in prædictis regionibus, prouinciis, & locis, in quibus ſimiliter fideles cum infidelibus viuunt, & non adſunt Ordinarij, qui huiuſmodi facultatē habeant, qui diſtent vltra duas diætas, cum Neophytis, aliiſque ad fidem reductis, ex rationabili cauſſa, & legitimâ, ſuper voto caſtitatis, non tamen ſolemni, quomodolibet, etiam per Ordinis ſacri ſuſceptionem, vel Profeſſionis Regularis in Religione per Sedem Apoſtolicam approbatā emiſſionem facto.* Sic ille. Amplior autem conceſſio facta fuerat à Gregorio XIII. quæ habetur in Compendio Indico verb. *Diſpenſatio* §. 4. ad diſpenſandum ſcilicet *in foro conſcientiæ cum Neophytis, & aliis ibidem commorantibus ſuper voto caſtitatis non ſolemni.* Non ergo ad Neophytos tantùm, ſed omnes Indiarum incolas talis facultas protenditur, neque vlla eſt Ordinariorum diſtantia requiſita. Additur autem hic in Adnotatione: *Hac facultate vti poterunt Prouinciales, & ij, quibus eam ipſi commiſerint.* Quibus videtur innui facultatem hujuſmodi etiam nunc vigere, cùm tamen temporalis fuerit, & vſque ad *Ann.* 1589. tantùm extendi ibidem aſſeratur. Conſtat autem Compendium poſt annos plures editum à fine dictæ conceſſionis. Ex quo erunt qui firmare contendant Poſitionem illam de duratione priuilegiorum etiam temporalium, de qua *Cap.* 3. Nam ſi priuilegium tale, ſicut & alia ſimiliter conceſſa, iam penitus ob lapſum conceſſionis tempus virtute omni carebant, ad quid illa in Compendio propoſita, aut quomodo ſtat, quod illis vti Prouinciales per ſe, & eos, quibus ipſi cōmiſerint? Sed de hoc dictum aliàs quod videtur certum: ſi quis autem ſecus ſentiat, in ſuo, quod non ſemel admonui, ſenſu poterit abundare. Non omittam autem id ex quo roborari ſententia illa poteſt, & habetur in eodem Compendio verb. *Indulgentia* §. 2. vbi cùm quædam apponatur Indulgentia, ſic ad marginem dicitur: *Expirauit, ponitur tamen vt prorogetur.* Sic ibi. Cùm ergo nihil tale in priuilegio dicto, ſicut neque in aliis, dicatur, ſignum eſſe videtur durationis.

Innocentius X. — *Greg. XIII.* — *Adnotatio Compendij.* — *Aliqualia inuicia perpetuitatis.*

Neophyti, & reducti, vt diſtincti.

461 Ad certa veniendo, priuilegium Innocentij circa Neophytos clarum eſt. Quinam autem Neophytorum nomine veniant, ſatis eſt notum: pro quo videnda quæ diximus *num.* 443. Sed non ita quinam præter Neophytos dicantur ad fidem reducti: quicumque ſiquidem ad fidem reducti in Indiis videntur eſſe Neophyti. Ad quod dico Neophytorum nomine eos intelligi, qui ex Gentilitate conuerſi ſunt: præter quos cùm ſint alij in Oceani Indiis, de quibus Pontifex loquitur Schiſmatici, & ſub Chriſtiano nomine graues circa fidem errores amplexi, ad eos priuilegium extenditur, cùm ad fidem reducuntur. Videtur autem ſine priuilegio ſtare poſſe hujuſmodi diſpenſationem; eò quòd licet prædictum votum videatur totale & abſolutum, ſemper tamen imperfectum manet ratione capacitatis eorum, qui ex Indis illud emiſerunt. Sic enim multi Doctores affirmant Epiſcopum poſſe diſpenſare in voto caſtitatis ex animi perturbatione emiſſo, quando vouens eſt iuuenis, vel ſuſpectus: vt videri poteſt apud P. Thomam Sácium *Lib.* 8. *de Matrimonio Diſputat.* 9. *num.* 24. Atqui Indi ob defectum capacitatis poſſunt dictis exæquari. Quod autem ad ſuſpicionem attinet non ſeruandi votum, quod Doctores communiter dicunt periculum incontinentiæ, id pro certa regula ſtatuit P. Sancius in Opere morali *Lib.* 4. *Cap.* 40. *num.* 32. & 34. & reſpectu Indorum eſt quàm veriſſimum, & pro aliis non inueroſimilia, juxta graues Scriptores aſſerentes Epiſcopum poſſe in votis reſeruatis Pontifici diſpenſare, cùm ille adiri non poteſt; vt in Indiis accidit, vbi ſemper eſt periculum in mora. Sic illi, quos adducit & ſequitur Diana *Parte* 11. *Tractatu* 8. *Reſolut.* 5. & 6. circa finem: vbi tamen contra Crouſers & Paſqualigum affirmat id non licere virtute Cruciatæ. Sed illi certè non videntur improbabiliter locuti. Poteſtatem autem talem in Epiſcopis eſſe Ordinariam, tenent P. Suarez, P. Sancius, Felinus, Couarrubias, & Baſilius Poncius, quos idem Auctor adducit *Parte* 8. *Tract.* 3. *Reſolut.* 12. quia competit ratione officij, & eſt perpetua. Votum ergo caſtitatis imperfectum non eſt Pontifici reſeruatum. Ex quo colligunt non contemnendi Doctores poſſe à Religioſis in eo diſpenſari; cùm poſſint in omnibus, quæ non ſunt Pontifici reſeruata. Et ita P. Sancius *numer.* 34. *citato.* cum illis ait, iure optimo credi poſſe non eſſe Pontificis mentem velle in tali caſu reſeruare ſibi hæc vota: neque eſſe veroſimile, velle illum vt animæ laqueis irretitæ verſentur in tanto periculo. Sic ille de caſtitatis voto locutus cum aliis, quos allegat, referens ſe ad ea, quæ cum pluribus docuerat *Diſput.* 9. *citatâ*, *num.* 22. Religioſos autem virtute priuilegiorum poſſe diſpenſare in votis, quæ non ſunt Sedi Apoſtolicæ reſeruata, res eſt manifeſta, vnde & circa votum prædictum, quod imperfectum eſt, & ratione diſtantiæ, poterunt cum Indis dictam facultatem exercere.

Sine priuilegio videri validam eſſe diſpenſationem, ex communi doctrina circa illā, quia imperfectum votum, & ratione periculi. — *Et ratione diſtantiæ.* — *Nec ſolum ab Epiſcopis, ſed à Religioſis.*

462 Sed occurrit P. Sancius *Cap.* 43. *citati libri num.* 7. dicens Religioſos quidem poſſe diſpenſare quando votum caſtitatis, ſicut & alia reſeruata, ob aliquam circumſtantiam deficiunt à ratione veri voti reſeruati, & materiā eius, vt ſunt conditionalia, partialia, temporalia etſi ſecus

P. Sancius id negans ſua doctrina efficaciter redarguitur.

Digitized by Google

ctis autem quando verè reſeruata ſunt, & materia eſt capax reſeruationis: ratione autem ſolius neceſſitatis ius eſt Epiſcopo diſpenſandi. Et tale eſſe exiſtimat votum caſtitatis, quando ſolùm ob periculum incontinentiæ ab Epiſcopo in illo diſpenſatur. Sed quidem doctrina hæc, quæ & aliorum eſt, nullo modo videtur ſibi cohærere: in omnibus enim eadem ratio eſt, & ita vel in omnibus diſpenſatio licet, vel in nullo. Quòd eadem ſit, conſtat ex iis, quæ habet citatus Pater *num.* 7. vbi ex eo probat diſpenſationem licere in illis prioribus, quia Pontifex generaliter concedit facultatem diſpenſandi in votis Epiſcopo reſeruatis; id eſt, in quibus iure ordinario id licet: atqui in illis caſibus poſſunt iure Ordinario Epiſcopi, eo quòd reſeruatio non intelligatur in ipſis: ergo & poterunt Religioſi. Prætereà, quia ratione ſolius reſeruationis hæc vota indigent ſpeciali mentione, vt conceſſa intelligantur, quod probat ipſe *Cap.* 40. *num.* 16. Cùm ergo in his caſibus non cenſeatur eorum diſpenſatio reſeruata, non eâ indigebunt, ſed claudentur in generali conceſſione, & indefinitâ. Sic ille arguit.

In omnibus votis, de quibus agitur, eamdem eſſe rationem.

463 Quis autem non videat fundamenta dicta pro caſu, de quo loquimur, pariter militare? Nam talia vota non eſſe reſeruata affirmat idem Pater *num.* 34. *citato*, verbis illis: *Iure optimo credi poteſt non eſſe Pontificis mentem velle in tali caſu reſeruare ſibi hæc vota.* Sic ille. Si ergo non ſunt reſeruata, & quæ talia ſunt, diſpenſari à Religioſis poſſunt; ſub generali veniunt conceſſione. Cùm ergo reſeruata non ſint, non video quo pacto dici queat eſſe reſeruata, vt aſſerit idem Pater *numer.* 7. *citato.* & ſic non iure Ordinario diſpenſationem competere Epiſcopo, ſed tantùm per accidens ratione neceſſitatis. Quod vrgeo ex eo quod addit *numer.* 34. & à nobis eſt *numer.* 461. iam datum: *Non eſſe veriſimile velle Pontificem vt animæ laqueis irretitæ verſentur in tanto periculo.* Tunc ſic. Ex ea ratione talia vota reſeruata non ſunt: atqui Epiſcopo ex officio competit animas irretitas laqueis, quibus in damnationis verſantur periculo, ab eiſdem extricare, & ea facultas perpetua eſt: ergo & Ordinaria; ſic enim facultas Ordinaria definiri ſolet. Quòd ſi dicas Pontificem potuiſſe diſpenſationem talem ſibi reſeruare, & ita non eſſe Epiſcoporum muneri cohærentem. Contra eſt: nam ex eo ſequitur non licere abſolutè, neque iure Ordinario, neque per accidens, in eiſdem diſpenſare. Quibus addi poteſt beneficium Principis eſſe amplè interpretandum, & præſertim illud, per quod facultas diſpenſandi conceditur, vt aliàs diximus, & probat poſt alios Diana *Parte* 8. *Tract.* 3. *Reſol.* 42. cum P. Amico. *Tomo* 5. *Diſputat.* 6. *Sect.* 2. *num.* 21. *& ſeqq.* Stunica de Voto *Quæſt.* 6. *num.* 57. & aliis. Neque vllus in eo fuſior ipſo P. Sancio *Lib.* 8. *de Matrimonio, Diſputat.* 2. Cùm ergo priuilegium conceſſum Religioſis pro votis non reſeruatis ſit, & vota, de quibus loquimur, reſeruata non ſint, etiamſi dicamus modum reſeruationis eſſe diuerſum, ad illa eſt talis extendenda facultas, quandoquidem hic nulla earum exceptionum currit, quas Auctores apponunt, dum dicunt facultatem diſpenſandi eſſe amplè interpretandam, vt videri apud citatos poteſt, & apud alios, qui in ſpeciali de voto caſtitatis loquuntur, vt Crouſers in *Regulam S. Franciſci Cap.* 7. *Sect.* 29. quem adducit Diana ſuis verbis loquentem *Parte* 6. *Tract.* 6. *Reſolut.* 50. licet ſententiam contrariam vt communiorem præferat. Eligius Baſſæus verb. *Votum* 7. *num.* 29. vbi ait ſententiam P. Crouſers ſatis ſibi placere, quia *Ann.* 1629. in Conſiſtorio ſacræ Congregationis Illuſtriſſimorum Cardinalium viſa & tolerata eſt. Pro quo & faciunt quæ adducit P. Quintanad *Tomo* 2. *Tract.* 6. *Singul.* 12. *numer.* 15. *& ſeqq.* quidquid dixerit *Tomo* 1, *Tract.* 9. *Singul.* 1. *num.* 6.

Pergit probatio.

P. Sancius.

Idem.

Facultatē diſpenſandi latè interpretandam.

Peculiaris pro ſententia auctoritas.

464 In caſu prætereà noſtro ſpecialiter obſeruandum eſt votum non ideò tantùm debere non reſeruatum cenſeri, quia difficilis eſt aditus Pontificis, & periculum in mora, manente integrâ voti ſubſtantiâ, & perfectâ in ſuo genere, ſed quia reuera talis non eſt, ſed imperfecta, ex ſpeciali modo vouendi; ad eum modum, quo votum pœnale non eſt reſeruatum, quod de voto caſtitatis loquentes tenent Doctores, quos adducit & ſequitur Baſſæus *ſuprà numer.* 22. eo quòd affectus non videatur directè ferri in caſtitatem, & ita ex eo capite imperfectum ſit. Quod amplius explicat & confirmat Pater Palaus *Tomo* 3. *Tract.* 15. *de voto, Diſput.* 2. *Puncto* 12. *num.* 13. vbi de votis etiam conditionalibus loquitur, quātumuis impletâ conditione, ex quo etiam argui poteſt. Atqui vota Indorum imperfecta ſunt quoad ſubſtantiam ipſam, vt conſtat, quia eorum diſcurſus circa obligationem, quam ſubeunt, valde ſuperficialis eſt, & circa præſentia occupati, de futuris euentibus tenuiter philoſophantur: ergo non debent cenſeri reſeruata. Pro quo eſt id, quod habet P. Bauny *Tomo* 1. *Tract.* 8. *Quæſt.* 13. 5. His ex cauſſis, vbi ita ſcribit: *Enimuero habet votum ab inaduertentia, vt vim eius remittere poſſit Epiſcopus. At eſt animo inſita leuitas, magnum & efficax argumentum animi malè compoſiti, nec ſatis aduertentis ad ea, quæ molitur: ergo cùm de ea conſtare poſſit Epiſcopo, quin eum, qui ſic imprudenter votorum vincula ſibi iniecit, libertate donare poſſit, non video.* Sic ille. Quis autem non videat Indos leuitate huiuſmodi laborare? Vnde in Religionem non admittuntur niſi Oblati; quo in ſtatu perſeuerant pauci. Iam ergo cùm fateantur Auctores in votis, quæ imperfecta ſunt modis dictis, Epiſcopos diſpenſare poſſe, & conſequenter Religioſos, quia verè reſeruata non ſunt, circa vota Indorum idem præſtari poſſe, non licet in dubiū reuocare. Immò quæ adducta ſunt non ſolùm de Indis probant, ſed etiam de aliis, quando in illis ſimiles circumſtantiæ concurrunt: Doctores enim, quos adduximus, non de Indis, ſed generaliter ſunt locuti.

Vis peculiaris fit in ratione voti imperfecta, & ex pœnali arguitur.

P. Bauny.

465 Ex quo fit non eſſe neceſſarium ad prædictam diſpenſationem, vt Epiſcopus diſtet vltra duas diætas, ſicut in priuilegio præſcribitur: nam priuilegium generale talem limitationem non continet. Quod dicendum ſimiliter etiamſi Epiſcopis ſit aliqua ſpecialis diſpenſandi facultas conceſſa, vt habetur in iis, de quibus aliàs mentionem fecimus, quæ Epiſcopis Indiarum eas petentibus cum limitatione temporis conceduntur, ex quibus quarta ſic habet: *Diſpenſandi, & commutandi vota ſimplicia in alia pia opera, & diſpenſandi ex rationabili cauſſâ in votis ſimplicibus caſtitatis,* &

Epiſcopi diſtantiam non requiri, etiamſi habeant ſpecialem facultatē.

Qualis ea, quæ refertur.

& Religionis. Circa quam, & alias facultates pariter conceſſas dubitari poteſt, an Religioſis debeant etiam conceſſæ reputari, quando per illas aliquid indulgetur, cuius diſpenſatio eſt Pontifici reſeruata. Et iuxta ea, quæ dicta ſunt, *num.* 463. videtur id veroſimile: quia priuilegium Religioſorum pro non reſeruatis Pontifici ſuffragatur: atqui ea, quæ à Pontifice Epiſcopis conceduntur, iam reſeruata non ſunt: ergo diſpenſatio virtute priuilegiorum licet. Quòd ſi dicatur intelligi de non reſeruatis, quæ Epiſcopis iure Ordinario licent, & ita ex vi officij, & perpetuò; in contrarium eſt priuilegium debere amplè interpretari, cùm præſertim de ſalute animarum agatur, & ij, qui miniſterijs ad earum bonum ſpectantibus ordinariè attendunt, valde indigent vſu talium facultatum, nec ſemper facilis eſt ad Epiſcopum recurſus: eſt ergo veroſimilis ampliatio. Quæ quidem cum ea eſt reſtrictione intelligenda, vt Religioſi, qui intra diœceſim ſunt Epiſcopi tales facultates habentis, illis vti poſſint in foro conſcientiæ, non ita alij: quia vt §. 29. earumdem facultatum habetur, illarum vſus tantùm licet in ciuitate, & diœceſi, quibus Epiſcopus præſidet. Si ergo Epiſcopis intra diœceſim tantùm licet, idem de Religioſis potiori eſt ratione dicendum, quibus ſit indirecta conceſſio.

An ſit Religioſis cõmunis, ſicut alia pariter conceſſa.

CAPVT XXI.

De Priuilegijs circa petitionem coniugalis debiti.

Priuilegiũ Pij V. circa diſpenſationem in petitione debiti.

466 EXtat pro eo priuilegium in Compendio communi verb. *Diſpenſatio*, §. 9. quod ſic habet: *Poſſunt noſtri Confeſſarij, ſi ſint viri docti, & iuxta formam Concilij Tridentini approbati, ex commiſſione Prouincialis diſpenſare ad petendum debitum cum his, qui poſt votum ſimplex caſtitatis matrimonium contraxerunt. Conceſſit Pius V. Franciſcanis 26. Octob. An.* 1569. *vt in Manuſcriptis fol.* 79. Adnotatio ſic habet: *Communicatur ijs, quibus & præcedens gratia fuit communicata, admonito Pœnitente, vt ſi coniugi ſuperuiuat, votum ſeruet.* Gratia autem præcedens §. inquam 8. idem concedit circa eos, *qui conſanguineum vel conſanguineam ſui coniugis poſt matrimonium carnaliter cognouerunt.* Et eſt eiuſdem Pontificis eiſdem conceſſa *die* 27. *Septembr.* 1569. circa quam Adnotatio ſequens: *Facultas hæc conceditur Prouincialibus, & alijs Confeſſarijs, quibus ipſe per ſe, vel per alios eam commiſerint, admonito Pœnitente, vt ſi coniugi ſit ſuperſtes, iterùm ne contrahat abſque diſpenſatione impedimenta inceſtus impedientis, ſi eo loco voluerit contrahere, vbi illud non fuerit conſuetudine legitimè abrogatum.* Sic ibi. Omnes ergo à Prouincialibus approbati, quibus ipſi vſum facultatis dictæ commiſerint, viri docti reputandi ſunt. Et certè non maior doctrinæ ſuppellex neceſſaria videtur, quàm ea, quæ ſufficiens eſt vt quis poſſit Confeſſarij munus competenter exercere, & ita quidem in Confeſſarijs Societatis euenit generaliter loquendo: quod quia alibi forſitan non ita euenit, quia multi minùs ad hæc ſufficientes, Chori tamen miniſterio apti, frequenter ordinantur, conuenienter eſt à Pontifice requiſitum. Videantur quæ ex Portel, Villalobos, Franciſcanis Auctoribus, & aliis adducit Diana *Parte* 2. *Tract.* 16. *Reſolut.* 29. qui tamen *Parte* 3. *Tractat.* 12. *Reſolut.* 14. §. *Notandum*, ait conſtare ſibi quòd in Societate IESV hæc facultas committitur à Prouincialibus particularibus perſonis, & non omnibus Confeſſariis. Quod ita eſt.

Adnotatio Compendij.

Adnotatio alia.

Conditio vt ſint viri docti, quomodo intelligenda.

Priuilegiũ Indicum amplius.

467 Sed pro Indiis habetur priuilegium amplius in Compendio Indico. verb. *Diſpenſatio*, §. 3. tenoris ſequentis: *Poſſunt Noſtri in foro conſcientiæ in Indiâ diſpenſare in petitione debiti, quando ratione voti caſtitatis, vel alia ex cauſâ prohibetur alter coniugum de iure debitum petere. Pius V. die* 4. *Ianuarij, Ann. Domini* 1569. *ad decennium. Deinde verò Gregorius XIII. ad aliud decennium, vt patet ex viuæ vocis Oraculis Pag.* 60. *&* 86. *Eſtque amplior facultas quàm quæ habetur in Compendio communi.* Sic ibi. In Adnotatione autem ſic dicitur: *Hæc conceditur omnibus ſuperioribus, & quibus eam ipſi communicauerint. Nemo tamen eâ vtetur niſi admonito Pœnitente, vt ſi coniugi ſuperuiuat, votum ſeruet.* Sic ibi. Vbi de maiori amplitudine conſtat: quia in primis non petitur vt diſpenſaturi ſint viri docti; ſufficit ergo quod circa hoc eſt dictum *numer. præced.* Deinde. Non eſt tantùm ad diſpenſandum, quando ratione voti caſtitatis prohibetur alter coniugum debitum petere, ſed quando prohibitio ſuperuenit quacumque ex cauſâ. Præterea, non eſt ad diſpenſandum ſolùm quando poſt votum caſtitatis matrimonium eſt contractum, ſed etiam quando votum caſtitatis eſt emiſſum ante contractum illud.

Ampliatio explicata.

Quid ampliationi videatur obſtare.

468 Videtur autem, non obſtante amplitudine maiori, quæ in Adnotatione proponitur, in priori priuilegio eſſe aliquid magis ſpeciale: in poſteriori namque tantùm currit conceſſio, quando alter coniugum eſt à petitione debiti ob votum caſtitatis, vel aliàs, impeditus: in priori autem non ita habetur, ſed generaliter dicitur, cùm *his, qui poſt votum ſimplex caſtitatis matrimonium contraxerunt.* In quo eſſe maior difficultas poterat: ſi quidem, quando vterque coniux votum caſtitatis emittit ex communi conſenſu, votum illud cenſetur abſolutum & totale, & ita communiter cenſent Doctores eſſe reſeruatum, vt videri poteſt apud P. Quintanam *Tomo* 1. *Tractatu* 9. *Singulari* 2. *num.* 3. Videtur autem eadem, aut ſimilis eſſe ratio quando ij, qui matrimonium contrahunt, voto caſtitatis adſtricti ſunt, cùm debeant penitus illam ſeruare, ſi mutui vinculi conſcij ſint. In hoc ergo euentu locum videtur habere priuilegium. Neque id mirum; quandoquidem votum ex communi conſenſu factum, non eſſe reſeruatum Pontifici probabile eſt, vt affirmant de abſoluta diſpenſatione Hieronymus Rodriguez, P. Leſſius, Baſilius Poncius apud eumdem P. Quintanam *ſuprà*, de abſolutâ inquam diſpenſatione, benè explicando id, quod Auctor dictus eiſdem attribuit, ſcilicet quod non ſit totaliter reſeruatum, ita vt non liceat diſpenſatio circa petitionem & redditionem debiti: cùm tamen dicant id, quod in Adnotationibus Compendij vtriuſque extare iam vidimus; videlicet quòd ſi coniux ſuperuiuat, debeat votum ſeruare. De quo ſpecialiter videri poteſt P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 40. *numer.* 126. & non eſſe reſeruatum modo dicto non ſolùm probabile reputant Auctores dicti, ſed

Votum ex communi conſenſu coniugum factum, eſſe reſeruatũ.

Oppoſitum probabile. Vbi quomodo intelligendi Auctores circa hoc loquentes.

Digitized by Google

ſed & abſolutè tenet ſine vlla limitatione P. Sà Verb. *Debitum coniugale*, *numer.* 2. Roſella, Angelus, & Maior apud P. Leſſium *ſuprà*. §. *Aduerte*.

Poſterius priuilegiū an duret, vbi pro parte affirmatiua quid faciat.

469 Poſteriori autem adducto priuilegio obuia occurrit obiectio ex lapſu temporis, quo iam vim omnem conſtat amiſiſſe. Sed pro duratione videntur Adnotationes vrgere, quandoquidem poſt lapſum temporis in eis dicitur: *Communicatur*, *Conceditur*. Circa quod idem dicendum, quod circa priuilegium aliud dictum *num.* 460. Quòd ſi probabile ſit priuilegium ratione conceſſionis Pij V. ſecundùm ſe conſideratæ, vim poſſe retinere, non illi obſtabit Gregorij XIII. conceſſio viuæ vocis Oraculo, quia vtile per inutile non vitiatur, vt eſt receptiſſima Iuris Regula. Et quod ex duplici titulo in ſolidum licet, eorum vno deficiente, non deficit. Et in caſu, de quo loquimur, communiter tradunt Doctores: pro quo eſt eruditus labor Cardinalis Lugo in Opuſculo de viuæ vocis Oraculis circa Compendium commune Societatis, oſtendentis multa, quæ per viuæ vocis Oracula fuerant conceſſa, in ſuo robore poſt reuocationem permanere, quia aliàs per Bullas conceſſa eſſe comprobantur. Quòd autem obſtat illi idem quod conceſſioni Gregorij, tenet P. Quintana *Singulari* 2. *citato num.* 6. dicens fuiſſe etiam viuæ vocis Oraculum, & idem tenet citatus Cardinalis. Verb. *Diſpenſatio*, §. 9.

Quid obſtet.

Priuilegiū certum inquiritur.

470 Ad maiorem ergo certitudinem ſtabiliendam inquirendum reſtat an priuilegium aliud ſuppetat, virtute cuius poſſit diſpenſatio talis cum amplitudine dicta à Religioſis impendi. Et communiter affirmant ſcriptores, vt videri poteſt apud P. Quintanam *Singulari* 3. licèt plures ex illis ante renouationem Oraculorum ſcripſerint: vnde opus eſt Bullam aliquam quærere, in quâ conceſſio talis habeatur, & producitur priuilegium Iulij II. conceſſum PP. Benedictinis Valliſoletanæ Congregationis, de quo teſtimonium perhibet Cardinalis Ludouicus Tituli S. Marcelli, ſummus Pœnitentiarius, *vt Monachi prædicti coniugatos, qui poſt contractum matrimonium conſanguineas vxorum ſuarum cognouerunt; vel vxores, quæ à conſanguineis virorum ſuorum ſe carnaliter cognoſci permiſerunt, à talibus exceſſibus abſoluere, & eis pœnitentiam ſalutarem iniungere, nec non eis, & eorum quolibet, vt non obſtante affinitate ſuperueniente, debitum coniugale reddere & exigere valeant, diſpenſare liberè & licitè poſſint & valeant, perpetuò declaramus.* Sic citatus Cardinalis. Qui tamen cùm in eadem declaratione affirmet viuæ vocis Oraculo à Pontifice accepto mandato ſe eam facere, videtur defectu conceſſionum aliarum laborare. Nihilominùs ad firmandam illam facit in primis auctoritas eorum, qui ita ſentiunt, & videri poſſunt apud P. Quintanam *ſuprà*. *Singulari* 2. pro quo & ipſe *Singul.* 3. & prætereà P. Pellizarius *Tract.* 8. *num.* 274. vbi ait ita ſenſiſſe Cardinalem Lugo de hoc interrogatum, pro quo & videndus ille in Opuſculo citato verb. *eodem circa*. §. 6. vbi id doctè probat. Diana *Parte* 3. *Tractatu* 2. *Reſolut.* 13. & *Parte* 6. *Tractatu* 8. *Reſolut.* 32. Thomas Hurtadus *Tract.* 12. *num.* 1197. & alij apud ipſum.

Quoddam Iulij II. proponitur.

Pro eo qui ſunt Auctores.

Quod eius fundamentum.

471 Ratio autem quare ita exiſtimari debeat, ex eo deſumitur, quia talis conceſſio non eſt tantùm Oraculum, ſed Breue ſummi Pœnitentiarij de mandato Pontificis expeditum, vt ex tenore ipſius conſtat, verbis illis: *Nos igitur auctoritate D. N. Papæ, cuius Pœnitentiariæ curam gerimus, ac de eius ſpeciali ac expreſſo mandato, &c.* Si autem Vrbani Oracula reuocantis verborum formam attendamus, non videntur ad conceſſiones huiuſmodi referenda, ſic enim ille: *Conceſſiones & gratias viuæ vocis Oraculo, etiam à S. R. E. Cardinalibus obtentas, & ipſorum manu firmatas, &c.* Et inferiùs: *Omnia & ſingula priuilegia, facultates, &c. Cardinalium quorumcumque manu firmata, &c.* Eſt enim valde diuerſa ratio in Breuibus Apoſtolicâ auctoritate, ac de illius mandato, à Cardinalibus officium aliquod ſupremum exercentibus, expeditis; quia in illis multùm eſt inſuper præter ſubſcriptionem & preces. Pro quo videndus citatus Hurtadus *num.* 1177. Addo aliquid hoc loco ſpeciale: rationem ſcilicet, propter quam Pontifex Oracula Cardinalium firmata manu cenſuit reuocanda, quia ſcilicet *ſæpè ab iis, in quorum fauorem emanarunt, minùs Canonicâ interpretatione extendi, & perperam in diſciplinæ Eccleſiaſticæ detrimentum executioni demandari compertum eſt.* Quod quidem in caſu præſenti non euenit, quia conceſſio ſupra rem cadit notiſſimam, & pro quâ variæ conceſſiones Pontificum præceſſerunt, vt teſtatur P. Leſſius *num.* 126. *citato*. Eſt etiam pro eodem poteſtas Epiſcoporum, & ita de minùs Canonicâ interpretatione nulla debet eſſe ſuſpicio, ſicut neque de diſciplinæ Eccleſiaſticæ detrimento.

Illius tenor.

Et Bulla reuocatoria oraculorum.

Item eiuſdē ex quo arguitur.

472 Addit autem Cardinalis Lugo limitationes quaſdam, vt vſus priuilegij citati licitus eſſe poſſit; ſcilicet debere à Superioribus localibus Monaſteriorum tres aut quatuor Religioſos in qualibet domo deputari, qui ad nutum eorumdem Superiorum ſint amobiles, & dictâ conceſſione vtantur in propriâ Eccleſiâ aut domo. Quod etiam obſeruat Diana *Reſol.* 32. *citatâ*, cum Lezanâ, quam adducit ſic concludens: *Vnde ex his Confeſſarij Regulares cautè procedant in diſpenſando ſuper petitione debiti inter vxoratos. &c.* Cenſet autem ille non ſufficere generalem conceſſionem audiendi Confeſſiones, ſed requiri ſpecialem deputationem: & mortuo Superiore vel amoto, ceſſare deſignationem, quia eſt ad nutum concedentis reuocabilis. Item, diſpenſationem debere fieri in Sacramento Confeſſionis, & non extra, ſicut in Eccleſiis, & domibus Religioſorum, & non extra illas. Sed alij ſine limitatione aliquâ diſpenſandi facultatem admittunt, vt teſtatur Ioannes Suarez in Enchiridio Caſuum conſcientiæ *Lib.* 5. verb. *Debitum coniugale*. §. *Inceſtuoſus coniux*. Et videri etiam poteſt in multis ex obuiis Auctoribus, ac iuxta eorum mentem in P. Quintanad. *ſuprà*, *Singul.* 4. Sed cùm tenor priuilegij ſic exigere videatur, cum diſtinctione loquendum, ſcilicet non ſufficere ſolam approbationem & licentiam ad audiendas Confeſſiones: ſed neque neceſſariam eſſe ſpecialem illam deſignationem aliquorum, ſatiſque eſſe ſpecialem conceſſionem. Reliqua autem non videntur neceſſaria, ſcilicet diſpenſationem fieri in Eccleſiâ aut domo propriis Regularium, cùm multoties magis neceſſaria ſit extra illas, vt in Miſſionibus. Neque item vt fiat in Sacramento Confeſſionis, quod generaliter loquendo de facultate Religioſorum ad

Limitationes circa vſum ab aliquibus additæ.

Quas alij omittunt.

Cum diſtinctione reſoluitur.

ad diſpenſandum & commutandum tenent multi apud Dianam *Parte* 3. *Tractat.* 2. *Reſolut.* 9. quam ſententiam ait ille eſſe probabiliſſimam, & tutam in praxi. Pro quâ & P.Pellizarius *Tractat.*9. *Cap.* 3. *num.* 113. & quidem licet in priuilegio dicto de abſolutione à peccato inceſtûs agatur, & pœnitentia pro eo iniungenda, non eſt vrgentior diſpoſitio illa quàm alia Pauli III. cuius mentionem ex Villalobos inducit Diana *Reſolut.*9. *citatâ*, in quâ ait Pontifex *Confeſſionibus diligenter auditis*: & tamen eo non obſtante affirmant Doctores non eſſe conditionem præciſam ad effectum diſpenſationis, quia id ad abſolutionem à peccatis eſt ſolummodò referendum. Eſt autem priuilegium dictum Societati conceſſum à Præfato Pontifice, & habetur in Compendio communi verb. *Abſolutio*, §. 1.

Priuilegiũ aliud Eugenij 4.

473 Adducitur prætereà à P.Quintana *Singular.*4. *citato*, priuilegium aliud Eugenij IV. in Bullâ authenticâ, & non eſt Nona huius Pontificis apud Fr.Emmanuelem, & incipit *Regularium vitam An.*1536. in quo eſt mendum manifeſtum; cùm dicendum ſit *Ann.*1436. cuius tenor *num.*9. ſic eſt pro PP. Benedictinis de Obſeruantia S. Iuſtinæ: *Ne prædictæ Congregationis Monachi ab eorum quiete diſtracti, Romanam Curiam pro crebris obtinendis licentijs frequentare cogantur: quòd in omnibus caſibus, in quibus de iure communi Prælatis & Monachis dictæ Congregationis auctoritas, ſiue licentia, ſeu diſpenſatio Ordinarij, eſſet neceſſaria, ſi ab eiſdem non eſſent exempti Prælatis, Abbatibus, Prioribus, & Rectoribus huiuſmodi, qui pro tempore fuerint, vnà cum eorum conuentibus, auctoritate Apoſtolicâ, abſque eo quòd ad Sedem Apoſtolicam habeant recurſum, huiuſmodi licentiam & auctoritatem tenore præſentium indulgemus.* Hæc Pontifex: quæ quidem ad intentum conducere non videntur: quandoquidem ea ſolùm conceduntur, pro quibus ad Romanam Curiam obtinendarum licentiarum cauſſâ frequens poſſet eſſe recurſus: talia autem non ſunt, quæ ad diſpenſandum in petitione debiti, & ſimilibus, occurrunt, vt videtur perſpicuum, ſed illa quæ ad Monachos ipſos ſpectant, eò quòd frequenter neceſſitas diſpenſationis inter ipſos occurrat. Item, ea conceduntur, pro quibus, ſi exempti non eſſent, ad Ordinarios recurrerent; vtique vt beneficium diſpenſationis aut abſolutionis obtinerent. Ex eo autem videtur apertum ea, de quibus agimus, non venire in conſequentiam, quia cùm ipſi non haberent facultatem ad illa, quamuis eſſent exempti, rectè ſtare poſſet recurſus ad Ordinarios, vt modò ſtat, cùm aliquis caſus occurrit ad ſæculares ſpectans, à quo Religioſi abſoluere nequeunt, vt caſus hæreſis, cuius abſolutio quando occulta eſt, Epiſcopis conceditur à Concilio Tridentino, & non eſſe reuocatam conceſſionem talem plures Doctores cenſent, de quo aliàs; & in caſibus etiam Epiſcopis reſeruatis, vbi ex recentiori prohibitione Pontificum non licet abſolutio virtute priuilegiorum, ſi ergo ſtante exemptione, & non ſtante facultate diſpenſandi in petitione debiti, talis caſus occurreret, ſine difficultate aliqua poſſent Religioſi ad Epiſcopum recurrere, neque eſſet neceſſitas Romanam Curiam frequentandi, cùm poſſet faciliùs & breuiùs periclitantibus ſubueniri. Licèt autem valde probabile ſit, ſtante exemptione, eà omnia Prælatis competere erga ſubditos, quæ Epiſcopis circa ſuos, quia habent quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem, vt *ſuperiùs* dictum; circa id tamen potuerunt præfati Monachi dubitare, res enim hæc tunc temporis non ita erat explorata, vnde ad ſedandas conſcientias priuilegium dictum potuit poſtulari. Non ergo videtur conceſſioni dictæ poſſe conuenienter inſiſti.

Ad intentum non conducere, oſtenditur contra Auctores aliquos.

Vnde occaſio poſtulationis.

Priuilegiũ aliud eiuſdem Pontificis.

474 Opportunior apparet alia eiuſdem Pontificis Patribus eiſdem in Bullâ, quæ incipit, *etſi quaſlibet*, & affertur ab eodem Auctore *Singul.* 4. *citato*, *numer.* 4. tenoris ſequentis: *Inſuper & vota omnia permutare, ac in omnibus & ſingulis caſibus, etiam Ordinarijs, ac per Synodales, ſeu Prouinciales Conſtitutiones reſeruatis, cum eis diſpenſare.* Sic Pontifex. Diſpenſationem autem in petitione debiti caſum eſſe Epiſcopis reſeruatum, ex conſuetudine præſcriptâ, aut aliter, communis eſt ſcriptorum ſententia, pro quâ plurimos refert P.Thomas Sancius *Lib.* 8. *de Matrimonio Diſput.* 12. *num.* 13. & videri ſpecialiter poſſunt P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 40. *num.*126. & P. Quintanad. *Singul.*2. *num.* 1. & 2. alios adducens. Et idem Capitulo Sede vacante competere tenent alij, quos allegat & ſequitur Diana *Parte* 8. *Tractat.*4. *Reſolut.* 47. & ita iuxta priuilegium dictum videtur Regularibus communicatione gaudentibus conuenire. Quod ita eſſe exiſtimat P. Quintanad. *Singular.* 4. *citato num.* 7. priuilegij verbis per extenſum adductis, & Cardinalis Lugo *in Opuſculo citato circa* §.8. ex eo quòd in eodem priuilegio ſic conceditur: *Liceat dictæ Congregationis Prælatis, ſiue Monachis deputatis à ſuis Superioribus ad audiendas huiuſmodi perſonarum Confeſſiones accedere, illaſque audire, & abſoluere ab omnibus, & ſingulis peccatis, præterquàm Sedi Apoſtolicæ dumtaxat reſeruatis, nec non à quibuſcumque excommunicationum, ſuſpenſionum, & Interdicti ſententijs, aliiſque Eccleſiaſticis Cenſuris & pœnis.* Sic ibi. Cùm ergo abſolutio ab omnibus pœnis Eccleſiaſticis concedatur, pœna prohibitionis petendi debiti ſub ea generalitate comprehenditur: verè enim pœna Eccleſiaſtica eſt, ſiue ob inceſti crimen, ſiue ob violatam affinitatem, iuxta diuerſos modos ſentiendi Doctorum, prohibitio principaliter inducatur. Pro quo citatur P. Thomas Sancius loco nuper adducto, vbi nihil de pœnâ, de quâ meliùs *Lib.* 9. *Diſput.*32. *num.*43. qui vt videndus *Diſp.*30. *n.*1. vbi plures Auctores congerit ad probandum eſſe pœnam; & ex eo infert non incurri ab eo, qui per illius ignorantiam crimen admiſit.

Conceſſionis tenor.

Prohibitionem petendi debiti eſſe pœnam.

Nil præſſus certum ex prædictis haberi.

475 Quæ quidem probabilia ſunt, ſed non plenè conuincunt, neque ad abſolutam conferunt facultatem. Et quod de priuilegio Iulij II. eſt dictum, fatetur P.Quintanad. *Singul.*4. *num.*6. ſcrupulo non carere, eò quòd non adeò perſpicuè conſtet conceſſionem illam viuæ vocis Oraculum non fuiſſe. Vnde ait quærendum certius aliquod fundamentum, quod in Bullis Eugenij IV. de quibus nuper ſe deprehendere proteſtatur. Sed priorem non ſuffragari iam vidimus: poſteriori autem opponi poteſt de petione debiti non fieri mentionem, in quâ ſpecialis videtur eſſe ratio: vnde cùm in priuilegio Iulij II. de quo *num.*471. ſic habeatur, *vt deputandi poſſint abſoluere fideles confluentes ab omnibus peccatis, & caſibus etiam Epiſcopo reſeruatis, & ab omnibus Cenſuris, pœnis,*

Digitized by Google

Priuilegiũ Iulij II. nihil ſpeciale circa cauſſam præſentem continere.

pœnis, & ſententiis à iure, vel ab homine prolatis, ac eos habilitare in prædictis caſibus: dubitatum fuit ab illis Patribus an vigore poſtremorum verborum poſſent in petitione debiti diſpenſare: ac propterea à Pœnitentiario Pontificis declaratio, quam vidimus, emanauit. Non ergo eſt ira compertum ſub generalitate dicta comprehendi. Quod aliunde etiam probari poteſt: quia ſcilicet cùm Pontifices facultatem dictam concedunt, ad eius vſum viros doctos, & ſpeciali deputatos aſſignatione requirunt, vt vidimus *num.* 466. licet ob fauorem Indiarum ea ſit limitatio ſublata: vel quia ſufficiens doctrina ſupponitur, eo quòd R. P. Generali, & ab eo deſignandis concedatur. Quæ quidem abſolutæ certitudini videntur obſtare, non tamen probabilitati, quæ ex alia etiam deſumi conceſſione poteſt, Nicolai inquam Franciſci, Cardinalis, Nuntij, & Legati Apoſtolici in Hiſpaniâ, de qua Cardinalis Lugo circa §. 8. *citatum*, & nos *ſuprà*: quæ cum eadem generalitate procedit, & vim Breuis Pontificij videtur habere, ſicut habent Declarationes Cardinalium, quæ facto verbo cum Pontifice paſſim eduntur. Et ad fundandam ampliùs probabilitatem dictam vrgere poſſumus ex declaratione Ludouici Cardinalis S. Marcelli circa Iulij Secundi conceſſionem adductâ, in quâ ait vigore conceſſionis Apoſtolicæ, & verborum in ea appoſitorũ, prædictã facultatem ad diſpenſandum circa debiti petitionem haberi: ergo quoties cõceſſio talis eſt, facultas eſt eadem; & talis in priuilegijs citatis reperitur. Quod autem de pœnis dicebatur, probat quidẽ quando prohibitio pœna eſt, vt poſt inceſtum accidit; non tamen quando impedimentum eſt ratione voti caſtitatis, quia tunc non eſt pœna, ſed obligatio ex vi voti proueniens, & non jure Eccleſiaſtico inducta. Ideò certius non ex omnibus priuilegijs abſolutam poſſe facultatem colligi, niſi quatenus caſus Epiſcopis reſeruatos contineat; cùm ex communi Doctorum habeatur ſententia, vt jam vidimus, Epiſcopos poſſe in votis etiam Caſtitatis diſpenſare, cùm omnimodæ non ſunt, vel non poſſunt integrè ſeruari, vt in eo, qui poſt votum caſtitatis matrimonium contraxit, qui tenetur reddere: quo euentu neque diſpenſatio eſt abſoluta, vt benè explicat P. Leſſius *num.* 126. *citato*: nam ſi ſuperuiuat, ad voti obſeruantiam obligatur.

Ad probabilitatem quæ conſeſtant.

Prohibitionem non ſemper eſſe pœnam.

Epiſcopi vt queant in votis caſtitatis diſpẽſare.

Priuilegiũ pro Indis, & Neophytis alijs.

Innocentius X.

476 Quidquid autem de âliis ſit, circa Indos, & Neophytos alios conceſſio ſpecialis habetur in Bulla Innocentij X. in qua ſic dicitur: *Nec non cum Indis in foro conſcientiæ tantùm, & cum Neophytis in vtroque foro ſuper ieiuniis, gratis tamen diſpenſandi; nec non ab onere petitionis debiti matrimonialis, quando non eſſet licitum illud ratione voti caſtitatis, vel aliâ rationabili cauſſâ petere, in foro conſcientiæ tantùm, & gratis liberandi.* Sic Pontifex. Et quod ad diſcrimen Indorum ac Neophytorum attinet, dictum à nobis *num.* 443. Eſt autem alia in prædicta conceſſione notanda diuerſitas, quòd circa diſpenſationem in ieiuniis facultas pro Neophytis in vtroque foro conceditur: cùm tamen circa petitionem debiti ſolùm pro foro conſcientiæ tribuatur. Cuius ratio eſſe potuit, quia diſpenſatio circa ieiunia effectum magis frequentem & viſibilem habet, & ita oportuit eam eſſe pro foro etiam externo in recens conuerſis; ne à Prælatis Eccleſiaſticis puniantur, vnde & minùs circa fidem alliciendos poteſt ſuſpicari. Quod quidem circa diſpenſationem in petitione debiti non accidere manifeſtè apparet, res enim occulta eſt, & vt Tertullianus in Libro ad vxorem loquitur *Secreta maculoſa*: videtur autem ſine nouo priuilegio ſtare poſſe diſpenſationem, quando impedimentum oritur ex inceſtu, quia cùm ſit priuilegium diſpenſandi in gradibus affinitatis ad contrahendum matrimonium, ex eo habetur diſpenſari poſſe in petitione debiti ex eodem impedimento prouenienti, quia multò id minus eſt, & cui licet id, quod plus eſt, licet etiam quod minus, vt eſt regula iuris notiſſima in Cap. *Cui licet*, de regulis iuris *in* 6. & ita eſt communis ſententia, quam cum alijs, quos citat, ſequitur P. Sancius *ſuprà Diſput.* 27. *num.* 14. ex copulâ habitâ cum conſanguineis vltra ſecundum gradum non oriri impedimentum petendi debitum; quia cùm liceat matrimonium vltra illos, etiam licet talis petitio, quæ minus quid eſt, vt liquet. Et idem dicendum de facultate ad diſpenſandum in voto caſtitatis, de qua *Cap. præced.* eâ enim ſuppoſitâ, non eſt neceſſarium priuilegium aliud ad debiti petitionem, quia minus eſt partialis diſpenſatio illa, quàm abſoluta & totalis. Nihilominùs à Pontificibus expreſsè conceſſa eſt ad omnem dubitationem ſubmouendam, ſicut aliàs accidit, & dictum non ſemel. Addendum tandem opinionem eſſe aliquorum, quos adducit Fr. Ioan Baptiſta in Animaduerſionibus pro Confeſſarijs Indorum, & ſequitur *fol.* 88. & 89. ex inceſtu occulto non reſultare impedimentum petendi debitum: quod quidem, ſi reſpectu aliquorum locum habere poteſt, maximè Indorum, propter omnia, quæ in hoc genere conſiderari poſſunt, & in ipſis deprehenduntur.

Diuerſitas conceſſionis notanda reſpectu jejunij.

Suppoſito priuilegio ad matrimonium, non eſt aliud ad effectum dictum neceſſarium.

Neque pro voto caſtitatis.

Opinio ſpecialis circa impedimẽtum pro petitione debiti, & quantùm Indis faueat.

CAPVT XXII.

De nonnullis aliis Indorum Priuilegiis.

Priuilegiũ pro communicatione cum infidelibus, etiam armis venditis.

477 PRimum ſit quod habetur in Cõpendio Indico verb. *Bulla Cœnæ*, in quo ſic dicitur: *Conceſſit Pius V. 4. die Ianuarij, Ann. Domini* 1569. *in foro conſcientiæ ad decennium, ne Chriſtiani in India incurrerent in excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini propter commercium cum infidelibus, tam de aliis mercibus, quàm de armis, quando non eſſet in præiudicium Chriſtianitatis, vt ſi hoſtem non notabiliter armarent. Quam conceſſionem extendit Gregorius XIII. ad aliud decennium hac declaratione, vt ij, qui mercatorum more expoſita habent huiuſmodi prohibita, vt illa infidelibus vendant, præfatam excommunicationem incurrant, etiamſi eos, quibus illa vendunt, non arment notabiliter: non tamen illam incurrant, qui priuatim, & ſine probabili periculo aliquid parui momenti venderent, vt pugionem, aut gladium. Sunt hæc in viuæ vocis oraculis pag.* 59. & 86. Sic ibi. Quod quidem priuilegium ex duplici capite videtur expiraſſe, & quia temporale, & quia viuæ vocis oraculo conceſſum. Sed quia materia circa quam verſatur, frequenter poteſt occurrere, videndum quid ſine priuilegio liceat. Et materiam quidem ſufficientem ad incurren-

Expiraſſe, & quid ſine illo liceat, iuxta Gregorij XIII. declarationẽ.

Digitized by Google

dam prædictam excommunicationem ſatis expreſſit Gregorius in ſuâ conceſſione; ſunt enim ea, quibus in præiudicium Chriſtianitatis poſſunt infideles armari, etiamſi non armentur notabiliter, ſed mediocriter: duo enim extrema in armatura tali deſignantur, ex quibus primum abſolutè eſt præjudiciale, aliud parui momenti: & ita primò excommunicatio incurritur, non ſecundò. Sed eſt medium aliud, quando ſcilicet neque notabilis eſt obarmatio, neque parui momenti. Siue ergo modicilla vendendo more mercatorum ſit, ſiue alio modo, ad incurrendam excommunicationem eſt ſufficiens judicanda, quia tantùm excipitur, quæ parui momenti eſt. Quòd ſi ea, quæ parui eſt momenti, ad incurſionem excommunicationis non ſufficit, difficile apparet quomodo ex eo quòd more mercatorum vendendo conſtet, ad illius incurſionem debeat ſufficiens judicari. Licet enim multorum ſententia ſit, quos adducit & ſequitur Diana *Parte* 5. *Tract.* 5. *Reſolut.* 47. Superiorem poſſe ſub peccato mortali præcipere rem ſecundùm ſe leuem, quia ratione circumſtantiarum poteſt cenſeri grauis: in caſu tamen præſenti ea doctrina non videtur locum habere quia circumſtantiæ quoad intentum prohibitionis non habent conſiderabilem differentiam: prohibentur enim ea, quæ in præjudicium poſſunt Chriſtianitatis redundare: hoc autem præjudicium idem eſt, ſiue mercatorum more, ſiue aliter illa vendantur. Et vt demus ratione alicujus circumſtantiæ poſſe graue præceptum imponi; adeò tamen graue, vt excommunicatione Sedi Apoſtolicæ reſeruatâ feriatur, non apparet quomodo poſſit pietati & æquitati eiuſdem Sedis eſſe conforme.

Difficultas circa venditionem, cùm leuis materia eſt.

Expedita illa.

478 Circa quod dicendum, non videri mentem Pontificis, vt qui vendit aliquid parui momenti, etiamſi mercator ſit, excommunicationem incurrat; id enim rationes adductæ conuincunt. Quod intelligitur factâ omnimodâ paritate, quòd videlicet ſemel tantùm aut iterùm vendat, ſicut alius, qui mercator non eſt ſemel aut iterùm id præſtare poteſt. Quod ergo Pontifex ait, *Qui mercatorum more expoſita habent*, in ſenſu præfato non procedit, ſed de expoſitione ad continuatam venditionem. Licet enim vna aut altera venditio parui momenti in ordine ad præjudicium Chriſtianitatis non videatur tantâ diſtrictione damnabilis; continuatio tamen non poteſt ſine graui præjudicio conſtare. Et ita Auctores de hac excommunicatione loquentes, cùm res parui momenti excipiant, vt pugionem, galeam, vel arcum, ea in ſingulari ſignificant, vt videri apud eos poteſt, quos adducit & ſequitur Bonacina de *Cenſuris Bullæ Cœnæ Diſput.* 1. *Quæſt.* 8. *Puncto* 4. *numer.* 1. Vnde cùm multiplicentur venditiones, alia ratio eſt, & ita etiam dicendum, ſi res parui momenti non more mercatorum vẽdantur, ſed quouis alio contractus genere diſtrahantur, ſi in eis iteratio ſit: pro quo faciunt ea, quæ apud citatos habentur. Si dicas jam non eſſe differentiam inter venditionem mercatoris & alterius, qui talis non eſt; quod tamen contra mentem videtur eſſe Pontificis. Reſponderi poteſt, eſſe quidem, quia regulariter loquendo, & ſecundùm ea, quæ frequenter accidunt, ij, qui more mercatorum expoſita habent prohibita, ad continuatam ſunt diſpoſiti venditionem: & cùm quidlibet vendunt, expromptum in eo ad vendendum omnia manifeſtant affectum. Rectiſſimè ergo Pontifex, quando ita accidit, prædictos ſententia excommunicationis inuoluit, quia animum ſuum prauè erga rem Chriſtianam affectũ, ſatis eo reddunt vendendi genere manifeſtum.

In Indijs qualiter agendum.

479 In Indijs autem idem poteſt accidere, ſi Chilenis, Chriſtiani nominis inimicis, & nonnullis alijs, quæ ſunt Pontificiâ lege prohibita transmittantur, vel quocumque modo tradantur; alijs autem, à quibus timeri nihil poteſt, non ita. In quo quidem erunt fortè, qui eâ ſe tueantur ſententiâ, quæ nonnullis placet Scriptoribus, aſſerentibus eos, qui in terris Chriſtianorum prædicta infidelibus vendunt aut permutant, in excommunicationem Bullæ Cœnæ non incidere, quia in ea tantùm prohibetur delatio, vel transmiſſio, & cùm pœnalis lex ſit, ac proinde odioſa, non debet extendi. Sic Cardinales Caietanus, & Toletus, Sayrus, PP. Azor, & Gambacurta apud Bonacinam *ſuprà Puncto* 3. *num.* 31. qui tamen cum aliis, quos ibidem allegat, contrarium ſentit, ſicut & P. Palaus *Tomo* 6. *Diſput.* 3. *Puncto* 8. *num.* 12. qui id vti probabilius amplectitur. Vnde res hæc dubia videtur, ac proinde in Indijs, vbi negotiationis ſpiritus dominatur, non ſunt nimiùm vrgendi ſic agentes, vt reſeruatæ culpæ rei; quamuis aliàs venditio talium ſub excommunicatione prohibita reperiatur in Cap. *Ad liberandam*, de Iudæis, vt citati obſeruant. Sed certè Decretalis illa de ijs tantùm loquitur, qui Saracenis præfata tradunt Terram ſanctam poſſidentibus, vt ex tenore, & pœnâ appoſitâ conſtat, quæ in illius dicitur futura ſubſidium. Vnde Gloſſa ſic habet: *Totum ergo lucrum, quod ad eos peruenit ex hoc commercio, debent dare in ſubſidium Terræ Sanctæ, in cuius detrimentum hoc fecerunt.* Sic illa. cùm ergo lex pœnalis ſit, idem de illa dicendum volent illi, qui de lege in Bulla Cœnę cõtentâ, quod vidimus, protulerunt.

Fauorabilis ſententia circa Bullæ Cœnæ prohibitionem, vt non ſit circa venditionem.

Cap. Ad liberandam. non vrgere.

Gloſſa.

Priuilegiũ circa compoſitionem in malè acquiſitis.

480 Secundum priuilegium ſit, quod habetur in Verb. *Compoſitio*, & ſic ibi: *Conceditur Presbyteris Societatis per Generalem Præpoſitum in India Orientali deputandis, vt cum Neophytis, & alijs ad Eccleſiæ vnionem reductis, ſuper bonis malè acquiſitis, ad quæ reſtituenda in certis perſonis obligati exiſtunt, ad pia opera componere, vel quatenus ipſi ſic obligati indigeant, eis in toto vel in parte remittere & condonare poſſint, idque in foro conſcientiæ. Gregorius XIII. ad decennium 4. die Nouembris. Ann.* 1579. *vt patet in Litteris Apoſtolicis pro Indiis pag.* 95. *Admonentur autem Noſtri in eiſdem Litteris, ne hac facultate vtantur, niſi vbi expedire exiſtimauerint, ſuper quo eorum conſcientiæ onerantur.* Sic ibi. Adnotatio ſubjecta talis eſt: *Hac vti poſſunt Prouinciales, & ij, quibus ipſi eam commiſerint. Nullus tamen eâ vtetur in iis locis, in quibus Epiſcopi reſident, niſi Prouincialis ipſe in caſu aliquo particulari eâ vtendum iudicaret. Eius tamen facultatis vſum eâ conditione concedimus, dummodò Noſtri nihil vnquam eiuſmodi bonorum in proprium, aut Societatis vſum conuertere poſſint.* Sic Patres Generales. Et poſtrema quidem Adnotationis pars ſatis oſtendit quàm ſit à Societate in miniſteriorum ſuorum exercitio aliena cupiditas, quandoquidem id, quod licitè fieri poterat, in vſum ſcilicet propriũ aliquid

Adnotatio Compendij.

Societatis quàm aliena à

Digitized by Google

cupiditate processus, optimo oſtenditur argumento.

aliquid, factâ compoſitione, conuertere minime in eadem admittitur: licet Summus Pontifex in ſua conceſſione, cùm aliàs, vt vidimus, conſcientias Sociorum oneret, circa conuenientem priuilegij applicationem, minimè eam conditionem addiderit, quæ in Adnotatione proponitur. Ex quo videtur inferri, cùm tale aliquid occurrerit, in quo ex vi priuilegij non ſit neceſſarium procedere, ſed juxta regulas, quas Doctores circa materiam præſentem exhibent, idem eſſe faciendum, vt nihil in vſum proprium, aut Societatis conuertatur: eadem enim ratio eſt; quia cùm priuilegium nihil ſpeciale præſcribat, per quod Societas ad vſum talem adigatur; dum moderatio in eo adijcitur, merum ſpiritum eiuſdem circa materiam iſtam PP. Generales expromunt: quòd cùm in materia paupertatis ſit, grauiter, niſi excuſet paruitas, obligabit. Quòd verò vbi Epiſcopi reſident, vſus limitetur, non videtur grauem obligationem inducere, & inualidam reddere compoſitionem; quia ſi ita eſſet limitantium mens, id clariùs diceretur, ſicut ſtatim vſus eâ conditione conceditur, de qua diximus. Nihilominùs oppoſitum apparet verius, juxta dicta *numer.* 177.

Quæ illius obligatio etiam cum ex vi priuilegij non agitur.

Quid vbi Epiſcopi reſident.

Finitum jam illud.

481 Supponunt autem prædicta priuilegium vigere, quod tamen vſque ad annum tantùm 1569. conſtat eſſe conceſſum. Quia verò poſt lapſum temporis adhuc in Compendio proponitur, & vſus conceditur, fundamentum videtur durationis præberi, de quo dictum aliàs. Non videtur autem Societas multùm de illius prorogatione curaſſe, quia non adeò neceſſarium judicauit. Indi enim aut pauperes ſunt, & ita ad reſtitutionem incertorum non debent obligari, quia reuerà non reſtituent, nec debet illis peccandi occaſio miniſtrari. Et cùm pauperes ſint, eiſdem applicari poſſe, quæ dominis debentur incertis, communis ſententia eſt, pro qua P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 14. *num.* 41. cum alijs, quos adducit. Et id quidem quando obligatio reſtitutionis ex delicto oritur: quòd ſi aliunde, non eſſe obligationem eâ tribuendi pauperibus, aut operibus pijs, probabilis ſententia eſt, vt ait P. Leſſius *n.* 38. & eam cum alijs quos citat, tenet Eligius Baſſæus verb. *Reſtitutio* 4. §. 4. Vel nō ſunt ita pauperes, vt reſtituere non valeant, & ita obligandi ad reſtitutionem ſunt: ſi præſertim debita ex delicto proueniant: quod quidem etiam ſtante priuilegio faciendum, quia Pontifex in eo conſcientias Sociorum onerat: tunc autem manifeſtiùs tale onus apparet, cùm reſtituendi facultas eſt, vnde in eo caſu minimè priuilegij fauor aſſiſtit. Quòd ſi quis dicat euenire poſſe vt valeat reſtituere, ſed cùm familiæ incommodo, & attentis quidem reſtitutionis regulis ad eam penitus obligari, cùm tamen virtute priuilegij compoſitio aliqua fieri poſſit. Fateor id poſſe quidem accidere; ſed cùm indigentia latitudinem habeat, & Indi etiam, vt dixi, ad reſtituendum difficulter adducantur, plus aliquid eorum tenuitati & indoli, quàm alijs, indulgendum eſt, & ita ſine priuilegio fieri applicatio eiſdem poterit, & ſic peccandi occaſiones amputari.

De prorogatione non actum, quia vix illud neceſſarium ob doctrinas receptas circa applicationem incertorum.

Indi vnde habeant, vt non poſſint excommunicari, cùm abſolutè poſſint.

482 Tertium priuilegium, non tam conceſſione, quàm vſu receptum, capacitate Indorum attentâ, eſt, vt illi non poſſint excommunicari. Quod quidem & in Neophytis aliis ſimiliter currit, in quibus conſimilis indoles reperitur. Et quod ad conceſſionem Pontificum attinet, nulla in ſpeciali videtur extare; immò contrarium videntur illi ſupponere, dum facultatem concedunt abſoluendi omnes in Indiis commorantes ab omnibus peccatis, & Cenſuris, vt videri ſpecialiter poteſt in Compēdio Indico verb. *Abſolutio.* Et iuxta hæc procedit Adnotatio eiuſdē §. vbi dicitur *in locis vbi officium S. Inquiſitionis reſidet, hac facultate non vtendum, niſi cum Neophytis, & ea moderatione vt Inquiſitores nulla ratione offendantur.* Si autem Neophyti non eſſent Cenſuris comprehenſi, nullum ad hoc neceſſarium erat priuilegium, quia peccata, quæ excommunicationem adiunctam habent, & ideo reſeruantur, ſublatâ Cenſurâ deſinunt eſſe reſeruata, & ab Ordinariis poſſunt Confeſſarijs ſic delinquentes abſolui: vnde neque eſſet vllum vel leue fundamentum, vt ex abſolutione tali Inquiſitores offenderentur. Idem eſt cernere in Bullis Pauli V. Vrbani VIII. & Innocentij X. in quibus ſimilis facultas conceditur, quæ ad omnes in Indiis commorantes extenditur: poſſunt ergo omnes excommunicatione percelli. Idem expreſſius in Concilio Limenſi *Act.* 2. *Cap.* 17. vbi omnibus Indorum Confeſſariis conceditur, *vt ab omnibus caſibus, & Cenſuris annexis poſſint abſoluere Indos, cùm id expedire in Chriſto indicauerint*, de quo *ſuprà*, *n.* 309. & aliis in *Cap.* 11.

Adnotatio Compendij Indici, in qua id expreſſum.

Et in Bullis Pontificum.

Et Concilio Limenſi 3.

Ab eodem ſtatutum vt id non fiat, ſicut & à ſecundo.

483 Nihilominus vt Indi non excommunicentur à Concilio Limenſi citato Decretis Concilij Secundi etiam Limenſis inſiſtente, valde prudenter ſtatutum inuenitur *Act.* 4. *Cap.* 7. vbi ſic dicitur: *Cùm Eccleſiæ ſpiritualis vindicta grauiſſima ſit, ad animarum intima penetrans; iis tamen vtilis eſſe poteſt, qui bona ſpiritualia, & damna poſſunt ſatis cogitatione concipere, & prout oportet, expendere. Quibus verò nihil vel pretioſum vel vile eſt, niſi quod oculis cernitur, in eos certè ſpiritualis illa cenſura intentata poterit proficere parum, onerare plurimùm. Quam rem cùm prudenter Superiores huius noui Orbis Antiſtites ſecum perpenderent, ſtatuerunt, in haſtam faciles & minimè perſpicaces Indorum gentes ab excommunicatione, cæteriſque cenſuris eſſe abſtinendum: pro his verò ad conſeruandam Eccleſiaſticam diſciplinam & religionem, neceſſariò externâ & temporali aliquâ pœnâ vtendum: quod à priſcis in ſimile genus hominum etiam obſeruatum eſſe compertum eſt.* Hæc Concilium. Ex quibus videtur colligi Indos non incurrere in excommunicationem, aut Cenſuram aliam ſtatuto aliquo propoſitam pro iis, qui illud fuerint tranſgreſſi, ſiue à iure Indico, ſiue ab homine: pro omnibus enim illis rationes dictas conſtat militare. Licet autem quandoque ex eo fiat vt multa delicta maneant impunita, quibus pœna tantùm eſt ſpiritualis impoſita, vt etiam occultè peccantes comprehendat: id tolerandum eſt, ſicut in multis criminibus occultè perpetratis toleratur.

Neque à Iure, aut ab homine impoſitas incurrere.

484 In iis verò, quæ à Sede Apoſtolicâ, ſiue quia in Iure habentur, ſiue quia per Conſtitutiones peculiares, vniuerſali complexione deſcendunt, maior videtur eſſe difficultas propter adducta nuper, & quia Concilium Limenſe non potuit poteſtatem ſupremam coarctare. Sed certè, licèt non potuerit; explicare tamen potuit men-

tem

Digitized by Google

tem Sedis Apoſtolicæ per veroſimiles coniecturas; cumque Concilium à Sede Apoſtolica confirmatum fuerit, & quod ad punctum Cenſurarũ ſpectat diligenter inſpectum; ſatis ex eo veroſimile apparet non eſſe intentionem Sedis Apoſtolicæ Indos in Cenſuris pro delictis peculiari ratione prohibitis comprehendi. Quod ergo priuilegium pro abſolutione à Cenſuris conceditur, non arguit veram incurſionem in illas, ſed conditionalem, ſicut in ordinariâ abſolutione dicitur, *ſi fortè incurriſti*, & quia labente tempore accidere poteſt vt Indi capaciores ad ſpiritualia reddantur, vt & nunc ſunt plures, & ſic obnoxij Cenſuris: quo euentu plenum effectum habebit priuilegium. Et ita accipiendum id, quod habet Illuſtriſſ. D. Petrus de Reyna poſt hæc ſcripta viſus *Tomo 2. de Perfecto Prælato, Lib. 6. Tract. 4. Cap.7.* Vbi formam abſolutionis Indorum apponit, qui à fide receſſerunt. Fauet etiam illis communis ſententia, iuxta quam ignorantia Cenſuræ obſtat incurſioni in illam. Pro quâ plures Auctores adducit Diana *Parte 3. Tract. 5. Reſolut.* 13. & P. Quintanad. *Tomo 2. Tract.* 4. *Singulari* 8. Quod & in hæreſi contingere docet P. Thomas Sancius *in Opere morali Lib. 2. Cap. 8. num.* 5. & Recentiores plures amplectuntur. Et licet communiter dicant ignorantiam craſſam non excuſare; ea certè in Indis non habet locum, iuxta explicationem, quam iidem Doctores adhibent, quòd ſcilicet ſit ea, quæ adiunctum habeat notabilem diligentiæ defectum ad inquirendam legis prohibentis qualitatem, vel an ſit talis lex. Quæ quidem ab Indorum ingenio ſunt valde peregrina. Et clariùs apparet ex eo quòd alij aiunt, ſcilicet ignorantiam craſſam eſſe illam, quæ dolo æquiparatur. In huiuſmodi enim gente dolus omnis circa hæc abeſt, paratis audire, quæ Euangelici miniſtri docuerint, ſed ſine dolo in eorum accuratâ inquiſitione animis feriatis. *Minimè perſpicaces Indorum gentes*; à Concilio iam auditum; quod & ſatis iis, qui apud eos verſati ſunt, experientia perſuaſit. Quòd ſi in aliquibus malitia vincit naturam, ſicut & ætatem vincere ſolet; non equidem id circa ſpiritualium cognitionem communiter accidit, ſed circa illa, in quæ naturæ inclinatio vitioſa raptatur, dum nonnullis aperiuntur oculi, vt ea faciant, quæ alios ad ſublimiora vocatos, & eiſdem norma ſunt vitæ Chriſtianæ futuri, factitare conſpiciunt. Vtinam & iſtis aperiantur oculi, vt viam perditionis, quâ gradiuntur penitiùs conſpicantes, ab imminenti præcipitio maturè reuocentur. Nec de Priuilegiis plura, vt iam de Indulgentiis appendiculum adiiciamus, pro quibus ſit

Fauet communis ſententia de ignorantibus illas.

Ignorantia craſſa quid ſit.

Indis non competit circa materiam, de quâ agitur.

CAPVT XXIII.

De Indulgentiis pro Indis, & Indiis ab Apoſtolicâ Sede conceſſis.

Indi an Bulla indigeant ad lucrandas Indulgentias. Et pro parte negatiua arguitur.

485 SEdes Apoſtolica in priuilegiis liberalis, circa indulgentias etiam liberalem ſe ſtuduit exhibere. Circa quas illud in primis poteſt inquiri, an ſcilicet Indi eas valeant ſine Bulla Cruciatæ lucrari, ſuppoſitâ reuocatione generali, quæ à Commiſſario fit durante publicatione. Et in primis illud eſt certum, Indulgentias, quæ Bullam ſumentibus conceduntur, ſine illâ non poſſe ab Indis obtineri: conceduntur enim ſub conditione oneroſâ, quâ deficiente, nequit locum habere conceſſio. Pro aliis eſt ratio dubitandi. Nam Indulgentiæ Indis pro augendâ eorum fide, & vt illi in Chriſtianâ pietate fundentur, atque vt nouellæ Eccleſiæ plantæ fructus redemptionis ſingulari ratione percipiant, à Sede Apoſtolicâ conceduntur: atqui credibile non apparet Sedem eamdem velle fructum huiuſmodi à receptione Bullæ, & eleëmoſynæ pauperculorum iſtorum largitione pendere. Item. Cùm Concilium Tridentinum priuilegia reuocat, quæ contra eius poſſunt eſſe Decreta, id non eſſe intelligendum de priuilegiis pro Indiis conceſſis, & in ſpeciali loquendo de quodam priuilegio PP. Auguſtinianis conceſſo circa primum gradum affinitatis occultum, ſunt qui cenſeant. Licèt enim videatur reuocatum, quia Concilium *Cap.23. Seſſion. 25. de Regularibus*, omnia priuilegia reuocat conceſſa eiſdem, ſi eius ſint contraria Decretis, quod & Pontifices cauent, cùm priuilegia concedunt, eamdem limitationem habentes. Nihilominùs P. Quintanad. *Tomo 1. Tract.9. Singulari* 1. reuocatum non eſſe ait, quia, vt indicat Veracruz *in ſpeculo coniugiorum, Artic. 27. Fol.* 474. conceſſum fuit pro nouo Orbe. Habent ergo priuilegia talia ſingularem prærogatiuam, vt in generali reuocatione minimè reuocata cenſeantur, quod & ſtatuit Fr. Lud. Miranda *in Manuali, Tomo 1. quæſt. 43. artic. 5. §. Secundo dico*, in fine. Id quod vlteriùs poteſt comprobari ex eo quòd in ſuſpenſione priuilegiorum à Commiſſario factâ excipiuntur conceſſa Regularibus, iuxta dicta *ſuprà*: idque fauore Religionis: ergo & fauore fidei priuilegia & Indulgentiæ Indis conceſſæ non debent ſuſpenſæ cenſeri: iſtæ enim duę cauſſæ ſeu tituli coniungi ſolent in ordine ad eoſdem effectus; quia in negotio fidei cauſſa animarum agitur ſingulari quadam ratione, vt videri poteſt apud Doctores, quos adducit P. Quintanad. *Tomo 1. Tract.8. Singul.15. num.6.*

Priuilegia Indica non reuocari generali reuocatione.

A maiori efficax argumentũ.

486 Et hæc quidem roborari ampliùs poſſunt ex eo quòd *ſuprà* oſtendimus *num.* 223. & *num.* 224. Indos ſcilicet vt lucrentur Indulgentias, non obligari ad ea, quæ pro aliis ſtatuuntur, & præſertim ad Communionem, quod & de eleëmoſynâ ſpecialiter dictum, quando pro Iubilæis lucrandis exigitur. Cùm ergo ea, quæ tanti momenti ſunt, ab illis non exigantur in magnis ac ſingularibus Indulgentiis; ex eo videtur colligi neque Bullâ Cruciatæ ad earum conſecutionem generaliter indigere. In diſpenſationibus enim extenſionem poſſe fieri de expreſſo ad non expreſſum, ſi eadem ratio ſit, multi tenent apud P. Thomam Sancium *Lib.8. de Matrimonio, Diſput.* 1. *num.* 31. & licet aliqui id negent; quando tamen materia fauorabilis eſt, communiter admittitur. Et videri pro eo poteſt Diana *Parte 8. Tract.* 3. *Reſolut.*32. vbi ex P. Amico accommodatam doctrinam adducit, quam habet *Tomo 5. Diſput. 6. Sect.2. num.* 16. & præfatæ quidem rationes vim habere videntur non ſolùm reſpectu Indulgentiarum, quæ in ſpeciali Indis conceduntur, ac Neophytis reliquis, ſed etiam in aliis, communibus etiam Europæis: & in Æthiopibus ſingularem

Aliud item plus vrgẽs.

In diſpenſationibus extenſionẽ valere de expreſſo ad non expreſſum.

Pro Æthiopibus ſpecialis ratio.

larem etiam efficaciam continent: quia cùm illi ſub ſeruitute vitam pauperrimam viuant, difficiliùs eſt eleëmoſynam pro Bullæ obtentione tribuere: quamuis multi domini piè erga eoſdem affecti, Bullas pro eiſdem ſumere ſoleant, quod ex obligatione fieri debere à Miniſtris S. Cruciatæ tentatum, ſed immeritò: gratia enim eſt Pontificia, ad quam neque pro ſe, neque pro aliis quiſquam adigitur, alioquin gratia iam non erit gratia, vt aliàs Apoſtolus: ſed pauci illi, qui pietate permoti id præſtant eorum comparatione, qui circa hoc curam omnem abiiciunt, ad quam expediret vt à Confeſſariis inducerentur, iniunctâ eis huiuſmodi ſatisfactione, cùm eam, & maiorem multoties ſoleant illi promereri.

Circa præfatam ſententiã iudicium, & noua ratio ex conceſſionibus aliis, pro quibus Bulla non eſt neceſſaria.

487 Videtur ergo ſententia iſta non improbabilis, dum Commiſſarij circa hoc Pontificiam mentem non ampliùs manifeſtant. Et quæ eſſe debet circa gentes iſtas propenſa benignitas, è re magis futurum apparet, ſi circa hoc nihil ipſis oneroſum imponatur. Et prædictis addo, quòd licet Commiſſario facultas ad diſpenſandum in matrimonio iam contracto concedatur, vt non obſtante affinitate ex copulâ fornicariâ ortâ, contrahere ſic coniuncti dè nouo poſſint, cùm conditionibus ad talem diſpenſationem adiectis, etiamſi primus gradus ſit in lineâ rectâ vel tranſuerſali, pro quo videri poteſt Diana, *Parte* 1. *Tractat.* 11. *Reſolut.* 116. *&* 117. Indi tamen ad diſpenſationem dictam Bullâ non indigent, cùm poſſint à Regularibus diſpenſari: neque poteſtas talis generali facultatem & gratiarum ſuſpenſione concluditur, ſicut & ſimiles, vt eſt communis ſententia Doctorum. Et quòd præterea Indi vt contrahant vltra ſecundum gradum, Bullâ non indigeant, ſpecialiter adnotat Mag. Veracruz, & ex eo Fr Ioannes Baptiſta *in Animaduerſionibus pro Confeſſarijs Indorum, Parte* 1. *Fol.* 88. Cùm ergo ad hæc, quæ iuri communi adeò contraria ſunt, Indi non habeant opus Bullâ, videtur ex eo fieri pro lucrandis Indulgentiis, in quo nullum Iuris vulnus interuenit, ſed Pontificius fauor, eadem non indigere: Neque ex eo fit illos, ſi ita eſſe ſibi perſuadeant, Bullam non eſſe ſumpturos; ſument ſiquidem hortamentis, & frequenter etiam compellentibus Parochis, quia magnum quid in eâ eſſe, vt eſt reuerà, ſua qualicumque mente concipiunt: & Bullæ ipſius beneficio adeò inſignes Indulgentiæ proueniunt, vt magnorum deberent theſaurorum contributione à rerum iſtarum dignis æſtimatoribus comparari.

Cur Indis peculiares non ſint Indulgentiæ conceſſæ.

488 Quæri deinde poteſt quænam Indulgentiæ Indis ſpecialiter conceſſæ ſint. Circa quòd dico aliquas eſſe pro Confratribus ſpecialium Confraternitatum, & Iubilæa in Feſtis peculiaribus eorum contemplatione conceſſa, quorum formæ conſulendæ. Aliæ autem communes ſunt omnibus regiones Indicas incolentibus, vt nulla ſpecialis pro Neophytis inueniatur. Quod equidem mirum eſſe non debet: nam omnes illæ ipſorum ſunt contemplatione conceſſæ, & ipſis ex primariâ intentione, vtpotè natiuis dictarum regionum accolis, de quorum conuerſione agitur, & Chriſtianâ pietate in eiſdem propagandâ. Et Inde factum vt prima omnium Indulgentiarum, quæ in Bullis nouioribus extant, hunc Pontificum reſpectum ſtatim manifeſtet & quidem Pius IV. *die* 2. *Februarij, Ann.* 1563. ſic conceſſerat: *Vt quoties ij, qui verè pænitentes & confeſſi, ſiue firmum conſtitutis à Iure temporibus confitendi propoſitum habentes, aliquem ex infidelitate, & ab Idololatria ad veri Dei cognitionem & cultum reduxerint, toties plenariam Indulgentiam, plenariumque Iubilæum conſequantur, adiunctâ aliquâ arbitrariâ per Confeſſores ſalutari pænitentiâ, pro quo eorum conſcientiæ onerantur.* Sic in Compendio Indico. verb. *Indulgentiæ* 2. §. 2. Sed quia ad 20. tantùm annos fuit, iam pridem expirauit. In margine autem notatur, quòd licet expirauerit, eo loco appoſita eſt, vt progogetur, id eſt, vt prorogatio curetur impetrari. Quod quidem ſic factum, nam à Paulo V. Vrbano VIII. & Innocentio X. conceſſa, ſed cum aliqua limitatione, quæ an verè talis, inquirendum, cùm aliàs etiam amplior habeatur.

Pij IV quadam affectum conuerſionis inſinuant.

Adnotatio Compendij.

Innocent. X conſimilis.

489 Sic ergo Innocentius poſt citatos: *Omnibus Chriſtifidelibus, in quibuſcumque Oceani Indijs, aut Sinarum regione, vel Braſiliâ conſtitutis, præſentibus & futuris, verè pænitentibus & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, quoties aliquem ex infidelitate & Idololatria ad veri Dei cognitionem reduxerint, plenariam, &c.* Vbi limitatio obuia eſt ex eo quòd Pius non exigat Communionem, neque Confeſſionem reipſa factam, ſed ſatis eſſe dicat propoſitum ſtatutis à Iure temporibus confitendi. In eo autem videtur amplior, quòd pœnitentiam à Confeſſore imponendam non ſtatuat, neque ſuper eo conſcientia talium oneretur. Et videtur quidem ſatis eſſe, vt quis ſtatutis temporibus fuerit confeſſus, & ſacrâ Communione refectus: quod quidem tunc eſt intelligendum, quando qui ſtatutis temporibus confeſſus eſt, & communicauit, non eſt poſteà in aliquod mortale prolapſus; tunc enim ſtatus ille prior non perſeuerat, qui perſeuerare habitualiter videbatur; & ſic neque gratiæ Sacramentales quæ per Sacramenta dicta conferuntur, & conducere maximè poſſunt ad opus diuinorum omnium diuiniſſimum aggrediendum, conuerſionem inquam infidelium, iuxta tritam Diui Dionyſij doctrinam. Et quod ad Confeſſionem attinet, cùm illa petitur, ſufficere contritionem, ſi ita dicatur, *Contritis, & Confeſſis*, graues Doctores tenent, ex quibus P. Suarius *Tomo* 4. *in* 3. *p. Diſput.* 52. *Sect.* 3. *num.* 13. ex quo P. Filliucius *Tractat.* 8. *Cap.* 8. *numer.* 148. Neque enim apparet veroſimile vt vera contritio ſimul cum Confeſſione petatur, quandoquidem attritio ſufficit ad effectum Sacramenti, & ita videtur eſſe ſenſus diſiunctiuus. Eſt autem idem quando ſic dicitur: *Verè pænitentibus, & confeſſis*, vt in noſtro priuilegio; quia vera pœnitentia non niſi per contritionem habetur, quæ eſt dolor perfectus, & ita extra Sacramentum diſpoſitio vltima ad iuſtificationem. Quòd ſi cùm illa Communio pariter exigatur, tunc quidem neceſſaria Confeſſio eſt, quia ita Concilium Tridentinum declarauit. In caſu autem noſtro vtraque ſimul expoſcitur, ſed, vt dixi, non proxima, niſi mortale peccatum interuenerit; quia hic non agitur directè negotium eius qui eſt Indulgentiam lucraturus, ſed infidelium, quorum conuerſio à Pontificibus exoptatur: ad quod congruè peragendum non videtur ſpecialiter neceſſaria diſpoſitio per proximam Sacramentorum illorum receptionem.

Limitatio quanam in illa, circa Confeſſionem, & Communionem.

Contritio quando ſufficiat ad lucrandã Indulgentiam.

490 Et

Digitized by Google

Statum ſolùm gratiæ ad Indulgentiam, de quâ eſt ſermo, requiri.

490 Et certè licet abſolutè loquendo conuenientiſſimum ſit gratia per receptionem dictam aucta & roborata ad diuinum illud opus accedere; onus tamen huiuſmodi ad obtinendam Indulgentiam non ita conueniens apparet, & magis Euangelici miniſtri ad illud erunt propenſi, ſi ab eis ſolus ſtatus gratiæ, receptis ſuo tempore duobus illis Sacramentis, exigatur. Cùm ergo negotium, de quo agitur præcipuè, obtineri ſine illo poſſit, neque ſpecialem in ordine ad illud vtilitatem conferat, & Indulgentiæ lucrum ſit conuerſionis peculiare præmium; quidquid de Sacramentorum receptione additur, non eſt neceſſarium vt ad proximam referatur. Quod roborari ex eo poteſt, quia Pontifices in conceſſione dictâ teſtantur ſe veſtigiis prædeceſſorum Pontificum inhærere: conſtat autem Pium IV. cuius conceſſionis tenorem dedimus, Communionem minimè poſtulaſſe. Vt ergo conceſſiones conformes ſint, dici poteſt non poſtulaſſe quidem proximam, benè tamen ſtatutis temporibus receptam: atque ita intellexiſſe poſteriores Pontifices, ſuiſque tenoribus expreſſiſſe. Quòd autem Pius IV. pœnitentiam imponendam dixerit, & ſuper hoc Confeſſorum conſcientias onerauerit, à ſucceſſoribus eſt ſublatum, quia admonitio talis non ita videbatur neceſſaria, quandoquidem Sacramentum Pœnitentiæ id ſecum affert, cuius pars eſt ſatisfactio, & Confeſſarios ad illam imponendam teneri iuxta peccatorum numerum & qualitatem, nimis notum dogma eſt. Videtur autem ſufficiens & ſalutaris pœnitentia, ſi conuerſionis ipſius cura præcipiatur, quæ ſi effectum habeat, cùm Indulgentiæ tunc beneficium accedat, nullum vlterioris ſatisfactionis onus relinquitur: ſi verò non ſequatur conuerſio, labor ille ſatis egregius & ſatisfactorius eſt. Poſſet autem videri alicui quòd etiamſi conuerſio non ſequatur, labor ſtrenuè impenſus in ordine ad illam, & ex ſe ſufficiens, ad obtinendam valere poſſit Indulgentiam; quia cùm obtinetur conuerſione ſecutâ, illa præmium laboris eſt, & non conuerſionis, vt ſe tenet ex parte conuerſi, & in manu Euangelici miniſtri non eſt: idem autem inquantum idem, ſemper eſt natum facere idem. Nihilominùs hoc non poteſt certò affirmari: quia Pontifices potuerunt beneficium illud operi cum effectu coniuncto adligare, quamuis idem ſit labor: quemadmodum irregularitas adnexa eſt percuſſioni, ex quâ mors ſequitur, & non alteri, licèt fortè grauiori, quia hæc medicum nacta eſt peritiorem, vel quia miraculosè curata eſt. Et idem eſt in pœnis aliis Eccleſiaſticis. Ex quo fit effectum operis multoties attendi, quia ille eſſe ſolet index operationis, cuius qualitas, deficiente effectu, non poteſt facilè deprehendi.

Conceſſiones diuerſorum Pontificũ conciliata.

Circa Pœnitentiam iniungendã notanda doctrina.

Indulgentiæ aliæ ex Bullâ Innocentij X.

Indulgentia pro viſitantibus Eccl-ſias Societatis certis diebus. Vbi an communis pro Indijs.

491 Sequitur ſic in illâ: *Nec non eiſdem etiam verè pœnitentibus & confeſſis, S. Thomæ Apoſtoli in Indijs prædictis, vel aliquam ex certis dilectorum filiorum Presbyterorum Societatis* IESV *Eccleſias illarum partium Deo, vel in honorem ſanctorum erectis. Nec non omnes & ſingulos huiuſmodi Eccleſias Collegiorum, Domorum, & Reſidentiarum eiuſdem Societatis regionum præfatarum, ſaltem inter ſe per centum milliaria diſtantes, vt ſuprà erectas, ſingulis annis, quatuor diebus feſtis, Domini noſtri,* B. MARIÆ *Virginis, aut ſanctorum, per dictæ Societatis Præpoſitum Generalem deſignatas, viſitantibus, & inibi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumentibus, ac pro Gentilium & hæreticorum conuerſione pias ad Deum preces fundentibus, etiam plenariam.* Sic Pontifex; in quâ conceſſione videri alicui poteſt nihil de nouo concedi, quod anteà non liceret per Gregorij XIII. priuilegium, de quo in Compendio Indico. Verb. *Indulgentiæ* 2. §. 3. ſimilis formæ: & quidem perpetuum, cùm tamen illud temporale ſit. Licèt enim illud de Indiâ tantùm Orientali, & Braſiliâ procedat, ad omnes tamen Societatis Eccleſias extendi poſſe non diſtantes per ſpatium dictum etiam in Indiis Occidentalibus conſtat ex conceſſione eiuſdem Gregorij, de quâ verb. *Gratiarum communicatio* §. 1. in quo habetur gratiarum communicationem inter Indiam vtramque eſſe, de quo in ſuperioribus non ſemel dictum.

Eſſe diuerſa ab aliâ à Greg. XIII. conceſſa, & amplioris formæ.

492 Nihilominùs diuerſa videtur eſſe conceſſio, & ſub ampliori ac certiore formâ procedere: nam in primis Indulgentia pro viſitantibus Eccleſiam S. Thomæ Apoſtoli in Indiâ Orientali, non habetur in illâ priori conceſſione. Deinde. Quòd debeat illa ad Indias Occidentales extendi non videtur ita certum: tum quia ea gratiarum communicatio totalis & omnimoda facta eſt viuæ vocis Oraculo à Gregor. XIII. vt conſtat ex *Compendio Indico*, §. *citato*. Et licet dici poſſit extenſionem dictam habuiſſe tantùm rationem declarationis, & tales non eſſe reuocatas, vt *ſuperius* poſitum: id equidem difficultate non caret, quando declaratio vim noui priuilegij habet, vt in præſenti; vbi non priuilegium aliquod, ſed ingens eorum cumulus ad loca & perſonas adeò plures & diuerſas extenditur. Quod item dici poteſt Pontifices ſuis illis Bullis non reuocaſſe Indulgentias, probabile quidem eſt, ſed non penitus exploratum. His ergo de cauſſis priuilegium poſterius, etſi temporale, magni tamen æſtimandum eſt, & pro perpetuo habendum, cùm Pontifices ſine difficultate ante finitum conceſſionis tempus illam ſoleant prorogare. Quod aliunde etiam oſtenditur: nam licet demus omnino eſſe certum priuilegia Societati conceſſa pro Indiis cum eâ eſſe extenſione accipienda: id quidem de priuilegiis eſt intelligendum, quæ Societatis eiuſdem filijs conceduntur; idque omnino certum haberi debet, quia Gregorius non tantùm viuæ vocis Oraculo, ſed Litteris etiam expeditis huiuſmodi communicationem indulſit, vt ex *citato* §. liquet: non eſt autem ita de conceſſis pro determinatis locis, & ad Indulgentias ſpectantibus, quia illa non concernunt miniſteria, & Indulgentiarum extenſio ſpecialem difficultatem continet. Verba priuilegij ſunt: *Vt ſinguli earumdem Indiarum & Nouæ-Hiſpaniæ Societatis Religioſi, illis omnibus æquè principaliter & omnibus, & per omnia gaudeant, illiſque vti poſſint, perinde ac ſi illa omnia vtriuſque Indiæ, & Nouæ-Hiſpaniæ Religioſis prædictis ſpecialiter ac nominatim conceſſa fuiſſent.* Sic ibi. Quamuis ergo communicatio in caſu noſtro probabilis ſit ex vi prædictæ conceſſionis;

Priuilegiũ communicationis, pro vtraq. India.

Digitized by Google

ceſſionis; alia profectò magnâ debet æſtimatione recipi, per quam dubium omne circa illius vſum remouetur.

Conceſſio circa idem fit amplior.

493 Eſſet autem maioris æſtimationis illa, quæ in citato verb. Indulgentiæ habetur §. 4. & ſic habet: *Placuit poſteà eidem Pontifici, vt eadem plenaria Indulgentia obtineri poſſit in omnibus Eccleſiis Societatis in Indiâ Orientali non diſtantibus inter ſe per centum milliaria, in diuerſis tamen diebus à Superioribus nominandis.* Eſſet inquam, ſi adhuc duraret, & eſſet Indiæ vtrique communis: quibus videtur obſtare, quòd pro Orientali conceſſa ſit, & viuæ vocis Oraculo. Sed cùm probabile ſit nihil iſtorum obſtare, quia in gratiarum communicatione non ſolùm priuilegia & facultates, ſed & gratiæ recenſentur, vt ex § *dicto* conſtat, & Indulgentias gratiarum nomine venire dubitari nequeat, ex eâ parte nullum eſſe videtur obſtaculum. Quòd verò Indulgentiæ reuocatæ non ſint: non contemnendi Doctores tradunt, de quo *ſuprà* & vt de aliis minùs certum ſit, de iis, quæ pro Indiis ſunt conceſſæ, peculiaris ratio extat, de quo aliàs & *ſuperiùs num.* 484.

Quid circa diſtantiam Eccleſiarū.

Non debent ergo Eccleſiæ iuxta conceſſionem iſtam per centum milliaria diſtare, ſed quæcumque illæ ſint, etiamſi plures in eâdem vrbe, in eis poteſt quater in anno Indulgentia plenaria diebus per Prouinciales deſignandis comparari. Immò videtur deſignatio fieri poſſe à Superioribus localibus, quia Gregorius nullum ſpecialem expreſſit. Et licet in priori conceſſione deſignationem faciendam per Præpoſitum Generalem edixit, & in Adnotatione ea Prouincialibus committatur: pro §. autem 4. in quo ampliatio conceſſionis extat, nihil eſt appoſitum, vt ex eo non leue argumentum pro eo, quod diximus, habeatur. Vbi autem iuxta formam nouioris priuilegij agendum videbitur, & ſpatium prædictum obſeruandum, facilis fieri per leucas computatio poteſt, cùm leuca tria millia paſſuum habeat, vnde centum milliaria 33. leucas cum tertiâ leucæ parte, vno inquam milliari, conficiunt. Milliarium enim non Germanicum, ſed Italicum, & legale intelligendum eſt: Germanicum enim quatuor Italica continet, vnde neque in Germania, cùm de Milliaribus, aut Milliariis, in Pontificiis Decretis agitur, Germanica, ſed Italica, intelligenda ſunt.

In Peruu. quomodo Eccleſiæ deſignandæ.

494 In hac ergo Peruuianâ Prouinciâ poterunt quatuor illi dies pro plenariâ Indulgentiâ à Prouincialibus deſignari Limæ, Truxillij, Piſci, Huancauelicæ. Huamangæ, Cuſci, Arequipæ, Iulij aut Ciuquiabi, Oruri, Ciuquiſacæ, aut Potoſij, & in Reſidentia S. Crucis. Sed dubitari poteſt an poſſint Prouinciales conceſſionem ita partiri, ne præcipuæ Eccleſiæ eo maneant beneficio fraudatæ, vt Potoſij duo deſignentur dies, & duo alij Ciuquiſacæ; & ſic in nonnullis aliis.

Conceſſionem inter Eccleſias non diſtantes poſſe partiri.

Et videtur id ſanè probabile, quia conceſſionis forma ſeruatur, dum in eâ dicitur poſſe Indulgentiam plenariam obtineri in Eccleſiis diſtantibus per centum milliaria: ergo dum Eccleſiæ & dies pro Eccleſiis ab aliis eo interuallo diſtantibus aſſignantur, nihil fit Pontificiæ diſpoſitioni contrarium; duæ enim illæ ob indiſtantiam pro vnâ & eâdem reputantur. Et in hoc quidem neque conceſſionis limites quoad ſubſtantiam exceduntur, cùm dierum numerus teneatur: neque in modo inconueniens eſt aliquod, ſed potiùs conuenientia eſſe ſpecialis poteſt: & alioqui, cùm ſit gratia, latè interpretanda eſt, vt graues Auctores tenent videndi apud Dianam *Par. 1. Tract. 11. numer.* 98. & Bonacinam *Tomo 1. Diſput. 6. Quæſt. 1. Puncto 7. num. 3. & 4.*

Gratia interpretanda ampla.

Quod, vt ſuperiùs admonui, in illis, quæ pro Indiis conceduntur, eſt ſpecialiter aſſerendum, quia tituli pro fauore reſpectu illarum multiplicantur, vnde & fauor debet ampliari. vide *num.* 494.

Indulgentia promouentibus à Societate in itinere pro negotijs fidei.

495 In eadem Innocētij Bullâ ſequentes indulgentiæ cōceduntur. Plenaria iis, qui de Societate in itinere pro fidei negotio ſuſcepto moriuntur. Et illa non ſolis Sacerdotibus, ſed omnibus aliis eſt communis. Fidei autem negotium magnam habet latitudinem: & tale eſt omne illud, quod ad infidelium conuerſionem ſpectat, vel ad promouendos Neophytos in Chriſtiana religione: ſiue Sociorum adducendorum cauſſâ pro Euangelicis miniſteriis profectio inſtituatur, ſiue pro obtinendis à Sede Apoſtolicâ ad promotionem dictam facultatibus, vel à Rege Catholico pro eodem litteris impetrandis, aut pro ſubmouendis Indorum oneribus: quia & hoc negotium fidei eſt, quandoquidem eò tendit, vt ſic Indi ad fidem Chriſtianam auidiùs & robuſtiùs afficiantur. Et ad hunc modum poſſunt alia, quæ ſunt multa, cumulari.

Indulgentia pro Scholaſticis.

496 Poſt Indulgentiam prædictam ſic ſubditur: *Scholaribus vero in vtrâque Indiâ exiſtentibus, ac Confraternitati Beatæ MARIÆ Virginis ibi canonicè inſtitutæ adſcriptis, qui in Annuntiationis, & Aſſumptionis Beatæ MARIÆ Virginis feſtis, dictum Sanctiſſimū Euchariſtiæ Sacramentū ſumpſerint, & Coronam vel tertiam partem Roſarij recitauerint &c. plenariam omnium peccatorum indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus.*

Confraternitatem nomine Congregationes deſignatæ.

Vbi difficultas eſſe poteſt an Confraternitatis nomine veniant Congregationes, quibus Scholares Societatis & alij canonicè adſcribi ſolent, quatenus id fit iuxta formam ab Apoſtolicâ Sede diſpoſitam, & videtur planè ita dicendum, quia in Societate pro Scholaſticis aliæ non ſunt Confraternitates: id quod benè notum Pontificibus, à quibus inſtitutæ, amplificatæ, vel gratiis ſunt ac Indulgentiis exornatæ: & præterea ex ſupplicantium narratione, qui pro illis Indulgentias tales exorarunt. Id quod manifeſtiùs conſtat ex conceſſione temporariâ, quæ habetur verb. *Indulgentiæ* §. *Pro Scholaribus*, in quâ idem conceditur. Et in titulo §. ſic habetur. *Pro Scholaſticis Congregationis Beatæ MARIÆ.* Pro quo etiam eſt conceſſio Gregorij XIII. in Bullâ, quæ incipit, *Omnipotentis Dei. die* 5. *Decemb. Ann.* 1584. quæ de inſtitutione Congregationis Annuntiatæ, & aggregatione aliarum eſt tota.

Pro alijs item.

497 Scholaribus alios etiam Pontifex ſummus adiungit, ita dicens: *Nec non vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus aliquam ex Confraternitatibus canonicè erigendis ingreſſis, qui in Feſtiuitate Sanctiſſimi Corporis Chriſti, & illius Octaua, pœnitentes ſimiliter & confeſſi idem Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, & in cuiuſlibet eorum vtriuſque ſexus Chriſti fidelium mortis articulo etiam pœnitentibus & confeſſis, ac ſacrâ Communione refectis, aut ſaltem contritis, ſi confiteri & communicare*

Digitized by Google

nicare non potuerint : plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Sic Conceſſio. Vbi ſimiliter quod de Confraternitate dicitur, de Congregationibus accipiendum, in quibus viri pariter & mulieres poſſunt adſcribi. Etſi id aliunde non haberetur, ex hujuſmodi ſanè conceſſione, & ſimilibus aliis Pontificum poſſet abundè fundari. Sic enim Paulus V. ſic Vrbanus VIII. ſunt locuti. Extat autem ampliſſimum Sixti V. circa hoc Indultum in Bulla ſpeciali, quæ vnica pro Societate Pontificis hujus habetur, in qua erigi Congregationes quorumcumque Chriſti fidelium in Eccleſiis, & Domibus Societatis concedit, & facultatem Præpoſito Generali Primariæ eaſdem aggregandi, vt omnibus, quibus illa, priuilegiis & gratiis potientur.

Indulgentiam pro mortis articulo ad Scholaſticos extendi.

498 Illud autem circa gratiam prædictam inquirendum occurrit, an quod pro Indulgentia in mortis articulo dicitur, ſit etiam ad Scholaſticos referendum: cùm enim de illis nihil tale dictum ſit, & diuerſus pro aliis dies ad lucrandũ Indulgentiam extra mortis articulum aſſignatur, diuerſa eſſe penitus diſpoſitio videtur. Nihilominùs fauor prædictus omnes præfatos amplectitur, quia ſub vnâ clauſulâ continentur, & commodiſſimè ad illos poteſt referri: cùm prætereà non ſit vlla ratio Scholaſticos excludendi. Omnes enim ad idem Congregationis Virginis gremium pertinent; omnibus Confeſſionis, & Communionis onus imponitur; licet diuerſi ſint pro illis dies, quia eos, qui Scholaſtici non ſunt, optat Pontifex ad celebrationem Feſti Corporis Chriſti fructuosè concurrere, & tunc Communionem frequentare, ſciens Scholaſticos circa hoc eſſe frequentiores, per menſes ſingulos fructum arboris vitæ deguſtantes. Quod ergo tandem additur de Indulgentia pro mortis articulo, ad omnes eſt competitum pertinere. Et fauet quidem non obſcurè contextus poſtremis illis verbis: *Plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam &c.* Illud enim *Similiter* Indulgentiam eam indicat, de qua proximè dictum: nulla autem alia proximè præceſſerat, niſi quæ pro Scholaſticis fuerat conceſſa. Mens ergo Põtificis eſt omnes illâ in articulo neceſſitatis extremæ potiri. Quòd autem clauſula in aliquâ Diſpoſitione poſita, ad omnia in illâ contenta referatur, quando omnium eſt eadem ratio, communis doctrina eſt, pro qua Menochius de Præſumptionibus *Præſumpt.* 181. *num.* 2. & licet hic in rigore non ſit communis clauſula, iuuat ea doctrina ad intelligendum rationem eamdem in iis repertam, pro quibus fauorabilis diſpoſitio procedit, magnum eſſe paris effectus argumentum. Et quamuis non ſit clauſula expreſſa, eſt tamen tacita, & ſimilitudinis nota efficaciſſima pro eodem.

Roborata probatio ex conceſſione alia pro Scholaſticis ſubſecuta.

499 Et roboratur ampliùs ex eo quòd ſtatim de Scholaſticis ſermo ſuccedit; vt ea quæ dicta fuerunt, ad eos ſpectare non videatur poſſe in dubium reuocari. Succedit autem, dum eiſdem pro Feſtis Virginis, Natiuitatis, & Reſurrectionis Domini, ac etiam Pentecoſtes, Confeſſis & ſacrâ Communione refectis decem annorum Indulgentia conceditur: ſic enim intelligendum illud quod dicitur, *ſi confeſſi & contriti præmiſſa perceperint.* Præmiſſa autem fuerant Cõmunio, & recitatio Coronæ, aut tertiæ partis Roſarij. Quamquàm alius eſſe ſenſus poſſit, quòd ſcilicet non requiratur Communio, vt in prædictis Feſtis Indulgentia dicta obtineatur; immò neque Confeſſio, ſi contritio adſit. Pro quo obſeruare iuuat id quod dicitur, *Qui in ſingulis eiuſdem Virginis feſtiuitatibus*: ergo & in Feſtiuitatibus Annuntiationis, & Aſſumptionis: atqui pro illis Indulgentiam plenariam conceſſerat Pontifex: ergo dum hoc loco limitatam concedit Communionem non exigit, immò neque Confeſſionem; dummodo contritio ſuffragetur. Id quod vlteriùs poteſt efficaciter comprobari ex Bulla Gregorij X. citatâ de inſtitutione Congregationum: in ea enim congregatis, qui in diebus Natiuitatis, & Aſcenſionis Domini, Annuntiationis, Aſſumptionis, & Conceptionis, ac Natiuitatis Virginis, ritè confeſſi communicauerint, plenariam Indulgentiam elargitur. Quæ gratia ad omnes Congregationis Primariæ aggregatas virtute conceſſionis Sixti V. de qua *num.* 496. eſt pariformiter propagata. Et eſt talis conceſſio perpetua. Qui ergo fieri poſſit vt Succeſſores Pontifices hæc ſcientes, pro eiſdem diebus Indulgentiam limitatam tempore & virtute conceſſerint eadem prorſus facientibus; immò & plus aliquid, dum ab eiſdem recitatio Coronæ, aut tertiæ partis Roſarij poſtulatur? Minus ergo conceditur, quia minùs petitur, ſola ſcilicet contritio cũ recitatione dictâ.

Notandus ſenſus conceſſionis iuxta datam explicationem.

Indulgentia pro intereſſentibus Proceſſionibus Quadrageſimæ.

500 Additur ſtatim in hunc modum: *Eos quoque qui in ſingulis diebus Veneris cuiuſuis quadrageſimæ deuotè proceſſionibus publicis, in partibus & locis tranſmarinis ad orandum pro conuerſione Gentilium & hæreticorum prædictorum, iuxta ritum Eccleſiæ Romanæ inſtitutis interfuerint, trium annorum: reliquis verò omnibus eiſdem proceſſionibus præſentibus contritis & confeſſis vnius anni Indulgentiam elargimur.* Hæc ibi. Poſſunt ergo iuxta illa tales Proceſſiones inſtitui, neque eas Prælati penitus interdicere, niſi pro re natâ inconueniens aliquod occurrerit, ratione cuius non videatur voluntati Pontificis in conceſſione huiuſmodi contrairi. Et ita quidem aliqui præſtiterunt, Proceſſionibus aliàs inſenſi, quæ fieri à Religioſis ſolent in Quadrageſimâ, Indis aut Æthiopibus conuocatis: oſtenſo enim Societatis priuilegio, eidem morem gerendum cenſuerunt. Licet enim in eo non exprimantur Proceſſiones à Religioſis Societatis ſpecialiter faciendas; quia tamen priuilegium eiſdem conceſſum, & ad eorum inſtantiam impetratum, ipſis circa vſum ſpecialis copia facta; licet aliquando Prælatis mos gerendus circa hoc fuerit, moleſtè ferentibus Proceſſionum talium frequentiam, ne iis inuitis occaſio contentionum eſſet, quod eſt ad fouendam conceſſum pietatem. Fuerat autem ſimile priuilegium conceſſum à Gregorio XIII. & extat illud in Compendio Indico. Verb. *Indulgentia* 2. §. 13. Sed temporale illud, & *Anno* 1603. finitum. Erat autem amplior Indulgentia, quia decem annorum, & totidem Quadragenarum: debent tamen cum Neophytis & Chriſtianis aliis doctrinam Chriſtianam recitare, aut priuatim docere: vnde qui priuatim eo miſericordiæ vterentur officio, etſi non recitarent doctrinam in Proceſſionibus, Indul-

Antiquior alia, & amplior.

Digitized by Google

Indulgentiam obtinerent. Docere autem priuatim non eſt ſemel aut iterùm inſtruere, ſed ita inſtructioni inſiſtere, vt Neophyti mediocriter ſaltem, niſi ſumma eorum obſiſtat ruditas, inſtructi euaſerint. Videtur autem de inſtructione Neophytorum conceſſio procedere, de quibus mentio inducta, Indorum ſcilicet, Æthiopum, aliorumque Indiæ vtriuſque. Et ita non ſufficeret eorum inſtructio, qui Neophytorum nomine non veniunt, vt ſunt Hiſpanorum filij, & alij forſitan grandiores. Et Indulgentiam huiuſmodi vt perpetuam admittent, qui omnia priuilegia, facultates, & gratias talia eſſe contendunt, vnde præfatam explicationem oportuit adhiberi: & quia eadem inferiùs in Bulla Innocentij continentur.

Orandum in Proceſsionibus, & qualiter.

501 Vt verò Indulgentiæ ſecundùm formam nouioris conceſſionis obtineri poſſint, ea obſeruanda, quæ à Pontificibus præſcribuntur: quòd ſcilicet Proceſſiones fiant *ad orandum pro conuerſione Gentilium & hæreticorum.* Debent ergo in ordine ad hunc finem orationes fieri, & ita Litaniæ recitandæ de more Eccleſiæ, vnde non eſt ita accommodata recitatio Pſalmi 50. aut alterius ex Pœnitentialibus. Vel admonendi in Proceſſione futuri vt clamores dicti Pœnitentiū in eum finem dirigant, vt Deum ſic placatum reddant, & eo pacto ſupplicationis finem iuxta mentem Pontificis conſequantur. Debent præterea Proceſſiones iuxta Romanæ Eccleſiæ vſum inſtitui. Vſus autem Romanæ Eccleſiæ eſt, qui habetur in Rituali Pauli V. licet non ſit neceſſarium ad vnguem ſeruari, neque ſeruari ea, quæ ex Petro Gregorio habet Barboſa de Poteſtate Epiſcopi. *Allegat.* 78. *num.* 1. vt ſcilicet præcedat Clerus cum vexillis, Crucibus, & Cereis, ſequente populo: id enim in Proceſſionibus fieri ſolitis in Indijs de quibus loquuntur Pontifices, non ita eſt in vſu: neq; enim ad illas Clerus cōcurrit, ſed hinc inde procedentibus per ordinem Neophytis, geſtantur vexilla cum Crucibus, & imagines Virginis, & Saluatoris Crucifixi cum cereis accenſis; & cantu. Deberet autem Crux præcedere, quia hoc ad ritum Romanæ Eccleſiæ ſpectat: neque enim Cruces; quæ in vexillis eminent, videntur ſufficientes, & aliquis in fine ire Sacerdos pluuiali ornatu, quòd item de more eſt. Quod enim aliqui aiunt has non eſſe proprias & formatas Proceſſiones, minimè videtur admittendum; quia ſi tales non ſunt, neque erunt pariter, quæ à Pontificibus in ſuis conceſſionibus memorantur, & ita neque aptæ, vt ratione illarum Indulgentiæ obtineantur.

Ritus Romanæ Eccleſiæ qualis in eiſdem futurus.

Conceſsio pro liberandis à Purgatorio animabus morientiū in itinere pro negotijs fidei.

502 Pietas deinde Pontificia progreditur, de eorum felici requie ſolicita, qui pro cauſſis fidei nauigationem aggreſſi, in eadem moriuntur, & ſic indulget: *Quodque pro animabus eorum Chriſti fidelium, qui in prædictis vtriuſque Indiæ nauigationibus pro negotio fidei inſtituendo ab humanis in charitate Chriſti coniuncti deceſſerunt, confeſſi ac ſacra Communione refecti, tertiam partem Roſarij aut vnam Coronam recitauerint; quoties id agent, toties per modum ſuffragij vnam ex dictorum animabus à pœnis Purgatorij liberare valeant.* Sic in Bulla Innocentij citata: vbi quod ad negotium fidei attinet ſic exponendum, vt *num.* 494. à nobis dictum. Licet autem pro morientibus in nauigationibus gratia iſta proueniat; idem dicendum de morientibus, dum per terram iter faciunt, quia eadem eſt ratio, & fortè maior. Eſt namque Indulgentia iſta illi affinis, de qua *num. citato.* Ibi autem non eſt tantùm pro morientibus in nauigationibus, ſed, vt ibidem dicitur, *In qualibet vtriuſque Indiæ regione, vel Oceani inſula, aut nauigatione.*

503 Pro Scholaſticis tempore Interdicti, & Ceſſationis à diuinis priuilegium additur, ſicut & pro Presbyteris Societatis. Id autem quod ibi conceditur, aliàs licet, vt videri poteſt in Compendio communi, verb. *Interdictum.* §. 1. vbi ſolùm cauetur, vt interdicti excludantur, & aliis poſſint Sacramenta miniſtrari. Quòd ſi Sacramētorum adminiſtratio licet, multo magis ad audiendum Sacrum licebit admiſſio. Licet autem ibi non fiat mentio Ceſſationis à diuinis: ex conceſſione tamen Leonis X. de qua §. 6. habetur vt illius eadem ratio habeatur in foro conſcientiæ. Pro foro ergo externo poterit priuilegium Indicum deſeruire, ſi Ordinarij circa hoc moueāt quæſtionem: in eo enim abſoluta conceſſio eſt. Illud autem ante omnes alios conceſſerat Gregorius XIII. vt conſtat ex Compendio Indico verb. *Interdictum.* vbi §. 3. ſic dicitur: *Poſtremò verò eiuſdem Pontificis conceſsione obtentum eſt, vt idem poſſint noſtri Presbyteri; non præſentibus huiuſmodi Scholaribus, ſed alijs Religioſis de Societate, vt habetur in viuæ vocis Oraculis, pag.* 99. Sic ibi. Quod equidem mirum accidit, à Pontifice ſcilicet tale aliquid poſtulatum, quod per conceſſionem Pauli Tertij expreſſum habebatur, vt conſtat ex Bulla, quæ incipit, *Licet debitum.* Alicuius ergo ſcrupulo conceſſione præfatâ à Pontifice ſatisfactum. Quòd ſi illa effectum aliquem habere ſpecialem poteſt, perpetua eſt, quia vim declarationis habet, & ita non eſt cum Oraculis reuocata, ſicut priuilegium dictum eiuſdem Pontificis *Anno* 1603. cum aliis terminatum.

Priuilegium pro Scholaſticis tempore Interdicti & ceſſationis.

Aliud pro Presbyteris Societatis.

Indulgentia alia, & ingens conceſsio pro Indulgentijs Stationum.

504 Aliæ deinceps Indulgentiæ viſitantibus Eccleſias aut Capellas Societatis conceduntur, in quibus additur, *& vt ſuprà orauerint*; videlicet *pro Gentilium & hæreticorum conuerſione,* iuxta conceſſionem, de qua *num.* 490. Eſt autem inſignis illa, iuxta quam non vna aut alia, ſed Indulgentiarum poteſt cumulus obtineri: ſic enim illius tenor: *Eiſdem, qui aliquam ex prædictis Eccleſiis dictorum Presbyterorum Societatis IESV, Quadrageſimæ, & alijs temporibus Stationum Vrbis, Dominicis, & Feriâ ſextâ diebus viſitauerint, eaſdem omnes & ſingulas Indulgentias concedimus, quas conſequerentur, ſi Eccleſias, & Baſilicas Vrbis in diebus Stationum huiuſmodi deuotè viſitarent.* Sic ibi. Quantum autem hoc ſit ex eo poteſt intelligi, quod Auctores dicunt, qui Bullam Cruciatam exponunt, & de Indulgentiis Stationum Vrbis inquirunt, quæ illam accipientibus, & Eccleſias viſitantibus, ſecundum formam ibidem præſcriptam, conceduntur. Dum autem *Eiſdem* dicitur, illi deſignantur, de quibus immediata locutio præceſſerat in §. *Inſuper*: nam hæc particula nouam diſpoſitionem indicat ab antiquis diſtinctam Cap. *Statutum* §. *Inſuper*, de Reſcriptis, vbi Doctores. Sunt autem *ijdem* omnes vtriuſque ſexus Indiarum incolæ, & debent intelligi cum qualitatibus adiectis, quòd ſcilicet deuotè viſitauerint, & orauerint, ſicut *num.* 490. dictum eſt.

Digitized by Google

Nam referens continet quid, quale, & quantum eſt in relato. *L. Aſſe tota. D. de hæredib. inſtit.* Pro quo Cardinalis Tuſchus. verb. *Relatum, Concluſ.* 129. per totam: & hæc quidem conceſſio amplior eſt quoad dictos dies, quàm illa, quæ per Bullam Cruciatam habetur, quia in eâ non plurium Eccleſiarum aut altarium viſitatio requiritur, ſed vnius Eccleſiæ: circa quod communis forma in huiuſmodi viſitationibus ſeruari ſolita, eſt tenenda, de qua Auctores, & nos *Titulo 5. num.* 304. *&* 305.

Pro Ferijs ſextis Indulgentia ſpecialis.

505 Nec parui pendenda Indulgentia alia præfatis contermina, tenoris ſequentis: *Illiſque, qui ſingulis diebus Feriæ ſextæ primæ hebdomadæ cuiuſque menſis eaſdem Eccleſias deuotè viſitauerint, & ibi quinquies Orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam, pro exaltatione Fidei Catholicæ recitauerint, ſeptem annos; in Feſtis verò Domini Noſtri* IESV *Chriſti, & Beatæ Virginis, Apoſtolorum, ſub cuius Titulo Eccleſia conſiſtet, decem annos.* Sic Pontifices in Bullis tenoris eiuſdem. Quia verò in illis, vt communiter circumferuntur, aliquid videtur deficere, cum præfatus tenor nequeat cum Grammaticæ proprietate conſiſtere; dum dicitur, *ſub cuius Titulo*, vbi pluralis debebat eſſe locutio, ſi ad præfatos referenda, & Eccleſiæ ſub aliorum Sanctorum Titulo poſſint conſiſtere, ſupplendum ex tenore Indulgentiæ eiuſdem, vt habetur in Compendio Indico. §. 10. vbi poſt verba, *& SS. Apoſtolorum*, ſic additur: *Ac feſtiuitate ſancti, ſub cuius Titulo Eccleſiæ conſiſtent, decem annos.* Quæ conceſſio eſt Gregorij XIII. & perpetua, Apoſtolicíſque Litteris roborata, vt §. 12. adnotatur. Quidquid ergo de temporariâ limitatione fuerit a tribus Pontificibus adiectum, Gregoriana conceſſio *manet, æternumque manebit*. Quomodo autem conceſſio illorum, qui Gregorianæ inſcij eſſe minimè potuerunt, cùm eadem omnino ſit, & cum circumſtantijs eiſdem, temporaria facta ſit, vel quare temporarijs alijs inſerta, quæ nouo robore non egebat: ſi quærat quiſpiam, vt iure optimo quærere poteſt? Reſpondendum eſt id propterea factum, quia ſtylus iam in conceſſionibus Indulgentiarum inualuit, vt quæ communes Religionibus non ſunt, aut earum ſingulis, cum limitatione temporis tribuantur. Licet ergo Pontifices dicti perpetuitatem Indulgentiæ prædictæ non ademerint, ſicut neque alteri conceſſioni, de quâ dictum *numer.* 499. voluntatem tamen ſuam circa prædictum ſtylum oſtenderunt; confirmantes quidem conceſſiones antiquas, ſed cum limitatione: vt ſi quidquam confirmatio profutura ſit, vltra tempus conceſſionis nequeat prorogari. Sic etiam *ſuperiùs* circa priuilegiorum conceſſionem philoſophati ſumus. Et eſt præterea ratio alia, quia Gregorianæ conceſſioni aliquid eſt adiectum in hunc modum: *His autem, qui aliquam ex dictis Eccleſijs poſtquàm confeſſi, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, viſitauerint, viginti annos.* Quod quidem & à Gregorio conceſſum, vt conſtat ex §. 11. Sed cum ſpeciali onere, ſic enim ibi: *Præterea, qui in aliquâ ex dictis Eccleſijs peccata ſua confeſſi fuerint, vel Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, quoties id fecerint, toties viginti annos. Idem Gregorius, &c.* Vt ergo iuxta huiuſmodi conceſſionem poſſit quis Indulgentiam conſequi, debet aut confiteri aut communicare in Eccleſiâ Societatis. Quam tamen obligationem alij ſuſtulêre Pontifices, Eccleſiæ viſitatione contenti, etiamſi alibi confeſſi fuerint, & ſacrâ Communione refecti. Quoad hoc ergo temporalis conceſſio eſt, & ideò potuit tota conceſſionis ſeries vt temporalis proponi.

Perpetua ex Gregor. XIII. conceſſione.

Cur ab alijs temporalis.

Quid per illos adiectum.

Onus ſpeciale à Gregorio additum.

Pro inſeruientibus in Xenodochijs Indulgentia peculiaris.

506 Non modicâ inſuper æſtimatione digna eſt Indulgentia alia, quia quotidiano poteſt miſericordiæ officio immenſus inde theſaurus comparari. Sic ergo Pontificia liberalitas: *Inuiſentibus autem infirmos, & præſertim Indorum Hoſpitalia, & alia ſimilia loca pia, ipſis etiam infirmis per ſe, vel alium miniſtrando, ſingulis diebus, quibus id fecerint, viginti quinque; qui verò ad infirmos accedentes, ibi pernoctauerint, quinquaginta dies de iniunctis eis, ſeu aliàs quomodolibet debitis pœnitentijs, in formâ Eccleſiæ conſuetâ relaxamus, ac reſpectiuè concedimus & indulgemus.* Sic in citatâ Bullâ, & in alijs duorum Pontificum memoratis. Vbi Hoſpitale, Xenodochium, & loca pia idem deſignant, diuerſis licet nominibus compellentur: domus enim ſunt, in quibus ad hoſpitium ſalutare infirmi pauperes admittuntur. In illis ergo, ſiue latinè ſiue Græcè nomen acceperint, eadem nominis vtriuſque ſignificatione, ſiue quocumque alio, qui ſic admiſſos inuiſunt, & eiſdem inſeruiunt, Indulgentiâ prædictâ potiuntur. Poſſunt autem per ſe, vel per alios inſeruire, per filios inquam, aut famulos. Neque id propterea tantùm eſſe debet, quòd ipſi impediti ſint, quo minùs inſeruire poſſint; nam licet nullo laborent impedimento, lucrari Indulgentiam poſſunt, dummodò inuiſant: accedant inquam, alloquantur, ſolentur, & aliquod per ſeipſos officium charitatis exerceant; id enim inuiſendi verbum importat. Volunt autem Pontifices Indorum Hoſpitalibus ſpecialis beneuolentiæ affectum oſtendere, dum aiunt, *& præſertim Indorum Hoſpitalia*; cum aliàs nihil ea inuiſentibus peculiare concedant. Et poteſt obtineri Indulgentia cuiuſcumque infirmi viſitatione, etiamſi in domo propria ſit, aut alibi, dummodo illi aliquomodo per ſe, vel per alium ſeruiatur; quia conceſſionis forma non ampliùs exigit, licèt circa Indos in Hoſpitalibus iacentes ſpecialiùs velint officia pietatis exerceri. Dictio enim *Præſertim* implicatiua eſt, vt Iuriſperiti loquuntur: indicant enim idem eſſe in caſu alio, licèt in illo fortior militet ratio, iuxta ea, quæ adducit Euerardus in loco *A natura dictionum implicatiuaris, num.* 1. & Guttierez *Libro* 1. *Quæſt. Canon. Quæſt.* 20. *num.* 5. Fuerat autem multò amplior conceſſio Gregorij XIII. qui non dies, ſed annos Indulgentiæ, viginti ſcilicet quinque, & quinquaginta inuiſentibus & ſeruientibus erogarat. Sed fuit illa cum multis aliis *Anno* 1603. finita. Qui autem perpetuam cum alijs volunt, eo poterunt ſuæ conſcientiæ ſolatio in opere adeò Deo grato, & à Pontificibus expetito, miniſtrare.

Etiam extra Hoſpitalia poſſe obtineri.

Vis particulæ Præſertim.

Pro Imagine Virginis Romæ Miſsâ Indulgentia ſingularis.

507 Indulgentiarum poſtrema in prædictis Bullis ſic habet: *Eis etiam, qui coràm Beatæ* MARIÆ *imagine ab alma Vrbe ad Collegium Ciuitatis Limæ in Peru, vt aſſeritur, delata, tertiam Roſarij partem, vel Coronam recitauerint, centum ſimiliter dies, de iniunctis eis, ſeu aliàs quomodolibet debitis Pœnitentijs, &c.* Imago hæc parua quidem, ſed veneratione digni-

dignisſima, à Beato Franciſco Borgia, cùm Societatis eſſet Præpoſitus Generalis, dono eſt ſingulari tranſmiſſa, quæ & ſingulari ornatu, ac peculiari cultu, deuotoque multorum concurſu celebratur. Et in conceſſione pro illâ id ſpecialiter obſeruandum occurrit, quòd cum Indulgentia pro ſeruientibus infirmis, quando officium charitatis adeò excellit, vt apud eos quis ſeruiturus plenè pernoctet, quinquaginta dies non excedat: recitantibus tamen tertiam Roſarij partem, vel Coronam coràm dicta Imagine, duplò maior Indulgentia, dierum ſcilicet centum, concedatur. Minor ergo labor, in quo moleſtiæ nihil, tædij, aut horroris interuenit, vt interuenire ſolet, dum infirmis in Hoſpitalibus, pernoctatione præſertim apud eoſdem, miniſtratur, maiori donatur præmio: quia excellentia Virginis, cui tale præſtatur obſequium, ſuo id iure videtur promereri.

Specialis obſeruatio pro excellentia Virginis commendanda.

Eſt autem Indulgentia alia prædictæ par, cuius appoſitione viui iſti pietatis Pontificiæ claudendi, qui noſtra tractatione fluxerunt, & habetur §. 12. vbi ſic dicitur: *Facientes inſuper ſuæ conſcientiæ examen, & de peccatis per eos commiſſis verè pænitentes, quoties fecerint, centum dies. Ex Litteris pro Indijs Gregorij XIII.* Magnum ergo aliquid in conſcientiæ reperitur examine, cùm illud pietatis officijs erga infirmos præferatur, & obſequio Virginis duplò maioris præmij, prærogatiua Pontificum exæquetur. Tria hæc qui ſtudioſè peregerit, ô quàm ille felix! dum felicitatis egregia pignora numero fauſto connectit; quæ ne excidant, duo verſiculi beneficio memoriæ comprehendent. Sequentes excipe

Pro facientibus conſcientiæ examen Indulgentia æqualis.

Saluus eris MARIÆ *obſequio, ſi ſeruis egenis;*
Si dolor erratis quotidianus adeſt.

Circa Catechumenos doctrina vtilis, nonnullis alijs adiectis.

Catechumenos poſſe lucrari Indulgentias.

508 ILlud tandem adiiciendum Catechumenos poſſe lucrari Indulgentias, ſi in ſtatu gratiæ ſint; iam enim voto Baptiſmum ſuſceperunt, & facti ſunt Chriſti membra; immò & Baptiſmo fluminis baptizati, vnde & pro illis ſumi Bullæ defunctorum poſſunt. Sic Doctores, quos adducit & ſequitur P. Quintanadueñas *Tomo 2. Tractat. 6. Singulari* 8. Vbi illud ſpeciale addiderim, quòd ſi, dum Baptiſmi ſuſceptio differtur, etiamſi id culpabili Catechumeni contingat incuriâ, Indulgentia aliqua, vel Iubilæum publicetur; poterit ille ſuſcepto poſteà Baptiſmo, & ea faciens, quæ pro obtinendis gratijs huiuſmodi præſcribuntur, eaſdem obtinere. Licèt enim Baptiſmo remittantur peccata omnia, & illis debitæ pœnæ; poſt illum tamen poſſunt alia committi, & pro illis Indulgentiarum ſubſidium adhiberi. Id probo ex conceſſione Gregorij XIII. de quâ verb. *Indulgentiâ*, §. 18. in Compendio Indico, vbi ſic dicitur: *Pænitentes autem, qui culpabili indiſpoſitione impediti erunt, eamdem Indulgentiam conſequi poterunt, vbi primùm abſtulerint impedimentum, & communicauerint, & etiamſi iam dies ad Indulgentiam obtinendam conſtitutus præterierit; ita habetur in viuæ vocis Oraculis, paginâ* 100. Sic ibi. Et perpetua quidem Indulgentia eſt, cui non obſtare per viuæ vocis Oraculum haberi, iam diximus: neque pro Orientali Indiâ conceſſam; cùm adeò probabile ſit generales Indulgentias eſſe communes. Quod autem ibidem dicitur: *Vt quando in Indiâ Orientali conceditur plenaria Indulgentia ijs, qui confeſſi fuerint, & ſacram Euchariſtiam ſumpſerint; obtineri poſſit ea Indulgentia etiam ab ijs, quibus per ætatem, vel aliud legitimum impedimentum (ſine eorum tamen culpa) communicare non licet; ſi tamen cetera omnia peregerint.* Non ita eſt accipiendum, vt tantùm debeat intelligi de Indulgentijs, quæ in ſpeciali pro Indijs conceduntur, ſed pro quibuſcumque alijs, etiam vniuerſo Orbi Chriſtiano communibus: verè ſiquidem de illis dici poteſt in Indijs concedi, & omnium eadem eſt ratio. Immò pro generalibus maior eſſe ratio poteſt, quia ſolent eſſe illæ rariores, vt Anni ſancti, & ſimiles; quibus æquiſſimum eſt nullum fidelium defraudari. Quod ad Catechumenos verò attinet, cùm in illis eadem ratio ſit, quæ in alijs, & cum omni proprietate verificetur culpabili indiſpoſitione eſſe impeditos (ſi autem inculpabilis ſit, ratio eſt manifeſtior) poterit prædicta locum habere conceſſio: quæ cùm aliàs fauorabilis ſit, & in fauorem fidei ſpecialiter, ex eo capite etiam amplianda, iuxta ſæpiùs dicta & ſpecialiter *Cap. 2.* Et hæc pro priuilegijs ſatis, vt iam ad alia.

Etiamſi ante Baptiſmum publicentur. Caſus ſpecialis.

Priuilegium peculiare pro Indijs.

Conceſſionem locum habere etiã pro Indulgentijs non conceſſis ſpecialiter pro Indijs.

Ad Catechumenos applicatio.

Digitized by Google

TITVLVS XIII.

DE INDIARVM EPISCOPIS, PRO EXPLICATIONE ONERVM, QVÆ CONSCIENTIIS IPSORVM INCVMBVNT.

Epiſcoporũ periculoſa onera.

1 SUnt illa multa & magna, ſola Epiſcopali celſitudine, quæ illis eſt cum alijs communis, expenſa; vt exclamare idemtidem cum magno animi ſenſu B. Thomas de Villa-Noua, Epiſcoporum illuſtriſſimum exemplar, cogeretur. *Domine, ne excludar numero* Beatorum, *quia fui de numero Prælatorum.* Quo in timore confortatus à Chriſto, vt refert P. Balinghem in Kalendario Virginis, *die* 28. *Septembris.* Vtinam multi, vtinam omnes ſic mereantur confortari. Sed neſcio an omnes capiant verbum iſtud. Multi non per oſtium, ſed aliunde in ouile aſcendunt, qui neque ingredientes, neque egredientes paſcua cœleſtia reperient. *Qui pro ſe rogat, jam judicatus eſt*, ait D. Bernardus *Lib.* 2. *de conſideratione, cap.* 5. & quotuſquiſque eſt, qui non roget, & rogari potiùs expectet, vt dicat inuitator: *Amice aſcende ſuperiùs*: ſunt ſanè aliqui, non negabo, ſed quod illi, qui non rogantes rogentur: dum qui rogant, vix locum non rogantibus eſſe permittant. Non ergo vanus Beati illius timor Antiſtitis, qui apud Thomam Cantipratenſem legerat *Lib.* 1. *Cap.* 20. dixiſſe quemdam viuis exemptum, qui Epiſcopatui pertinaciter fuerat reluctatus: *Quod in vitâ ſemper timui, nunc ſcio*: ſcilicet, *quod ſi Epiſcopatus Cathedram aſcendiſſem, in damnationis perpetua periculũ incidiſſem.* Quàm autem ſit talium horrenda damnatio ex narratione conſtare poteſt, quæ apud P. Hieremiam Drexellium extat in Tribunali Chriſti *Lib.* 2. *Cap.* 8. *Pagina mibi* 485. vbi ita ſcribit: *Non abſimile quod bonæ fidei ſcriptor commemorans: vir nobilis, inquit Gualterus de Mere, vnus aliquis è Caroli V. Cæſaris aulico famulitio, ad partes Boreales Iſlandiam verſus nauigans, ex aduerſo nauim magno impetu ferri, & in puppi tetrum monſtrum, Æthiopem nigerrimum, pro nauarcho conſidere vidit, Gualteri nauta pro more acclamans, quid mercium vectarent, quoùe tenderent, quæſiuit. Cui Nauarchus ater reſpondit; Archiepiſcopum vehimus (nomini parcitur) & ad montem Heclam tendimus. Mons eſt aſſiduis incendijs, perinde vt Æthna, terribilis. Hoc vbi Gualterus audijt, totus contremuit, & vitæ rationes ſecum ſubducere orſus, quàm primùm Leidam appulit, in Religioſam D. Franciſci familiam ſe dicauit, vt rerum humanarum curâ ſolutus, Deo liberius operaretur; magiſtrum ſui tyrocinij habuit Guilielmum Delphenſem, qui hæc domi meæ, inquit ſcriptor, multis honeſtiſſimis viris præſentibus exactè narrauit.* Hæc ille, & quis ad ea cum Gualtero non etiam totus contremiſcat? Damnari Archiepiſcopos non eſt metaphyſicè tantùm, ſed etiam moraliter poſſibile: quidquid de multis probatiſſimæ virtutis ſit, qui velut luminaria Eccleſiæ antiquiorum temporum memoranda exemplaria repræſentant.

Et periculum ab ingreſſu non per oſtium.

D. Bernardus.

Damnationis quàm fundatus timor.

Damnati Archiepiſcopi horrẽda narratio.

Maius Indicorum periculum ob maiores eorum obligationes.

2 Quod ſi tantùm in eâ eſt dignitate periculum, Indicis profectò Præſulibus maius imminet, ob multa, quæ in his regionibus conſcientiæ offendicula repeeriuntur. Debentur ſanè conuerſioni, de quâ agitur, & Chriſtianorum morum ſtabilimento, viri vndequaque Apoſtolici: quod arduum, ac ſublime negotium ad eos præſertim ſpectat, quos Apoſtolis præclaro in munere conſtat ſucceſſiſſe: vt declarat Concilium Tridentinum *Seſſione* 23. *Cap.* 4 verbis illis. *Epiſcopos, qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt.* Quales ergo ſint oportet, qui talium loco ſufficiuntur? Cui generali reſpectui ſpecialis alter accedit: conuerſionis inquam Gentilium, in quâ ſumus, & nouæ Eccleſiæ, primitiuæ illius emulæ, fundationis, de quâ dici poſſit non habere maculam, neque rugam, aut aliquid huiuſmodi; juxta Chriſti ſcopum ab Apoſtolo declaratum. *Epheſ.* 5. Quod quidem Limenſe Concilium grauiter, & eleganter exequitur. *Actione* 3. *Cap.* 1. verbis illis: *Quòd ſi vbique quidem Apoſtolorum ſucceſſores Epiſcopos, Apoſtolicam etiam doctrinam, & vitam referre*

Concilium Limenſ. 3.

par

par eſt: tamen propriâ quadam, & peculiari ratione, vbi Gentes ad Euangelicam lucem primùm vocantur: quod in hoc altero orbe noſtrâ ætate, in quos fines ſæculorum deuenerunt, Dei Conſilio placuiſſe cernimus; ibi Apoſtolico verè muneri Epiſcoporum, Apoſtolicam quoque ſanctitatem, & lumen reſpondere debere, nemo eſt, qui non videat: non enim in ouile Domini eum nouus Chriſti grex rectè adduci, adductus rectè paſci poteſt, quandiu Paſtores non quæ JESU *Chriſti, ſed quæ ſua ſunt quærunt.* Hæc Concilium; & alia, quæ non poſſunt non obuia eſſe, & ſatis trita gregis nouelli Paſtoribus; qui cùm populorum ſint Magiſtri primarij conſtituti, non eâ egebunt tenuitate doctrinæ, quæ ex iſtis poteſt lucubrationibus noſtris hauriri.

Apoſtolici ſint oportet.

3 Ad illius tamen complementum nonnihil adiiciendum breui quadam obligationum ſerie propoſitâ, quibus fas non fuerit dictis dominis contraiſſe. Sic enim & Auctores communiter faciunt, qui dum in ſummis Moralibus, & eiuſmodi doctrinæ Tractatibus, generalia documenta conſcribunt, minimè ſibi prætereundos Epiſcopos arbitrantur. Quod quia in illis peruium, non eſt opus eos ſpecialiùs compellaſſe. *Accipiant ergo Illuſtriſſ. ac Reuerendiſſ. Præſules pupilla oculi Dei, columnæ Eccleſiæ, ſummi Sacerdotes, gerentes perſonam Chriſti, eiuſque Vicarij, Apoſtolorum ſucceſſores, munus hoc, quodcumque ſit.* Vt cum Minorenſi loquar Epiſcopo in ſuâ Praxi. Habent ſpeculum meliùs, in quo ſe poſſint intueri, Diuo Bernardo teſte, vel quocumque alio ſermonis illius Auctore ad Paſtores in Synodo Congregatos, ſic ſcribente: *Seculares in ſpeculis ſuis viſu cognoſcere ſolent pulchritudinem, aut turpitudinem ſuam. Alterius generis eſt ſpeculum veſtrum, in quo magis auditu, quàm viſu poteſtis attendere: quid deceat, & quid non deceat: quid impediat, quid expediat: quid ex debito veſtri officij vobis incumbat. Speculum veſtrum ſanctum Euangelium.* Hæc ille, & alia. Iuxta quæ illud mihi certum, ſi hoc ſpeculum ante oculos ſemper ſit, nihil in pupillis Eccleſiæ non decens, nitidumque futurum. Quod ergo nos dabimus, inde venit, & ex limpidis Canonicæ doctrinæ fontibus, vt non debeat contemptibile reputari. Sit ergo

De doctrina pro ipſis.

Thomas Zerola.

Eorum ſpeculum Euangelium.

D. Bern.

CAPVT I.

Ad Indicos Epiſcopatus damnabilis per munerum largitionem ingreſſus. Vbi caſus aliquot peculiares.

Quatuor neceſſaria pro Epiſcopis præſertim Indiarum, ex D. Bernardo.

4 DIuus Bernardus *Sermone ad clerum in Concilio Remenſi*, vel alius quiſpiam illius Auctor, ita loquitur: *Quatuor tamen his, qui præſunt in Eccleſia Dei, neceſſaria eſſe præ omnibus reor: videlicet, vt per oſtium intrent, ut in humilitate ſe contineant, auaritiam declinent, munditiam tam corde, quàm corpore ſeruare ſtudeant. Sed quid prodeſt ſi Canonicè eligantur* (quod eſt per oſtium intrare) *& non Canonicè viuant? &c.* Et quatuor quidem prædicta ad Indiarum Epiſcopos ſpeciali quadam ratione videntur pertinere, vt ſcilicet peculiari curâ conquiri debeant, quia apprimè illis neceſſaria propter dicta *n.2.* Et quia vt non adſint, occaſiones eſſe conſtat validiores, & de primo quidem loquendo, debent per oſtium ingredi, Canonicè inquam; cuius obligationis violandæ periculum ingens ex facultatum copiâ, dum ij, qui longius à Rege, & Regio Conſilio abſunt, nec merita poſſunt reddere oculis eorum præſentia, auri & argenti adminiculis abutuntur. Neque vllus eſt adeò proiectæ verecundiæ, vt dicere audeat; do, vt des: daturi ſiquidem dignioris, & nobilioris genij ſunt; vnde adinuentæ ſunt viæ, quas ignorauerunt Patres noſtri, vt dent, nec dare exiſtimentur, Epiſcopatuum ambitores. Vnde quæritur

Per oſtium intrare eſt Canonicè eligi.

5 Primò. An liceat dare aliquid operi pio applicandum, cuius intuitu præſentatio ad Epiſcopatum habeatur, aut illius per tertium impetratio. Circa quod P. Turrianus in ſelectis *Parte 2. Diſput. 16. Dub. 3.* Affirmatiuè reſpondet, ſicut & Ioannes de Soria, & Rocafull, quos adducit, nec improbat Diana *Parte 11. Tract. 6. Reſolut. 31.* Quia is, qui offert impetrationem, nihil accipit temporale pro Beneficio, aut interceſſione, ſed qui dat, mouet illum ad honeſtè operandum, & infidelis moueri ad conuerſionem poteſt munerum collatione, & puer vt Religionem ingrediatur; quia non datur per modum pretij. Sed ſolùm ad mouendam voluntatem, vt erga bonum afficiatur. Pro quo P. Thomas Sancius *Lib 1. de Matrimonio, Diſput. 39. num. 2.* In præſenti autem caſu non offertur pecunia impetraturo, ſed promittit quis facturum ſe actum bonum, & gratum illi, vt moueat illum ad impetrandum Beneficium: ſicut ſi filius promitteret Patri ſe facturum aliqua virtutum opera grata Patri, vt aliquid ipſi tribueret, non vt pretium rei ſpiritualis, ſed motus ex gratitudine, in quo non eſſet ſimonia, ſicut neque cum Pater aliquid offert filio, vt ab eo opera virtutum eliciat. Vnde & Beneficij collator poſſet illud promittere alicui vt moueret illum ad eleëmoſynam faciendam, non vt pretium, ſed vt actum honeſtum. Et idem iudicium eſt, ſi offerretur eleëmoſyna alicui loco pio, vt aliquis moueretur, ad impetrandum, vel conferendum habitum (ſic legendum & non actum) Religionis militaris, & licet Bulla Pontificia ſit, quâ prohibetur dari aliquid

An liceat dare aliquid operi pio applicandum.

Affirmantium ſententia, & eorum fundamenta.

 pretio

Digitized by Google

pretio æſtimabile pro impetratione Beneficij, ille caſum præſentem non comprehendit; quia reuerà non datur aliquid pro interceſſione, ſed vt alius ad actum, impetrationem inquam Beneficij, moueatur. Addere poterat, nec dari pro collatione, ſed vt alius ad illam, quæ & ipſa actus honeſtus eſt, etiam afficiatur. Quem dicendi modum adducit Diana Auctoris citati verbis: *Parte* 5. *Tract.* 14. *num.* 75. nihil de ſuo adijciens, vnde hæc probans: juxta ea, quæ ille circa hujuſmodi opinionum propoſitiones à ſe factas non ſemel proteſtatur. Habet etiam citatus Auctor reſolutionem eamdem. *Diſput.* 31. *Dub.* 74. Sed

Contrariū ſtatuitur.

6 Dico oppoſitum cum communi ſententia Doctorum, qui videri poſſunt apud P. Vincentium Tancredi. *Tract.* 2. *Libr.* 4. *Diſputat.* 32. *num.* 16. qui omnes conſtanter tenent eſſe ſimoniam deducere in pactum obligationem quamlibet antidotalem, cum promiſſione ſpeciali implendi illam; vnde & exemplum adhibent in obligatione mutui, ad quod nequit, qui Beneficium impetrare deſiderat, obligari, & ex eo arguo: quia non licet impetratio Beneficij, & multò minùs collatio facta ex conuentione accipiendi mutui: ergo neque ex conuentione cum obligatione dandi tertio, vel operi alicui pio. Illatio eſt clara, quia pro illa militat eadem ratio, quæ pro priori, quod ſic oſtendo: Nam dare mutuum eſt opus virtutis, & ita ad illud hortatur Chriſtus, Lucæ 6. *verſ.* 35. *Mutuum date.* Ergo poteſt aliquis Beneficium promittere vt ad opus hujuſmodi moueat mutuaturum. Item Beneficium impetrare & conferre, opus virtutis eſt, cùm ſit generaliter beneficium, & præterea vt tale ad Dei obſequium, & Beneficiarij bonum ordinetur: ergo poteſt quis mutuo promiſſo ad illud mouere, non quaſi pretio dato, ſed illo alio honeſto reſpectu. Quod autem pecunia detur Beneficium impetranti, vel conferenti, aut alteri tertio, nihil obſtat, quia id non tollit rationem honeſti operis, nec facit, vt quod pretium ex ſe non eſt, pretium reuera ſit. Immò inſtari euidenter etiam poteſt, vt non ſolùm liceat conuentio mutui, ſed etiam abſolutæ donationis; quia donatio opus virtutis eſt, liberalitatis inquam, aut miſericordiæ, ſiue etiam charitatis: ergo poteſt impetratio, & collatio Beneficij eâ ſub conuentione fieri. Quod ſi dicatur obſtare liberalitati obligationem, id non vrget, vt abſolutè eſſe donatio nequeat; quia etiam ſunt donationes remuneratoriæ; vt omnes Doctores agnoſcunt: & præterea ad opus liberalitatis poteſt aliquis mouere, aliquid promittendo, aut conferendo; quia liberalitati non quæuis obligatio repugnat, ſed quæ iuſtitiæ eſt, aut etiam gratitudinis. Et quemadmodum ad opus iuſtitiæ moueri aliquis poteſt doni alicuius collatione, nec propterea actus ipſe deſinit eſſe iuſtitiæ, ita & ad liberalitatis actum, non obſtante reſpectu ad doni accepti collationem; in vno enim actu multi eſſe reſpectus honeſti poſſunt.

Pro eo irrefragabile argumentum ex mutui minimè licita promiſſione.

Inſtantia euidens.

Liberalitati quid non obſtet.

Reſponſio quadam diſiecta.

7 Dices, Beneficium conferre, aut impetrare ex ſe bonum eſſe, ſed id intuitu pecuniæ fieri, ab honeſta ratione alienum eſſe, quia iam eſt reſpectus ad pretium. Verùm reſponſio iſta pro nobis eſt; ex ea enim fit non poſſe Beneficiū impetrari, aut conferri, per reſpectum ad pecuniam dandam tertio, nam ſimiliter reſpondetur, & retorqueri etiam reſponſio poteſt; quia licet Beneficium impetrare, aut conferre ex ſe bonum ſit, per medium pecuniæ tertio conferendæ illicitum redditur, vel ſi non redditur: ergo neque per medium dati mutui. Et quidem ratio ſententiæ prædictæ id ſupponit, quod erat illi probandum, & dum non probat, concluſione, ipſam probat concluſionem: ait enim dare eleēmoſynam, aut Beneficium impetrando, aut conferendo; benefacere, opus virtutis eſſe: atqui in caſu præſenti non agimus niſi de eleēmoſyna (ſi tamen eleēmoſyna dicenda eſt, quæ reſpectu adeò diuerſo laborat) prout hic & nunc fit, & de impetratione, & collatione Beneficij ſecundùm præſentes circumſtantias quam eſſe honeſtam negamus, cùm tamen ſententia dicta id ſupponat, in quo eſt quæſtio, & probat eſſe honeſtam, quia honeſta eſt.

Vrgentiſſima ratio, quia aliàs ſimoniaca labes nunquàm intereſſet.

8 Quod vlterius probo: quia ex prædictâ poſitione ſequitur ſine labe ſimoniaca ſtare poſſe, quidquid vel naturæ iure, vel eccleſiaſtico vt ſimoniacum prohibetur. Id oſtendo: nam in omni huiuſmodi conuentione dici poteſt non dari, aut promitti aliquid intuitu pecuniæ, aut alterius æquiualentis, ſed actum virtutis exerceri ex motione muneris præſtiti, quod ſicut dari ex fine prædicto poteſt, ita & recipi, ac conſequenter promitti, quod eſt illius intuitu faciendum. Vbi ſi recurratur ad prohibitionem; certè prohibitio ex iure naturæ non eſt; quia natura non eſt exercitio virtutum aduerſa. Si autem dicatur eſſe Eccleſiaſticum, neque id obſtat, quia neque Eccleſia virtutum vſum impedire contendit, & cùm aliquid huiuſmodi prohibet, ideò eſt, quia labem ſimoniacam eſſe præſumit; quâ deficiente, dum per reſpectum ad virtutem agitur, prohibitio locum non habet. Quis tamen hæc admittat? aut quis reſpectus illos puros, & nitidos in talibus pactionibus tutò poſſit polliceri? Non ibi virtus, ſed *velamentum malitiæ.* Vt aliàs D. Bernardus; *& Deus*, vt clamat Apoſtolus, *non irridetur.* Conſcientias eorum, qui ſic negotiantur, appello. Hac arte quidam Archiepiſcopatum obtinuiſſe dicitur grandi pecuniæ ſummâ, neſcio cuinam Conuentui conſignatâ. Sed non felix exitus, neque exordium fauſtum fuiſſe demonſtrauit. Atqui aliter non fuiſſet locus ille ſublimis obtentus: & quænam quæſo in Dei Eccleſiâ neceſſitas vt illa talibus Paranymphis commendetur? niſi vt idem dulciſſimus Doctor lachrymis amariſſimis clamet, & dicat, *Infelix ſponſa talibus tradita Paranymphis.* Videantur dicta Titulo præcedenti.

Pro bonis operibus eliciendis vt munera dari queât.

9 Neque eſt ad rem id quod adducitur de largitione munerum ad elicienda opera virtutis, quia ibi non intercedit conuentio ex vtraque parte obligationem inducens, neque quod datur rationem pretij habet; & licet aliquis promittat ſe daturum talia opera facienti, id etiam licet, quia neque ibi mutua obligatio eſt, nec pretij rationem habet, vt patet ex *Cap. 2. de conditionibus appoſitis* vbi ſtatuitur ſeruandam manumiſſionem factam ſub hac conditione, *ſi Religioſus fiat.* In caſu autem noſtro conuentio interuenit, & pretium datur pro commodo, quod danti ex Beneficij collatione reſultat. Et ridenda profectò puritas

Cap. 2. de Condit. appoſitis.

Digitized by Google

puritas illa intentionis, quam tales venditant, quandoquidem, ſi illa talis eſſet, ad benefaciendum promptior eorum voluntas tenderet, ambitione ſubmerſa, ex qua fit, vt ingentem copiam pro Beneficij adeptione fundentes, vnum, vel alterum nummum ægrè pauperibus largiantur.

Donatiuū poſſe dari cum ſpe obtinendæ dignitatis

10 Poteſt autem vlteriùs inquiri, An liceat aliquando largitio pecuniæ obtinendæ dignitatis intuitu, eo modo ſcilicet, qui prætenſoribus ex Indiis ad Regiam Curiam euntibus ſolet eſſe non infrequens. Ab eis enim donatiuum exigi ſolet, & illi non grauantur tribuere; exiſtimantes Regem ea liberalitate permotum, id, quod in votis habent, collaturum. Poteſt item accidere, vt ſine promiſſione aliquâ donatiuum tale petatur Operi alicui pio per Regiam prouidentiam applicandum, ſiue autem ſibi, ſiue aliis donatiuum ab Indianis petat, dari poterit ſine ſimoniacæ labis contractione: & ratio eſt, quia in eo non eſt pactio, & donatione factâ poteſt Rex dare, aut non dare quod deſiderant Indiani. Licet autem illi ſub ſpe obtinendi dent, aliter non daturi, id quidem non obſtat, quia largitio ad ſolam excitandam Regiam gratitudinem tendit, ſine obligatione aliquâ, quæ moraliter poſſit quaſi ciuilis judicari. Pro quo in ſpecie caſus videri poteſt P. Vincentius Tancredi *ſuprà Diſput.* 29. *num.* 3. qui aliòs adducit. Et Eligius Baſſæus *Verb. ſimonia* 5. *num.* 1. apud quem plures, Diana *Parte* 2. *Tract.* 16. *Reſolut.* 37. *&* *Parte* 3. *Tract.* 2. *Reſolut.* 64. apud quem etiam alij.

De eo, qui promiſit, ſed non ſoluit, ne ſimoniam committeret.

11 Sed vt labem omnem ſimoniacæ impietatis euitent, futuri fortaſſis ſunt, ſicut & fuère nonnulli; qui interuentores ſuos arte deludant. Promittunt enim illis daturos ſe bonam pecuniæ ſummam, ſi Beneficium impetrent, quâ ſpe illi omnem ſolicitudinem adhibent, & voti compotes facti, id, quod fuerat ſibi promiſſum, expoſcunt. Ad quos promiſſores reſpondent daturos ſe, ſi probati Theologi ſe dare poſſe tutâ conſcientiâ teſtentur. Cumque nullus talis inueniatur, abeunt læti, & alij remanent deſperati. Hocne licitum? Minimè quidem. Fraudem, & dolum quis probare queat? Aut ergo qui impetrationem promiſit, in eo laborem pretio æſtimabilem poſuit, & ſic non debet illo fraudari, vt communiter Theologi docent, aut pretium, de quo præceſſit conuentio, ſupra æſtimationem laboris eſt, & ita, qui illud exigit, grauiter peccat, & peccato quidem ſimoniæ, quia pretium quærit, non jam laboris, ſed rei impetratæ, cum labor illud minimè mereatur. Vnde & conſequenter, qui promiſit, quia cooperatus eſt peccato alterius, qui ſub ſpe accipiendi iniuſti pretij laborauit. Ex eo tamen quod non eſt redditum id, quod promiſſum fuerat, ſimoniæ vitatur pœna, & Beneficium ſine vllo poteſt ſcrupulo retineri: Pro quo ſunt Auctores adducti à P. Tancredi *ſuprà Diſp.* 31. *num.* 5. *& ſeqq.* Addo tamen, licet ſine ſimoniæ labe poſſit labori impetrationis

Promiſſionem non obligare etiam pro labore pretio æſtimabili.

compenſatio reddi, non tamen eſſe obligationem omnino certam ad illam: quia ſic laborans non laborauit ex obligatione juſtitiæ, neque vera conuentio fuit, & ſibi imputare poteſt ſui laboris ſe fructu eſſe fraudatum. Præterquam quod actio illa iudiuiſibiliter ſumpta criminoſa fuit, & cui non debetur compenſatio, vnde neque parua, neque magna; cùm ſit etiam aditus ad Beneficium, qui aditum emit, Beneficium etiam emere videtur; quod cum non liceat, neque obligatio ſoluendi erit, juxta doctrinam P. Azorij *Tom.* 3. *lib.* 12. *Cap.* 16. *in fine.*

Quorundam ſententia de pacto circa id, quod re ipſa dari ſine ſimonia poteſt.

12 Ad finem pro ampliori explicatione præcipui caſus, adiecto, opinionem eſſe Doctorum quorundam, quos Diana adducit *ſuprà* aſſerentium pro obtinendis Beneficijs poſſe pactum fieri eodem modo, quo re ipſa aliquid poteſt accipi. Pro omni enim eo, quod dari poteſt, non vt pretium rei ſpiritualis, ſed vt ſtipendium, vel remuneratio, pactum etiam poteſt iniri; ſi enim dare cum effectu malum non eſt, neque malum erit ad illud obligari. Quemadmodum pactum fieri cum Sacerdote poteſt de dicendis Miſſis ſtipendio deſignato, quod non Miſſæ ſed labori in ea dicendâ reſpondeat. Et hoc quidem, quod Diana ut probabile propoſuit *Reſolut.* 37. *citata.* ſine limitatione aliqua ab eodem aſſeritur *Reſolut.* 64. cum PP. Valentia, & Tannero: licet ſub diſiunctione loquatur de obligatione ſoluendi, quæ eſſe poteſt, vel ex gratitudine, vel ex juſtitia. Cum tamen Pater Valentia vtramque videatur agnoſcere: ex juſtitiâ inquam, quatenus ſecundùm communem æſtimationem opus ad officium tale ſtipendium, & recompenſationem meretur, vt opus, & officium quoddam eſt: ex gratitudine verò quatenus conſideratum ut officium ſpirituale, meretur remunerationem gratuitam; & ſic de temporali, pro ſpirituali poteſt in foro conſcientiæ paciſci. Iuxta hæc ergo, ſicut poteſt quis eleemoſynam Monaſterio alicui dare, quam ſcit Regi fore gratiſſimam, ſperans inde Beneficium conſequi, ita & videtur pactum poſſe fieri pro eodem: corruit enim ratio noſtra de obligatione ex pacto reſultante, quæ abſque ſimoniâ eſſe non poteſt.

Non bene caſui præſenti accommodari.

13 Verùm doctrina præfata non vrget, quæ tantùm procedit de remuneratione laboris, circa quem non negamus poſſe fieri pactionem; immò & valde veroſimile eſt obligationem eſſe Iuſtitiæ. In caſu autem dicto nihil tale occurrit; cui enim Epiſcopatus promittitur, ſi copioſam ſummam tali Monaſterio dederit, nihil tribuit, quod eſſe compenſatio laboris poſſit, vt conſtat. Licet autem dare ſub ſpe illâ poſſit, non tamen paciſci, quia huic obſtant rationes adductæ: neque doctrina ſcriptorū illorum ita generalis eſſe poteſt: aliàs nullus erit contractus ſimoniacus, quia quod facto contractu tribuitur, poterat tribui ſine illo, & de eo, quod tribui ſine contractu licet, poteſt contractus iniri. Debet ergo illa tunc intelligi, cum labor aliquis aliàs non debitus circa impetrationem Beneficij miſcetur, & remuneratio iuxta qualitatem perſonæ menſurari debet: plus enim Magnati interuenienti, quàm alijs eſt debitum. In quo quidem licet ſimoniæ crimen abfuerit, ambitionis tamen nota exitialis hærebit, & vix ſine graui conſcientiæ vulnere iſta contingent; neque enim cùm deuenitur ad illa, puritas ea intentionis aſſiſtit, quo poſſint pactiones huiuſmodi penitus honeſtari. Non ergo per oſtium ingrediuntur.

Iuxta qualitatem perſonæ interuenientis, compenſationē laboris faciendam.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT II.

Circa Religioſos Pronuntiata nonnulla.

Aſſertio 1 Religioſis ex Indijs prætenſoribus non videri ſine graui peccato conferri Epiſcopatus.

14 DIco primo. Religioſis ad Regiam curiam ex Indiis pro obtinendis Epiſcopatibus profectis, non ſine graui peccato videntur illi conferri. Probatur facile: quia tales ad ambiendam hujuſmodi dignitatem non mouentur ex zelo gloriæ Dei, neque vt animarum ſaluti prouideant, pro quo quidem in ſuo ſtatu poſſunt ſecuriùs laborare. Eos ergo ſolus ſtimulus ambitionis agit, vt honore ſcilicet & diuitiis amplioribus perfruantur. Hoc autem peccatum mortale eſſe communiter tenent Doctores, quos adducunt Eligius Baſſæus. *verb. Epiſcopus, num.* 3. Diana *Part.* 4. *Tract.* 4. *Reſolut.* 100. P. Fragoſus *Tom.* 2. *page* 606. *num.* 8. & alij qui ſolum caſum neceſſitatis Eccleſiæ, aut boni communis excipiunt, & licet ſint, qui non eſſe peccatum mortale dicant, vt Homobonus Emanueli Rodericio tribuit apud Dianam *ſuprà*, & alij dicentes peccatum eſſe, non exprimant eſſe mortale, vt P. Azor *Tomo* 2. *Lib.* 3. *Cap.* 28. *Quæſt.* 2. Barboſa *de poteſtate Epiſcopi, Part.* 1. *Titulo* 2. Gloſſa 1. *num.* 6. *& ſeqq.* nonnullique alij, vnde piè exponi de veniali poſſunt. Immò & P. Azor plus concedere videtur dum ita §. *Animaduertendum eſt* ſcribit: *Animaduertendum eſt, non eſſe idem Epiſcopatum ambire, quod optare, aut petere, is enim ambit, qui quibuſlibet artibus etiam malis ad Epiſcopatum aſpirat: at poteſt quis optare, & petere, his modis, & artibus, quas ius naturale, diuinum, aut canonicum non prohibet.* Sic ille. Licet inquam ita ſit generaliter loquendo; in caſu, de quo loquimur, circumſtantiæ occurrunt, propter quas graue peccatum videatur tales prætenſiones admitti, & illis aditum non penitus obſerare. Poteſt enim id in grauiſſimum religioſæ diſciplinæ diſpendium vergere, & Regiæ conſcientiæ onus formidandum imponi; dum Indias, quarum conuerſioni tenetur attendere, & pro ea Miniſtros idoneos hinc inde conquirere ambitionis eſſe fomenta, & inſtrumenta, permittit, vt Miniſtri cõuerſionis curam omnem ad ſua temporalia incrementa conuertant, & opus tantum, aut nihil, aut parum, aut nimis lentè progrediatur. Si ergo Rex Catholicus tutâ id conſcientiâ facere nequit, neque etiam poterunt Religioſi pro eo in curiam contendere, & ſæcularium prætenſorum ſe gregibus aggregare. Neque adducti patrocinantur Auctores: Pater enim Azorius poſt adducta verba ſic ſubdit. *Nimirum in his duobus caſibus, quos S. Thomas ſuperiùs expreſſit.* Caſus autem dicti à S. Thoma expreſſi 2. 2. *quæſt.* 185. *Art.* 1. ſunt iam dicti: manifeſtæ neceſſitatis, & communis boni. Neque alia eſt mens Barboſæ, qui D. Thomæ, & P. Azorij, quos citat, doctrinam amplectitur.

Quale peccatum in prætenſione generaliter ſit.

P. Azor.

Licet graue peccatũ generaliter non ſit, in caſu noſtro ſpecialem eſſe rationem.

Duo caſus excepti.

Doctrina Caietani circa licitam appetitionem.

15 Majori tamen poterit eſſe præſidio Cardinalis Caietanus iis, qui ad ſublimitates dictas adſpirant; dum circa *articulum citatum* ita ſcribit poſtquam dixerat ex littera D.Thomæ non conſtare, an ita illicitam appetentiam dixerit, vt peccatum mortale ſit, neque carere ambiguitate, vtra pars affirmanda ſit: *Mortalis autem appetitus non videtur ſecundum genus ſuum ex eo, quòd talis appetitus compatitur ſecum rectitudinem voluntatis reſpectu aliorum in Epiſcopatu inuentorum v. g. Ioañes mouetur ad appetitum Epiſcopatus ratione bonorum circumſtantium, vt ſcilicet habeat ſufficientiam temporalium, & honorem. Verumtamen cum hoc intendit facere debitum ſuum circa curam animarum, & diſtributionem bonorum tam Eccleſiæ, quàm pauperibus terræ: nec intendit vti Epiſcopatu ad finem temporalium, ſed quantùm ſibi conceditur frui portione ſuâ, & debito ſibi honore, & huiuſmodi ad laudem Dei: In hoc appetitu ex hoc Capite nullam ego video deformitatem mortalem propter dictam rationem. Et propterea puto Auctorem dixiſſe illicitum, & non dixiſſe mortale. Et confirmatur: quia nec auaritia, nec ambitio, quæ duo vitia hîc in littera dicuntur inueniri, ſunt peccata mortalia, quando deeſt materia iniuſta, aut finis vltimus non ponitur in pecunia, ſeu honore, vt ex proprijs tractatibus ſuperiùs latiùs patet. In hoc autem caſu non ponitur finis vltimus in huiuſmodi, nec iniuſtitia ex parte materiæ appetitæ.* Sic ille. Hoc autem modo videntur ſe gerere communiter Religioſi, in huiuſmodi negotiatione bonum ſecuti Doctorem.

16 Sed eius non debet obſtare Doctrina, quia ille, ſicut & D. Thomas, cuius mentem Auctor inquirit, non de prætenſione cum circumſtantiis dictis, ſed de appetitione procedit; neque erit Auctor, qui iis extantibus, aliud audeat affirmare. Et quidem de appetitione ipſa loquendo poſſe ex circumſtantiis eſſe mortalem citatus ſcriptor affirmat; etiam quando quis Epiſcopatum appetit, vt proſit iis, quibus præfici concupiſcit: pro quo ita ſcribit §. *Quarta concluſio* poſt medium: *& ſi hoc adiunxeris, quod actus ex ſuo genere non ſolùm non mortalis, ſed nec illicitus, non facilè ex circumſtantijs iudicandus eſt, eſſe mortalis, ſed magnâ opus eſt diligentiâ, ac circumſpectione rationis ad iudicium peccati mortalis ex ſolis circumſtantiis particularibus; videbis non tam malum eſſe, quantùm putant, appetere Epiſcopatum, vt proſit Eccleſiæ. Quod dico de appetente proportionato: hoc eſt viro irreprehenſibili, ſobrio, ornato, prudente, pudico, hoſpitali, Doctore, non vinolento, non percuſſore, modeſto, non litigioſo, non cupido ſuæ, domui bene præpoſito, nec aliis impedito. Hæc enim ſunt conditiones poſitæ ab Apoſtolo 1. ad Timoth. 3. ſi talis Epiſcopatum appeteret, in veritate vt prodeſſet, crederim ego, quòd attentâ tantâ neceſſitate Eccleſiæ carentis talibus viris, non peccaret; & ſi hujuſmodi neceſſitatis oculus deficeret, non niſi veni aliter peccaret, ratione nonnullæ præſumptionis, quâ ſe in animo ſuo alijs præfert, qui fortè meliùs, quàm ipſe locum illius Epiſcopatus occuparent.* Hæc ille, & alia, ex quibus apparet, quot, & quanta debeant concurrere vt appetere quis Epiſcopatum poſſit ſine mortali peccato, etiam quandò quis vt proſit optat ſublimari. Pro quibus, *& diſt.* 35. *& ſeqq.* vbi ab Apoſtolo propoſitus Epiſcopalium virtutum catalogus illuſtratur. Quid ergo de illo exiſtimaret, qui ſiniſtris aliis finibus agitur, ſatis per illa, & alia, quæ ibidem diſſerit, declarauit. Cui præclaram ſententiam D. Bonauenturæ connexam ſuper regulam D. Franciſci *Cap.* 2. circa medium

Sed illam non obſtare oſtenditur.

Ex Auctore eadem ſumpta probatio de requiſitis ad appetitionem honeſtandam agentis.

Digitized by Google

Ex D. Bonauenturæ vrgentior auctoritas. medium ſic ſcribentis: *Si coacti ab Eccleſia huiuſmodi ineuitabili neceſſitate ſuſcipiant regimen animarum, non ſunt reputandi ab ordine egreſſi: ſi quantùm in ipſis eſt ſemper appetant in ſinu Ordinis conſoueri. Quod ſi non vocati ad Epiſcopalem gradum, nec coacti ad eumdem aſpirant, vt ſugiant ærumnas pauperum, & Ordinis rigorem, credo eos in illius partem ceſſuros, qui dixit: ſedebo in monte Teſtamenti, in lateribus Aquilonis, Iſaiæ* 14. *verſ.* 13. ſic Seraphicus Doctor.

Aſſertio 2. Religioſos linguam Indorum callentes debere præferri. 17 Dico ſecundò. Religioſi Indiarum, qui linguam Indorum callent, debent eiſdem præfici in concurſu aliorum, ceteris paribus; vnde & deberent Regij Conſiliarij circa hoc informationem exquirere; quia res eſt momenti magni in ordine ad illorum conuerſionem, & promotionem in Chriſtianis moribus, vt eſt ſine aliâ probatione compertum. Et Epiſcopum debere eorum linguam ſcire, quibus eſt præficiendus, ex ipſius ſacri officij inſtitutione redditur manifeſtum, quia ad prædicandum eſt præſertim inſtitutum; vt docet Concilium Tridentinum *Seſſione* 5. *Cap.* 2. de reformatione Verbis illis: *Prædicatio eſt præcipuum Epiſcoporum munus.* Vnde D. Paulus inter Epiſcopi dotes eam collocat, debere inquam eſſe Doctorem 1. *Timoth.* 3. *v.* 2. Pro quo ſic S. Hormiſda Pontifex *Epiſtol.* 4. *Cap.* 1. *Irreprehenſibiles eos eſſe conuenit, nec quidquam illis deeſſe, penes quos eſt religionis ſumma, & ſubſtantia diſciplinæ.* D. Proſper *lib.* 1. *de vitâ contemplatiuâ, cap.* 25. eos vocat *Deo verè in ſalute hominũ promouendâ coadiutores (coadiutus* ille ſingulari voce) *Miniſtros verbi, Oraculum Spiritus ſancti, & Cap.* 2. *Lib.* 2. ſic loquitur: *Iſti enim ſunt vindices oppreſſorum, Patres in fide regeneratorum, Prædicatores cæleſtium, exempla bonorum operum, documenta virtutum, & forma fidelium, &c.* Hinc in ordinatione Epiſcopi calceantur pedes. quia ſcilicet ad Euangelij prædicationem debent eſſe promptiſſimi, iuxta doctrinam Apoſtoli. *Epheſ.* 6. *v.* 15. *Calceati pedes in præparatione Euangelij pacis*; vt in ritu conſecrationis habetur; pro quo & P. Fragoſus *Tomo* 2. *Pag.* 604. *num.* 20. Hoc autem munus in Epiſcopis Indiarum ad Indorum inſtructionem præſertim dirigendum benè admonet Concilium Limenſe tertium *Actione* 2. *Cap.* 31. ſic dicens: *Si quidem ea totius Epiſcopalis officij in hac Prouinciâ potiſſima cura eſt, vt qui ad Euangelij gratiam diuinitus vocantur, Miniſtros habeant, quoad fieri poſſit, & zelo animarum præditos, & numero ſufficientes.* Sic Concilium: ad Indos ergo Epiſcoporum potiſſima cura dirigitur, vnde & inſtruendi, & prædicandi munus ad eos conſtat pertinere. Quomodo autem prædicabunt, linguam eorum, quibus prædicare tenentur, ignorantes? Qui ergo ſciunt præferendi alijs, ſi cetera ſuppetant pro tanto munere requiſita. Dixi autem Religioſos præferendos, non quòd ſæculares excluſos velim, ſed quia Religioſi prædicationis munus faciliùs & promptiùs ſuſcipient, neque indecorum, aut auctoritati ſuæ minùs conforme ducent miniſterium illud, oculis inſipientium humile, ſed ſublime Dei oculis adimplere. Videatur illuſtriſſimus Zapata *in Diſceptatione, de iuſtitiâ diſtributiuâ, Parte* 2. *Cap.* 3. *num.* 15. *& ſeqq.* qui circa obligationem iſtam, quam ſub mortali eſſe probat, grauiter, eleganter, & eruditè diſcurrit.

Prædicationem eſſe præcipuum Epiſcoporũ munus. Pro quo doctrina requiſita ſuppellex.

S. Hormiſda.

D. Proſper.

Inde calceati eorũ pedes in cõſecratione

Epheſ. 6. v. 15.

In Epiſcopis Indiarum peculiare.

Concilium Limenſ. 3.

Aſſertio 3. ex linguæ peritia poſſe appetitionẽ honeſtari. 18 Dico tertiò. Si quid eſt, quod appetitionem Epiſcopalis dignitatis in Indijs honeſtare poteſt, illud eſt, quod modò diximus; linguæ ſcilicet Indicæ peritia, & vtilis exercitatio illius, ceteris non excluſis: ſic enim illud maximè verificatur, quod ex doctrinâ Caietani circa priorem eſt dictum Aſſertionem. Tales enim verè volunt præeſſe, vt proſint; vnde vt admonui, circa qualitatem prædictam Conſiliarij Regij peculiari debent attentione proſpicere. Si Cathedram ille tenuit, ſi munere aliquo eſt honorario perfunctus, rem grandem feciſſe putatur, vnde ad Epiſcopalem curam regiâ deſignatione prouehitur. Et erunt eiuſmodi multi, qui nullam vmquam Indi alicuius confeſſionem exceperint, aut ſemel illum Chriſtianâ inſtruxerint Catecheſi. Quod ergo in eligendis non curatur, neque iis, qui ad huiuſmodi gradum adſpirant, futurum eſt curæ. Si tamen miniſterium tale in pretio apud electores eſſet, viri profectò magnis talentis inſignes ad illud animum applicarent, & ſic tandem idonei reperirentur Epiſcopi, qui miniſterium prædicationis erga omnes ſibi commiſſos adimplerent. De quo Apoſtolus Timotheo ſuo Epheſiorum Epiſcopo. *Prædica verbum, opus fac. Euangeliſtæ; miniſterium tuum imple.* 2. *Timoth.* 4. *verſ.* 2. & 5.

A Regijs Conſiliarijs circa hoc ſolerter prouidendum.

CAPVT III.

Qualiter Apoſtolicæ litteræ ad conſecrationem Indicorum Epiſcoporum requirantur, ſicut & ad officij adminiſtrationem.

Litteras Apoſtolicas requiri. 19 Requiri illas indubitati iuris eſt: ſic enim habetur in Extrauag. *Iniunctæ*, de electione, & alibi de quo apud Doctores controuerſia nulla generaliter loquendo, licèt pro caſibus peculiaribus ſint, qui exceptionem admittant, & illi maximè in Indiis ratione diſtantiæ poſſunt euenire, & cum hæc ſcribo, magno cum Eccleſiarum diſpendio ſic vidimus accidiſſe: ob nauigationis namque interrupta commercia, infeſtationes hoſtium Anglicorum, originales litteræ per annos aliquot retardatæ ſunt, pluribus electis Epiſcopis ad Eccleſias ſuas ire renuentibus, licèt earum gubernationem poſſent, Capitulis eam ad Regiam inſtantiam concedentibus, ſine conſcientiæ remorſu ſuſcipere, vt tandem facere compulſi ſunt, Rege piiſſimo ægrè ferente eos adeò remoratos; quandoquidem cùm litteris Præſentationis, executoriale aliud ſcriptum tranſmittit, vt ſtatim ad ſuas Eccleſias ſe conferant, earum gubernationem accepturi, grauiſſimâ pro eo cauſſâ redditâ, ne ſcilicet Indi tamdiu ſint deſtituti Paſtore. Et ex præfatis quidam originalium Bullarum authenticum ex Regiâ Curiâ tranſmiſſum habuêre tranſumptum: quo tamen noluerunt vti, verentes ne quid minùs legitimum agerent, quo eorum conſecratio, an rata eſſet, & firma in Dei oculis, poſſet in dubium reuocari. Quorum timor laudandus profectò eſt, ſicut & præcipitatio damnanda, ſi quis eſſet, qui quouis nuntio & teſtimonij Apoſtolici tarditate, ad conſecrationem

In Indijs qualis circa hoc defectus, non obſtante Regia prudentia.

vtcum-

Digitized by Google

vtcumque habendam prouolaret. Et de hoc quidem pro caſuum occurrentium varietate nonnulla ſunt docta ſcripta vulgata à nonnullis Dominis Epiſcopis, & viris aliis eruditis, circa quæ ſi conſona facienda eſſet excurſio, nimis volumen excreſceret, quod opto eſſe non ingens; neque operæ pretium puto, aut quæ ab ipſis ſunt dicta congerere, aut quæ fortè improbari poſſent, minùs probandis impugnationibus infirmare. Vnde

Aſſertio 1. teneri Præſentatos ad ſuas Eccleſias ſtatim ſe conferre.

20 Dico primò. Præſentati ad Epiſcopatum, Regiis executorialibus acceptis, tenentur graui conſcientiæ obligatione ad ſuas ſe Eccleſias conferre. Id probo; quia poſſunt vnde, & tandem id faciunt etiam ſine authentico Pontificiæ confirmationis inſtrumento: ergo & debent. Illationem probo: nam poſſunt, eò quòd Eccleſiæ, ad quas præſentati ſunt, iam ad illos pertinent, & Rex Apoſtolicæ Sedis auctoritate modum eas gubernandi ante confirmationem Sedis eiuſdem oſtendit: atqui in Eccleſiâ, quæ ad aliquem pertinet, non poteſt non reſidere; ergo vt reſideant, ad eas ſe conferre debent. Maior eſt comperta & Minor oſtenditur ex iis, quæ Concilium Tridentinum circa reſidentiam, & abſentiam ſtatuit *Seſſione 6. cap. 1. & Seſſione 23. capite etiam 1. de Reformatione*: quæ certè non tam Canonici, quàm diuini, & naturalis iuris ſunt. ex ipsâ officij naturâ obligatione ſubortâ, & Chriſti inſtitutione, vt tradunt Doctores communiter, quorum plures adducit Barboſa de Poteſtate Epiſcopi. *Allegat.* 53. *numer.* 2. vbi quàm veriſſimè illud: *Qui non reſidet (cùm aliò non abducunt præſcriptæ à ſacro Concilio cauſſæ) oſtendit ſe ſponſum non eſſe, ſed peregrinum: non Patrem, ſed extraneum: non paſcentem oues, ſed ſe ipſum: non ædificantem, ſed ferè deſtruentem.* Sic ille, qui ſtatim *numer.* 3. grauiſſima mala, quæ ſequi manifeſtum eſt, ex Epiſcoporum abſentiâ, recenſet. Pro quo & ea videri poſſunt, quæ à nobis ſunt dicta *Titulo* 2. *Cap.* 5. & ſic diſcurſus videtur rem iſtam apertè demonſtrare. Videndus etiam P. Bauny de Beneficijs *Diſputat.* 14. *Quæſt.* 5. *Aſſertione* 3. & P. Palaus *Tomo* 2. *Tractat.* 13. *Diſput.* 5. *Puncto* 1.

Obligationem reſidendi eſſe ex iure diuino & naturali.

Illuſtriſ. Barboſa.

Aſſertio 2. quando expectari Bullæ Apoſtolicæ poſſunt.

21 Dico ſecundò. Si ſperetur ex aliquali detentione habendum beneficium conſecrationis receptione Bullarum, quod quidem in propriâ Eccleſiâ non ita obtineri poſſit, eò quòd longiùs conſecrator abſit, ſperari illæ poſſunt, quantùm circumſtantiæ occurrentes, adhibito prudentum & ſine affectu iudicantium Conſilio, Dei, & non carnis, ac ſanguinis cauſſam agentibus, iudicabunt. Circa quod in primis illa eſſe regula poteſt, vt tantumdem ſperari queat, aut plus aliquid, quantùm ſi in Eccleſiam ſuam ſe conferat, ab eâ eſt abſens futurus; quando acceptis Bullis ad conſecrationem ſe conferet; vbi manifeſtum eſt tres cauſſas à Concilio poſitas pro abſentiæ juſtificatione concurrere; Chriſtianam ſcilicet charitatem, vigentem neceſſitatem, & debitam obedientiam, de quibus *Cap. 1. citato ſeſſionis* 23. vt perpendenti conſtabit. Ex charitate ſiquidem Chriſtianâ erga oues ſuas, debet aptum ſe eis Paſtorem reddere conſecratione perceptâ, ad quam vrgenti neceſſitate compellitur, & debitâ erga Pontificem obedientiâ ſic iubente: cùm enim idem ſit tempus abſentiæ futurum, ex eâ parte

Tres cauſſæ abſentiæ à Tridentino propoſitæ applicantur.

ſpeciale Eccleſiæ detrimentum non ſequitur, & aliunde, illud ſic ſperans euitat, cum in longo, & difficili itinere, qualia eſſe Indiarum ſolent, ac ſumptuum ingentium adiectione futurum illud nequeat dubitari.

22 Deinde addi plus ſpatij poteſt ex conceſſione Concilij Tridentini, qui breue ſpatium reputat, quod tres menſes non excedit, illud ergo addi alteri poteſt, quia iuxta ea, quæ ex P. Pellizario *Tractat.* 5. *cap.* 8. *numer.* 162. habet Diana *Parte* 9. *Tractat.* 6. *Reſolut.* 22. quibus, & ipſe annuit; trimeſtre dictum vnius anni poteſt cum trimeſtri anni ſequentis continuari. Pro quo etiam facit id, quod tradit P. Bauny *Diſput.* 14. *de Beneficijs, Quæſt.* 6. habentem ſcilicet licentiam vt abſit per ſex menſes, aut etiam per annum, poſſe etiam per trimeſtre aliàs conceſſum abeſſe: quia trimeſtre ſpatium legis beneficio conceditur, neque pro eo venia requiritur eius, qui licentiam dare poteſt, iam à lege conceſſam. Ergo ſimiliter ſpatium illud poteſt cum alio, de quo loquimur continuari. Quia verò obligatio nondum confirmati adeò ſtricta non videtur, plus aliquid eidem concedi poterit, arbitrio boni viri, & attentis, vt dixi, circumſtantiis.

Circa trimeſtre conceſſum benignas opiniones iunxare.

23 Dico tertiò. In ordine ad ſuſcipiendam in ſe nomine proprio Eccleſię adminiſtrationem, ſufficit teſtimonium authenticum confirmationis, de quo viri docti iudicent plenam facere fidem. Sic probant ea, quæ adducit Dom. Solorzanus in Politicâ Indianâ *Lib.* 4. *Cap.* 9. *verſus finem.* Licèt in caſu, de quo ibidem loquitur, plenè non fuerit informatus: affirmat autem §. *A lo qual.* communem eſſe opinionem, ſaltem pro foro conſcientiæ ſufficere notitiam gratiæ factæ ad ſuſcipiendam poſſeſſionem. & faciendos fructus ſuos, & etiam in exteriori, ſi motâ lite, ante ſententiam diffinitiuam præſententur Bullæ. Vbi quidem de notitiâ agit quacumque viâ acceptâ. Quando autem teſtimonium authenticum eſt, plus aliquid debet operari, vnde & pro foro externo ſufficere poterit, ſi non ſit, qui ſe opponat; quo euentu iudices cauſſæ iuxta probabiles ſententias, vt libuerit, iudicabunt. Auctores à D. Solorzano allegati ſunt: Rota Romana, Alexander Ludouiſius, qui ſanè doctiſſimus, & doctrinæ, ac probitatis meritò ad ſummum Pontificatum euectus, Gregorius eſt dictus inter eos XV. Tamburinus, Salgadus, Ludouicus Gomez, & Nauarrus.

Aſſertio 3.

24 Ratio eſt; quia Bullæ requiruntur ad faciendam fidem de facta gratiâ, ergo cum poſſit illa per teſtimonium authenticum haberi, ſufficiet illud ad prædictum effectum, quando Bullæ competenti tempore haberi nequeunt. Antecedens eſt clarum, & conſequentia oſtenditur, ex Regulâ Iuris *in ſexto* 31. quæ ſic habet: *Eum qui certus eſt, certiorari vlteriùs non oportet:* id eſt, neceſſarium non eſt ad effectum, pro quo eſt certioratio requiſita. Obuia reſponſio eſt, id verum habere, quando aliud non eſt iuris diſpoſitione petitum, ut in caſu noſtro, in quo Pontifex exhibitionem exigit litterarum, verbis illis: *Præſenti itaque perpetuo valiturâ conſtitutione ſancimus, vt Epiſcopi, & alij Prælati Superiores, nec non Abbates, Priores, & ceteri Monaſteriorum regimina exercentes, quocumque nomine cenſeantur, qui apud dictam*

Non obſtare Extrauagantem Iniunctæ;

Illius verba ex Bonifacio 8.

ſedem

Digitized by Google

ſedem promouentur, aut confirmationis, conſecrationis, vel benedictionis munus recipiunt, ad commiſſas eis Eccleſias, & Monaſteria abſque dictæ ſedis litteris huiuſmodi, eorum promotionem, confirmationem, conſecrationem, ſeu Benedictionem continentibus accedere, vel bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtrationem accipere non præſumant: nullique eos abſque dictarum litterarum oſtenſionè recipiant, aut eis pareant vel intendant. Sic Bonifacius VIII. Atqui his non obſtantibus locum eſſe caſui, de quo loquimur, tenet Gloſſa *ibidem*, ita ſcribens circa verbum *Litteris.* & eſt illa Ioannis Monachi Picardi Cardinalis: *ſed pono, conſecratus, vel benedictus litteras Papales habere non potuit propter Papa obitum: numquid tenebitur multo tempore in Curiâ remanere? Credo quod non, qui hic Papa damnat præſumptionem temerariam recedere volentis abſque litteris, propter quod illum, & recipientes eumdem, vt infra ſequitur, punit, ſed neceſſitatem non excludit: & vbi non eſt culpa, nec pœna debet infligi. Extra. lib. 6. de reg. Iur. ſine culpa, vnde temeraria præſumptio, hic reprobata ad caſum alium non debet extendi, nec prohibitio generalis excludit caſum aliàs licitum. Extra. de verbor. ſignificat. ſuper quibuſdam.* Sic Gloſſa citati Cardinalis. Pro quo etiam eſt Ioannes Franciſcus de Pauinis circa eamdem conſtitutionem, vt ibidem *Verb. Non ſubſiſtat.* Et Oldradus apud eumdem in *ſpeciali Conſilio.* 51. vbi & factum peculiare in confirmationem adducit. Videtur ergo hoc non poſſe penitus improbari.

Gloſſa Ioannis Monachi Cardinalis.

25 Et licet ſint, qui contrarium cenſeant; negari tamen nequit, quin probabile ſit; poſitâ autem probabilitate, communis doctrina currit, vt liceat ſententiam eamdem ſequi, quia in caſu præſenti nulla eſt ſpecialis difficultas, & pro illa prædictorum Doctorum firmanda ſententia facit Epiſcopos à Rege Catholico præſentari, & eo Auctore gubernationem ſolâ præſentatione obtentâ à Capitulis exhiberi. Vbi autem præſentatio fit, ſummus Pontifex de eadem per legatos Regis certioratur. Habitâ ergo de gratiæ conceſſione authenticâ notitiâ, nullum poteſt eſſe periculum vſurpati per fraudem officij. Neque Capitulis præiudicium aliquod generatur; quandoquidem gubernatio tota in eoſdem eſt transfuſa. Quod vrgeo ex eo, quod notitia authentica factæ gratiæ recepta, & Bullarum expeditarum poteſt electus habitum mutare, vt ex vſu conſtat, iam enim coram Deo Epiſcopus eſt, quoad omnia ea, quæ non indigent conſecratione. Si ergo Epiſcopus, vt habitus indicat, qui aliàs minimè liceret, vt non licet non Sacerdoti corona Sacerdotis propria, & ſic aliis, quæ aliorum Ordinum propria eſt: poteſt pariter, quæ Epiſcopi ſunt, & ſic adminiſtrationem ſuſcipere, atque in poſſeſſionem mitti.

Poſitionis præfata probabilitatum ſufficere.

Ex mutatione habitus vrgetur.

26 Dico quartò. Sine litteris Apoſtolicis probabile eſt nullum poſſe conſecrari dum Pontifex aliud non declaret. Ratio eſt, quia conſecratio redditur dubia, quidquid de valoris probabilitate ſit: atqui ex eo, quod dubia ſit, nequit tutâ conſcientiâ recipi, quia ſic etiam dubiæ erunt ordinationes à ſic conſecrato factæ, vnde & omnes effectus, qui in Sacerdote characterem exigunt, vt ſunt adminiſtrationes Sacramentorum. Dominus Solorzanus *ſuprà* 5. *Sin poner duda*, ait circa valorem conſecrationis dubium eſſe non poſſe. Quod quidem ſi ita eſſet, non eſſet cur deberet circa ſic factum tantopere digladiari. At dubium, & quidem non leue eſſe poſſe, facile oſtendam. Nam certum eſt ex iure Canonico ad conſecrationem Epiſcopi tres alios Epiſcopos neceſſarios eſſe, id quod multi textus euincunt. Diuus enim Anacletus in *Epiſtola* 2. ad Italiæ Epiſcopos ita ſcribit: *Ieroſolymitanus primus Archiepiſcopus B. Iacobus, qui Iuſtus dicebatur, & ſecundum carnem frater Domini nuncupatus eſt, à Petro, Iacobo, & Ioanne Apoſtolis eſt ordinatus: ſucceſſoribus ſuis formam dantibus, videlicet vt minùs quàm è tribus Epiſcopis, reliquiſque omnibus aſſenſum præbentibus, nullatenus Epiſcopus ordinetur.* Sic ille, & habetur *In Cap. Porro, diſt. 66.* Quod autem ita neceſſarij tres Epiſcopi ſint, vt aliter facta ordinatio ſine valore ſit; expoſuit S. Anicetus Pontifex *in Epiſtola ad Galliæ Epiſcopos*, & habetur *in Cap. Archiepiſcopus, eadem diſtinctione*, determinans Archiepiſcopum ab omnibus, quibus præeſt, ordinandum eſſe quod ille declarat verbis illis: *debere conſtitui:* & ad ordinationem ſpectare, ſumma Capitis illius exprimit. Non quidem quod omnes ordinare debeant; ſed ſaltem illi, qui ex omnibus iuxta formam Apoſtolicam neceſſarij reputantur, iuxta id, quod paulò ante D. Anacletus declararat. Sic autem concludit: *Sin autem aliter præſumptum fuerit, viribus carere non dubium eſt; quia irrita erit ſecus acta ordinatio Archiepiſcopi.* Sic ille: Archiepiſcopi autem & Epiſcopi eamdem eſſe rationem manifeſtum eſt, & ita D. Anacletus, qui de Archiepiſcopis viſus in principio loqui, de Epiſcopis apertè concluſit. Id, quod aliàs conſtat ex eo, quod Archiepiſcopalis dignitas de iure diuino non eſt, neque ſupra Epiſcopalem quidquam addit in genere ordinationis diuerſum, vnde pro conferendâ eâ dignitate nulla eſt Sacramentalis cæremonia, præter Pallij traditionem, quæ Sacramentalis non eſt, vt ex eo euidenter apparet, quod ab eo confertur ex Pontificis auctoritate, qui multoties Epiſcopus non eſt.

Aſſertio 4. Sine Litteris dictis neminem poſſe conſecrari Et conſecrationem dubiam remanere probabile eſſe.

Tres ad illam Epiſcopos neceſſarios eſſe.

D. Anacletus.

D. Anicetus.

27 Præterea idem tradit S. Damaſus Papa *Epiſtola* 4. *ad omnes Epiſcopos*, & habetur *in Cap. Cor Epiſcopi, diſt.* 69. vbi ita ſcribit. *Quòd autem Epiſcopi non ſint, qui minùs quàm à tribus ſunt ordinati Epiſcopis, omnibus patet: prohibitum eſt enim à Sanctis Patribus, vt qui ab vno, vel à duobus ſunt ordinati Epiſcopis, non nominentur Epiſcopi. Si enim nomen non habent, qualiter officium habebunt?* Pro eodem eſt *Cap. ſi quis. Et Caput ſi fortè, Diſt.* 65. vbi caſus ſpecialis deciditur de Epiſcoporum ordinatione; quando in Prouincia vnus eſt tantùm ſuperſtes Epiſcopus. *Ille enim* (vt ibidem dicitur.) *quia ſolus eſt, ordinare non poteſt Epiſcopum.* Et deciſio eſt Concilij Sardicenſis *Cap.* 6. quæ & in Concilio Nicæno illis verbis habetur ex *Cap.* 4. *Tres Epiſcopi debent in vnum Congregari.* Sic ibi. Et habetur *in Cap. Epiſcopi, Diſt.* 64. Pro quo eſt & *Caput Comprouincialis, Diſt. eadem* ex S. Aniceto Pontifice, in Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ. Eſt etiam pro illo *Cap. ſi Archiepiſcopus* de temporibus ordinationum. Ex Lucio Tertio Pontifice, vbi tamquam ſingulare concedit, vt à tribus poſſit Epiſcopis ordinari, ratione neceſſitatis. *Si neceſſe fuerit. Ceteris conſentientibus* (ſcilicet Comprouincialibus) *à tribus iuſſu Archiepiſcopi poterunt ordinari* &

S. Damaſus.

Cap. Si fortè 65. diſt.

Concilium Nicænum.

Cap. Si Archiepiſcopus

Cap. Nec Epiſcopi.

& Cap. *Nec Epiſcopi* eodem Titulo ibi : *nec Metropolitanus ſine tribus vel duobus Epiſcopis comprouincialibus præſumat Epiſcopum ordinare.* Sic Canones ſacri, vt alia omittam.

Papam nõ poſſe diſpẽſare in eo, multorum ſententia. Sed contraria vſu Eccleſiæ recepta.

28 Propter quæ multorum ſententia fuit, tres Epiſcopos ita eſſe ad conſecrationem Epiſcopi neceſſarios, vt aliter facta nullius valoris ſit, & ita circa hoc non poſſe Pontificem diſpenſare. Sic apud Dianam citati ab ipſo *Parte* 8. *Tract.* 1. *Reſolut.* 31. apud quem alij ita temperant ſententiam dictam de abſoluta neceſſitate trium, vt dicant aliter factam nullius eſſe valoris, niſi Pontifex diſpenſet, circa quod non videtur dubitandum, quia ſic vſus Eccleſiæ habet, & Pontificium diſpenſationes iam inde à tempore D. Gregorij Magni ſine vllâ ſunt tergiuerſatione receptæ : ille enim pro Epiſcopis Anglicis conceſſit; ſicut Pius IV. pro Indis, & Gregorius XIII. pro Æthiopiâ, & Bulla Pij V. in Tabulario huius Metropolitanæ Limenſis Eccleſiæ aſſeruatur. Pro quo videri poſſunt præter citatos à Diana, Cardinalis Bellarminus *Lib.* 4. *De Notis Eccleſiæ Cap.* 8. *ante medium* P. Ægidius Coninck. de *Sacramentis Diſp.* 20. *num.* 80. *& ſeqq.* P. Mæratius *Diſp.* 7. *de ordine*, *Sect.* 3. *in fine.* Vbi indubitatum dicit. P. Martinon *Tomo* 5. *Diſp.* 67. *num.* 21. P. Bauny *Tom.* 1. *Tract.* 8. *Quæſt.* 10. & Eligius Baſſæus *Verbo Ordo* 3. *num.* 1. §. *Apud omnes*; ac tandem poſt hæc ſcripta viſus Dominus Villaroel ſtatim *citando loco num.* 40. licet ſint, qui circa hos ſolùm ius humanum, & Eccleſiæ præceptum agnoſcant, vt P. Henriquez *Lib.* 10. *Cap.* 7. *numer.* 3. P. Eſcobar de Mendozâ *in Morali Theologiâ pag.* 814. §. *Miniſtrum Ordinarium*, præter alios apud Dianam *ſuprà*, & Recentiores de Sacramentis ſcribentes.

Inde dubia conſecratio oſtenditur. Neque ſuffragari diſpenſationem à Pio IV. conceſſam.

29 Iuxta hæc ergo probatio Aſſertionis procedit; ſtante enim varietate opinionum dictâ, valde dubium eſt; an cõſecratio ſine beneplacito Pontificis facta, non concurrentibus ad eam tribus, valida ſit. Nec valet ſi dicatur iam conſtare de Pontificis voluntate per diſpenſationem dictam à Pio IV. conceſſam. Contra hoc enim eſt non conſtare quòd Pontifex velit diſpenſationem dictam valere; quando alia iure requiſita non fuerint obſeruata, vt Bulla in eadem non obſcurè ſignificatur : ex quibus vnum eſt, vt originales litteræ Conſecratori exhibeantur, & in actu ipſo Conſecrationis legantur; quamuis ſint, qui illud probabiliter, ſuo quidem iudicio & aliorum, arbitrentur. Neque diſpenſatio adeò accommodata eſt omnibus caſibus vt eiſdem poſſit adaptari : vt ex illius tenore conſtat, & videri poteſt apud Dom. Villaroel *Lib.* 1. *Gubernationis Paſificæ*, *Quæſt.* 1. *Artic.* 9. *num.* 31. *qui num.* 41. nobiſcum ſentit. Et ita Pontifices ſemper cùm Indicis Epiſcopis diſpenſant, diſpenſationis prædictæ nullâ factâ mentione; cuius caſum putant aliqui hucuſque in Indiis non occurriſſe. Neque recurrendum ad benignam Pontificis voluntatem, quem non eſt credibile tale aliquid voliturum, ex quo inconuenientia multa, & magna ſequerentur. Totum namque illud non tollit incertitudinem; & poteſt eſſe voluntatis contrariæ præſumptio, dum diſpoſita à ſacris Canonibus non ſeruantur. Sic enim vidimus *num.* 26. D. Anicetum conſecrationem irritam declaraſſe, & tamen ex eo quòd irrita ordinatio eſſet; multa, & grauia poſſent inconuenientia deprehendi.

Ex doctrina de vſu probabili circa Sacramenta non bene argui.

30 Nec dici poteſt opinione probabili vti etiam in materiâ Sacramentorum licitum eſſe, relictâ tutiori, in qua nullum eſſe periculum poteſt : quod circa Sacramentum Pœnitentiæ communiter Auctores tenent, videndi apud Dianam *Parte* 1. *Tract.* 13. *Reſolut*: 29. *& Tract.* 15. *Reſolut.* 29. & generalius alij. Nam licet ea doctrina probabilis ſit, limitationes tamen ſeruari debent quæ ab eius Auctoribus apponuntur, ex quibus præcipua eſt, circa eſſentialia, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, id non licere, quia ex eo fieret periculum damnationis incurri. Pro quo citatus Auctor *Reſolut.* 2. & alij ex quibus videri poteſt P. Vazquez *Tom.* 1. *in* 1. 2. *Diſp.* 63. *Cap.* 2. *&* 3. P. Thomas Sancius *Lib.* 1. Operis moralis *Cap.* 9. *num.* 33. *&* 34. P. Salas 1. 2. *quæſt.* 21. *Tract.* 8. *Diſp. vnica, Sect.* 10. *num.* 96. P. Arriaga *Tom.* 1. *in* 1. 2. *Diſp.* 24. *Sect.* 4. P. Henriquez *Lib.* 1. *Cap.* 9. *num.* 15. Bonacina *Tom.* 1. *Diſp.* 1. *quæſt.* 2. *puncto* 1. *numer.* 32. & Eligius Baſſæus verb. *Conſcientia, num.* 10. ex eo autem, quòd in caſu de quo loquimur, opinio, quæ probabilis dicitur, ad praxim adhiberetur, manifeſtum eſt, vt diximus, poſſe multipliciter periculum damnationis incurri, & etiam quòd dubium redderetur Sacramentum Euchariſtiæ, & ita adoraretur hoſtia & calix, in quibus re ipſa Chriſtus non adeſſet, eo quòd ſic operans non eſſet verus Sacerdos, vtpote à non vero Epiſcopo ordinatus.

Non licere illum circa ſubſtantialia ex quibus damnatio animarum imminet, & alia grauia incommoda.

Sacramentum Ordinis iterandum ex dubio, etiã ſtante probabili opinione.

31 Et ita in Sacramento Ordinis Communis eſt Doctorum ſententia iterandum illud, quando in eius adminiſtratione opinionem eſt incertam amplexus Epiſcopus. Pro quo Magiſter Barnabas Gallegus *Tract. de Conſcientia, Dub.* 20. *de Conſcientia probabili.* Et vt de aliis Ordinibus ſuſtineri contrarium poſſit vt volunt aliqui; de Sacerdotio, & Epiſcopatu rem eſſe ſine dubio affirmat P. Granadus. *Controuerſia* 9. *de Sacramentis Tract.* 1. *Diſp.* 4. *& Tract.* 5. *Diſput.* 6. *numer.* 2. cuius verba ſemel & iterùm exhibet Diana *Parte* 5. *Tract.* 13. *Reſolut.* 47. *& Tract.* 14. *Reſolut.* 64. eiuſdem doctrinam amplexus, de quo & ego *Tomo de Trinitate circa Sacramentum Ordinis.* Iuuat autem pro eodem mandatum Clementis VIII. qui præcepit ordinari iterùm quoſdam, qui ordinati fuerant ſine contactu materiæ, additâ conditione, cùm tamen probabile valde ſit illum non eſſe neceſſarium, pro quo plures Auctores adduxi *Tomo citato num.* 1320. & pro citato Clementis mandato videri poteſt Diana *Parte* 10. *Tract.* 16. *Reſolut.* 88. quod quidem & in caſu de quo loquimur, neceſſarium eſſe, quæ adduximus, euidenter videntur demonſtrare, vt mirum ſit Dom. Solorzanum circa hoc dubitari : non poſſe ita confidenter affirmaſſe; ſicut & Regium Indiarum Conſilium; quod ego non credo : ea enim, quæ ab eodem circa caſum contingentem ſunt diſpoſita, tale circa eum iudicium fuiſſe, nequaquam oſtendunt : & vt demus, ſic dictos dominos cenſuiſſe, id certè non conuincit oppoſitum non eſſe probabile, in quo ſtandum potiùs iudicio Theolorum, quia res propria eorum eſt, cùm ad Sacramenti eſſentiam declarandam

declarandam

Digitized by Google

clarandam ſpectet, & quid illi circa materiam præſentem cenſeant, iam eſt à nobis declaratum. Pro quo & hæc ſint ſatis, circa quod alij conſuli poterunt, qui fuſiori calamo rem ſunt eamdem proſecuti. Et ſpecialiter poſt hæc ſcripta contra Dom. Solorzanum militat Diana *Parte 12. Tract. 1. Reſolut. 59.* vbi alios adducit, & ſic conſecratum debere ſub conditione iterùm conſecrari. *Reſolut. 47.* & Dom. Villaroel *Part. 1. gubernationis Pacificæ. Quæſt. 1. Artic. 9. num. 54.*

Incōmmumentum non vitari ex eo quòd ſententia de neceſſitate trium Epiſcoporū ſit probabilis.

32 Vnum illud ad ſcrupulum omnem ſubmouendum præſtat addidiſſe: videri inquam in conſecratione Indicorum Epiſcoporum ad probabilem ſententiam recurrendum, & ita ea, quæ circa hoc diximus, infirmari. Quod enim tres Epiſcopi ita ad conſecrationem requirantur, vt aliter facta valore careat; multi Doctores tenent, vt vidimus *num. 28.* & Turrecremata *in Cap. Porrò, Diſt. 66.* affirmat omnes ferè iuriſperitos huius eſſe ſententiæ. Pontifices autem, qui circa hoc diſpenſarunt, rem ſuo facto non definierunt; ſed probabilem ſunt ſecuti ſententiam, quam maior pars Theologorum tenuit, vt teſtatur Farinacius ad Concil. Tridentini *Seſſionem 23. Cap. 1.* de Diſpenſatione Pij IV. quam allegant Dom. Solorzanus, & ex eo Diana *ſuprà*; & ad litteram proponit Dom. Villaroel *Art. 9. citato num 31.* vnde, & poſt prædictam diſpenſationem & aliàs, ſunt, qui probabile cenſeant oppoſitum, immò & apertè illud defendant. P. Thomas Sancius *Tomo 2. Conſiliorum Libr. 7. Cap. 17. num. 27.* ſententiam contrariam ait eſſe probabiliorem, vnde aliam iudicat eſſe probabilem. P. Dicaſtillus *Tomo 1. de Sacramentis Tract. 6. numer. 262.* valde probabile eſſe ait: Pontificem poſſe circa numerum trium Epiſcoporum diſpenſare, iuxta quem dicendi modum oppoſita ſententia eſt probabilis, quam tenet P. Palaus *Tomo 4. Tract. 27. Puncto 14. num. 13.* ita ſcribens. *Verius exiſtimo conſecrationem Epiſcopi, ita neceſſario à tribus Epiſcopis faciendam eſſe, vt nequeat Pontifex in hac parte diſpenſare & vni tantùm conſecrationem committere; vti videntur docere Henriquez Lib. 10. Cap. 24. §. 1. Paulus Comitolus in reſponſion. Moralis Lib. 1. quæſt. 48. num. 13. Marcus Antonius Genuenſis in Praxi Curiæ Archiepiſcopalis Neapolit. Cap. 70. num. 26. Barboſa de Poteſtate Epiſcopi Allegat. 2. num. 45.* ſic ille, proſequens ſtatim probationem in quâ nihil eſt, quod vrgeat. Sic ſunt alij generaliter loquentes de neceſſitate trium Epiſcoporum: & Diana quidem poſt hæc ſcripta viſus *Tomo 12. Tract. 1. Reſolut. 30.* licet ſententiam P. Palai non admittat, nihil contra illam ſtatuit, vnde improbabilem videatur reputare.

P. Palaus.

Non eſſe probabilem oſtenditur.

33 Sed hæc non obſtant: quia licet ante diſpenſationes dictas, opinio negans probabilis fuerit, illis autem frequentiſſimo vſu ad praxim adhibitis, & ita interpoſitâ Pontificum auctoritate ad quotidianum vſum, nequit vllo modo opinio dicta, vt probabilis ſuſtineri. Quotquot in Indiis conſecrantur Epiſcopi ab vno tantùm conſecrantur cum duobus aliis Præbendariis infulatis, quod in *Concilio Africano ſub Bonifacio I. can. 16.* Sic diſpoſitum inuenitur. Vbi pro Epiſcopis duos Abbates adhibendos ſtatuitur, ſi illi non ſuppetant. Neque hoc virtute tantùm diſpenſationis à Gregorio XIII. aut Pio IV. datæ, ſed ea toties multiplicata; quoties Bullæ confirmationis pro Epiſcopis ſingulis expediuntur. Ab his ergo diſpenſationibus totum Chriſtianitatis negotium apud Indias pendet: quæ ſi certæ omnino non ſint, totum illud pariter habetur incertum neque enim veri Epiſcopi certi ſunt, neque Sacerdotes, neque Sacramenta, quæ Sacerdotali Indigent charactere. Hoc autem ſine graui nequit affirmari notâ, & erit qui neget nullus, etiam illorum, qui in præfatâ ſententiâ perſtiterunt. Et quidem Reges noſtri eorum Regium Conſilium, immò & Pontifices ipſi, grauiſſimè peccarent eò quod Epiſcopos in Hiſpaniâ conſecrari prohibeant, & in Indiis conſecrationem accipere compellant(vt videri poteſt apud Dom. Solorzanum *Tomo 2. Libr. 3. Cap. 7. numer. 86.* & in Politica *citato Capite 7. §. Y lo proprio* vbi & Bullam Pauli V. circa hoc adducit) ob cauſſas magnę conſiderationis; quia omnes illæ poſthaberi deberent, vt conſecratione ritè acceptâ per concurſum trium Epiſcoporum, in Regia curia perfacili, cum ea venirent Sacramenti ſui certitudine, quæ ad eorum munus, & animarum ſalutem adeò neceſſaria comprobatur.

Amplior pro eodem probatio.

34 Quod quidem ex communi Theologorum ſententiâ firmari poteſt, iuxta quam conſtat Pontificem non ſolùm circa fidei dogmata proponenda errare non poſſe, ſed neque circa ea, quæ ad mores ſpectant, & communem Eccleſiæ informationem, noxium pabulum pro ſalutari Chriſti ouibus tribuendo. Item neque in Sanctorum cultu, approbatione Religionum, & ſimilibus: quia aliàs poſſet proponi vt dignus ſupremâ veneratione, qui inter diaboli mancipia fortè apud inferos æternâ infamiâ notaretur, & vt via ſecura ad cælum panderetur, in quâ damnationis periculum deliteret. Eſt autem in caſu, de quo loquimur, periculorum dictorum cumulus, vt perpendenti conſtabit. Non enim in vna, aut alia ciuitate, prouincia, regione, aut regno, ſed in ampliſſimis Indiarum tractibus, in quibus tot regna & regiones occurrunt, incerti Chriſti Miniſtri pro certis, incerta Sacramenta, in quibus & Euchariſtia adoranda paſſim incerta, & ferè omnia ſalutis inſtrumenta proponuntur. Neque enim iam in Confeſſionibus ad communem errorem, & coloratum titulum, & Eccleſiæ prouidam voluntatem defectum ſupplentis poteſt eſſe recurſus, quandoquidem apud Theologos conſtantiſſima ſententia eſt; characteris defectum non poſſe ſuppleri. Quàm autem difficilis contritio Indis ſit, ſatis norunt, qui eos norunt, vt ſine adminiculo Sacramenti maxima eorum pars ferè nequeat iuſtificari, ſi in mortalia crimina ſunt prolapſi. Et generaliter quod ſint perituri, ſi Sacramenti Pœnitentiæ contingat deeſſe virtutem, eò quòd verus Sacerdos non ſit, qui illud adminiſtrare conatur, certius eſt quàm vt id oporteat confirmari. Illud ex Concilio Tridentino *Seſſione 14. Cap. 2.* ſit ſatis poſuiſſe ſic dicente: *Eſt aut hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapſis poſt Baptiſmum ad ſalutem neceſſarium, vt nondum regeneratis ipſe Baptiſmus.* Sic Concilium. Gradus ergo neceſſitatis ſufficienter indicat, quale ſit damnum eo deficiente, non in vno, aut altero, ſed in Orbe nouo, Eccleſiæ ampliſſimâ portione.

Sacramentum Pœnitentiæ quàm neceſſarium.

Concil. Trident.

Improbabilius ſtabilitur.

35 Iuxta hæc ergo nequit admitti ſententia illa de abſolutâ neceſſitate trium Epiſcoporum eſſe probabilem modò; quidquid de temporibus aliis fuerit. Vnde qui eam nunc probabilem exiſtimant, non videntur rei iſtius plenam habere notitiam, ac propterea P. Granadus *Tomo* 2. *in* 3 *p. Pag.* 1370. *num.* 5. affirmat circa hoc non eſſe dubitandùm. Et Diana viſus poſt hæc ſcripta *Parte* 12. *Reſolut.* 47. §. *vltimo*, non dubitat eam improbabilem appellare. Et quidem P. Palaus, qui eam, vt vidimus, aſſeruit, & à Diana ſpecialiter impugnatur, ſine ſufficiente auctoritate locutus: illi enim, quos pro ſe affert recentes Auctores, ei minimè ſuffragantur.

A P. Palao non bene inducti Auctores.

Adducit Barboſam *Allegatione* 2. quod per errorem poſitum, cùm non ſit niſi in primâ; *numer. illo* 45. vbi hæc tantùm habet: *Hæc tamen conſecratio à minori numero, quàm trium Epiſcoporum fieri minimè debet.*

Barboſa.

Sic ille; qui de obligatione præcepti poteſt intelligi aut de iure ordinario; ſic enim in aliis ſcriptoribus occurrit, qui cùm ita abſolutè ſtatuant; eo non obſtante aliud per Pontificis diſpenſationem admittunt. Videatur Pater Gaſpar Hurtadus *Diſputat. de Ordine*, *Difficultate* 19. qui & ita loquitur, atque alios ſimiliter loquentes allegat; diſpenſationem tamen admittentes. Et Diana *ſuprà* §. *Sed quidquid.* Deinde Auctor dictus ita accipiendus eſt, ſicut illi ſentiunt, quos pro ſe allegat, & citatus Pater vt apud eos reperit, ac ſine alia differentia tranſcripſit: illi autem contrarium ſentiunt.

P. Henriq.

Nam Pater Henriquez citato *numer.* 1. ita ſcribit. *Conſecrandus eſt Epiſcopus ex præcepto ab Apoſtolorum tempore per três ſimul Epiſcopos, niſi ex cauſſâ Papa diſpenſet.* In Gloſſâ exempla diſpenſationis adducit. P. Comitolus §. *Deinde*, ſic habet:

P. Comitolus.

Sanè D. Thomas apertè ſcribit in 4. *ſentent. diſt.* 24. *quæſt.* 3. *articul.* 1. *ad* 3. *Epiſcopum conſecrare poſſe Epiſcopum idemq́; ſentit Durandus in eamdem diſt. quæſt.* 6. *Sed non addunt ſolum vnum Epiſcopum id poſſe: quare crediderim ſine Romani Pontificis conceſſu hoc non poſſe.* Hæc illi, & quid illis manifeſtius? Neque aliter accipiendus Marcus Antonius Genuenſis, ſicut & alij nouiores ſcriptores, & ita res iſta vti certiſſima eſt habenda. Poſſe namque ſententiam aliquam, quæ probabilis aliquando fuit, determinatione Eccleſiæ ad ſublimiorem gradum certitudinis eleuari, manifeſtis exemplis conſtat, ex quibus plura congeſſi *Tomo* 1. *Theologicorum Problematum*, pro Conceptionis Virgineæ proximâ definibilitate decertans. Vbi & oſtendi quòd licet ad definiendum aliquid poſſit Pontifex probabiliter procedere; quia ſcilicet probabile eſt eum poſſe definire; poſitâ tamen definitione illud iam non eſſe probabile, ſed eum certitudinis gradum continens, quem Pontificia determinatio deſignauit. Et gradu opinionis permanente poſſe illam ad ſupremum illius ſtatum aſcendere, ita vt oppoſitum ſit improbabile, docti ſentiunt. Pro quo & videri poteſt P. Euſebius Nierembergius in opuſculo de ſanctitate certâ Immaculatæ Conceptionis, P. Vega *in Theologiâ Marianâ*, *numer.* 410. *& ſeqq.* Et Mag. Ioannes à Sancto Thoma 2. 2. *Fol.* 770. quem adducit Diana *Parte* 11. *Reſolut.* 20. *in Tractatus Villani Appendice*, & hoc eſt, quod in cauſſâ præſenti minimum eſſe poteſt; nam ſententia Pontificum maiori videtur certitudine præpollere. Vnde & *Libr.* 28. *Titul.* 5. *Parti.* 1. id vt certum proponit, ibi: *Por el Ordinamiento de la Egleſia, &c.*

Circa traſumpta Bullarum authentica quid difficultatis oriatur.

36 Non ergo ex eo argui pro caſu, de quo diſputatio noſtra procedit, veroſimiliter poteſt, in quo docti, & conſcientiæ ſuæ prouidi ſpeculatores Epiſcopi, adeò exactè, cùm hæc ipſa ſcribo, ſe geſſerunt, vt neque cum Traſumptis Bullarum authenticis è Regiâ curiâ tranſmiſſis, auſi fuerint conſecrari: quidquid ſecus ſentiat Dom. Villaroel *Quæſt.* 1. *citatâ Articul.* 10. *numer.* 40. Quia & in his ſua deeſſe dubitatio poterat, eò quòd graues ſcriptores plumbatas Bullas dicant eſſe neceſſarias iuxta Extrauagantis Bonifacij VIII. tenorem: de quâ *numer.* 24. verbis illis. *Abſque dictæ ſedis litteris, litterarum oſtenſionem recipient.* Quæ & in actu Conſecrationis iubentur oſtendi & legi, & vocantur, *Mandatum Apoſtolicum.* Immò & circa Traſumpta ex Romanâ Curiâ deſtinata dubitatum fuit, eò quòd Bullæ in membranâ mitti non potuerint, graſſante contagio, quod membranæ & non papyro ita hærere dicitur, vt beneficio ignis nequeat excludi; cùm tamen in papyro beneficium tale, dum blandè fuerit admotus, ſentiatur:

Quibuſdā procedendū dūbio danda fides, & iuxta ea operandi.

& de Traſumptorum fide indubitabilis concurrit auctoritas Cardinalium ſic firmantium, aſſerentiumque ad conſecrationem ſufficere, & ita factum alibi conteſtantium. Quo circumſtantiarum concurſu dubitatio omnis mihi non ſine talium, ac tantorum teſtium iniuriâ videtur poſſe conſiſtere. Exhibitio Bullarum pro Conſecratione obtinendâ Pontificij juris eſt, & in eo Pontifex poteſt, omnium conſenſu, diſpenſare. In præſenti autem caſu ad diſpenſationem talem vrgentiſſima cauſſa eſt, cùm nequeant Bullæ plumbatæ tranſmitti, nec debeat Epiſcoporum Conſecratio tanto cum Eccleſiarum diſpendio prorogari. Sic factum ex teſtificatione Cardinalium conſtat: neque enim diſpenſatio in Bullâ debûit plumbatâ remitti: ſi enim ita fieri poſſet, etiam originales ipſæ Bullæ poſſent ſimili ratione tranſmitti. Cùm ergo diſpenſatio eo veniet modo, quo venire poteſt, plus aliud exigere, aut inconſiderati & illiberalis timoris eſt, aut animi plus nimio pertinacis.

Ex Bullâ Oraculorū reuocatoriâ arguitur, vbi de fide præſtanda Cardinaliū auctoritati.

37 Quod roborari vlteriùs poteſt ex eo, quod Gregorius XV. in ſuâ de reuocatione viuæ vocis Oraculorum conſtitutione his verbis ſtatuit; poſt reuocationem dictam generaliter decretam: *Firmis tamen*, & in ſuo robore permanentibus *indultis, & alijs conceſſionibus prædictis, viuæ vocis Oraculo S. R. E. Cardinalibus, ad ipſorum vel aliorum, quorumcumque fauorem propriâ S. R. E. Cardinalium manu firmatis, pro ipſis, vel alijs factis, & de quibus ijdem S. R. E. Cardinales teſtimonium in ſcriptis præbuerunt.* Sic ille: manifeſtè oſtendens quanta debeat. S. R. E. Cardinalibus adhiberi fides, quando ipſi ſuâ manu firmatis teſtimoniis aliquid atteſtantur. Licèt autem Vrbanus VIII. etiam viuæ vocis oracula, ſic firmata, reuocauerit; id quidem non ex defectu credulitatis accidit, ſed ob rationem ab ipſo redditam, quia ſcilicet, *ſæpè ab ijs, in quorum fauorem emanarunt, minùs Canoni-*

Digitized by Google

tâ interpretatione extendi, & perperam in diſciplina Eccleſiaſtica detrimentum executioni demandari, experientiâ compertum ſit. Et hoc quidem, quando vnius tantum Cardinalis teſtimonium habetur. Quid ergo iam dicendum, vbi duorum atteſtatio cum inſolitis firmamentis, & Rubricarum multiplicatione in ſingulis foliis habetur, ac prætereà Regij Conſilij regiſtrum in debitâ formâ ad faciendam fidem? His accedit, quod graues Doctores dicunt apud Dianam *Parte 5. Tractat. 2. Reſolut. 31.* quòd ſcilicet de conſuetudine (quidquid de iure ſit) Romanæ Curiæ, Cardinali aliquid aſſerenti credendum eſt, etiam in præiudicium tertij. Pro quo Farinacius *Parte 2. Praxis Criminalis, Quæſt. 63. num. 69. multo plures adducit.* In caſu autem noſtro tale præiudicium non eſt, vnde ea doctrina ſine dubitatione procedit. Quòd etiam ſine iuramento aliquid teſtantibus credendum ſit, alij apud eumdem affirmant, & præſertim quòd credendum ſit quando teſtatur de aliquo à Pontifice facto viuæ vocis Oraculo, tenent alij citati ab ipſo. In caſu autem noſtro non de viuæ vocis oraculo teſtimonium eſt, ſed de expeditione Bullarum, quarum tenor exprimitur, & ita dubitationis omnis fundamentum aboletur. Sacra etiam Rota *die 15. Aprilis 1611.* credendum eſſe aſſertioni Cardinalis confirmanti ſtatutum de mandato Sedis Apoſtolicæ, ſuâ determinatione firmauit.

Et vni tātum etiam cum præiudicio tertij, ſicut & in alijs caſibus.

Rota deciſionem non obſtare circa fidem dictam vni Cardinali præſtandā.

38 Neque his obſtat, quod Rota eadem *die 26. Iunij Ann 1600.* firmauit fidem ſimplicem, & extraiudicialem factam per Cardinalem ſine iuramento non probare concludenter, licèt multùm illi tribuatur. Nam in primis deciſio illa non agit, niſi de teſtimonio vnius Cardinalis, cùm tamen in caſu noſtro duo ſint. Deinde multùm illi tribuendum eſſe ait, idque, quando vnius tantùm teſtimonium eſt: ergo duorum teſtimonio multò plus erit tribuendum: ergo quantùm ſufficiat, vt iuxta illud poſſit operari. Ad quid enim aliud fauor ille, qui eiſdem conceditur, conducere poſſit, vt multùm ſcilicet illis tribuendum ſit, ſi iuxta illud operari non liceet? Item plus multò illud, quod teſtimonio illorum tribuendum eſt, ex circumſtantiis accreſcit, quas expreſſimus, & veriſimilitudinis irrefragabilis: licèt ergo indubitanter operatio; nec tantùm licet, ſed obligatio ſtricta vrget, vt electus & confirmatus debeat intra trimeſtre conſecrari, iuxta id, quod Pontificijs eſt legibus conſtitutum.

Pro eadem fide aliorū Auctorum teſtimonia.

39 Pro ampliori autem confirmatione addendum, quod habet Cardinalis Tuſchus *Concluſ. 103. numer. 15.* vbi ex Alexandro ait duobus Cardinalibus Aſſerentibus, circa alienationem, & decretum circa illam interponentibus perinde credendum, acſi à Pontifice ipſo eſſet interpoſitum decretum: quanta etiam fides teſtimonio duorum Cardinalium adhibenda ſit, ſatis indicat id, quod ex Baldo adducit Maſcardus, *de Probationibus Concluſ. 270. num. 2.* vbi ait duobus Cardinalibus iuratis maiorem fidem adhibendam, quàm ſeptuaginta aliis. Hinc ergo apparet, quanta eiſdem, etiam cùm non iurati deponunt, debeat credulitas reſpondere. Videndus etiam Maſcardus *Concluſ. 269. numer. 13.* vbi ex Bellamera teſtatur per tres definitiuas ſententias Romæ iudicatum Cardinali teſtanti de eo, quod ordinariè iis committi ſolet, fidem penitus eſſe præſtandam. Quia verò circa fidem Cardinalibus adhibendam variæ ſententiæ ſunt, illud certè ex illis omnibus deduci poteſt, ſi qui ſint fauentes, eiſdem annuendum: ſi qui verò videantur obſtare, minimè in caſu præſenti loqui; quia circumſtantiæ tales ſunt, vt à nullo negari queat fidem eſſe prorſus tribuendam. Videantur illi, & præſertim citati, videlicet Cardinalis Tuſchus *Concluſ. 103.* Maſcardus *Concluſ. 269. & 270.* & Farinacius *Quæſt. illa 63.* apud quos alij. Quod ſi quis obiiciat eſſe, qui dubitent in caſu noſtro, reſpondendum eorum dubitationem omni eſſe fundamento deſtitutam. Si verò rumor ſpargendus ſit de minùs legitimâ conſecratione, & apud ſubditos ſcrupuli circa ſui Paſtoris Canonicam promotionem excitandi, vnde & ſcandala conſequenter pertimeſcenda, à conſecratione abſtinendum; vnde ego circa caſum præſentem ſic cenſui vt litteræ dictæ tamquàm pleniſſimâ fide dignæ & haberentur & publicarentur; neque earum diſcuſſio iuriſperitis committeretur; eo enim ipſo de earum videbatur fide dubitari, & dubitandi etiam fundamentum non deeſſe: quandoquidem & conſecratoris & conſecrandi, qui viri docti erant, ſtante litterarum adeò compertâ & irrefragabili ſerie, ad effectum ſatis ſuperque ſufficiebat: ſicut & pro caſu dicto iſta ſufficiant; vt ſit iam

Notanda exceptio.

CAPVT IV.

Epiſcopi Indiarum an ſolâ Regiâ præſentatione poſſint Eccleſias, quibus præſunt, deſerere, & ad eas, pro quibus ſunt præſentati, conuolare.

40 SPecialis pro Indiis difficultas eſt, quia ſic cum præſentatione ipſa Regium ſolet monitorium mitti, vt Epiſcopi ad Eccleſias, pro quibus præſentantur, ſe ſtatim conferant, ne Indi diu cogantur carere Paſtore. Quæ ratio optima eſſet, ſi in Eccleſiâ derelictâ ſimile non immineret incommodum ex derelictione ita deproperatâ proueniens. Vbi ſi dicatur tali incommodo prouidè occurri ex eo quòd Epiſcopo ad illam præſentato ſimile hortatorium dirigatur; vt ſcilicet, quam primùm poſſit, ad eam tendat, gubernationem eiuſdem accepturus: contra illud eſt in primis prouidentiam talem multoties ad effectum dictum nullius eſſe momenti, eò quòd venturus Epiſcopus longiſſimè abſit. Deinde neceſſitas Eccleſiæ ex quâ ſit tranſlatio, præponderare debet neceſſitati alterius, pro quâ eſt præſentatio, quia eſt neceſſitas ſponſæ, cum quâ ſpirituale eſt matrimonium conſummatum, quod vinculum non diſſoluitur niſi electione ad aliam per Pontificem confirmatâ, vt luculenter habetur in Cap. *Inter corporalia de tranſlatione Epiſcoporum.* Quod quidem vinculum adeò ſtrictum eſt, vt robuſtius carnali vinculo à Pontifice pronuntietur, aſſerente non humanâ, Canonicâ inquam conſtitutione, ſed inſtitutione diuinâ, diſſolutionem eius Romano eſſe Pontifici reſer-

Ratio dubitandi circa propoſitam quæſtionē.

Ex vinculo ſpiritualis coniugij arguitur, quod corporali maius.

reſeruatam. Qui ergo ſtare queat, vt ſolâ præſentatione diſſoluatur, vt diſſolui videtur, quandoquidem prior ſponſa deſeritur, quæ ſi verè iam talis eſſet, minimè deſeri debuiſſet? Si verò dicatur non diſſolui, ſtante illo, id etiam ſtare debet, quod coniugio conſtat eſſe propriiſſimum, Indi viduæ ſcilicet vitæ conſuetudo. Nequit ergo eam deſerere, numquam ad eamdem reuerſurus, donec Pontificis accedat auctoritas, cui hoc eſt, vt diximus, diuinâ inſtitutione penitus reſeruatum. Pro quo ſunt, quæ in ſpecie huius casûs adducit Dom. Solorzanus *Tomo* 1. *Lib.* 3. *numer.* 102. & 103. de quo & diſputat Dom. Villaroël *Parte* 1. *Pacificæ gubernationis*, *Quæſt.* 1. *articul.* 14.

41 Quæ quidem ratio manifeſta eſt, vnde Eccleſia ante Confirmationem deſeri nequit auctoritate Patroni, & vi ſolius præſentationis, quia præſentatio ſe ſolâ non eſt efficax ad diſſolutionem ſpiritualis vinculi, neque Eccleſia priuilegium præſentandi concedens, illud aliud videtur concedere, quod adeò exorbitans à iure eſt, & talia in conſequentiam non veniunt, vt habetur per regulam iuris *in ſexto.* Præterquàm quòd neque id poteſt à Pontifice concedi: quia eſt contra naturam ipſius præſentationis: qui enim præſentat, ad hoc præſentationem dirigit, vt ſic præſentatus à Pontifice inſtituatur, & conſormetur, per quod ſpirituale coniugium tandem diſſoluatur. Quærendum ergo vnde praxis iſta deſcendat, quæ procul dubio apparet diſpoſitioni iuris aduerſa, cùm aliàs credibile non ſit, Reges Catholicos quidquam iuri contrarium & rationi diſſonum, attentare. Pro quo

Aſſertio I. Pontificiū ad hoc priuilegium intercedere.

42 Dico primò. Quod Reges noſtri faciunt: cùm eos, quos præſentant, vrgent Regiis litteris, vt ad Eccleſias ſe conferant, ad quas præſentantur, per priuilegium Apoſtolicæ Sedis habetur. Id conſtat: nam cùm aliter fieri nequeat, vt vidimus, & in rebus iſtis ſapientium, & timoratorum Conſilio Religioſiſſimi Reges vtantur, non poteſt de legitimo agendi modo ſine graui eorum iniuriâ dubitari. Quòd autem Pontifices id concedere poſſint, ex eo oſtenditur, quia id poteſt eſſe conueniens: maius enim bonum minori præferendum eſt: quando autem tranſlatio Epiſcoporum fit, de minoribus ad maiores Eccleſias, quibus vtiliores putantur futuri, transferuntur. Plures enim in maioribus Eccleſijs ſunt, ad quos poſſit vtilitas deriuari. Sicut ergo ratione vtilitatis auferre ſponſum vni Eccleſiæ poteſt, ita & inchoationem oblationis huius poteſt Patroni diſpoſitioni committere, quæ tunc contingit, cùm ad Eccleſiam, pro quâ eſt præſentatus, vt ſe conferat gubernaturus eamdem, ex commiſſione Capituli, deſtinatur. Quòd autem in tranſlatione ad maiorem Eccleſiam attendi debeat vtilitas, expreſſit Innocentius III. In Capite *licet:* citato Titulo verbis illis: *Cum in maiori dignitate propter maiorem vtilitatem faciliùs ſoleat diſpenſari.* Sic ille & in tranſlationibus Indicorum Epiſcoporum, ſemper ita agitur, vt nullus, niſi ad maiorem Eccleſiam transferatur, rariſſimo aliquo excepto caſu. Licèt autem pro hoc expreſſum ac ſpeciale priuilegium non ſit, poterit tacitum eſſe ſufficiens, ex eo quòd Pontifices praxim huiuſmodi ſcientes non aduerſentur, ſed benignè annuant, videntes totum illud ad maius fidelium bonum, & Eccleſiarum commodum deſtinari. Pro quo etiam facit generalis illa Indiarum cura Catholicis Regibus à Pontificibus, & præſertim ab Alexandro VI. demandata circa Indorum conuerſionem & omnia alia, quæ ad eamdem conducere poſſunt; propter quod aliqui, vt ſuperiùs vidimus *Titulo præcedenti*, *numer.* 126. eos legatos Pontificios eſſe dicunt: hæc enim prouidentiæ pars, quæ circa Epiſcopos prædicta, pro adeundis ſtatim Eccleſijs, diſpoſitione verſatur; in illâ vniuerſali commiſſione meritò poteſt comprehenſa iudicari. Habet enim illa momenti multùm in ordine ad effectus declaratos.

Maior vtilitas in tranſlatione penſanda.

Cap. Licèt de tranſl. Epiſcop.

Conceſſionem Alexandri VI. fauere.

43 Et ita videtur conuenienter res iſta componi, cùm priuilegium nullum ſpeciale circa illam inueniatur, nec ſine illo poſſit praxis huiuſmodi ſuſtineri: licet nonnullos alios explicandi modos proponat Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 3. *Cap.* 13. *numer.* 93. & *ſeqq.* & in Politicâ *Lib.*4. *Cap.* 13. ait enim licitam eſſe deſertionem Eccleſiæ; quia ei Epiſcopus tranſlatus renuntiat; per renuntiationem autem ſolui ſpirituale coniugium, expreſsè habetur in citato Cap. *Inter Corporalia.* Pro quo eſt & totus *Titulus*, *de Renuntiatione*, qui eſt 9. *Lib.*1. Licet autem renuntiatio nulla ſit Papâ non præbente conſenſum, ex diuerſis iuribus, & præſertim ex Cap. *Quandò*, *de tranſlatione Epiſcopi*, vbi grauiſſima illa Innocentij III. verba: *Poteſtatem transferendi Pontifices ita ſibi retinuit Dominus & Magiſter, quod ſoli B. Petro Vicario ſuo, & per ipſum ſucceſſoribus ſuis ſpeciali priuilegio tribuit, & conceſſit, ſicut teſtatur Antiquitas; cui decreta Patrum ſanxerunt reuerentiam exhibendam, & euidenter aſſerunt Sacrorum Canonum ſanctiones.* Hæc ille, & alia, licet inquam hoc ita ſit, conſenſus tamen Pontificis videtur renuntiationi aſſiſtere, quia eam eſt ratam habiturus, & ratificatio retrotrahitur, ex doctrinâ grauium ſcriptorum, quos adducit. Deinde dici poteſt juxta alios, ex vi præſentationis matrimonium ſpirituale de futuro contrahi, quod per confirmationem Pontificiam perficitur, & conſummatur. Item licet renuntiatio facta ſine licentiâ Pontificis vim non habeat, id intelligendum eſt quoad ſuperioris præiudicium, non verò quoad renuntiantem, in cuius præiudicium valida eſt, & ita generaliter loquendo, renuntians ſine ſuperioris licentiâ nequit ad beneficium reuerti; cùm tamen poſſit à ſuperiore compelli, cui non nocet ſine licentiâ facta renuntiatio.

Modus dicendi Dom. Solorzani ex renuntiatione Præſentati procedens, variè explicata.

Cap. Quandò de tranſlat.

Tranſlationem ſoli Pontifici reſeruatā.

Renuntiationem non valere in præiudiciū tertij ſine licentia factam.

44 Verùm hæc ſatis videntur infirma, quòd & ea oſtendunt, quæ Auctor idem §. *& ſicut*, & §. *Quæ omnia* eruditè, & prudenter accumulat. Et in primis, quod de renuntiatione, per ratificationem retrotractam dicitur, nequit admitti: in caſibus enim, de quibus loquimur, illa non habet locum, quandoquidem exhibitio litterarum Apoſtolicarum ad ſuſcipiendam Eccleſiæ adminiſtrationem exigitur, per quod ratificatio omnis de futuro apertiſſimè excluditur, quidquid de doctrinâ illâ ſit in ordine ad alios effectus.

Renuntiationem non retrotrahi in caſu præſenti, citra citatum Auctorem, cuius & dicta alia confutantur.

Praxis

Digitized by Google

Praxis ergo ſpecialis Indiarum nequit in ratificatione ſic explicatâ fundari. Quod autem per præſentationem matrimonium ſpirituale de futuro contrahatur, Auctores illi non dicunt, qui de electione Canonica, & non de præſentatione loquuntur. Neque P. Azor *Tomo 2. Lib.6. Cap. 16. §. Tertiò quæritur.* Contractum illud aſſeruit, ſed electione inchoatum, & confirmatione perfectum, & conſummatum; & eodem modo accipiendus Farinacius; & vt demus coniugium de futuro contrahi, illud certè coniugium præſens non diſſoluit, & ita in ſuo robore perſiſtit difficultas; propter ſponſam enim de futuro, nequit ſponſa de præſenti derelinqui. Aliud autem de præiudicio additum nullius momenti apparet, quia ſi renuntians nequit ſuâ renuntiatione præiudicium generare, ergo Matrimonium ſuo in robore perſeuerat, quod ſuperioris eſt confirmatione firmatum: & res per eaſdem cauſſas diſſoluitur, per quas eſt nata; vt eſt certiſſima iuris regula. Quod ergo redire ad Beneficium nequeat, qui renuntiauit illi, non ideò eſt, quia ille ſuâ diſſoluere nexum enuntiatione queat, ſed in pœnam irreuerentiæ erga ſuperiorem, & de Epiſcopis ſpecialiter loquendo, pro eo eſt textus expreſſus in citato *Cap. Quantò, de translatione Epiſcopi.* Vbi ſic dicitur. *Ne ad ipſam redeat vlteriùs, diſtrictiùs prohibemus, tùm ſecundùm traditiones Canonicas, qui ad maiorem ſe plebem tranſtulerit, à cathedrâ repelli debeat alienâ, & carere propriâ: vt nec illis præſideat, quos per ſuperbiam ſpreuit, nec illis, quos per auaritiam concupiuit.* Sic ibi Innocentius Tertius. Quod ex eò etiam conſtat: nam cùm ſuperior poſſit dicto modo renuntiantem compellere, vt ad Eccleſiam ſuam redeat, iuxta ea, quæ adducit Gloſſa *in Cap. Quod in dubiis de renuntiatione §. In manum*, & apertam deciſionem. *In Cap. Dilecti filij, eodem Titulo.* Manifeſtum eſt non fuiſſe coniugium diſſolutum. Id quod in eodem *Cap. dilecti* habetur expreſſum, dum ſic in eo Gregorius IX. *Mandamus quatenus Abbatem ipſum loco ſuo reſtitui faciatis, quo integrè reſtituto, voce noſtrâ recipiatis ceſſionem ipſius.* Sic ille. Sicut ergo renuntiatio fuerat nulla, ita & ſpirituale coniugium minimè diſſolutum.

Præſentatione non contrahi Matrimonium de futuro.

Renuntiatione ſine licentia vinculum non diſſolui, ſed in pœnam ſtatui priuationem.

Cap. Quātò de tranſlat.

Cap. Dilecti eod. tit.

45 Cùm ergo omnes citati dicendi modi, ſolido careant fundamento, ad priuilegium eſt, vt dixi, Pontificium recurrendum, in quo tandem Dom. Solorzanus aliquatenus conquieſcit dum ſic ait *num. 104. & ſic melius eſt, quod nitatur in licentiâ Pontificis ſaltem præſumptâ, ad quam præſupponitur quod iam à primo Epiſcopatu erat abſolutus.* Sic ille: cuius tamen ſententia in eo, quod de præſuppoſitâ abſolutione à primo Epiſcopatu addit; difficilis ſanè eſt; quia donec confirmatio pro Eccleſia, ad quam fit tranſlatio, ſuperueniat; non videtur ſic tranſlatus à vinculo prioris abſolutus, vt ex iuribus citatis conſtat: aliud autem eſt licentia adminiſtrandi & aliud confirmatio, per quam ius ad eamdem acquiritur, & nouum matrimonium celebratur. Deinde ſi licentia deſerendi Eccleſiam, & ad aliam ſe conferendi, abſolutionem vinculi præſupponit; rogo à quonam talis abſolutio facta ſit? Nam tranſlatus ipſe eam perficere nequit ſuâ renuntiatione, vt vidimus; pro quo videri ſpecialiter poteſt Caput *Inter corporalia* citatum. Pontifex autem nondum quidquam agens circa tranſlationem inducitur, cuius operatio à Licentiâ incipit, quæ etiam dicitur præſupponi. Pro quo & eſt aliud ſatis vrgens: nam ſi tranſlatus iſte omnino abſolutus eſt; ergo non indiget vt Capitulum ſuam illi poteſtatem ad gubernationem tribuat: cùm tamen oppoſitum per Regis praxim habeatur, & donec confirmatio in ſpe & non in re habetur, Epiſcopus non ſuo, ſed Capituli nomine adminiſtrat, quamquam in hoc ſingulare illud habetur, quod dum adhuc abeſt, gubernatorem alium conſtituit: cùm neque electus, & confirmatus vicarium mittere poſſit, vt tenent aliqui apud Dianam *Parte 8. Tract. 4. Reſolut. 69.* id quod non omnes, aliqui tamen facere ſolent. Quod ex eo ſuſtineri poteſt, quia Capitulum circa hoc non eſt inuitum, & ad hoc etiam facultatem datam extendit. Tum etiam, quia poteſtas hæc non confertur per delegationem, ſed per tranſlationem, dum Capitulum poteſtatem ſuam ita in Epiſcopum transfert, vt ſe illius vſu irreuocabiliter priuet; cùm tamen poteſtas delegata alio modo ſe habeat, quando ſcilicet ita tribuitur vt officio non hæreat, nec ſit ad vniuerſalitatem cauſſarum: vnde & dicitur delegatus non habere proprium quoad iuriſdictionem, ſed ſolùm iuriſdictionis vſum, *leg. 1. §. Qui Mandata D. de officio eius, cui mandata eſt iuriſdictio.* Pro quo videri poſſunt quæ adducit P. Fragoſus *Tom. 1. pag. 427. & 429.* Epiſcopo quidem iuriſdictio pro plenâ gubernatione ex officio competit, & cum à Capitulo, quod eâ etiam gaudet, in eum transfertur; quædam anticipatio eius eſt, quod eidem eſt ſtatim cum officio tribuendum. Ex quo videtur haberi, vt iuriſdictio non debeat delegata cenſeri, quandoquidem continuatur cum ordinariâ, & ratione officij quodammodo conuenit: iam enim ita generaliter hoc currit, vt cum præſentatione pariter conferatur. Neque ex eo, quòd à Capitulo attributa ſit, debet delegata cenſeri, cùm detur ratione officij: quemadmodum iudices locales, qui *Akaldes* dicuntur, licet non à Principe, ſed à Capitulis ciuitatum eligantur, iudices delegati non ſunt, vt cum aliis probat Couarruuias *Lib. 3. variar. Cap. 20. num. 4.* & Vicarius etiam Capituli ſede vacante delegatus non eſt ſecundùm communem ſententiam, de quâ *ſuprà*, & pro quâ eſt Diana *Tract. 4. citatò Reſolut. 63. §. & nouiſſimè:* vbi cùm vno verbo id ſtatuat, ſubdit de eo ſe dicturum dubio ſequenti: in quo tamen nec verbum, ſicut neque in aliis. Non item obſtat Epiſcopum nomine Capituli gubernationem obire; quia & Prorex Regis nomine etiam gubernationi præficitur; & tamen illius iuriſdictio delegata non eſt, vt tenent communiter ſcribentes, & videri poteſt apud P. Fragoſum *ſuprà pag. 429. num. 103. & ſeqq.* Pro caſu autem Indiarum, de quo loquimur, videndus Dom. Solorzanus *Lib. 3. Cap. 4. num. 43. & ſeqq.* & viſus poſt hæc ſcripta Dom Villaroel *Part. 2. Quæſt. 14. art. 1. num. 52.* vbi ait abſque dubio eſſe ordinariam; ſed non ita indubiam, vt probari non debuiſſet.

Auctoris item citati non penitus probanda reſponſio.

Epiſcopus gubernationem poſt ſolam præſentationē aſſumens, quomodo dici poſſit non habere delegatam iuriſdictionem.

Quid propriè delegata, & ordinaria ſit.

Akaldes eſſe Ordinarios.

Vicarium etiam Capituli.

Et Proregem.

46 Quidquid autem de hoc ſit, vt ad id, de quo erat ſermo, reuertamur, licentia Epiſcopi recedendi ab Eccleſiâ non ſupponit abſolutionem à vinculo ſponſalitio, ſed id, quod cum illo

Vinculum cum vna Eccleſia, & gubernationē

 ſtare

Digitized by Google

alterius ſtare poſſit ex quo pro caſu præſenti.

ſtare poteſt, ad eum modum, quo plures adducti à Dom. Solorzano *ſuprà Cap.* 13. *num.* 77. & Diana *Tract. citato, Reſol.* 33. affirmant Epiſcopum poſt acceptas tranſlationis Bullas, etiamſi à vinculo prioris Eccleſiæ ſit abſolutus, poſſe adminiſtrare in illâ, donec alterius accipiat poſſeſſionem. Pro quo & in Politica *Lib.* 4. *Cap.* 13. *pag.* 609. *Colu.* 2. Stare ergo poſſunt vinculum cum vnâ, & adminiſtratio alterius. Vnde è conuerſo quando quis ante Bullas tranſlationis acceptas recedit, vinculum quidem cum priori Eccleſia, retinet, ſed adminiſtrationem alterius pariter cũ illo, donec Bullas tranſlationis acceperit. Sicut & contingit non ſemel, vt cura vacantis Eccleſiæ Epiſcopo committatur, & in Indiis ſic aliquando factum teſtatur Dom. Solorzanus *citato Cap.* 13. *num.* 113. & modò etiam tale aliquid circa Epiſcopatum Paraquarienſem agitur, vtinam fructu iam diu votis communibus expetito.

Aſſertio 2. *Præſentatos teneri ad Eccleſiam ſe conferre, idque ſub graui peccato.*

47 Dico ſecundò. Epiſcopi ad aliam Eccleſiam præſentati, & exhortatorio profectionis per litteras Regis accepto, tenentur generaliter loquendo ad illas, quamprimùm poſſint, ſe conferre, in quo graue eſſe peccatum poteſt immoderantiâ dilationis. Quod probatur. *Primò*: quia Rex præſentans id onus poteſt imponere ex põtificiâ conceſſione, vt vidimus, & qui præſentationem admittit, illi ſe ſubiicit, aliàs fraudem in acceptatione committet; neque enim Rex ſic pertinaci gratiam eam faceret, iudicanti aut Regem iniquè agere ad profectionem vrgendo, aut ſi iuſtè, hortatorium eius, quod mandato æquiualet, contemnenti. *Secundo*; Quia tranſlatio propter maius bonum tantùm fieri debet, vt diximus, *num.* 42. pro nunc addenda alia Innocentij Tertij verba *citato in Cap. inter corporalia.* Vbi ſic ait: *Non enim homo, ſed Deus ſeparat, quos Romanus Pontifex, (qui non puri hominis, ſed Dei veri gerit vicem in terris) Eccleſiarum neceſſitate, vel vtilitate penſatâ, non humanâ, ſed diuinâ potius auctoritate diſſoluit*; ſic ille: quo fundamento poſito currit ratio pro præſentatis generaliter inducta: *citato num.* 42. Poteſt enim ſic præſentatus ire; & aliàs maioris boni obligatio inſtat, eaque in re grauiſſimâ; ergo dum ea non impletur, grauiter delinquitur. *Tertiò*: quia vt modò peculiariter videmus Prorex Peruuianus efficaciter inſtat vt præſentati ad Epiſcopatus, ad deſtinatas ſibi Eccleſias pergant, quia & ipſe ad hoc Regiis mandatis vrgetur, vnde & termini futuri diſceſſus præfigũtur. Et licet hæc circa præſentatos nos Epiſcopos præſertim fiant, ad Epiſcopos etiam tranſlatos extenduntur. Vbi quidem pluſquàm exhortatoria interueniunt, & zelo communis boni, ac præſertim Indorum dubio procul peraguntur. Totum autem hoc omnino eſſet illicitum, ſi præſentati huiuſmodi ad profectionem minimè tenerentur. Dicere autem diligentiam prædictam eſſe ſacrilegam: intolerabilis aſſertio eſt, cùm Regium Conſilium quid circa hoc per Pontificiam facultatem liceat, nequeat non habere perſpectum.

Cap. Inter Corporalia.

Tranſlationem ſolius neceſſitatis aut vtilitatis intuitu faciendam.

Aſſertio 3. *Quando vtilitas aut nulla eſt aut modica, tamen aliter poſſe diſponi.*

48 Dico tertiò. Vtilitas Eccleſiæ aliquando adeò imperceptibilis eſt, vt ea nihil aut certè parum videatur vrgere; quia in tranſlationibus iſtis ad pinguiores redditus tantùm videtur attendi, vt qui in Eccleſiis non ita locupletibus ſeruierunt, adminiſtrationis ſolerter impenſæ præmium honoris & commodi temporalis accipiant. Sic cùm accidit, rectè quidem facerent, qui ſuâ ſorte contenti, ſponſæ alterius connubium recuſarent. Sed erunt qui ſic hæc faciant, pauci: hoc enim pacto aſcenſus eorum deſperantur. Vel quia indecorum ducunt Regi gratiam adeò æſtimabilem in faciem reuocare. Et vt illud ſit, profectionis accelerandæ non vrget obligatio, & res coràm Deo poſſunt iuxta conuenientem vtriuſque Eccleſiæ ſtatum, ſi Proregis non inſtent hortamenta, diſponi, quibus etiam poteſt vrbanum reſponſum adhiberi, vt ipſi iuxta informationem certam, quæ ad Dei ſeruitium ſpectant, etiam ſtudeat confouere. Quòd autem Rex non ſit circa id prorſus inuitus, meritò præſumi poteſt, quia cùm honorem tranſlati in eius præſentatione videatur intendere, non debet credi onus honori præponere, & fauorem in moleſtiam commutare. Benignè ergo agi cum eo vult, de cuius ita eſt honore ſolicitus, quando ex benignâ huiuſmodi tractatione nullum animarum ſaluti diſpendium generatur.

CAPVT V.

Circa Indicos Archiepiſcopos vtilia Pronuntiata.

49 Dico primò. Archiepiſcopi Indiarum ob dilatam miſſionem Pallij, vt ſæpiùs accidit, ſi conſecrati ſint, Chriſma conficere poſſunt, iuxta probabilem dicendi modum. Id probo; quia licet hoc illis prohibeatur *In Cap. Quod ſicut de Electione* §. *ſuper eo*: ratio tamen ibi reddita exceptionem dictam videtur comprobare: ſic enim ibi: *Cùm id, non tamquam ſimplex Epiſcopus, ſed tamquàm Archiepiſcopus facere videatur.* Sic Innocentius Tertius: qui autem ob dilationes Pallij Chriſma conficit, ſub ea proteſtatione; manifeſtè oſtendit ſe non vt Archiepiſcopum ſed vt Epiſcopum, functionem dictam exercere. Et quidem in Indiis ob diſtantiam Cathedralium Eccleſiarum, non ſine moleſtiâ magnâ Chriſma, & Olea ſacra aliunde afferri poſſunt. Neque ita de illorum poteſt Conſecratione, conſtare ac de iis, quæ à preſenti Epiſcopo conſecrantur.

Aſſertio 1. *Archiepiſcopum non accepto Pallio, poſſe aliquando Chriſma conficere in propria Eccleſia.*

Ca. Quod Sicut, de Elect.

50 Dico ſecundò. Si Archiepiſcopus nondum accepto Pallio in aliena diœceſi ſit, & ad conſecrationem Chriſmatis inuitetur, id poteſt licitè præſtare: conſtat ex adducta ratione: nam in tali caſu id non facit vt Archiepiſcopus, ſed vt Epiſcopus; eo quòd proprius non adſit Epiſcopus, & ita ab iis, à quibus per ius licet, ad conſecrationem inuitatur: licet autem Epiſcopo impedito, & Capitulo ſede vacante, aliiſque priuilegiatis. Immò etiamſi Epiſcopus proprius impeditus non ſit, velitque illud genus officij hoſpiti venerando conferre, non videtur in eo graue aliquod piaculum reperiri. Sicut neque in ordinum collatione, ſic aliqui à Panormitano adducti *In Cap. ſicut* de electione, licet ipſe contrarium teneat; quem ſequitur P. Thomas Sancius *Tom.* 2. *Conſilior. Lib.* 7. *Cap.* 1. *Dub.* 16. *num.* 20.

Aſſertio 2. *Poſſe & inuitatum in aliena & Ordines ibidem conferre.*

51 Dico

Aſſertio 3. Chriſmatis prohibitione non venire oleum infirmorũ.

51 Dico tertiò: Prohibitione Chriſmatis non videtur infirmorum oleum comprehendi. Probatur: quia Chriſma & oleum infirmorum ſolent vt diſtincta proponi, tum aliàs, tum quando de Indiis agitur. Sic Leo X. in Bulla pro Indiis ſæpiùs adductâ: verbis illis: *Nec non vti oleo ſancto, & Chriſmate antiquis.* Gregorius XIII. ſimiliter, vt eſt apud Emmanuelem Rodericum. *Tom.* 1. *qq. regular. quæſt.* 31. *art.* 5. Id, quod generaliter habetur *in Cap. Quoniam, de ſententiâ excommunicationis in ſexto.* Vbi de Chriſmate ſub eo nomine diſponitur & tantùm eſt ſermo de illo, quo vertex Baptizati linitur, & ita P. Suarez *Tom.* 3. *in* 3. *partem Diſp.* 23. *Sect.* 1. *dicto ſecundo, iuncto* §. *Secundo principaliter*; bene obſeruat, quod licet apud ſanctos Patres mixtum ex oleo, & balſamo nomine olei deſignetur aliquando, ex eorum tamen doctrinâ, & accommodatione vocis habetur aliquid eo nomine ab aliis ſanctificatis oleis denotari. Cùm ergo diſpoſitiones legum ſecundùm eam ſignificationem verborum accipienda ſint, quæ in vſu communis eſt, dum aliud ex adminiculis aliis non conſtat; dicendum eſt cùm de Chriſmate agitur, ita eſſe vt diximus accipiendum. Præſertim quia diſpoſitio pœnalis eſt, in quâ voces non ſunt, niſi iuxta receptam proprietatem accipiendæ: ſecus in fauorabilibus, vt ſæpiùs dictum. Potuit autem vt non prohiberetur olei conſecratio, ſicut Chriſmatis eſt conſecratio prohibita, ea eſſe ratio, quòd neceſſitas olei quotidiana ſit pro infirmorum vnctione, non ita Chriſmatis, quia illud pro Sacramento Baptiſmi neceſſarium abſolutè non eſt, ſed ad ceremoniale aliquid pertinens: pro Sacramento autem Confirmationis neceſſarium eſt quidem, ſed Sacramentum ipſum neceſſarium non eſt, & poteſt ſine ſalutis periculo differri. Conſecratio etiam Epiſcoporum non ita frequenter occurrit, quæ & ipſa etiam prohibetur. Alia item pro quibus deſeruire poteſt, non ita neceſſaria ſunt, vt in dilatione periculum conſiderabile poſſit deprehendi. Fateor *in Cap. Quoniam* citato: ratione neceſſitatis Baptiſmi concedi vt tempore Interdicti Chriſma conſecrari poſſit, vt ſcilicet ſolemniter poſſit miniſtrari; quia modus alius adminiſtrationis non licet, niſi ratione neceſſitatis. Sed in diſpoſitionibus, quæ ex Pontificum voluntate procedunt, non eſt ſemper quærenda ratio, cur vnum concedatur, negetur alterum, in quibus ſit identitas rationis, & aliquando pro aliquo maior videatur ratio ad ſimilem conceſſionem aut prohibitionem militare. Pro quo aliqua exempla videri poſſunt apud Dom. Solorzanum in Politica *pag.* 553. §. *Y aſsi aunque*: non enim tenetur legiſlator proportiones illas ſemper obſeruare, ſed id quod conueniens occurrit rationabiliter ſtabilire.

Leo X.

Ratio diverſæ diſpoſitionis circa prædicta.

Obſeruanda doctrina.

Aſſertio 4. Poſſe item Ordines ſacros conferre.

52 Dico Quartò. Archiepiſcopi Indiarum ante receptum Pallium, ſi dilatio notabilis ſit, poſſunt Ordines etiam ſacros cõferre, ſic aliquãdo practicatum, cui & docti aliqui annuerunt, & probatur fundamento prioris Aſſertionis, & ad dilationis conſiderationem facit id, quod in promotione Prælatorum Indicorum frequenter euenit, vt ſæpiùs diximus, eos ſcilicet, ad Eccleſias ſuas poſt illarum prolixam vacationem peruenire: ſi ergo tunc ad functiones dictas Pallium diu etiam expectandum ſit, ſemi-vacatio Eccleſiarum erit, dum Paſtores quidem habent, ſed ad multa, & momenti maximi, penitus impeditos. Quod quidem non videtur quomodo Pontificum voluntati poſſit eſſe conforme. Eſt quidem id iure diſpoſitum, ſed iuris diſpoſitiones Indiarum detectione priores, vnde non potuerunt, quæ ad ipſas ſpectant, generaliter prouideri.

Aſſertio 5. Et Epiſcopos conſecrare.

53 Dico quintò. Conſecrationes Epiſcoporum eodem modo fieri ab Archiepiſcopis poſſunt; quando cuilibet Indiarum Epiſcopo cõmittuntur, vt fieri ſolet, habitâ conſideratione notabilis dilationis Pallij, & neceſſitatis conſecrationis ob longam Eccleſiarum vacationem: *Cùm tamquam ſimplex Epiſcopus, & non tamquam Archiepiſcopus facere videatur.* & ſic Pontificiæ determinationi minimè contraire. Et ex dictis circa ordinationem inferiorum Miniſtrorum videtur hoc apertè colligi; quia cùm Sacerdos Sacerdotum ſit, cuius eſt maior neceſſitas, ex minore ad illam rectè inſtruitur argumentum. Pro quo & aliis obſeruatione dignum eſt prædictas functiones ante ſuceptum Pallium obeuntibus, nullam eſſe pœnam impoſitam, vt aduertunt P. Azor *Tom.* 2. *Lib.* 3. *Cap.* 34. §. *Quæres.* & P. Fragoſus *Tom.* 2. *pag.* 594. *num.* 4. vbi alios adducit. Pœna ergo arbitraria erit: vbi eſt manifeſtus exceſſus; & mitis quidem iuxta P. Azor. Ex quibus non leuis deſumitur coniectura; vt intelligamus canones prædicta prohibentes, non eſſe cum eo rigore, quo alij, accipiendos; vnde quacumque rationabili cauſſâ occurrente, nulla erit culpa aliter effeciſſe. Pro quo & eſt vlteriùs non leue aliud fundamentum ex doctrina grauium ſcriptorum deſumptum; vt videri poteſt apud P. Azor *ſuprà* §. *Obiicies id, quod P. Fragoſum n.* 6. & alios aſſerentes Archiepiſcopum ante receptum Pallium poſſe ſuffraganeis Epiſcopis committere conſecrationem aliorum ſuffragorum: id quod eſt conforme *Cap. ſuffraganeis*, de electione, vbi id videtur expreſsè deciſum. Et pro auctoritate illius Decretalis videndus P. Sancius adducendus *num. ſequenti.* Communis autem ratio illa eſt, quia ille eſt actus Iuriſdictionis, & non Ordinis; & quæ iuriſdictionis ſunt, ante Pallij receptionem Archiepiſcopis conueniunt; vt luculenter Gloſſa *in Cap. Cùm ex illo, de tranſlatione Epiſcopi.* Sed quidem cùm Pallium deſignet plenitudinem poteſtatis, quæ Archiepiſcopis confertur, vt expreſſè habetur *in Cap. Niſi*, de vſu Pallij; ibi: *in quo Pontificalis officij plenitudo cum Archiepiſcopalis nominis appellatione confertur.* Cùm inquam plenitudinem talem deſignet, & actus iſte committendi conſecrationem ſuffraganei adeò ſupereminens ſit, non videtur quomodo poſſit ante Pallium receptum conuenire ex vi ſolius confirmationis. Et ita dicendum conuenienter apparet ratione neceſſitatis hanc factam conceſſionem, ne ſcilicet conſecratio Epiſcoporum tamdiu differatur. Nec valet ſi dicatur ſequi ex eo conſecrationem ab illo potiùs conferendam ad quem de iure pertinet. Reſpondetur enim hoc noluiſſe Pontificem, ne circa petitionem Pallij negligenter ſe haberent confirmati, & quia hoc modo voluit excellentiam commendare. Aliquid ergo circa conſecrationem operatur neceſſitas, vt meritò illud debeat Indicis Archipiſcopis

Non impoſitam pœnam circa præfata delinquentibus.

Conſecrationem ſuffraganei poſſe committi ex iure.

Ratio Gloſſæ non admiſſa.

Cap. Niſi, de vſu Pallij.

Ex eo arguitur.

Digitized by Google

pis applicari; vbi cùm non ſit facultas commiſſionis dictæ, vt ab aliis Epiſcopis conſecrentur; quia in hoc multùm eſt temporis inſumendum, & grauis moleſtiæ deuorandæ; ab illis certè poteſt conſecratio ſine culpæ alicuius incurſione conferri.

Aſſertio 6 non poſſe conuocare Concilium, & Eccleſias conſecrare.

54 Dico ſextò. Conuocatio Concilij, & Dedicatio baſilicarum non poſſunt ante Pallij receptionem fieri. Probatur: quia id expreſsè prohibetur citato Cap. *Quodſicut*: & ratione diſtantiæ in Indijs non videtur vrgere neceſſitas, & quod ad dedicationem attinet, ea videtur intelligenda, quæ per conſecrationem fit ritu celeberrimo, & vnctione ſacrâ, in cuius dilatione nullum eſt periculum, nec moræ momenti grauis incommodum. Alia autem, quæ ſine vnctione Chriſmatis fit, à confirmatis tantum concedi poteſt, vt videri poteſt apud Eligium Baſſæum verb. *Benedictio, num.* 5. & vt demus id non poſſe per ſeipſum, poterit alij committere; quia committere poteſt ea, quæ ordinem Epiſcopalem non requirunt, iuxta doctrinam *Gloſſæ prædictam*. Panormitanum. Cap. *Accedentibus, de exceſſibus Prælator.* Angelum *v. Epiſcopus, numer.* 4. P. Sancium *Tomo* 2. *Conſiliorum, Lib.* 7. *Cap.* 1. *Dub.* 16. *num.* 14. P. Sà *eodem verbo num.* 38. Quæ & aliàs de iure diuino illis reſeruata non ſunt, ſed tantùm Canonico, vt benè P. Azor *ſuprà, Cap.* 30. §. *Sexto quæritur*, licèt in eo, de quo loquimur, contrarium videatur tenere Cap. *Eodem* §. *ſequenti.*

Aſſertio 7. non poſſe Abbates benedicere.

55 Dico ſeptimò. Alia quæ ab Epiſcopis præſtanda ſunt, vt benedictio Abbatum, Conſecratio Virginum, & ſi qua alia, de quibus in Cap. *Quamuis*, 68. *diſtinct.* in Indijs aut locum non habent, aut ſine recepto Pallio perficienda non ſunt. Abbates quidem ſolemniter benedicti in illis non adſunt; neque virgines ſolent ritu illo ſpecialiſſimo conſecrari; quod ſi tale aliquid eſſet, non poteſt ratio ita vrgens occurrere, vt nequeat Pallium expectari. Depoſitio autem aut degradatio Clericorum, quæ etiam Epiſcopalis muneris eſt, differri poteſt. Quod ſi ob ſatisfactionem publicam neceſſarium ſit ſupplicium accelerari, neceſſitas tunc caret lege; & quod ratione diſtantiæ conceditur, poteſt ex ſimili ratione concedi. Quamuis neque id videatur neceſſarium, quandoquidem verbalis depoſitio ſufficere poteſt, iuxta id, quod decernit Concilium Tridentinum *Seſſione* 13. *Cap.* 4. de reformatione: ad quam Epiſcopus per ſe, vel per Vicarium procedere poteſt; vnde non requirit ordinem Epiſcopalem. Quod autem ea ſufficiat, vt tradantur curiæ ſæculari; ibidem Concilium indicat verbis illis: *Cùm verò tam grauia nonnumquam ſint delicta ab Eccleſiaſticis commiſſa perſonis, vt ob eorum atrocitatem è ſacris Ordinibus deponendæ, & curiæ ſint tradendæ ſæculari, in quo ſecundùm ſacros Canones, &c.* Licèt communiter Doctores teneant per depoſitionem verbalem priuilegium fori, & Canonis non amitti, & ita depoſitum non poſſe à Curia ſæculari puniri, niſi ſit incorrigibilis, & de eo iudex Eccleſiaſticus atteſtetur, iuridicâ factâ informatione, vt videri poteſt apud Baſſæum *verbo Degradatio num.* 3. & alios, quos citat. Quod ita eſt intelligendum, vt puniri non debeat, quando id expreſsè aut tacitè à degradante non conceditur; concedi autem poſſe ex Concilio deducitur, quod poſt verba dicta ſtatim depoſitionem verbalem fieri poſſe à prædictis declarat, vtique ad effectum prædictum tradendi curiæ ſæculari; aliàs deciſio illa ſatis eſſet confuſa, cùm debeant ea diſtingui, quæ in illâ ſine diſtinctione aliquâ proponuntur: & quidem depoſitio realis vix vmquam adhibetur.

Neque Virgines ritu ſolemni.

Neque degradare reali diſpoſitione.

Verbalem ſufficere.

Concilium Trident.

Qui id ſtare poſſit, cùm non amittatur priuilegiũ fori & Canonis per illam.

Aſſertio 8. quid faciendum, cùm Epiſcopus cui Pallium tradendum committitur, non eſt propinquus, &c.

56 Dico octauò. Si Pallij ſolemnis traditio alicui Epiſcopo in Indiis committatur, & ille non adſit, ſed neceſſarium ſit, aut Archiepiſcopum longiùs abire, aut Epiſcopum è longinquo venire, vel alium iter facientem per Metropolitanam diœceſim expectare, poterit tunc Archiepiſcopus Pallium è manu dignitatis ſuæ Eccleſiæ recipere; quia id ita fieri ſolet. Pro quo faciunt omnia illa, quæ Dom. Solorzanus congerit *citato Lib.* 3. *Cap.* 6. *numer.* 25. *& ſeqq.* & in Politicâ *Lib.* 4. *Cap.* 6. *pag.* 536. *& ſeqq.* vt probet iuramentum fidelitatis, quod ab Epiſcopis præſtari debet, & profeſſionem fidei, poſſe in manibus viciniores Epiſcopi fieri, ſi is qui deſignatus ad tale miniſterium eſt, mortuus ſit, aut longiùs abſit. Quod cùm ita factum eſſet, omnino fuiſſet licitum & legitimum, neque in eo interfuiſſe defectum, qui debuerit ſuppleri, Sedem Apoſtolicam declaraſſe, teſtatur idem *num.* 44. Eſt autem omnino ſimilis ratio in caſu noſtro: & in talibus ex ſimilitudine de voluntate Pontificis iudicandum luculenter ſtatuit, & probat Innocentius III. in Cap. *Inter corporalia ibi. Propter expreſſam tamen ſimilitudinem, vel identitatem potiùs, nemini poterat videri dubium ſubtiliter intuenti: cùm de ſimilibus idem iudicium ſit habendum.* Sic ille, vt probet non ſolùm Epiſcopum Conſecratum, ſed etiam electum & confirmatum, ſpirituale matrimonium cum Eccleſia contrahere, & ita neutrum poſſe ſine licentiâ Sedis Apoſtolicæ Epiſcopatui renunciare. In illis ergo, quæ huius generis ſunt, argumentum à ſimilitudine valdè robuſtum debet reputari.

A ſimilibus valere argumentũ.

Cap. Inter corporalia.

Vrgens probatio ex Concilij Tridentini Decreto circa depoſitionem. Vbi reſidentia commẽdata.

57 Deinde arguo. Nam ea, pro quibus Epiſcopi præſentia requiritur, ſine illâ fieri poſſunt, quando propter illa inconueniens ex defectu reſidentiæ eſt incurrendum, vt probat textus ſingularis Concilij Tridentini *Seſſione* 13. *Cap.* 4. de reformatione, vbi, vt paullò ſuperiùs vidimus, de Clericorum depoſitione agitur, ob enormia crimina, & ſic additur poſt adducta *num.* 55. *In quo ſecundùm Sacros Canones certus Epiſcoporum numerus requiritur, quos ſi omnes adhibere difficile eſſet, debita iuris executio differretur: ſi quando autem interuenire poſſent, eorum reſidentia intermitteretur; proptereà ſtatuit, & decreuit; Epiſcopo per ſe, ſeu illius vicarium in ſpiritualibus generalem, &c. etiam abſque illis procedere liceat.* Sic Concilium. Reſidentia ergo iuxta mentem Eccleſiæ ſummi momenti eſt, & vt illa non intermittatur, circa quoduis aliud, quod valde accidentarium in rebus iſtis eſt, diſpenſandum fore eiuſdem doctrina manifeſtat. Quis autem non videat contra huiuſmodi ſpiritum eam diſpoſitionem fuiſſe, quæ aliquot ante annos apud nos viſa; cùm Epiſcopus Panamenſis quingentas leucas à Limanâ ciuitate diſtans, ad tradendum eiuſdem Archiepiſcopo Pallium eſt accitus, per mare, per terras facto itinere non exiguis facientis moleſtiis, & ſumptibus accientis. Magnus ille planè vir, & multarum virtutum clarus

Factum nuperrum non probatum.

Digitized by Google

De iuramento & profeſſione fidei, idem.

clarus inſignibus, qui ad hoc ſe credidit durâ neceſſitate compulſum, decem mille octi-regalibus eâ in functione conſumptis. Nihil equidem tale in mentem potuit venire Pontificis, benigna ſemper pro animarum ſalute meditantis, & ita de profeſſione fidei, & iuramento fidelitatis idem eſt penitus aſſerendum.

Aſſertio 9. Pallium ab alio accipiendum, etſi procuratori Romæ datum.

58 Dico nonò. Quamuis Pallium Romæ ab Archiepiſcopi fuerit Procuratore receptum, peccabit grauiter ille, ſi nullâ aliâ traditione interueniente, illud aſſumat. Sic Dom. Solorzanus *ſuprà, num.* 45. & in Politicâ *Pag.* 546. *Col.* 2. *in fine*, affirmans, cùm id ſcriberet, in quæſtionem deductum, & à quodam grauiſſimo Prælato non ſatis animaduerſum. Pro quo citat P. Azor *Tomo* 2. *Lib.* 3. *Cap* 30. Sed cùm caput illud longiſſimum ſit, paragraphum oportuit adnotâſſe, ſed quod adnotaretur non fuit, quia nihil tale in illo extat. Capite *autem* 34. §. *ſecundo quæritur*: formula traditionis ab eodem apponitur ex Gloſſa in Cap. *Ad honorem de vſu Pallij*. Procuratori quidem Romæ tradi commune eſt, quia & per Procuratorem petitur, vnde ex eo nequit Eccleſiaſticæ diſpoſitionis ſtylus inuerti, & ſine ſacris ceremonijs id, quod magnis eſt myſterijs plenum, & in cuius traditione plenitudo eſt poteſtatis conſtituta; & formulæ quidem tenor talis eſt, vt nequeat receptioni per Procuratorem adaptari.

Poſſe in eo Pontificem diſpenſare.

Quamuis negari nequeat Pontificem in eo diſpenſare poſſe, formulâ aliqualiter immutatâ, ita vt Procuratori ſine neceſſitate vlterioris ceremoniæ tradatur: quemadmodum confirmatio Procuratori conceditur, & vt Epiſcopus talis haberi poſſit in ordine ad omnia, quæ iuriſdictionis ſunt, nulla eſt vlteriùs ceremonia neceſſaria ex Cap. *Transmiſſam de electione*. Quòd ſi id conſtaret, non eſſet cur deberet Prælatus ſic recipiens condemnari.

Aſſertio 10. Archiepiſcopos Indiarũ ſpeciali curâ debere ergà ſuffraganeos vigilare.

59 Dico decimò. Cùm Archiepiſcopi Indorum, attentâ Archiepiſcopali dignitate, aliquam circa ſuffraganeorum diœceſes exercere prouidentiam debeant, ſiue Sede plenâ ſiue vacãte, & ita admonere negligenter ſe habentes, quorum iuriſdictio ad eos deuoluitur perſiſtente defectu, vt videri poteſt apud P. Fragoſum qui Auctores adducit *Tomo* 2. *Pag.* 596. *num.* 19. & 20. & Dom. Solorzanum *Tomo* 2. *Libr.* 3. *Cap.* 7. *num.* 33. plures congerentem: ex eo tamen, quod Archiepiſcopi Indiarum ſint, maior eſt obligatio, quia & Epiſcopi maiori obligatione tenentur, eò quòd de conuerſione Indorum agatur, & ſtabiliendâ fide, ac Chriſtianis moribus, vnde maior vigilantia debet adhiberi. Neque opus eſt expectare querelas, quæ quidem ad eos deferri poſſunt, quando ob negligentiam ſuffraganeorum, ſubditi detrimenta aliqua patiuntur: vt videri poteſt apud P. Thomam Sancium *Tomo* 2. *Conſiliorum, Lib.* 4. *Cap.* 1. *Dub.* 54. *num.* 23. qui alios adducit. Sed ex officio id præſtare poteſt, quod ex Concilio Tridentino *Seſſione* 24. *Cap.* 3. colligit Felinus in Cap. *Paſtoralis, de officio* Ordinarij; quia iuxta illud poteſt Archiepiſcopus viſitare Prouinciam, & inquirere de criminibus, quamuis non appareat de negligentia ſuffraganeorum.

Non poſſe viſitare Prouinciã, contra aliquos oſtenditur.

Quod & tenent Cabedus & Barboſa pariter adducti à P. Fragoſo *citato numer.* 20. & Barboſa quidem in Collectaneis ad *Lib.* 5. Decretalium *Titulo* 1. *Cap. ſicut* 25. *num.* 4. ex nouiore ait Concilij diſpoſitione id Archiepiſcopos poſſe *citato loco*.

Concil. Trident.

Sed neſcio quibus oculis Concilium ab ipſis fuerit *loco citato* luſtratum: ſic enim habet illud: *A Metropolitanis verò etiam poſt plenè viſitatam propriam diœceſim, non viſitentur Cathedrales Eccleſiæ, neque diœceſes ſuorum comprouincialiũ, niſi cauſâ cognitâ, & probatâ in Concilio Prouinciali.* Sic Concilium, ex quo oppoſitum potiùs colligi debuiſſet. Si ergo id licet, aliunde eſt illud deducendum, & ex eo ſatis probatur intentum, quia ſi viſitare licet, ordinaria etiam cura eiſdem incumbet, quia & Paſtores ſunt, & non vnâ debent eſſe viſitatione contenti.

Quid ſpeciatiter circa curam prædictam à Iure diſpoſitum.

Pro quo eſt textus inſignis *citato in Cap. Sicut de accuſationibus*, in quo ſic Innocentius III. in Concilio Generali, de Concilijs Prouincialibus agens pro reformatione morum in Clero præſertim, conuocandis: *Vt autem id valeat efficaciùs adimpleri per ſingulas diœceſes ſtatuant perſonas idoneas, prouidas videlicet, & honeſtas, quæ per totum annum ſimpliciter, & de plano, abſque vlla iuriſdictione ſolicitè inueſtigent, quæ correctione, vel reformatione ſunt digna, & ea fideliter perferant ad Metropolitanum, & ſuffraganeos, &c.*

Cap. Sicut de accuſat.

Quæ quidem licet eò tendant, vt in Concilijs Prouincialibus ſic obſeruatâ correctione digna corrigantur; vbi tamen Concilia talia rara ſunt; vt in Indijs, eo vtendum correctionis modo, qui opportunus eſſe poſſit, nec ſola charitas, ſed & officij præſtantia erga alios efficaciter perſuadet. Videatur Gloſſa. Quod quidem Sede ſuffraganeâ vacante præcipuè agendum per Regiam ſchedulam habetur, de quâ Dom. Solorzanus *ſuprà num.* 34.

Aſſertio 11. teneri ad conuocãda Concilia.

60 Dico vndecimò. Archiepiſcopi Indiarum graui conſcientiæ obligatione conſtringuntur, ne curam conuocandi Prouincialia Concilia penitus abiiciant. Id conſtat; nam Concilium Tridentinum *Seſſione* 24. *Cap.* 2. de reformatione quolibet triennio id fieri præcipit. Licèt autem in Indiis id fieri commodè nequeat, tum ob vacantes diu ſedes, tum ob diſtantiam locorum, ex qua habetur, vt Epiſcopi per longa temporis ſpatia nequeant reſidere.

Quæ in Indijs ſunt impedimẽta non penitus obſtare.

Tum etiam quia eorum confirmatio ab Apoſtolicâ Sede diu protrahitur, ſicut & regiſtratio in Regio Indiarum Concilio, ne quidpiam Patronatui contrarium inueniatur, aut ex quo turbatio aliqua poſſit in regionibus adeò diſtantibus exoriri. Hæc tamen non videntur obſtare quo minùs id, quod ſacri Canones adeò neceſſarium iudicant, debeat penitus intermitti. Niſi credamus in Indiis adeò Chriſtianè viui, vt nihil reformatione dignum generaliter videatur. Quod vtinam ſic eſſet. Sed res non ita feliciter currere norunt qui Indias norunt, nec poſſunt ij, quibuſcum agimus, ignorare.

Aſſertio 12. à viſitatione Prouinciæ generaliter excuſari.

61 Dico duodecimò. Obligatio viſitandi Prouinciam videtur in Archiepiſcopis Indiarum penitus ceſſare. Id probo: nam cùm id fieri deberet poſt diœceſim propriam viſitatam, vt Concilium Tridentinum *citato Capite* 3. indicat verbis illis: *Etiam poſt plenè viſitatam propriam diœceſim.* Hoc certè nequit cum viſitatione Prouinciæ componi, quia ad eam viſitandam, poſt viſitatam biennio quolibet propriam diœceſim, vt ibidem diſponitur, tempus non ſuppetit ob earum latitudinem. Quod quidem generaliter dictum ſit:

nam

Quid pro caſu ſpeciali.

nam caſus occurrere poteſt, in quo propriæ diœceſis viſitatio poſſit vicario, aut alteri fideli, & prudenti Chriſti Miniſtro committi, vt alteri viſitatione indigenti prouideatur: præſertim quando non tota Prouincia obeunda eſt, quod multorum eſſet annorum negotium, ſed diœceſis aliqua aut illius pars. In quo quidem etiamſi Concilium Prouinciale ita iudicauerit, non debet ſine Patroni conſenſu procedi: quia cùm res inſolita ſit, & turbellis expoſita, debet Regia auctoritas interponi: præſertim quia Patroni officium poteſt à viſitatis implorari, eò quòd in exercitio Beneficiorum, quæ per eius præſentationem accepêre, turbentur. Vnde in hoc grauiter peccari poteſt, dum turbulenta iſta non cauentur remedio dicto, ſed inconſideratè contenditur, vt ſcandala ſcandalis expungantur; vel potiùs vt nouis additis ſcandalis res in deteriùs ruant, & vulnera augeat, quod eſſe debuerat medicina.

Aſſertio 13. de obligatione peculiari circa cauſſas appellatione delatas.

62 Dico decimo-tertiò. Archiepiſcopi Indiarum grauiter peccare poſſunt, dum appellatione ad eos delatas cauſſas non ſtudent delingentiſſimè pertractari. Cùm enim in Indiis diſpenſatum circa id ſit, quod Iura præſcribunt, vt tres eſſe conformes ſententiæ debeant ad cauſſarum concluſionem, ſed duæ ſufficiant, id quod à Gregorio XIII. oportunè diſpoſitum ob locorum diſtantiam, cuius Bullam adducit, & explicat Dom. Solorzanus *Lib.* 3. *Cap.* 9. valde inuigilandum eſt, cùm in ſecundâ inſtantiâ res verſatur, quia ſi conformis ſententia in eâ ſit, non eſt vlterius remedium, quo poſſit litigans reſpirare. Quod quidem cum per vicarios communiter agi ſoleat, in eis conſtituendis lapſus eſſe grauiſſimi poſſunt, de quo *inferiùs*, qui in Metropolitanis deteriores erunt ob rationem dictam. Sicut ergo ſi tertia locum haberet inſtantia, exactior eſſet & maturior cauſſæ diſcuſſio, multorum oculis circa eam intentis: ita in ſecundâ ſic agendum, vt vna illa duarum diligentiam complectatur. Admonitio ſalutaris habetur in Cap. *Conſuluit de appellationibus*, vbi cùm decidatur in notoriis non eſſe deferendum appellationi; ſic ſubditur: *ſed cùm multa dicantur notoria, quæ non ſunt, prouidere debet, ne, quod dubium eſt, pro notorio videatur habere.* Sic Alexander III. & quidem Archiepiſcopo ſcribens, Toletano inquam. Si ergo in notorijs perſpicacia prouidentiæ requiritur, quantò illa debet eſſe acutior, vbi de notorijs non agitur, ſed opus eſt occulti iuris rationes per caliginem veſtigare? & in hoc quidem duplici ſolet extremo peccari, aut acceleratione ſcilicet nimiâ, aut nimiâ etiam protractione; & vbi acceleratio talis eſt, quantum illa rectæ deciſioni obſtet, quæ maturam requirit indaginem, ſatis perſpicuum eſt. Quod autem ſit etiam pernicioſa protractio, eſt item compertum, quia teſtes vel moriuntur, vel recedunt, quorum ratificatio neceſſaria eſt, & ipſa protractionis moleſtia litigantis cura torpeſcit, dum augentur expenſæ, & quidem deſperationis torpor obrepit. Videant ergo hæc Archiepiſcopi Indiarum, Archiepiſcopi inquam, qui ſuo in nomine videndi, præſeferunt principatum. De quibus dicta ſatis.

Cap Conſuluit de appellat.

Quanta diligentia etiam circa notoria requiratur.

CAPVT VI.

Peculiares obligationes Indicorum Epiſcoporum.

§. I.

De obligationibus circa Indorum ſalutem procurandam.

Aſſertio 1. grauiſſimè peccare Indiarum Epiſcopos eorum Indorum negligentes.

63 Dico primò. Indici Epiſcopi grauiſſimè tenentur ad Indorum ſalutem procurandam, vnde & grauiſſimè peccant, dum ea, quæ ad illam ſpectant, omittunt, aut ea præſtant, quibus illam conſtat impediri. Conſtat ex dictis, *num.* 17. ex Concilio Limenſi: nam ea totius Epiſcopalis officij in his Prouincijs potiſſima cura eſt. Hinc eſt vt grauiter peccent

1. Qui non viſitant Indorum populos: negligunt enim oues, quæ ad potiſſimam eorum curam ſpectant. Dum ſcilicet viſitare poſſunt, quia aliàs obligatio ceſſat, vt ex Concilio Tridentino conſtat *Seſſione* 24. *Cap.* 3. *de Reformatione*: verbis illis: *Si legitimè impediti fuerint*. Videatur Dom. Reyna viſus poſt hæc ſcripta *Tomo* 1. *de Perfecto Prælato*, *Lib.* 2. *Tractat.* 5. *Cap.* 5. Quando autem legitimè impediti cenſeri debeant, eorum eſt conſcientiæ relinquendum, qui rem coràm Deo æquâ trutinatione perpendunt.

Non viſitantes, aut viſitatores non idoneos deſtinantes.

2. Qui cùm impediti ſunt, viſitatores mittunt, vt proprijs ipſorum commendis, non Indorum ſpirituali, & temporali; illud enim ex hoc ordinariè pendet, inſeruiant. Ab his enim non Chriſti, ſed auaritiæ miniſtris, nihil quod bono Indorum cógruat, promouetur, ſed omnia in deteriùs adducuntur. Hæc adeò ſunt perſpicua, vt dilucidius nihil, ſicut & teneri eos ad reſtitutionem ratione diſpendiorum, quæ Indi ab his, & eorum comitibus, miniſtris, & ſeruitoribus ſunt perpeſſi.

Et Indorũ expenſis, cùm de Idololatria agitur, ſuſtentandos.

64 3. Qui cùm intelligant in populis Indorum idololatriæ aliquas reliquias hærere, viſitatores mittunt Indorũ expenſis ſuſtentandos. Quorſum enim hæc, vbi certi delinquentes non ſunt? & vt eſſe illos conſtet, eorum ſunt tenuiſſimæ facultates, nec confiſcandæ illæ, quandoquidem cum iſtis de rigore iuris non agitur. Vnde paucos ante dies circa hoc Regis noſtri pietas, & zelus enituit, dum ad Prælatum quemdam, quem tale aliquid diſpoſuiſſe, & peregiſſe cognouit, grauiſſimis verbis ſcripſit, ne tale aliquid vlteriùs moliretur, ſed perſuaſum ſibi haberet omnes ſuos redditus, qui erant ſanè pinguiſſimi, eo in opere iuſtiſſimè ab eodem inſumendos.

Parochias familiaribus linguæ Indicæ ignaris conferentes.

4. Qui Parochias Indorum familiaribus conferunt, Indicarum linguarum ignaris, quadam ſuperficiali earum notitiâ contenti. Quo malo vix eſſe aliud maius poteſt, & circa hoc quidem ſatis eſt Regiâ prouidentiâ conſultum, ſi illi debita executio reſponderet. Nec iuuat commune illud effatum, notitiam dictam vſu facilè comparandam. Quòd certè tolerabile eſſet, ſi non ſuppeterent alij eo in genere peritiores. Sed quod

Digitized by Google

quod vſu comparandum dicitur, vſu conſtat minimè, ita per ignorantiæ portas introeuntibus, euenire. Cùm enim eos animarum zelus ad officia prædicta non trahat, ſed emolumentorum temporalium imperioſa cupiditas, poſtquàm adepta illa non eſt, quod ignem illum cœleſtem accendat, vt ſic eà ſuperari difficultas poſſit, quæ in addiſcendis barbaris linguis ſemper inuenitur.

Obligatio inde reſtitutionis

Vbi præter ingens præiudicium, quod miſellis indigenis inde contingit, obligatio etiam reſtitutionis oboritur. Sic enim officia accipientes, cùm officio non faciant ſatis, nequeunt Beneficio integrè potiri, vt eſt certiſſimum in Iure & eo peritis axioma. Si ergo illi non reſtituant, vt frequenter euenit, ad eos obligatio reſtitutionis ſpectat, qui cauſſam damno ſuâ electione dederunt, de quo dictum *ſuprà* ſemel, & iterùm, & eſt omnium inconcuſſa doctrina.

Aut ſolius linguæ titulo aliàs ineptos.

65 5. Qui per aliud extremum, ob peritiam linguarum cum aliis requiſitis ad officium Parochiale diſpenſant vitioſos homines, illiteratos, & prauè genitos, gregibus nouellis, futuros magis lupos quàm paſtores, inhumaniter obtrudentes. Vix credi poteſt futuros aliquos ſic facientes in gremio illo ſacratiore; ſed quia eſſe poſſunt, non eſt documentum hoc, non meum, ſed magiſtri ſublimioris, omittendum. *Niſi, qui ſcientiâ, & moribus commendatus exiſtat.*

Quales iuxta Canones requirant.

Cap. In cunctis, de elect.

Talis debet eſſe curatum Beneficium accepturus, vt exponit Alexander tertius in Conſilio Lateranenſi, & habetur *in Cap. In cunctis, de electione.* Linguæ notitia, ſcientiæ aliqua portio eſt, & adeò exigua, vt qui eâ ſolâ eſt præditus, non ideò ſcientiam habere dicatur. Addendum ergo vlteriùs id, quod neceſſarium eſt, vt quis ſciens, & ſapiens poſſit compellari: per quod vnum tantùm habetur futuri Parochi ornamentûm. *Moribus ergo commendatus exiſtat.* Cuius ſcilicet probata ſit virtus, & communibus teſtimoniis confirmata. Neque, quia Indorum Parochia eſt, circa prædicta non inſtandum, quia & pro illorum inſtructione, adminiſtratione Sacramentorum, & multis, quæ in ipſorum gubernatione contingunt, præſidium eſt non leue doctrinæ requiſitum, ex cuius defectu errores ſatis perniciabiles committuntur. Quod verò ad mores attinet, iam ex dictis *ſuperiùs* liquet quàm debeant eſſe maturi, ne penitus prauis exemplis deſtruant, quod docentes ædificare contendunt. De quo & *inferiùs* circa Parochos Indorum, pro quibus etiam ſuperiores dotes Concilium Limenſe tertium requiſiuit *Actione 2. Cap. 31.*

Indorum querelas non admittentes, cum opportunis animaduerſionibus.

66 6. Qui Indos de ſuis Parochis querelas coràm ipſis proponentes auſterè repellunt, & ad allegata & probata ſemper prouocant, mendaces eos, & criminoſos compellantes: hac enim ratione irremediabiles fiunt eorum miſeriæ, circa ea, quæ à prædictis patiuntur. Fateor equidem aliquando mentiri Indos, & falſa quædam ſuis Parochis imponere; ſed illud non niſi inducti ab aliis faciunt, qui inimicitias cum eis gerunt; bonos namque Parochos, quos Indi erga ſe beneuolos, & officij ſui memores experiuntur, diligunt; & veneratione eximiâ proſequuntur. Aliud ergò eſt de punitione, aliud de remedio tractare, quod equidem extraiudiciali poteſt animaduerſione diſponi. Quamquàm & in hoc timeri aliud damnum poteſt, ne ſcilicet Parochi Indorum querelis irritati, erga illos ſe exhibeant duriores. Vnde & hoc debet Prælatorum ſolertia prouidere. Quod ſi inter Parochos, & Indos ſibi commiſſos controuerſiæ frequentes ſint, de permutatione agendum. Neque enim ſperari poteſt vt Indi Parochos pro remedio animarum conſulant, & eis ſincerè per Confeſſionem conſcientias aperiant, & ſiquid ſuperſtitionum eſt reliquum, eiſdem manifeſtent, quos non Patres, ſed aduerſarios implacabiles agnoſcunt. Quòd ſi permutatione factâ in eodem agendi genere inemendabiles deprehendantur, remouendi procul dubio, & vt ſibi tantùm vacent, auocandi. Vt quid enim terram occupet infructuoſa ficulnea, quæ diu expectata vt faciat fructum, neque reddit, neque reddendi ſpem vllam præfefert? & vtinam infructuoſa tantùm illa, & non etiam peſſimis germinibus iniurioſa. Neque hærendum ex eo, quòd ad titulum Indorum ordinatus, ſi ab officio cadat, ægre ſit, quæ ad ſuſtentationem neceſſaria fuerint, habiturus; ſibi enim hoc imputare debet, neque enim ob vnius temporale commodum, tot ſunt temporalia, & ſpiritualia detrimenta in teneris Eccleſiæ filiis toleranda. Neque in Indiis Sacerdotes ita egere contingit, vt illis neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem deſint, & ita cum iniuriâ ſui ſtatûs cogantur mendicare.

Ad titulum Indorum ordinantes eorum linguam non callentes.

67 7. Circa hoc ipſum, qui ad titulum Indorum eos ordinant, qui eorum linguam ignorant contra ſacrorum Canonum diſpoſitionem, & præſertim contra Concilium Tridentinum *Seſſione 21. Cap. 2.* Neque ſpes addiſcendi ſufficit, ſicut neque ſpes obtinendi Beneficium, aut certus redditus ad ſuſtentationẽ ſufficeret, ſic communi Doctorum ſententiâ comprobante. Neque circa hoc credendum ſimplici alicuius de ſe ipſo atteſtationi, vt aliquando accidit, immò nec multorum: ſed debet Prælatus per ſe ipſum examen inſtruere peritorum miniſterio, atque etiam Indorum, qui an examinatum intelligant interrogandi ſunt. Quidquid aliter agitur, fallaciis obnoxium niſi Vicarius generalis talis ſit, vt poſſit hoc ipſi confidenter committi.

Aut ſeruire in paruis Parochijs nolentes ad pingues nominantes.

Vnde & conſequenter peccant, qui ordinatos cum prædicto titulo, cùm opus eſt, miniſterio prædicto non addicunt, eos pœnis propoſitis conſtringendo, & peſſimi profectò exempli res eſt, vt ſtatuit Concilium Limenſe tertium *Actione 2. Cap. 40.* quòd Prælatus eum, qui tenui alicui Parochiæ inſeruire renuit, & propterea cenſuris impoſitis plures per menſes inuoluit, ſtatim abſolutum ob preces petentium, aut negotiationem aliquam ad pinguem Parochiam eligat, licet aliàs ſufficientem. Purgari illa inobedientia debuit, & exemplo alij ad debitum huiuſmodi obſequium excitandi. *Dignum eſt enim, vt quos Dei timor à malo non reuocat, Eccleſiaſticæ ſaltem coërceat ſeueritas diſciplinæ. Cap. Cum in cunctis, de electione, §. Clerici.*

Cap. In cunctis de elect.

Iura ſtatuentes ab Indis Parochis ſoluenda ob ſacrorum adminiſtrationem

68 8. Qui pro adminiſtratione Sacramentorum iura ab Indis Parocho ſoluenda præſcribunt, quod in cauſſa eſſe poteſt, vt illi ab eorum receptione retrahantur. Quod quidem à Concilio Limenſi Tertio pro viridiſſima conſtitutione ſancitum, *Actione 2. Cap. 38.* vbi inter alia ſic habetur:

Digitized by Google

betur: *Ceterùm de Indis iam pridem Concilium Limenſe conſtituit ac declarauit, neque pro Sacramentorum, neque pro Sacramentalium adminiſtratione, neque verò pro ſepulturæ eiuſque apertione, quidquam exigi aut recipi poſſe, ſacerdote quidlibet ab Indis recipiente, quadrupli pœnâ mulctato. Quod ſalutare documentum Neophytorum ædificationi, & fidei magnopere neceſſarium, & à pleriſque cum non mediocri ſcandalo illorum contemptum: hæc ſancta Synodus denuò innouat, & quantùm poteſt ſerio commendat, declarans nullas in hac parte conſuetudines tamquàm laudabiles eſſe allegandas, quæ potiùs abuſus ſunt nuncupandæ.* Hæc Concilium Sedis Apoſtolicæ approbatione firmatum. Quî ergo ſtare poſſit, vt quod adeò ædificationi Neophytorum neceſſarium eſt, & ad fidem tantopere neceſſarium, Epiſcoporum ſtatuta conuellant, & ſoluenda à prædictis iura in Sacramentorum adminiſtratione conſtituant? Sed in Diœceſana Synodo factum illud. Quid inde? In ea ſolus cum Parochis Epiſcopus ſuam cauſſam agentibus, & vix alius, cuius non poſſit præualere ſuffragium. Acta in Limenſi Congregatione, quæ & Concilij nomen obtinuit, & primum omnium fuit *Anno* 1552. In Concilio tertiò *Act.* 1. *Cap.* 1. nullius ſunt roboris declarata, quia & legitima eorum deſideratur auctoritas, & pleraque eorum in meliùs ſunt poſteà commutata. Quæ quidem commutatio in duobus eſt Conciliis ſequentibus, ac præſertim in tertio peracta. Si ergo Prouincialis Congregatio minùs bene multa diſpoſuit, quia paucorum, & non adeò expertorum, quantùm res exigebant fuit: quid iam mirum ſi dicamus diœceſanum conuentum minùs benè, quod diximus cenſuiſſe? In quo quidem Indici Parochi ferè ſoli, de quorum ſapientiâ & experientiâ alij iudicabunt. Contra Limenſe profectò Concilium decerni non potuit ob firmamenta dicta: quod ſi ſecus factum, debet omnino infectum æſtimari. Conſultiùs profectò diœceſana Synodus Limenſis, præſidente Illuſtriſſimo R.D. Bartholomæo Lobo Guerrero *Lib.* 3. *Tit.* 8. *Cap.* 9. & *Lib.* 4. *Tit.* 1. *Cap.* 7. & Pacenſis ſub Doctiſſimo Feliciano de Vega *Lib.* 1. *Tit.* 5. *Cap.* 19. cum prædicta Prouinciali diſpoſitione concordant, Regias pro eodem ſchedulas allegando. Pœnam autem dupli ſolum diœceſana Limenſis aſſignat, ideò fortè quia pœna quadrupli non fuit vſu recepta.

Concilium Lim. 3. circa id grauiter prouidiſſe.

Cui non bene à Synodo Diœceſana contraitū.

Quid Limenſis, & Pacenſis.

69 9. Et vltimo. Qui Parochos Indorum diu à ſuis Parochiis abeſſe permittunt, licet per ſubſtitutos ſeruiant; quod quidem quàm ſit iuſtitiæ contrarium ſatis conſtat. Et licet generaliter ita fieri debeat ob reſidentiæ obligationem, de quo dictum *numer.* 20. in Parochis Indorum ſpeciale eſt, eò quòd Indi magis indigeant, minus enim ſe ob defectum capacitatis ad negotia animæ iuuare poſſunt. Neque ſubſtitutorum ſuffectio eos releuare poteſt: non enim proprij Paſtores, ſed mercenarij ſunt, Chriſti ſententiâ caſtigati *Ioan.* 10. Teneriores autem partus maiori curâ Paſtoris egere quis neſcit? vnde & Paſtorum Paſtor eos debet in officio continere. Sed de hoc etiam *inferius*; vbi de Parochis. Quæ autem diximus licet videantur eſſe notiſſima, nec poſſe ab aliorum & meis pariter Magiſtris ignorari, non tacenda fuerant, quia & doctrinæ hoc requirit integritas, & quod doctrinæ non proderit, prodeſſe potuit hortamento. Liceat ætati aliquid, liceat experientiæ, liceat zelò bonum puſillorum iſtorum promouendi; ideò pergens.

Permittentes abſentias Parochorum.

§. II.

De obligationibus circa obſeruantiam Regij Patronatus.

70 Dico ſecundò. Epiſcopi Indiarum peccare grauiter poſſunt Regio ſe patronatui contrarios exhibendo. Id conſtat. Quia Patronatus Regibus noſtris, non ex vſurpatione aliqua, ſed Pontificia eſt largitione conceſſum, vt conſtat ex Bulla Iulij ſecundi, quam adducit Dom Solorzanus *Tom.* 2. *Lib.* 3. *Cap.* 2. *num.* 10. In quâ licet cenſuram aliquam, aut ſpecialem pœnam aduerſantibus non imponat, ſatis tamen explicat in eo graue committi peccatum, dum ait, eum, qui contraire auſu temerario præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum incurſurum. Iurant præthereà Indiarum Epiſcopi Regium ſe Patronatum ſeruaturos. Quia verò Iuramentum iuxta id cadit, quod in Bullâ prædictâ continetur, non extenditur ad alia, ſed obligationem obſeruantiæ reddit ſtrictiorem, vt aliàs dictum. Cum etiam in ea illi tantum damnentur aduerſi, qui auſu temerario contraiuerint, & attentare præſumpſerint, non ſunt eo fulmine cōprehenſi, qui bonâ ducti ratione & auctoritate non leui, in aliquid ſibi non bene viſum conſentiunt, ſeruatâ ſemper declarationi Regiæ ſubiectione, quæ tamen non eſt cuilibet Regio nomine Patronatum exercenti debita, vt videtur manifeſtum. Videatur Dom. Solorzanus locutus in ſimili circa Extragauantem *Iniunctæ*, quâ ſola damnari videtur præſumptio; ſeu dolus, cui æquiualet *pag.* 554. §. *Pero aun llegando*; *In Politica*. Circa quod videnda etiam, quæ Doctores habent ſcribentes *In Cap. Decernimus, de Iudiciis in verbo, Non præſumant.* Et in Bullam Cœnæ, vbi verbum dictum aliquoties occurrit, & poſtremò circa abſoluentes à caſibus in illâ contentis, vbi præſumere auſum temerarium, & dolum dicere Docti Scriptores obſeruant. Videatur P. Fragoſus *Tom.* 2. *Pag.* 259. *num.* 346. P. Palaus *Parte* 6. *Diſput.* 3. *Puncto* 21. *num.* 1. P. Sa *verbo de excommunicationibus Bullæ Cœnæ num.* 19. Bonacina *Part.* 3. *Diſputat.* 1. *Quæſt.* 21. *Puncto* 1. *num.* 25. *Poſt* P. Suarium *Tom.* 5. *in* 3. *partem Diſp.* 21. *Sect.* 2. *num.* 105. vbi probabili titulo iuxta doctorum hominum iudicium facta, omnem ait excludere præſumptionem, & ita culpam ac pœnam. Quod ergo circa Pontificia mandata omnium grauiſſima licet, in caſu, de quo loquimur, licitum fore demonſtrat. Vnde illi potiùs de temerario auſu, ac præſumptione damnandi, qui ſic procedentes Epiſcopos ſtatim temporalitatum priuatione, & naturalitatis ablatione perterrent. Quod quidem à Religioſiſſiorum Regum noſtrorum mente ita alienum eſt, vt nihil magis illi contrarium poſſit cogitari.

Aſſertio 2. Peccare grauiter Regis patronatui contrarios.

Et qualiter iuramenti violatores.

Non ita, qui neque auſu temerario, neq; ex præſumptione procedunt.

Circa Bullam Cœnæ ſola damnatq; præſumptio.

71 Dico tertiò ſi Epiſcopi in electione ad Beneficia non ſeruent formam à Patrono præſcriptam, non videntur facere contra iuramentum,

Aſſertio 3. Non ſeruantes formam in

Digitized by Google

electione vt peccent, vel à peccato excuſentur.

tum, dummodo ius præſentationis illæſum ſeruent: peccant tamen contra receptam conſuetudinem, quæ à Pontificibus videtur approbata, & peccatum eſſe graue poteſt, ſi ex eo grauis Regis offenſio ſubſequatur, & turbationes illæ ac ſcãdala, quæ inter illos & Proreges, ac Prǽſides, Gubernatoreſque alios Patronatum loco Regis exercentes, ſolent ſuſcitari. Primum ex eo videtur conſtare, quia forma electionis non eſt in Bullâ Patronatûs appoſita, & ita circa illam ſolent eſſe varietates: iuramentum autem ad ſubſtantiam tantùm videtur extendi iuxta id, quod eſt à Pontifice conſtitutum. Alia enim accidentaria ſunt, & ad modum ſpectant; iuramenti autem forma non continet accidentia, & modos, & ita ad huiuſmodi ſe illius obligatio non extendit. Secundum autem ex eo patet: quia Rex ita conſtitutus eſt Patronus, vt cum ampliſſimâ aliunde ſibi facultate conceſſâ in ordine ad ea, quæ pro Indorum conuerſione, & Chriſtianæ religionis in his partibus fundatione conducunt, ea poſſit conſtituere, quæ magis opportuna fuerit arbitratus. Atqui ita factum ab eo circa prouiſiones Beneficiorum, ſic etiam probante Pontifice: ergo ab eâ formâ diſcedere, cùm in re grauiſſimâ ſit, graue eſſe peccatum poteſt. Accedit conſuetudo, quæ etiam decreto deficiente ſufficeret, quia quando antiqua eſt, vim decreti habet, conſenſus, & iuſtitiæ, & operatur vt illud, quod eſt conſuetum, debeat fieri. *Cap. Licet ex ſuſcepto, de foro competenti.* Pro quo Cardinalis Tuſchus. *lit. C. Concluſ.* 959. & alij communiter: quod autem ad turbationes attinet, ſatis apparet; quantum afferat detrimentum. Certiſſima illa D. Auguſtini ſententia eſt *Epiſt.* 118. *Ipſa mutatio conſuetudinis etiam, quæ adiuuat vtilitate, nouitate perturbat.* Sic ille. Quòd ſi conſuetudo, quæ vtilitate adiuuat, talis eſt, vt nouitate perturbet, quid illa faciet, quæ vtilitatis nihil affert, & ſolùm ad perturbandos animos gubernantium vim noxialem exercet, vnde & aliorum perturbationes non ſine grauibus Dei offenſis multoties ſuſcitantur. Debent ergo Epiſcopi circa iſta eſſe cautiſſimi, tum in eo rerum genere, de quo loquimur, tum in aliis, gubernantium beneuolentiam affectantes; hæc enim Chriſtiana concordia multùm ad omnia illa confert, quæ Dei & Regis ſeruitio poſſunt opportuna & congrua paſſim accidere; & illius defectu in diaboli triumphos commutantur.

Iuramentũ vt obliget.

Conſuetudo pro lege habenda, & illius vis.

D. Auguſtini præclara ſententia circa illam.

Hortamentum ſalutare.

§. III.

Quæ congruæ ſuſtentationi ſuperſunt, qualiter diſtribuere teneantur.

Aſſertio 4. Vt peccent pecunias in Hiſpaniam deſtinantes.

72 Dico quartò. Epiſcopi Indiarum graue conſcientiæ grauamen incurrent, ſi quod ſuſtentationi congruæ ſupereſt, in Hiſpaniam mittant, nec ſtudeant pauperum neceſſitatibus ſubuenire. Res eſt clara, ſacrorum Canonum & Doctorum communi ſenſu firmata. In aſſignandâ autem congruâ portione non poteſt alia deſeruire regula, niſi quam ordinata Charitas vnicuique, & lex temperantiæ præſcribit. Pro quo eſt grauiſſima Antiocheni Concilij Cõſtitutio Cap. 35. quæ habetur *in Cap. Epiſcopus* 12. *quæſt.* 1. & ſic illa: *Epiſcopus Eccleſiaſticarum rerum habeat poteſtatem ad diſpenſandum erga omnes, qui indigent, cum ſummâ reuerentiâ, & timore Dei. participet autem & ipſe, quibus indiget; ſi tamen indiget, tam in ſuis, quàm in fratrum, qui ab eo recipiuntur, neceſſariis vſibus profuturis: ita vt nullâ qualibet occaſione fraudentur: iuxta Sanctum Apoſtolum ſic dicentem* 1. *Timo* 6. *Habentes victum, & veſtitum, his contenti ſumus.* Hæc ibi, & alia: iuxta quæ non alia, quàm neceſſitatis regula debet obſeruari. Quod autem ea neceſſitas non debeat limites nimis ſtrictos habere, ex *Cap. Ex his*, quod immediate antecedit, euincitur: ſic enim ibi: *Ex his autem quibus Epiſcopus indiget, ſi tamen indiget, in ſuas neceſſitates, & peregrinorum fratrum vſus & ipſe percipiat, vt nihil ei omnino poſſit deeſſe.* Hæc Gratianus ex Canonibus Apoſtolorum. *Can.* 41. circa quæ notabiliter Gloſſa ſic infert: *Quia de rebus Eccleſiæ non debet quis paſci, ſi habet propria.* Pro quo adducit. *Cap. Clericus & Cap. Paſtor* 1. *quæſt.* 2. in quibus id manifeſtè deciſum occurrit. Sed Gloſſa ibi diuerſas adhibet expoſitiones. Primò enim ait exhortationem eſſe, non præceptum: ſed explicatio talis textibus manifeſtè contradicit. In *Cap.* enim *Clericus* ſic habetur: *Qui autem bonis parentum, & opibus ſuis ſuſtentari poſſunt, ſi quod pauperum eſt accipiunt, ſacrilegium profectò committunt, & per abuſionem talium, iudicium ſibi manducant, & bibunt.* Sic ex D. Hieronymo ad S. Damaſcum. *In Cap. Paſtor*, id expreſſius verbis illis: *Nec illi: qui ſua poſſidentes, dari ſibi aliquid volunt, ſine grandi peccato ſuo, vnde pauper victurus erat, accipiunt.* Sic ex D. Proſpero, *Lib.* 2. *de vita contemplatiua Cap.* 9. Cùm ergo expoſitio dicta ſuſtineri nequeat; ſic pergens dicit: *vel de his loquitur, qui occaſione patrimonij ampliandi quod habent, ſe à diuinis ſubſtrahunt obſequiis: quibus ſe abſentantibus dandum non eſt.* Sic Gloſſa. Et poteſt eius explicatiò firmari ex iis, quæ habentur in fine *Cap. Paſtor.* dum ſuſcipi ab Eccleſia prohibentur *illi, qui in domibus parentum reſidentes, vel ſua relinquere nolentes, Eccleſiaſticis facultatibus paſci deſiderant.* Poterant enim Clericatûs allegare titulum, vt bonis Eccleſiæ paſcerentur: quem tamen Doctores ſancti volunt minime in rebus Eccleſiæ laborantibus ſuffragari.

Regula pro congrua ſuſtentatione.

Cap. Epiſcopus 12. quæſt. 1.

Cap. Ex his Ibid.

Gloſſa duplex explicatio, vt præceptum non vrgeat abſolutè, circa Cleri portionem.

Cap. Clericus.

Cap. Paſtor.

73 Addit & tertiam explicationem in hunc modum: *vel dic de quartâ pauperibus debitâ, quæ dari prohibetur abundantibus. Panis enim egentium &c.* vt infra 14. q. 5. *Cap.* 2. In quo ſic dicitur. *Panis egentium vita pauperis eſt, qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt: qui effundit ſanguinem, & qui fraudem facit, neceſſariò fratres ſunt.* Sic ibi: Eſt autem ſententia ex Scriptura deſumpta. *Eccli* 34. *v.* 25. & 27. ſed extrema illius pars ex vulgata eſt corrigenda in hunc modum: *Et qui fraudem facit mercenario, fratres ſunt.* Sic autem non eſt ad rem, de qua agitur, nec benè eam intulit Gratianus. Eſt autem explicatio minimè textibus adaptabilis, vt legenti conſtabit, & incredibile voluiſſe Clericos, vt portio pauperibus aſſignata, quæ nullo modo ad eos pertinebat, illis adiudicaretur; quamuis aliàs, ſi, quod volebant, daretur ipſis, pauperibus tolleretur; quod quidem ipſi aliter interpretabantur, dicentes in communibus bonis Eccleſiæ Clericos, eo ipſo quòd

Tertia alia eiuſdem.

Eccli 34. v. 25. & 27.

Minimè textibus adaptabilis.

ſortis domini eſſent; ſicut quondam leuitæ, ſuam etiam habere portionẽ. Præterquam quòd ſancti Simplicius, Gelaſius, & Gregorius Auctores Canonum de quartâ pauperibus erogandâ poſt D. Hieronymum, non exiguo annorum interſtitio in Sede Apoſtolica præſederunt, quibus etiam antiquior D. Proſper, vt apud Eccleſiaſticos hiſtoriographos videri poteſt, & pro eodem P. Molina *Diſputat.* 142. §. *Tempore Simplicij.* Et P. Thomas Sancius. *Tom.* 1. *Conſiliorum, Lib.* 2. *Cap.* 2. *dub.* 37. *num.* 6.

Vt tandem concludat, negans poſſe accipi portionem ab iis, qui habent vnde aliàs queant ſuſtentari.

74 Concludit ſic tandem Gloſſa, & in Summa: *ſi abundantes de bonis Eccleſiæ ſuſcipiant, ſiue abſentes, ſiue præſentes ſint; licet non debet eis denegari portio; quia nemo cogitur ſuis ſtipendiis militare: mortaliter tamen peccant, præſertim ſi ex cupiditate ſua reſeruant.* Sic ibi citans Caput ſequens, & Scripturæ auctoritatem inductam *num. Praecedenti.* In quo difficile ſatis apparet, quomodo denegari portio nequeat, eò quòd nullus ſuis ſtipendiis cogatur militare, & alioqui mortaliter peccet, qui debitum ſtipendium recipit; etiamſi aliàs habeat vnde poſſit ſuſtentari. Si enim negari ſtipendium nequit, ſequitur neque iniuſtè peti, cùm ſit ſpiritualis militiæ ſtipendium. Et ita tenent Troilus Maluicius *Tractatu de oblationibus, in fine.* Dominicus Sotus *de iuſtitia, & iure. Lib.* 10. *quæſt.* 4. *art.* 3. Cardinalis Lugo *Diſput.* 4. *de Iuſtitia, num.* 36. P. Thomas Sancius *Tom.* 1. *Conſiliorum, Lib.* 2. *Cap.* 2. *Dub.* 44. & alij Doctores communiter, vt ex Gabriele teſtatur Alfonſus Valdes, *in Tract. de Eleëmoſyna, fol.* 42. *Col* 4. & quod, etiamſi ex cupiditate reſeruet, non ſit peccatum mortale, communis ſententia eſt, quia neque contra iuſtitiam quidquam committitur, vt eſt planum; neque contra charitatem, quia ratione ſtipendij accepti non magis obligatus manet Clericus, quàm quiuis alius, qui ſtipendium labore quolibet meruiſſet. Affectio autem erga bona temporalia numquàm eſt mortalis, niſi quando contra iuſtitiam, aut Charitatem militat, vt luculenter tradit D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 118. *art.* 4. *in Corpore*: vbi ſic concludit. *Si inordinatio amoris intra hoc ſiſtat, vt ſcilicet homo quamuis ſuperfluè diuitias amet, non tamen præfert earum amorem amori diuino; vt ſi propter diuitias non velit aliquid facere contra Deum, & proximum, ſic auaritia eſt peccatum veniale.* Sic Doctor Sanctus. Non videtur ergo quomodo prædicta poſſit conſtare doctrina. Ex eâ tamen id deduci poteſt, Beneficiarios, & Epiſcopos præſertim, de quibus modò agimus, circa hoc debere eſſe vehementer attentos. Nam ſi ij, qui ſtipendium ſui laboris accipiunt, cùm non egeant, mortaliter in eo peccant, iuxta Gloſſam: quid de illis cenſeri oportet, qui Eccleſiaſticos redditus accipiunt, in quibus pauperes ſuam habent portionem?

Euidens in illa contradictio.

Cui & Doctores communiter contradicant.

Affectio ad diuitias quando mortalis.

D. Thomas.

Congrua Epiſcopalis vlterior declaratio.

75 Sed ad id, à quo paululùm ſumus digreſſi, reuertendum. Epiſcoporum congrua talis eſſe debet iuxta Apoſtolicos Canones, vt nihil eis deſit. Quod quidem ita accipiendum, vt non ſolùm naturæ, ſed decentiæ, ac honorifici ſtatus in oculis hominum, ad quem eſt dignitas Epiſcopalis prouecta, ratio habeatur. Pro quo eſt Gloſſa celebris *in Cap. Clericus* 21. *quæſt.* 1. *Verb, Neceſſitatem.* Vbi cùm adducat *Cap. Epiſcopus*, citatum; neceſſaria tantum ad victum, & veſtitum, iuxta doctrinam Apoſtoli limitans, & *Cap. Vilem* 41. *diſt.* In quo ſic dicitur: *Epiſcopis Vilem ſupellectilem, & menſam, ac victum pauperem habeat; & dignitatis ſuæ auctoritatem, fidei, & vitæ meritis quærat: hoſpitiolum quoque non longè ab Eccleſia habeat.* Sic ibi ex *Concilio Charthagin.* 4. *Cap.* 17. Cum inquam hæc adducat, ſic ſubdit: *ſed hoc obtinuit ſecundùm illa tempora: hodie verò creuit decus Eccleſiæ, creuitque Deus Eccleſias.* Sic Gloſſa in confirmationem poſitionis ſuæ allegans *Cap. Vaſa, de Conſecrat. Diſt.* 1. Vbi ſic dicitur. *In hoc enim ſicut, & in reliquis cultibus* (in vaſis inquam pro conſecratione Corporis, & Sanguinis Chriſti) *magis, & magis per incrementa temporum decus ſuccreuit Eccleſiarum: noſtris enim diebus, qui ſerui PatrisFamilias ſumus, ne decus Matris Eccleſiæ minuatur, ſed magis cumuletur, & amplificetur.* &c. Debet ergo iuxta hæc aliquid decentiſſimo Epiſcoporum ſtatui tribui, quod nequit Arithmeticè deſignari, vt bene admonet D. Solorzanus *Lib.* 3. *Cap.* 10. *num.* 72. vbi textus aliquos adducit minimè ad propoſitum conducentes, & meritò celebrem Gloſſam laudans in *Cap. Clericus* 21. *quæſt.* 1. §. *Neceſſitatem*; de quâ dictum; alia enim ibidem ſunt obuia, quæ non eſt opus adiecisse. Videatur P. Molina *Diſput.* 145.

Cap. Vilem 41. diſt.

Gloſſa celebris.

Cap. Vaſa de Conſ. diſt. 1.

Eleëmoſynas non poſſe in exteras prouincias deſtinari.

76 Siue autem Canones, qui de portione pauperibus aſſignatâ loquuntur, & habentur diuerſis Capitibus 12. *quæſt.* 2. alibique; ſiue qui de perceptione decimarum diſponunt, ſuper quibus ſunt Beneficia Eccleſiaſtica conſtituta, & in ordine præſertim ad Epiſcopos, inſpiciamus; nullibi certè inueniemus poſſe eos id, quod deductâ congruâ ſupereſt, in alienas terras, etiam bonorum operum intuitu tranſmutare. Licèt enim domini efficiantur reddituum, vt ſatis probabilis ſententia firmat, de quo *ſuprà*; obligatio tamen ſub mortali obſtringens cum redditibus venit. Pro quo videri poteſt P. Molina *Diſputat.* 144. §. *His ita conſtitutis.* Cardinalis Lugo *Diſputat.* 4. *citatâ Sect.* 2. P. Sancius *ſuprà, dub.* 38. vbi innumeros congerit. P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 4. *num.* 47. & *ſeqq.* & alij paſſim. Ex quo infert Gregorius Lopez *in L.* 40. *Titul.* 5. *Part.* 1. *in Gloſſâ magnâ in fine*, iure actionis poſſe cogi Eccleſiaſticos conferre ſuperfluos fructus Beneficij pauperibus; & cum eo Alfonſus de Valdes *Tractat. de Eleëmoſyna* 3. *parte Fol.* 39. *Col.* 1. & pro eo recolendum, quod diximus *num.* 72. & obligatio quidem talis erga pauperes populares, aut regionarios vrget, vt textus adducti ſignificant, & docent D. Thomas: *Quodlib.* 197. Gregorius Lopez *ſuprà*, verb. *Limoſnas.* Valdes *fol.* 36. *Col.* 3. *num.* 3. & *alij*, & ita nequeunt ea, quæ ex decimali contributione proueniunt, aliò deportari.

Obligatio Epiſcoporũ circa ſuperflua ſub mortali.

Notanda doctrina.

Ex aſſignationis quarta pro pauperibus vrgens ratio.

77 Pro quo eſt etiam ratio penitus irrefragabilis: nam eo tempore, quo quarta pars bonorum dictorum erat aſſignata pauperibus non alijs, quàm popularibus, aut prouincialibus donari poterat: atqui poſt erecta Beneficia, certoſque prouentus ſingulis Titulis ex decimis aut aliter aſſignatos, eadem remanſit obligatio: ergo nequeunt illa extraneis deſtinari. Maior probatur ex Canonibus allegatis. Cap. *Vobis.* Cap. *Conceſſio.* Cap. *Quatuor.* Cap. *De redditibus.* Cap. *Cognouimus.* Cap. *Mos eſt* 12. *quæſt.* 2. & alijs; vbi eodem modo aſſignatur quarta pauperibus, ſicut alia

Digitized by Google

alia Epiſcopis, Clericis, & fabricis; atqui Epiſcopi, Clerici, & Fabricæ, pro ijs, qui in regione ſunt, & non in terris extraneis interpretationem accipere poſſunt: ergo & pauperes. Prætereà Epiſcopis quarta aſſignatur pars, quæ eſt ſanè magna, & ratio illius ſuperabundantiæ redditur hoſpitalitas, vt videri ſpecialiter poteſt in Cap. *Mos eſt.* ibi: *vna videlicet Epiſcopo, & familiæ eius propter hoſpitalitatem:* Hoſpitalitas autem extraneorum non eſt, ſed in domibus Epiſcopalibus exercetur.

Cap. Mos eſt.

Item in Cap. *Vobis*, ſic habetur: *Tertiam pauperibus ſub omni conſcientia faciat erogari.* Quòd eſt idem, ac omnibus ſcientibus; eò quòd publicè diſtributio fiat, vt diſponitur etiam in Cap. *Quatuor*, vbi ſic Gelaſius: *Ipſam nihilominùs adſcriptam pauperibus portionem, quamquàm diuinis rationibus ſe diſpenſaſſe monſtraturus eſſe videatur: tamen iuxta hoc, quod ſcriptum eſt: vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.* Matth. 5. *Oportet etiam præſenti teſtificatione prædicari, & bonæ famæ præconijs non taceri.* Sic ille quàm quòd clariſſimè. Quibus addo Cap. *Sancimus*, ibidem ex Concilio Toletano vbi ſic dicitur: *Prima pars ſecundùm Apoſtolorum præcepta Titulorum nec non cæmiteriorum reſtaurationibus diligenter attribuatur: ſecunda Clericis: tertia cunctis pauperibus: quarta verò aduenis.* Sic ibi: cùm verò cunctis pauperibus attribuenda ſit pars illa tertia, manifeſtum eſt prouinciales pauperes non eſſe eo ſubſidio defraudandos. Quod ſi ita fiat, nihil certè ſupererit pro extraneis, niſi fortè hoſpites ſint; immò neque iſtis ex portione illa ſubuenire voluerunt Apoſtoli, ſed ex alia, quæ ſecundum alios Canones Epiſcopis aſſignatur. Et hæc quidem Maiorem illam propoſitionem ſatis apertè demonſtrant. Minor autem eſt manifeſta; quia ex nouâ illâ diſpoſitione nihil eſt ſublatum pauperibus, quia neque Apoſtolica eſt conſuetudo in mores inducta vllatenus abrogata: neque Eccleſiæ pietas imminuta: id quod ſacri Canones nouiores exponunt; ſic enim in Cap. *Tua nobis de decimis.* Innocentius III. *Nec decimas (quæ tributa ſunt egentium animarum) præſumerent detinere.* Sic ille: ex quo illatio manifeſta deducitur, teneri inquam Epiſcopos, ſicut & Eccleſiaſticos alios, ad ſubuentionem pauperum, qui ſunt ipſis comprouinciales, nec poſſe, quod eis debitum eſt, alijs applicare.

Ca. Vobis.

Cap. Quatuor.

Cap Sancimus.

Cap. Tua nobis, de decimis.

78 Quod quidem limitandum eſt niſi in Hiſpaniâ ſint Epiſcoporum conſanguinei, ijs enim ſuccurri ab eiſdem poteſt, vtpotè indigentibus, iuxta id, quod Concilium Tridentinum his verbis exponit *Seſſione* 25. *Cap.* 1. *de reformatione. Omnino verò eis interdicit, nè ex redditibus Eccleſiæ conſanguineos, familiareſue ſuos augere ſtudeant: cùm & Apoſtolorum Canones prohibeant, nè res Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent: ſed ſi pauperes ſint, ijs, vt pauperibus diſtribuant.* Sic Concilium. Cùm ergo frequentiſſimè accidat, vt conſanguinei Epiſcoporum extra illorum territorium ſint, dum ijs Concilium ſubueniri permittit, non debet ad præſentes tantùm ſubuentio coarctari. Canones Apoſtolorum, ad quos alluditur, ſunt 39. & 75. & de his mentio in Cap. *Quiſquis* 12. *quæſt.* 2. vbi eadem extat Concilij doctrina circa conſanguineos. Pro quo & eſt Cap. *Eſt probanda* 86. *diſt.* in quo ſic dicitur: *Eſt probanda & alia liberalitas, vt proximos ſeminis tui non deſpicias, ſi egere cognoſcas: meliùs eſt enim, vt ipſe ſubuenias tuis, quibus pudor eſt ab alijs ſumptum depoſcere, aut alicui poſtulare ſubſidium neceſſitatis: non tamen vt illi diuites fieri velint, ex eo, quod tu potes conferre in opibus; cauſſam enim natura præſtat, non gratia.* Hæc ibi; & alia ex D. Ambroſio 1. *Officiorum, Cap.* 30. Vide Portel *Tomo* 2. *Caſu* 94. Licèt autem ibi non loquatur de Epiſcopis, quia tamen illa naturæ ratio communis eſt, meritò ad illos in caſibus ſimilibus deriuatur.

Limitatio circa conſanguineos alibi exiſtentes & egentes.

Concilium Trident.

Cap. Eſt probanda 86. diſt.

79 Quia verò Concilium de redditibus tantùm Eccleſiaſticis loquitur, non eſt illud ad emolumenta alia præter decimas ampliandum, quia in illis eſt portio pauperum incluſa, non ita in alijs, vt eleëmoſynis, pro Miſſis in funeribus, oblationibus, procurationibus, viſitationibus, cõfirmationibus, firmis, & alijs pœnis pecuniarijs, ſi quæ à iure Cameræ Epiſcopali applicantur, vt benè cum multis docet Dom. Solorzanus *Lib.* 3. *Cap.* 10. *numer.* 75. & in Politicâ *Lib.* 4. *Cap.* 10. *Pag.* 576. *Col.* 1. Quibus addendum etiam magnum emolumentum ex quartis funeralibus, & oblationum, de quâ Concilium Limenſe tertium *Actione* 4. *Cap.* 20. vbi citatur Cap. *Conquerente de officio iudicis ordinarij.* In eo autem quartæ oblationum mentio nulla; in quâ tamen obtinuit conſuetudo; ſicut etiam inualuit, vt Cathedraticum, aut Synodaticum, de quo ibidem Honorius III. non ſoluatur. Cùm tamen Auctores dicant non poſſe præſcribi, vt videri poteſt apud Barboſam de *Poteſtate Epiſcopi, Allegat.* 86. §. 3. Dicendum & de hoc *inferiùs*, vbi de Parochis, & *Aſſertione* 5. de quartâ verò decimationum alia eſt in Indiis diſpoſitio. Pro libertate autem Epiſcoporum circa prædicta facit Cap. *Epiſcopi* 12. *q.* 1. in quo ſic dicitur. *Epiſcopi de rebus proprijs, vel acquiſitis vel quidquid de proprio habent, hæredibus ſuis (ſi voluerint) derelinquant; quidquid vero de proniſſione ſuæ Eccleſiæ fuerit, ſiue de agris ſiue de fructibus ſiue de oblationibus, omnia in iure Eccleſiæ reſeruare cenſuimus.* Sic ibi ex Concilio Agathenſi: vbi quod de oblationibus dicitur, vel iure nouo immutatum eſt, vel de illis intelligendum, quæ intuitu Eccleſiæ fiunt, & eſt commodior explicatio & conſona Cap. *Clerici* 13. *quæſt.* 2. Vbi ſic dicitur: *Clerici vel ſæculares, qui oblationes parentum, aut donatas aut teſtamento relictas, retinere perſtiterint, aut ipſi, quod donauerant Eccleſijs vel Monaſterijs, crediderint auferendum; ſicut ſancta Synodus conſtituit, velut necatores pauperum, quouſque reddant, ab Eccleſijs excludantur.* Sic ibi ex Concilio *eodem Cap.* 4. videatur P. Molina *Diſputat.* 142. §. *Dixi hodie:* vbi quid oblationum nomine prioribus illis Eccleſiæ temporibus præcipuè intelligeretur, benè exponit, & P. Fagundez *circa* 5. *Eccleſiæ præceptum Lib.* 4. *Cap.* 1. *numer.* 5.

Limitatio alia, & de fructibus tantùm de annalibus ſit ſermo.

Cap. Epiſcopi 12. q. 1.

Quid de oblationibus.

80 Sunt autem, qui Epiſcopis hac in parte plus faueant aſſerentes, poſſe illos opera pia in alijs locis ab eo diuerſis, in quo Beneficium eſt ſitum, efficere; ſicut & Beneficiarios quoſlibet. Sic enim tenet Nauarrus in Apologiâ circa hanc materiam *Monito* 77. cuius ſententiam laudat P. Molina *Diſput.* 145. §. *Illud verò,* & ſequitur Cardinalis Lugo *Diſput.* 4. *num.* 39. quando neceſſitates non ſunt extremæ, aut graues, ob rationem quandam plus ſubtilitatis, quàm ſoliditatis habentem

Sententia fauens, vt opera vbique fieri queant.

bentem, attentâ Iuris Canonici diſpoſitione, ad quam eſt præcipuus recurſus habendus. Pro quo & Dom. Solorzanus *Lib.* 3. *Cap.* 10. *num.* 65. & in Politicâ *Pag* 575. *Col.* 2. Qui tamen plura adducit ita oppoſitum probantia, vt id potiùs ſentire videatur, conuenientiam apertè proteſtatur. Videatur in locis, pro quibus ſeipſum citat: ſic etiam tenet P. Bauny *in praxi Beneficiorum, Diſput.* 15. *Quæſt.* 23. *Dub.* 6. Quod & videtur probare multorum Prælatorum munificentia, qui extrà prouincias ſuas Monaſteria, & collegia celeberrima conſtruxerunt, vt Salmanticæ, Valliſoleti, Hiſpali, Compluti, & alibi videre licet. Verùm limitatio, quæ additur, talis eſt, vt vix locum habere ea doctrina poſſit: dicitur enim id tunc fieri poſſe, quando ita poſtulat commune diœceſis, Regionum, aut totius Eccleſiæ bonum: vt ſi collegium in vniuerſitate à loco Beneficij diſtante ad miniſtros Eccleſiæ educandos, aut aliud ſimile fiat, vel certè occurrit peculiaris alia ratio, quæ id perſuadeat. Quæ ſi deſint, tunc opera pia potiùs fieri debent in populi vtilitatem, qui redditus contribuit. Id, quod non de populo, in quo ſita eſt Cathedralis, ſed de aliis, ad quos diœceſis extenditur, eſt accipiendum, iuxta eorum indigentiam & qualitatem. Hæc inquam limitatio vix locum, vt dixi, generali doctrinæ relinquit: cùm enim ſubſidium Epiſcopi ad totam ſe debeat diœceſim extendere, incredibile eſt in eâ multas, & graues neceſſitates non occurrere, quibus illud debeat impendi. Communis autem boni reſpectus adeò in longum protenditur, vt propter illud non debeant pauperes gementes & flentes in miſeriarum valle relinqui; quod enim Collegium fundetur ad educandos Miniſtros, bonum quidem eſt, ſed multùm profectò expectandum quouſque operis huius vtilitas ſentiatur.

Limitatio ab eadem addita vix locum habens.

81 Quòd autem id non habeat vim, ex eo liquet, quia ſi reſpectus dictus contra ſubuentionem præſentium neceſſitatum præualeret, fieret ex eo, quidquid Epiſcopus per multos annos ex redditibus Eccleſiaſticis, detractâ congruâ, comportat, poſſe in huiuſmodi operibus extra diœceſim factis inſumere, nullo totius ſuæ vitæ tempore ſubſidio pauperibus impertito. Quod quidem ex illa ſequitur poſitione, quia commune bonum priuatis alijs debet anteferri. Id autem niſi temerè, nequit admitti, eſt enim contra ſacrorum Canonum diſpoſitionem, de quâ dictum *num.* 77. Quòd ſi magnos Prælatos talia quædam cum fructu & laude patrarunt, dici poteſt, vel à Pontifice ſpecialem facultatem habuiſſe; vel ea bona in id genus operum contuliſſe, quæ ex redditibus Eccleſiaſticis non obuenerant, ſed aliunde iuxta dicta *num. præced.* Pro quo & videri poteſt Diana *Parte* 4. *Tractat.* 4. *Reſol.* 171. vel ſi ex redditibus fuêre prædictis, ea tamen de congruâ ſubtraxerunt: talia enim donari liberaliùs poſſe, aut de illis pro libito diſponi, communis ſententia eſt, quam cum alijs tenent P. Molina *Diſput.* 145. & 146. Cardinalis Lugo *Diſput.* 4. *citat. num.* 35. P. Thomas Sancius *Diſput.* 4. *citat. dubio* 43. *num.* 3. P. Petrus Hurtadus de Charitate *Diſput.* 160. §. 113. & alij apud Dianam *parte* 4. *Tractat.* 4. *Reſol.* 171. & *Parte* 5. *Tractat.* 8. *Reſol.* 27. §. *Nota* etiam idem tenentem. Et Dom. Solorzanus *Libr.* 3. *Cap.* 10. *num.* 70. & *ſeqq.* plures congerens, & in Politicâ *Pag.* 576. *Col.* 1. Cùm autem redditus ſunt pingues, per annos aliquos ſumma ſic ſubtractorum ad cumulum magnum poteſt excreſcere.

Reſpectum boni communis non ſuffragari.

Quid de exemplis magnorū Prälatorū.

Quia congruæ ſubtrahuntur, pro libitu poſſe expendi.

82 Et circa hoc docti & exemplares Prælati ſolent eſſe diligenter attenti, & hoc ipſo, quo hæc ſcribo, tempore, cùm illuſtriſſimus DD. Gaſpar de Villaroel Epiſcopus Arequipenſis, mille octi-regales in hanc Regum ciuitatem ad impreſſionem libri cuiuſdam à ſe conſtructi miſiſſet, admonuit curatores operis, ne ſcandalizarentur ex tali ſumptu, nam illud victui ſubtraxerat ſuo; quod quidem, & aliàs ab eodem fieri ſolitum, vt opera pietatis promoueat, pro quibus, ne ipſi quidem Bibliothecæ parcit, quâ nihil viro eſſe litterato quidquam pretioſius poteſt, & quidem ad effectum prædictum poſſe ex redditibus id deſumi, quod neceſſarium occurrit, ſatis veroſimile eſt: nam in Prælato ſic docto, vt opera poſſit in publicum dare, quod pro editione neceſſarium eſt, debet ad congruam ſuſtentationem etiam neceſſarium iudicari. Docti enim Prælati, qui operibus huiuſmodi, Eccleſias, quibus præſunt, illuſtrant, maiori ſtipendio digni ſunt, vt tenet Nauarrus *in Apologiâ citatâ, Monito* 82. *num.* 7. P. Molina *Diſputat.* 145. §. *Dubium eſt*, & alij. Prætereà librorum editio cùm in bonum commune redundet, opus pium eſt, & intra diœceſim conceptum; vnde cùm pro editione adhibetur aliquid, nihil fit à communi regula peregrinum, etiamſi editio alibi facienda ſit; vt ſi Epiſcopus pro aliquo ſolueret, quod in exterum erat mittendum creditorem. Item ex Tridentino, vt vidimus, poteſt Epiſcopus competentes Conſanguineis facere donationes; quod quidem ergà filios præſertim locum habet, vt omnes admittunt, & ad filios illegitimos, etiamſi ſpurij, id extendunt: pro quo citati, Prior *agens de ſpolijs Clericorum.* §. *vltimo, num.* 9. & *ſeqq.* & alius *Diſp.* 146. *in fine.* & prætereà P. Thomas Sancius *ſuprà dubio* 38. *n* 6. & *ſeqq.* Sunt autem libri nobilium ingeniorum filij, vt ex Platone, & Ariſtotele notum, pro quo & Martialis *Lib.* 1. *Epigram.* 34 illud: *Cuſtodit ipſe Virginis pater chartæ*: vt ergo illi viuere poſſint, & honorem apud homines, quantus illis eſt debitus, comparare, id poteſt ab Epiſcopis, & alijs conferri, quod ad eorum neceſſarium viſum fuerit editionem.

Notandum exemplū.

Etiam poſt hæc ſcripta Archiepiſcopus Platenſis.

Pro impreſſione libri expenſas fieri poſſe, nihil congruæ detrahendo.

Sicut & pro filiorū etiam ſpuriorum ſuſtentatione.

Libros eſſe ingenij filios.

83 Iam quod peculiaris alia ratio occurrere poteſt præter illam communis boni, iuxta Auctores, de quibus *num.* 80. vt opera pia poſſint extra diœceſim fieri, faciliùs admitti poteſt, ſed nihil tunc diuerſum à communi doctrinâ contingit: nam ſi opera illa in bonum commune non tendunt, bonum equidem erit priuatorum, quorum indigentiæ ſubuenitur. Poteſt enim ea talis eſſe, vt ſubſidium extra diœceſim tranſmitti oporteat, ſicut in caſu de quo *num. præced.* cui ſimiles alij excogitari poſſunt. Et quidem non eſt opus vt ſit illa nimis vrgens; cùm enim iuxta receptiſſimam ſententiam (cuius oppoſitam iudicat improbabilem P. Turrianus in *Selectis Cent.* 2. *Dub.* 27. & 28. vbi ait multos ita hac ætate ſentire) Epiſcopi dominium redditus habeant, qui ad eorum pertinent portionem; liberam etiam habent eorum diſtributionem. Vnde vt dilapidatores

Peculiares alia rationes vt muniare poſſint.

Notanda pro reſolutione doctrina in fauorem Prælatorū.

datores non dicantur, quæuis rationabilis cauſſa erit ſatis: non enim rationi conſentaneam diſperſionem Concilia, & Sacri Canones damnant, cùm illi pauperibus videntur ſubſtrahi, ſed à & ratione alienam diſtractionem. Pro quo ſunt verba Concilij Tridentini pòſt allata *num.* 78. quibus conſanguineis, vt pauperibus tantùm iubet ab Epiſcopis ſacra emolumenta diſtribui; ſic enim ſubdit: *Eas* autem (res ſcilicet Eccleſiaſticas, quales reddirus ſecundùm datam ibidem explicationem) *non diſtrahant, nec diſſipent, illorum cauſſâ.* Sic Concilium, ſtatim ad Eccleſiaſticos omnes etiam Cardinales, vrgens documentum extendens. Quod autem de conſanguineis dictum, omnem alium humanum reſpectum comprehendit: non ergo diſtributio quæuis, ſed diſtractio, & diſſipatio prohibetur. Nequit autem talis dici diſtributio, quàm pietas, & ratio non penitus humana perſuadet: & in fauorem huius reſolutionis ſentit. D. Villaroel poſt eam elucubratam viſus, dum *Parte* 2. *Quæſt.* 14. *art.* 4. *n.* 84. ait diœceſanos pauperes præferendos, licèt alijs poſſit ſuccurri, ſi opes ad omnia ſuppetant, & Diana *Part.* 10. *tract.* 14. *Reſol.* 36. vbi alios adducit.

Concil. Trident.

§. IV.

In quartæ exactione quomodo peccare poſſint.

Aſſertio 5. circa quartæ exactionem vt cõtingat grauiter peccari.

84 DIco quintò: Epiſcopi Indiarum peccabunt grauiter, & cũ obligatione reſtitutionis, ſi in exigendâ quartâ funerali, & oblationum, ita Beneficiarios vrgeant, vt illi pluſquàm debent, inuiti contribuant. Res eſt plana: ſed praxis non ita plana eſſe ſolet, miniſtrorum forſitan immoderantiâ, arbitrantium obſequium ſe dominis eâ ratione præſtare. Teſtatur Beneficiarius ſe non poſſe ſoluere ſummam eam, quæ ei ſoluenda proponitur: compoſitione enim circa hoc vti frequentiùs iuuat; eò quòd moleſtum Beneficiarijs accidat obuentiones quotidianas adnotare. Plus tamen paullò, aut minùs non ægrè deprehenditur, quantùm poſſit ex illis Prælato deberi. Dum verò timent ex negatione poſtulatæ ſummæ offenſionem eius incurrere, eam redimunt ſolutione. Solet autem in iſtis pro regulâ aſſumi id, quod ſemel ſolutum eſt; minùs enim eo alij Prælato tributo admitti renuitur. Quia verò Beneficij grandis eſſe opinio ſoleat; quandoque quod anteà fuit ſolutum, augetur: cùm tamen opinio talis non inde ortum habeat, quòd obuentiones pingues ſint; ſed quia maior eo loco pro contractibus commoditas adſit, vnde fiunt Parochi locupletes, vt ergo hæc aſpera fiant in vias planas, totum id eſt Parochorum conſcientiæ relinquendum, dum aliud non conſtat manifeſtè, vt Prælati docti & timoratæ conſcientiæ faciunt; quod autem ijs abundantiùs eſt, à malo eſt. Experimentis non raris compertum, complures Parochos plus titulo quartæ ſoluere, quàm ſit tota obuentionum ſumma, dimidium ſtipendij à Rege aſſignati, aut etiam plus aliquid in ſolutionem dictam deſtinantes. Quàm autem inuitè hoc faciant, ipſi clamant, niſi aliqui fortè ſint, qui non grauantur contribuere, eò quòd ſic beneuolos ſibi Prælatos curent, ne & ipſi curent circa eorum vitam inquirere, ſed illos ſinant ſuis cupiditatibus inſeruire, vel certè vt mitiùs cum eis agant, ſi quid fortè ad eos fuerit de eorumdem agendi ratione delatum. Aut quodam munificentiæ ſpiritu ducantur, qui in quibuſdam dominari ſolet, ne puſilli & vilis animi erga perſonas adeò ſublimes videantur. Verùm quando de indebitâ quantitate conſtat per moraliter certas coniecturas, neque moralis habetur certitudo de ſic ſoluentis animo, id, quod eſt incertum, non debet contra certum præualere. Vnde nequit tutâ conſcientiâ ſic oblatum recipi, aut receptum retineri, in quo ſicut in alijs, communis eſt ſcriptorum doctrina, de quâ nos ſæpiùs, ſecundùm communiter contingentia debet iudicari; cùm rarus profectò ſit, qui vltroneus tribuat Epiſcopis id, quod ſe meminè debere cognoſcit: cùm ſoleant, & iſta per viſitatores exigi, à quibus meritò ſibi timeri poſſunt, qui in ſolutione tali inuenti fuerint parciores; & quidem non ſolùm exceſſus dictus grauis ſolet eſſe ſoluentibus, ſed quartæ ſolutio vniuerſim grauiſſimum onus cenſetur. Vnde & ſeriò & inſtanter actum eſt in Regio Concilio pro parte Parochorum, vt illud ipſis tolleretur, ſed etiam Apoſtolica Sedes pro eodem interpellata; multis enim Indiarum in partibus quartæ vſus non inualuit, & Epiſcoporum redditus nimiumquantùm increuerunt. Quòd ſi aliquorum tenues ſint, id Regiâ liberalitate ſuppletur; ibi namque etiam Parochi tenuiſſimas habent obuentiones, vnde & non facilè inueniuntur, qui velint exiguis adeò ſtipendijs miniſtrare. Nihilominùs nihil obtentum; & Epiſcopi ſuo ſe dicunt iure tueri, vti ab Apoſtolicâ Sede in Concilio Limenſi tertio, *vt num.* 79. vidimus, confirmato. Quando ergo onus ex ſe tale eſt, non debet nouo addito onere ab Epiſcopis intolerabile reddi, vt portantes obruantur. Et hinc eorum aliqui excuſationem pro frequentandis mercimonijs ſumunt, dum aiunt ſe aliter non poſſe procuratoribus viſitatorum, & quartarum ſolutionibus ſatisfacere. Quod an verum coràm Deo ſit, ad me non attinet iudicare. De quo vt admonui iam, etiam dicendum *inferiùs Titul.* 16. *num.* 24.

Quando obligatio reſtitutionis etiam in iis, quæ ſponte tribui videntur.

Monitum ſalutare.

§. V.

Non poſſe officia vendere quibus in ſui muneris executione iuuantur.

Aſſertio 6. negans licere venditionem officiorum miniſterialiũ.

85 DIco ſextò: Epiſcopi nequeunt vendere officia, quæ ad illorum prouiſionem ſpectant, & miniſterium ſpirituale non concernunt, de quibus, ſicut & de Beneficijs, nulla eſſe dubitatio poteſt. Sic tenet Illuſtriſſimus Zapata *de iuſtitiâ diſtributiuâ, Parte* 2. *Cap.* 18. *num.* 15. P. Thomas Sancius *Lib.* 2. *Conciliorum, Cap.* 39. *n.* 3. & apud eum Salon, Aragon, Garcia, & Ludouicus Lopez. Et habetur expreſsè in Concilio Limenſi tertio *Actor.* 3. *Cap.* 8. vbi ſic dicitur. *Officia Notariatus aut Fiſcalatus, quemadmodum eſt in Concilijs Prouincialibus ſæpè diſpoſitum, neque vendantur, neque locentur, ſed hominibus probis, atque induſtrijs gratis ab Epiſcopo conferantur: ſi ſecus fuerit factum, contractus omnis ipſo iure ſit nullus.* Sic ibi. Concilia autem Prouincialia, de quibus fit mentio,

Digitized by Google

ſunt Toletanum *Act.* 2. *Cap.* 15. Compoſtellanum *Act.* 3. *Cap.* 24. & Limenſe ſecundum *Seſſione* 2. *Cap.* 101. Cùm autem Toletana fuerint plura, oportuit peculiarius aliquid adnotari. Eſt autem vltimum *Act.* 2. *decreto* 15. Rationes pro eo ſunt manifeſtæ. *Prima*; ex notabili indecentiâ in eo, qui eſſe debet Chriſtianæ liberalitatis exemplar. *Secunda*; ex reſpectu quodam ſpirituali officijs præfatis adhærente. *Tertia*; quia aut officialis integrum meretur ſalarium, aut non. Si primum; iniuſtè illi detrahitur: ſi ſecundum, iniuſtitia manifeſta committitur. Dum plus exigitur, vt ex eo ſuperſit, quod Epiſcopo tribuatur. Quo argumentandi genere vſi ſumus *ſuprà*, *Titul.* 4. *numer.* 168. in ſimili contrahendi modo. Nec dici poteſt ſalarium quidem eſſe iuſtum, & Officiali debitum attentâ proportione; eum tamen velle gratis Epiſcopo portionem eius elargiri: gratis quidem, non quia pretium officij non ſit, ſed quia voluntariè, & nulla ſibi ab aliquo impoſitâ neceſſitate vult ſic cum Epiſcopo contractare. Non inquam dici poteſt; quia verè talis Officialis ex neceſſitate id facit, quia non inuenit alium vitæ modum, quo ſibi poſſit de neceſſarijs prouidere. Ad eum modum, quo is, qui vſuras petit, etiāſi voluntariè ad eas petendas accedat, neceſſitate tamen id cogente facit, quia remedium aliundè ſuis incommodis nō occurrit.

Modus alius contrahendi cum medietate emolumentorum exploſus.

86 Prædictum autem argumentum, etſi non videatur contra venditionem procedere, quæ pro certa ſumma pecuniæ fit, ſed contra modum alium contrahendi, vt ſcilicet emolumenta diuidantur inter Epiſcopum, & Officialem, verè tamen contra vtrumque conſtat militare. Si enim certa ſumma tradatur, ex eo fit, quod dicebamus. Ex ſalario ſiquidem detrahendum eſt id, quod labori reſpondet, & prætereà id quòd dandum eſt Epiſcopo: quod ſi poſt ipſum contractum eſt illi traditum, id per accidens eſt; ſiquidem ei, quod eſſet detrahendum, reſpondet id, quo fit compenſatio pro illo vt is, qui officio fungitur, & id ex eo eliciat, quod pro eodem dedit, & prætereà quod labori eſt proportionatum: vrget ergo pariter adducta ratio. Cui addendum: ſtipendia Officialium Epiſcopalium, ſicut & Eccleſiaſticorum omnium tribunalium, debere eſſe valde moderata, vt conſtat ex Concilio Tridentino *Seſſione* 21. *Cap.* 1. *de Reformatione*, vbi illa ratio præmittitur. *Quoniam ab Eccleſiaſtico Ordine omnis auaritiæ ſuſpicio abeſſe debet.* Vnde notarios, vbi ſalarium non eſt illis conſtitutum, & non viget laudabilis conſuetudo nihil accipiendi, pro ſingulis litteris dimiſſorijs, aut teſtimonialibus, decimam tantùm vnius aurei partem accipere poſſe decernitur. Decima autem vnius aurei pars vnius regalis eſt, aut *paullò plus*. Et quid ad hæc dicerent ſacri Concilij Patres, ſi ſcirent pro teſtimonialibus ſingulorum maiorum Ordinum duodecim octi-regales ſolitos poſtulari? Addit autem Concilium in rem præſentem opportunè: *Nec Epiſcopo ex Notarij commodis aliquod emolumentum ex eiſdem ordinum collationibus directè, vel indirectè prouenire poſſit; tunc enim gratis operam ſuam eos præſtare omnino teneri decernit.* Sic ibi: vbi ſtatim conſuetudines damnantur aduerſæ; & alia in execrationem turpitudinis huius adiiciuntur. Nec reſponderi poteſt ſermonem tantùm eſſe de teſtimonialibus Ordinum, & non de alijs: nam omnium eadem omnino ratio eſt; neque lex eſt pœnalis, ſed quæ criminis qualitatem oſtendat, & pariter pœnam, non tam ab hominibus quàm à Deo infligendā, *vltra diuinam vltionē*. Prçterquàm quòd, qui officium emit, ex omnibus detrahit vnde poſſit ſoluere, vnde & emolumenta dicta in Epiſcopi commodis numerantur.

Stipendia Eccleſiaſtica debere eſſe moderata.

Concil. Trident.

Reſponſio quædam refutata.

87 Ex quibus fit: neque illud Concilij menti fuiſſe conforme, quod à quodam Prælato factum; qui officium Notarij cuidam contulit ſub eâ pactione, vt medietatem emolumentorum ipſi daret, quam dicebat ad alium pertinere in Hiſpaniâ degentem, cui officium dictum fuerat impartitum. Quod quidem credibile eſt ita fuiſſe, nec Epiſcopum ſub eo honeſtò colore ſibi emolumenta illa reſeruaſſe. Sed tamen id fieri non potuiſſe ab illo, adducta conuincunt; tum ob ſpeciem auaritiæ, dum non conſtabat cuinam ea commoda cederent; & an ita erat, quod de alio, ad quem ſpectabant commoda, dicebatur; vnde qui pactionem ſciebant, ſcandalum patiebantur: tum etiam ob diſcurſum factum, quia ſi labor Notarij ſtipendium merebatur illud, non poterat eo priuari; ſi autem erat ſuperabundans; iniuſtitia in eo comperta cernebatur. Quod autem quis ſponte in eam pactionem conſenſiſſet, non releuabat medietatē exigentem, quia ſic reddens neceſſitate cogente in eas ſe anguſtias redigebat, & certè ſi Epiſcopus ſibi medietatem illam vellet, contractus fuiſſet iniuſtus; ergo & dum vult alteri, quia id de iniuſtitiâ contractûs nihil tollit, & differentia illa per accidens ſe habet; cùm aliàs per manus Epiſcopi commoditates illæ ad eum veniant, qui in Hiſpaniâ eiſdem fruitur. Prætereà in Hiſpaniâ exiſtens nullū habet ius ratione officij ad emolumenta dicta, cùm ſeruire nequeat; ergo ſi jus aliquod in eo eſt, illud certè non aliud, niſi quod ex donatione Epiſcopi oritur: ergo ſi ille medietatem donat, ideò erit, quia eam ad ſe pertinere exiſtimat, & ſic in alium poſſe transferre: ex quo fit nullam eſſe reuerà diſtinctionem adductam, ſed tantùm apparentem prætextum ad id honeſtandum, quod eſt tot titulis reprobatum.

Prælati cuiuſdã pactu non probanda.

88 Dices Regem vendere officia Tabellionum, in quibus idem poteſt argumentum fieri; nam ſi ſtipēdium, quod labori reſpondet, iuſtum eſt, nequit ex eo aliquid demi, quod Regi tribuatur: ſi autem proportionem laboris excedit, erit iniuſtū: & tamen illud non conuincit, vt venditio talis iniuſta cenſeatur: ergo neque erit efficax pro caſu, de quo loquimur. Sed hoc non obſtat; nam Rex propter ſupremum dominium poteſt ita taxare ſtipendia, vt & labori ſeruientium proportionata ſint, & ſibi etiam aliquid ex eiſdem tribuatur. Epiſcopi autem nequeunt tale aliquid facere, quia eorum officium omnino ſpirituale eſt, etſi quid adiacet, quod tēporalia concernat, ſpirituali eſt modo tractandum, & quæſtus ex eo, ac nundinatio minimè conſtituenda. Ex quo prouenit ſtipendia debere eſſe valde moderata, vt dicebamus, & præciſè labori ſeruiētiū proportionata. Neque enim officia tributaria illis eſſe debent, ſicut Regi: qui cùm poſſit in iuribus, quæ Tabellionibus ſoluuntur, partem ſibi aſſignare tributi nomine, ita & ſummam illis reſpondentē partibus exigere, cùm vendit officia. Quòd ſi eo titulo res iſta nō diſponeretur, non poſſet ab iniuſtitiæ labe penitus excuſari;

Obiectioni ex Venditione officiorum à Rege fieri ſolita ſatisfit.

Digitized by Google

cuſari; ſemper enim ſtipendium miniſtri publici proportionatum debet eſſe labori, aliàs in bonum commune peccatur, dum id exigitur, quod tranſgreditur æquitatem. Labor autem non ex corporali defatigatione æſtimandus eſt, ſed ex circumſtantijs, & rei, circa quam verſatur, pretioſitate; ſic enim & Medicis & Aduocatis maius ſtipendium redditur; quàm corporalis exercitatio ſecundùm ſe ſpectata mereatur. Et ſic Doctores communiter obſeruant, & à nobis eſt *ſuperiùs* adnotatum. In caſibus autē dictis obligationem reſtitutionis induci conſequenter dicendum eſt; quia contra iuſtitiam exceſſus committitur, vt adductæ rationes probant. Nec dici poteſt officium Notariatus, ſicut & Fiſcalis, eſſe dominij Epiſcopalis, & ita abſolutè poſſe onus imponere ei, cui ab Epiſcopo traduntur, quidquid de prohibitione Conciliari ſit, quę actum non reddit inualidum, licèt reddat illicitū: nam licet ita ſit, quod de dominio dicitur, & etiam prohibitionē ex ſe actum non reddere nullum; ipſe tamen ex ſe talis eſt ob rationem dictam: nequit enim officium tributarium eſſe, ſicut alia quæ Rex vendit, quia ex conditione ſua diuerſam habet rationem, & non tantùm ab extrinſeco; eſt enim Eccleſiaſticum, & ita eius naturæ, vt ratione illius nequeant grauari fideles; dum plus iuſto ab illis poſtulatur. Dixi autem, *licèt ita ſit, quod ad dominium attinet*; cùm tamen illud reuera poſſit negari; vt negat P. Th. Sancius *tit. dub. 39. n. 3.* dicens Epiſcopos tantùm eſſe officiorum dictorum diſpenſatores, & veroſimile ſatis eſt, Pontificē nolle dominium eorum tribuere ſed meram diſpenſationem, quia dominium tale ad nihil eſſe poteſt vtile, & poſſet aliàs eſſe nociuum.

Labor vnde æſtimandus in ordine ad ſtipendium.

Obligatio reſtitutionis ex venditione, & contractu dictis.

Epiſcopos non eſſe dominos officiorum.

89 Addendum neque honeſtari traditionem dictorum officiorum, ſi Epiſcopus ſub ea conditione tribuat, vt certa Eleēmoſyna Religioſæ alicui, aut alteri honeſtę perſonæ tradatur, ſi obligatio ſit iuſtitiæ futura, ſic enim ex dictis ſequitur: ſi autē tantùm ſit gratitudinis, id poteſt tolerari iuxta ea, quæ Doctores aliqui dicunt, loquendo etiā de Beneficijs Eccleſiaſticis, & rebus alijs ſpiritualibus, & vt probabile cum illis tuetur Diana *Part. 2. tract. 2. Miſcellan. reſol. 37.* de quo & Nos *ſuprà*. In his namque officijs minùs eſt periculi, quia ſpiritualia non ſunt; ſed ſæcularia, licèt vt P. Th. Sancius *ſuprà, n. 1.* effigiem quandā habeāt ſacrorum, & Eccleſiaſticorum inquantùm ſunt ad Eccleſiæ regimen inſtituta. Sic ergo ei poſſunt dari, à quo ſperatur pietatis officium deſignato pauperi conferendum, & negari alteri, à quo id non ſperatur: modo tamen conuentionis expreſſo, ne, qui promittūt, maiori ſe vinculo credentes adſtrictos, grauiter peccare contingat, dum non ſtant promiſſis, & reſtitutionis oneri ſe obnoxios arbitrantur, & tunc etiam poterunt Epiſcopi eis officia ſubſtrahere, & dare alijs fructiferis arboribus, quę reddāt fructū in tempore ſuo, niſi conſtaret emolumenta adeò fuiſſe tenuia vt vtriq; neceſſitati non ſufficerent ſubleuandæ. Pro quo etiam facere poteſt doctrina multorum apud D. Solorz. *lib. 2. c. 11. n. 30.* & in Politicā *l. 3. c. 12. pag. 329. §. Eſpecialmente* dicentium, quòd Epiſcopus poteſt ex iuſtā causā Beneficiū, quod confert, aliquā penſione grauare: ergo & officia, de quibus agimus, grauamine gratitudinis. Facit etiam pro eodē doctrina alia multorum apud eumdem *n. 31.* aſſerentium eum, qui eligit aliquem de pluribus, quos teſtator, vel alius ſuę electioni commiſit, poſſe electum grauare, ſaltem in fauorem aliquorū, quos eligere potuit; qui loquendi modus caſum certiorem exprimit, vnde & licet grauare in fauorem aliorū, reſpectu quorum pietatis officium exercetur, ex quo in caſu noſtro idem fieri poſſe efficaciter comprobatur.

Onus eleēmoſynæ nō poſſe imponi niſi ex gratitudine.

Ex duplici probabili ſententia roboratur quod ad gratitudinē ſpectat.

90 An autem Notarij (vt hoc interim dicamus) merè laici eſſe debeant; vſus declarauit non videri talem obligationem extare: de quo agens D. Solorzan. *lib. 3. c. 8. n. 70.* & in Politicā *Pag. 563. col. 2.* ait in Regiā Cancellariā Limenſi actum fuiſſe vt contra Prælatos prouiſio expeditur: ne Notarios niſi merè laicos habere poſſent, id tamen non obtinuiſſe, & ita contentos fuiſſe Auditores Regios cautione illā, vt Notarij non laici ad faciendas relationes, cùm opus eſt, in Regium Prætorium nō admitterentur, eā ductos ratione, quia ſemper maximè abſurdum, & iniquum reputatum eſt admitti ad officia ſæcularia eos, qui ſi in officio delinquant, nō poſſint puniri: per tradita à Couarruuia, Vincentio de Tarchis, Petro Caballo, & alijs. Quæ quidem cùm nō videatur leuis, videtur ex eā fieri, vt Prælati Eccleſiaſtici nequeant Notarios habere, niſi omni Ordine Eccleſiaſtico deſtitutos; ſecus enim à nullo videtur poſſe conuenienti animaduerſione puniri: non enim à iudicibus laicis, quia fori illorum non ſunt, neq; ab Eccleſiaſticis, quia in eorum tribunali non eſt commiſſum delictū. Immò generaliter Epiſcopum non poſſe cognoſcere de delicto admiſſo à laico Officiali ſuo affirmat Paponius de *iure Franc. lib. 1. tit. 4. arreſto* 8. Cùm autem hoc maximè abſurdum & iniquum fuerit ſemper reputatum, videtur ex eo fieri grauiter Prælatos delinquere, qui tali abſurditati, & iniquitati materiā exhibent, per eorumdē electionē. Videtur autem prædicta ratio ſupponere Notarios merè laicos in officio delinquentes, vel quia falſarij, vel quia ſtipendiorum taxas excedentes, poſſe à iudicibus laicis caſtigari: cùm tamē plures Doctores ſint id negantes, eò quòd Notarij dicti ad forum Eccleſiaſticum ſpectet: pro quo plures adducit idem D. Solorz. *n. 68* cùm quibus & videtur ſentire. Iuxta quem dicendi modum perſtat difficultas eadem, quę in Notarijs nō merè laicis, cū puniri nequeant pœnā proportionatā. Vt ergo ſtare illa doctrina poſſit, videtur neceſſariò dicendum Notarios merè laicos poſſe à Iudicibus laicis puniri, ſi in officio delinquant, quod tenent citati ab eodē *n. 66. & 67.* & præterea Gabriel Pereira *in tract. de manu Regiā, part. 1. c. 19. n. 13.* Paponius *de iure Franc. lib. 1. tit. 4. arreſto* 8. Ceballos *tract. de cognitione per viā violentiæ, p. 2. q. 58. n. 10.* licèt eorū ſententiam impugnet Diana *part. 1. tr. 2. reſ. 98. & part. 3. tr. 1. reſ. 12. & part. 4. tr. 1. reſ. 30.* vbi ait cum pace doctorum virorū non eſſe dignam reſponſione, quia ſic Congreg. Cardinalium ſemel, & iterùm declarauit. Et ex mandato Pauli V. Cardin. Gallus: eò quòd ſit *manifeſtè contraria ſacris Canonibus, communi rationi, & præiudicialis iuriſdictioni Eccleſiaſticæ*: quæ ſunt Pontificis verba ex Italico verſa.

Notarij an laici eſſe debeant.

Ratio vt tales ſint non leuis.

An laici puniri à iudicibus laicis queant.

91 Sed certè id quod Diana reſponſione non dignum iudicat; vſu Regiorum Prætoriorum eſt receptiſſimū, & hoc ipſo tempore, quo hæc ſcribo tres Notarij in carcerem miſſi ſunt, dū vnus poſt alium mittuntur notificaturi judicibus, vt reum quemdam Eccleſiæ reſtituant ab eadē extractum;

Praxis id Prætoriorū amplectitur.

in

Digitized by Google

in quâ atrociſſimum facinus perpetrarat; eatenus excuſabile, iuxta forū diaboli, quod in eo honori ſuo grauiter læſo conſultum judicauit. Et difficilè profectò erit praxim iſtā radicitus extirpare. Vnde & ipſi Auctores, qui aliter iudicāt, & pro fauore Eccleſiæ militant, cùm ad ſubſellia accedunt, viâ penitus contrariâ gradiuntur. Vt videri poteſt in D. Solorzano, qui cùm ſententiam multis, & grauibus citatis Auctoribus fuerit amplexatus, *cit.* tamen *n.* 70. & in Politicâ *loco* item *adducto*, ait, quod ex eodem dedimus *n. præced.* In Cancellaria videlicet Limana à ſe cum alijs Collegis actum, vt contra Archiepiſcopum, & eius Vicarium prouiſio expediretur, vt illi Notarios merè laicos deſignarent; eâ additâ ratione, quòd ſcilicet ſic poſſunt in officio peccantes pœnis debitis coerceri.

Epiſcopi vnde grauiter peccare poſſint laicos Notarios non habentes.

92 Quidquid de hoc ſit, Epiſcopi ex adductâ ratione non peccant, quod ſcilicet abſurditati maximæ, & iniquæ agendi rationi patrocinium præſtent, quia eo pacto delicta Notariorū remanent impunita. Cùm enim illorum delicta ad ipſorum forum ſpectent, punire ipſos poſſunt, vt cum alijs probat Diana *part.* 3 *tr.* 1 *reſ.* 12. eo punitionis genere, quod eorum eſt cōſentaneum tribunali, nec ſanè leue illud eſt, licet non ſit ſanguinis, aut quid ſimile. Ex alia autē ratione grauiter peccare poſſunt; ſi videlicet ſciant, ex eo quòd merè laicos nō eligant, grauia futura ſcandala, & impediendū negotiorum progreſſum; quandoquidem Notarij; qui laici non ſint, ad informandum in tribunalia Regia non admittuntur vel quid ſimile. Quod vrgetur ex eo quod, vt id nō faciant nihil obſtat; ſed praxis, quam Regia tribunalia expetunt, iuri, & rationi conformis ſit, & ita eam docti Epiſcopi tenuerūt, Couar. Riccius, & Acuña apud D. Solorz. *n.* 69. *& loco* Politicæ *citat.* aliique. Vbi autem pro Regiis tribunalibus probabilis eſt ſentētia vſu recepta *ſeruum domini non oportet litigare* (iuxta Apoſtoli monitum) 2. *Tim.* 2. *v.* 14. *ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem, cum modeſtia corripientem eos, qui reſiſtunt veritati, ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoſcendā veritatem.* Si ergo etiam cum reſiſtentibus veritati lites vitandę ſunt, & manſuetè cum eis agendum: cùm iis, qui veritati reſiſtere dici non poſſunt, dum probabili ratione ducuntur, potiùs debent omnes, ſciendis tantummodò turbis vtiles, controuerſiæ deuitari.

D. Pauli attendenda doctrina.

2. Tim. 2. v. 24.

§. VI.

Peccare grauiter, ſi ſubditorum non ſuſcipiant protectionem, & quomodò in eo ſe gerere debeant.

Aſſertio 7. titulo 7. reſpondens, & modum patrocinij oſtendens.

93 Dico ſeptimò. Epiſcopi Indiarum peccare grauiter poſſunt, ſi patrocinium ſubditorum nō ſuſcipiant, quando illi, Indi præſertim, humanis ſunt auxilijs deſtituti, eò quòd Magiſtratus ſæculares, aut circa remedium neceſſitatum negligenter ſe habeant, aut ab eiſdem opprimantur. Prò hoc & Auctores, & textus adducit D. Solorz. *lib.* 3 *c.* 7. *n.* 55 *& ſeqq.* & in Politicâ *lib.* 3. *c.* 7 *pag.* 547. *§. Pertenece, & ſeqq.* vbi cùm afferat ſpecialem caſum Epiſcopi, qui è carcere extraxit quendam, quē vrbis Gubernator inauditum, & indefenſum, & abſque Sacramentorū receptione morti tradere volebat, ſubdit ijs circumſtantijs verificatis, non dubitaturum ſe eam excuſationem admittere (quod & tenet D. Villaroel *part.* 2. *q.* 14. *art.* 2. ſed non circa eos, qui ab Audientijs ſunt Regiis cōdemnati, pro quibus ſtat præſumptio. *Artic.* autem 3. *n.* 72. circa miſerabiles perſonas, licèt probabile cenſeat, negatiuè tamen reſoluit, nolens Epiſcopos ſe eorum cauſſis immiſcere.) Verùm facultatem à iure conceſſam Epiſcopis ad huiuſmodi patrocinium, non eſſe per attributionē iuriſdictionis, ſed quoad protectionē, inſtando, vrgendo, & armis nō materialibus, ſed ſpiritualibus vtendo; vt Magiſtratus compellant ad ea, quę officij ſui ſunt, quando negligētia, aut præcipitatio in graue cernitur Reipub. aut priuatorum etiam detrimentum redundare. Vnde in Hiſpaniâ recurſum ad Epiſcopos nō practicari boni Auctores docent; licèt pro Indiis illū concedat Bobadilla in Politicâ *lib.* 2. *c.* 17. *n.* 110. *& caſu* 84. vbi ait in caſu ei ſimili, de quo dictum, poſſe Epiſcopum ordinare Prætori, vt vinctum ſoluat. Non ergo permittit in carcerem violenter irrumpere, & vinctū extrahere cum periculo conflictûs Regalium Miniſtrorum, & eorum, qui Epiſcopi monitis, aut præceptibus obſequentur. Si ergo aliquid tum faciendum, induſtriâ potiùs, quàm armatâ manu libertas eſt iniuſtè oppreſſi procuranda. Sicut ergo peccare Epiſcopus poteſt patrocinium negligens, & oppreſſis ſubuenire deſiſtens; pro quo apud Salomonē *Prou.* 24. *v.* 11. *&* 12. admonitio illa generalis habetur: *Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare non ceſſes; ſi dixeris, vires nō ſuppetunt, ut inſpector eſt cordis ipſe intelligit, & ſeruatorē animæ tuæ nihil fallit, reddetq́; homini iuxta opera ſua.* Sicut inquam in eo peccare poteſt, ita & pluſquàm ſibi eſt conueniens vſurpando. Medio ergo tutiſſimus ibit, medium quidē prudentia, non zelus immoderatus, oſtendet. Pro quo eſt elegans ſententia apud non veterem, ſapientē tamē, & Religioſum Auctorē, ex præclaro Moderatore hauſtum; ſic magni operis molitores admonente: *Memores tamè vbique prudentiæ, ac modi eſſent; quia vt languor ac mollitia num quam cœpta percoquunt; ita calor ac zelus præferuidus ſæpè opprimunt.*

Quale illud futurū.

Quid pro Indijs ſpeciale.

Prou. 24. v. 11. & 12.

Vt peccarī in eo queat;

94 Iuuat autem ardentis quidem zeli ſed moderatione conditi, illuſtre exemplum adduciſſe Sozomeni verbis *Lib.* 7. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Cap.* 24. in quo ſic ſcribit: *Paganus quidam ordine illuſtris vir Gratianum conuitijs proſciderat, & patre indignum appellauerat; eiuſque rei habito iudicio, capitis damnatus erat. Cumque iam ad ſupplicium duceretur; venit in palatium Ambroſius pro illo ſupplicaturus. Ceterùm cùm Gratianus, eorum inſtinctu, qui illi damnato inſidiabantur, deſtineretur ſpectaculis venationum (quales priuatæ delectationis, non publici commodi gratia Principes exhibere conſueuerunt) nec atrienſium quiſquam illi rem indicaret, quaſi opportunum non eſſet; receſſit: Progreſſus autem ad illam portam, per quam feras introducebant, clanculùm ſe habuit: ac ſimul cum venatoribus ingreſſus, non ante cauſſam rei agere omiſit; neque priùs Gratiani, & Aulicorum eius oblectationibus ceſſit, quàm ſaluiferum ſuffragium Gratiano extorſiſſet, quo morti deſtinatum liberaret.* Hæc Sozomenus & hæc præclara agendi forma, vt grauibus, ac prudentibus verbis, non caſtrenſi tumultu, Prælati reorum cauſſas, cùm pietas exigit, apud ſæculares tranſigant Magiſtratus. Clericos ergo ſuos, non armis, ſed præceptis ſalutiferis inſtruant; ſic enim & ipſi & illi, ad omnia charitati propria molimina redduntur procul dubio validiores.

Illuſtre in D. Ambroſio Epiſcopi patrocinium exemplum.

Sozomenus

Vnde

Vnde in illo cum Imperatoribus agendi libertas.

Vnde citatus Scriptor poſt narrationem præfatam ita ſubdit: *Quin etiam circa legum Eccleſiaſticarum obſeruantiam, & inſtitutionem Clericorum ſibi commiſſorum admodùm ſedulus erat.* Sic ille. Inde ergo libertas loquendi apud Imperatores, de qua idem verbis illis: *Vt intelligatur quantâ apud Imperatores propter Deum loquendi libertate polluerit.* Neque nobis loquendi cum Dominis Epiſcopis, etiamſi propter Deum, vtendum amplius libertate. Alia per opus ſparſa Index dabit.

Idem.

APPENDIX
De Patriarcha Indiarum.

Patriarcha idem qui Primas, iuxta ſententiam commune.

95 PAtriarcha, qui idem eſt ac Pater Patrum, ſeu cognationum vel familiarum, vſu Eccleſiaſtico peculiarem in Ordine Epiſcoporum deſignat dignitatem, qui quadri-pertitus eſt, vt habetur in Cap. *Cleros* 21. *diſt.* Eſſe autem eumdem, qui Latinè dicitur Primas, & ſupra Archiepiſcopos eſt, qui tres ſaltem eſſe debent, vt obſeruat Laurentius Beyerlinck in *Theatro vitæ humanæ, Tomo* 6. *Libr.* 14. *Litterâ* P. communis eſt Canonici Iuris interpretum: ſic enim habetur in *Cap.* 1. 99. *diſt.* in quo Gratianus ita ſcribit: *Primates & Patriarchæ diuerſorum ſunt nominum, ſed eiuſdem officij.* Sic ille. Pro quo videri poſſunt citatus Beyerlinck, Syluester V. *Patriarcha*, vbi pro eo Raynundum adducit, & v. *Primas*, in quo nihil de illo, referens ſe ad v. *Patriarcha.* Leſſius Zechius de *Republica Eccleſiaſtica, Tit. de Patriarchis num.* 1. P. Azor *Tomo* 2. *Lib.* 3. *Cap.* 35. *Quæſt.* 2. & alij ex Recentioribus.

Gratianus.

Ex Cap. Nulli an rectè probari queat.

96 Pro eodem videtur ſtare Cap. *Nulli, citat.* 99. *diſt.* in qua ſic P. Anicetus Pontifex: *Nulli Archiepiſcopi Primates vocentur, ni illi, qui primas Sedes tenent, quarum Epiſcopos Apoſtoli, eorumq; ſucceſſores regulariter, Patriarchas vel Primates eſſe conſtituerunt: niſi gens deinceps ad fidem conuertatur, cui neceſſe ſit præ multitudine Primatem conſtitui: reliqui Metropolitani nominentur, qui reliquas Metropoles tenent.* Sic ille. Ex quo P. Fragoſus *Tomo* 2. *Diſput.* 16. §. 1. *num.* 5. patere ait idem eſſe Patriarcham & Primatem. Sed certè non ita videtur patens; immò oppoſitum inſinuari. Cùm enim Diuus Pontifex in Eccleſiis ab Apoſtolis & ſucceſſoribus Patriarchas & Primates conſtitutos dixerit, de futuris loquens Primates tantùm conſtituendos eſſe decernit, Patriarcharum nomine prætermiſſo. Illud ergo *Seu*, disiunctionis nota eſt. Quod poſt hæc ſcripta inuenio ſic tenere Ioan. Fileſacum *de ſacra Epiſcoporum auctoritate, Cap.* 9. §. 8. Vnde Patriarchæ & Primates vt diſtincti etiam proponuntur in cit. *Cap. Cleros.* Ex Diuo enim Iſidoro *Lib.* 7. Etymol. *Cap.* 12. ſic ibi: *Archiepiſcopus Græco interpretatur vocabulo, quòd ſit Summus Epiſcoporum, id eſt, Primas: tenet enim vicem Apoſtolicam, & præſidet tam Metropolitanis, quàm ceteris Epiſcopis.* Sic ibi: & ita tenet Illuſtriſſ. Barboſa de Poteſtate Epiſcopi *Tit.* 1. *Cap.* 6. *num* 7. & 8. & de Iure Eccleſiaſtico *Lib.* 1. *Cap.* 6. *num.* 10. & 12. Sed ex alio fundamento, quia ſcilicet exiſtimat nomen Patriarchæ tantùm quatuor propriè adaptari poſſe, qui poſt Romanum celebres in Conciliis, Epiſtolis Decretalibus, & Iure habentur; Conſtantinopolitanus ſcilicet, Alexandrinus, Antiochenus, & Ieroſolymitanus, cùm alij, qui Primates ſunt, quodammodo tantùm dici tales poſſint. Quod & tenet P. Fragoſus *ſuprà num.* 6. dicens lato modo tantùm eſſe Patriarchas, cùm alij tales per antonomaſiam ſint.

Cap. Cleros, ex quo oppoſitum.

Veriſimilior reſolutio.

97 Vbi quidem quæſtio videtur eſſe de voce, ſi Primates quoad iuriſdictionem, & inſignia, ac priuilegia totum id habeant, quod quatuor dicti, pro quo vſus Eccleſiæ conſulendus. In quo mihi videtur certum, eum, cui à Pontifice Primatus conceditur, cum nomine Patriarchali verum Patriarcham eſſe cenſendum, cùm totum hoc ad Pontificiam diſpoſitionem ſpectet, & ab Apoſtolicæ Sedis pendeat voluntate. Sic veri Æthiopiæ Patriarchæ fuerunt Reuerendiſſ. DD: Ioannes Nonnius Barretus, Andreas Ouiedus, Alfonſus Mendezius, Societatis noſtræ; & ideo priuilegiis omnibus frui poſſunt, qui tales fuerint, Patriarchis in Iure conceſſis: quod de Minoribus negant P. Azor *ſuprà Cap.* 26. *Quæſt.* 7. cum Geminiano, & Barboſa *Tit.* 6. *Cap.* 1. *num.* 37. quia impropriè tales ſunt; non negatiui in caſu noſtro, vbi à Pontifice & nomen & ſubſtantia tribuitur dignitatis.

Patriarcha Indiarum cur & qualiter conſtitutus.

98 Iuxta quæ concludendum pariter Patriarcham Indiarum verè eſſe talem, cuius creandi à Paulo Tertio (vt ex Gongalez in *Reg.* 8. *Cancel. Gloſſa.* 41 *num.* 14. refert Barboſa *citat. Cap.* 6. *de Iure Eccleſ. num.* 43. & Dom. Machadus *Tomo* 2. *pag.* 343. *col.* 2. *in principio*) rationem reddit Gregorius Lopez *in l.* 12. *Tit.* 5. *Part.* 1. *Gloſſa* 2. ſic ſcribens: *& quando aliqua gens de nouo ad fidem conuertitur, ſi neceſſe ſit propter multitudinem, debet Primas ibi conſtitui, vt in Cap. Nulli* 99. *diſt. & ſic videmus temporibus noſtris conſtitui à Papa Patriarcham Indiarum maris Oceani.* Sic ille. Vbi illud videtur negotium faceſſere non videri Patriarcham huiuſmodi propriè talem, cùm illi ſolus videatur titulus attributus: nullam enim circa Indicos Præſules, aut eorum ſubditos, iuriſdictionem exercet. De quo teſtatur D. Villaroel *Parte* 1. *Quæſt.* 4. *Art.* 5. *num.* 37. oculatus teſtis; qui *num. ſeq.* nobiſcum quoad diſcrimen inter Patriarcham & Primatem ſentit. Tantùm ergo Titularis apparet, quod non videtur D. Aniceti diſpoſitioni conforme: nouos enim Primates, aut Patriarchas, iuxta communem intelligentiam, conſtituendos ait, quando id exiget conuerſarum gentium multitudo: *Cui neceſſe ſit præ multitudine Primatem conſtitui.* Atqui ſi Patriarcha nihil circa conuerſos operatur, eorum non eſt neceſſitati conſultum, & ita neque Pontificis ſancti menti ſatisfactum.

Greg. Lopez.

Quomodo eius dignitas ſine iuriſdictione.

99 Sed certè, cùm id, quod agitur, Pontificiâ diſpoſitione procul dubio peragatur, non eſt circa illud difficultas concitanda. Patriarcha quidem radicalem erga Indias retinet poteſtatem: ſed quia hucuſque non eſt inuentus modus conueniens, vt exercere illam queat, honor ille circa exercitium vacat, quemadmodum Patriarcha Ieroſolymitanus per annos ferè quingentos talem honorem ſine vſu habuit poteſtatis, vt oſtendit Cardinalis Bellarminus *Lib.* 1 *de Pontifice Cap.* 24. §. *Porrò.*

Et pro Indiis tantùm Occidentalibus.

100 Quòd autem pro Indiis maris Oceani conſtitutus dicitur, indicat pro Occidentalibus tantùm

Digitized by Google

tantùm eam conceſſam dignitatem: Occidentalis enim India non ad Oceanum, ſed ad mare Indicum ſpecialiter dictum ſpectat. Vnde Regibus Caſtellæ ſic curantibus ea eſt creata dignitas, quando regnum Portugalliæ minimè eorum poteſtati ſubiacebat. Scribit autem Barboſa in Catalogo Epiſcopatuum *Tit.* 1. in fine Archiepiſcopum Goanum eſſe totius Indiæ Primatem. Et

Beyerlinck.

Beyerlinck ita ſcribit: *In eadem Hiſpania Valentinus Archiepiſcopus Hiſpaniarum, vt Goanus, Indiarum Patriarcha, gaudet nuncupari.* Sic ille. Tam autem eſt vnum à vero alienum, quàm aliud. Dictus quidem Patriarcha D. P. Ioannes à Riuera; ſed quia Antiochenus: vnde forſan erroris occaſio. Nec de his plura. Qualis Patriarchalis dignitatis vſus poſſit conuenienter Indiarum Patriarchæ concedi, dictum à nobis *Tit.* 1. *num.* 40. & *Tit.* 2. *num.* 113. Vtinam vtiliter.

TITVLVS XIV.

DE INDICORVM EPISCOPORVM VICARIIS GENERALIBVS

Dicendum hoc loco de illis quia vnum cum Epiſcopis Tribunal conſtituunt: circa quos longiſſima poſſet inſtitui tractatio, ſi ea, quæ ad Indicos tantùm ſpectant, non eſſet inſtituti noſtri lucidare. Per breuia ergo capita, quæ ad eorum conſcientias pertinent, proponemus; pro quo ſit

CAPVT I.

Quales eſſe Indicorum Epiſcoporum generales Vicarij debeant.

Litteratos eſſe debere. Et graue in electione non talium fore peccatum.

1 DIco primò. Generales Vicarij debent eſſe homines litterati. In hoc ergo graue eſſe peccatum poteſt, & eorum, qui officium affectant, aut oblatum recipiunt, & pariter eligentium. Quod eſſe non rarum Indiarum malum pudor eſt atteſtari: dum homines merè Grammatici, & neque boni eo in genere, ad curam huiuſmodi, omnium poſt Epiſcopalem maximam, aſſumuntur. Et ſolent Epiſcopi electionis talis excuſationem eam adducere, quòd ipſi circa eorum actiones attentiſſimi ſint futuri, à quibus pariter dirigendi. Qui autem officium affectant, ex eo ſecuras conſcientias reputant, quòd litteratorum ſint conſilio rebus in omnibus imbuendi. Sed nihil horum eos releuat: quia neque Epiſcopi dum viſitant erga Vicariorum actiones aduigilare poſſunt, neque populi ſcandalum eâ ratione depellitur: & impoſſibile moraliter eſt vt in omnibus, ſi expeditio negotiorum opportuna futura eſt, ad Epiſcopum recurratur. Quòd autem per Aſſeſſores doctos non fiat ſatis, ex eo conſtat, quia ita illi de Aſſeſſorum conſilio debent ſententiam pronuntiare, vt quod iudicant intelligant, & non ſint emortuæ fiſtulæ aquæ aliunde profluentis. Vnde

Concilium Limenſe.

Concilium Limenſe Tertium *Act.* 3. *Cap.* 2. ſic decernit: *Vicarios verò & iudices, ac Viſitatores, ex ijs, qui ſapientiâ & moribus præſtant, eligant.* Sic Concilium. Præterea oſtenditur: quia Vicarius generalis eſt iudex ordinariam habens poteſtatem, & iuriſdictionem, vt ſuprà diximus cum communi Doctorum ſententiâ: pro quâ & complures congerit Barboſa *de Poteſtate Epiſcopi Allegat.* 54. *num.* 37. & *ſeqq.* & *in Remiſſionibus ad Concilium Tridentinum Seſſione* 24. *Cap.* 16. *lit.* Z. Nec qualiſcumque iudex, ſed ampliſſimi territorij, & diuerſorum valde generum paſſim occurrentium cauſſarum in materiis ſpiritualibus, ſacris, & momenti maximi. Immò & iudex iudicum, tùm ad eum omnis diœceſeos gubernatio deuoluatur: ergo debet eſſe rei iudiciariæ, in quâ verſatur, peritus. Illatio eſt euidens, quam & iura humana præſcribunt *L. penult. de iudicibus.* Vbi ſcribentes videantur, ſi lubet, P. Azor *Parte* 2. *Lib.* 3. *Cap.* 43. *Quæſito* 10. P. Bauny *Tomo* 1. *Tract.* 9. *Quæſt.* 2. Barboſa *ſuprà num.* 54. & alij paſſim.

Ex ratione iudicis validum argumentũ.

Videtur autem Zerola contrarium ſentire in *Praxi Epiſcopali Parte* 1. verb. *Vicarius, Aſſert.* 21. vbi ſic ait: *Epiſcopus poteſt tenere Vicarium non Doctorem. Ratio eſt: quia tùm ipſe Epiſcopus ſit Doctor, vt patet vulgatis iuribus, ſufficit quidquid ſit Vicarius.* Sic ille. Sed certè venit commodè explicandus: ſufficere inquam quidquid Vicarius ſit; videlicet ſiue Doctor aut non Doctor, dummodò aliàs ſufficiens, quia multi ſunt Bacchalauri Doctoribus doctiores, aut ſine gradu etiam, doctrinâ ſtudio, & experientiâ non mediocri comparatâ; ſicut à Concilio Tridentino dictum de Vicario electo à Capitulo; *vel aliàs, quantùm fieri poterit, idoneus.*

Zerola.

2 Dicò ſecundò. Vicarius Epiſcopi probatis moribus eſſe debet, & aliter electio facta non ſine mortalis culpæ reatu conſtat, & eligentis & electi. Id quod in Indiis peculiari ratione verum habet, ob cauſſam ſæpiùs inculcatam de probitate Miniſtrorum, quia de noui Orbis conuerſione agitur, & ſtabiliendâ fide, ac moribus

Aſſertio 2. probatis moribus pariter futurum ſub mortalis peccati reatu.

Chriſtianis.

Digitized by Google

Chriſtianis. Probant hoc adducti Doctores, & eſt ornamentum iſtud cum præcedenti connexum in formulâ, quâ creari Vicarius ſolet, & ex Iacobo Sbrozio adducitur à Barboſa *ſuprà n.* 56. in qua ſic dicitur: *Nos Dei, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ gratiâ Epiſcopus. N. Salutem in Domino &c. Conſiderantes igitur probitatem, legalitatem, ſcientiam, diſcretionem, & induſtriam diſcreti viri. N. iuris vtriuſque Doctoris &c.* Pertinet etiam ad morum maturitatem competentia ætatis: & debere eſſe ſaltem viginti quinque annorum, adducti docent: licet Homobonus *de ſtatibus Cap.* 7. *verſ. Ætas* dicat debere eſſe viginti octo, & in hoc non poſſe Epiſcopum diſpenſare, ex Cardinali, quem citat, non tamen communiter recepto. Et quidem cùm ad Epiſcopatum triginta ſufficiant: non eſt mirum ſi minùs aliquid ad Vicariatum neceſſarium videatur, cùm aliàs ætas. 25. annorum ad Presbyteratum ſufficiat, in quo tantùm conſtat dignitatis reſidere. Id colligunt ex Cap. *In cunctis* §. *Inferiora*, de electione, vbi ſic dicitur: *Inferiora etiam miniſteria vt puta Decanatum, Archidiaconatum, & alia, quæ curam animarum habent annexam, nullus omnino ſuſcipiat, ſed nec Parochialis Eccleſiæ regimen, niſi qui iam* 25. *annum ætatis ſuæ attigerit.* Sic ibi. Cùm ergo Vicariatus curam animarum annexam habeat, immò & eorum, qui curam animarum habent, in prædicto Decreto videtur comprehenſus: ſicut & ad eum ſpectant quæ ſequuntur: *& ſcientia, & moribus commendandus exiſtat.* Nihilominus quia expreſsè id non habetur, fundamentum relinquitur ad contrarium aſſerendum: cùm præterea addatur, vt ij, de quibus ibi eſt ſermo, debeant *præfixo à Canonibus tempore in Presbyteros ordinari.* Quod tamen de Vicariis non eſt ita receptum, & quidem doctorum, & probitatis eximiæ Prælatorum vſu: vnde & ſcimus aliquos poſt Vicariam functionem matrimoniis innodatos. Sed certè hoc ipſum inconueniens in cauſſa eſſe deberet, vt non niſi Sacris initiati ad officium iſtud adſciſcerentur. Vnde & refert P. Bauny *Quæſt.* 2. *citata* §. *Tertiò debet*, declaratum eſſe in Toloſana Curiâ Vicarium debere eſſe Sacerdotem, & ita non toleratum in officio quemdam, qui per abuſum à ſententia contra ſe latâ ad dictam Curiam appellarat. Neque id mirum, quandoquidem & Breue Clementis octaui extat, quo Vicarij Sacris initiati eſſe iubentur. Non tamen in Hiſpania receptum, vt ex aliis teſtatur Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 3. *Cap.* 8. *num.* 39. Licet ergo contrarium videatur probabile, quod ad ætatem ſcilicet attinet, & etiam quod ad Sacerdotium; dummodo cetera ſuffragentur; in facti tamen contingentia poterunt Epiſcopi grauiter peccare huiuſmodi electionibus, ſi attentis circumſtantiis diſpiciant defectus illos executioni officij poſſe incommodare.

Formula creationis.

Qua ætate eſſe debeat.

Cap. In cunctis, de electione.

Ordines ſacros an habere debeant.

3 Dico tertiò. Vicarij dicti debent circa Indos peculiarem gerere ſolicitudinem, cuius defectu grauiter peccare continget. Id conſtat, quia Epiſcopis obligatio talis incumbit; Vicarij autem ad munus idem circa animarum ſalutem procurandam aſſumuntur: vnde quæ de Epiſcopis dicta ſunt *Cap.* 1. *Tituli præced.* de Vicariis ſunt etiam accipienda. Debent ergo eſſe *ſolicitudine non pigri*, (vt Apoſtolus loquitur *Rom.* 12. *v.* 11.) *Spiritu feruentes, Domino ſeruientes.* Indorum cauſæ multâ egent ſolicitudine, quia multi ſunt pro eorum vexatione ſoliciti, vnde & diabolus occaſionem eos perdendi deſumit. Parochorum multi erga eorum pigritantur ſalutem, dum ad ſua commoda indeſinenter inuigilant: quorum pigritia Vicariorum eſt ſolicitudine propulſanda. Vnde & feruentes ſpiritu ſint oportet: ſpiritu inquam, non carne, carnis & ſanguinis negotia pertractantes; eos ſibi beneuolos cupientes, à quibus impleri promptuaria poſſunt, & ex hoc in illud eructare, Domino, non mammonæ, & genio ſeruientes, quæ eſſe Indiarum crinita conſtellatio ſolet, dum tot ſunt qui ſua quærunt, non quæ IESU CHRISTI, pro quo ſe ipſos impendere, & ſuperimpendere, Apoſtoli exemplo, debuiſſent. Et Vicarij in primis, quibus ſunt greges iſti primariis Paſtoribus ab ipſo Paſtorum Principe pariter & Paſtore commiſſi. Videatur Dom. Reyna poſt hæc ſcripta viſus *Tomo* 1. *de Perfecto Prælato Lib.* 5. *Tract.* 5. per plura Capita.

Aſſertio 3. ad Indorum curam grauiter obligatos.

Rom. 12. v. 11.

CAPVT II.

An Parochi Indiarum poſſint eſſe Vicarij generales.

4 DIco primò. Si nulla ſit ſpecialis neceſſitas, ſed ſola Epiſcopi in eo deprehendatur affectio, aut aliqualis commoditas, non poteſt Parochus in Indiis eſſe Vicarius generalis, cum neceſſitate abſentiæ à ſua Parochia, etiamſi illa per Vicarium ſuppleatur. Probatur ex generali Doctorum conſenſu circa obligationem reſidendi, de quo *Titulo præced. num.* 20. vbi illam non humani tantùm iuris, ſed naturalis & diuini eſſe monſtrauimus. Eo autem ſic ſtante in Parochis, manifeſtum eſt abeſſe non poſſe, niſi maius Eccleſiæ bonum id poſtulet, vt communiter Doctores affirmant, & habetur expreſsè in Concilio Tridentino *Seſſione* 23. *Cap.* 1. ibi; *Euidens Eccleſiæ, vel Reipublicæ vtilitas.* Vbi licet de Epiſcopis ſermo ſit: eadem tamen eſt ratio de Paſtoribus aliis, quia Concilium eo loco diuinum præceptum erga omnes agnoſcit, ex quo deducit non poſſe non reſidere, niſi ex cauſſis ibidem aſſignatis: quibus occurentibus ratio naturalis dictat obligationem talis præcepti ceſſare. Et in caſu noſtro id liquet: nam cùm reſidere teneatur Parochus ob bonum Eccleſiæ ſuæ, rationabile omnino eſt, vt Eccleſiæ amplioris bonum illi præferendum ſit: quod perinde eſt ac dicere ſpiritualem multorum ſalutem paucorum eſſe ſaluti præferendam. Atqui in caſu propoſito non interponitur maius Eccleſiæ bonum, vt eſt compertum, quia nulla eſt ſpecialis neceſſitas, & affectio Epiſcopi circa hoc non eſt rationi conformis, cuius & aliqualis commoditas non poteſt incommodis maximis ex abſentia Parochi præponderare, vt Concilium clamat, & ratio clariſſima perſuadet. Et ita generaliter non poſſe Epiſcopum vti operâ Parochi in quocumque ſeruitio ſuæ diœceſis, niſi pro tempore duorum mẽſium, quod Concilium *ibidem* concedit Parochis ad non reſidendum iuxta Congregationis Cardinalium Declarationem, tradit Barboſa circa

Aſſertio 1. negans, ſi abſentia futura.

Sola Eccleſiæ, ac Reipublicæ vtilitas abſentiam licitam reddit, non alia minoris momenti.

Digitized by Google

Caput. 1. *titatum Seſsionis* 23. *numer.* 7. & 5. *Epiſcopus non poteſt. Et de Poteſtate Epiſcopi Allegat.* 53. *numer.* 85. *&* 86. vbi alios pro eodem adducit.

Doctrina Nauarri quomodo accipienda, ſicut & aliorum.

5 Quod ergo Nauarrus ait *Conſilio* 15. *de Clericis non reſidentib.* poſſe ſcilicet Parochum abeſſe, ſi Vicarius generalis eligatur, quod & alij affirmant; iuxta explicationem datam eſt admittendum, quando ſcilicet in eo euidens Eccleſiæ vtilitas deprehenditur. Apoſtilla autem illius Cõſilij reſolutioni Auctoris obſiſtit, dum in ea dicitur Sacram Congregationem cenſuiſſe Ordinarium hanc licentiam non poſſe dare, & quòd illius Auctor viderit Curatum licentiam à Papâ circa hoc negotium poſtulare. Quod ex aliorum etiam facto comprobat Zerola in *Praxi Epiſcopali Parte* 1. verb. *Parochus* §. *Sextò.* verum eſt; tamen Auctorem hunc non de Vicariatu loqui in diœceſi, in qua eſt Parochialis, ſed in alia, & ſic procedere ea, quæ *ibidem* adducit. Et eſt quidem in eo diſcrimen non leue, quia Parochus Vicarius effectus à proprio Epiſcopo, curam ſuæ Eccleſiæ non relinquit: cùm enim omnium in diœceſi exiſtentium eam habeat, in illis, quæ ipſius eſt propria, ante eius oculos obuerſatur. Nihilominùs doctrina tradita generaliter eſt accipienda, quia & ratio generaliter vrget, cùm ſit veriſſimum, quidquid de cura illa generali ſit, Parochum non reſidere. Et inconuenientia illa fore certiſſima, quæ ex Paſtorum abſentia ſubſequuntur: vnde & Declarationes Cardinalium ita exprimunt, cùm de ſeruitio circa propriâ diœceſim loquuntur. Dixi autem in Parochis Indiarum hoc eſſe peculiare, quia Indi maiore curâ indigent, vti plantæ nouæ, & ſubſtituti propriis ſolent commodis inhiare, nec ſperari facilè remedium poſſit; quandoquidem Vicarios propitios habent, vtpotè eorum facturæ, & quos ſtudent emolumentorum opportunâ contributione demereri.

Reſolutio procedit etiam in diœceſi in qua eſt Parochia.

In Parochus Indorum id ſpeciale.

Aſſer. 2. *& etiamſi in Parochia propria reſideant, ſi. officio nequeunt ſatisfacere.*

6 Dico ſecundò. Etiamſi Parochi vrbani ſint, & in ſua poſſint reſidere Parochia; ſi tamen ratione Vicariatûs ita abeſſe neceſſarium ſit, vt nequeant commodè ſuo muneri ſatisfacere, eligi ad illud nequeunt, neque tutâ conſcientiâ admittere, ſtantibus tantùm rationibus, de quibus *Aſſert. praced.* Ratio eſt clara, & ex communi Doctorum ſententia deſumpta, iuxta quam reſidentia non requiritur pro materiali tantùm aſſiſtentia Parochi, ſed pro cura & ſolicitudine opportunè Parochianis exhibendâ: vnde etſi Vicarium quis habeat, de quo poſſit non minorem, quàm de ſe ipſo, ſatisfactionem habere, per ſe ipſum tenetur in multis miniſtrare, vt aliàs diximus; pro quo & videri poſſunt Ioannes Sancius in *Selectis Diſput.* 47. Moſconius *Parte* 1. *Cap.* 2. Diana *Parte* 3. *Tract.* 4. *Reſolut.* 156. alios adducens. P. Bauny *Tomo* 1. *Tract.* 10. *Quæſt.* 34. præſertim *Dicto* 5. & quod maius omnibus habet pondus Innocentius Tertius in Cap. *Extirpandæ*, de Præbendis, vbi ſic ait: *Qui verò Parochialem habet Eccleſiam, non per Vicarium, ſed per ſe ipſum illi deſeruiat in ordine, quem ipſius Eccleſia cura requirit.* Sic ille. Tum ſic. Qui ratione Vicariatus miniſtrare nequit in ordine ſuo, formaliter non reſidet, quidquid de materiali reſidentia ſit: Atqui non reſidere abſolutè non licet Parocho ratione Vicariatûs: ergo neque ſtante reſidentiâ materiali, quæ perinde eſt ac ſi non eſſet.

Reſidentiā materialē non ſufficere.

Cap. Extirpandæ, de Præbendis.

Sententiā eorum, qui Parochos ſeruire per alios poſſe affirmant, non eſſe admittendā.

7 Ait tamen P. Bauny *Dicto* 1. quoſdam ſic opinari, vt exiſtiment eos, qui per alios munus Parochiale obeunt, quando illi viri docti ſunt, ita vt æquè benè omnia ad illud ſpectantia præſtare poſſint, obligationi ſuæ ſatisfacere: quod cùm generaliter aſſerant, ad caſum noſtrum poterit ſpecialiùs adaptari. Sed certè talis opinio non videtur admittenda: vt enim citatus Pater ait, eorum eſt, qui Concilij Tridentini auctoritatem, verbaque quibus *Seſſione* 23. *Cap.* 1. reſidentiam ex vi præcepti diuini obligare determinat, præ ſuis facientes nihili, ad libidinem opiniones ſibi fingunt. Neque eorum ratio quidquam euincit, quòd ſcilicet per alios æquè benè omnia Parochialia munia obiri poſſint: id enim eſt omnino falſum: nam præſentia Paſtoris ſecundùm omnes illius effectus inſupplebilis eſt, quia mercenarius numquàm poteſt agere vt proprius poteſt Paſtor: & hoc ipſum quod eſt oues præſentem proprium habere Parochum, magni momenti eſt, & ſpecialem ſecum affert confidentiam & conſolationem: eſt enim ad manum recurſus, ſi ſubſtitutus excedat, & ad omnia potentius adiumentum. Quodquidem clarè oſtendit non poſſe Parochum ſe penitus abſentare, vt videntur voluiſſe illi, quibuſcum prædictus Auctor diſputabat. Non autem id ſufficere ex eo etiam probatur, quia non paſcens, abſolutè paſtor non eſt, etiamſi per alium paſcere conetur: ſicut medicus non eſt, qui curam Egrotis medicum non deeſſe, neque Aduocatus, qui Aduocatorum patrocinium egentibus prouidet, & ſic de aliis: Atqui officium Paſtoris eſt, vt ex Concilio Tridentino conſtat *citato Cap.* 1. *Seſſ.* 23. *de Reformat.* verbis illis: *Cùm præcepto diuino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oues ſuas agnoſcere, pro iis ſacrificium offerre verbique diuini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum omnium exemplo paſcere.* &c. Ergo dum nihil eorum per ſe agit, paſtoris officium non exercet, vnde nec nomine tali dignus habetur. Iuuant etiam quæ in Concilio poſt adducta ſequuntur, dum ſic dicitur: *Pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere, & in cetera munia Paſtoralia incumbere: quæ omnia nequaquam ab iis præſtari & impleri poſſunt, qui gregi ſuo non inuigilant, neque aſſiſtunt, ſed mercenariorum more deſerunt.* Hæc Concilium: quæ quidem non ſolùm de materiali aſſiſtentia, ſed formali ſunt etiam accipienda: & ex illis planum redditur per Vicarium non poſſe præſtari, qui mercenarij ritu ſeruit, & in Indiis ſpecialibus & frequentibus experimentis, ſatis & pluſquàm ſatis habetur exploratum.

Præſentiā Parochorū non eſſe ſupplebilē, clarè oſtēditur.

Concilium Trident.

Aſſertio 3. *Rationem maioris boni rarò occurrere.*

8 Dico tertiò. Licet quod dictum eſt de communi bono, & maiori vtilitate Eccleſiæ, ſatis veroſimile ſit, vt vidimus, & ita in Indiis vniuerſim loquendo poſſit practicari: rarò tamen talis occurrit caſus, in quo iuſtificari huiuſmodi electio poſſit. In Capitulis enim Cathedralibus viri eſſe ſufficientes ſolent, & etiam extra illa. Quia verò iudicium de hoc videtur Epiſcopis reſeruatum, ipſi conſcientiam ſuam conſulant, & videant num ad electionem talem ratio inducat, vel impellet affectio. Illi certè qui diſpoſitiones iſtas ſolent

Digitized by Google

lent ſine paſſionum turbatione diſpicere, non ſemel illud vſurpare conſueuerunt: *Vt quid perditio hæc?* habentes quidem perſonarum cognitionem, & iudicantes cauſſam poſſe communem procedere, nihil ſuâ ſede mouendo: quin & meliùs, quia & melioribus offenſionibus, quæ in iſtis ſolent non leues occurrere, deuitatis. Sed ipſi

Cap. Abſit 11. q. 3.

fortè plus vident, & ita *abſit vt quidquam ſiniſtrum de his arbitremur, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes. &c. 11. quæſt. 3.* & ita ad alia.

CAPVT III.

An Præbendarij Cathedralium poſſint eſſe Vicarij Epiſcoporum.

Aſſertio 1. affirmans.

9 DIco primò. Præbendarij dicti poſſunt eſſe Vicarij generales Epiſcoporum abſolutè loquendo, quia id nullibi inuenitur prohibitum. Immò in Concilio Tridentino *Seſſione 24. Cap. 16. de Reformatione* id ſupponitur verbis illis: *Etiamſi fuerint ex eodem Capitulo.* Quamuis ibi de Vicario Capituli ſermo ſit: ſed quoad hoc nullum eſt diſcrimen, & ita Doctores id communiter ſupponunt, dum de loco agunt, in quo is ſedere debet, & quos ex Præbendariis debeat præcedere. Ad quod cum ſatis tritâ doctrinâ reſpondent, de Vicario, qui de Capitulo ſit, vel qui non ſit de illo: pro quo videri poteſt Dom. Solorzanus *Tomo 2. Lib. 3. Cap. 8. num. 43. & ſeqq.* & in Politica *Lib. 4. Cap. 8. pag. 558. Col. 2.*

Concilium Trident.

Aſſertio 2. negans in penuria Præbendariorum.

10 Dico ſecundò. In Cathedralibus Indiarum poteſt aliquando tanta eſſe Præbendariorum penuria, vt Epiſcopo non liceat Vicarium ex illis eligere, ſi propter officium diuino ſit cultui detrimentum inferendum: in hoc enim eſſe peccatum mortale poteſt, vt cum aliis tenet P. Thomas Sancius *Lib. 2. Conſiliorum, Cap. 2. Dub. 12. num. 4.* Tunc ergo aut Epiſcopus ſine Vicario ſe gerat, ſi id non impediat diœceſis amplitudo, iuxta ea quæ adducit idem Dom. Solorzanus *ſuprà num. 11.* vel alium eligat, qui de Capitulo non ſit, idoneum tamen: ceteris enim paribus ille eligendus eſt, aut ſi magnus exceſſus non ſit. In caſu autem neceſſitatis, illa legem facit. Quòd ſi ex Curatis quiſquam idoneus appareat, dubitari poteſt in quo maius inconueniens ſit, in eo ſcilicet eligendo, an in Præbendario? Circa quod dicendum minus inconueniens eſſe in Præbendarij electione, quia in illo non ita apparet præſens periculum animarum, & Deus id, quod ad earum ſalutem ſpectat, cultui ſuo patitur anteferri, quando in eo aliqua tantùm diminutio ſine ſcandalo adſpicientium interuenit: quia miſericordiam magis, quàm ſacrificium amat. Vnde & Doctores circa cultum Euchariſtiæ aliqua omitti poſſe communiter aſſerunt, ne infirmus ſine Viatico moriatur. Pro quo eſt & Decretum Concilij Limenſis ſecundi, quod à Tertio confirmatum & renouatum *Act. 4. Cap. 18.* vbi ſic dicitur: *Cùm ſolemnes feriæ aguntur in vrbibus, earum celebritatis cauſſa Parochi populos ſibi Indorum commiſſos nequaquàm deſerant, etiamſi Sacratiſſimum Corporis Chriſti Feſtum, aut etiam dies Paraſceues in*

Quid de caſu neceſſitatis, Præbendarii, & Curatum inter ſe comparando. Vbi pro Curato potiorem eſſe rationem.

Quomodo diuino cultui præferenda animarum cura.

Concilium Limenſe.

magna hebdomada celebretur: neque verò ob id vocentur & inuitentur à Vicariis vrbium: cùm Deo ſit longè gratius obſequium oues proprias eo tempore inſtruere & curare, quàm cum earum periculo vrbanas ſolemnitates frequentare. Hæc ibi. Quæ quidem ſic intelligenda, vt eo modo faciendum ſit, etiamſi Vicarius relinquatur: de alio enim vix eſſe poterat dubitatio.

11 Dico tertiò. Præbendarij qui ratione officij à Choro plus abſunt, quàm officij adminiſtratio exigat, nequeunt aſſiſtentium emolumenta lucrari. Id conſtat: quia in eo, in quo Præbendarius non habet impedimentum aſſiſtêdi, perinde ſe habet acſi officium non haberet. Deinde arguere poſſumus ex iis, quæ circa Præbendarios, quibus ex officio lecturæ onus incumbit, vel in Vniuerſitatibus Facultatum ingenuarum Profeſſores ſunt, adducit Dom. Solorzanus *Lib. 3. Cap. 14. numer. 31. & ſeqq.* & in Politica *Lib. 4. Cap. 14. pag. 616. & ſeqq.* illis enim certæ tantum ſunt horę concedendę, & non, vt contendebant aliqui, dies integra functionis. Et eâ gratiam eiſdem factam à Gregorio XIII. habetur in Declarationibus Cardinalium circa *Cap. 7. Seſſion. 5 num. 12. §. Non debent.* Et ita id tenet P. Thomas Sancius *Libr. 2. Conſiliorum Cap. 2. Dub. 95. num. 5.* de quo & *inferius Titulo 18.* Quòd autem in quauis alia iuſtâ non aſſiſtendi cauſſâ, quæ publicum bonum concernat, idem dicendum ſit, apud eumdem Dom. Solorzanum habetur *num. 37.* & talis debet Vicariatus officium reputari. Eſſet autem maius ad prætenſionem dictam fundamentum, ſi quis eſſet ſimul Vicarius, & publicus Theologiæ, aut ſacrorum Canonum Profeſſor, vt hic Limæ nonnullos vidimus: occupationes enim illæ integrum hominem exigunt, ex quibus ſi quidquam temporis relinquitur, aliquali eſt quieti neceſſarium, vnde non videntur tales ad aſſiſtentiam in Choro diebus omnibus obligandi. Et quidem vt non aſſiſtant horis, in quibus exercitio munerum prædictorum vacant, ratio congrua perſuadeat; vnde & ſic eſt per diſpoſitionem aut declarationem iuridicam conſtitutum: Atqui geminata occupatione majus eſt otium pro ſtudio & requie neceſſarium: ergo ratio quæ pro vno militat, debet etiam pro alio militare. Id quod roborari poteſt ex diſpoſitione Concilij Tridentini *Seſſione 24. Cap. 8. de Reformat.* vbi de Cononico Pœnitentiario ſic dicitur: *Qui dum Confeſſiones in Eccleſia audiet, interim præſens in Choro cenſeatur.* Hæc ibi. Si ergo in Confeſſionibus audiendis toto eo tempore diſtineatur, quo Chorus non vacat, toto eo eſt pro pręſenti reputandus. Cuius ea eſt ratio, quia totum illud officij conditio requirit: ergo ſimiliter eſt in caſu noſtro dicendum. Idem autem eſſe de Archidiacono, & quolibet alio, dum auocatur à Choro, vt officio fungatur ſuo, communis reſolutio eſt, pro qua Lælius Zechius *de Repub Eccleſ. Cap. 24. num. 6.* & de Canonico pariter, qui Paræciam habet annexam vt videri poteſt apud P. Bauny *Tomo 1. Tract. 11 Quæſt. 7. §. Secundus eſt.* Et de ægrotantibus, per adducta à P. Thoma Sancio *ſuprà Dub. 90.* ac de aliis legitimè impeditis ex eodem *Dub. 92. & ſeqq.*

Aſſertio 3. Vltra tempus, quod officium exigit, abſentes non lucrari emolumenta aſſiſtentium.

Si publicus Profeſſor ſit qualis illi ſit abſentia concedenda.

Concilium Trident.

Ex conceſſionibus pro aliis arguitur.

12 Et ita quidem videtur dicendum, ſi quòd Vicarius quis ſeit, ex neceſſitate Eccleſiæ proueniat

Si tamen ex neceſſi-

Digitized by Google

tate officiũ ſit acceptũ. niat: ſi autem officium tale ab alio poteſt æquè bene adminiſtrari, non debet talis abſentia ſuſtineri. Vnde ſi velit talis retinere vtrumque, plus certè laborandum illi eſt, vt & eiſdem ſatisfaciat, & Choro interſit horis feriatis. Quòd ſi Capitulares non aſſiſtenti nihil opponant, nec litem intentent, ſecurâ conſcientiâ poterit diſtributionum commoda reportare. Prohibitio enim non ita explorata eſt, & qui nihil opponunt, liberalem videntur facere remiſſionem, quam poſſe facere multorum ſententia eſt apud P. Thomam Sancium *ſuprà Dub.* 108. Dixi debere Vicariatum dimittere, non cathedram, quia Cathedraticis ſpeciale eſt circa hoc priuilegium à Gregorio XIII. conceſſum, vt vidimus, ob magnum Eccleſiæ bonum in litteraria profeſſione: quod tamen non ita videtur pro Vicariatu conceſſum, cui multi poſſunt idonei reperiri: cùm tamen non ita ſit de litterariis Profeſſoribus; arcta enim eſt via, quæ ducit ad Cathedram, & pauci ſunt, qui inueniunt illam. Vnde Præbendarij non debent priuilegium dictum vti iniurioſum ſibi calumniari, qui portare ſe pondus diei, & æſtus inclamant, Chori ſedibus inhærentes: maior namque eſt in publicis Profeſſoribus defatigatio, noctes ducentibus inſomnes, cùm alij Chori labore contenti ſine ſolicitudine requieſcant. Certiſſima illa Salomonis, vtpote & Spiritus ſancti ſententia eſt. *Eccleſ.* 1. v. 18. *Quòd in multa ſcientia, multa ſit indignatio: & qui addit ſcientiam, addit & laborem.* Vbi Ioannis Campenſis Paraphraſis ſic habet: *Qui enim conatur ſupra modum ſapiens fieri, plurima experietur valde ingrata: & qui ad priorem eruditionem aliquid addere volet, id ſine magna moleſtia non perficiet.* Sic ille, poſt Paraphraſim in Pſalmos.

Profeſſorũ labor meritò muneratus.

Eccleſ. 1. v. 18.

Paraphraſis Campenſis.

CAPVT IV.

Vtrum Vicarij generales eſſe poſſint, quos Epiſcopi ex Hiſpania ſecum afferunt, aut inde ad tale munus accerſunt.

Ratio dubitandi.

13 RAtio dubitandi eſt, quia ſic aduentitij ſunt rerum Indicarum prorſus inexperti, cùm tamen ad munus tale experientia requiratur: id quod præſertim videtur vrgere quando Epiſcopus & Vicarius ſimul veniunt, vt vnus alteri eſſe adminiculo nequeat, cùm cœcus nequeat cœco præſtare ducatum. Quòd verò liceat, multorum Epiſcoporum videtur praxis non facilè damnanda perſuadere. Vnde

Aſſertio 1 Conuenientiam negans.

Dico primò. Nullo modo videtur conueniens vt Epiſcopus ex Hiſpaniâ veniens Vicariũ ſecum afferat, officium cum eo pariter ſuſceptu-rum. Ratio eſt clara ex dictis nuper: pro qua facit id, quod habet Barboſa *Allegat.* 54. *num. eodem*, de Poteſtate Epiſcopi, vbi ſic ait: *Epiſcopus ſuum Vicarium generalem debet curare peritum in iis, quæ ad ſuum munus exercendum pertinent, peritum in Iure Canonico, & Ciuili verſatum, ac Moralis Theologiæ non ignarum, & forenſium cauſſarum peritum.* Sic ille ex aliis, & cum aliis. Quæ quidem ornamenta planum eſt in eo eſſe non poſſe, qui rerum earum inexpertus prorſus eſt, quæ ad Prouinciam ſpectant, cuius eſt gubernationem ſubiturus. Et vt id deſit, quod de peritia Iuris dicitur; quod tamen ad peritiam eorum, quę ad ſuum munus attinent, aſſeritur, indiſpenſabile penitus debet æſtimari, vt *Cap.* 1. dicebamus. Quæ doctrina caſui noſtro preſſiùs adaptatur: res enim Indicæ alterius indaginis ſunt, municipalia iura diuerſa, vnde experientiam exigunt propiorem. Facit etiam pro eodem id, quod habet P. Bauny *Tomo* 1. *Tract.* 9. *Quæſt.* 2. §. *Quartò*, vbi ait, quòd cùm Epiſcopus eſt alienigena; Belga. V. C. aut Italus, eius Officiales ac Vicarios è regno oriundos eſſe oportet, ex Choppino *Libr.* 1. *de ſacra politia tit.* 6. *numer.* 10. & priori eius ratione omiſsâ, ſecunda ex eo procedit quòd cauſſa erit turbarum in populo, qui cùm rebus ſuis tutelam atque præſidium nullum eſſe in eorum ſinu cernant, qui linguam ſuam non norunt, iuſta eis haud dubiè daretur querendi cauſſa ſe ab Epiſcopo neglectos. Quæ quidem licet non omnino quadret; habet tamen momenti non parum, non ſolùm ob neglectos indigenas ad curam huiuſmodi, ſed ex confidentiæ defectu in eo, quem penitus ignotum habent, licet eadem linguâ loquentem. Omittunt autem Auctores illi quod ad experientiam pertinet, & eſt ſanè potiſſimum. In eo ergo juxta circumſtantiarum qualitatem poterit graue eſſe peccatum.

Barboſa.

P. Bauny notanda doctrina.

14 Dico ſecundò. Id quod eſt *Aſſert. præced.* dictum, currit etiam quando aliquis ex Hiſpania accerſitur conſtituendus ſtatim Vicarius, curâ Epiſcopatus ipſi generaliter demandatâ. Ratio eſt ſimilis: quia idem eſt experientiæ defectus: quantus autem ille ſit, diximus *Titulo* 1. *num.* 40. vbi experientiæ ornamentum commendatum.

Aſſertio 2. idem ſtatuens de accerſitis ex Hiſpania.

Dico tertiò. In viro aliàs idoneo experientiæ defectus ſuppleri interim ab Epiſcopo poteſt, ſi ita vices ſuas tribuat, vt quæ momẽti magni ſunt, ad ſe deferenda præcipiat, donec Vicarius ſufficientem hauriat rerum notitiam Indicarũ. Quòd ſi propter diœceſis amplitudinem & multitudinem negotiorum, nequeat ab Epiſcopo ſatisfieri cum nouitio Vicario, graue in eo eſſe peccatum poteſt: quia tenetur omnino ſuo muneri ſatisfacere, & cùm per ſe non poſſit, debet competentem ſibi adiutorem adſciſcere, juxta ea, quæ cum multis affert Dom. Solorzanus *Lib.* 3. *Cap.* 8. *num.* 11. *& ſeqq.* & in Politica *Lib.* 4. *Cap.* 8. *pag.* 555. *Col.* 1. & per hæc conciliari poſſunt, quæ Barboſa adducit *Allegat.* 1. *vſque ad* 4. Ex Sbrozio enim de Vicario Epiſcopi *Lib.* 1. *quæſt.* 34. Cucho, Lælio, Zechio, Menochio, & aliis ſtatuit Vicarium non futurum exterum, ſed qui notos habeat mores hominum ejus loci, pro quo conſtituitur: & quia jure præſumitur originarium majori fide & diligentiâ adminiſtraturum. Sed opponit deinde S. Carolum aliter cenſuiſſe, de quo ſic Carolus vitæ Scriptor: *Vicarium verò generalem in primis grauem, pietate, religioneque præſtantem, doctrina ſpectatum, Iuriſconſultum, tum præterea diſciplinæ ſacræ ſtudio incenſum, Sacerdotemque eligebat. Hos verò, nempe Vicarium generalem, & duos alios, qui tum ad ciuilia, tum ad criminalia deputabantur, adhibere exteros ſolebat; ne fortè amicitiâ, propinquitate, gratiâ, aut verò metu adducti, ius aliquomodo quandoque violarent, minuſue liberè dicerent.* Sic ille. Conciliari inquam

Aſſertio 3. experientiæ defectum ſuppleri aliquamdiu ab Epiſcopo poſſe.

Conciliatur Barboſa.

S. Carolus exteros adſciſcebat. Et quomodo id accipiendum.

Digitized by Google

inquam poſſunt, vt exteri eligantur, ſed non penitus inexperti: accedente autem experientiâ inconueniens illud videtur ceſſare de minore fide ac diligentiâ, quàm ſit eâ, quæ originarijs eſſe propria ſolet: multa enim aliunde non ſuppetentia, per illam poſſunt opportunè ſuppleri. Videantur dicta *citato illo, num.*40.

CAPVT V.

Ratione officij in quibus grauiter peccare contingat Vicarios Indicorum Prælatorum.

Aſſertio 1. Inhoneſtos Parochos tolerantes peccare grauiter.

15 DIco primò. Peccant illi grauiter Parochorum notam libidinem tolerantes. Pro quo Decretum Concilij Limenſis ſecundi à Concilio tertio confirmarum & innouatum habemus verbis grauiſſimis *Actio.* 3. *Cap.* 19. vbi ſic poſt alia multa: *Porrò Parochijs Indorum nullo modo Clericos incontinentiâ notatos aut ſuſpectos præficiant: quin potiùs, cùm tales reſciuerint, ſine cunctatione remoueant, neque aliunde remotos aliò transferant: ne propter eos (quod crebrò cernimus) nomen Dei blaſphematur inter Gentes. Sed neque iuuenales Indas ad ſeruitia domeſtica, ſiue perpetuò, ſiue etiam per vices alternantes, tenere vlla ratione permittantur: ſed aut famulatu virorum, aut ſi opus erit, mulierum ſatis ætate prouectarum ſeruitio vtantur.* Hæc Concilium. Vbi cum Epiſcopis & Viſitatoribus loquitur; ſpectat autem etiam ad Vicarios, quorum eadem eſt cum Epiſcopis ſollicitudo, ſicut & idem eſt tribunal. Quàm autem lethalis hæc diſſimulatio ſit, & res ipſa & Concilij verba declarant, quæ præceſſerant, illa ſcilicet: *Scientes ſibi in æterno Dei iudicio grauiſſimè imputandum, ſi eiuſmodi Concubinarios monere aut punire diſſimulauerint.* Sic ibi. Quales autem monitiones eſſe debeant, & qualiter ac quando ad pœnarum inflictionem veniendum, ibidem decernitur. Concinit autem Diœceſana Synodus Limenſis *Lib.*3.*Cap.*3.*Titul.*1. Nec quia de Concubinarijs ſermo eſt, ad eos ſolùm, qui in rigore tales ſunt, eò quòd pellices domi retineant, vxorum more, vt videri poteſt apud Bonacinam *Tomo* 3. *Diſputat.* 3. *Quæſt.*7. *Puncto* 4. *num.* 1. pertinere putandum eſt. Concilium enim in Decreto prædicto ad Concilij Tridentini diſpoſitionem alludit, cuius & meminit, quæ pro eodem habetur *Seſſione* 25. *Cap.*14. *de Reformat.* Vbi non ſolùm concubinatus traducitur, ſed impudicitiæ ſordes; vnde ſic habet: *Prohibet S. Synodus quibuſcumque Clericis, ne Concubinas, aut alias mulieres, de quibus poſſit haberi ſuſpicio, in domo, vel extra detinere, aut cum ijs vllam conſuetudinem habere audeant: alioquin pœnis à ſacris Canonibus, &c.* Vnde declarationem, quam adducit Barboſa ibi, quòd ſcilicet, *hoc Decretum de concubinatu, & alijs impudicitiæ ſordibus Clericorum non procedit in ſimplici incontinentia abſque qualitate concubinatus*, cùm contraria verbis Concilij ſit, nullus probare poteſt. Niſi dicamus impudicitiam non quamlibet, pœnis ibi contentis affici, ſed quæ Concubinatus habeat qualitates, hoc eſt, illi ſimiles, dum extra domum habetur femina, vel conſuetudo cum illâ interuenit, acſi domi haberetur: & hoc ſibi velle Auctorem illum dictâ explicatione. Quidquid autem de illa ſit, Concilium Limenſe omnem publicam incontinentiam ſuo Decreto comprehendit, dum Clericos incontinentiâ notatos remouendos ſtatuit, circa quod Vicarios ſub reatu lethalis culpæ, & grauiſſimæ profectò, oportet vigilare.

Concilium Lim. 3.

Nec ſolum de Concubinarijs propriè dictis procedere Decretum.

Concilium Trident.

Barboſa explicatio vt poſſit ſuſtineri.

Notorietas criminis vt neceſſaria ad procedendũ contra Clericos.

16 Vbi coommunem illam excuſationem de notorietatis defectu oportet expungere. Eſt quidem omninò tenenda doctrina, quam ſacri Canones circa hoc exhibent, & præſertim Iulius III. in Cap. *Veſtra, de cohabitat. Clericor.* & Innocentius III. in Cap. *Tua nos*, & Gregorius IX. in Cap. *Quæſitum*, eodem Titulo, dum ſtatuunt non eſſe contra Clericos ob crimen huiuſmodi procedendum, niſi notorium fuerit, neque ab eorum conſortio in diuinis abſtinendum: & ſine accuſatore, deficiente notorietate, formandum non eſſe iudicium, ac etiam credendum non eſſe teſtimonio bonorum virorum, inter quos viuere dignoſcuntur. Nihilominùs in *citato* Cap. *Tua nos*, id decernitur, quod ſine accuſatore & notorietate poteſt ad remedium mali huiuſmodi deſeruire, dum ſic dicitur: *Sed ſi de Clericis ipſis talis habeatur ſuſpicio, vt ex eâ ſcandalum generetur in populo, licèt contrà ipſos non appareat accuſator, eis tamen eſt Canonica purgatio indicenda: quam ſi præſtare noluerint, vel defecerint in præſtanda, eos Canonicè debebit animaduerſione punire.* Sic ibi. Licèt ergo bonorum virorum teſtimonia non ſint ad punitionis effectum ſufficientia, poſſunt ad ſuſpicionem ſufficere, & ad ſcandalum credendum; neque enim ad hoc iudicij formam Pontifex neceſſariam eſſe definit. Indicenda ergo eſt purgatio Canonica taliter criminoſis. Sed certè in populis Indorum illa impoſſibilis eſt, communiter loquendo, quia nequit ibi eſſe ſufficiens purgationi teſtium numerus, de quo Cap. *Inſinuatum*, de ſimoniâ. Præterquàm quòd purgatio Canonica vix iam in vſu habetur: immò ab vſu penitus abiiſſe, niſi in cauſſâ hæreſis, reſtantur Iulius Clarus, Salcadus, & Penna, apud Barboſam in *Collectaneis ad Decretales, Lib.* 5. *Titul.* 34. *Cap.* 1. *numer.*2.

Cap. Tua nos.

Purgationem Canonicã in vſu non eſſe.

17 Quid ergo faciendum ſuſpicione incontinentiæ conſtante? Quia remedium illud in vſu non eſt, omni eſt aliò prorſus abſtinendum? Quis hoc dixerit? Aliquid ergo ad mali adeò peſtiferi depulſionem agendum, quod non in ſolâ monitione conſiſtat, cui parum fidendum eſt. Et ideò talibus non eſſe indicendum iuramentum, quo iurent ſe ad Concubinas non reuerſuros, ſtatuit Alexander III. in Cap. *Clericos*, de cohabitat. ſic dicens: *Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos, qui publicè tenent Concubinas, ad eas abiurandas nolumus à tua Fraternitate compelli, ne in eamdem fornicationem inſtinctu diabolicæ fraudis redeuntes, periurij reatum incurrant.* Sic ille. Quibus ergo iurantibus fauorabilis nequit eſſe præſumptio, quod non iurantibus eſt credendum, ſed admonitionem Prælatorum emendationis propoſitum magnum ſe concepiſſe teſtatis? Præmittenda quidem monitio, & iterata quidem, iuxta ſacros Canones, vt videri poteſt in Cap. *Si quiſquam*, eodem Titulo; de quâ & Tridentinum, & vtrumque Limenſe Concilium *ſuprà*. Sed ſi non proficiant, quid vltra faciendum? Aliquid certè, ne prauo exemplo nouella fidei germina detrimentum

Sed ſupplẽda illa aliquid proficuum faciendo, qualis non erat monitio.

Cap. Clericos.

Digitized by Google

tum lamentabile patiantur. Vel radantur, cancellentur, aut rumpantur penitus, quæ circa hoc ſcripta ſunt, quandoquidem adeò inutilia comprobantur. Circa monitiones ita ex Declarationibus Barboſa ad *citatum Cap.* 14. ſcribit: *Specialiter monendi ſunt, non autem ſolùm generaliter, puta per edictum. Et hæ monitiones ex hoc Decreto non ſunt faciendæ tantùm in viſitatione, ſed & in alijs quoque temporibus fieri debent. At tempus quod inter vnam & aliam monitionem intercedere debet, arbitrio Epiſcopi relinquitur.* Sic ille.

Futura tamen & quales.

Declarationes Cardinalium.

Bono ſacerdotis nomini quomodo conſulendû.

18 Sed pergunt hi, de quibus agimus, & ſacerdotis famæ conſulendum eſſe identidem clamant, quod & ego meritò clamandum exiſtimo, quia fama ſacerdotis pretioſa eſt, vt iure debeat diuitijs multis anteferri. Sed certè dum de remedio agimus eorum ſordibus adhibendo, nihil contra eorum famam attentamus, ſed eam talem cupimus, qualis eorum ſtatui debet conueniens iudicari. Famam illi bonam non caſtè agendo miſerè perdiderunt, nec aliter recuperanda illa niſi ſplendore caſtitatis reparato. Qui ergo de reparandâ caſtitate agit, de zelo boni nominis benemeritus haberi debet, non illi iniurius conclamari: adhoc enim Eccleſiaſtica cenſura tendit, *vt infamia conuertatur in bonam famam & omne ſcandalum & ſuſpitio deleatur.* Cap. *Inter ſolicitudines*, de purgatione Canonica. Quòd ſi contingat famæ aliquod detrimentum, ob ſalutem multorum non debet illud à Prælatis attendi; immò nec pro bono illius tantùm, qui tale patitur detrimentum; cùm præſertim ille cauſſam dederit, qui immeritò vult alios famæ ſuæ ſcrupuloſè proſpicere, cuius ille adeò prodigus inuenitur. Id quod in præcepto fraternæ correctionis eſt manifeſtum, dum *Matth.* 18. iubet Chriſtus peccantem ſecretò eſſe corripiendum: quòd ſi non audierit corripientem, id eſt, obaudierit, à peccato reſipiſcens, adhibendos teſtes: poſſe autem illos pluries aduocari, nunc hos, nunc alios, ſi ſpes emendationis affulgeat, graues ſcriptores dicunt, vt videri poteſt apud Bonacinam *Tomo* 2. *Diſp.* 3. *circa primum Decalogi Præceptum, Quæſt.* 4. *Puncto* 7. *num.* 15. Poſt illos autem, ſi emendatio adhuc deſideretur, ad Prælatum tale eſt delictum deferendum. In quibus perſpicuè apparet famam peccantis obſcurari. Quod tamen Chriſtus non eſſe curandum docuit, debitâ moderatione ſeruatâ; quia de bono animæ illius agitur, quod eſt famæ præferendum, vt Doctores communiter aſſerunt, tum ſcribentes in Euangelia, tum de Charitate agentes in ſpeciali de illâ tractatione. Quòd autem propter vitandum aliorum damnum, præſertim ſpirituale, idem dicendum ſit, communis eſt Doctorum Canon in eadem materiâ, ſicut & in materiâ de iuſtitiâ, vbi quæſtio illa incidit: an licitum ſit manifeſtare delictum occultum, aut defectum alicuius, ad vitandum damnum proximi: ad quam affirmatiuè reſpondent, vt videri poteſt apud Auctorem citatum *Diſputat.* 2. *de Reſtitutione*, *Quæſt.* 4. *Puncto* 8. Patrem Gaſparem Hurtadum *Diſputat.* 12. *de eadem Difficult.* 11. P. Leſſium *Lib.* 2. *Cap.* 11. *Dub.* 9. qui alios adducunt. Quòd autem ex nota impuritate Parochi Indorum, grauiſſimum illis damnum immineat, ſatis liquet ex dictis *numer.* 17. Vbi Limenſis Concilij verba dedimus, teſtimonio experientiæ irrefragabili prolocuti.

Cap. Inter ſolicitudines.

Fama bonû animæ præferendum.

Ex præcepto correctionis arguitur.

Et propter vitandû aliorû damnum non curanda.

Aſſertio 2. excuſationum ex eo quòd non adſint requiſita Iuris ad procedendû nõ poſſit generaliter applicari.

19 Dico ſecundò. Peccant item Vicarij, qui poſt publicatum edictum ad morum reformationem, venientibus vt grauia ſcandala denuntient reſpondent non audiendos, ſi probare nõ poſſint. Quod quidem in eâ videtur poſſe doctrinâ fundari, quam multi tenent ſcriptores, iudicem ſcilicet Eccleſiaſticum non poſſe ſuo edicto obligare vt ſibi occulta crimina detegantur, ſed tantùm publica, ſic enim colligitur ex Cap. *Inquiſitionis.* §. *Tertiæ*, de accuſationibus. Et Cap. *Qualiter, & quando*, eodem Titulo: in quibus deciditur ex denuntiatione non poſſe procedi ad inquiſitionem pro puniendo delicto, niſi præcedat infamia, aut clamoroſa inſinuatio: *Quinimmò depoſitiones contra eum recipi non debere; cum inquiſitio fieri debeat ſolummodo ſuper illis, de quibus clamores aliqui præceſſerunt.* Sic in priori. In alio verò ſicut ſequitur: *Sicut accuſationem legitima debet præcedere inſcriptio, ſic & denuntiationem charitatiua monitio, & inquiſitionem clamoſa inſinuatio præuenire.* Sic ibi. Qui ergo delicta in edicto iuſſa deferri ſine præfatis qualitatibus denuntiat, non debet audiri; quidquid de iure ciuili ſit cum maiori rigore procedente. Atque ita tenet P. Gaſpar Hurtadus *Tractatu de iudicio forenſi. Diſput.* 2. *Difficult.* 7. Sed certè fundamentum hoc non applicatur accommodè: & ex eo fit multa crimina manere non ſolùm impunita, ſed impunitatis ſecuritate ſine remedio pereunare. Quidquid ſacri Canones de infamiâ ad denuntiationem præceſſurâ definiunt, tunc tantùm habet locum, quando denuntiatio ſolam ſpectat punitionem, quæ quidem loco accuſationis ſucceſſit, quia hæc rarò iam ſolet adhiberi cum requiſitis illis, quæ in Iure pro eadem apponuntur. Pro quo P. Leſſius *ſuprà, Cap.* 29. *num.* 139. ita ſcribit: *Neque prædictis obſtat communis doctrinâ Theologorum & Canoniſtarum (à qua in re tanti momenti non facilè recedendum) qui docent non eſſe procedendum ad inquiſitionem ſpecialem, niſi præuia infamia: quia id intelligendum eſt quando ſolùm intenditur punitio criminis, neque inquiſitio putatur neceſſaria ad bonum Reipublicæ, & mali compreſſionem: hoc autem prædicta ſententia non negat: & hoc modo iſtæ ſententiæ videntur poſſe conciliari.* Sic ille.

Cap. Inquiſitionis.

Cap. Qualiter & quando.

De ſolâ denuntiatione in ordine ad punitionem procedere ſacræ diſpoſitiones.

P. Leſſius.

Certâ eſſe obligationê remedium adhibendi.

20 Quia verò dicere Vicarij poſſunt ſe magis Iuri conformem ſententiam in fauorem fidelium, ac præſertim Clericorum, amplecti; aduertant ex declaratione exceſſuum, ac præſertim Clericorum, qui magis præiudiciales ſunt, certam obligationem procurandi remedium reſultare: non enim tantùm iudices ſunt, ſed etiam Patres, & Paſtores, ſicut ſunt Epiſcopi ipſi, iuxta dicta *num.* 7. Et pro quo etiam Auctores, quos adducit & ſequitur P. Thomas Sancius *Lib.* 6. *Conſiliorum, Cap.* 2. *Dub.* 14. *Concluſ.* 3. Tales autem non ſolùm monendo procedunt, ſed etiam pœnam aliquam infligendo: vnde & Prælati Eccleſiaſtici illam imponere poſſunt: non quidem ordinariam, ſed quæ medicinalis eſſe poſſit, & ita cum effectu ad remedium conducere: pro quo Auctor idem *ſuprà, in Proœmio, num.* 3. & *Dub.* 5. *num.* 8. & *Dub.* 10. *num.* 5. & ratio videtur aperta, tum ex ratione officij dictâ: tum etiam quia aliàs multa crimina impunita manebunt, & Republi-

Etiâ inflictâ pœnâ.

cæ

Digitized by Google

eæ ſtatus in peius quotidiè ruet. Videatur Laurentius à Franchis, & ipſe etiam Vicarius Generalis in *Controuerſiis, Pag.*248. *&* 249. vbi oſtendit vni facti bonæ famæ eſſe credendum, etiam in materia maioris momenti.

Correctionem fraternam non eſſe neceſſariò in caſu præmittendam.

21 Quod autem ad correctionem fraternam priùs adhibendam ſpectat, nequit prædictis obſtare, ſi ea fuerit prætermiſſa: nam obligationem non eſſe præmittendi illam, quando crimina ſunt publica, communis eſt ſententia Doctorum, qui videri apud eumdem P. Sancium poſſunt *citato Dub.*5. *numer.*2. & poſt alios explicat P. Arriaga *Tomo* 1. *in* 2.2. *Diſput.*46. *num.*6. Si ergo Vicarij denuntiationem recipere renuant, quia edicta de ſolis publicis delictis procedunt, & aliàs correctionis fraternæ defectum opponant, ſibi in tali procedendi modo apertè contradicunt. Item: cùm tot ſint cauſſæ, propter quas omitti correctio poteſt, & ordinaria ſit emendationis deſperatio ex illâ, atque ordinarius timor, dum quis, ſi admoneat, & poſteà ad iudicem delictum deferatur, timere ſatis probabiliter poteſt delati indignationem, qui delationem ab eo factam, qui admonuit, facilè ſibi poterit perſuadere. Licèt enim Chriſtus Dominus ordinem ſeruari iuſſerit (ſi tamen proprium præceptum eſt, quod docti aliqui negant) ex quo talis timor oriti in delatore poſſit, dum poſt monitionem ſecretò, & coràm alijs factam, ad Eccleſiam deferri præcipit: id quidem probat multoties aliter poſſe contingere, aliàs præceptum eſſet inutile, ſi videlicet timor ſemper poſſet executionem impedire. Poteſt ergo denuntiatio fieri ſine timore damni, & tunc erit obligatoria poſt correctionem. Quando autem timor non leue habet fundamentum, neque leuis illa eſt, obligatio ceſſat; & ſic videmus paſſim accidere: ſicut & propter rationes alias obligationem correctionis abſolutè ceſſare, vt videri apud ſcriptores poteſt, qui ſunt ſanè quamplurimi, materiam dictam pertractantes, & ex nouioribus P. Arriaga *ſuprà*, *& numeris ſeqq.* vbi ſex rationes adducit, propter quas non præmiſſâ correctione poteſt delictum ſtatim Prælato denuntiari. Cùm ergo hoc ita ſit, in caſu noſtro, ſi Vicarius roget an ſit præmiſſa correctio, reſpondere quis poteſt à ſe id factum, ad quod ſcit ſe obligatum; neque informationem de hoc exhibere debet, vt eſt perſpicuum. Non ergo Vicarius poterit ex correctionis defectu circa remedium delati criminis prouidentiam debitam ſubtraxiſſe.

Quomodo præceptum cum timore denuntiantis componendum.

P. Arriaga.

Aſſertio 3. de obligatione circa curam decentia habitus Clericorum.

22 Dico tertiò. Vicarios in eo etiam grauiter peccare contingет, & eſt illud in Indijs non rarum abſurdum, ſi circa decentiam Clericalis habitus non inuigilent. Qualis ille eſſe debeat habetur in Cap. *Clerici* 2. de vita & honeſt. Cleric. In Clement. *Quoniam, eodem Titul.* Cap. *Non liceat.* 23. *diſt.* 21. *quæſt.* 4. *per totam.* In Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. *Can.* 16. *& in* 10. *Seſſione* 9. In Conſtantienſi *Seſſione* 14. In Tridentino *Seſſione* 14. *Cap.*6. *de Reformat.* Poſt ſeptimam Synodum. *Can.* 16. & Romanam *Canone* 31. Et quod ad Indias attinet, in Concilijs Limenſibus, ex quibus tertium ad magis ſingularia deſcendit *Actio.*3. *Cap.*16. *Veſtes neque diuerſi coloris, neque ſericæ ſint, neque aut breuiores & ſtrictiores: neque contrà prolixiores & ſplendidiores quàm deceat, ſed pro Eccleſiaſticâ grauitate, talares: remoueantur verò à Clericali vſu noua quædam inuenta indumentorum aut ornatus, quæ milites, non Clericos decent, qualia ſunt, quæ patrio nomine vocare ſolent,* lochuguillas, polaynas, puñetes, guarniciones de ſeda, faxas in los nanteos, alamares, monteras, pentuſlos, ô Zapatos de ſeda, follages en las calzas, ô muſlos, aunque ſean de paño. Hæc Concilium. Vbi quod attinet ad talarem veſtem, obligationem eſſe ſpecialem deducitur ex varijs Concilijs, quæ adducit Ambroſius *de Immunitate Eccleſ. Cap.*23. *num.* 11. *&* 12. *Gauantus in Commentarijs circa Rubricas Miſſalis, Parte* 2. §. 1. *numer.* 2. *L. T.* Hieronymus Garzia *de Sacerdotio, Tractat.*1. *Difficult.*2. *Dub.* 1. *Puncto* 1. P. Bauny *Tomo* 1. *Tractat.*11. *Quæſt.*11. *Aſſert.*1. Et *ſecundum Aaron talarem veſtem induere, vt ſint in habitu ornato.* Verba ſunt S. Martini Pontificis in citato Cap. *Non liceat.* Vbi ſatis vrgens ratio talis conſuetudinis indicatur; quòd ſcilicet Euangelici Miniſtri non debent minori decentiâ procedere, quàm antiqui Sacerdotes, quibus talaris habitus diuino erat imperio deſtinatus. Maiorem enim in illis decentiam maior dignitas exigit, cùm non aliter illi differant quàm vmbra & veritas, ſubſtantia & mortua effigies. Non autem ita eſt talaris veſtis in obligatione, vt cum rigore menſura talis tenenda ſit, nam & itinerantibus, ac peregrinis breuiores veſtes permittuntur, & ruſticanis Parochis, etiam in Miſſæ ſacrificio, vt docti Recentiores tradunt, ex quibus videri poſſunt Homobonus *Tractat.* 4. *Quæſt.* 145. & Gauantus *ſuprà*, circa verba illa Rubricæ: *Quarum exterior ſaltem talum pedis attingat.* Debere autem medium crus ſaltem attingere, citati dicunt.

Qualis in Indijs ex Concilio Limenſi.

De obligatione talaris veſtis.

Cap. Non liceat.

Illius ratio.

Exceptio quædam.

23 Et veſtem talem dum in publico quis verſatur, non habere, aliquale peccatum eſſe nequit dubitari; ſine illa enim dignoſci nequit an quis ſit in ſacro Ordine conſtitutus, vnde & reuerentia illi debita exhiberi nequit, ac præterea ſtatum ſuum dedecorat, dum more profanorum ſe gerit. Quòd verò mortale ſit in habentibus ſacrum Ordinem, atque etiam in Beneficiarijs, tenent communiter Doctores, ex quibus Angelus verb. *Clericus* 4. *numer.* 1. Panormitanus in Cap. *Si quis*, de vitâ & honeſt. Cleric. Nauarrus *in Manuali, Cap.*25. *num.*109. Syluest. verb. *Clericus* §.2. Remigius in *Praxi Curatorum, Tractat.*5. §.4. P. Reginaldus *Tomo* 2. *Tractat.*3. *Cap.*2. *num.* 10. P. Azor *Tomo* 2. *Lib.*7. *Cap.*13. *Quæſt.*3. P. Bauny *ſuprà, Aſſert.*4. & alij, quos adducit Hieronymus Garcia *Pag.*28. *num.*33. Fundamentum eſt compertum ex grauiſſimis, & iteratis Conciliorum, & ſacrorum Canonum Decretis, ac pœnarum magnitudine, quæ tranſgreſſoribus imponuntur, nec non ex rei ipſius conditione: nihil enim magis indecentius excogitari poteſt, quàm Clericos, perſonas adeò ſacras, nihil in ſe, quod tantæ ſublimitatis ſit indicium circumferre. Quâ ratione Religioſos peccare grauiter habitûs dimiſſione certiſſimum eſt, cui leuitati grauis eſt etiam adnexa cenſura. Excuſant autem aliqui eos, qui vt pilâ ludant, aut venationi, vel Comicæ actioni incumbant, tale aliquid faciunt: addunt tamen debere eſſe aliquomodo occultè, & ſine ſcandalo. Non ergo videntur excuſandi, qui veſtitu merè ſæculari præ foribus domorum

Eſſe ſub mortali cōmunis ſententia.

Fundamentum pro illa.

Qui excuſari poſſint, qui ſecus.

ſuarum adſtant recreationis cauſſa, aut ibidem in menſa luſoriâ propter auram captandam ſedent, non ſemel aut iterùm, quod tolerabile eſſet, ſed frequenter.

Circa recenſita à Concilio Limenſi excurſio.

24 Quod autem ad alia attinet à Conſilio Limenſi recenſita, multa iam ex illis curæ eſſe non debent, quia eorum vſus etiam apud laicos penitus exoleuit, vt *lechuguillas, polaynas, follages, puñetes*. Sericæ autem veſtes nimiumquantum vſus inoleuit, vt nullus illis non inueniatur vtens, niſi qui eas aſſequi nequit, & ſunt ſanè non multi: non videtur ergo graue peccatum in eo eſſe, & ita in Hiſpaniâ hujuſmodi etiam vſus toleratur. Vnde Eminentiſſimus Dom. D. Balthaſſar Moſcoſus & Sandouel, eximium ſæculi noſtri ornamentum, Cardinalis, & Archiepiſcopus Toletanus, Edicto ſuo ſpeciali circa hoc *die* 28. *Octobris Ann.* 1652. cùm ad multa ſingularia deſcendat, ſerica non prohibet, ſed telam vniformi texturâ, vulgò liſam, & ſine ſciſſuris, futuram decernit, cum eiuſdem coloris interiori aſſumento, & eiuſdem telæ manicis, vel alterius, pretij inferioris. Circa hoc ergo non videtur maior in Indiis rigor affectandus; quamuis expediret, vt vbi propagandæ fidei, & ſtabiliendæ religionis Chriſtianæ negotium agitur, peculiaris modeſtiæ ratio in eius Miniſtris haberetur. Quamuis, quod ad Indos ſpectat, illos vilioris habitûs geſtatio ob temperantiæ ſignificationem nihil moueat, ſed ad reuerentiam, & credulitatem magis ſoleat veſtium decentia, & aliqualis ſplendor permouere. Alia verò à Concilio vetita omnino obſeruanda ſunt, quamuis in pileolis, qui à monte nomen nacti ſunt, eo quod per montes gradientibus accommodati ſint, & ita dicuntur *Monteras*, cum diſtinctione loquendum ſit: ſunt enim Monteræ honorificæ, quibus domi honeſti ciues vtuntur; & iſtæ non videntur Clericos dedecere, vnde & in vſu apud illos iam pridem fuerunt: aliæ autem ſunt, quibus honeſtæ perſonæ non vtuntur intra vrbem, & ex ſe minimè decentes apparent, vnde & vulgus promiſcuum eas ſibi tamquam vſui proprio conuenientes aſſumit: & in Clericis in ſacris, ac Beneficiariis non debent vlla ratione permitti.

Veſtes ſericæ.

Monterarum vſus.

Sub mortali obligare.

25 Obligationem autem eſſe, generaliter loquendo, ſub mortali citati affirmant, dum de veſtibus prohibitis generaliter etiam loquuntur. Et poteſt deinde efficaciter oſtendi ex eo quòd Concilia & ſacri Canones, dum veſtes indecentes prohibent, non potuerunt omnes ſingularum prouinciarum profanos vſus ſuâ prohibitione, eos deſignando, complecti: vnde cùm generaliter ſtatuunt, & ſtatim aliqua ſpecialia deſignant, ſicut magis ſpecialiter in *Cap. Clerici* citato; minimè exiſtimandum eſt ea ſola fuiſſe prohibita, ſed omnia quæ in diuerſis regionibus ſimilia occurrunt, & pro vſu Clericorum indecentia reputantur. Item Epiſcopis præcipitur vt circa hoc inuigilent, & quæ indecora viderint, pœnarum inflictione remoueant; quod præſertim videre licet in Concilio Tridentino *citato Cap.* 6. Atqui Concilia Limenſia in his prouinciis ea penitus indecentia iudicarunt, de quibus agimus, & omnino exterminanda decreuerunt: ergo obligatio ex Conciliis, & ſacris Canonibus deſcendens, hic venit penitus aſſerenda. Et quidem eſſet illa, etiamſi à Conciliis Limenſibus non fuiſſet ita ſtabilitum, quia Concilia ſuâ determinatione non fecerunt vt eſſent illicita Clericis, quæ illicita priùs habebantur, ſed quòd eſſent illis illicita ampliùs declararunt, vt ex tenore Decreti conſtat, dum in eo remouenda dicuntur quædam veſtimentorum inuenta, *quæ milites, non Clericos decent*, vt vidimus *num.* 22. Quæ autem talia ſunt, planum eſt per Sacros Canones eſſe prohibita. Indica ergo Concilia id, quod iam erat prohibitum Clericis, intimarunt, nouorum inuentorum enumeratione propoſitâ. Quòd autem materia ſit leuis, dici profectò nequit, quia ſimilia ſacris Canonibus prohibita reperiuntur, quorum prohibitio ſub mortali vrget, iuxta citatos Auctores. Et Eminentiſſimus Cardinalis Toletanus in citato edicto ſimilia, & aliqua multò minora prohibet ſub pœnâ excõmunicationis maioris latæ ſententiæ ipſo facto incurrendæ, in toto, & in parte tranſgredientibus.

Etiam Conciliis Decreto non obſtante.

Itinerantium abuſus.

26 Solet autem pro iis, qui ex vrbibus exeunt, ſiue longum ſiue etiam diarium iter confecturi, plus aliquid circa hoc in Indiis vſurpari: Clericalem enim habitum aliqui penitus dimittunt. Quod quidem in vtroque Limenſi Concilio apertè damnatum. In ſecundo, *Seſſione* 3. *Cap.* 21. & in tertio *Act.* 3. *Cap.* 16. in quo ſic dicitur: *Porrò cùm iter faciunt decorum Sacerdotale ipſo etiam apparatu conſeruent. Etenim, quod quidam faciunt, lanceas, ſclopetos, aliaque id genus arma geſtare, milites Chriſti magnopere dedecet.* Sic ibi. Nec obſtat de veſtibus nullam fieri mentionem, iam enim de illis præceſſerat, cùm immediatis verbis de noctu exeuntibus ageretur, *veſtitu militari ac profano compoſitos*, ſic addendo. *Nulla ratione ferendum eſt.* Præterquam quòd cùm decorum Sacerdotale conſeruandum in itinere dicatur, ad illud in primis decentiam veſtium conducere eſt penitus manifeſtum. Quamuis autem de ſolis Sacerdotibus videatur diſpoſitio dicta procedere, ad omnes ſpectare conſtat, de quibus illa procedit: ſunt autem generaliter Clerici, quamuis ad eos, qui Ordinis ſacri ſunt, & alios, de quibus Concilium Tridentinum loquitur, obligatio ſub mortali ſpectet, quia in illis maior eſt indecentia, & de ipſis in ſpeciali dicta Decreta procedunt, vt ex verborum tenore perſpicuum habetur. Eſt autem pro illis expreſſa deciſio Zachariæ Pontificis in Synodo Romana *Cap.* 31. vbi ſic dicitur: *Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, ſecularibus veſtibus non vtantur, niſi vt condecet, tunicâ Sacerdotali talari; ſed neque dum ambulauerint in ciuitate, aut in via, aut in plateis, ſine operimento præſumant ambulare, præterquàm ſi in itinere longo ambulauerint.* Sic ille. Vbi quod de itinere longo dicitur, non eſt exceptio totalis, vt in illo poſſit dimitti habitus Clericalis; ſed vt non debeat cõmune operimentum afferri, quod propter longitudinem ſit impedimento futurum: de talari autem tunicâ nihil dicitur, quia illa ita accommodari poteſt extremitatum eleuatione, vt non impediat: quod tamen in operimento, pallio inquam, aut mantello, non ita fieri poteſt, vt paſſim experimur. Quòd autem ſine talari tunicâ in villis, aut prædiis, vel in itinere, aut ſine breuiore aliqua, ſed cum veſtibus, quæ ſunt prorſus laicis communes, Clerici incedant, intolerabilis indecentia

Concilium Limenſe 3.

Ad quos ſpecialiter pertineat obligatio.

Synodus Romana.

Digitized by Google

indecentia eſt, ſed non infrequens, vnde circa illam oportet Prælatorum diligentiam efficaciùs militare.

Sententiam Caietani non poſſe in patrocinium aduocari.

27 Neque verò tueri ſe illi poſſunt ſententiâ Caietani in Summa, Verb. *Clerici peccata*, vbi ait in dimiſſione habitûs Clericalis tunc tantùm eſſe peccatum mortale, quando in eo eſt temeritas, contumacia, aut contemptus: quod tamquam valde probabile approbat Villalobos *Tomo* 1. *Tract.* 11. *Difficult.* 16. *num.* 5. & Diana *Parte* 3. *Tract.* 4. *Reſolut.* 183. Nam in primis Caietanus ante Concilium Tridentinum ſcripſit, in quo res hæc quoad obligationem non ſolùm eſt innouata, ſed etiam ampliata, vt ex tenore Decreti conſtat, graues namque in eodem pœnæ propoſitæ, culpæ arguunt grauitatem. Deinde temeritas, contumacia, & contemptus iuxta id æſtimanda ſunt, quæ idem Concilium ad incurrendas pœnas ſufficere ſuo Decreto determinat: atqui illud ſic habet; *Tanta autem hodie aliquorum in oleuit temeritas, religioniſque contemptus, vt propriam dignitatem, & honorem Clericalem parui pendentes, veſtes etiam deferant publicè laicales, pedes in diuerſis ponentes, vnum in diuinis, alterum in carnalibus: propterea omnes Eccleſiaſticæ perſonæ, quantumcumque exemptæ, quæ aut in ſacris, aut dignitates, perſonatus, officia aut Beneficia qualiacumque Eccleſiaſtica obtinuerint: ſi poſtquàm ab Epiſcopo ſuo, etiam per edictum publicum moniti fuerint, honeſtum habitum Clericalem illorum Ordini & dignitati congruentē, & iuxta ipſius Epiſcopi ordinationem & mandatum non detulerint, per ſuſpenſionem ab Ordinibus &c.* Iuxta quæ poſt monitionem Epiſcopi temeritas, contemptus, & contumacia eſt ad pœnam ſufficiens incurrendam; ante monitionem autem temeritas & contemptus ſunt, quia ſupra illa cadit monitio, vt apertè verborum tenor oſtendit: temeritas autem & contemptus in eo apparent quòd laicales veſtes deferantur, Clericalibus dimiſſis: eo enim ipſo Clericalis videtur dignitas parui pēdi: ergo iam interuenit quod à Caietano requiritur vt in dimiſſione poſſit mortale peccatum inueniri: neque enim temeritatem, contemptum, & pertinaciam, aut contumaciam collectiuè exigit, ſed quodcumque illorum: quamuis iuxta Concilij doctrinam neque temeritas ſine contemptu, neque contemptus ſine temeritate reperiatur. Temeritas enim in præſenti materiâ pro actione ſumitur ſine cauſſa rationabili ab homine ſui ſtatus æſtimatore iniquo prodeunte. Duo ergo Auctores citati eodem modo ſunt accipiendi: præterquam quòd expreſsè affirmant peccatum mortale tunc eſſe, quando Clericus ita veſtitus incedit, vt nequeat dignoſci Clericatus: multò ergo magis quando ea, quæ ſpecialem indecentiam habent, & ſpecialiter ſunt prohibita, ab eiſdem vſurpantur.

Concilij Tridentini Decretum.

Quæ temeritas & contemptus ſufficiant ad pœnas incurrendas.

Aſſertio 4. circa curā Monialiū, & grauiſſimum in eo peccatū.

28 Dico quartò. Vicarij generales Indiarum grauiſſimè peccare poſſunt, ſi circa Moniales curam non exerceant ſingularem. Circa illas nonnulla Concilij tertij Limenſis Decreta extant *Act.* 2. *Cap.* 33. *& tribus ſequentib.* Sed illud Capitis 35. ſummi inter alia momenti, vbi ſic dicitur: *Abbatiſſæ, ſiue Præpoſitæ, ſæcularibus facilem cum Sanctimonialibus colloquendi licentiam non concedent, niſi parentes aut fratres fuerint. Atque ijs ipſis, non ita crebrò: ſine teſte verò loqui non permittant.*

Concilium Limenſe 3.

Porrò Clerici illarum Collocutoria ne frequentent: quòd ſi abſque Prælati permiſſu eas viſitare pro nihilo duxerint, excommunicentur. Sic ibi. Summi inquam momenti hoc eſt, vt ab eo videatur tota Monialium ſpiritualis cultura pendere. Monialis quidem à ſolicitudine dicta, & cùm ad colloquia ſecularium frequenter accurrit, eſſe deſinit Monialis, & Manualis effecta, valde incipit cæleſtis Sponſi oculis diſplicere. Tunc illi amica, tunc ſpecioſa, tunc dulcis voce, & decora facies cùm in foraminibus petræ, & cauerna maceriæ: cùm ſcilicet non Manualis, ſed Monialis intra Monaſterij ſepta, velut columba in petræ foraminibus, & maceriæ cauernâ deprehenſa. Propterea Pontifices circa hoc fuêre cautiſſimi, licentias huiuſmodi volentes eſſe rariſſimas: vnde frequentiam videntes, neque impedientes, contra eorum faciunt voluntatem; & contra diuinam, maximè in hoc negotio perſpectam, cùm ex frequentiâ tali religioſa obſeruantia, multis interuenientibus ſcandalis, detrimenta quamplurima patiatur. Et hoc quidem non ſolùm in Monaſteriis Ordinario ſubiectis, ſed in exemptis etiam ab Ordinariis eiſdem obſeruandum, ad quos etiam quæ ad clauſuram ſpectant conſtat pertinere ex diſpoſitione Concilij Tridentini *Seſſione* 25. *Cap.* 5. *de Regularibus.* Ad cuſtodiam autem clauſuræ ſpectare acceſſum ad Moniales impedire, & ita etiam Epiſcopalis curæ & auctoritatis id eſſe, benè aduertit Barboſa *de Poteſt. Epiſcopi Allegat.* 102. *num.* 11. Quod quidem in Indiis magis neceſſarium, in quibus diſtantia Pontificis maior in cauſſa eſſe ſolet maioris in iſtis licentiæ vendicari: ſicut & in muſico concentu, pro quo videnda quæ dixi in Epithalamio *num.* 954. *& ſeqq.* Et nunc addo Extrauagantē Ioannis XXII. quæ eſt vnica inter communes *Lib.* 2. *de vita & honeſt. Clericor.* omnino legendam, in eâ enim id expreſſum, quod noſtris temporibus deprehendimus.

Summa cura à colloquiis ſæcularium arcenda.

Cant. 2.

Etiam Ordinariis non ſubiectos quoad hoc ſubiici.

In concentu muſico eliminandus abuſus.

29 Dico quintò. Vicarij dicti peccare item lethaliter poſſunt, dum ſeriò & exactè non ſtudent ludos Clericorum auertere, & ne domos eiſdem publicè deputatas cum dignitatis ſuæ dedecore manifeſto frequentent. Quod quidem, nullo id ſpecialiter etiam docente, arguit peccatum in eo eſſe lethale, ex dicto capite, & quia plurium eſt occaſio peccatorum. Quibus incommodis Concilium Secundum Limenſe remediū eſt conatum adhibere *Seſſiōne* 3. *Cap.* 22. ſicut & Tertium *Act.* 3. *Cap.* 17. vbi ſic dicitur: Ita multorum *Clericorum in ludendo creuit exceſſus, vt cogamur remedia auſteriora tentare, quo & Eccleſiaſtici Ordinis infamia aliqua ex parte aboleatur, & perditi mores illorum, qui in huiuſmodi inſaniunt, quoad fieri poterit corrigantur.* Hæc pro exordio: ex quibus affatim liquet quàm grauiter in hoc Clerici delinquant & quàm ſit ſtrenuè eliminando huic cōtagio à Prælatis Eccleſiaſticis adnitendum. Pergit iam, & ſic ait: *Quicumque ergo aleæ, chartiſue pictis, aut alteri Iure prohibito ludo vacauerit & ſummam excedentem quinquaginta aureos luſerit, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrat.* Sic Concilium. Quod quidem malum hoc adeò extirpare tentauerat, vt circa ſummam, propter quam excommunicationis eſſet incurrenda ſententia, ſi ludo exponeretur, nimis rigidum iudicium pronuntiarit. Statuerat enim, vt ſi Clericus ludo prohibito

Aſſertio 5. circa ludos Clericor. auertendos.

Concilium Limen. 3.

Summa, qua ludi in Peruvio poteſt.

prohibito pretium duorum aureorum excederet, excommunicationem ipſo facto inductam pateretur. Id tamen à Sacra Congregatione temperatum eſt, & ſumma eſt ad effectum pœnæ, quam diximus, aſſignata, vt in Animaduerſionibus ad Concilium dictum, teſtatum reliquit P. Ioſephus Acoſta, Concilij eiuſdem Luminare clariſſimum. Et vtinam moderatione dictâ ſanctum Concilij obtinuiſſet intentum: *Verùm perditi mores illorum, qui in huiuſmodi inſaniunt*, vt Concilium loquitur, neque prædictis poſſunt repagulis contineri. Cùm enim abſolutio ab excommunicatione tam ſit facilis, quàm & peccati, quia non reſeruatur, juxta ea, quæ Doctores tradunt apud Dianam *Parte* 5. *Tractat.* 9. *Reſolut.* 5. parum aut nihil huiuſmodi curatur obſtaculum. Debet ergo mortua lex viuâ Vicariorum ſolicitudine roborari: quod dum non agitur, tuta eſſe conſcientia nequit, rem momenti tanti negligendo.

Dubium circa ſummam dictã.

30 Circa ſummam autem dictam dubitari poteſt, an ſi ſola illa ludo exponatur, & ſorte lucrum accedat, ita vt quinquaginta aureos, vel plus aliquid, qui ludit, acquirat; poſſit vni ſorti maiorem quàm ſit quinquaginta, ſummam exponere, ex propriâ ſummâ, & ex lucro, maiori ſummâ confectâ, abſque eo quòd excommunicationis fulmine feriatur? Et ſupponitur eum, qui lucratus eſt, & id poſteà ſimul cum quinquaginta aureis perdit, in pœnam dictam non incidere, quod ex dicendis conſtabit. At videtur res dubia, quia ſic ludens verè ſummam excedentem quinquaginta aureos luſit; quod tamen ſub pœna dicta à Concilio prohibetur. Præterquàm quòd intolerandus apparet exceſſus in perſonâ ſacrâ, cui talis ludus abſolutè vt indecens prohibetur, ſummam adeò ingentem vni ſorti exponere, quam neque Reges ipſi exponere conſueuerunt. Pro quo eſt ſententia Nauarri, & aliorum apud P. Thomam Sancium *infrà*, *Dub.* 28. *num.* 5. Ad hoc ergo etiam Concilij prohibitionem extendi valde veroſimile apparet, attentâ præſertim ſacræ Congregationis moderatione, quæ valde improportionata eſt ſummæ à Concilio duorum aureorum appoſitæ, etiamſi cum limitatione dicta veniat accipienda, quã verba Concilij prçſeferunt: ergo nõ eſt extenſio alia ſupra extẽſionem dictã facienda, vt iam non ſolùm quinquaginta, ſed etiam centũ, & maiores etiam ſummæ, creſcente lucro, liceat exponere iactui vni, aut chartç pictç reſponſioni.

Cum ea poſſe ſimul maiorem lucro acceptum ſorti, exponi quæ videantur oſtendere.

31 Aliunde autem contrarium poteſt Concilij intentum oſtendi, ex eo quòd non ſucceſſus ludi fortunatus attẽditur, ſed ne Clerici facultates ſuas, quas in pia opera oportet expendi, ludo dilapident, ſummas ingentes ſordibus exponendo: id autem quod lucro accreſcit, durante ipſo non videtur plenè ad illum pertinere, qui lucratus eſt, ob contingentiam amittendi: nec enim licet ſemper ludum dimittere, quia id non ſine offenſione colludentium eſſe ſolet, & hæc poteſt noua ratio reputari. Deinde. Iuxta receptum loquendi morem, qui enim in ludo ingentem ſummam lucratus, eam ſtatim perdidit, & ſimul eam, quam attulit ludo exponendam, hanc ſe luſiſſe dicit, quia perdidit, non ita aliam: vnde & Clericus, qui multa lucratus, ea ſtatim cum allata quinquaginta aureorum ſummâ perdidit, dicere veriſſimè poterit ſe tantùm aureos quinquaginta luſiſſe; quia modus ille loquendi id tantùm indicat, quod eſt inter ludendũ amiſſum. Sic Sacerdotẽ quemdam grandevç ætatis, qui diu Parochus Indorũ fuerat, dicentem audiui: Mentiuntur Indorum Parochi, qui dicunt ſeipſos alere non poſſe emolumentis Paræciarum, & opus ideò eſſe ſe ad commercia conuertere. Ego namque ſeptuaginta mille octiregales in meam ſuſtentationem (& erat illa ſatis lauta & abundans) inſumpſi: & totidem alios luſi, nullis vnquam commerciis, & mercimonijs implicatus. Quod ita dictum, quia perdiderat, non reputans quod lucratus aliquando, & deperditum poſteà: ſic enim ſummam poterat protuliſſe maiorem. Quod probari vlteriùs poteſt ex ſententiâ multorum, quos adducit & ſequitur P. Thomas Sancius *Lib.* 1. *Conſiliorum*, *Cap.* 8. *Dub.* 8. *num.* 1. dicentes filiumfamilias, qui tantùm poteſt ludere determinatam quantitatem, quando eſt in eodem ludo poſſe ſorti exponere quidquid ludo acquiſiuit. Quorum ratio eſt: quia lucrum dicitur, quod in fine ludi reportatur: & ita qui cum eo luſit, tantùm dicitur lucrari id, quod ad ludum adduxit, & non id, quòd cùm perdidiſſet, recuparauit. Lucri ergo accreſcentis, dum continuatur ludus, nulla ratio habetur, quando ea, quæ ludo exponi poteſt, quantitas limitatur. Quòd verò illa exceſſiua pro vna ſorte videatur, non vrget in ordine ad prohibitionem dictam: tum quia in Indijs animi magnificentiores ſunt, & pecunia minoris æſtimationis: tum etiam quia in ludo genus quoddam contractus exercetur, in quo iam plus, iam minùs poteſt fortunæ committi; vnde dilapidare non eſt, cùm ſit lucrari contingens. Eſt ergo hæc pars etiam veroſimilis, & cùm in terminis adeò pœnalibus ſimus, & lubricâ materiâ, non debent occaſiones grauiter lædendi conſcientias & vincula ſpiritualia inducendi, nimium rigidè ampliari.

Ex probabili ſententia circa filium familiâs roboratur.

In ludo eſſe graue peccatum ex circumſtãtijs poſſe.

32 Dicta verò eatenus accipienda, quatenus iuxta illa euitari pœna excommunicationis poteſt; ex circumſtantijs enim alijs poteſt in ludo graue eſſe peccatum ex illius frequentatione, ſi ex prohibitis ſit, vt ſunt qui in aleâ conſiſtunt; tum ratione ſcandali ob frequentiam eamdem in domibus ludo generaliter expoſitis: ſicut etiam ex eo quòd Parochi non raró ad Sacramenta adminiſtranda vocati, moram faciunt, magnis cum periculis ægrotantium. Et in hoc vltimo dubium eſſe nullum poteſt, ſicut neque in ſcandalo quoad frequentiam verò, cùm ludi prohibiti ſunt, videatur P. Th. Sancius *ſuprà*, *Dub.* 28. qui alios adducit: & Recentiores alij de contractibus ſcribentes, qui ſunt ſanè complures. Eſt autem in Concilio Limenſi citato Capite ſic ſtatutum: *Exceptum tamen eſſe volumus honeſtum aliquem, ac recreationis tantùm cauſſa ſuſceptum ludum: in quo comeſtibile quidpiam pretium ſit; & tale vt duorum aureorum valorem non excedat: quod etiam ipſum frequens eſſe non debet.* Sic illud. Iuxta quod frequentia in ludis prohibitis præcipuè condemnata ſupponitur, quæ & in ijs, qui honeſti habentur, prohibetur. Et circa priora peccatum mortale agnoſcit Thomas Hurtadus *Tractat.* 2. *num.* 701. Habentur autem honeſti aliqui, in quibus taxillorum vſus eſt, ſed præcipuè valet induſtria; ſicut & in chartis pictis, qui ad recreationem tantùm, & non ad deſperationem ludentium & diſſipationem

Concilij Limenſis Decretum circa honeſtum ludũ.

nem

Digitized by Google

nem fortunarum ac conſcientiarum ſunt inuenti. In his ergo moderationem dictam Concilium exoptat: ſed certè in eo non videtur per ſe loquendo graue eſſe peccatum poſſe, etiamſi frequentia ſit, & pecunia pretium, nec tantùm comeſtibile aliquid, iuxta ea, quæ cum alijs docet P. Thomas Sancius *Dub.* 28. *citato*, Eccleſiaſticos inquam non peccare mortaliter ludentes ludis prohibitis, dummodo id frequenter non faciant, & in conſuetudinem conuertatur. Sic *numer.* 7. Ludi ergo alij honeſti, etiamſi frequentes ſint, ſine peccato mortali ſtare poterunt, quia inter eos magnum eſt diſcrimen, & abſolutè prohibiti non ſunt, qui à Concilio etiam in caſu noſtro non debent cenſeri prohibiti taliter, vt graue in illis debeamus peccatum agnoſcere, etiamſi quantitas duorum aureorum excedatur: niſi quatenus frequentia ex circumſtantijs poteſt meritò damnabilis reputari. Id quod etiam Epiſcopis in ludo chartarum pictarum & talorum concedit Illuſtriſſimus Villaroel *Parte* 1. *Pacificæ gubernat. quæſt.* 3. *Art.* 3. *num.* 59. dummodò officio non deſint, nec notabilem ludo quantitatem exponant; de quâ *Art.* 4. *num.* 94. & *Art.* 5. *num.* 8. De illis certè non videtur Concilium loqui, licèt eorum aliàs ſit vrgentior obligatio, ſine Cenſurâ tamen. Videri etiam poteſt Synodus Diœceſana Limenſis *Lib.* 3. *Titul.* 1. *Cap* 2. in quâ pœnæ graues imponuntur Clericis habentibus tablagia, & ingredientibus domos, in quibus illa ſunt, vt luſores videant, aut aliquid à lucrantibus accipiant.

Ludi prohibiti qualiter Eccleſiaſticis liceant.

Quid de Epiſcopis.

Aſſertio 6. *circa munerum acceptionem.* Cap. Statutum, *de reſcriptis in* 6.

33 Dico ſextò. Vicarij Generales grauiter peccant munera accipientes, ſi modus in ijs à Iure præſcriptus non ſeruetur, & cum onere reſtitutionis. Sic P. Thomas Sancius *Lib.* 3. *Conſiliorum, Cap.* 1. *Concluſ.* 2. Modus ille eſt, vt eſculenta tantùm & poculenta in quantitate moderatâ recipiantur, liberaliter attributa: ſic enim de iudice delegato ſtatuitur in Cap. *Statutum*, §. *Inſuper*, & §. *Si quid autem* de Reſcriptis *in Sexto.* vbi ſic dicitur: *Inſuper, vt gratis, & cum omni puritate iudicium coràm ipſo procedat, nullum munus, vel quidquid aliud, niſi forſan eſculentum, vel poculentum, mera liberalitate oblatum, quod paucis conſumi poſſit diebus: vel niſi cùm ipſum propter cauſſam ſibi commiſſam contigerit extra ſuum domicilium proficiſci, moderatas expenſas recipere ab eiſdem partibus qualitercumque præſumat. Si quid autem contra Conſtitutionem præſentem receperit, ad ipſius reſtitutionem integram teneatur, nullâ eorum, quibus reſtitutio facienda fuerit, remiſſione vllatenus profuturâ eidem.* Sic Bonifacius VIII. Ex cuius verbis id tantùm videtur deduci, non poſſe ſcilicet à partibus coràm Delegato Pontificis cauſſam habentibus quidquam accipi, niſi iuxta moderationem aſſignatam, & ita obſeruat Gloſſa. Poterit ergo aliquis Conſtitutionem dictam minimè ad iudices alios eſſe extendendam arbitrari. Nihilominùs quod ad fauorem attinet valde vrgens eſt, vt videlicet eſculenta & poculenta à quibuſlibet alijs iudicibus accipi poſſint, paucis conſumenda diebus, iuxta arbitrium boni viri, vt cum Gloſſa ibi Doctores affirmant. Cùm enim iudices à Sede Apoſtolicâ Delegati omnium eximij ſint, in quibus maxima debet eſſe circa iudicandum puritas, eò quòd non propriâ, ſed Apoſtolicâ auctoritate iudicent, & ita omnibus ſunt ordinariis iudicibus ſuperiores, vt conſtat ex Cap. *Sanè*, de officio & poteſt. iudi. deleg. & Cap. *Cùm olim Magiſter*, eodem Titulo. Vnde & in illis Apoſtolica eſt auctoritas honoranda. *Cap. vlt.* 93. *diſt.* & *Cap.* 5. 94. Cùm inquam tales ſint, & nihilominùs accipere prædicta poſſint: quia non eſt veroſimile quòd propter illa ad iniuſtam ſententiam moueantur, vt expreſſit Pontifex in Cap. *Etſi quæſtiones*, de ſimonia, ad finem: In alijs etiam iudicibus idem poteſt veroſimiliter iudicari; & ita omnibus licet acceptio prædictorum. Aut ergo Vicarij generales Delegati ſunt, vt volunt multi, & ita Delegatorum priuilegio per quamdam conſequentiam perfruuntur: aut Ordinarij; & ita in illis valet dicta coniectura. Cùm enim pro Ordinarijs iudicibus nihil inueniatur in Iure Canonico circa acceptionem munerum generaliter conſtitutum ex ijs, quæ circa Delegatos diſpoſita comperiuntur, iudicandi forma conuenienter vſurpatur: præſertim quia id naturali iuri maximè conforme deprehenditur, ex quo deciſionis ratio deſumitur; quòd ſcilicet muneribus talibus non ſoleat iudicis animus promoueri: quod in Eccleſiaſticis maximè verum habet, qui Deo propinquiores cùm ſint, ad eum maiorem debent habere reſpectum, magis à terrenis quæſtibus alieni.

Eſculenta & poculenta accipi poſſe ab omnibus iudicibus Eccleſiaſticis.

Et ita Vicarijs, pro quibus ratio.

34 Circa id verò quod pœnale, & ita odioſum, in prædictâ extat Conſtitutione, obligationem ſcilicet reſtituendi, videri poteſt non vrgere, quia iuxta vulgatam regulam, odia ſunt reſtringenda, & ita neque eſculenta aut poculenta maioris pretij, neque alia diuerſi generis, reſtitutioni obnoxia remanebunt. Nihilominùs contrarium eſt aſſerendum, quia licet Conſtitutio prædicta id expreſsè non ſtatuat, neque alius Canonicus textus; pro eo eſt generalis doctrina de iudicibus, qui ea, quæ ipſis à partibus dantur, reſtituere tenentur, quia inuitè & coactè traduntur, numquam aliàs danda, ſi cauſſa apud ipſos non verſaretur. De quo diximus *Titulo* 3. *numer.* 27. Quì verò ibidem *num. ſeqq.* oppoſitum probabile eſſe diximus de iudicibus laicis loquendo, in Eccleſiaſticis idem poteſt affirmari. Quod quidem veroſimilius tunc erit, cùm munera ab illis dantur, qui partes in negotio non ſunt, nec ſanè futuræ ita proximè: cùm conſtat Pontificiam deciſionem de iis ſolùm procedere, qui partes in negotio ſunt coràm Delegato iudice litigantes. Et ita Synodus Diœceſana Limenſis *Lib.* 1. *Titul.* 8. *Cap.* 1. *num.* 4. ſimilem prohibitionem proponens reſpectu Vicarij, & Officialium, ſub pœna dupli, etiam eſculentorum, prædictam limitationem adiecit, de litigantibus, aut qui litigaturi credantur. Circa pœnam autem dupli dicendum *Titulo ſequenti, numer.* 14. Vbi pro regulâ eſſe poteſt id, quod circa præfatam Conſtitutionem habet Gloſſa Verb. *Mera liberalitate.* ſic dicens: *Vt exactum, vel petitum, directè vel indirectè non fuerit.* Sic illa, citans Cap. *Dilectus*, de ſimoniâ. 2. in eo autem ſic Innocentius III. *Illud tamen gratanter recipi poterit, quod fuerit ſine taxatione gratis oblatum.* Sic ibi. Vbi tamen de iudicibus ſermo non eſt, ſed de Prælatis admittentibus aliquos ad Religionem: eadem tamen eſt ratio, quia omnes recipere aliquid prohibentur. Si ergo neque directè,

Circa obligationem reſtituendi.

Quando liberalitas mera exiſtimanda ſit ex doctrinâ Gloſſ.

Cap *Dilectus*, *de ſimoniâ.*

neque-

neque indirectè fuerit quidquam exactum aut petitum, liberalis videtur eſſe largitio. Videant ergo Vicarij an eſculenta & poculenta ſint argenteæ pinnæ, aureæ glebæ, ſi à litigantibus ingerantur. An paucis duratura diebus, quæ prioris generis ſunt, & eorum replent apothecas. An liberaliter donata, quæ occaſione conuiuiorum expetuntur, licèt oblato nonnumquam pretio, ſed non admiſſo, aut certè modico, quia vel vlterioris remiſſionem faciunt Indorum Parochi, vel ab Indis talia ſunt exiguo dato pretio extorquenda potiùs quàm emenda. Et re coràm Deo expenſâ diſpiciant quid ſint ei, qui non irridetur, reſponſuri, &c. Nos illos in conſideratione ad alia facturi gradum relinquamus.

TITVLVS XV.

DE VISITATORIBVS EPISCOPORVM.

Viſitationū ſcopus ex Concilio Tridem.

1 De illis inquam, qui ab Epiſcopis mittendi ſunt, dum per ſeipſos nequeunt illi annis ſingulis ſuam diœceſim viſitare, aut ſaltem biennio, ſi aliud non patiatur eius amplitudo, vt decernitur in Concilio Tridentino *Seſſione* 24. *Cap.* 3. *de Reformat.* Quod quidem & in Indiis ita faciendum, quia in Regulâ generali non inueniuntur exceptæ; neque ſine grauibus ſtare inconuenientibus poteſt, vt Parochorum, præſertim Indicorum, viſitatio vltra biennium protrahatur. Si tamen Viſitatores futuri tales, de quibus confidi meritò poſſit, Epiſcoporum non ſolùm præſentiam, ſed & zelum & diligentiam ſuppleturos, de quo dictum *Titulo* 13. *num.* 63. & de quo etiam luculenter Concilium Tridentinum vbi *ſuprà*, vbi cùm ſic dicatur: *Viſitationum autem omnium iſtarum præcipuus ſit ſcopus ſanam orthodoxamque doctrinam, expulſis hæreſibus, inducere, bonos mores tueri, prauos corrigere, populum cohortationibus & admonitionibus ad religionem, pacem; innocentiamque accendere: cetera prout locus, tempus, & occaſio feret, ex viſitantium prudentia ad fidelium fructum conſtituere.* Sic Concilium, viſitationum ſcopum ſanctè & ſapienter executum. Cùm inquam ſic dicatur, ab eò quàm longiſſimè abſunt, qui nullo ad illas alio mouentur intuitu, quàm turpis quæſtûs, ex quo fit vt nihil ex prædictis ſperari poſſit, ſed vt, quæ remedio indigent, ad deteriorem ſtatum, ijs conniuentibus, redigantur. Satiùs ergo fuerit viſitationem omitti, quàm huiuſmodi futuram deſtinare.

Auaritià illi maximè aduerſatur, quæ mentes obnubilat.

2 Obſcuros & tenebroſos reddit homines cupiditas: vnde & Iudas eiuſdem impulſu ad ſacrilegum contractum explendum egrediens, & ſic Magiſtrum, Lumen de Lumine, traditurus, talis ab Euangeliſta proponitur, dum ait: *Cùm ergo accepiſſet ille buccellam, exiuit continuò: erat autem nox. Ioan.* 13. *v.* 30. Vbi quidem non ſine myſterio additum noctem tunc fuiſſe, cùm Iudas auaritiæ ſtimulis actus exiuit. Patres & Interpretes multi conſiderant, ex quibus D. Ambroſius *Lib.* 2 *de Cain & Abel Cap.* 4. ſic ſcribit: *Non ſolùm exiuit, ſed continuò, & nocte exijt. Nec mirum ſi noctis tenebras habebat, qui Chriſtum deſerebat.* D. Cyrillus Alexandrinus *Lib.* 9. *in Ioan. Cap* 19. ſic etiam ait: *Hac de cauſâ feſtinat, & impellit etiam Iudam, cùm poſt panem omnino ſeparauerit, tum moram tum benedictionis virtutem timens, ne ſcintillam in animo eius accenderit, ac inde illuminauerit.* Sic ille. Vbi & audiendus D. Auguſtinus *Tract at* 62. *in Ioannem*, ita ſcribens: *Erat autem nox, & ipſe, qui exiuit, erat nox. Cùm ergo exiſſet nox, ait IESVS: nunc clarificatus eſt Filius hominis v.* 14. *Dies ergo diei eructauit verbum, id eſt, Chriſtus diſcipulis fidelibus, vt audirent eum, & amarent ſequendo: & nox nocti annuntiauit ſcientiam; adeſt Iudas Iudæis infidelibus, vt venirent ad eum, & apprehenderent perſequendo.* Hæc diei illius clariſſimum lumen, cuius & illud paullò ante præmiſſum: *Cogitauit pecuniæ lucrum & inuenit animæ detrimentum.* Inde ergo nox, & inde etiam nebulones, qui ad viſitationes egreſſi, nihil niſi lucrum pecuniæ cogitant, ex quo ſuarum, & multarum etiam aliarum animarum inueniunt detrimentum. Et quorſum hæc, cùm viſitationes lumen ad illuminationem gentium afferre debeant, de quo Zacharias Baptiſtæ parens ſuo in Euchariſtico Cantico ſic locutus: *Viſitauit nos Oriens ex alto. Illumi-*

Ioan. 13. *v.* 30.

D. Ambr.

D. Cyrill. Alexand.

D. Auguſt.

Pſalm. 18. *v.* 2.

Digitized by Google

Illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent: ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Lucæ 1. *v.*78. *&* 79. Ecce viſitationum Eccleſiaſticarum normam, Pro quo Illuſtriſſimus Barboſa *de Poteſtate Epiſcopi, Titulo* 2. *Gloſſa* 10. *num.* 22. qui audiatur digniſſimus, ſic locutus: *Verus quidem Epiſcopus, dum exit ad diſcurrendum per omnes Parochias eſt quaſi ſol egrediens ad illuſtrandas terras, vt videlicet tres actus illos hierarchicos exerceat, qui ſunt purgare, illuminare, & perficere. Nam quemadmodum matutinus lucis ſplendor nocturnas tenebras fugat, ita ſancti Pontificis præſentia, veluti ſpiritualis quidam ſol, tenebras flagitiorum, & perditorum hominum virtutis ſuæ fulgore depellit.* Hæc ille & alia, verus & ipſe jam Epiſcopus, qui nouit facere & docere. Quando ergo Epiſcopi, quia viſitare per ſe ipſos nequeunt, alios ſunt miſſuri, ſoles profectò oportet inquirant, vnde & à caligine auaritiæ peregrinos. Quòd ſi non ſoles inueniant, curent certe per alios, qui videlicet illuſtrati ab ipſis, ſoles alij videantur: quales Concilium Limenſe tertium deſcribit *Actio.* 4. *Cap.* 1. De quibus vt dicamus aliquid, quod ad Indicos ſpecialim attinet, ſit iam

Lucæ 1. *v.* 78. *&* 79.

Illuſtriſſ. Barboſa.

Viſitatores futuros ſoles.

CAPVT I.

De Procuratione Viſitatoribus tribuenda.

Concilij Limenſis 3. *decretum circa Procurationē.*

3 Circa illam Concilium Limenſe tertium *Act.*4. *Cap.*2. ita loquitur; id quod Concilium ſecundum *Seſſione* 2. *Cap.* 110. circa idem ſtatuerat prorſus amplexus, *Procurationis nomine ita vnicuique Viſitatori competens ſalarium aſſignetur ab Epiſcopo, vt neque de pœnis Cameræ Epiſcopalis, neque de condemnationibus, viſitatori ipſi aut Officialibus eius aliquid proueniat.* Sic Concilium: cuius ſtatuti tranſgreſſio cùm grauem materiam concernat, & ad iuſtitiam commutatiuam ſpectet, non ſtabit ſine lethalis culpæ reatu. Debent ergo Epiſcopi Peruuiani, ex vi ſtatuti prædicti ita facere (aut illi ſaltem, ad quos Concilij ſe extendit auctoritas) Debent etiam & ij, & alij, ex obligatione iuſtitiæ ſalarium competens Viſitatoribus aſſignare, quia nemo ſuis militare ſtipendijs debet: niſi fortè aliquis tanti inueniatur zeli, & non quæ ſua ſunt, ſed quæ Iesv Chriſti quærens, vt velit Deo ſeruire gratis, ſolâ pro neceſſariis procuratione contentus. Sed quis erit hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vitâ ſuâ. Erunt qui ſic ſpondeant, ſed non tandem ex illis, qui iuxta Scripturam excutiunt manus ſuas ab omni munere.

Viſitatoribus ab Epiſcopis ſalarium aſſignandū.

Quid ſi ex pœnis Cameræ.

Quòd ſi ſalarium ſoluendum ex dictis pœnis aſſignauerint, in eo grauiter Epiſcopi peccabunt, quia occaſionem præbent eas aggrauandi; quod inconueniens voluit Concilium remouere. Si autem reuerà iuſtæ illæ fuerint, & ſtipendium ex iis deductum etiam labori reſpondeat, non erit obligatio reſtituendi, quia prohibitio Concilij non reddit actum nullum, vt ex eius tenore conſtat, iuxta communem doctrinam in hac materiâ, de quâ & nos *ſuprà.*

Quid ſi ſalarium nō aſſignetur.

4 Si verò ſalarium nullum aſſignetur, an debeat ſtipendium labori reddi, quæſtio eſt, circa quam videndus Dom. Solorzanus *Lib.* 3. *Cap.* 8. *num.* 59. *& ſeqq.* & vt aliquid circa illam dicamus, qui viſitationes huiuſmodi ambiunt, & magni faciunt dum aſſequuntur, neque de ſalario quidquam in pactum deducunt, eò quòd emolumentis ſint miniſterij huiuſce contenti, & ex eo ſpes promoueant ſuas pro Præbendis honorabilibus obtinendis, dum inter merita ad illas functiones dictæ numerantur. Mortaliter peccant, ſi mortuo Epiſcopo ſalarium ex ſpoliis petant, & ſi conſecuti fuerint, ad reſtitutionem obligantur. Ratio eſt clara, quia ipſi de ſalario nihil cogitarunt, nec ſub pactione illius ſeruierunt: ergo non debetur. Neque ex famulis argui poteſt, qui admitti petunt, nullâ conſtitutâ mercede, ſed alimentis contenti; quibus tamen ſalarium deberi tenent plures, de quo diximus *Titulo* 8. *num.* 31. Quia in illis eſt ratio diuerſa; eò quòd neceſſitate coacti id faciant; quia aliter nequeunt vitæ ſuæ inſtituere rationem: licèt minoris pretij futurum ſtipendium ſit, eo quòd merces vltroneæ vileſcant. Hi verò, de quibus agimus, inuiti non ſeruiunt, ſed maximè ſpontanei, vnde nihil prætereà illis debetur. Pro quo eſt Pragmatica Matritenſis *An.* 1616. in quâ decernitur vt ſalaria non conuenta peti nequeant ab iis, qui Magiſtratibus, Prælatis, aut aliis dominis famulantur, à quibus alias commoditates, vel fauores in temporalibus, vel ſpiritualibus ſperare poſſunt. Tales enim ij ſunt, qui viſitationes ob cauſſas prædictas, non ſolùm precibus, ſed etiam interceſſionibus primariorum virorum, aut etiam nobilium feminarum aucupantur. Si autem rogati munus prædictum obeant, & de ſalario non agant, pudore ingenuo præpediti, certum eſt deberi illud ab Epiſcopis, & poſſe peti poſt eorum mortem, aut etiam viuentibus eiſdem; ſi neceſſitas aut quiduis aliud cogat pudoris obſtacula ſuperare.

Pragmatica circa hoc ſpecialis.

Quid quādo emolumenta ſtipendium æquant.

5 Sed quid ſi emolumenta tanti pretij fuerint, vt ſtipendium ſuperent, aut ſaltem æquent, ab Epiſcopis conferendum. Reſpondeo, ſi emolumenta ex eo acceſſerint, quod ſine obligatione reſtitutionis obtineri potuit, & eſt quaſi fructus genuinus officij, non deberi ſalarium aliud, quia meritò ſalarij nomine id cenſeri poteſt: & cùm illud ex donatione Epiſcopi proueniat, ſed ipſum in officij collatione procedere, dum aliud non aſſignat: cùm enim emolumenta huiuſmodi ſalarium æquent, iis compenſare laborem intendit, in quo nihil contra iuſtitiam agir, quandoquidem labor ſatis eſt fructu dicto compenſatus, vnde ſuperabundans aliud nequit poſtulari. Aut emo-

lumenta talia fructus tantùm induſtriæ ſunt. Et tunc ſalarium eſt præterea debitum, quia fructus induſtriæ non eſt laboris pretium: & ita videmus in officiis aliis ſalarium deberi, quamuis multoties maiora ex induſtriâ emolumenta proueniant. Si verò emolumenta inde habeantur, vnde haberi nequeunt, quia vel auctione iurium, vel ex muneribus, ſubdiſtinguendum eſt vlterius. Aut enim, iniuſtitiâ prædictâ non obſtante, Viſitator in aliis ſuo officio ſatisfecit: & tunc ei ſtipendium debetur, ſicut & debet ipſe, quæ iniuſtè accepit reſtituere. Aut non ſatisfecit: & tunc ſtipendium non debetur. Si autem ex parte ſatisfecit, debebitur aliquid, ſicut & ipſe Procurationis partem, quæ non debetur niſi Viſitatori formaliter tali; & non alio ſub vmbra ſpecioſi nominis agitanti: vnde ſi ex toto ſatisfactio defuit, tota erit reſtituenda Procuratio ob eamdem, de quo & inferiùs. Quòd ſi illicitè accepta aliqua ſint, ſed quæ non ſit reſtituendi obligatio, de illis ſicut de fructibus induſtriæ philoſophandum eſſe poteſt alicui videri: eſt enim induſtria, ſed non bona, qualis in laicis Magiſtratibus, qui contra leges & iuramentum negotiantur. Et hoc videtur probabile. Contrarium tamen eſt veroſimile, quia ſub ea conditione videtur ab Epiſcopo ſalarium conſtitui, ſi Viſitatores illud aliunde non eliciant grauando viſitatos: ea enim induſtria dici nequit, quæ tunc accidit, cùm aliquid quæritur per media aliàs licita, & ſolùm mala eſt aliquando, quia hic & nunc prohibita: in caſu autem noſtro etiamſi prohibitio non extaret per Conciliorum leges, grauamen eſſet iniuſtum, vel modus procedendi; vnde malitiæ potiùs, quàm induſtriæ debet fructus reputari, & acceptio ſalarij per media illicita, non tamen contra iuſtitiam. Neque credibile eſt Epiſcopos aliter circa hoc velle ſe gerere, & malitiæ ita conniuere, vt ex illâ in miniſterio adeò ſacro duplicatum commodum reportetur.

Specialior difficultas, in qua duplex dicendi modus.

6 Circa Officiales autem idem eſt cùm proportione dicendum, in quibus genuini officij fructus, & induſtriæ, ac malitiæ diſtinguendi ſunt: quibus etiam ſalarium deberi manifeſtius eſt, quia in illis non ſunt reſpectus illi cumulandi merita ad prætenſiones alias, ſed ſuo ex labore viuendi, vnde fauet illis apertè Pragmatica, de qua *num.* 4.

Circa Officiales iuxta eamdem doctrinam procedendum.

Sequitur in Concilio ſic: *Tempus autem non longius in viſitatione conſumant Viſitatores, quàm neceſſarium eſſe perſpexerint; ſi ſecus egerint, ita vt propter ſua commoda, aut quouis alio reſpectu diutiùs immorentur, excommunicatione feriantur.* Sic Concilium. Vbi id prætermiſſum, quod maximè aduertendum videbatur, teneri ſcilicet viſitationem protendentes ad reſtitutionem expenſarum à Parochis, & Indis propter demorationem auctarum: quod equidem, quia videbatur compertum, fortè prætermiſſum. Et reſtitutio à Viſitatoribus ex integro facienda, quia Officiales cauſſa detentionis non ſunt, & ſi quid conſumunt, id Viſitatorum cauſſâ faciunt, cuius ſi imperiis obſiſterent, graues inde poſſent moleſtias ſibi ſuperuenturas ſuſpicari: neque iuxta eorum arbitrium, ſed Viſitatorum, tempus eſt viſitationi neceſſarium regulandum. Si verò de iniuſtâ demoratione conſtet, & Viſitatores non reſtituant, Officiales ad reſtitutionem teneantur portionum ad ſe pertinentium, ſi mala quidem fides fuit, abſolutè; ſi autem bona, in quantum facti ſunt locupletes: iuxta communem doctrinam. Et pro prædictis facit Gloſſa in Cap. *Exigit*, de Cenſibus &c. verb. *Teneantur.* Sic dicens: *& tenetur etiam familia de eo, quod percepit, & ipſe Epiſcopus tenetur de facto ipſorum 86. diſt. Cap. An putatis.* Sic illa. Quòd verò ad excommunicationem attinet, non eſt illa lata, ſed ferenda. Et videtur difficile quomodo habere locum poſſit, quia propter peccatum præteritum imponi nequit, vt eſt Doctorum receptiſſima ſententia. Tantùm ergo habere locum prædicta diſpoſitio poteſt, ſi moras faciente Viſitatore, id reſciat Epiſcopus: tunc enim pœna talis inſligi poterit, niſi à Viſitationis loco recedat.

Circa tempus quid à Concilio ſtatutum, & quando obligatio reſtitutionis ex mora.

Gloſſa.

Difficultas circa excommunicationem.

De obligatione ſeruandi Inſtructionem.

7 Additur tandem illo in Capite ſic: *Inſtructionem verò ab hac ſanctâ Synodo factam pro Viſitatoribus, ſub mortalis peccati reatu, & ſecum deferre, & fideliter obſeruare teneantur.* Sic ibi. Id autem quod pro Peruuianis Prouinciis à Conciliis ſtatutum eſt, ad omnes eſt Indicas alias prouincias extendendum, ſi per Prouincialia Concilia, vel aliàs, confectæ inſtructiones ſint: formæ enim ſunt in modo procedendi ſeruandæ, & in re grauiſſima; & ita omiſſio non poteſt non eſſe, generaliter loquendo, grauiter criminoſa. Et ita Synodus Diœceſana Pacenſis ſub mortali declarat obligare *Lib.* 1. *Tit.* 7. *Cap.* 1. Quia verò eſſe aliqua in talibus Inſtructionibus poſſunt, quæ meram rationem inſtructionis habeant, in iis deficere non erit mortale; quæ autem talia ſint, nequit in ſpeciali decerni, vnde ad iudicium eſt virorum prudentium prouocandum. Vbi certè res magni momenti apparet, præceptum eſt: neque ex eo quòd inſtructionis nomine affectæ ſint, ideò ſola eſt in eorum obſeruatione conuenientia, & non obligatio recognoſcenda: Inſtructiones ſiquidem tales vera præcepta ſunt, vt de iis, quæ Magiſtratibus dantur, tradit Dom. Solorzanus *Lib.* 4. *Cap.* 9. *num.* 57. addens ab illis ſecurâ conſcientiâ non poſſe recedi. Inſtructio, de qua Concilium habetur integra in Synodo Diœceſana Limenſi Ann. 1614. *Libr.* 1. *Tit.* 7. *Cap.* 1.

CAPVT II.

De obligatione reſtitutionis eorum, quæ à Viſitatoribus illicitè recipiuntur.

8. IN Concilio Tridentino *Seſſione* 24. *Cap.* 3. de Reformat. Sic circa iſta deciditur: *Quòd ſi quiſquam, quod abſit, aliquid amplius in ſupradictis omnibus caſibus accipere præſumpſerit, is præter dupli reſtitutionem intra menſem faciendam, alijs etiam pœnis iuxta Conſtitutionem Concilij generalis Lugdunenſis, quæ incipit, Exigit, nec non & alijs pœnis in Synodo Prouinciali arbitrio Synodi, abſque vlla ſpe veniæ, mulctetur.* Sic Concilium: quod ea ſolùm accipienda decreuerat, quæ ad victum ſpectant, vbi non eſt conſuetudo, quòd neque illa tribuantur. Quibus Concilium Limenſe tertium inſiſtens *Act.* 4. *Cap.* 4. ſic ſtatuit: *Munera quæcumque, aut commodi aliquid præter ea, quæ ſunt à iure permiſſa, neque Viſitator ipſe recipiat, neque ſuos recipere*

Concilij Tridentini deciſio circa reſtitutionem.

Concilium Limen. 3.

Digitized by Google

recipere permittat: ſed neque emat, neque permutet cum his, qui viſitantur, equitatum, aut aliquid aliud: ſi quid huiuſmodi acceperit, ſciat ſe ad dupli reſtitutionem intra menſem faciendam iuxta Conſtitutionem Concilij Tridentini in conſcientiâ teneri: quòd ſi non reſtituerit intra prædictum tempus, ab omni & beneficio, & officio eſſe ſuſpenſum, ſecundùm Gregorij X. in Concilio generali editam ſanctionem. Hæc Concilium. Vbi maior quædam declaratio extat, cùm reuera quidquid additum, in Concilij Tridentini Conſtitutione comprehenſum videatur. Quod enim non ſolùm munera, ſed commodum etiam omne recipi prohibeatur, ſatis illa Concilij Tridentini verba declarant: *Quòd ſi quiſquam aliquid aliud &c.* Non ſolùm autem Viſitatorem non poſſe accipere, ſed neque permittere vt ſui, eo ſciente, accipiant, ſatis perſpectum eſt, quia quod ſui ita accipiunt, etiam ipſe videtur accipere: quod enim mei cauſſa fit, meum quodammodo fit. *L. Prætor att. D. de edendo.* cùm aliàs debeat ſuorum præiudicialem cupidinem cohibere. Præterquam quòd & id expreſsè à Tridentino prouiſum verbis illis: *Ne re ipſe, aut quiſquam ſuorum &c.* & in Lugdunenſi Cap. *Exigit*, de Cenſibus &c. *in Sexto* à Tridentino citato. Quod item ad emptionem, & permutationem equitatus cum iis, qui viſitantur, in generali eſt prohibitione contentum, quia numquam iſta emuntur iuſto pretio, neque permutatio niſi pro melioribus fit, & ita iam aliquid vltra debitum accipitur. Quòd ſi omnis abeſſet dolus, & neceſſitas vrgeret, idque fieret poſt abſolutam viſitationem, non eſt credibile id Conſilium vetuiſſe. Immò Innocentius, Hoſtienſis, & alij apud Gloſſam in citato Cap. *Exigit*, aſſerunt pro vecturis, & ferraturis equorum pecuniam poſſe Viſitatores exigere, ſi indigeant.

Illis Decretum nihil addit Tridentinum.

Quid recipi iuxta nonnullos poſſit.

9 Circa reſtitutionem autem dupli intra menſem id adiectum, vt in conſcientiâ ad illam teneantur, pœnis, niſi ita fecerint, Generalis Concilij deſignatis. Vbi non obſcurè videtur innui, quod à Concilio generali Lugdunenſi, & à Tridentino de reſtitutione dupli conſtitutum inuenitur, in conſcientia obligare. Concilium ſiquidem Lugdunenſe, cuius determinationi Tridentinum inhæret, verbis vtitur obligationem talem indicantibus, dum ait: *Duplum eius, quod receperint, intra menſem reddere teneantur.* Vbi cùm teneri dicantur, & de compulſione addatur nihil, conſcientia ſic accipientium conuenitur. Et quidem cùm obligatio dicta Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis imponatur, vt ex iis, quæ ſtatim ſubiiciuntur, apparet, dum dicitur: *Alioquin ex tunc Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, duplum ipſum vltra prædictum tempus reſtituere differentes, ingreſſum ſibi Eccleſiæ cenſeant interdictum.* Sic ibi. Fit ex eo obligationem talem ad forum conſcientiæ ſpectare: nam ſi ita non eſſet, Conſtitutio talis reſpectu dictorum eſſet inutilis. Quis enim Epiſcopum compellet vt duplum reddat? Recurſum enim ad Archiepiſcopum circa hoc nullus audebit. Quòd ſi ad Archiepiſcopum detur recurſus, vbi tamen Archiepiſcopus eſt delinquens, ad quem eſt, vt compellat reddere, recurrendum? & vt recurſus etiam ibi admittatur, qui moraliter loquendo videtur impoſſibilis, Patriarchæ exceſſus à quo veniet corrigendus? A Pontifice? At quis non videat hoc ineptè dici, quod licet poſſibile de iure ſit, non tamen de facto? Si ergo pœna ante ſententiam in foro conſcientiæ non obligat, inutilis quoad prædictos eſt. Circa alios autem idem faciendum, quia eodem modo de omnibus Conſtitutio Lugdunenſis Concilij procedit, ſic enim ſequitur poſt adducta: *Inferiores verò ab officio & beneficio nouerint ſe ſuſpenſos, quouſque de duplo huiuſmodi grauatis Eccleſiis plenariam ſatisfactionem impenderint: nullâ eis in hoc dantium remiſſione, liberalitate, ſeu gratiâ valitura.* Sic Concilium, & Greg. X. in illo. In quibus nihil de iudiciali cognitione habetur, & ſuſpenſio ipſo facto apertè videtur indicata verbis illis, *Nouerint ſe ſuſpenſos.* Si enim ſententia condemnatoria, aut ſaltem declaratoria criminis expectanda eſſet, non poſſent noſcere ſe ſuſpenſos, ſed ſuſpendendos. Et quidem cùm de Prælatis Superioribus ita deciſum præceſſiſſet, & in aliis nihil occurrat, quod diuerſum deciſionis modum aut rationem variandæ deciſionis oſtendat, de omnibus eſt pariter ſentiendum.

Obligationem dupli videri in conſcientia vrgere.

Cap. Exigit, de Cenſibus &c.

Cap. idem.

Suſpenſio ipſo facto.

10 Quòd autem remiſſio circa hoc non admittatur, etiamſi circa illud exerceri liberalitas videatur, ex eo prouenit, quia reſtitutio Eccleſiæ facienda eſt, & ita Eccleſia ius habet creditoris, (qualecumque illud ſit) in cuius præiudicium nequit remiſſio aut renuntiatio fieri. *L. 3. finali. D. quæ in fraudem Credit.* ibi: *Omnis prorſus alienatio in fraudem creditorum facta, reuocetur.* De obligatione autem reſtituendi Eccleſiæ manifeſtè pronuntiat Textus in cit. Cap. *Exigit*, dum dicitur in illo: *Duplum eius, quod receperint, Eccleſiæ, à quâ id receptum fuerit, intra menſem reddere teneantur.* Non quidem ex eo quòd ab Eccleſia ipſa ſemper receptum ſit, cùm apertiſſimè procedat Conſtitutio dicta de acceptis à quocumque ex viſitatis, vt ex vltimis eius verbis conſtat, ibi: *Nulla eis in hoc dantium remiſſione* &c. Et ex aliis antecedentibus, dum dicitur: *Debitam exigere pecuniam, vel etiam à volente recipere, vel aliàs Conſtitutionem ipſam recipiendo munera* &c. Vbi Gloſſa ſic habet: *& poſito quòd dantes munera vellent eis remittere, nihilominus accipientes tenentur ea reſtituere in duplum.* Sic illa. Non ergo dantes Eccleſiæ tantùm ſunt. Cùm autem dicitur, *Duplum eius, quod acceperunt, Eccleſiæ, à quâ id receptum fuerit, intra menſem reddere teneantur*: ex quo videtur ſequi ſolum id, quod eſt ab Eccleſia receptum, eidem eſſe reſtituendum: nomine Eccleſiæ ij veniunt, qui ad Eccleſiam viſitatam pertinent: nam & Eccleſia in primis viſitanda eſt, & ex eius bonis ſolui procuratio ſolet, & ij, qui ad eam pertinent, eius nomine deſignantur, etiam quando non ab Eccleſia, ſed à Communitate ſolet procuratio ſolui: tunc enim Eccleſia non materialiter, ſed formaliter ſumitur pro ſpeciali fidelium congregatione. Et ita Indorum populis facienda reſtitutio, vbi illi ad procurationem contribuunt: quam conſuetudinem ſuſtinendam decernit Synodus Diœceſana Limenſis *Lib. 1. Cap. 10. Tit. 7.* Quòd autem Conſtitutio accipientes à quibuſlibet ex viſitatis complectatur, præter dicta probat etiam Decretum Concilij Tridentini citatum, dum ad eam ſe refert; nec tamen nomine Eccleſiæ vtitur; ſed dantes & recipientes quoſlibet comprehendit: vnde vtriuſque mens eſt eadem, & ita idem eſſe

Remiſſio non admittitur, quia Eccleſiæ facienda reſtitutio.

Cap. Exigit.

Nomine Eccleſiæ qui veniāt.

Gloſſa.

Audacia, temeritas, & præſumptio quales puniantur.

eſſe debet etiam intellectus. Licet autem in Conſtitutione eadem, audacia, temeritas, & præſumptio in receptione damnetur, ex eo ſolùm deduci poteſt non eſſe pœnis dictis obnoxios, qui ex ignorantia, aut prætextu aliquo non irrationabili contra eamdem deliquerint, iuxta dicta *Tit.* 12. *num.* 286. Qui autem ſcientes & volentes (vt omnes præſumendi ſunt facere, qui tranſgreſſores fuerint deprehenſi eò quòd primum hoc quaſi principium in ſuo officio nequeant ignorare) tale aliquid fecerint, excuſari à directa tranſgreſſione nequeunt, vnde neque à pœnis in Conſtitutione ſignatis, quia verè audax, temerarius, & præſumptuoſus eſt, qui contra legem adeò grauem & momenti tanti, ſciens volenſque deliquit: vnde Concilium Tridentinum, cùm prohibitionem *cauendi* verbo propuiſſet, dicens: *Interimque caueant*: poſteà verbo *præſumendi* eſt vſum verbis illis; *Accipere præſumpſerint*: vt præſumptio tunc intelligatur adeſſe, quando incautè à ſcientibus & volentibus quidquam ex prohibitis fuerit attentatum. Propter hæc ergo Concilium Limenſe meritò potuit obligationem reſtituendi duplum ad forum conſcientiæ ſpectantem affirmare. Quomodo autem pro victualibus accipi pecunia poſſit, & ita circa dictam Conſtitutionem moderatio quoad hoc fuerit adhibita à Bonifacio Octauo, videndum in Cap. *Felicis* eodem Titulo.

Obligatio in Conſcientia ex Gloſſa oſtenditur, & ex alijs.

11 Et obligationem dictam in foro animæ videtur apertè fateri Gloſſa in citatum Cap. *Exigit*, dum ſic ait: *Tenentur reſtituere duplum illius, quod receperunt, ſub pœna maledictionis æternæ: à qua abſoluendi non ſunt, niſi priùs reſtituerint duplum* &c. Pro quo etiam eſt P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 16. *num* 38. vbi poſtquàm Conſtitutionem dictam præmiſiſſet, ita ſcribit: *Notandum hic eſt legem pœnalem de duplo, obligare ante ſententiam, quod perrarũ eſt, nec vnquam præſumitur, niſi ex modo loquendi ſit euidens.* Sic ille, euidentiam circa huiuſmodi obligationem in foro conſcientiæ recognoſcens ex Conſtitutionis tenore collectam, licet nihil pro illius ponderatione ſubiungat. Idem tenet P. Theſaurus *Parte ſecunda ſuæ Praxis. verb. Munera, Cap.* 8. Bonacina *Tomo* 3. *Diſput.* 2. *Quæſt.* 7. *Puncto* 8. *num.* 8. in ſimili loquens de pœna dupli à Paulo ſecundo, & Sixto quarto impoſitâ gubernatoribus Status Eccleſiaſtici munerà recipientibus, eâ redditâ ratione, quæ ſimiliter in caſum præſentè quadrat, quia videlicet in Bulla dicitur, *Reddere teneantur*, quod iam in Conſtitutione citatâ vidimus reperiri. Pro quo & videndus *Tomo* 2. *Tract. de legibus, Diſput.* 1. *Quæſt.* 1. *Puncto* 7. §. 2. *n.* 15. & 19. & *Tomo* 1. *Tract. de Horis Canonicis Diſput.* 1. *Quæſt.* 5. *Puncto* 2. *num.* 7. quibus in locis plures affert ſimiliter ſentientes, dum regulam dictam ad obligationem in conſcientia dignoſcendam adducunt. Vnde Diana *Parte* 9. *Tract.* 8. *Reſolut.* 42. §. *Sed difficultas.* adducit P. Theſaurum *ſuprà* ſic ſcribentem: *Nota quòd hæc pœna dupli obligat in Conſcientia, etiam ante declaratoriam, propter particulam illam, Reddere teneantur, vt de eadem particula dicunt communiter Doctores in Cap.* 2. *de Cenſibus in* 6. Sic ille, communem ſenſum Doctorum circa intelligentiam prefatæ Conſtitutionis atteſtans; illa enim eſt, quam citat, in quâ, vt vidimus, verba prædicta reperiuntur. Citat autem Auctor idem Patrem Sa verb. *Suſpenſio ipſo iure num.* 13. vbi nihil habet. *Numero autem* 15. Conſtitutionis dictæ pœnam proponit, ſed de puncto difficultatis, in quo ſumus, nihil addit: Si autem ex eo quòd de ſententia nihil addat, pro ea, quam proſequimur, adduci poteſt, ſimiliter etiam & P. Bauny *Tomo* 1. *Tract.* 8. *Quæſt.* 11. *Dub.* 2. eodem modo loquitur.

P. Leſsius. *P. Theſaurus.* *Bonacina.* *Diana.* *P. Sa.* *P. Bauny.*

Sententia oppoſita ab alijs defenditur.

12 Quibus non obſtantibus, Nauarrus *Lib.* 3. *Conſiliorum Titulo* 39. *Conſilio* 11. tradit *Primò* Caput dictum quatenus punit pœnâ dupli, potiùs diminuere, quàm inducere pœnam iuris, quia eſt quadrupli in eos, qui ratione officij publici aliquid malè accipiunt. Cap. *Concuſsionis* 1. *quæſt.* 1. & Cap. *ſequenti* & Cap. *Quoniam* 18. *diſt. L. Sancimus C. Ad legem iuliam repetund.* à Gratiano tranſcripta in Cap. *Sancimus* 1. *quæſt.* 7. *Secundò* præfatum Caput inducere pœnam ipſo iure incurrendam, quatenus ſuſpendit ipſo iure Viſitatorem concuſſorem. *Tertiò*, talem poſſe abſolui à peccato, reſtituto tantùm ſimplo, per *Clement.* 2. *de hæreticis* §. 1. in illis verbis: *A quâ ſoluti excommunicatione non poſſint abſolui, donec plenè ſatisfecerint de pecuniâ ſic extortâ.* Per quæ clarè ſignificatur ſufficere ſimpli reſtitutionem. *Quartò*, à fortiori eum, qui intra menſem reſtitueret ſimplum, non incurſum iri ſuſpenſionem; quia cùm poſſet abſolui à ſuſpenſione incursâ ſi ſolueret ſimplum: ergo à fortiori tolleret incurrendam: quia difficilius tollitur quæſitum, quàm impediatur quærendum. *L. ſeruus C. de pactis. Quintò*, à ſuſpenſione incurſa poſſe abſolui reſtituto ſimplo, iuxta Gloſſam Clement. citatæ, in verb. *Officij*, quatenus habet Officialem Inquiſitionis aliquid per concuſſionem quærentem, incurrere quidem pœnam quadrupli præter excommunicationem, ſed abſolui poſſe ab eâ, reſtituto ſimplo, & ita pœnâ non ſolutâ, pro quo adducit Aretinum. Nauarrum ſequitur Zerola in *Praxi Parte* 2. verb. *Viſitatio, dub.* 1. vbi ait etiam incurſa pœna, quod non accidit, niſi dilatâ ſolutione vltra menſem, non teneri niſi ad ſimplum. Tenet item P. Palaus *Parte* 6. *Diſput.* 3. *Puncto* 28. *num.* 10. locutus in ſimili de pœnâ impoſitâ à Paulo ſecundo, & Sixto quarto in Bulla citata: quod, & Diana amplectitur vt probabile *Reſolut. citata.*

Nauarri Aſſerta. *Clement. II. de hæret.* *Zerola.* *P. Palaus.* *Diana.*

Illius fundamentũ.

13 Fundamentum prædictæ ſententiæ communis eſt doctrina, de qua nos ſupra *Tit.* 4. *num.* 69. & 75. iuxta quam pœna, quæ actionem exigit eius, cui imponitur, non obligat ante ſententiam, ſaltem criminis declaratoriam, pro qua videri poteſt Diana *Parte* 1. *Tr.* 10. *Reſ.* 23. & P. Palaus *tom.* 1. *tr.* 3. *diſp.* 2. *punct.* 2. Sed in hoc prædicta ſententia videtur claudicare: admittunt enim illius Auctores ante omnem ſententiã teneri accipientem reddere quod accepit: in quo tamen eadẽ ratio eſt, quando id quod eſt acceptũ, à volentibus datum eſt, vel illius remiſſio facta; in hoc enim Conſtitutio dicta pœnalis eſt, vt docet Nauarrus *ſuprà num.* 4. remiſſio enim debiti, & ſolutio æquiparantur in Iure *L. Si rem.* §. *Omnis D. de pignor. action.* & *L.* 1. *D. Qui ſatis d. cogant.* Et vbi à volente aliquid donatur, concuſſio non eſt, vt nomen ipſum concuſſionis indicat. Aut enim per voluntariam largitionem dominium transfertur, aut non. Si Primum: Iam eſt quis pœnæ ſuæ executor, priuans ſe dominio. Si ſecundum:

Circa illud Auctores eiuſdem claudicare.

Id

Digitized by Google

Id non videtur dici poſſe iuxta illorum Doctorum ſententiam, de qua *num.* 11. dum aſſerunt ex eo quòd in Conſtitutione dicatur, *Reddere teneantur*, colligi obligationem in conſcientia: quod & ij, de quibus nunc agimus, non negant, vnde & obligationem talem agnoſcunt. Atqui verba dicta de duplo reddendo procedunt, & de diſtinctione ſimpli & dupli nibil additur: ergo ſicut circa duplum ſententia declaratoria requiritur, ita & circa ſimplum: ex quo fit tranſlatum eſſe dominium; ſi enim non eſſet tranſlatum, ante omnem ſententiam vrgeret obligatio. Dicant illi quibuſnam verbis dominij tranſlatio vetita inueniatur. Nullis equidem: atqui non illis, vt probatum eſt: ergo nullis, iuxta eorum philoſophandi rationem. Ex quo fiet ſoluentem ſimplum, ſuæ pœnæ eſſe executorem, quod admittere nequeunt præfati Scriptores. His præiactis, ſit iam

Reſolutio Aſſertionibus propoſita, & roborata.

Aſſertio 1. obligationem eſſe ſoluendi duplum.

14 Dico primò. Ante omnem ſententiam eſt obligatio reddendi duplum. Sic citati *num.* 11. & probatur ex dictis *num.* 9. quod & tenent *num.* 11. adducti.

Aſſertio 2. Id præcipuè in Indijs.

Dico ſecundò. Aſſertio præcedens præcipuè locum habet in Indiis, quoad Prouincias illas, in quibus obligat Limenſe Conſilium. Id conſtat ex eius declaratione, de qua *num.* 8. ſic enim ſtatuere potuit, etiamſi non eſſet à iure Canonico conſtitutum: & declaratio dicta roborata eſt Apoſtolicâ confirmatione.

Aſſertio 3. oppoſitum probabile.

Dico tertiò. Probabile eſt ob Scriptorum auctoritatem non eſſe in foro conſcientiæ obligationem ſoluendi duplum. Sic oſtendunt adducta *num.* 12. & 13.

Aſſertio 4. etiam in Indijs.

Dico quartò. Etiam vbi Concilium Limenſe obligat, aliquatenus ſuſtineri poteſt vt non improbabile, non eſſe prædictam obligationem. Probari id poteſt, quia Concilium in illo ſuo Decreto non videtur aliter obligare velle, quàm Concilia duo generalia, quorum citat Sanctiones. Atqui illa explicationem prædictam probabiliter admittunt: ergo & illud: quod quidem dem dum addit *in Conſcientia teneri*; ita exponendum eſt, ut id ſit probabiliſſimum, & ſic meritò amplectendum, non verò vt debeat quaſi omnino certum amplecti.

Aſſertio 5. non ſimpli gratis accepti obligationē eſſe, vt probabile fundatum.

15 Dico quintò. Non eſt improbabile obligatio reddendi ſimplum non vrgere in foro conſcientiæ, quando id, quod eſt acceptum, omnino gratis datum eſt, & ita tranſlatum illius dominium. Hoc probat ratio adducta *num.* 13. & idem eſt quando fit remiſſio; quia totus ille rigor ad forum exterius ſpectare dicendus eſt. Et quia vix vllus eſt futurus, qui de reſtitutione agat, hac viâ poterunt conſcientiæ circa hoc grauatæ ſubleuari: licet in hoc maximè obſeruari debeat vix eſſe vllũ, qui gratis omnino donet cauſsâ pendente: poſt abſolutam autem viſitationem ſecus contingere poteſt: quamquam in Indiis non ideò viſitatio quoad omnem ſuum effectuum finita cenſeri debet, quòd proceſſus ſit à Viſitatore confectus quoad ea omnia, quæ ad officium eius ſpectant, iuxta id, quod *Act.* 4. *Cap.* 3. decernitur pro Peruuianis Prouinciis, ad quas ſe Limēſis Concilij Sanctiones extendunt, quòd ſcilicet *proceſſus circa crimina grauiora Parochorum à Viſitatoribus fulminentur vſque ad diffinitiuam excluſiuè.* Cùm enim diffinitiua reſtet, circa illam informatio Viſitatorum multùm poteſt habere momenti, propter id quod additur verbis illis: *Atque ita obſignati ad Ordinarium tranſmittantur, adhibito ipſius Viſitatoris de vnaquaque cauſſâ iudicio, vt tandem Epiſcopus vltimam ſententiam ferat.* Sic ibi. Cùm ergo iudiciũ Viſitatorũ in ordine ad diffinitiuã tantopere conferre poſſit, multùm etiam valere, vt fauorabile illud ſit, munera poterunt: vnde ex finitione proceſſuum, non debet viſitatio ita finita cenſeri, vt illa accipere penitus liceat: niſi adeò veroſimilis iuſtificatio ex parte donantis ſit, vel quia ex gratitudine, aut alio honeſto reſpectu, vt accipiendi ſcrupulus poſſit rationabiliter conſopiri. Et ad hoc probandum fuit quod ex Nauarro adduximus *num.* 12. qui ſimplum tantùm reddendum eſſe ait, quia Clementina illa, de qua ibi, eo videtur eſſe contenta. Atqui Clementina ſolùm id reddi iubet, quod iniquè extortum eſt, ibi: *Donec planè ſatisfecerit de pecunia ſic extortâ.* Ergo de ea, quæ ſic extorta non eſt, alia debet eſſe ratio. Et vrgeri poteſt ex eo quòd Clementinæ poſt Sextum Decretalium librum editæ ſunt, quia & eorum Auctores pariter vnus ante alium floruerunt. Cùm ergo in poſteriori Conſtitutione ſic dicatur vt vidimus, illius deciſio ad prioris declarationem poteſt deſeruire: cùm aliàs in materiâ vrgentiore procedat, in Officialibus inquam S. Inquiſitio nis. Hoc ergo non eſt penitus improbandum.

Quid circa Indias notandum.

Concilium Lim. 3.

Noua probatio, & vrgens.

Aſſertio 6. Eccleſiæ faciendam reſtitutionem ſupra ſimplum accepti.

16 Dico ſexto. Reſtitutio iuxta probabiliorem ſententiam facienda, ita diſponenda eſt, vt quod vltra acceptum eſt reddendum, Eccleſiæ tribuatur. Sic in citata Conſtitutione habetur. vt vidimus *numer.* 10. quod intelligitur, quando Procuratio ab ipſa Eccleſia data eſt, ſeu eius nomine, vt fieri aliquando ſolet, & illis temporibus, quibus Conſtitutio eſt edita, videtur fieri conſueuiſſe; eò quòd Eccleſia communia bona habeat ad hoc & alia huiuſmodi deputata. Verba Concilij: *Duplum eius quòd acceperunt, Eccleſiæ, à qua id receptum fuerit, iuxta menſem reddere teneantur.* Quod ergo ab Eccleſia receptum non eſt, non eſt eidem ex obligatione reddendum. Si autem Eccleſia formaliter ſumatur, pro Congregatione ſcilicet illâ fidelium ſpeciali, quia à Communitate contributio facta eſt, vt fieri poſſe declarat Congregatio Cardinalium apud Barboſam circa citatum *Caput* 3. *Seſſion.* 24. tunc Eccleſiæ etiam reddendum eſt: quod conuenienter impletur, ſi pauperibus tribuatur, aut in aliis piis operibus expendatur. Quod communiter tenent Scriptores, vt videri poteſt apud Dianam *Parte* 9. *Tractatu* 8. *Reſolut.* 42. qui alios adducit: & circa hoc eſſe dubitatio nequit. Id verò quod acceptum eſt, cui ſit reddendum, inter Doctores non conuenit: Alij enim dicunt reddendum Eccleſiæ, iuxta deciſionem Concilij: alij diſtinguunt de licitè datis, ad redimendam ſcilicet vexationem, aut aliter; & de datis illicitè: & priora aſſerunt illis eſſe reſtituenda, qui dederunt; ſecus alia, quæ

Quomodo Eccleſia formaliter ſumpta.

Circa reſtitutionem accepti diuerſa ſententia.

Digitized by Google

ſunt pauperibus eroganda. Sed occurrunt nonnulli, & etiam illicitè data, iis, qui dederunt, restituenda contendunt; quia non eſt eorum tranſlatum dominium, & vt eo priuentur debet condemnatoria, aut ſaltem declaratoria ſententia præcedere. Et hoc vltimum tenent P. Palaus *ſuprà num.* 10. & Diana §. *Videndum.*

Veroſimilius reddendum etiam Eccleſia.

17. Et prædicti quidem dicendi modi probabiles ſunt: id autem veroſimilius apparet, quod ex Conſtitutione ipſà videtur non obſcurè deduci, dum in ea dicitur reddendum Eccleſiæ, à qua receptum eſt: pro quo & eſt illud in eadem: *Nouerint ſe ſuſpenſos quouſque de duplo huiuſmodi grauatis Eccleſiis plenariam ſatisfactionem impenderint.* Quomodocumque ergo ſumatur Eccleſia, iuxtà *num.* 10. *& præced.* illi reſtitutio facienda eſt, quia in eo eſt grauata. Si autem Parochus, neque Eccleſiæ nomine neque Communitatis, ad quam ſpectet Procuratio, ſed ſuo dederit; & id licitè, valde veroſimilis eſt ſententia Alfonſi à Leone de *Cenſuris, Recollect.* 4. *lit. M.* verb. *Munera*, eidem eſſe reddendum: quia vbi delictum non interuenit, neque pœna eſſe debet; immò hoc videtur penitus exploratum. Si autem illicitè, reſtitutio eſt Eccleſiæ facienda, quia ſic Conſtitutio determinat, complectens caſus omnes eidem adaptabiles, vbi ſine innocentis præiudicio id ſtare poteſt. Et licet de Eccleſià tantùm videatur loqui, inde ad alios argumentum deriuatur: & ita reddendum Communitati quatenus grauata eſt. Ei ergo, qui eſt grauatus, reſtitutio facienda. Atqui Parochus grauatus non eſt, quia ipſe ſponte dedit: ergo iuxta Conſtitutionis mentem non eſt illi facienda reſtitutio. Cùm ergo illi facienda non ſit, debet equidem Eccleſiæ fieri aut pauperum ſubuentione, aut piorum aliorum operum effectione. Si dicas, Eccleſiam non eſſe grauatam, & ſolùm erga grauatos reſtitutionem indici. Reſpondeo, licet grauata Eccleſia non ſit, ei tamen reſtitutionē faciendam, quatenùs pro grauatis & nō grauatis idem reſtitutionis modus aſſignatur. Quod ex eo vlteriùs oſtēditur. Nam, vt *n.* 10. probauimus in Conſtitutione prędicta non ſolùm agitur de acceptis ab Eccleſiis, ſed à quocumque alio ex viſitatis: ergo cùm pro illis nullus alius aſſignetur, cui debeat reſtitutio fieri, niſi Eccleſia, ſit eidem faciendam eſſe: aliàs neque per ſententiam eidem facienda erit, quia grauata non eſt: & tamen faciendam eſſe per ſententiam Auctores illi fatentur, & tantùm declaratoriam criminis exigunt: declaratoria enim criminis ad crimen accipientis refertur, non ad dantem, cui nulla aſſignatur pœna: ergo non debet dominio rei propriæ priuari. Quod autem dicitur de neceſſitate ſententiæ, ſine qua nullus priuari rei ſuæ dominio poteſt, ex dictis circa primam Aſſertionem refellendum eſt, cùm ſit adeò veroſimile Conſtitutionem in conſcientià obligare; quod præter Citatos tenet etiam Nauarrus *Conſilio citato num.* 5. Et in hoc quidem, præterquàm quod mens videtur expreſſa Pontificum, deficit ratio illa, propter quam dicitur pœnas huiuſmodi non obligare in conſcientià; quòd ſcilicet iam eſſet quis pœnæ executor circa ſe ipſum: id enim non accidit in præſenti, quandoquidem is, qui dedit, ſolùm habet ratione pœnæ vt non recuperet, quod iam ipſe à ſe abalienauerat, in quo negatiuè ſe gerit:

Cap. Exigit.

Quid de datis à Parocho ſuo nomine. Vbi eadem diſtinctione reſponſio.

Eccleſia, etſi non grauata, cur fieri debeat reſtitutio.

Notanda doctrina ex defectu rationis in præſenti, quæ aliàs urget.

non ergo ex eo capite quidquam eſt quod obſtet, iuxta veriorem ſententiam loquendo, de qua in *prima Aſſertione.*

Aſſertio 7. Quod reſtituitur, poſſe redonari.

18 Dico Septimò. Si quis id, quod ab aliquo accepit, eidem reſtituat; & ille ipſi redonet omnino ſponte finito officio, talis redonatio nullius eſt momenti, quia reſtitutio eſt Eccleſiæ facienda. Contrarium ſentit Diana *ſuprà in fine.* ſed id procedit ex eo quòd teneat reſtitutionem faciendam ei, qui dedit: finito autem officio nullum eſt obſtaculum receptioni. Sed cùm contrarium vt probabiliſſimum ſit propoſitum, iuxta illud philoſophandum eſt, licet Dianæ ſententia non careat probabili aliquo fundamento.

Aſſertiones aliæ circa abſolutionem à pœnis ob illicitam receptionem incurſis.

Aſſertio 8. Quidquid pœnale, in reſtitutione poſſe tolli ab habente facultatem abſoluendi à ſuſpenſione.

19 Dico octauò. Habens facultatem abſoluendi à ſuſpenſione dictà, quando reſtitutio vltrà menſem differtur, probabiliter loquendo, poteſt tollere pœnam reſtitutionis, quoad omne id, quod pœnale in illà eſt. Eſt autem pœnalis redditio dupli, & etiam ſimpli, quādo omnino gratis datum eſt, iuxta dicta. Negat hoc Nauarrus *Conſilio citato num.* 4. & 5. de facultate ſacræ Pœnitentiariæ loquens, quia illius facultas, & ſimiles, non ſunt niſi pro foro conſcientiæ tantùm, pœna autem dicta non pertinet ad illud: & prætereà tantùm eſt ad abſoluendum à pœnis Eccleſiaſticis, non autem ad tollenda grauamina in præiudicium tertij; quia id neceſſarium non eſt ad Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem. Sed affirmant alij, ex quibus P. Sa verbo *Suſpenſio ipſo iure, num.* 15. ſic ait: *Quòd ſi abſoluatur à potente abſoluere, non tenetur ad duplum.* Quòd autem non obſtet, in eo iuri tertij aliquomodo derogari, ex communi alià doctrinà roborari poteſt, quam tradunt ſcribentes in Bullam Cruciatæ, dum aiunt, Confeſſarium virtute illius poſſe commutare votum pœnale quoad pœnam pecuniariam ex eius fractione incurſam. Sic plures, quos adducit Diana *Parte* 1. *Tract.* 11. *Reſolut.* 46. & idem dicendum de aliis ſimilem facultatem habentibus, qualem habent communiter Regulares. Ratio illorum eſt; quia talis pœna obligauit ex vi voti à principio; quod cùm commutari poſſit, etiam & pœna. Neque in hoc ius tertij violatur, quia ex pura promiſſione non acquiritur, quod propriè ad iuſtitiam ſpectet, vt communiter Doctores tenent: eſtque illud in promiſſionibus pœnalibus certius, quia minùs voluntariæ ſunt, propter quod etiam in votis pœnalibus facilior eſt diſpenſatio: & quæ reſeruata aliàs ſunt, cùm pœnalia deprehenduntur, diſpenſationem more non reſeruatorum accipiunt, ſic aſſerentibus plurimis, de quo dictum. *Tit.* 12. *num.* 464.

P. Sa.

Probatio ex recepta doctrina de commutatione votorum pœnalium.

20 Hoc autem non videtur præſenti caſui accommodari poſſe, quia in ordine ad ea, quæ reſtituenda ſunt, eſt ius in illis, quibus facienda eſt reſtitutio: per Conſtitutionem enim Pontificiam ipſis applicantur, iuxta dicta *num.* 10. vnde cùm integrè redduntur, dicitur plenaria fieri ſatisfactio, vt vidimus *num.* 17. Satisfactio autem proprium iuſtitiæ dicit ius in eo, cui facienda eſt.

Non bene caſus præſenti accommodari oſtenditur.

Præter-

Prætcrquàm quòd id, quod de commutatione voti dicitur, locum non videtur habere poſſe; quia ibi obligatio ſoluendi pœnam oritur à voto: in caſu autem noſtro obligatio ſimilis non oritur à ſuſpenſione, ſed ſuſpenſio cadit ſupra obligationem ipſam in conſcientiâ vrgentem, iuxta dicta *Aſſert.* 1. eo quòd vltra menſem fuerit dilata redditio, & plenaria ſatisfactio eſſe debeat. Et idem eſt de pœnâ Interdicti, quæ Prælatis ſuperioribus imponitur. Et quidem ante elapſum menſem, & incurſum Eccleſiaſticum vinculum tenentur omnes dicti pœnam ſoluere, à qua obligatione nullus abſoluere poteſt. Si ergo elapſo menſe incurratur, & ita pœna prædicta poſſit illis ſimul cum abſolutione ab Eccleſiaſticâ Cenſurâ remitti, iam ex dilatione ſolutionis, & incurſione pœnæ, commodum reportatur, quod non videtur vllatenus admittendum.

Nihilominus probabilitas ſuſtinetur, & ſuſtentatur amplius.

21 Et prædicta quidem ſatis vrgentia ſunt, vt non poſſit cum abſolutione pœna prædicta remitti: nihilominus ad fundandam probabilitatem ita ſentientium, illud ſuffragari poteſt, quòd licet pœna à lege Eccleſiaſticâ applicetur, non eſt tamen penitus exploratum in Eccleſiâ, verum ex tali applicatione ius iuſtitiæ reſultare, etiamſi in conſcientiâ debeatur: tantùm enim imponitur obligatio eam ſoluendi; quod ſtare ſine rigore iuſtitiæ poteſt, ſicut ſtat obligatio ſoluendi pœnam ex voti violatione incurſam in caſu dicto. Quando autem obligatio non eſt certa ex titulo iuſtitiæ, ſine iniuriâ ſtat priuatio, vnde & abſolutio, quam comitari poteſt, non tollit propriè ius tertij, quia ius propriè dictum illud tantùm eſt, quod à iuſtitia vt proprium obiectum reſpicitur. Licèt autem ex incurſione Cenſuræ commodum huiuſmodi reportetur, id videtur eſſe per accidens, eò quòd qui abſoluit, cuius poteſtas ad oblationem Eccleſiaſtici vinculi directè tendit, pœnam nondum ſolutam inuenerit. Cùm enim beneficium Principis ſit, latè interpretandum eſt, iuxta regulam Iuris notiſſimam: vnde nòn ſolùm ad Cenſuram, ſed ad pœnam etiam extendendum.

Aſſertio 9. circa abſolutionem ab Interdicto. per Bullã, & priuilegia.

22 Dico nonò & vltimò. A pœnâ Interdicti, de quâ *num.* 9 abſolui poſſunt, qui in eam incurrerunt, virtute Bullæ Cruciatæ, & virtute priuilegiorum Regularium. Primum conſtat ex tenore ipſius Bullæ, & ſecundum item ex peculiaribus conceſſionibus, in quibus ferè omnes communicant: neque enim illi peioris debent eſſe conditionis quàm alij. Et ita quod ad Bullam attinet, communiter tradunt ſcriptores, ex quibus videri poſſunt Trullench *Lib.* 1. §. 7. *Cap.* 2. *Dub.* 16, Villalobos *Tractat.* 27. *Clauſulâ*, 9. §. 2. *num.* 26. P. Mendus *Diſput.* 25. *num.* 112. P. Eſcobar de Mendoza *Tomo* 1. *Problematicarum diſquiſit. Lib.* 7. *num.* 102. & alij, quos citant. Quod verò ad priuilegia ſpectat videndum apud P. Suarium *Tomo* 4. *de Religione, Tractat.* 10. *Lib.* 9. *Cap.* 2. *num.* 23. Et hoc procedit, ſi opinione probabili, de quâ *Aſſert.* 8. ſe velint prædicti tueri; aliàs namque non eſt refugium illud neceſſarium. Cùm enim reddere, quòd lege præſcribitur, tenèantur, abſolui nequeunt, niſi poſt ſatisfactionem; eâ autem factâ non videtur abſolutio neceſſaria: quia Interdictum impoſitum, dum aliquid ab Eccleſiâ præceptum non fit, eo facto ceſſat ſine alia abſolutione, vt aduertit Gloſſa circa citatum Caput. *Exigit*, verb. *Quouſque*. Et in Cap. *Si qui ſunt*. 81. *diſt.* verb. *Emendent*. Pro quo & videri poſſunt Auctores, quos adducit Diana *Parte* 5. *Tractat.* 10. *Reſolut.* 74. Quia verò Cenſura ſine abſolutione non tollitur, dicendum in prædicto caſu à Iure abſolui eum, qui tandem præceptum impleuit, vt loquuntur citati: ſi enim Ius interdicere poteſt, cur non & abſoluere?

Specialis doctrina circa abſolutionem ab Interdicto.

CAPVT III.

An vſus quorumdam Indicorum Epiſcoporum probari debeat, qui Viſitatores ſecum ducunt, dum ipſi per diœceſim diſcurrunt.

Vſus quorumdam, & difficultas circa illum.

23 A Doctis, & piis ſic factum vidi; neſcio autem an ſemper pietas hæc, iuxta Apoſtolum, ſit ad omnia vtilis, quæ vtilitati præcipuè temporali Viſitatorum videtur militare. Vnde aliquos ex iis ſatis nummatos ex hoc euaſiſſe miniſterio certa experimenta demonſtrarunt. Non video autem vnde hæc poſſint emolumenta procedere. Procuratio enim geminari nequit (ſi tamen & illa eſſe lucroſa poteſt) vt & ſua Epiſcopo, & Viſitatori ſua etiam tribuatur: cùm vnam tantùm eſſe reddendam, expreſſum habeatur in Cap. *Felicis*, de Cenſibus, &c. *In Sexto*. Quòd ſi Epiſcopus Confirmationis tantum Sacramentum adminiſtraturus diœceſim obeat, ſuis id ſumptibus debere facere Concilium Tridentinum videtur ſtatuiſſe *Seſſione* 24. *Cap.* 3. *de Reformat.* dum Procurationem tantummodò ex titulo Viſitationis concedit: & ita declaratum à ſacrâ Congregatione Cardinalium videri poteſt apud Barboſam ibi, *& Allegat.* 73. *num.* 53. *de Poteſtate Epiſcopi*. Vbi alios adducit: quod & notauit ante illos P. Sà. Verb. *Epiſcopus, num.* 14. Neque videtur fieri ſatis, ſi dicatur Epiſcopo & Viſitatori eadem victualia miniſtrari, neque inde ſumptus eorum, qui viſitantur, augeri, quandoquidem Viſitatori ſeorſim viſitanti deberentur: cùm certum ſit ſplendidiorem procurationem Epiſcopis exhiberi. Præterquam quòd ex victualium exhibitione nullus diteſcere poteſt; cùm tamen, vt diximus, Viſitatores prædicti non modica ex viſitatione pecuniarium emolumenta conſequantur. Videtur ergo res iſta grauandis conſcientiis opportuna.

1. Tim. 4. v. 8.

Vna tantùm debetur procuratio, & hæc viſitanti, & nó tantùm Confirmãti.

Aſſertio 1. vnde iuſtificari poſſit.

24 Dico primò. Vſus prædictus iuſtificari poteſt, ſi Viſitatores timoratæ conſcientiæ ſint, & vt tales cogniti, & qui ad expediendam breuiùs Viſitationem, & minùs grauandum viſitatos, ſedulam operam conferre poſſint. Et ſplendidior quidem Procuratio tunc Epiſcopis attribui poteſt, & ab eiſdem tutâ conſcientiâ admitti: quia & viſitare dicuntur, cùm ad ipſos grauiora negotia referantur, & Viſitatoribus aſſiſtant, vt ſuo illi muneri meliùs ſatisfaciant. Circa quod, cùm ex zelo boni communis agitur, & Epiſcopi non ſuam, nec ſuorum, ſed Dei cauſſam ſpectare penitus comprobantur, non eſt ſcrupulus iniiciendus, cùm aliquid hac in parte eorum ſit relinquendum arbitrio, nec temporis ita limitanda

momenta, quæ & Pater pro bono communi Eccleſiæ in eorum poſuit poteſtate. In quo & ipſis cùm docti ſint, & doctorum regantur conſilio, facilè poterunt ſcrupulis aditum occludere, vel, ſi ſubintrauerint, propulſare. Si autem, quod abſit, caro & ſanguis, quibus regni Dei poſſeſſio edictis cœleſtibus denegatur, in viſitatione ſe immiſceant, iterum iterumque moneo, vt videant ij, qui pro munere oculi eſſe in Eccleſiâ debent, quomodo ea lucra Viſitatoribus obueniant, quæ Epiſcopis viſitantibus neutiquam, ſeruatis iuſtitiæ legibus, obuenirent. Leuamen enim laboris in illis non debet in eorum grauamen, qui viſitantur, redundare.

Viſitis admonitio.

Aſſertio 2. vnde emolumenta prouenire poſſint.

25 Dico ſecundò. Emolumenta prædicta poſſunt ex eo prouenire quòd viſitatoribus finitâ viſitatione dona aliqua tribuantur. Circa quod id recolendum, quod dictum *num.* 15. & pretioſiora illa eſſe poſſunt eò quòd Viſitatores Epiſcoporum nepotes ſint; ille enim reſpectus non parum confert, vt eo pacto Epiſcoporum gratia foueatur. Vbi dubitari poteſt an Epiſcopi ex eo capite abſurdè procedant, ſcientes eos, qui viſitandi ſunt, donationibus huiuſmodi grauandos, quas quidem non facerent, ſi alij eſſent Viſitatores, aut Epiſcopi ipſi per ſe viſitarent. In quo quidem ſuus apparet vexationis modus; quia non dantes, vt miſeri & illiberales, habentur nihili, & de illis minùs decora opinio propagatur: quod incommodum vt vitent, opportunum remedium donationum aſſumunt. Nihilominùs cùm vexatio dicta nihil contra iuſtitiam importet; non eſt dicendum ex eâ parte illam violari; niſi & Epiſcopi ægrè ſe ferre ſignificent donationes tales ſuis Viſitatoribus, conſanguineis præſertim, non fieri. Et qui ab illis abſtinent, miſeriæ & parcitatis poſſunt à ſe notam depellere, honeſto titulo non donandi ex ſcrupulo prohibitionis oſtenſo. Ex quo fit eos, qui donant, non penitus inuitos donare, ſed quia haberi volunt liberales, vnde liberalitatis titulus ex neceſſitate prædicta non tollitur, ſicut neque omnis ratio debiti contra illam eſt, vt docet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 117. *artic.* 5. vbi in reſponſione ad primum ait, quòd licet liberalitas non reſpiciat debitum legale, attendit tamen debitum quoddam morale ex quadam ipſius decentia, non ex eò quòd ſit quis alteri obligatus, vnde & ad iuſtitiam aliquomodo pertinet.

Peculiaris difficultas.

Liberalitati qua ratio debiti non repugnat.

Aſſertio 3. contra charitatem in prædictis peccari.

26 Dico tertiò. Licèt contra iuſtitiam non agant Epiſcopi, ob rationes dictas, poſſunt tamen contra charitatem delinquere, dum occaſiones non tollunt grauandi viſitatos, etiamſi grauamen ab eorum præcipuè voluntate originem trahat. Cùm enim poſſint Epiſcopi illud vitare, & vt Patres etiam commodis ſubditorum attendere, ac damna in omni genere, quantùm eſt in ipſis, amoliri: contra huiuſmodi debitum prædicta occaſionum intraſione committunt; ſicut generaliter illi, qui occaſiones præbent vt alij liberalibus donationibus patrimonium extenuent, quando illæ non ita piæ ſunt, vt earum reſpectus omni alteri humano reſpectui debeat anteferri. Non videtur autem graue peccatum, quia neque immodicæ donationes ex ſe graue peccatum ſunt, vt communiter tradunt Doctores, & videri poteſt apud P. Molinam *Diſput.* 271. §. *Quidam exemplum.* Et P. Leſſium *Lib.* 2. *Cap.* 47. *num.* 61. Quamuis in caſu noſtro non ex eo ſolùm capite philoſophandum ſit quòd in donationibus peccatum admiſceatur, poteſt enim non admiſceri, iuxta dicta; ſed ex eo quòd damnum viſitatis generaliter inferatur; quemadmodum iuxta probabilem ſententiam, de quâ *Titulo* 1. *numer.* 157. monopolia exercentes non peccant contra iuſtitiam, ſed contra charitatem: & quidem grauiter ob commune detrimentum Reipublicæ; quod tamen ex iuſtitiâ non tenentur vitare. Et ſimiliter qui ſine vi & fraude Nouitium à Religione extrahit, vt docet Cardinalis Toletus *Lib.* 5. *Cap.* 19. *num.* 4. Vbi tamen peccatum graue ſponte exeuntis non interuenit. Sic ergo graui ſcrupulo non caret modus procedendi Epiſcoporum, de quo agimus; cùm conſtet viſitatos grauari donationibus, etiamſi abſolutè ſint ſpontaneæ, dum illis occaſiones, quæ vitari facilè ab Epiſcopis poterant, obtruduntur. Vnde illud Dauidis ad Abſolonem conuiuium valde ſpontaneum: vt bonus arbitrabatur parens, offerentem: *Noli fili mi, noli rogare, vt veniamus omnes, & grauemus te.* 2. *Reg.* 13. *v.* 26. Niſi fortè dicatur ex eo reſpectu condemnationes eſſe leuiores: quod & ipſum ſcrupulo non vacat: vt ſcilicet Parochorum culpis leues imponantur pœnæ, cùm mereantur grauiores: ſic enim per leuia remedia morbi ampliùs ingraueſcunt. Et à ratione prorſus alienum eſt, vt Eccleſiaſtica cenſura in nepotum ac familiarium emolumenta conuertatur. De quo hæc ſatis.

Non videri graue peccatum ex nimio donationum; etiamſi immodica ſint ſed ex communi damno.

Exemplo Monopoliorum & Nouitium auocantis.

2 Reg. 13. v. 25.

Pœnas in id abſurdo conuerti.

CAPVT IV.

De nonnullis alijs circa Viſitatores.

27 CONcilium Limenſe tertium *Act.* 4. *Cap.* 3. præcipit, vt dum informationes ſecretæ fiunt, is, qui viſitatur, abeſſe cogatur, vt Indi liberè valeant de ſuis Parochis querelas proferre, & ſibi factas læſiones iniuſtas denuntiare. In quo quidem manifeſtum eſt grauiter Viſitatores delinquere, ſi ſecus fecerint; aliàs ſiquidem Viſitationis fructus vix erit vllus, & miſelli iſti ſuis ſub grauaminibus contabeſcent. Additur à Concilio ſic: *Interim dum Parochus abſens eſt, alius, ſi commodè fieri queat, Paſtoris officio fungatur.* Sic ibi. Quid ergo ſi commodè fieri nequeat? Non equidem proptereà Parochus ſuſtinendus; ſic enim, vt dixi, non valebunt Indi liberè conqueri, & fruſtranea reddetur viſitatio. Viſitator ergo ipſe munus Paſtoris obibit, vt in Diœceſanâ Synodo Limenſi *Lib.* 1. *Titulo* 7. *Cap.* 10. decernitur: quod quidem non ſine inconuenientibus fortè conſtabit. Licèt enim paternum erga Indos, quos diſcenſurus pergit, debeat affectum præferre, vnde & ipſi pro remedio animæ ad eum non verebuntur accurrere; ſtrepitus tamen ille iudicialis minùs opportunus eſt, & rerum occurrentium inſtantia, in cauſſâ erunt, vt Indi ad eos pro remedio dicto, dum occupatos vident, accedere reformident. Præterquàm quòd periculum eſt ne, vt obuentionum emolumenta reportent, viſitationis tempus

Viſitationis tempore Parochum præſentem non futurum.

Concilium Lim. 3.

Quis eius loco futurus.

pus

Digitized by Google

Obuentionis an integrè habiturus & beneficij fructus.

tempus protrahant. Vbi dubitari poteſt an omni fraude doloque ceſſante obuentiones integrè reportare poſſint, ſi præſertim Parochi fideles tandem ſuo in officio deprehenſi fuerint, neque aliquâ fuerint condemnatione mulctati. Et affirmatiuè videtur reſpondendum, quia altari ex integro deſeruiunt, vnde & integrum debent ſeruitij ſui fructum obtinere. Quod autem Parochi inculpati inueniantur, nihil obſtat, quia abſentia talis, in quâ altari non ſeruiunt, eſt quid conſequens eorum officium. Quòd ſi ratio innocentiæ valeret, fieret ex eâ neque partem emolumentorum illis eſſe detrahendam. Et id eſt Diœceſanæ Synodo Limenſi conforme *Lib. 3. Tit. 2. Cap. 1.* Vbi dicitur doctrinarium in diebus abſentiæ non lucrari ſtipendium, etiamſi abſit cum licentiâ: quod de obuentionibus ſaltem accipiendum. Et Pacenſi etiam *Lib. 3. Titul. 4. Cap. 1.* ſtatuenti ſubſtitutum omnes habiturum obuentiones, neque circa hoc conuentionem admittendam. Ex Synodo autem, ſeu annuo ſalario, nihil videtur detrahendum, quando viſitatio breui concluditur: ſi autem diu protrahatur iuſtis de cauſſis, ſecus dicendum eſt, in quo arbitrium Epiſcopi requirendum. Sicut enim vacante Parochiali Eccleſiâ ad Epiſcopum ſpectat Vicarium deſignare, congruâ eius arbitrio fructuum portione aſſignatâ, vt decernitur à Concilio Tridentino *Seſſione 24. Cap. 18. de Reformat.* Ita etiam in caſu præſenti, & ſimilibus dicendum: quia omnium eadem ratio eſt, vnde & eadem debet eſſe diſpoſitio. Neque contra hoc facit id, quod habet Dom. Solorzanus *Tomo 2. Lib. 3. Cap. 15. num. 52.* & in Politicâ *Pag. 629. §. Cerca de.* Vbi adductis Regiis ſchedulis affirmat talibus eſſe integrum ſtipendium reddendum per quatuor menſes: id enim tantùm intelligendum quando Parochus eſt ab officio ſuſpenſus; aliàs enim alimentis priuari nequit. Integrum ſtipendium intelligitur congruum, & labori reſpondens, attentâ proprietarij neceſſitate.

Synodus Limenſis.

Synodus Pacenſis.

Pœna Viſitatoris cauſas iniquè tranſigentis.

28 Sequitur poſt prædicta in Concilio conſultiſſima cautio verbis illis: *Viſitatores omnes monet hæc ſancta Synodus: quòd ſi timore Dei poſtpoſito, proceſſus aliquos occultauerint, aut iniquâ colluſione cum viſitatis, eorum vitia diſſimulauerint, ad Ordinarium prædictas cauſſas integrè non tranſmiſerint, Viſitatores ipſo facto excommunicatos eſſe decernimus.* Sic ibi. Vbi ſatis aperta deciſio eſt. Pro conuenientia autem pœnæ propoſitæ, quæ reclamante per appellationem Parte, nihilominùs à Sacrâ Congregatione Cardinalium, ex auctoritate ſummi Pontificis, rata habita & confirmata eſt, ſic in Procœmio eiuſdem Concilij dicitur. §. *In Actio. 4. Cap. 3. Fol. 8. Pag. 2.* Et ſunt verba doctiſſimi Patris Ioſephi Acoſtæ: *Sciunt ex parte illarum regionum, viſitatorum ſæpè cupiditate & fraudibus viſitationes non parum fuiſſe corruptas, vnde remedij nihil rebus Eccleſiaſticis allatum ſit; quin potius damni plurimum datum. Quam viſitationis Canonicæ perniciem amouere cupiens Synodus, ſtatuit à Viſitatoribus cauſſas criminales Parochorum cognoſci quidem, ſed definitiuam ſententiam reſeruari. Ne verò aut proceſſus occultarentur, aut corruptè tranſigerentur; excommunicationis latæ ſententiam intentandam cenſuit, idque Sacræ Congregationi etiam placuit.* Hæc ille. Vbi cùm excommunicatio ſupra iniquam colluſionem cadat, & Viſitatorum, ac eorum, qui viſitantur, commune crimen importet, ab eâ liber erit, qui ſuâ tantum peruerſitate eo in negotio vtitur, & ob fines prauos iudicium corrumpit, viſitatis nihil cooperantibus, etiamſi poſt confectos proceſſus aliquid ab illis accipiat, de quo pactio nulla præceſſit. Id quod verba ipſa Concilij ſatis inſinuant, dum dicitur: *Aut iniquâ colluſione cum viſitatis, eorum vitia diſſimulauerint.* Non ergo diſſimulatio quæuis pœnâ dictâ feritur, ſed ea, quæ ex iniqua colluſione procedit. Quod quidem iuxta communem doctrinam eſt, & vulgaria iura de reſtringendis odiis, & pœnalibus ſtatutis. Vnde multò potiùs idem aſſerendum, quando quis ex indiſcreto zelo occultari curat Parochorum vitia: aliqui enim tales ſunt, qui in eo arbitrantur obſequium ſe præſtare Deo, reipſa Iuris Canonicas diſpoſitiones, & Conciliorum Decreta damnantes, eorumque zelo ſuum præferentes, vti qui Eccleſiaſticorum honori plus ſibi conſulere videantur. Sed certè intolerabilis eſt iſta præſumptio, & quantùm oporteat vt Eccleſiaſtici pœnarum fræno in officio contineantur, res ipſa clamat. & notant Doctores in Cap. *Ad reprimendam*, de officio iudicis Ordinarij. In prædictis ergo graue peccatum eſt, ſed Excommunicationis pœna solùm iuxta propoſitam Concilij formam limitanda. Et quia reſeruata non eſt; à quolibet poterit Confeſſario legitimè expoſito, ſubmoueri.

Illius conuenientia ex P. Ioſepho Acoſta.

Si colluſio deſit, vnius malitia ad illam non ſufficiet.

Contra aliquorum indiſcretũ zelum circa honorẽ Eccleſiaſticorum.

29 Quia verò proceſſus per teſtificationes Indorum confici poteſt; immò multoties per ſolas illas: quid tunc præſtandum ſit, prouidè & ſapienter cautum ab eodem Concilio *Actio. 4. Cap. 6.* in quo ſic concluditur: *Denique vbi neceſſitas exigendi teſtimonij vrgens fuerit, & ex ſolo Indorum teſtimonio reſpondeat, perpendat quantum fidei talibus debeat adhibere, quos facilè ad peierandum induci notum eſt.* Sic illud. Quod dum facilitatem ad peierandum in his gentibus notam affirmat, ſatis declarat non eſſe eumdem numerum teſtium ſufficientem ad concludendum contra aliquem, qui iuxta receptas Iuris regulas aliàs ſufficiens haberetur. Circa quod pro Peruuianis extat Ordinatio DD. Franciſci à Toleto Peruuiani Proregis, quam & alibi obſeruari affirmat Dom. Solorzanus *Tomo 2. Lib. 1. Cap. 27. n. 57.* iuxta quam ſex Indi vnum integrum teſtem conficiunt. Vnde dubitari poteſt an Viſitatores huic ſe debeant ſtylo conformare, vel tutâ conſcientiâ poſſint aliter procedere, ac minori teſtium numero eſſe contenti. Et videtur equidem aſſerendum prius: non quidem ex eo quòd Ordinatio dicta Eccleſiaſticos iudices liget ex vi directâ, & iuriſdictionis alicuius titulo, quod meritò negabunt omnes rectè ſentientes: ſed ex illius ratione, quæ pro omnibus tribunalibus idem videtur habere momentum. Viri enim experti & docti ſic cenſent, vt non maiorem fidem ſex mereantur Indi, quàm vnus teſtis integer: in iudicio autem Eccleſiaſtico, cùm non mutentur res, & de fide adhibendâ agatur, eodem eſt modo ſentiendum. Quemadmodũ rerum pretium idem eſt reſpectu illorum & laicorum: quia attentâ rerum vendibilium conditione, viri eo in genere experti & ſani iudicij, tale pretium iuſtum arbitrantur.

Teſtificationibus Indorum qualiter deferendũ.

Concilium Limenſe 3.

Ordinatio pro Peruuianis, & an illi ſe conformare debeant Eccleſiaſtici. Vbi pro parte affirmatiua arguitur.

30 Ni-

Digitized by Google

Negatiua præfertur.

30. Nihilominùs oppoſitum magis videtur ſimilius vero: nam Concilium probè nouerat Ordinationem talem non multò antè editam; & tamen illius non meminit, vt iuxta ipſam Eccleſiaſticum iudicium formaretur. Præterquàm quòd à tempore Ordinationis dictæ anni fluxerunt iam plures, & maior in Indis capacitas deprehenditur, vt meritò plus fidei debeat eorum dictis adhiberi. Et quidem reſpectu laicalis iudicij ſemper videtur diſcrimen aliquod obſeruari debuiſſe. Sex enim Indi vnum integrum teſtem conſtituunt, attentâ eorum incapacitate & facilitate ad peierandum: ergo ſi capacitas ſupra communem ſit, aliter eſt procul dubio ſentiendum, quia diſſimilium ſimile non debet eſſe iudicium, & à diſparatis non fit eadem illatio. *L. Papinianus. D. de Minoribus.* Et Cap. *Ad audientiam, de decimis.* Sic cùm matrimonium generaliter loquendo contrahi antè pubertatem nequeat, ea regula fallit, vbi malitia ſupplet ætatem, iuxta diſpoſitionem Cap. *De illis, de diſpenſatione impuberum.* Maior ergo capacitas diuerſum ius ſtatuit. Sapienter ergo Concilium Viſitatorum arbitriorum iſtam committendam cenſuit, *vt perpendat quantùm fidei talibus debeat adhibere.* Solerti enim inueſtigatione falſitas teſtium detegi poterit, ſicut & dictorum ſinceritas coniectari. *Etenim circumſpectus iudex atque diſcretus motum animi ſui ex argumentis & teſtimonijs, quæ rei aptiora eſſe compererit, confirmabit*, vt ait Cæleſtinus Tertius in Cap. *Præterea, de teſtibus*, &c. Pro quo eſt & Cap. *Cùm autem*, eodem Titul. in quo Innocentius Tertius ſic loquitur: *Ac eos diligenter examinare procures: & de ſingulis circumſtantijs prudenter inquirens, de cauſis videlicet, perſonis, loco, tempore, viſu, auditu, ſcientiâ, credulitate, fama, & certitudine, cuncta plenè conſcribas.* Hæc ille. Quæ ſi à Viſitatoribus ſtrenuè perficiantur, teſtificantium Indorum poterit depoſitiones quoad earum qualitatem explorare.

Cap. Præterea, de teſtibus.

Cap. Cùm autem eod. tit.

Concilij diſpoſitio vt ſtare commodè queat, cùm Indorum teſtimonium non videatur admittendum.

31 Et hoc modo conuenienter ſtare poteſt Concilij diſpoſitio, dum præfatis verbis, *vt perpendat quantum fidei talibus debeat adhibere*, additur: *Quos facilè ad peierandum induci notum eſt.* Talibus namque nulla adhibenda fides, vt colligitur ex Cap. *Teſtimonium, de teſtibus*, &c. vbi periurus à teſtificando repellitur, etiamſi videatur emendatus; cùm tamen emendatis in aliorum criminum genere plus Canonicę Sanctiones indulgeant. Hi namque, quos facilè ad peierandum induci notum eſt, non plus merentur fidei quàm illi, qui aliquando peierarunt. Et videntur emendati: habitus enim, ſeu naturalis inclinatio, maius motiuum ſuſpicionis generat, quàm vnus actus eius, qui habitualiter affectus non eſt: cùm vna hirundo non faciat ver, neque vnus actus vitioſum, iuxta doctrinam Philoſophi. Si ergo fides non adhibenda talibus, vt quid ad teſtificandum admittantur? Rationem reddit Concilium ex neceſſitate deſumptam, verbis illis: *Vbi neceſſitas exigendi teſtimonij vrgens fuerit.* Ratione enim neceſſitatis admittuntur teſtes, aliàs non admittendi, vt conſtat ex pluribus Canonici iuris deciſionibus, & præſertim ex Cap. *Tam Litteris, de teſtibus*, &c. vbi ſic dicitur: *Nos, vt tantæ irregularitatis obiectio non remaneat indiſcuſſa, mandamus quatenus teſtes, ſiue laicos ſiue fœminas*, &c. Verùm ſi attendamus quod ſtatim ſequitur, ex eo videtur ratio prædicta penitus informari; ſic enim ibidem: *Dumtaxat idoneos, qui ad hoc fuerint probandum inducti, recipiatis legaliter, & examinatis prudenter.* Atqui Indi idonei non ſunt, ipſius atteſtatione Concilij, cùm aſſerat eos facilè ad peierandum induci, & eſſe id notum. Vnde Dom. Solorzanus *ſuprà, numer.* 55. & in Politicâ *Lib.* 2. *Cap.* 28. *Pag.* 233. *Col.* 1. ait quòd meliùs agi cum Indis videtur, ſi eis non credatur, quàm ſi peierandi occaſio præbeatur, propter iudicij infirmitatem, falſitatiſque ſuſpicionem, prout in ſimili diſpoſuit Concilium Matiſconenſe *Cap.* 21. Pro quo & adducit Decretum Limenſis Concilij, de quo agimus. Sed cùm Decretum dictum eos à teſtificando non repellat, id tantùm dicens, quod vidimus, immeritò ad intenti probationem adducitur. Dicendum ergo Concilium ob vrgentem neceſſitatem Indos ad teſtificandum eſſe admittendos decernere, quia ex ſolerti examinatione veroſimile Viſitator poteſt formare iudicium. Licèt autem idonei non ſint, ſi in indiuiduo ſinguli inſpiciantur, eorum tamen numerus idoneitatem ſupplere poteſt. Quòd autem eis occaſio peierandi præbeatur, malum eſt, quod propter bonum commune permittitur, ne grauiſſimæ cauſſæ maneant indiſcuſſæ, vt ſacri Canones loquuntur. Et quidem fœminas idoneos teſtes non eſſe habetur in Cap. *Forus*, de verb. Significat. Vbi ſic dicitur: *Natura ſi vir, non fœmina: nam varium & mutabile teſtimonium ſemper fœmina producit.* Sic ibi. Cùm ergo ad teſtificandum accerſuntur, occaſio illis peccandi miniſtratur: & tamen admittendas Sacri Canones determinant, eâ quam vidimus, redditâ ratione.

Ratio neceſſitatis à Concilio reddita, quæ in cauſſis alijs ſolet admitti.

Cap. Tam Litteris de teſtib. &c.

Ex deciſione illius obiectio.

D. Solorz.

Cap. Forus, de verb. Significat.

32 *Eadem Act.* 4. *Cap.* 5. agit Concilium de viſitatione fabricæ & ornamentorum. Et quod ad ibi contenta ſpectat, nullam exigit diſcuſſionem. Potuiſſet autem conuenienter addi, vt circa illa peculiaris ratio haberetur, & Parochorum mulctæ in ornatum cederent Eccleſiarum. Sunt enim plures Indorum Parœciæ ſatis pingues, vnde & earũ opulenti Paſtores, quorum menſæ, & alia ſuppellex, ſublimè redolent dignitatem. Cùm tamen Eccleſię nihil ſplendidum, nihil decens, nihil quod ſine faſtidio ſpectantium poſſit conſpici, præſeferant. Et certè vbi Eccleſiæ paupertas & indecentia talis eſt, debere Rectorem de ſuo tribuere, quando ſuperfluum habet, res ipſa videtur clariſſimè perſuadere. Si enim debet pauperibus, quomodo non Eccleſiæ quæ & pauper eſt, & in quâ præter paupertatem tot alij tituli concurrunt, ad religionem, charitatem, pietatem pertinentes? Præterea id tradunt communiter Scriptores, iuxta id, quod ſacri Canones indicant, vt videri poteſt apud P. Azor *Tomo* 2. *Lib.* 9. *Cap.* 3. 5. *Nonò quæritur.* Dom. Solorzanum *Tomo* 2. *Lib.* 3. *Cap.* 23. *num.* 10. iunctis iis, quæ ex Doctoribus aliis, quos citat, habet P. Thomas Sancius *Lib.* 4. *Conſiliorum, Cap.* 2. *Dub.* 14. quod ſcilicet nomine fabricæ veniant etiam ornamenta.

De viſitatione fabricæ & ornamentorum.

Parochos ad ornatũ Eccleſiæ teneri.

Digitized by Google

ta. Concilium etiam Tridentinum *Seſſione* 21. *Cap.*8. de Reformat. iubet vt ab Epiſcopis, ſingulis annis, quæ ad Dei cultum ſpectant, viſitentur, *curentque congruentibus remediis, etiam per ſequeſtrationem fructuum, vt quæ renouatione indigent aut reſtauratione, reficiantur.* Eſt autem ſatis opportunum iuris remedium, vt Parochi circa diuinum cultum, aut aliàs delinquentes, ſuis ſumptibus, quæ ad illum ſpectant, cogantur inſtaurare. Pro quo & extat Decretum Concilij Limenſis Tertij *Act.* 3. *Cap.* 14. vbi ſtatuitur vt defectus doctrinæ Eccleſiis Indorum debeat cedere: quando ſcilicet propter abſentiam aliqua de legitimis ſtipendiis ſubtrahuntur: quamquàm & ibidem dicatur pauperibus oppidi poſſe diſtribui. Sed certè ſi Eccleſia pauper eſt, ita vt decenter in eâ nequeant diuina peragi, omnium eſt prima inter pauperes computanda, quando neceſſitates tantùm communes ſunt. Quòd autem Eccleſiis Indorum ſua ſit aſſignata portio, nouena inquam cum dimidiâ, vt videri poteſt apud Conſilium idem *Cap.* 13. *Actionis citatæ*, ea, quæ diximus, non debet infirmare. Hic enim & nunc Eccleſia in ſtatu paupertatis eſt, qualitercumque id obtigerit & ita hic & nunc ſubueniendum eſt ipſi, quę ſibi nequit ex legitimè debitis ſubuenire. Prę-ſertim quia cùm portio dicta aſſignata ſit, incuriæ Parochi adſcribendum eſt, quòd ea non applicetur cum effectu, vnde ex hac parte non debet impunitus remanere. Et quidem cùm videamus Parochorum plures Eccleſiarum ſuarum & fabricam & ornatum promouere in eiſdem Prouinciis, in quibus Eccleſiæ aliæ ſqualidæ & indecoræ cernuntur, ſocordiæ profectò Rectorum incommodum tale venit adſcribendum, quibus viles ſponſæ ſunt, vnde ab illis deberent meritiſſimò remoueri. Nec plura de Viſitatoribus, vt ad viſitatos, Parochos inquam, tráſeamus.

Concilium Trident.

Concil. Limenſe 3.

TITVLVS XVI.

DE INDICIS PAROCHIS, AC PRÆSERTIM INDORVM.

Eorum tractationem aliis præmittimus, quia vbi res Indica præſertim agitur, quæ per illos præcipuè adminiſtratur, non debent locum poſtremum occupare. Et de Hiſpanorum Parochis non multa ſunt, quæ peculiarem poſtulent diſcuſſionem; vnde illis præmiſſis, ad alios gradum faciemus. Sit ergo

CAPVT I.

De Parochis Indicis Hiſpanorum peculiaria nonnulla proponuntur.

§. I.

Circa notitiam linguæ Indicæ, vbi notanda nonnulla de obligatione prædicationis in Parochis.

1 Dico Primò. In Parochiis Indorum, in quibus Indi etiam ſunt, Hiſpanicum idioma non benè callentes, Parochi illorum linguam ita callere debent, vt circa illos poſſint quidquid Parochi officium exigit, exercere. Pro hoc facit apertè Cap. *Quoniam*, de officio Ordinarij, de ciuitatibus loquens, in quibus ciues diuerſarum linguarum ſunt. Sic etiam eſt Regiis ſchedulis cautum. Et iure quidem optimo: quia aliàs inepti penitus erunt reſpectus illorum. Et quemadmodum ſi linguam Hiſpanicam ignorarent, neutiquam poſſent pro Hiſpanis Parochi conſtitui, ſic etiam de Indicâ linguâ dicendum. Videantur ea, quæ adducit Dom Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 3. *Cap.* 15. *num.* 76. *& ſeqq.* & in Politica *Libr.* 4. *Cap.* 15. *pag.* 632. Fr. Ioannes Baptiſta in *Animaduerſionibus pro Confeſſariis Indorum, fol.* 213. *num.* 33. Illuſtriſſ. Zapatu in *Diſceptatione de Iuſtitia diſtributiua, pag.* 125. *&* 126. & res ipſa ſine nouâ probatione indicat in hoc eſſe peccatum mortale abſolutè loquendo, vt citati cum aliis affirmant. Nec valet, ſi dicatur Parochiam præcipuè eſſe Hiſpanorum, & id, quod eſt præcipuum, attendi debere. Nam in primis negari id poteſt, quia in Indiis conuerſio Indorum præſertim agitur, & ideò Parochorum cura ad eos debet præſertim extendi. Deindę etſi portio minùs præcipua ſit, ita ad eorum curam eſt obligatus Parochus, vt illis plenè prouideat, non ſecus acſi ſoli illi in Parochia verſarentur.

Aſſertio 1. *Parochos Hiſpanorũ & Indorũ, horum linguam ſcire debere.*

2 Dices, poſſe per alios prouidere. Sed contra, quia ei, qui abſolutè non eſt idoneus in eo genere, de quo agimus, non agimus, non ſuffragatur ſimilis excuſatio, quòd ſcilicet per idoneos poteſt

Euaſio ex eo quòd per alios poſſit prouidere, præciſa.

Digitized by Google

poteſt defectus talis ſuppleri. Sic in defectu ſcientiæ præcipuè tradunt Doctores, pro quo videri poteſt Illuſtriſſ. Barboſa *de Poteſtate Epiſcopi Allegat.* 63. Et quidem quæ Concilia, & ſacri Canones determinant circa collationes Beneficiorum vt dignioribus dentur, nullius eſſent roboris, quia quod dignitatis defuerit, poterit per alios ſuppleri: ex quo fieret etiam indignos eligi poſſe, quia & illis tale ſuppeteret ſupplementum. Eſt ergo electio dicta ignorantis linguam aut irrita, vt volunt multi apud Dom. Solorzanum; aut irritanda, ſi electus non ſperetur conuenienti tempore illius notitiam & vſum adepturus, vt videri poteſt apud Fr. Ioannem Baptiſtam *num.* 34. vbi generaliter id ſtatuit de indignis, & præſertim loquitur de ignorantia linguæ; addit tamen ſic: *Nota hoc pro Parochis populorum Indorum, neſcientibus Indorum linguam: poſſunt tamen per alium prouidere, ſcientiam & peritiam linguarum Indorum habentem.* Sic ille. Cuius doctrinæ aliquis inſiſtens poterit arbitrari ſine peritiâ linguæ Indicæ poſſe Parochum quempiam conſtitui, quando defectus ille per alium ſuppleri poteſt. Sed certè Auctoris illius alia eſt mens: loquitur enim in caſu, quo idoneus non inueniatur ex ea parte; cùm tamen aliàs talis ſit. Neque obiici poteſt caſum non habere locum, quandoquidem ſunt alij, per quos ſuppleri talis defectus poteſt. Nam vel illi ſuperueniunt poſt factam Beneficij collationem: vel ſi iam aderant, fortè non apti vt illis poſſet Parochialis cura demandari, quia præter linguæ peritiam multa alia ad id muneris exiguntur.

Fr. Ioannes Baptiſta.

Quæ peritia linguæ in Parocho requiratur. Et in primis neceſſariam pro Confeſſionis Sacramento & alijs.

3 Cùm ergo habiturus Parochialem curam linguam Indorum debeat ſcire; dubitari poteſt qualis illius peritia requiratur. Circa quod in primis dicendum eam requiri, quæ ſufficiat ad Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtrandum: quæ ſi habeatur, circa adminiſtrationem aliorum nulla erit difficultas: pauciora enim ad illa neceſſaria ſunt, & breuiori poſſunt inſtructione conferri, ſtante neceſſariâ pro illis diſpoſitione. Ratio eſt clara: quia hoc eſt, quod maximè ſpectat ad officium Parochi: vnde & defectus in illis valde ſubſtantialis eſt, vt communiter dicunt Doctores, & res ipſa clamat. Addit autem Ferdinandus Zurita in Enchiridio Indico *Quæſt.* 5. *Propoſit.* 2. ad ordinarium Confeſſarij munus ſufficere mediocrem linguæ Indicæ cognitionem, licet ignoret alicuius vocis ſignificationem, dummodò omnia ferè percipiat. Quod eſt equidem notandum ad ſcrupulos remouendos, & ne Indi ſæpiùs cogantur peccata eadem confiteri. Deinde, talis peritia neceſſaria eſt, quæ ad inſtructionem generalem ſit ſufficiens in iis, quæ ad mores formandos pertinent, vnde & quæ ad prædicationem ſit neceſſaria. Sic ſtatuit Concilium Tridentinum *Seſſione* 23. *Cap.* 1. *de Reformat.* omnia prædicta amplectens his verbis: *cum præcepto diuino mandatum omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oues ſuas agnoſcere, pro his ſacrificium offerre, verbique diuini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum omnium operum exemplo paſcere &c.* Et quidem ſtante obligatione circa alia dicta, circa prædicationem non videtur locus excuſationi ſupereſſe: notitia enim linguæ Indicæ ad illa ſufficiens eſt vt è ſuperiori loco poſſit Parochus ſuos Parochianos inſtruere, ſi diligentiam aliquam præmeditationis adhibeat. Vnde experimento conſtat faciliùs prædicare eos, qui addiſcendis Indicis linguis operam nauant, quàm in audiendis Confeſſionibus expediti reperiantur. Pro qua obligatione clamat Synodus Diœceſana Limenſis *Ann.* 1614. *Libr.* 1. *Tit.* 1. *Cap.* 4. vbi ſingulare præceptum ſcribendi conciones ad reddendam rationem habetur. Et pro eadem eſt celebris Schedula Philippi Tertij Regis noſtri *die* 4. *Aprilis Ann.* 1609. formam ſtatuens in Beneficiorum prouiſione tenendam, de qua Dom. Solorzanus *ſuprà num.* 14. ibi: *Y de los aſi examinados eſcojan los Arzobiſpos y Obiſpos tres los mas dignos, teniendo conſideracion à la ſuficiencia de la lengua para dotrinar, y predicar &c.*

Ex Ferdinando Zurita notanda doctrina.

Neceſſaria quæ ad prædicationem ſufficiat.

Concilium Trid.

Per alios id fieri aliquando poſſe, non ſemper. Nicolaus I. Pont.

4 Poſſunt autem quandoque id per alios idoneos præſtare: quod iam olim Nicolaus Primus reſpondit ad Conſulta Bulgarorum *Cap.* 106. ſic dicens: *nec enim curamus, quantùm ad fidem noſtram pertinet, qui prædicent, ſed quem prædicent.* Sic ille. Quod quidem ita intelligendum eſt, vt quandoque id fieri poſſit, non ſemper: ſic enim Concilium Tridentinum intellexit *Seſſione* 5. *Cap.* 2. de Reformat. ita loquens: *Archipresbyteri quoque, Plebani, & quicumque Parochiales, vel aliàs curam animarum habentes Eccleſias quocumque modo obtinent, per ſe, vel alios idoneos, ſi legitimè impediti fuerint, diebus ſaltem Dominicis & Feſtis ſolemnibus, plebes ſibi commiſſas pro ſuâ & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis, docendo quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem: annuntiandoque eis cum breuitate & facilitate ſermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat, vt pœnam æternam euadere, & cæleſtem gloriam conſequi valeant.* Hæc Concilium, ſolùm excuſationem eorum admittens, qui legitimè fuerint impediti, vnde conſtat alios generaliter teneri. Videndi Bonacina *Tomo* 2. *Diſput.* 5. *Quæſt. vnica. Puncto* 2. *num.* 19. *& Diſput.* 6. *Quæſt. vnica. Puncto* 8. & Diana *Parte* 6. *Tract.* 7. *Reſolut.* 13. & quidem cùm Concilium dicat id faciendum pro ſuo, & audientium capacitate, omnis videtur excuſationi locus interclusus, nihil enim ſupra vires petitur, niſi velint officij obligationes ſupra vires eſſe, vnde illas, admittendo ipſum, ſubire minimè debuiſſent. Probat autem Ferdinandus Zurita *ſuprà Quæſt.* 26. prædicari poſſe etiam cum periculo falſum aliquid proferendi, per quod Indi in errorem aliquem inducantur. Quod quidem ad capacitatem referri poteſt, de quâ Concilium loquitur. Nihilominùs cautè accipiendum eſt, ſcribi enim concio poteſt, iuxta citatam Synodum, & Indi conſuli circa id, in quo dubium erga ſignificationem vocabulorum occurrit. Neque ex Epiſcopis argui poteſt, quorum plures numquàm ſuggeſta conſcendunt; cùm tamen docti ſint, & timoratæ conſcientiæ, quique omnes officij ſui partes ſtudeant adimplere: cùm nihilominùs iure diuino teneantur ad paſcendas oues, etiam prædicatione, vt ex Concilio Tridentino vidimus *num. præced.* Ad hoc enim dicendum in Epiſcopis ita vſu receptum, quamuis non deſint, qui rem hanc minimè ſcrupulo vacuam arbitrentur. Habent prætereà graues occupationes, propter quas illis conceditur, vt per alios id facere poſſint, vt conſtat ex Cap. *Inter cætera,*

Concilium Trid. ſolos eximit impeditos.

Pro mediocritate linguæ Indicæ animaduerſio.

Ex Epiſcopis non prædicantibus argui nequit.

cetera, de officio Ordinarij. Quod tamen in Parochis ſecus habet, vt eſt manifeſtum, & præſertim Indorum.

Qui eos excuſent.

5 Ex doctrina tamen quorumdam videtur ea obligatio ceſſare, ſi in Parochia ſint Concionatores. Sic Diana *ſuprà* ſibi contrarius, cum Trullench, quem allegat. Alij, quia in oppidis, in quibus Parochi ſunt, adſunt Concionatores, qui frequenter ad populum verba faciunt dignè, & vtiliter, ac multò melius quam Parochi ipſi: tunc enim, cùm facile ſit Parochianis ad Conciones ire, ſi quæ ſunt neceſſaria ignorent, illis eſt & non Parochis adſcribendum. Sic Poſſeuinus *de Officio Curati Quæſt.* 3. *Cap.* 3. cuius doctrinam proponit, & videtur amplecti P. Bauny *Tomo* 1. *Lib.* 10. *Quæſt.* 32. § 5. *penult. & vlt.* licet ex ipſius doctrina contrarium ſequi videatur, cùm ait Concionatores dictos ab Epiſcopis Subſtitutos, vt quod Parochi per ſe nequeunt, per ipſos faciant. Iuxta quæ Parochi, qui per ſe poſſunt, non videntur excuſandi. Excuſat autem à mortali idem Pater eos, qui inopiâ doctrinæ laborant; aut commeatum non habent ad alendum Concionatorem. Sic §. *Primò, inopia.* Sed certè non video quomodo id ſtare poſſit, cùm Parochus ſufficienti debeat inſtructus doctrinâ conſtitui: & *vt num. præced.* ex Concilio Tridentino diximus, non ad elegantem & politum dicendi modum, aut eruditione conſpicuum, teneatur; ſed pro ſua & audientium capacitate. Audient autem oues Paſtoris ſui *verbum ſanum, & irreprehenſibile*, iuxta Apoſtoli monitum proponentis, ſi illi grauitas morum, & vitæ exemplum auctoritatem præterea concilient. Et humano timore depulſo vſus facilitatem conferet; vt multiplici experientiâ paſſim comprobatur.

Diana. Poſſeuinus. P. Bauny. Sibi non conſonus. Qui & refelluntur circa alia.

§. II.

Obligationes aliæ eorumdem Parochorum.

Aſſertio 2. Hiſpanorū Parochos in Indijs ad omnia teneri, quæ generaliter Parochis incumbit.

6 Dico Secundò. Hiſpanorum Parochi in Indijs ſub graui reatu conſcientiæ tenentur ad omnia illa, quæ de Parochis generaliter tradunt Doctores, pro quibus videri poſſunt Poſſeuinus, Piaſecius, Zerola Summiſtæ verb. *Parochus* P. Bauny *Tomo* 1. *Tract.* 10. P. Fragoſus *Tomo* 2. *Libr.* 10. *Diſput.* 21. P. Creſſolius in *Myſtagogo Libr.* 3. *Cap.* 44. *& ſeqq.* P. Reginaldus, P. Filliucius, Lelius Zechius, Diana, Barbola de Poteſtate Epiſcopi, locis, quos dabunt Indices, Hieronymus Garcia integro opere de Sacerdotio, Bonacina diuerſis in locis, ſed præſertim *Tomo* 2. *Diſputat.* 6. *Quæſt. Vnica, Puncto* 8. *num.* 4. & alij paſſim. Quod quidem expreſſiſſe oportuit, quia ſunt aliqui res Indicas alijs oculis adſpicientes, vt ſcilicet ea, quæ alibi obſeruantur, in illis debeant pariter obſeruari. Cùm ſit profectò certiſſimum Indicos Parochos maiori debere virtutum exemplo fulgere, ob rationem *ſuperius* inculcatam: quòd ſcilicet in teris ſint, in quibus de conuerſione infideliū agitur, & de promouendâ Chriſtianâ religione, vnde ipſi prælucere eiſdem debent vitæ probitate, & obligationum ſuarum obſeruatione conſtanti, atque Hiſpanis inſuper, vt & illi puſillos non ſcandalizent: quod quidem ægrè obtinebitur, ſi Parochos non habeant, quorum monitis & exemplis ad moderationem vitæ formentur. Debent ergo, vt aliquid in ſpeciali dicamus,

Et ſpeciali quodam titulo. Et ita debent.

Primò, Reſidere in Parochia, aut valde prope. Ex Declaratione ſacræ Cardinalium Congregationis. Pro quo Riccius *Parte* 4. *Deciſione* 41. & Diana *Parte* 3. *Tract.* 4. *Reſolut.* 156. *1. Reſidere in Parochia.*

Secundò. Non abeſſe præter ſpatio temporis iure, aut ſpeciali licentiâ, iuri eidem conformi, permiſſa. De quo *Tit.* 14. *num.* 4. *2. Non abeſſe niſi &c.*

Tertiò, Prædicare, iuxta dicta §. *præced.* Pro quo & Limenſis Synodus *Cap* 4. *citato.* *3. Prædicare.*

Quartò, Per ſeipſos Sacramenta adminiſtrare: licet quandoque per alios poſſint. Videndus Diana *Reſolut. citatâ*, apud quem alij, & dicta *Tit.* 14. *num.* 6. *&* 7. *4. Per ſe ipſos miniſtrare.*

Quintò, Infirmis præſertim ſuccurrere, neque poſt adminiſtrata Sacramenta eos penitus deſerere. Pro quo Paulus V. in ſuo Rituali, & Concilium Limenſe Tertium *Act.* 2. *Cap.* 29. vbi de extremè laborantibus, & Dom. Machadus *Tomo* 2. *pag.* 129. *Docum.* 23. *5. Infirmis adeſſe.*

Sextò, Ad dicendas Miſſas, Confeſſiones audiendas, & concionandum, eos non admittere, de quibus ſufficienter non conſtat idoneos eſſe & approbatos. *6. Non admittere incognitos. Concilium Trid. Seſ. 23. c. 16.*

Septimò, Eos, qui pagos incolunt, & tamen Paræciani eorum ſunt, ſuæ curæ commendatos habere, vt & illi, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem ſciant, & quæ ad Chriſtianam agendi rationem ſpectant, inſtruantur, atque ad eorum obſeruantiam excitentur. Et hoc ſupponit generalem obligationem docendi omnes rudimenta fidei, de quâ P. Fragoſus *ſuprà* §. 1. *num.* 2. vbi circa modum docendi puellas ſpecialis inſtituenda ratio; in illis enim defectus iſte magis ſolet errorum germina pullulare, cùm factæ fuerint grandiores. *7. Doctrere rudimenta fidei etiam ruſticanos.*

Octauò. Non exigere quidquam pro officij ſui functionibus, præter id, quod lege aut conſuetudine legitimè præſcriptâ eſt conſtitutum. Vbi horum nihil licebit paciſci: ſed cum paterna moderatione, vt rigidi non videantur exactores. *8. Gratis officium exercere, exceptis &c. Declaratio Card. 1. Feb. 1593.*

Nonò, Pauperum Paræcialium ſpecialem ſollicitudinem gerere, quod ſpecialiter in Concilio Tridentino iniungitur, cùm de obligatione reſidendi agitur: *Seſſione* 23. *Cap.* 1. *9. Pauperum cura.*

Decimò, Libros Baptiſmi, Matrimoniorum, & alios habere, ex quibus id omne conſtet, quod ad commune bonum conducere poteſt. Idem Concilium *Seſſione* 24. *Cap.* 1. *&* 2. *de Reformat. Matrimonij.* P. Thomas Sancius *Lib.* 7. *de Matrim. Diſput.* 10. *num.* 13. *10 Libros habere Baptiſmi &c.*

Vndecimò. Celebrare Miſſam, quoties id ad officij rectam adminiſtrationem ita ſpectat, vt defectus in eo non leuis populo videatur. Varietatem opinionum videre licet apud P. Bauny *ſuprà Quæſt.* 12. Ad ſolos dies feſtos obligationem redigere eſt plurimos ex Paræcianis conſolatione maximâ & fructu ingenti priuare, præſertim in ſacratioribus temporibus, vt Aduentus, Quadrageſimæ, Octauæ Corporis Chriſti, & ſi qua alia occurrant. *11. Miſſam celebrare.*

7 Duodecimò, Non recipere ſtipendium pro Miſſis, quas celebrare tenentur, vt declarauit ſacra Cardinalium Congregatio, & ita Diana *Parte* 4. *12. Nec ſtipendium pro ea accipere, quando eſt obligatoria.*

Parte 4. *Tract.* 4. *Reſolut.* 232. mutauit ſententiam, quam tradiderat *Parte* 2. *Tractat.* 14. *Reſolut.* 26. Videndus etiam *Parte* 11. *Tract.* 8. *Reſolut.* 67. Vbi etiam contra nonnullos nouitatum architectos, qui pro applicatione fructûs Sacerdoti correſpondentis duplicari poſſe ſtipendium aſſeruut, de quo & *Tract.* 7. *Reſolut.* 27. Digna ſanè ſententia, quam Eccleſia inter abſurdas alias, reprobatas iam ab ipsâ, aut reprobationi proximas, comprehendat; quantumuis pro ea militet Thomas Hurtadus *Tractatu* 2. *Reſolut.* 17. nonnullos adducens: qui & *num.* 187. & 188. doctrinam aliam minimè admittendam proponit, iuxta quam duplicatum ſtipendium poteſt recipi à diuerſis. Sed Decreto ſtandum, iuxta quod eſt optima pro Aſſertione ratio, quia pro applicatione Sacrificij nihil accipi poteſt, eſſet enim ſimonia: ſi ergo ſtipendium licet, id tantùm eſt ob laborem in ſacrificando: atqui labor eſt debitus: ergo ex tali titulo nihil accipi poteſt. In quo ſunt qui cenſeant, etiam cùm labor eſt indebitus, non poſſe accipi ſtipendium, ſi Parochia ſuppeditet tantos redditus, quantis Parocho opus eſt ad vitæ onera. Sic P. Bauny *ſuprà Quæſt.* 14. & ante eum Vega verb. *Miſſas, Caſu* 33. & 34. Quod fundari poteſt ex eo quòd Parochi tunc accipiunt ſtipendium in ſuſtentationem: atqui illam iam à Paræcianis habent: ergo accipere vlteriorem nequeunt. Si dicatur argumentum multùm probare, quia ex eo ſequeretur generaliter eum, qui ſufficientem ſuſtentationem habet, non poſſe ſtipendium accipere; cùm tamen contrarium ſit communi doctrinâ receptum. Pro quo videri poteſt P. Oñate *Diſput.* 84. *num.* 149. & *ſeqq.* Occurri poteſt, quia in caſu, de quo loquimur, Parochus ſuſtentationem habet à Parochianis tribuentibus temporalia, quia accipiunt ſpiritualia: ergo ſpiritualia huius diei nequeunt aliis conferri. Et licet poſſint Parochiani obligationem dicendi Miſſam remittere, non tamẽ cenſendi ſunt ſic remiſſionem facere, vt bonum, quod ex Miſſa illis prouenire poteſt, aliis tribuatur. Qui diſcurſus, licet à præfato non proponatur Auctore, eſt tamen conſideratione dignus, vt Parochi in hoc non ſint ex pecuniarum cupiditate præcipites, vbi docti, neque ſcrupuloſi aliàs Scriptores periculum deprehendunt. Iuxta quæ non videtur admittendum, quod habetur in Synodo Diæceſana Pacenſi *Lib.* 1. *Tit.* 5. *Cap.* 19. ſcilicet pro Miſſa benedictionum nuptialium poſſe accipi ſtipendium, quia non eſt obligatio illam pro ſponſis dicendi. Quidquid de improbabilitate & ignorantia indignè dicat P. Turrianus *in Selectis Parte* 2. *Diſputat.* 31. *Dub.* 16. Iubet etiam Concilium ſecundum Limenſe *pag.* 19. *Summarij, num.* 67. Miſſas Cathedralium, & Parochialium Conuentuales, etiam Indorum, dici pro populo in Dominicis & Feſtis, quas ex tunc applicauit. Cenſet autem Dom. Villaroël non eſſe pro eo obligationem, quia Concilium non eſt vſum verbis præceptiuis. Sic *Quæſt.* 9. *Art.* 5. parùm conſentaneè ad ea, quæ dixerat *Quæſt.* 2. *Art.* 1. *num.* 12. quòd ſcilicet ex grauitate materiæ colligitur obligatio, etiamſi verba præcepti non ſint. Deinde, Si applicatio Concilij valuit, non poteſt alia non eſſe culpabilis. Debuit ergo probare Concilium non potuiſſe applicare, licet præcipere potuerit. Sed certè Concilium opinione eſt vſum probabili; & cùm res dubia remaneat, non poterit Parochus alteri applicare, cui ſe quomodolibet obligarit. Quod autem ad obligationem applicationis attinet, iuxta citatum Concilij Decretum, ſtatuunt etiam Synodus Diœceſana Limenſis *Lib.* 1. *Tit.* 5. *Cap.* 15. & Pacenſis *Lib.* 1. *Tit.* 5. *Cap.* 11. addens, quod ſi non poſſit dici in die feſto, dicatur ſequenti.

Efficax procuratio.

Etiam cũ obligatoria non eſt, iuxta aliquos, pro qua arguitur.

Synodales Pacenſes circa Miſſam pro Sponſis, non admittuntur.

Quidquid circa Miſſas in Feſtis à Concilio Limenſi ſtatutum.

Dom. Villaroël minùs conſequenter locutus.

Vbi notanda alia.

8 Decimotertiò, Audire Parochianorum Confeſſiones, quoties illi conuenienti ex cauſſa petierint. Video circa hoc extare opiniones, de quibus Diana *Parte* 2. *Tract.* 16. *Reſolut.* 2. & *Parte* 11. *Tract.* 8. *Reſolut.* 29. vbi ſemel aut bis audire detrectantem non peccare mortaliter, ex P. Dicaſtillo ſtatuit contra Bonacinam. Pro quo & videndus P. Eſcobar de Mendoza *Tomo* 2. *Theologiæ moralis Lib.* 16. *à num.* 607. *vſque ad* 615. Et quidem Auctores aliqui, dum fauere conantur Parochis, & eorum reipſa, licet alia ſit ipſorum mens, fouere ſocordiam, fidelibus incommodare grauiter comperiuntur. Quis ferat diem eſſe ſolemnem, ac Iubilæum in Parochia, & confiteri volentes Parochianos à Paſtore repelli, eſſeque coràm Deo illum à reatu immunem, qui ſic coràm hominibus damnabilis inuenitur? Certè ſi Euchariſtiam peterent, & negaret, nullo pacto excuſabilis haberetur: ergo & negans Pœnitentiæ Sacramentum. Illatio eſt vrgens: quia reſpectu vtriuſque eadem ratio eſt in officio fundata Paſtoris. Video Patrem Bauny. *Quæſt.* 20. de Euchariſtia idem quod de Cõfeſſione ſentire, & veniale in eo tantùm peccatum agnoſcere; magnum tamen: quod quidem tale exiſtimat ob auctoritatem P. Suarij, P. Vazquez, P. Valentiæ, Cardinalis Toleti, Victoriæ & Viualdi, quibus addere & alios poſſet. Atqui illi mortale eſſe affirmant: ergo parum eorum auctoritati defert, dum tantùm veniale eſſe contendit. Meliùs P. Leſſius circa *Additiones S. Thomæ quæſt.* 8. *num.* 29. noſtram vt omnino tenendam ſtatuens Poſitionem: ſicut & Pharaonius *Tract.* 1. *Seſſione* 20. *Caſu* 1.

13. Parochianorum Confeſſiones audire. Pro quo vrgetur.

Ex obligatione circa Euchariſtiam robur additur.

P. Bauny.

9 Decimoquartò, Turpes cantilenas, ſonos, ſalutationes, repræſentationes, & comeſſationes, arcere ab Eccleſia. Pro quo videri poteſt P. Fragoſus *ſuprà num.* 23. & 24. & circa cantilenas & ſonos, quæ à me dicta in Epithalamio *Tit.* *num.* 954. & *ſeqq.* & circa conuiuia, admittit ille cum Raphaele de la Torre vt in angulo Eccleſiæ aliquid ſine tumultu ſumatur: non equidem probamus, quod videtur in Indijs, vt non longè ab altari maiore, in quo ſanctiſſimum eſt Euchariſtiæ Sacramentum ſolemni pompâ propoſitum, lautiores epulæ pariter proponantur. Abuſus eſt penitus extirpandus: ſi tamen ſit qui fœminas nobiles audeat contriſtare.

14 Turpia in ſonis, & aſſonibus ab Eccleſia propulſare.

Quid circa conuiuia.

Tandem, Lectioni vacare, vt ea quæ ad ſui officij adminiſtrationem ſpectant, dignè exequi poſſint. Neque enim ſatisfaciunt, dum dicunt, ſi quid difficultatis oriatur, poſſe tunc aut libros, aut doctos conſulere. Multa ſiquidem occurrunt in ipſa adminiſtratione, in quibus conſultationi non eſt locus, & vel committendus error, vel erroris periculum incurrendum. Videatur Concilium Limenſe Tertium *Act.* 3. *Cap.* 22. Et P. Creſſolius *Lib.* 3. *Cap.* 49.

15. Lectioni & ſtudiis inſiſtere.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Difficultates nonnullæ circa eoſdem expeditæ.

An plures Parochi eſſe einſdẽ Parochia poſſint. Vbi pro parte negatiua arguitur.

10 P*Rima ſit, an eiuſdem Parochiæ plures eſſe Parochi poſſint.*

Id quidem in Indiis vſu receptum videmus, ſed ſunt qui id minimè probent, ex quibus Oldradus Staphylæus, & Lælius Zecchius, quos adducit, & ſequitur P. Bauny *Quæſt.* 3. alijque adducti à Trullench *Tractatu de Iure Parochi*, *Tomo* 3. *Dub. vltimo*, *num.* 1. quibuſcum & ſentit: qui id probant *Primò*, ex Cap. *Dilecto*. de Præbendis, vbi ſic habetur: *Ad vnicum ius ſpirituale, quod vacabat ibidem, in ſimul duos Canonicos inſtituere prædicto Legato non licuit: nam ſi duo vnicam Præbendam haberent, id eſſet contra Turonenſe Concilium, quod Præbendarum ſectionem inhibet: ſi verò duobus receptis, vni tantùm Præbenda daretur ſub expectatione, alius contra Lateranenſe Concilium remaneret.* Hæc Innocentius III. ex quibus ad Parochiale beneficium ſit efficax argumentum. *Secundò*, quia inter Beneficiarium & Eccleſiam, cui præeſt, matrimonium quoddam ſpirituale contrahitur, ex Doctoribus apud P. Comitolum *Lib.* 1. *Quæſt.* 72. *num.* 8. Atqui maritalis coniunctio vnius cum pluribus turpis, & omni iure nulla eſt atque inanis. Ridiculè ergo vni eidemque Parochiæ vt mulieri viros plures tribuunt aduerſarij. *Tertiò*, vnius eiuſdemque corporis non eſt niſi vnum caput: & Parochia corpus eſt, cùm inſtar membrorum habeat differentiam, in quæ à Parocho vita ſpiritualis vt à capite per gratiam manat: ergo eam regere non eſt plurium, ſed vnius tantùm, & iuxta hæc ita ſtatuitur *L.* 2. *Titul.* 16. *Part.* 1. Quibus non obſtantibus.

Cap. Dilecto, de Præbendis.

Aſſertio 3. *affirmans.*

11 Dico tertiò, vnius & eiuſdem Parochiæ plures poſſunt eſſe Rectores. Sic Bellamera, & Cardinalis Tuſchus apud citatum Auctorem, qui pro eodem adducit Galliæ vſum, quamuis in fine conetur reſpondere ad illum, dicens illos non eſſe Parochos, ſed viros induſtrios, qui nomine Epiſcoporum, non quidem curam animarum exerceant, ſed curæ tantùm exercitium. Quod eſt creditu profectò difficile, Eccleſiis ſcilicet illis non eſſe de Parochis prouiſum, qui vt veri Paſtores fidelium curam peculiarem gerant, & per ſolos mercenarios negotium tantum tranſigatur. Curam quidem animarum non habent. Quis ergo illam habebit? Epiſcopi? Atqui illos non poſſe commodè Eccleſiis particularibus curâ immediata prouidere, generalis Eccleſiæ vſus iam olim ab ipſis Eccleſiæ exordiis demonſtrauit. Aliàs cur Parochi in Eccleſiis creantur, cùm ſufficiant Epiſcopi, curâ apud ipſos reſidente? Et quidem viri illi induſtrij, qui nomine Epiſcoporum curæ exercitium habent, Eccleſiis numeroſis adhibentur. Tales autem Eccleſias Parochorum curâ deſtitui, quæ minoribus impeditur, non videtur iuxta æquitatis regulas admittendum. Et ita in Indiis ſic eſt diuerſis in locis conſtitutum. Vbi diſtinctio illa nequit admitti: dantur enim adminiſtrationes iſtæ vt vera Beneficia per oppoſitionem, & Canonicam inſtitutionem. Id quod eſt iuxta communem Doctorum ſenſum, iuxta quem, ſi plures ſint eiuſdem Parochiæ Parochi, cuiuſlibet ex illis licentia ſufficit, vt alius poſſit Matrimonio aſſiſtere. Pro quo P. Buſenbaum *Lib.* 6. *Tractat.* 6. *Cap.* 3. *Dub.* 2. §. 3. *duo ſint* & Pharaonius *in Appendice*, *Tractat.* 1. *Seſſione* 13. *Caſu* 2. Quòd autem nihil obſtat, conſtabit vlteriùs obiectorum ſolutione.

Vſus Galliæ defenditur.

Solutio obiectionis 1. *de Præbendarum indiſtinctione.*

12 Ad primum dico ex Capite illo conſtare Præbendam diuidi non poſſe regulariter loquendo, quia duobus commodè ſeruire nequit. Quòd autem ſi pinguis ſit, & pro duobus ſufficiens, diuidi poſſit, manifeſtè habetur in Cap. *Vacante*, eodem Titulo. Vbi ſic dicitur poſt prohibitam diuiſionem: *Niſi rationabili cauſâ de vacante Præbendâ ſupra dicta duæ fuerint conſtitutæ, ac tot ſint vtriuſque prouentus, quòd per vtramque ſit vtrique prouiſum in Beneficio competenti.* Sic ibi Pontifex idem. In citato etiam Cap. *Dilecto*, ſic habetur: *Quamquam interdum hi, ad quos ſpectat electio, de communi aſſenſu augmentare valeant numerum Præbendarum, quoddam ius ſpirituale de nouo creando, &c.* Idem ergo dici de Beneficio Parochiali poteſt, iuxta plenam facultatem pro Indiis conceſſam Regibus noſtris à Sede Apoſtolicâ, interueniente iudicio Epiſcoporum, vt omnis circa hoc dubitatio debeat conſopiri.

Cap. Vacante, de Præbendis.

Cap. Dilecto cit.

Solutio 2. *de vnico ſponſo.*

13 Ad ſecundum, ſi ita eſt, quod Parochi ſponſi ſunt, communis omnibus remanet difficultas, quomodo ſcilicet, cùm Epiſcopus ſponſus ſit, duo eſſe Eccleſiæ ſponſi queant: immò & tres videntur concedendi: nam Chriſtus etiã ſponſus eſt: vnde in officio Conſecrationis & dedicationis Eccleſiæ dicitur: *Sponſum eius Chriſtum adoremus in eâ.* Dici ergo poteſt quod in his metaphoricis & myſticis locutionibus non ſunt omnia, quæ in iis, ex quibus ſimilitudo trahitur, requirenda. Sic ſapiens de ſapientiâ loquens, hæc habet: *& quæſiui ſponſam mihi eam aſſumere. Sapient.* 8. *v.* 2. Quomodò ergo ſapientia tot habet ſponſos, quot ſapientes ſunt? Et certum eſt ſapientem de illâ vt de vnâ loqui, ſicut conſtat ex *Cap.* 10. *&* 11. vbi magnalia Patrum veteris Teſtamenti eidem adſcribit. Deinde dici poteſt Parochos non eſſe ſponſos, ſed Rectores, vt eos Sacri Canones vocant. Neque P. Comitolus Doctorem aliquem in ſpeciali allegat aliter ſentientem: quòd ſi aliqui ſint, minùs propriè locuti, & per quamdam ſimilitudinem Epiſcoporum, in quo non eſt multùm inſiſtendum.

Solutio 3. *de vno capite.*

14 Ad tertium facilis eſt reſponſio iuxta nuper dicta de myſticâ locutione, addendo quòd ſicut Paræciani vniuntur nexu aliquo vt efficiant vnum corpus, ita dici poteſt quòd Parochi vniantur & vnum caput efficiant, ſicut Capitulum Sede vacante vnum caput eſt: quo pacto dici etiam poſſet eſſe vnum ſponſum, qui ex multis conflari poteſt: ſic enim Alexander III. Reipublicæ Venetæ conceſſit vt Adriatico mari in ſignum pleni dominij deſponſaretur: cuius deſponſationis ceræmonia celebris annuatim repetitur die Aſcenſionis Domini, de quo multi agunt Auctores. Neque lex adducta vrget, quando praxis, de quâ loquimur, Regiâ auctoritate fulcitur, quæ ſuis poteſt in legibus diſpenſare. De Epiſcopis alia ratio eſt, quia ſunt præcipua Capita, & ita ex eo benè arguit Innocentius III. in

Digitized by Google

in Cap. *Quoniam*, de Officio Ordinarij. Illud præfatis addendum: quòd cùm ratio multiplicandi Parochos numeroſitas Paræcianorum ſit, non debent per hebdomadas alternatim ſeruire: & ita decernitur in Synodo Diœceſanâ Limenſi. *Libr.* 1. *Titul.* 5. *Cap.* 14. Quod vtinam obſeruetur.

An teneantur ad reſtitutionem Horas non recitantes Parochi.

15 Secunda difficultas, *An tales Parochi, ſi Horas Canonicas non recitent, teneantur ad aliquam reſtitutionem.*

Ratio dubitandi, quia obligatio reſtitutionis oritur ex eo quòd Beneficiati recipiant redditus Eccleſiaſticos cum eo onere, ſcilicet propter officium, vt conſtat ex Cap. *Cùm ſecundum Apoſtolum, de Præbendis.* Cap. *Finali, de Reſcriptis in Sexto.* Et ex Concilio Lateranenſi ſub Leone X. *Seſſ.* 9. §. *Statuimus.* Et aliàs debent eſſe ſufficientes ad congruam ſuſtentationem ex citat. Cap. *Cùm ſecundùm*, vbi ſic dicitur: *Dignum eſt vt Eccleſiæ ſtipendijs ſuſtententur, in quâ, & per quam diuinis obſequijs adſcribuntur.* Sic ibi. Vnde graues ſcriptores tenent, Beneficium tenue, quòd ſcilicet tenues redditus Eccleſiaſticos habet, non inducere obligationem reſtitutionis, vt videri poteſt apud P. Thomam Sancium *Lib.* 2. *Conſiliorum, Cap.* 2. *Dub.* 66. qui hanc ſententiam ait eſſe probabiliorem in praxi: pro quâ & Diana multis adductis *Parte* 2. *Tractat.* 12. *Reſol.* 9. & P. Eſcobar de Mendoza *Tom.* 1. *Lib.* 3. *n.* 160. In Indijs autem Parochi Hiſpanorum tenues redditus Eccleſiaſticos, ex decimis inquam, recipiunt, & quod ad congruam ſuſtentationem neceſſarium eſt, ex ſtipendiis peculiaribus habetur, quæ pro ſingulis miniſteriis aſſignata ſunt, in quibus id fieri ſine indecentia, & ſimoniæ apparentiâ poteſt. Quod tamen neſcio an plenè ſic agentes conſequantur. Ea autem quæ miniſteriis reſpondent, non eſſe cum aliis computanda, ſed attendendum tantùm id, quod ex decimis Beneficiarij obtinent, ex multorum ſententiâ deducitur, quos P. Sancius adducit *ſuprà, Dub.* 68. & Diana *Reſolut.* 8. eoſdem ſecuti: dicentes in Capellaniâ tenuitatem attendendam reſpectu fructuum, qui ſuperſunt, dempto ſtipendio, quod Miſſis debetur, & *Dub.* 83. tamquam probabiliorem idem Pater amplectitur, ſententiam quamplurium, quos ibidem profert, tenentes in ordine ad reſtitutionem attendendos fructus, qui reſpondent miniſteriis, vbi in ſpeciali de Curatis id aſſeritur, & de illis nihil reſtituendum. Pro eodem videndus P. Bauny *in Praxi Beneficiorum, Diſputat.* 13. *Quæſt.* 36. *Aſſertione* 3. vbi pro eadem alios adducit. Et *Tomo* 1. *Tractat.* 10. *Quæſt.* 36. qui *Aſſertione* 4. cum aliis ibidem citatis concludit Parochum, ſicut & Epiſcopum quintâ receptorum fructuum parte reſtitutâ ſatiſfacere, quod & tradit Trullench *Tomo* 1. *in Decalogum, Lib.* 1. *Cap.* 7. *Dub.* 16. *num.* 3. addens Canonicum quartâ, & alios tertiâ. Vbi ergo illi perpauci, nihil videtur obligatio reſtitutionis vrgere.

Pro negatiua fundamentum.

Cap. Cùm ſecũdum, de Præbendis.

Ex Beneficio tenui arguitur, ex quo non oritur obligatio.

Attendenda miniſteria alia præter recitationem.

Aſſertio 4. negãs obligationem, quando ex decimis bona pars ſuſtentationis non habetur.

16 Dico quartò. Si id quod Parochis Hiſpanorum in Indiis decimalium fructuum tribuitur, adeò tenue ſit, vt non præſtet bonam partem ſuſtentationis, non tenentur quidquam ex eiſdem reſtituere. Sic Auctores, quos adducit P. Sancius *ſuprà, Dub.* 67. vbi propoſitis variis dicendi modis circa deſignationem bonæ huius partis ſuſtentationis, benè concludit relinquendum id eſſe prudentis arbitrio, quia pro diuerſitate prouinciarum, locorum, & temporum, diuerſimodè poſſunt alimenta conſtare. Quod quidem in Indiis maximè verum habet, & paſſim experimur: turbatio enim Europæ in multa Indiarum detrimenta protrahitur, in quibus aliàs magna eſſe circa prædicta diuerſitas conſueuit, vt non debeant Eccleſiaſtici nimium circa id, de quo agimus, degrauari. Faciunt pro eodem Auctores, quos adducit Diana *Parte* 1. *Tractat.* 12. *Reſolut.* 8. eorum ſententiam vt probabilem proponens, quatenus dicunt eum, qui habet Beneficium Curatum, non teneri reſtituere, niſi partem reſpondentem obligationi recitandi Horas. In noſtro ergo caſu id, quod Horis reſpondet, tenue eſt, vt ſupponimus, & ita reſtituendi obligatio nulla.

17 Dico quintò. Etiamſi id, quod ex decimis aut primitiis accipitur, ad bonam partem ſuſtentationis ſufficiat, non eſt integrè reſtituendum iuxta defectum recitationis Horarum, vt per dies, quibus omiſſa eſt recitatio, nullum lucrum habeatur. Id probo. Quia licet ſpecialibus miniſteriis ſua ſpecialia iura reſpondeant, ex quibus ſuſtentatio poteſt integrari; non adeò exiſtimandum eſt decimalem portionem pro ſolâ Horarum recitatione concedi; id enim fundamento caret: datur ergo vt ſtipendium Paſtori, qui diuerſimodè paſcere poteſt, licèt eorum labori non ſit adæquata, vnde pro defectu recitationis non eſt integrè redhibenda.

Aſſertio 5. non eſſe integrè reſtituendum, etiamſi ad ſuſtentationem ſufficiant.

18 Dico ſextò. Id quod iuxta computationem dictam poteſt recitationi Horarum reſpondere, non eſt ex obligatione iuſtitiæ reſtituendum, aut ex aliâ, quæ ſub peccato ſit. Probabilitatem huius Aſſertionis oſtendunt dicta *n.* 15. & 16. quia id, quod reſpondere poteſt, eſt adeò tenue, vt non inducat ex ſe obligationem recitationis; licèt aliàs ratione Ordinis ſacri illa vrgeat. Contrarium tamen ſatis probabile eſt, & cui meliùs faciant, ſi ſe Parochi conformarint. Et oportebit aliquando vt Confeſſarij pro ſatisfactione talem reſtitutionem iniungant, & vt Pœnitentes circa hoc minimè ſe opinione probabili tueantur. Quia verò circa Pœnitentiam à Confeſſario impoſitam fauorabiles ſunt opiniones, iuxta quas illa mutari ab aliis Confeſſariis poteſt, non erit erga caſum præſentem maior quàm circa alios difficultas, vnde & mutari ab aliis Confeſſariis poterit, congruâ interueniente ratione, aut Indulgentiarum obtentione ſuppleri, ſecundùm diuerſas conceſſiones pro iniunctis Pœnitentiis, & non impletis Iubilæorum, & ſimilium, de quibus paſſim Doctores. De obligatione Parochorum Indorum circa prædicta dicendum *inferiùs, num.* 49.

Aſſertio 6. in Indicis Parochis nullam ſub peccato extare.

Poteſt pro Pœnitentia imponi, & mutari ab aliis Confeſſariis.

19 Tertia difficultas, *Quo Rituali vti debeant in ſacrorum adminiſtratione.*

Quo Rituali vti debeant.

Circa hoc ſic habet Concilium Limenſe tertium. *Act.* 2. *Cap.* 37. *Cùm nuptiæ benedicuntur. Miſſa iuxta præſcriptum noui Romani Miſſalis dicatur, nihil penitus mutato: cæremoniæ verò conſuetæ fiant ad Eccleſiæ ianuam prout moris eſt donec Sanctiſſimi Romani Pontificis auctoritate Manuale commune publicetur, quod oportebit per omnia ſequi.* Sic Concilium. Circa quod.

Concilium Lim. 3.

Dico

Digitized by Google

Aſſertio 7. Romano vtendum, pro cuius auctoritate certatur.

Dico ſeptimò. Cùm Manuale prodierit auctoritate Pauli V. Decretum Concilij præfatum pariter obſeruandum. Et quidem Manuale prædictum auctoritatem Pontificiam habere mihi eſt indubitabile ex Bullâ eiuſdem Pontificis, vt oſtendit P. Ægidius Coninck in reſponſione contra Coquetiū circa hanc materiam *n.* 38. P. Martinon *Tomo* 5. *Diſputat.* 50. *num.* 21. Pro quo & Diana *Parte* 3. *Tract.* 3. *Reſolut.* 4. §. *Ad tertium.* Quidquid nonnulli apud eumdem dixerint, aſſerentes illud ab vno Doctore confectum, & illius auctoritatem non excedere. Neque conſenſum Pontificis, aut iuſſionem obſtare, quâ confectum fuit & evulgatum, quia totum id nullum pondus rebus conferet, quæ in eo præſcribuntur, cùm non præceſſerit ſerium & exactum Theologorum examen. Quæ quidem ſatis liberè pronuntiata ſunt, & ſine temeritatis notâ dici nequit res tanta, vbi res maximè Theologicæ continentur, ſine ſerio ac ſufficienti Theologorum examine à Pontifice promulgata. Et verò ſi auctoritas Pōtificia in eo non eſt, non ſatis conſultum ab eo damnis, quæ ex arbitrariâ ſacrorum adminiſtratione, ac præcipuè Sacramentorum, quibus occurrere voluit, poterant pullulare. Immò neque hucuſque à Romana Sede prouiſum; quod incredibile eſt. Cùm ergo obliget iuxta ſubjectam materiam, licet Limenſis Concilij non extaret auctoritas, quæ ſpecialem obligationem induceret, eidem eſſet obſequendum. Iam verò, licet dicamus Manuale dictum obligationem ſub mortali non importare, ex vi Decreti prædicti aliter aſſerendum, in partibus, ad quas Concilij auctoritas propagatur. Neque obſtat loquendi modus. *Quod oportebit per omnia ſequi.* Verbum enim *Oportet* obligationem etiam grauem ſolet deſignare, iunctâ materiæ grauitate, & magno in obſeruatione momento, vt aliter non videatur communi bono conſultum. Pro quo Nauarrus in *Manuali Cap.* 23. *num.* 34. Medina *Tractatu de Ieiunio*, *Cap.* 7. & alij. Nec diſſentit P. Suarez *Lib.* 3. *de legibus Cap.* 15. *num.* 10. vbi tantùm ait ex vi verbi non deduci obligationem; quod non negamus: vnde & ipſe, quòd aliunde colligi obligatio poſſit, ex dictis ſcilicet, non negabit: qui & idem ipſo loquendi modo videtur indicaſſe, iuxta doctrinam Diui Thomæ 2.2. *quæſt.* 104. *artic.* 2. quam ibidem adducit, quatenus ait quòd quacumque ratione conſtet ſubdito de voluntate Superioris, habetur præceptum ſaltem tacitum. Vbi & videndum quid de circumſtantiis ait, iuxta quas vis præcepti diſpicienda.

Libera & temeraria aliquorum pronuntiatio.

Ex vi Decreti Concilij ſpecialis obligatio.

Verbum Oportet aliquando illam indicat.

§. IV.

Aliqua inſuper circa Prædictos notatu digna.

Aſſertio 8. Peccare grauiter altercantes cum Religioſis circa funeralia.

20 DIco octauò. Præfati Parochi grauiter peccare poſſunt (quod & vtinam non ſæpè contingat) cum Religioſis circa iura funeralium altereantes, quando aliqui in eorum Eccleſijs ſepeliuntur. Priuilegia ipſorum circa hoc notiſſima ſunt, de quibus Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 3. *Cap.* 22. *num.* 25. *& ſeqq.* & in Politica *Lib.* 4. *Cap.* 22. *pag.* 686. in fine, vbi & Auctores congerit de illis agentes, & ſchedulas Regias allegat, vt illa à Prælatis & Curatis obſeruentur. Vt autem iura ampliora ſint cum Religioſorum jacturâ, informationes confici à vero alienas, quis non videat ab eorum ſtatu penitus abhorrere? Contra Conuentum Patrum Minorum Limanæ hujus Ciuitatis informationem inſtructam audiui, ex qua habebatur eum octiginta Octiregalium, ſeu Pataconum millia in annuis redditibus, ex Capellaniis, funeralibus, & emolumentis alijs numerare. Quod equidem aduerſum eſt penitus veritati. Nec duplicia ergo iura, neque Quartam funeralem, neque oblationes ſe poſſe requirere pro certo habentes, prorſus conquieſcant. Quibus illud dicere conuenienter poſſumus, quod militibus D. Ioannes Baptiſta: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis; & contenti eſtote ſtipendiis veſtris. Lucæ* 3. *verſ.* 14. vbi verbum *Concutere* iuridicum eſſe poteſt, quatenus *Concuſſio* in Iure eſt iniqua acceptio alicujus ratione Officij publici, de quo *Tit. præced. num.* 12. Alia autem ſatis aperta ſunt.

Lucæ 3. v. 14.

Grauiter peccare incuriâ erga Æthiopes, circa quos quæ ſint præſtanda proponuntur.

21 Dico Nonò. Quia Parochi Hiſpanorum ſolent etiam Æthiopes curæ ſuæ habere commiſſos, peccant grauiter ſi circa eos omnia non præſtent, quæ circa Hiſpanos præſtanda ab ipſis officij ſui iura compellunt. Immò plus aliquid circa eos præſtare debent, quia eorum major eſt neceſſitas. Inſtruendi ergo illi, quod diebus ſaltem Dominicis & Feſtis faciendum præcipit Limenſe Concilium tertium *Act.* 2. *Cap.* 5. & de Baptiſmo ſoleter inquirendum: ad prædicationem vocandi eorum captui accommodandam: curandum vt annuæ Confeſſionis & Communionis præcepta expleant, & volentes matrimonium contrahere non repellendi, quando ea, quæ ad ipſum ſpectant, ritè peracta ſunt, eo ſolùm quòd ſibi iura exactè non ſoluant, neſcio quomodo, nullo eorum cauſſam apud judices agente, conſtituta: volentes vt quod ipſi non habent, à dominis ſoluatur, contra quorum multoties voluntatem contrahunt, id ſi reſciuerint, qui protinus vetituri: & ſi non vetare contingat, nolentium tamen circa illud plenum præſtare conſenſum, cùm ſint ſolâ permiſſione contenti: vnde nec ſunt ad juriuin ſolutionem in conſcientiæ foro etiam adigendi. Nam vetare quidem, iniquiſſimè fit; cùm tamen fiat ſæpè, contra Concilij Tridentini Decreta *Seſſione* 24. *Cap.* 9. de Reformat. matrimonij. Et Limenſis 2. *Seſſione* 2. *Cap.* 19. ac Tertij *Act.* 2. *Cap.* 36. Licentiam autem præbere, & beneplacitum oſtendere, non eſt obligationis ſub reatu culpæ lethalis; ad id enim nullum eſt vrgens caput, & cùm valde iniucūda dominis eſſe ſoleat, non ſunt in eo ipſorum conſcientiæ à Confeſſarijs aggrauandæ: & pro hoc ſtat P. Sancius *Lib.* 7. *de Matrimonio Diſput.* 21. *num.* 7. vbi & ait dominum poſſe tutâ conſcientiâ reniti, nullum tamen obſtaculum inducendo. Cùm ergo domini non teneantur ea tribuere, quæ Parochi ſibi deberi contendunt, neque aliunde ſeruis ſuppetant, quid reſtat faciendum? Furtóne quærant? Ita fortè eueniet: ſed indignum eſt vt Chriſtiani Paſtoris ouicula ob illius auaritiam ad talia ſit animæ præcipitia compellenda. Et Concilium quidem Limenſe Tertium *ſuprà Cap* 38. ſic habet:

Ad licentiam pro matrimonio præbendam non tenentur eorum domini.

Cui & reniti poſſunt.

bet: *Pactiones quaſcumque tacitas vel expreſſas pro Sacramentis adminiſtrandis, aut ſepulturâ conferendâ ſacri Canones tamquàm ſimoniacæ labis commercia fœdiſſima deteſtantur: laudabiles tamen conſuetudines in populo Chriſtiano receptas amplectuntur, & probant.* Sic ibi Concilium: quod tamen ſtatim circa Indos ita obſeruandum præcipit, vt nihil ab ipſis pro talibus, aut etiam pro Sacramentalibus exigatur aut recipiatur, ſub pœna quadrupli: redditâ ratione, quia ad Neophytorum fidem ſtabiliendam magnopere id neceſſarium eſt, & ſine ſcandalo nequit contrarium admitti. Quod quidem in Æthiopibus vim habet eamdem, qui & Neophyti ſunt, & magis quàm Indi humanis præſidiis deſtituti.

Concilium Lim. 3. pactionem omnem excludit.

22 Non prætereunda tamen Sanctionis illius concluſio, quæ ſic habet: *Quicumque tamen Indorum in Hiſpanorum vrbibus domicilium habent, quia & in fide inſtructiores ſunt & noſtrorum hominum vſum crebrò affectant, cum iis poterunt conſuetudines in ſepulturis, & ceteris, ſi quæ ſint laudabiles, obſeruari.* Hæc Concilium. Quæ quidem & erga Æthiopes obſeruare licet, ſed moderatione dictâ circa conſuetudines, *Si quæ ſint laudabiles*: quæ deſumpta eſt ex Cap. *Ad Apoſtolicam*, de ſimonia, in quo de benedictionibus nuptiarum inter alia agitur, ſicut & in Cap. *Cum in Eccleſiæ*, vbi conſuetudines generaliter remouentur, quibus potiùs peccata cumulantur. *Putant autem plures ex hoc licere* (verba illius ſunt) *quia legem mortis de longa inualuiſſe conſuetudine arbitrantur: non attendentes, quòd tantò grauiora ſunt crimina, quantò diutiùs infelicem animam tenuerunt alligatam.* Sic ex Concilio Lateranenſi. Talis autē eſt conſuetudo, vt à ſeruis iura nuptiarum ſic exigantur, vt non valentibus reddere, nuptialis aſſiſtentia & benedictio denegetur. Et in legibus quidem humanis ob paupertatē rigor illarum temperatur, vt in Cautione Mutiana: de quo P. Molina *Diſput.* 206. §. *Quando aliquis.* Quomodo ergo rigor non ſit in caſu, de quo loquimur, vbi negotium animæ agitur, temperandus?

Conſuetudines quæ tolerari queant circa dicta.

Concilium idem.

Cap. Cùm in Eccleſiæ, de Simonia.

23 Dico Decimò. Cùm Miſſæ ab aliquibus dicendæ poſt mortem relinquuntur iuxta Executorum placitum, aut magis ſpeciali determinatione, nequeunt Parochi ſuperiori circa hoc etiam diſponente poteſtate, quartam eorum partem aſſumere, iuxta ea, quæ habet Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 3. *Cap.* 22. *num.* 31. & in Politica *pag.* 687. §. *Tambien* & multò minùs ſtipendium maius exquirere, quod neſcio quomodo alicubi inualuit ſine iuridico fundamento. Et quidem Teſtator, ſi viueret, eleēmoſynam pro Miſſis ad libitum poſſet impertiri: ergo & dum circa mortem diſponit, idem facere poteſt, quia nullo iure illi abſoluta diſpoſitio prohibetur. Cumque Executores liberam etiam circa hoc diſpoſitionem habeant, non debent ab eadem impediri, quia voluntas eadem Teſtatoris reputatur. Et verò ſi Executor quidquam circa diſpoſitionem Teſtatoris immutet, recuſari poteſt ab iis, quorum intereſt, & ab officio remoueri, per Textus & Doctores, quos adducit Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 2. *Cap.* 6. *num* 4. & P. Sancius *Libr.* 4. *Conſiliorum*, *Cap.* 1. *Dub.* 61. Ex quo fit extraneum non poſſe agere vt talis voluntas immutetur, cui nullo modo Teſtator voluntatem ſuam voluit commendatam. Stipendij etiam augmentum minimè etiam tolerandum eſt, quod & contra Teſtatoris eſt voluntatem, & cum legatorum aliorum detrimento, aut etiam Teſtatoris ipſius, ſi Miſſæ ea de cauſſa ad minorem numerum redigantur. Nec valet ſi dicatur, ſtipendij deſignationem arbitrio Prælatorum reſeruari: licet enim id verùm ſit: poſitâ tamen ſtipendij taxâ pro virorum eleēmoſynis, eam pro defunctis augere, contra omnem videtur æquitatem; cum illis enim magis piè & liberaliter eſt agendum: neque in dicentibus Miſſas labor aliquis peculiaris accreſcit, vt inde ſtipendium debeat accreſcere, & ita injuſtitia in eo manifeſtè videtur deprehendi, ſicut eſſet ſi pro Miſſis viuorum ea inæqualitas ſtatueretur. Et quemadmodum in aſſignatione pretij contingeret, ſi vnum pro quibuſdam, aliud pro aliis eſſet. Niſi fortè pro exteris eſſet maius, quàm pro indigenis, quod aliquando licitum eſſe tenet P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 21. *num.* 30. cum P. Molina *Diſputat.* 246. & aliis. Quod quidem in caſu noſtro locum non habet, quia Teſtatores pro extraneis habendi non ſunt, neque animæ, pro quibus dicendæ Miſſæ, vti extraneæ tractandæ, quas ad corpus Eccleſiæ Chriſti pertinere conſtat, & Eccleſia pia mater ſingulari affectu complexatur. Neque dici vlteriùs poteſt aliquid addendū ſtipendio, quod labori Collectoris reſpondeat: quia & hoc contra voluntatem Teſtatoris eſt, qui non per Collectorem, ſed per Executorem vult negotium dictum expediri, ad quod, ſi negligens fuerit, poterit Ordinarij officio compelli: vel certè ſi Collectori quidquam conferendum, id communi ſtipendio detrahatur, ſicut pro vino, cerâ, & alijs detrahi ſolet.

Aſſertio 10. Circa Miſſas à Teſtatoribus relictas, notanda doctrina.

Stipendiā non poſſe augeri

Sicut nec pretium, niſi fortè pro exteris.

Neque ob laborem Collectoris.

§. V.

De Quarta funerali ac Canonica portione ab Indicis Parochis exoluendâ.

24 Dictum de hoc *Titulo* 13. *numer.* 79. & 84. ſed ampliorem declarationem in locum præſentem reſeruauimus, vbi non vacat rem ex profeſſo perſequi, de qua multa Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 3. *Cap.* 22. & in Politica *Lib.* 4. *Cap.* 22. ſed ſpecialia quædam adſcribere, & Parochorum conſcientias ſatis in hoc grauatas delinire: non quidem placendi ſtudio, ſed ſacrarum legum moderatione ſanis oculis præſentatâ. Pro quo ſuppono circa hoc ſtandum eſſe conſuetudini, vt habetur in Cap. *Requiſiſti*, de Teſtamentis. Et in Cap. *Certificari*, de ſepulturis, in quo ſic loquitur Clemens Tertius inductâ Diui Hieronymi auctoritate: *Vnaquæque Prouincia in ſuo ſenſu abundet ſecundùm rationabilem conſuetudinem regionis, illa iuſtitia circa medietatem, vel tertiam, aut quartam partem, pro locorum diuerſitatibus attendatur.* Sic Pontifex. Circa quod Zerola in *Praxi Parte* 1. *verb. Legatum*, §. 3. *Concluſ.* 5. Et quod de quantitate dicitur, ad alia eſt pariter referendum propter eamdem rationem, ad ea ſcilicet, ex quibus Quarta ſolui debeat: in hoc enim magna varietas eſſe poteſt, vnde & variæ etiam ſunt circa hoc iuris Canonici deciſiones, vt videri ſpecialiter

Dicendorū ratio.

Standum eſſe conſuetudini circa illud.

Cap. Certificari, de ſepulturis.

Digitized by Google

ſpecialiter poteſt in Cap. *De ijs*, quod eſt finale de *Teſtamentis*. Cap. *Cùm inter.* & Cap. *Ex parte* 3. de verborum ſignificat. Neque conſuetudo quæuis, ſed rationabilis attendenda, vt ex tenore deciſionis conſtat, & ſic intelligendum, quamuis id non exprimeretur, quia, vt ait Panormitanus in Cap. *Cùm venerabilis, de conſuetudine*, irrationabilis non meretur nomen conſuetudinis. Quæ autem conſuetudo rationabilis dicatur, diuerſimodè Doctores conantur exponere, ſed non omnes id aſſequuntur, vt videri poteſt apud Dianam *Parte 6. Tractat. 5. Reſolut. 1.* Omnes enim dicunt rationabilem eſſe, quæ eſt iuxta rationis æquitatem. Sed hoc opus, hic labor eſt, in declarando inquam quando contra rationis æquitatem ſit, quia poteſt eſſe conſuetudo contraria legi, lex autem valdè eſt rationis æquitati conformis; & nihilominùs non eſſe irrationabilis, cùm conſtet legem poſſe per conſuetudinem abrogari.

Rationabilis illa futura, & quæ talis dicatur.

Peculiaris, ſed genuina explicatio.

Sed his non obſtantibus iuxta prædictum dicendi modum explicari poteſt, vt tunc conſuetudo rationabilis dicatur, quando attentè conſiderata nihil diſſonum ex ſe importat, neque oculos prudentium offendit: ſi ſecus autem accidat, irrationabilis cenſenda eſt, quia videlicet ſine intuentium offenſione ſtare nequit, & ita rationi contraria eſt, hoc eſt, benè formato diſcurſui, cui lumen rationis aſſiſtit. Sicut enim contra rationem agit quis, dum ab eo recedit, quod ipſi vt conueniens proponitur, ita erga aliorum actiones eius debet iudicium regulari; vt ſcilicet contra rationem in aliis eſſe iudicet, quod ipſe in ſe tale reputat, vnde nec faceret, ſi iuxta rationis operaturus eſſet æquitatem. Qui explicandi modus iuxta eorum mentem æſtimari poteſt, quos adducit Diana pro ſuâ ſententiâ, quam ſic poſſumus aliquatenus illuſtrare. Pro quo & videndus P. Becanus *de Legibus*, *Cap. 8. quæſt. 6. num. 4.*

Materia præſenti accommodatur.

25 Iuxta quæ in materiâ præſenti dicere poſſumus conſuetudinem rationabilem eam eſſe, ex quâ nihil offenſionis habetur: quod equidem contingit ſiue parum, ſiue nihil Parochi Epiſcopis ſoluant, Canonicæ nomine portionis. Et alicubi nihil ſolui, ex Vincentio & Hoſtienſi affirmat Ioannes Andreas in Cap. *Requiſiſti*, citato. & alios pro eodem adducit Dom. Solorzanus *ſuprà, num. 19.* & in Politicâ *Pag. 684. in fine.* Id quod iam olim pro Luſitaniâ conſtitutum eſt ab illius Prouinciæ Concilijs, vt conſtat ex Cap. *Placuit*, & Cap. *Priſcis*, 10. *quæſt* 3. pro quo & videndus P. Azor *Tomo 2. Lib. 9. Cap. 12. Quæſt. 3.* Alibi aliter, & quidem parum. Ex quo nullus offenditur, quia ſciunt Epiſcopis abundè alimenta ſuppetere, & aliundè æquitati conſonum eſt, vt quæ donantur Eccleſiæ Rectori, plenè habeat, cùm ex eis Eccleſiæ ipſius fabricæ & ornatui debeat viuens & moriens prouidere. Non ita verò accidet, ſi ea, quæ Rectoribus donantur, ſic Epiſcopi participare velint, vt & illi parcè viuant, abundantibus Epiſcopis, & Eccleſiæ ſine ornatu & decore vileſcant, aut exceſſus quartæ ſit, cùm tamen eſſe non debeat: ſicèt enim Canones de tertiâ etiam, immò & aliquando de medietate diſponant: cùm tamen obſeruandam conſuetudinem dicant, & hæc generaliter ſit recepta, vt plus quàm quarta non ſoluatur, exceſſus debet irrationabilis reputari. Siue quod nulli Epiſcopi reſpondeat officio, vel allegetur ſic exegiſſe anteceſſorem; cùm tamen legitimè præſcripta eſſe debeat. Pro quo Zerola, & ipſe Epiſcopus *ſuprà*, ita ſcribit *Concluſ. 10. Cauere debent locorum Ordinarij, per prætextum quod ipſi inceperint exigere hanc quartam, intendant introducere conſuetudinem, &c.* addens ſufficere decem annorum ſpatium, quia conſuetudo hæc eſt iuxta ius commune, & non contra illud. Vt tamen nec tempus ſufficiat, etiamſi longum ſit, id facit, quod habetur in *Cap. 1. de Conſuetudine in Sexto*, vbi conſuetudo reprobatur, *quæ de ambitionis radice proceſſerit.* Et poteſt cauſſæ præſenti adaptari, vbi periculum eſt ne conſuetudo ex radice tali, aut certè conſimili, radice inquam amaritudinis ſurſum germinante, iuxta Apoſtoli doctrinam, oriatur.

In Luſitaniâ nihil olim datū.

Zerola.

Cap. 1. de Conſuet. in 6.

Conſuetudinem vi introductã non valere.

26 Eſt inſuper aliud circa conſuetudinem dictam obſeruandum, quòd ſcilicet non vi aut metu introducta ſit; ſi tâmen reuerà aliud eſt hoc; nam dici poteſt eo ipſo quòd rationabilis eſſe debeat, id ſatis indicatum: irrationabile enim videtur, vt per id, quod vi & metu extortum eſt, & ſemper inuitè & coactè tributum, ius legitimum legi æquiualens acquiratur. Hac enim de cauſſâ in citato *Capite de Conſuetudine* reprobatur illa tamquàm corruptela, *quæ de ambitionis radice proceſſerit*, quia valde diſſonum eſt, vt ambitio in legem tranſeat, & ſuper iniuſtitiam regula iuſtitiæ fundetur. Quando autem vi & metu conſuetudo inducitur, idem accidit, quia de auaritiæ radice procedit, armis, quibus reſiſti nequit, roboratæ. Hinc eſt vt ſi per vim aut metum grauem populus aliquid faciat, etiam per longum tempus, talis conſuetudo non debeat legitimè introducta reputari. Quod declarauit ſacra Rota in vnâ *Giennenſi, Portionis. die 13. Nouemb.* 1613. Pro quo & Doctores alios adducit Diana *ſuprà, Reſolut. 9.* Vbi alia ratio occurrit, propter quam talis conſuetudo non debeat cenſeri legitima: nam qui reluctantes faciunt, nolunt ſuo facto conſuetudinem firmare, & arma contra ſe tribuere: cùm tamen ad legitimam conſuetudinem neceſſarium ſit, vt qui actus frequentant, eo faciant fine, introducendi ſcilicet conſuetudinem, & conſequenter obligationem, vt tenent Doctores, quos adducit citatus Auctor *Reſol. 10.* & alij quos citat & ſequitur Saytus *in Claui regiâ, Lib. 3. Cap. 11. numer. 9.* Pro quo non prætermittenda verba Dominici Soti *Lib. 1. de Iuſtitiâ, Quæſt. 7. Art. 2.* vbi ſic ait: *Periculum exiſtit inter viros potentes, vt ſi ſemel vaſalli vrbanitatis ac beneuolentiæ gratiâ domino ac patrono ſuo munuſcula obtulerint, ſtatim vrbanitas in conſuetudinem rapitur, & gratia in ius debitum conuertitur.* Sic ille. Quod quidem periculum in Epiſcopis Indiarum eſt etiam præſentiſſimum, dum de quarta agitur: quorumdam enim liberalitas in conſuetudinem aduocatur, & ius ex gratiâ conficitur, quadam minimè probandâ conuerſione: In quibus etiam quod de vi & metu eſt dictum, pariter locum habet; timent enim Parochi eorum indignationem, quæ carò illis conſtare poteſt, dum non leuiter aggrauantur ob criminationes obiectas, mittuntur iudices, ſuſpenduntur ab officio, & ſpes illis meliora ad Beneficia reſecatur. An hæc leuia ſunt? Nec mirandum ſi accidant vbi auaritia cœperit imperare. Et præfata poſitio verbis Gregorij VII. coronanda, qui *Cap.* 5. de

Noua pro eo & urgẽs ratio.

Dominicus Sotus.

SS 4 regulis

Digitized by Google

Cap. 5. de Regulis Iuris.

regulis iuris ita loquitur: *Quod latenter, aut per vim, vel aliàs illicitè introductum eſt, nullâ debet ſtabilitate ſubſiſtere.*

Conſuetudo in praxi quando legitima iudicanda.

27 Quia verò circa prædicta poſſunt dubitationes frequentes ſuboriri, videndũ quo pacto ſe gerere debeãt, quibus onus ſolutionis imponitur. Poteſt ergo dubitatio eſſe circa conſuetudinis rationabilitatem, & circa illius præſcriptionem. In quo quidem proborum & peritorum conſilio res erit tranſigenda. Et quod ad tempus attinet ſic ſentiunt Dominicus Sotus, Medina, P. Granadus, & alij apud Dianam *ſuprà, Reſol.* 2. Circa quod & Sayrus *ſuprà, n.* 8. §. *Sin verò*, cum alijs, & præſertim cum P. Valentia *Tomo* 2. *diſp.* 7. *quæſt.* 5. *Punct.* 8. qui dicunt pro temporis & rei grauitate requiri communem exiſtimationem bonorum ac prudentium, vt illud ſufficiat, vel non ſufficiat, prout ipſi æquum & iuſtum iudicauerint. Idem autem de rationabilitate dicendum ratio eadem perſuadet. Quòd ſi circa vnum aut aliud diuerſa prædictorum ſententia ſit, probabile negotiũ relinquetur, vnde & ſequi is, cui id conſtiterit, ſecurè poterit quam maluerit opinionem. Quod quidem cùm generale ſit, in cauſſâ, de quâ agimus, ſpecialem non habet difficultatem: id tamen addendum, ad iudicandum in Indiis conſuetudinem contrariam populo, quod & ſuo modo in Eccleſiaſticis procedit, rationabilem eſſe, & legitimè præſcriptam, maiora quàm alibi fundamenta requiri, ob acriores auaritiæ ſtimulos, quibus aliquando inducta conſuetudo, quæ non ſolùm corruptela dicẽda eſt, ſed tyrannis manifeſta, iam pridem damnata à Concilio Cabilonenſi, vt habetur in Cap. *Quia cognouimus*, 10. *quæſt.* 3. Pro quo & Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 3. *Cap.* 22. *num.* 29. qui *&* *num.* 22. bonis teſtibus affirmat Prælatorum aliquos hac in parte valdè Iuris diſpoſitiones extendere: quam damnabilem extenſionem Reges noſtri abolendam prouiderunt, datis ſuper eo reſcriptis, de quibus *numer.* 21. 25. *&* 26. & in Politicâ *Pag.* 687. §. *Y que es.* Quibus poſitis, vt ad reſolutionem veniamus, & quod eſt veritati conforme pronuntiemus, pro eo deſeruient ſequentes

In Indijs quid ſpeciale.

Aſſertiones circa Quartæ obligationem.

Aſſertio 1. Epiſcopos Indiarum illam exigere poſſe.

28 Dico primò. Epiſcopi Indiarum poſſunt Quartam iuxta Iuris diſpoſitionem exigere. Sic Regio eſt reſcripto diſpoſitum, cuius tenorem adducit Dom. Solorzanus *ſuprà, numer.* 21. & Concilium Limenſe tertium approbatum à Sixto V. *Act.* 4. *Cap.* 20.

Aſſertio 2. non poſſe plus quàm illam.

Dico ſecundò. Plus quàm quartæ exigi nequit, etiamſi Canones medietatem, aut tertiam partem ſoluendam eſſe decideriut. Probatur ex nuper allatis, quia quartæ ſolùm exactio permittitur, & illa ſola iam eſt in vſu, vt diximus *num.* 25.

Aſſertio 3. & ſolùm laudabilẽ conſuetudinem obſeruandam, de quâ dubiũ non ſit.

Dico tertiò. Cùm Ius diſponat vt circa hoc laudabiles conſuetudines obſeruentur, illæ profectò obſeruari debebunt, & iuxta eas exactio fieri. Conſtat ex dictis *num. præcedentib.* Quòd ſi tales non appareant, aut de illis opiniones ſint, ex dictis etiam conſtat quid agendum ſit.

Aſſertio 4. talem non eſſe, ſi eadẽ ſummâ quotannis exigatur.

Dico quartò. Non eſt laudabilis conſuetudo ad certam ſummam quotannis Parochos obligare. Id liquet: nam conſuetudo talis damnata eſt in Regio Indiarum Senatu, & pro eo extat ſchedula citata *Aſſert.* 1. Non ergo laudabilis reputanda eſt, quæ à tot ſapientibus, grauibus præmiſſis querelis, reprobata eſt, & magnis inconuenientibus, ac præſertim ex multiplici Indorum grauamine emergentibus, eſt obnoxia iudicata.

Aſſertio 5. poſſe aliquã tolerari.

29 Dico quintò. Aſſertio præfata intelligenda eſt de ſummâ determinatâ, quæ debitam portionem excedat: ſi enim ea talis ſit, vt plus aliquantulum minuſue contineat, non videtur improbanda, vt dixi *Titulo* 13. *num.* 84. Quod quidem ex citatâ ſchedulâ conſtat, quâ ratio deciſionis his verbis proponitur: *Porque los Clerigos por tener grato al Prelado, y à ſus Viſitadores, ſe eſtienden à dar mas de lo que les pertenece por eſta portion, y todo viene à ſalir y cargar ſobre los Indios.* Quando ergo nihil tale accidit, non eſt cur determinatio dicta debeat improbari. Tunc equidem reprobanda quando is, qui alteri in Beneficio ſuccedit, ſummam eamdem exhibere compellitur; quia cùm ipſe neſcius qualia ſint emolumenta, pro quo peculiaris experientia requiritur, in Beneficium veniat, non poteſt ad determinatam contributionem obligari. Sicut agricola ad certam adigi nequit decimæ portionem: in quo tamen compoſitio admittitur, iuxta diuerſa Capita in *Titulo de Decimis*, & receptam conſuetudinem.

Regia ſchedula.

Aſſertio 6. teneri Parochos ad habendos libros circa quartam.

Dico ſextò. Qui ad certam ſummam obligari nollet, deberet librum ad ſcribendas obuentiones habere, quia aliàs non poſſet id exequi, ad quod eius ſe extendit obligatio. Vnde & Epiſcopi poterunt Parochos ad eos habendos per Cenſuras obligare. Sic Dom. Solorzanus *ſuprà, num.* 35. quod & in Diœceſanâ Synodo Limenſi *An.* 1624. ſtatutum eſt *Lib.* 1. *Titulo* 5. *Cap.* 10. Et quòd circa hoc non admittantur conuentiones, in Synodo etiam Pacenſi libri obligatio proponitur *Lib.* 1. *Titulo* 2. *Cap.* 23. & ratio eſt clara ex dictis quoad Parochos: Epiſcopi autem ſuo iure vtuntur, eſtque id expediens ad vitandas controuerſias, & deonerandas conſcientias Parochorum. Quo pacto vitari & medium aliud poteſt, iuramenti ſcilicet, quod Dom. Solorzanus, etſi abſolutè licere dicat *num.* 34. non tamen opportunum reputat; & meritò, quia neque in ſolutione vectigalium, & Regiorum aliorum iurium, tale medium frequenter adhibetur. Vnde nec illud in Eccleſiaſticis Prælatis conueniens apparet, in quibus minor erga res temporarias affectio debet reſidere. Libri ergo habendi præceptum, cum præcepto pariter, vt omnia, ex quibus quarta ſit debita, conſcribantur, ad negotium iſtud debet ſufficiens medium iudicari.

Quid de iuramento.

Aſſertio 7. non deberi ex ijs, quæ Parocho vt tali non tribuuntur.

30 Dico ſeptimò. Ex iis, quæ à Teſtatore, vel Executoribus, Parocho tribuuntur, non vt Parocho, ſed ex amicabili alio reſpectu, non debetur quarta. Sic Doctores, quos adducit, Dom. Solorzanus *ſuprà, num.* 31. & in Politicâ *Pag.* 688. *Col.* 1. eoſdem ſecutus. Ratio eſt, quia pro obligatione tali non eſt in Iure fundamentum: ſi enim Parochus non eſſet, & illi relinquerentur, ad nihil eſſet obligatus, vt habetur expreſsè in Cap. *Requiſiſti*, de Teſtamentis, in quo ſic dicitur: *Illud autem eſt generaliter obſeruandum circa eum, qui poteſt proprium poſſidere, prælationem vel adminiſtrationem Eccleſiæ non habentem; quòd ſi*

Cap. Requiſiſti, de Teſtamentis.

aliquid

aliquid ei relinquatur ſpecialiter, non ſolùm à propinquo, verùm etiam ab extraneo, intelligitur eſſe relictum non intuitu Eccleſiæ, ſed perſonæ, niſi probatio in contrarium appareret: & idcircò de illo nec Epiſcopus, nec Eccleſia poteſt in vita eius ſibi aliquid vendicare. Et hoc intelligitur eſſe verum, cùm fraus minimè procuratur, quæ, ſi detecta fuerit, patrocinari non debet. Sic Innocentius Tertius. Cùm ergo Parochus in caſu de quo loquimur, perinde ſe habeat acſi talis non eſſet, neque intuitu Eccleſiæ à Teſtatore relicta, aut ab Executoribus oblata tribuantur; nihil ex illis ad Eccleſiam aut Epiſcopum conſtat pertinere.

Ex emolumentis ob aſſociationem funerum an quarta Epiſcopis debeatur.

31 Et ex huius Textus deciſione reſoluendum venit dubium inter Capitulares, & Epiſcopos Indiarum exortum, dum iſti contendunt Quartam ſibi deberi ex mercede, quæ illis tribuitur ob aſſociationem funerum. Quod quidem cùm ad Regium Indiarum Conſilium delatum eſſet, nihil ab eo deciſum, iubente tantùm vt Regia Limana Cancellaria ſuper eo informaret, quibuſque Archiepiſcopus rationibus niteretur, & in quantam ſummam emolumentum iſtud quotannis euaderet. Sic refert Dom. Solorzanus *ſuprà num.* 32. & in Politica. §. *Y el Dean, & ſeqq.* addens non difficilè potuiſſe Conſilium quæſtionem iſtam abſoluere.

Quid pro parte affirmatiua.

Nam cùm Quarta debeatur ex iis omnibus, quæ occaſione funerum ad Eccleſiam perueniunt, & ex eleemoſynis, quæ pro dicendis Miſſis Curatis tribuuntur, vt Auctores citati reſoluunt: non videtur quo iure diſcrimen conſtitui poſſit in hac oblatione, ſeu ſatisfactione, quæ Capitularibus pro funere ſociando præſtatur, etiamſi ipſi prætendant id totum veluti pretium laboris ſui eſſe cenſendum. Nam hæc ratio æquè in Miſſis & aliis prætexi potuiſſet. Sed certè non pauci viri docti oppoſitum cenſuerunt,

Quid pro oppoſita.

quod & Concilium Regium videtur indicaſſe, dum reddi ſibi rationes iubet, quibus Archiepiſcopus niteretur, quaſi nouam & inſolitam talem exactionem reputans, quæ videlicet in iure communi ſatis obuia, & tantis viris perſpecta, fundamentum ſufficiens non haberet. Et, vt dixi, ex allati Capitis tenore decidendũ venit, dum ex iis, quæ intuitu Eccleſiæ non conferuntur, quidquam Eccleſiæ, aut Epiſcopo debitum inficiatur:

Quæ proferuntur, vbi verius doctrina.

atqui in aſſociatione dicta nullus eſt Eccleſiæ intuitus, ſed tantùm peculiaris pompæ quæſtuoſus apparatus, cum Capitulari, vt dicitur, Companarum ſono, qui vt talis ad peculiarem etiam honorem ſpectat; rariſſimè propterea à Teſtatoribus diſpoſito, ſed ab hęredibus, aut aliis, ſui potiùs quàm defunctorum reſpectu habito, ne parci & ingrati in his ſupremis functionibus habeantur. Eſt enim ſtipendium ingens, quod à Capitulis eſt pro aſſociatione huiuſmodi conſtitutum. Et quidem intuitus ſpecialem affectionem dicit, iuxta communem intellectum, pro quo Gloſſa in *citatum Cap.* verb. *Præſumitur.* & verb. *Nec eſt.* In caſu autem noſtro illa deſideratur. Debet etiam quarta ex iis tantùm ſolui, quæ quis relinquit pro anima ſua in morte, iuxta Gloſſam in Cap. *Conquerente*, de officio iudicis Ordinarij, verb. *Mortuariorum.* Præterquam quod merces laboris eſt, quæ minimè fraudenda, iuxta generalem doctrinam, niſi vbi ſpecialis iuris diſpoſitio eſt, vt in Miſſis, & ita, vti odium, reſtringenda, iuxta notam regulam: ſi tamen & in Miſſis res adeò certa ſit, pro quo iam

Aſſertio 8. Pro legato Miſſarum non eſſe deberi certum.

32 Dico octauò. Non eſt omnino certum quartam deberi ex legato relicto Parocho Eccleſiæ, in qua quis eligit ſepulturam, pro Miſſis per illum faciendis, licet Doctores aliqui ita ſentiant apud Dom. Solorzanum *ſuprà num.* 31. quibus addendus P. Azor *ſuprà Cap.* 13. *Quæſt.* 7. vbi poſt propoſitam quæſtionem circa Quartam Parochialem, ita ſcribit: *Debetur, quia Epiſcopalis etiam quarta ex illo ſoluitur. Cap. Cùm inter vos, de verbor. ſignificat.* Sic ille.

P. Azor.

Vbi cùm vnicum Aſſertionis fundamentum ſit *citati Capitis* auctoritas, videndum reſtat an tale ſit, vt ex eo certa deduci reſolutio queat. Et videtur quidem non certa, licet probabilis ſit: quia licet in eo ſic dicatur: *At Capellani prædictæ Capellæ dicentes primitias & decimas, vel ea, quæ offeruntur pro Miſſis mortuorum Sacerdotibus, & quæ pro Septimis, & triceſimis, & Anniuerſariis, panes & alia, quæ intra hebdomadam offeruntur, & mortuorũ iudicia oblationum nomine minimè contineri: de his omnibus tertiam partem ſoluere vobis nolunt.*

Cap. Cùm inter vos, de verb. ſignificat.

Licet inquam ſic dicatur, & ſtatim Honorij ſententia ſequatur, in hunc modum: *Volumus igitur & mandamus, vt per veſtrum Clericum à vobis in eadem Eccleſia conſtitutum, de omnibus ſupradictis, & aliis oblationibus quocumque titulo ad Eccleſiam peruenerint, ſine diminutione aliqua, integrè tertia vobis portio perſoluatur.* Sic Pontifex.

Illud non vrgere oſtenditur.

Licet inquam ſic eius deciſio habeat, non tamen generaliter procedit, quia Abbas S. Petri Spoletani probauerat pluſquam quadragenariam præſcriptionem. Vnde & Pontifex iubet non deduci id, quod ad neceſſarias expenſas in dictâ Capellâ faciendas pertinebat. Quod eſſe contrarium iuris vtriuſque diſpoſitioni oſtendens Gloſſa. verb. *Neceſſarias*, vt videri ſpecialiter poteſt in Clementina *Statutum*, *de Electione*; & ratione aliquorum præmiſſa, cur nihilominus Honorius ſic cenſuerit faciendum, ita ſubdit:

Gloſſa Cap. citati.

Illa eſt ratio potior, quia Tertia iſta integraliter præſcripta eſt, vnde integraliter debet ſolui, & onus fabricæ incumbit Capellano de aliis partibus. Sic ſuprà de Præſcriptionibus Cap. De Quarta. Hæc Gloſſa Bernardi Parmenſis, Canonici Bononienſis, & Pontificij Capellani. Sicut ergo in eo, quod ad neceſſarias expenſas pertinet, allegari prædictum Caput nequit, niſi vbi Quadragenaria præſcriptio præceſſit, & legitimè probata eſt, ita neque in aliis: cùm aliàs Pontifex non declaret quæ ſint oblationum nomine generaliter intelligenda: ſed narrationi inſiſtens omnium enumeratorum ſolutionem iniungat.

Vrgetur ex ſtipendio Miſſarum eas facienti debito.

33 Et in Miſſis quidem peculiaris difficultas eſt, quia cùm id, quod pro ipſis dicendis relinquitur, ſtipendium laboris ſit; non videtur rationi conſonum, ſi eas dicens iuſtâ mercede fraudetur, vt paulò ſuperiùs dicebamus. Vt ergo reſolutio prædictorum ſcriptorum irrefragabilis ſit, aliud debet firmius præſidium aduocari. Tunc certè probabilius, cùm ſtipendium maius eſt, quàm communiter dari ſolitum; eo enim fine ſic videtur auctum, vt iuſtâ Rectori manente mercede, habeat vnde poſſit ſuam Epiſcopo & Eccleſiæ reddere portionem. Quamuis quod ad Eccleſiam attinet in Indiis non inueniatur vſitatum: vnde veteri tantùm de more id fuiſſe teſtatur

tur

Digitized by Google

tur Dom. Solorzanus *ſuprà num.* 8. verbis illis: *Quæ Parochiæ ſolebat reſeruari.* Et expediret quidem, quia pro illarum fabricâ, quæ Hiſpanorum ſunt, nihil apparet ſpecialiter deputatum, licet pro Eccleſiis Indorum ſit, de quo Limenſe Concilium Tertium *Act.* 3. *Cap.* 13. & quod diximus, eatenus accipiendum eſt, quatenus ad Iuris diſpoſitionem reducitur, quæ non ita videtur comperta, vt nonnulli exiſtimant: de conſuetudine autem alia eſt ratio, circa quam philoſophandum eſt iuxta dicta in præmiſſis ad Aſſertiones, & iuxta proborum ac peritorum conſilium procedendum. Et erunt fortè eorum aliqui, rationabile non exiſtimaturi, ſeclusâ Pontificiâ deciſione, vt quis Miſſarum ſtipendio fraudetur, cùm *dignus ſit operarius mercede ſua*, iuxta Chriſti notiſſimum pronuntiatum *Lucæ* 10. *verſ.* 7. adductum in Cap. 1. de ſepulturis, & alibi. Si dicatur non fraudari ſtipendio, ſed quartam Miſſarum partem Epiſcopo dandam vt ipſe eas diſcendas pro ſuâ voluntate diſtribuat: id quod vſu videtur roboratum. Si vſus quidem legitimè præſcriptus, non eſt penitus improbandus: ſin minus, iuxta dicta temperandum arbitrium, quia neque pro eo Iuris deciſio ſuffragatur.

Quid ſi Miſſæ Epiſcoporum arbitrio diſtribuantur.

34. Dico Nonò. Quædam ſunt, ex quibus Canonica portio indubitanter quia pro illis ſunt manifeſtæ deciſiones in Iure. *Cap. finali* de Teſtamentis ſic habetur: *De ijs, quæ in ornamentis, vel pro Cereis, ſeu fabricâ, luminaribus, anniuerſario, ſeptimo, viceſimo die, ſiue aliis, ad perpetuum cultum diuinum legantur Eccleſiis, vel reliquis piis locis, Canonica portio, dummodo in fraudem non fiat, vt ea Epiſcopus, ſeu Parochialis Eccleſia, debeat defraudari, deduci non debet.* Hæc ibi. Quibus conſonant quæ habentur in Cap. *Ex parte* 31. de verbor. ſignificat. Quia verò nonnihil varietatis eſt, hic etiam proponenda. Sic ergò ibi Honorius Tertius: *Cùm igitur ipſi (ſicut ex eorum interpoſitione accepimus) non intellexerint quòd de his, quæ in ornamentis Eccleſiaſticis, vel ad fabricam Eccleſiæ reparatione indigentis, aut ad Eccleſiæ luminaria, nec non de his, quæ pro anniuerſario, ſeptimo, triceſimo, ac viceſimo faciendis, vel de his, quæ perſonis ſpecialiter, niſi fortè id fiat Eccleſiæ ratione, à quocumque legantur, aliqua debet ſolui portio &c.* Diuerſitas quidem in eo apparet, quòd in priori loco abſolutè ſtatuitur, vt de ijs, quæ pro fabrica Eccleſiæ legata fuerint, nihil pro Canonica portione detrahatur: in poſteriori autem non ita abſolutè id aſſeritur, ſed cùm Eccleſia indiget reparatione: vnde ſi reparatione non indigeat, videtur deberi. Sed hoc non obſtat, quominùs generalis deciſio debeat ſuſtineri, quia iuxta Gloſſas vtriuſque Capitis eadem eſt, & cùm ſit fauorabilis, amplè interpretanda. Illud ergo, *Reparatione indigentis*, ſic accipiendum eſt, vt ad tempus etiam futurum extendatur: id eſt, pro reparatione, quando illa indigere contingat, iuxta vulgarem quòd *fauores conuenit ampliari.* Atque ita tenent graues Scriptores apud Barboſam de *Poteſtate Epiſcopi, Allegat.* 86. *num.* 24. quidquid alij ſentiant *ibidem* adducti. Et vt diuerſum aliquid continere fateamur, ſtandum equidem deciſioni Gregorij, quæ poſterior eſt, licet in Decretalium libris prior habeatur. Gregorius enim Honorio ſucceſſit, vnde nulla reſtat difficultas. Quod autem de relictis perſonis ſpecialiter dicitur, non ratione Eccleſiæ, juxta id eſt quod diximus. *num.* 31.

Aſſertio 9. Aliqua ex quibus non debeatur, recenſentur.

Cap. finale de Teſtam.

Cap. Ex parte. de verb. ſignificatione.

Circa relicta pro Eccleſia reparatione, diuerſitas in modo loquendi non obſtat.

35 Id verò quod de luminaribus traditur, non videtur conſonum deciſioni Cap. *Cùm inter*, de verbor. ſignificat. Vbi portio Canonica ſoluenda diſponitur ex lampadibus cum oleo, ibi: *& lampades cum oleo, quæ prædictæ Capellæ ab aliquibus offeruntur.* Sic præfatus Honorius. Sed hoc debet negotium faceſſere, dici enim poteſt *Primò* ibi ratione præſcriptionis id conceſſum, ex quo ea confirmantur, quæ diximus *Aſſert.* 9. deciſionem ſcilicet illius Capitis non eſſe generalem. *Secundò* poſteriorem eſſe deciſionem Gregorij, & ita illi potiùs ſtandum. *Tertiò* deciſionem vtriuſque in prioribus Capitibus procedere de luminaribus, pro quorum perpetuo vſu aliquid relinquitur; cùm tamen *Cap. Cùm inter vos*, de luminaribus procedat, pro quorum temporario vſu aliquid offertur. Sed illud non videtur admittendum: pro quo & faciunt ea, quæ adducit Bernardus Parmenſis in citatum *Cap. finale de Teſtam.* fauore enim religionis, & ob reuerentiam diuini cultus, prædicta diſponuntur, & ſumma eſt ratio, quæ pro religione facit. *L. Sunt perſonæ D. de Relig. & ſump. funer.* & ſicut de legatis piis non deducitur falcidia, quod & leges humanæ diſponunt C. *ad l. Falcidiam authent. Similiter.* Et alibi: ita neque ex legatis pro diuino cultu, ne ſacri Canones minùs in hac parte fauere pietati videantur. Et hoc ſpecialiter procedit in oblationibus, quæ cauſſa mortis fiunt, vnde diſpoſitio Iuris pro illis in Titulo de Teſtamentis appoſita, & legati nomine ſignificata. In alijs autem idem dicendum ob eamdem rationem, niſi ex legitima conſuetudinis præſcriptione aliud habeatur.

In relictis pro luminaribus ceremonia explicata.

Cap. Cùm inter, de verb. ſignificat.

Pro relictis ad vſum temporarium ſimiliter philoſophandum.

Circa Quartam, Sede vacante.

36 Dico decimò. Sede vacante an debeat ſolui Quarta, ita vt futuro Epiſcopo reſeruetur, dubiæ quæſtionis eſt, præſertim in Indiis. Et vt debeatur, adducitur Cap. *Quoniam quidam* 75. *diſt.* in quo ſtatuitur ſic: *Redditus verò eiuſdem viduatæ Eccleſiæ integros reſeruari apud Oeconomum eiuſdem Eccleſiæ cenſemus.* Hæc ibi ex Concilio Chalcedonenſi *Can.* 25. Item Cap. *Quia ſæpè*, de Electione *in Sexto*, in quo Bonifacius Octauus graues pœnas ſtatuit in eos, qui *bona à Prælatis Eccleſiarum dimiſſa, vel vacationis tempore obuenientia, quæ in vtilitatem ipſarum Eccleſiarum expendi, vel futuris deberent ſucceſſoribus fideliter reſeruari, occupant, inter ſe diuidunt, ſurripiunt, dilapidant, diſſipant, & conſumunt, in earum graue diſpendium & iacturam.* Prætereà Clement. *Statutum*, de Electione, in qua ſic Clemens V. in Concilio Viennenſi: *Statutum ſuper bonis à Prælatis Cathedralium, Regularium, & Collegiatarum Eccleſiarum dimiſſis, aut obuenientibus tempore vacationis earum, futuris ſucceſſoribus fideliter reſeruandis, editum, locum declaramus habere in omni emolumento, quod prouenit ex iuriſdictione & ſigillo Curiæ Eccleſiaſticæ, vel ſæcularis, aut aliàs vndecumque quod ad Prælatos (Eccleſiis non vacantibus) pertineret; conſuetudine qualibet contrariâ non obſtante.* Hæc ibi: propter quæ ita tenet Dom. Solorzanus *ſuprà numer.* 37. ſed ſimplici aſſertione, verbis illis: *Sed nihilominùs contrarium dicendum*

Aſſertio 10. Circa id dubiam eſſe quæſtionem. Et deberi qua probant.

Cap. Quoniam 75. diſt.

Cap. Quia ſæpè, de Elect. in 6.

Clement. Statutum. de Elect.

Digitized by Google

dicendum exiſtimo: pro quo & aliquos adducit, quibus addi poteſt Barboſa *Allegat.* 114. *num.* 8. vbi generaliter loquitur de obuenientibus tempore vacationis. Et aſſertionis prædictæ hoc ſolùm fundamentum eſt, Iuris inquam diſpoſitio, quam in Indijs etiam locum habere non videtur poſſe dubitari, quia Epiſcopi iuxta Iuris diſpoſitionem exigere Quartam poſſunt, & id Regia reſcripta concedunt, vt vidimus *num.*28. vbi & Decretum Concilij Limenſis adduximus.

Oppoſitum fundatur. Primò ex defectu fundamenti; ſeu tituli, qui triplex.

Barboſa.

37 Sed contrarium poteſt probari *Primò*, Quia vt debeatur, obſtat defectus fundamenti, propter quod eſt ſacris Canonibus conſtituta: pro quo audiendus Illuſtriſſimus Barboſa *Allegat.* 86. *citatâ, num.* 7. vbi ſic ait: *Epiſcopo debetur Canonica hæc portio, potiſſimùm tribus ex cauſſis. Prima in recognitionem ſuperioritatis, ſicut cetera iura Epiſcopalia, de quibus in* Cap. *Conquerente, de Officio Ordinarij*, & in Cap. *De quarta*. Et in Cap. *Auditis, de Reſcriptis. Secunda ob communicationem, quæ inter Epiſcopum, & Eccleſias ſibi (commiſſas, &) ſubiectas reperitur.* Cap. *Requiſiſti. verſ. Secus, de Teſtamentis. Tertia ob curam, & cæleſte pabulum, quod impartitur Eccleſiis inferioribus, vt ſatis deprehenditur, ex Cap.* 1. *ibi*, Cœleſti pabulo, *de ſepulturis Conſtant omnes ex Abbate.* Cap. *Officij* 14. *numer.*6. de Teſtamentis. *Et ex Lapo de Canonicâ portione, Parte* 2. *numer.*1. Sic ille. Atqui manifeſtum eſt prædictas cauſſas vacante Eccleſia locum penitus non habere: ergo tali ſtante defectu illa non debetur.

Secundò, quia ex Iure nihil vrget.

38 Secundò. Quia Iuris diſpoſitiones adductæ non videntur vrgere. In primis enim de Canonicâ portione ibi ſermo nullus, cuius nec Gloſſę meminerunt, aut antiqui Iuris interpretes. Deinde Cap. *Quoniam quidam*, de bonis tantùm viduatæ Eccleſiæ loquitur. Cap. verò, *Quia ſæpè* conditionatè loquitur: Si videlicet talia bona fuerint, quæ debuerint Epiſcopis reſeruari: quæ autem talia bona ſint, non declarat: quæcumque autem fuerint, ſi occupentur, pro eo pœnæ ibidem iniunctæ procedunt. Clementina prædictum ſtatutum confirmat, vnde ſimiliter intelligenda, cum declarationibus ſubiunctis de emolumentis ex iuriſdictione & ſigillo Curiæ, cuius optimam rationem reddit Ioannes Andreas in illius expoſitione verb. *Declaramus*: qui emolumenta omnia ad fructus iuriſdictionis & ſigilli reuocat, vt ab ipſo ſtatim explicantur, & licet Barboſa *Allegat.* 86. *citatâ, num.*9. cum Innocentio, & Petro Vbaldo Peruſino dicat Canonicam portionem eſſe de lege iuriſdictionis, cuius emolumenta reſeruanda Epiſcopo aſſerit Clementina: ad illud dici poteſt, eſſe quidem, ſed non ſolum, cùm in rationibus aliis fundetur, de quibus *num. præcedent.* Et ex quibus vna integra & adæquata conflatur. Quod autem additur, & maius in hoc negotio pondus videtur habere, ſcilicet: *Aut aliàs vndecumque, quod ad Prælatos (Eccleſijs non vacantibus) pertineret:* ſic exponendum eſt, vt aliquam neceſſariò Iuri & rationi conformem limitationem admittat. Et quidem diſtributiones, quæ præſentibus tantùm dantur, & obuentiones, quæ intereſſentiam requirunt, ſucceſſoribus non debent Epiſcopis reſeruari, cùm tamen ad ipſos, Eccleſijs non vacantibus, pertinerent: quia id eſt Iuri & rationi conforme & conditionem importat, ex quâ ius oritur, vnde ea ſublata nequit conſiſtere. Cap. *Licèt*, de Præbendis. & Cap. *Vnico* de Clericis non reſidentibus *in Sexto*. Pro quo & Dom. Machadus *Tomo* 2 *Pag.* 148. *Col.*1. Cùm ergo quarta funeralis & oblationum exercitium peculiare requirat in Epiſcopis, quod vacantibus Eccleſiis ſtare nequit, ius in ipſis ad illam non eſt admittendum, ſicut neque Clementinam de illis loqui, cùm Iuri & rationi debeat conformis iudicari.

Tertiò, quia non eſt generalis pro eo, neque rationabilis conſuetudo.

39 Tertiò. Quia Parochi onus hoc ſemper grauiſſimum reputarunt (de Indiis loquor) & valde conati ſunt illud ſibi impoſitum amoliri: pro quo neque eſt generalis in illis conſuetudo, ad quam Iuris expreſſâ deciſione deficiente, non videtur à Prælatis recurrendum. Quòd enim conſuetudo rationabilis non ſit, multi docti & probi iudicant, & vt talis eſſet, modus introductionis eius obſtaret; quia reluctantibus Parochis, & metu adactis, nec volentibus iteratâ ſolutione illam firmare taliter, vt ſe adſoluendum obligarent. Quæ quidem conſuetudinis firmitati obſtare oſtendimus *num.* 24. *& ſeqq.* Accedit ob ingentia vacationum ſpatia in Indiis ſummam quartarum ad notabilem excreſcere quantitatem; vnde non videtur credibile iuxta mentem eſſe Pontificum, vt nullo laboris merito, ſed ſuis lotis, vt vulgò dicitur, manibus, ſe dominos numeroſæ pecuniæ deprehendant. Et quia in decimarum ſummâ ex eodem vacationum capite accreſcente, hoc eſt inconueniens deprehenſum, neque viſum opportunū, vt Epiſcopi ſic repente diuites Euangelicum munus auſpicerentur, habituri aliàs redditus ampliores; Reges noſtri quibus decimæ ab Apoſtolicâ ſunt Sede conceſſę, tertiam tantùm partem pro expeditione Bullarum, Pontificalium ornamentorum comparatione, & itineris ſumptibus, eiſdem congruentem iudicarunt, vt diximus *Titul.*5. *num.*113. Quia verò quartæ emolumenta alterius conſiderationis ſunt, neque de iis quidquam eiſdem attributum, nihil de illis ab ipſis diſpoſitum inuenitur, niſi vt iuxta Iuris diſpoſitionem ea exigant, vt vidimus *num.*28. *&* 29. Reges ergo noſtri non arbitrantur ex emolumentis quartæ ſummam ingentem extare; ſic enim conſequenter arbitrari poſſent habere illos vnde ſumptus facere pro præfatis poſſint: & ita viri ſapientes ex Regio Indiarum Conſilio, ex quorum ſententiâ talia diſponuntur, non videntur exactionem quartæ vacationis tempore generaliter approbare. De Pontificis autem voluntate aliunde non conſtat, & vt non ſit diſſimilis, faciunt adductæ coniecturæ.

Ex ingenti ſumma in vacationibus arguitur, & Regia circa decimas diſpoſitione.

Quid ex prædictis poſſint deducere Epiſcopi.

40 Iuxta hæc ergo habent Indiarum Epiſcopi vnde retundere impetum exactionis huiuſmodi poſſint, cùm ius ad illam non ſit ita, vt iudicant, expeditum. Probant illam viri docti, vnde quis erit, & laudabimus eum, qui pro illa non militet, ſua decimali portione, & emolumentis alijs, de quibus nulla eſt controuerſia, contentus? Sed certè cum Epiſcopis agimus, viris in Eccleſiâ primarijs, & à quibus perfectio exacta ex muneris obligatione requiritur. Si ergo inter perfectionis huius partes eam reponit Apoſtolus, vt litigioſus non ſit. 1. *Timoth.* 3. *v.* 3. *Non litigioſum:* tunc maximè indecorum credat eſſe litigium, cùm circa pecuniam verſatur, vnde Apoſtolus id cœleſti

Digitized by Google

leſti lumine perfuſus admonuit, dum ſic iunxit: *Non litigioſum, non cupidum.* ſatis indicans illud ſe præcipuè damnare litigium, quod ſolet cupiditas excitare. Vnde Concilij tertij Toletani *Cap.* 20. feruida illa monitio: *Ne videamus in Eccleſiâ Dei exactores potiùs quàm Pontifices nominari.* Sic Concilium, & habetur Cap. *Quia agnouimus* 10. q. 3. Quibus addendum, etiamſi Prælatis, quidquid hac in parte expetunt, concedatur; quia ſic Ius ipſis videtur indulgere; iuxta ipſius tamen Iuris diſpoſitionem, ſi diuites ſint, vel aliàs habeant ex fructibus dignitatis congruam ſuſtentationem, id quod ex quartâ accipiunt, debere in Eccleſiæ beneficium expendere. Sic habetur in Cap. *Placuit*, *citat. quæſt.* 3. in quo ex Concilio Bracharenſi ſecundo *Cap.* 2. ita ſcribitur: *Placuit vt nullus Epiſcoporum per ſuam diœceſim præter honorem Cathedræ ſuæ, id eſt, duos ſolidos, aliud aliquid per Eccleſias tollat: neque tertiam partem ex quacumque oblatione populi Eccleſijs Parochialibus factâ ſibi vſurpet; ſed Eccleſię reparationi ſeruetur, & ſingulis annis Epiſcopo ratio fiat: nã ſi tertiam partẽ illã Epiſcopus tollat, lumen & ſartatecta abſtulerit Eccleſiæ.* Hæc ibi. Quibus ſimilia extant in Cap. *Priſtis*, & in Cap. *Vnio*, ſic ex Conc. Toletano ſubditur: *Vnio noſtræ Congregationis decreuit atque inſtituit, vt tertias, quas antiqui Canones de Parochijs ſuis habere Epiſcopos cenſuerunt; ſi eas exigendas crediderint, ab ipſis Epiſcopis dirutæ Eccleſiæ reparentur, &c.*

1. Tim. 3. v. 3.

Concil. Tol. 3.

Quartam in Eccleſiæ beneficium debent expendere.

Cap. Placuit 10. q. 3.

Cap. Vnio ibid.

Circa oblationes Reſolutio poſtrema.

Aſſertio 11. *circa oblationes. Vbi de ijs, quæ cauſa mortis fiunt, tantùm deberi Quartam.*

41 DIco vndecimò & vltimò. Id quod dictum eſt de quarta funerali, non eſt ab oblationes, quæ cauſâ mortis non fiunt, extendendum. Id probo ex Cap. *Conquerente*, de Officio Ordinarij, vbi Honorius III. iura Epiſcopalia determinans, & ea, quæ in contributionibus conſiſtunt, definiens, ſic ait: *Synodatici, ſeu Cathedratici nomine duos ſoldos Quartam decimationum, & mortuariorum, viſitationem quoque annuam.* Sic ibi. Quibus Pontifex obligationem illam ſuſtulit, quæ à Gelaſio Papa erat impoſita circa oblationes, de quo in Cap. *Nec numerus* 10. q. 3. & in Cap. *Eleutherius* 18. *quæſt.* 2. dum ſtatuit vt circa hoc ſeruetur pactio & conſuetudo, quoad quotam ſcilicet, & vt illa deſignetur ex conuentione aut conſuetudine, nihil certum haberi poteſt: & vt ſublatam non velimus, ſed in ſuo robore perſiſtentem, illa certè moderationem habet ſingularem, dum ſic ibi Pontifex: *Nec illa pars oblationum omnium generaliter intelligenda eſt, ſed vel anniuerſariæ Dedicationis, vel quorumdam etiam ſolemnium dierum: prout inter Epiſcopum & ſacerdotem tempore Dedicationis conueneris.* Hæc ille. Iuxta quæ, vbi nihil eſt in Dedicatione conuentum, ei viſus Epiſcopus renuntiaſſe. Quòd ſi ſucceſſores ſibi non potuiſſe incommodare contenderint, conſtituant dies, ſed cum moderatione prædictâ, inde, quod obuenerit, habituri.

Cap. Conquerente, *de Officio Ordin.*

Specialis Gelaſij Conſtitutio circa illas.

Recenſentur nonnulla, ex quibus ſolui debet, ex Cap. Cùm inter vos.

42 Neque obſtat quod habetur in Cap. *Cùm inter vos*, de verb. Significat. Vbi multa recenſentur oblationum genera, ex quibus Honorius, qui & auctor Cap. *Conquerente*, ſolui iubet Canonicam portionem, videlicet ex ijs, *quæ in ciminili ponuntur; quod de altari ſuſcipit* (Sacerdos) *& facit per Eccleſiam deportari, & quæ ante Crucem, & in Miſſâ Trinitatis, & ea, quæ pro deſponſatis dantur, & lampades cum oleo, quæ prædicta Capellæ* (S. Hilarij) *ab aliquibus offeruntur, vel quæ dantur nuntio, qui ad recipienda talia per præfatæ Capellæ Parochiam deſtinatur.* Non inquam obſtat, quia ibi plus quàm quadragenaria conſuetudo inualuerat, ad quam Pontifex reſpectum habuit, vt oſtendimus *numer.* 32. *&* 33. Neque nos vim negamus conſuetudinis rationabilis, & legitimè præſcriptę, ſi conditiones eas habeat, de quibus *numer.* 24. *& ſeqq.* Concilium etiam Limenſe tertium *Act.* 4. *Cap.* 20. Quartam Oblationum ſoluendam ſtatuit: ſed non vrget contra dicta, cùm id velit tantummodò ſolui, quod iuxta Iuris diſpoſitionem debetur, *& modo, quem ſacri Canones ſtatuunt*, quæ ſunt illius verba. Facit pro Aſſertione Minorenſis Epiſcopus Zerola in Praxi, verb. *Legatum* num. 3. vbi ſic concludit: *Quarta Parochialis non debetur niſi de his, quæ obueniunt ratione funeris, & de legatis omnibus factis Eccleſiæ apud quam defunctus elegit ſepulturam.* Hæc ille. Sicut ergo Eccleſiæ non debetur, cui magis eſt Parochus obſtrictus, ita neque Epiſcopo. Vnde iuxta Iuris Canonici diſpoſitionem, Parocho inteſtato decedenti non ſuccedit Epiſcopus, ſed Eccleſia, cuius habuerat adminiſtrationem. Cap. *Dilectus*, de Suceſſ. ab inteſtato. Concilium etiam Tridentinum, vbi Quartæ meminit, ſolius funeralis fecit mentionem, vt videri ſpecialiter poteſt. *Seſſione* 25. *Cap.* 13. *de Reformat.* Quomodo autem oblationes debeantur Epiſcopo celebranti in quacumque Parochiâ, non autem in loco exempto, niſi ex vrbanitate, videri poteſt apud Barboſam *Allegat.* 80. *numer.* 11. *& ſeqq.* & hæc pro quarta à Parochis debita ſit ſatis attigiſſe, non Hiſpanorum tantùm, ſed Indorum etiam applicanda, ad quos operæ pretium eſt vt iam tandem tranſeamus.

Sed non eſſe generalem deciſionem oſtenditur.

Concil. Lim. 3.

Zerola.

CAPVT II.

Circa Indorum Parochos nonnulla percurruntur.

43 LOngiorem pro illis non atteximus diſcuſſionem, quia in ſuperioribus eſt præmiſſa, vnde ſatis erit, quæ ſunt dicta, nonnullis additis, refricare. Pro illis ergo

Aſſertio 1. *circa linguæ Indicæ peritiam in Parochis neceſſariâ.*

Dico primò. Futuri Indorum Parochi Indicę linguæ debent habere peritiam, & eâ deſtituti grauiter peccant, dum tale munus aſſumunt, ſicut qui illos approbant, præſentant, aut Canonicè inſtituunt. Videantur circa hoc dicta *Cap. præced.* §. 1. *& Titulo* 13. *numer.* 67. Circa quod his diebus grauis concertatio extitit. Cùm enim Capitulum Eccleſiæ Truxillienſis, Sede vacante, tres à ſe probatos ad Proregem, Patronatum Regium exercentem, vt iuxta morem eorum vnum eligeret pro Indicâ Parochiâ remiſiſſet; & non contemnendis relationibus illos peritiam linguæ ſufficientem non habere renuntiatum Proregi fuiſſet; vti minùs legitima nominatio ad prædictum eſt Capitulum reuoluta, vt rem attentiùs & legaliùs expediret. Pro quo cùm competens temporis ſpatium ſuo arbitrio deſignaſſet, nouo facto examine, iidem ſunt nominati, & ad Proregem nominatio deſtinata. Sed fruſtrà: nam relatio-

Caſus ſpecialis circa illã nõ annuente Prorege iudicio Capituli, & ad examen nominatos compellente.

Digitized by Google

relatione aliquorum de inſufficientiâ præfatâ, non eſt ad præſentationem progreſſus factus, ſed notificatum illis vt comparerent coram Prorege ipſo examen ſubituri. Sic factum, & iudicium Capituli præſentatione ipsâ comprobatum. Quod cùm in oppoſitione aliâ ſimiliter factum eſſet, iudicium Capituli minùs eſt legitimum deprehenſum, & nominatus ante alios inuentus eſt minùs habens, ſicut & ſecundum locum tenens, & ſolus poſtremus præter communem expectationem, Beneficiũ eſt ob peritiã linguæ, & alia congrua morum & doctrinæ ornamenta conſecutus. Quod cùm ſic factum ſit, & zelus debuerit ſic agentis commendari, an tamen ſecundùm ſcientiã fuerit, dubitarunt multi, alij apertiùs inficiati. Vnde enim Patrono poteſtas talis, cuius ſolæ partes in præſentatione ſunt poſitæ, cùm examen, & alia conſequentia, ad ius Prælati ſpectent, & negotiũ merè ſpirituale ſit, cui nequit niſi violatis legibus laica ſe poteſtas immiſcere? *Cum ex vi iuris patronatus, non conceſſio, ſed præſentatio pertineat ad Patronum:* quæ ſunt verba Gregorij Noni in Cap. *Tranſmiſſæ*, de iure patronatus, vbi Gloſſa ſic ait: *nota ergo vim & poteſtatem, quam habet Patronus Solam præſentationem; vnde nil aliud ſibi vendicare debet.* Sic illa. Et eſt hæc communiſſima doctrina Iuris auctoritate firmata, de quâ nequit dubitari. Si præterea addamus quæ Concilium Tridentinum *Seſſione* 24. *Cap.* 18. de Reformat. circa examen eorum qui ad Parochiales Eccleſias ſunt aſſumẽdi, diſponit: debent enim eſſe in eo examinatores Synodales, qui cum Epiſcopo, aut eo impedito, cum ipſius Vicario concurrant. Quæ & obſeruanda exactiſſimè in prouiſionibus Indiarum Regio edicto cauetur, cuius tenorem adducit Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 3. *Cap.* 15. *numer.* 14. & in Politica *pag.* 624. Videnda etiam Cardinalium declaratio *infrà numer.* 8. per quam omne aliud examen remouetur, etiamſi ius ad illud cumulatiuè dicatur haberi ex immemoriali conſuetudine. Et quid ad hæc Patronus, & ab eodem Examinatores deſignati, nec pro linguæ peritia tantùm, ſed etiam pro doctrinâ?

Non approbatur factum.

Cap. Trãſmiſſæ, de iure patr. Gloſſa. Patroni poteſtas circa ſolam præſentationem.

Minimè ad Examinatores.

44 Si communis equidem præſentandi modus eſſet, & Prorex nullâ præcedente Epiſcopi, aut Capituli nominatione, aliquem aut aliquos deberet præſentare, non liceret ipſi ad examen vocare, ſed informatione de idoneitate præmiſsâ, præſentatio ab ipſo fieri debuiſſet. Cùm enim Regi in præſentatione nihil tale in vſu ſit, & id Eccleſiæ conſuetudo non ferat, non debet Prorex plus ſibi eius generis adrogare. Ex eo autem quod nominatio in Indiis Ordinarij præcedat, non plus poteſtatis ſubſtituto Patroni confertur, quia nullum amplioris huius licentiæ extat fundamentum. Cùm Parochialis collatio ex priuilegio ad aliquem Abbatẽ, vel quempiam alium inferiorẽ pertinet, declarauit ſacra Congregatio Cardinalium, vt videri poteſt in earũ vltima Recognitione circa citatum Caput Tridentini. §. *Quoties aliquis*, Collatores tales nihil quoad examen poſſe illis verbis: *neque Abbas eam ob cauſſam vllum examinis edictum proponere poteſt, neque illius officij partem vllam attingere: ſed id totum pertinet ad Ordinarium &c.* Idque eâ ratione; quia cùm ſola collatio ſit illis conceſſa, non debent circa examen partem vllam ſibi vendicare: cùm tamen Prælati Eccleſiaſtici ſint, & videatur Iuri & rationi conſentaneum vt collaturus Beneficium, per examen agnoſcat illo eſſe dignum eum, cui eſt ab ipſo conferendum. Quid ergo de Patrono laico eſt æquum cenſeamus, qui & ob ſtatum, & Pontificiam indulgentiam, minori eſt præditus facultate?

Ex ordinario præſentandi modo roboratur.

Congregatio Cardinalium.

45 Præterquam quod iudicio Ordinarij circa ſufficientiam eorum, qui præmiſſo examine eliguntur, omnino ſtandum eſt, quando nullus eſt, qui de tali iudicio appellet ob prætermiſſionem ſuam, cùm notoriè dignior ſit: tunc enim appellationis recurſus cõceditur à Pio V. in Bullâ publicatâ *Kalendis Aprilis* 1567. Pro quo extant Declarationes Cardinalium plures, quæ videri in recollectione & recognitione citatâ poſſunt. Vnde vnius aut alterius dicto ſtandum non eſt, ſed actis iuridicis, vbi præſertim doctrina, & timorata conſcientia Ordinariis ſuffragantur. Cap. *Lugdunenſis* 9. *quæſt.* 2. & Cap. *Niſi eſſent*, de Præbendis, ibi: *niſi eſſent viri prouidi & honeſti. &c.* Vbi Doctores. Et hoc quidem in caſu noſtro effectus comprobauit: nominatus enim primo loco à Capitulo eſt à Prorege præſentatus, ex quo apparuit tranſuerſales delationes veritatis fuiſſe præſidio deſtitutas. Quòd ſi in ſecundo caſu ſecus euenit, ad id quidem reſponderi poteſt ex doctrina ſacræ Rotæ, quam amplectitur Barboſa *Allegat.* 60. *num.* 91. §. *In prouiſionibus*, vbi ſtatuit cùm in prouiſione Curati Beneficij per Sedem Apoſtolicam additur; *Si per diligentem examinationem per te adhibitis Examinatoribus in Synodo Diœceſana deputatis, ad hoc idoneum eſſe repereris, ſuper quo conſcientiam tuam oneramus:* eâ clauſula non obſtante, non eſſe nouum examen neceſſarium, ſi prouiſus iam priùs eſſet examinatus: ſatis enim per illud diſpoſitio Pontificis adimpletur. Pro quo bonos textus & Auctores adducit. Nec enim debet prouiſus caſuali conditioni cum periculo amiſſionis exponi, aut nouum iudicium, quod mutabile eſt, ſæpè ſubire. *Idoneus enim caſu* (verba illius ſunt) *vt puta memoriâ labente, vel Præſulis, & Examinatorum aſpectu perterritus, deficere poteſt in examine; ſiue tamquàm dependens etiam ab arbitrio & iudicio Ordinarij; vel Examinatorum &c.* Iuxta quæ ſic etiam accidere potuit in caſu noſtro. Et vt reuerà ita ſit, quod minùs ſufficiens extiterit, id non eſt tantæ conſiderationis, vt propter vnum aut alterum contingens, modus debeat receptus, & Superiorum Ordinationibus conſtitutus, dum nihil euidens in contrarium occurrerit, variari. Neque Patroni conſcientia ex eo grauatur, dum iuri ſe Indiarum, ſatis prouidè diſpoſito, cum euitatione turbarum, quas nouitas excitare ſolet, accommodat: cùm timere potiùs debeat, ne, dum ſacris ſe plus iuſto intrudit, lepram aliquam non facilè medicabilem patiatur.

Vrgetur ex eo quòd Ordinarij iudicio ſtandum ſit.

Cap. Niſi eſſent de Præbendis.

Notanda doctrina pro repetitione examinis euitandâ.

Barboſa.

46 Pro reſolutione autem prædictâ mouere potuit neſcio quod Proregis alterius exemplar. Sed exemplaria huiuſmodi non talia eſſe ſolent, qualia illa, de quibus Apoſtolus *Hebræor.* 9. *v.* 24. ſcilicet: *Exemplaria verorum:* in quibus ſcilicet veritatis

Exemplar circa idem non benè allegari.

veritatis, iuſtitiæ, & æquitatis reſpectus reperiatur. Et quæ talia non ſunt, trahi non debent in exemplum. *L. Quod contra rationem D. de regulis iuris.* Pro quo & regula Iuris 64. in Sexto, quæ ſic habet: *Quæ contra ius fiunt, debent vtique pro infectis haberi.* Non ergo vt exemplaria proponenda, de quo & dictum *Titulo* 3. *num.* 92. Potuit etiam Vicaria poteſtas allegari eius, quæ in Regibus noſtris eſt, pro iis diſponendis, quæ ad Indorum conuerſionem, & ſtabiliendam in Indiis Chriſtianam religionem ſpectant. Quâ quidem videtur vſus glorioſæ memoriæ Philippus Tertius, dum modum obſeruandum in Prouiſionibus Indicorum Beneficiorum præſcripſit *die* 4. *Aprilis* 1609. de quo *num.* 43. nullam ſpecialis alicuius Pontificij Indulti faciens mentionem. Sed hoc quidem non ſolidum firmamentum eſt. Quidquid enim de Regibus noſtris ſit, de quo dictum aliàs, Proregibus certè ſunt fines præſcripti, *quos vltra citraque nequit conſiſtere recti cura miniſterij.* Et cùm negotium adeò periculoſum ſit, non eſt hæc amplianda, ſed cum omni moderatione tractanda poteſtas. Quod quidem generaliter de Proregibus loquendo verum habet, vt oſtendit Dom. Solorzanus *ſuprà Lib.* 2. *Cap.* 11. *num.* 15. & 16. Vbi quod clauſula *Cum libera* in mandatis à Rege, Proregibus datis, limitationem habet ex formâ præſcriptâ.

Neque peculiarem in Indijs poteſtatem ex conceſſione Pontificum.

Proregum poteſtas quos habeat limites.

Illuſtratur & vrgetur præclara Dom. Solorzani doctrina.

47 Quòd autem in cauſſis, de quibus agimus, id maximè verum ſit, eiuſdem eſt verbis exornandum, dum *citato Cap.* 15. *num.* 46. & *ſeqq.* ita ſcribit: *Si cauſſæ, & cauſſarum cognitio deſideratur, iam apparet quàm ſit à Iuris Canonici principiis alienum, quòd Prorex, & alij Gubernatores, quantumuis Regium Patronatum exerceant, ſe (etiam ſimul cum Prælatis) his cauſſis immiſceant, à quibus laici omnino abſtinere debent.* Cap. Decernimus, *cum vulgat, de Iudiciis & quidem ſub Cenſuris Bullæ Cœnæ Domini.* §. 9. & 10. & *Concilium Tridentinum Seſſione* 24. *de Reformat. Cap.* 18. *quod ſolùm Patronis laicis perſonam Beneficiarij præſentare permittit: ceterùm eius examen viſitationem, & correctionem, Prælato dumtaxat relinquit, vtpotè ſoli, & vero iudici Clerici.* Hæc ille: cuius poſtrema verba vim ſpecialem pro caſu noſtro præſeferunt. Nam examinatio actûs veri iudicis eſt, vti præambula ad ſententiam iuridicam de ſufficientiâ, quam Examinatores non ferunt, licet iudicium ſuum circa eamdem interponant. Ex quo fit Patrono non poſſe vllatenus conuenire. Pro quo tandem rogo, cùm auditis Examinatoribus à ſe deſignatis Prorex ad præſentationem procedit, virtute cujus examinis id præſtat? Si prioris illius coràm Ordinario: ergo illud ſufficiens fuit: ſi poſterioris, non eſt ſeruata in illo forma Concilij Tridentini *citato Cap.* 18. Non ergo legitimè prius illud eſt reiectum, & ad aliud prouocatum. Et certè non videtur dici poſſe vi prioris præſentationem fieri, de cuius legitimitate fuerit Prorex certioratus: nam hæc mera verba ſunt, cùm conſtet examen ad habendam certitudinem ſufficientiæ prorſus ordinari: atqui Prorex ratione ſecundi examinis tantùm eſt certioratus de ſufficientiâ, de quâ ſe penitus incertum fatebatur: ergo vi illius fit præſentatio. Et Examinatores quidem in ſecundo examine iudicium ſuum proferentes, non aiunt legitimè prius examen fuiſſe peractum, ſed ſufficientem eſſe examinatum. Illis enim conſtare nequit de prioris examinis legitimitate, quia accidere potuit vt iam examinati, & minùs ſufficientes, non legitimè approbati, ſcientes poſteà ſe iterum ab Examinatoribus per Proregem deſignandis, fore examinandos, ſtudium auxerint, & ſufficientiam fuerint conſecuti. Quod neque ſuffragari in cauſſâ præſenti poteſt, quia habilitas debet inſpici de tempore primi examinis, ex Rotâ & aliis ab eâdem citatis in Deciſione quadam ex nouioribus 15. Nouemb. 1649. §. *Non vrget*, apud Dianam *Parte* 10.

Dilemma fortiſſimũ.

48 In caſibus ergo ſimilibus poterit Prorex præſentationem differre, & Ordinarium monere vt videat ſi quidquam fuerit in nominatione commiſſum, vnde offenſio aliquorum, de quâ ipſi conſtat, fuerit excitata. Illo autem legitimè omnia peracta reſcribente, & in priori perſiſtente iudicio, annuendum quidem, quidquid vnus aut alter contradicat. Nam & Examinatores aliqui poſſunt eſſe contrarij, & Capitulares item: quorum tamen iudicio non ſtatur, ſi maior pars oppoſitori ſuffragetur. Immò plus aliquid ſacra Congregatio cenſuit, vt refert Garcia *de Beneficiis Parte* 9. *Cap.* 2. *num.* 109. Cùm enim rogatum eſſet, *An ſi pluribus examinatis, aliqui vltra dimidiam vocum partem fuerint conſecuti, & ſic approbati, vnus autem omnia ſuffragia proſpera reportarit: Epiſcopus factâ per Examinatores relatione poſſit, poſtpoſito alio, in quem omnia ſuffragia confluxerunt, vnum ex eis eligere, qui vltra dimidiam partem vocum habuerunt, cum omnes approbati dicantur? Congregatio reſpondit poſſe.* Hinc conſtat Capitulari, qui in contrariâ ſententiâ fuit, non eſſe credendum, neque Examinatori, & multò minùs iis, qui extra conclaue examinis fuerunt, qui paſſione multoties, non zeli puritate, ducuntur, aut rem nõ habent penitus exploratam. Quia verò aliquando contingere poteſt, vt de indignitate alicuius Proregi conſtet, circa quam Ordinarius ignorantiâ laborauerit, reijcere eum poterit, & in loco ſecundo aut tertio nominatum præferre: immò & tenebitur ſic facere, etiamſi Ordinarius judicet expedire, vt talis ex vno Beneficio, in quo periculosè verſatur, debeat transferri ad aliud. Præſentatio enim indigni iniqua eſt abſolutè loquendo: quòd ſi aliàs remotio expediat, remoueatur vtique, ſed non promoueatur, qui culpâ ſuâ Paræcianorum odium prouocarit. Et ita nuper accidit Excellentiſſimo D. Comiti de Alba de Aliſte poſt doctorum virorum conſultationem quemdam primo loco nominatum ab Illuſtriſſimo Limano Archiepiſcopo ſemel iterùm repellente. Pro quo hæc ſatis

Quid in caſibus ſimilibus faciendum.

Congregationis Cardinalium notanda reſponſio.

Poſſe aliquando Proregem iudicio Ordinarij non ſtare.

49 Dico ſecundò. Parochi Indorum debent illis prædicare, juxta dicta. *n.* 3. & 4.

Aſſertio 2. Prædicandum Indis

Dico tertiò. Parochi Indorum peccant grauiter, dum illos in diebus feſtiuis ad oblationes compellunt. De hoc dictum *Titulo* 12. *num.* 468. & 469. Vbi etiam de obligatione reſtitutionis videatur etiam Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 3. *Cap.* 15. *num.* 92. & in Politica *pag.* 633. *Col.* 1.

Aſſertio 3. Non extorquendas oblationes.

Dico quartò. Parochi Indorum, dum decimarum partem non accipiunt, non tenentur ad reſtitutionẽ ex Officij diuini omiſſâ recitatione. Conſtat ex dictis *num.* 15. & *ſeqq.* Quia verò iam eſt pro Indis à Regio Concilio ſententia pronunciata,

Aſſertio 4. Parochos non teneri ad reſtitutionem ex officij omiſ.

Digitized by Google

ſiue etiam decimas non accipiunt.

tiata, vt non debeant ſpeciale tributum pro ſuſtentatione Parochorum ſoluere, & decimas pariter, ſed vnum aut alterum: quòd ſi obligentur ad decimas, inde eorum Parochos ſuam debere accipere portionem: rebus ſic ſtantibus obligatio reſtitutionis erit, iuxta eam proportionem, quæ loco eſt citat. demonſtrata. Vide *Tit. ſeqq. num.* 18.

Aſſertio 5. Non poſſe contractare.

Dico quintò. Parochi Indorum nequeunt cum illis, aut per illos, contractationem lucroſam exercere. Pro hoc videnda, quæ ex profeſſo diximus *Titulo* 9. *n.* 151. *& ſeqq.*

Aſſertio 6. Teneri ad omnia Parochis communia.

50 Dico ſextò. Parochi Indorum ad illa omnia tenentur, quæ Parochis communia ſunt, de quibus *Cap. præced.* §. 2. Cùm enim veri Parochi ſint, & ipſi hoc frequenter inculcent ad iura Parochialia exigenda, non debent ſe in odioſis, ſi tamen verè odioſa ſunt, ad obligationes ſcilicet, eo quòd Indorum ſint, ſemiparochos tantùm æſtimare. Alia pro eiſdem videnda *Titulo* 13. *n.* 4. *& ſeqq.*

Aſſertio 7. Et ad vtendum Rituali Pauli V.

Dico ſeptimò. Parochi Indorum tenentur Rituali vti Pauli V. vbi eius eſſe copia poteſt. Videantur dicta *num.* 19. Dixi *Vbi eius haberi copia poteſt.* quia hæc quandoque non extat, immò neque aliorum, ex quibus Mexicanum quoddam ſolet eſſe frequentius, quo vti licebit, quia ſic eſt multorum vſu receptum. Et ita ſtatuit Synodus Diœceſana Limenſis *Libr.* 1. *Titulo* 5. *Cap.* 17. vbi vſum Toletani præſcribit, & in eius defectu, Mexicani, quia tunc temporis Romanum nondum fuerat euulgatum. In forma quidem Extremę Vnctionis aliqualis ſolet eſſe diuerſitas, ſed quæ ad ſubſtantiam non ſpectat. Vt verò in hoc & in alijs, quæ ad Sacramentorum adminiſtrationem pertinent, omnimoda conformitas eſſe poſſit, facile erit Parocho ad aliquem in ciuitate reſidentem ſcribere, vt ex Rituali Romano ea fideliter depromat, quæ maioris momenti ſunt: quod & Parochus ipſe facere poterit in Ciuitatem veniens, vt ſæpè accidit. Et cùm hoc facilè fieri poſſit, & res non exigui momenti ſit, non videtur vacare culpâ id facere prætermittens, quia modus adminiſtrandi Sacramenta ab Eccleſia præſcriptus, non eſt alligatus litteris Typographiâ expreſſis, quandoquidem res ipſa, non modus litterarum imperatur.

Aſſertio 8. Et vt aſperè Indos non tractent.

Vide etiam Tit. 11. n. 2.

Concilium Lim. 3.

51 Dico octauò. Parochi Indorum grauiter peccare poſſunt, ſi ſe erga illos aſperos & ſeueros exhibeant. Pro quo militant, quæ *Titulo* 7. *num.* 6. diximus de Commendatarijs Indorum loquentes, id enim in Parochis locum habet potiorem. Et ratio eſt manifeſta, timiditate eorum ac puſillanimitate perſpectâ. Quomodo enim ad illos confidenter accedent confeſſuri peccata, & animarum remedium inter diaboli frequentia tentamenta quæſituri? Quâ de cauſſa, vt diximus *Titulo* 12. *num.* 442. caſus omnes ad forum Pœnitentiæ ſpectantes conceſſi ſunt cunctis Indorũ Confeſſarijs à Concilio Limenſi Tertio eamdem reddente rationem, imbecillitatis inquam eorum, & ſpiritualis ſenſus inopiæ. Sed extat magis ſpeciale circa hoc eiuſdem Concilij Decretum *Act.* 3. *Cap.* 3. vbi ſi habetur: *Porrò Parochis, ceteriſque Eccleſiaſticis miniſtris ſeriò præcipit, vt Paſtores ſe meminerint, non percuſſores, & tamquàm filios Chriſtianæ charitatis ſinu Indos foueant & portent. Quòd ſi quiſpiam percutiendo, maledicendo, aut aliàs quoquo modo Indum aliquem læſerint, Epiſcopi ac Viſitatores ſeuerè admodum & inquirant & vindicent. Profectò enim turpiſſimum eſt Dei Miniſtros in ſæculi ſatellites verti.* Sic Concilium: cuius & circa idem Decretum habetur aliud *Act.* 4. *Cap.* 8. vt Parochi per ſe ipſos non cædant aut puniant illos. Videndum illud, eſt enim quod legatur digniſſimum.

Aſſertio 9. Circa veſtitus decentiam.

Dico nonò. Parochi Indorum circa veſtium, decentiam debent ſuo ſtatui congruentem obſeruare: iuxta dicta *Titulo* 14. *n.* 21. *& ſeqq.*

Aſſertio 10 De vita exemplo.

Dico decimò. Parochi Indorum exemplo vitæ debent illis ſingulariter prælucere, quia cùm de conuerſione eorum agatur, & firmamento fidei in illis ſtatuendo, cum Chriſtianæ perfectionis auctario, quidquid ſcandalizare eos poteſt, generalem ruinam loco ædificationis inducit. De hoc dictum *Titulo* 13. *num.* 65. Et conſulenda præcipuè quæ dicta ſunt *Titulo* 1. *Cap.* 3. vbi de qualitatibus Miniſtrorum Indicorum.

Aſſertio 11. De graui obligatione diſponendi Indos ad Euchariſtiam.

Dico vndecimò. Parochi Indorum ſub reatu lethalis culpæ tenentur illos ad Euchariſtiæ ſuſceptionem diſponere, & eam ipſis ſuo tempore miniſtrare. Pro quo ſunt Auctores, quos adducit Dom. Solorzanus *Cap.* 15. *citato, num.* 95. & in Politica *ſuprà Col.* 2. Et illis addendus Ferdinandus Zurita in *Enchiridio Indico Quæſt.* 3. Et videri poſſunt quæ diximus *Titulo* 12. *n.* 443. *& ſeqq.* vbi de hoc actum ex profeſſo. Sunt etiam pro eodem grauiſſima Concilij Limenſis tertij Decreta *Act.* 2. *Cap.* 19. *&* 20. quorum prius allegat Dom. Solorzanus, in quo de tradendo Viatico agitur, qui & ſecundum de Paſchali Communione poterat etiam allegare. Circa vtrumque autem, quæ *ibidem* diximus conſulenda, vbi Parochorum obligatio ſatis demonſtrata. Vide etiam *inferiùs num.* 78. Iam ergo ad alia, pro quibus ſit

CAPVT III.

Parochis Indorum vt ſit prohibita cohabitatio fœminarum, & obſeruanda circa illam.

Concilij Lim. 3. Decretum circa cohabitationem fæminarum.

52 Dictum de hoc *Titulo* 14. *num.* 15. *& ſeqq.* vbi Concilij Limenſis tertij grauiſſimum Decretum adductum, cuius tamen hoc loco circa cohabitationem huiuſmodi peculiaris prohibitio diſcutienda. Sic ergo *Act.* 3. *Cap.* 19. *in fine* habetur: *Sed neque iuuenculas Indas ad ſeruitia domeſtica, ſiue perpetuò ſiue etiam per vices alternantes, temerè vllâ ratione permittantur: ſed aut famulatu virorum, aut, ſi opus erit, mulierum ſatis ætate prouectarum ſeruitio vtantur.* Sic ibi. In quo quidem Concilium Sacrorum Canonum eſt inſtituta ſecutum. Nam Cap. *Inhibendum*, quod eſt primum *de Cohabitat. Clericor.* ita dicitur: *Inhibendum eſt vt nullus ſacerdos fœminas, de quibus ſuſpicio poteſt eſſe, retineat. Sed neque illas quas Canones concedunt, matrem, amitam, & ſororem: quia inſtigante diabolo & in illis ſcelus perpetratum reperitur, aut etiam in pediſequis earumdem.* Sic ibi. Et Cap. *A nobis*, eodem Titulo, ita dicitur: *Cum Clericis quoque non permittas mulierculas*

Alia Sacrorum Canonum.

Cap. Inhibendum, de cohabitat.

Digitized by Google

Cap. A nobis, eodem Titul.

habitare, niſi fortè de illis perſonis exiſtant, in quibus naturale fœdus nihil permittit ſæui criminis ſuſpicari. Sic Innocentius III. cùm prius Caput deductum fuerit ex Concilio Moguntino. Perſonas autem magis in ſpeciali deſignat *Lib. 37. Titul. 6. Part. 1.* Nec videtur dubitari poſſe de graui circa hoc obligatione, grauitate rei ipſius, & Canonum verbis inſpectis, quamuis vſus notabilem induxerit laxitatem, vt ſententia illa, quam adducit Gloſſa in citat. Cap. *Inhibendum*, videatur admittenda, illud ſcilicet procedere de Clericis ſuſpectis & iuuenibus, ac de mulieribus etiam ſuſpectis: pro quibus etiam *Lib. 38. Titul. eodem*: ceſſante ergo ſuſpicione, ſtare cum illis habitatio poterit. Videatur inquam admittenda, ne plurimos grauis huius præcepti reos, qui bonâ aliàs fide procedunt, & æternæ damnationi addictos fateamur. In caſu autem noſtro minimè eſt tale aliquid admittendum, cùm Concilium permiſſionem circa hoc omnem abſcindat, dum ait: *Neque vllâ ratione permittantur*, & circumſtantiæ tales ſint, vt oporteat iis attentis cautelam ſpecialiſſimam adhibere. Inter Indos enim viuitur, de quorum conuerſione agitur, & à quorum perſuaſione longiſſimè omnis debet eſſe ſuſpicio, quæ ſuos poſſit maculare Paſtores.

Ex grauiter obligare. Sed vſu temperata, & qualiter.

Non tamen circa Parochos Indorum.

Caſus ſpecialis de Parocho ægrotante.

53 Sed circa hoc caſus non prætereundus occurrit. Ægrotat Parochus languore prolixo, qui grauet medicum, & multò magis patientem: fœminarum ſeruitio illi eſt opus, quia *vbi non eſt mulier, ingemiſcit egens. Eccli. 36. v. 27. nec prouectæ ſatis ætatis*, vt Concilium loquitur, ad id idoneæ. Quid ergo faciat miſer inter anguſtias deprehenſus? Quid inſuper, ſi contingat infirmum corpore, animo etiam periculoſius infirmari, & cum ſeruitricibus non ſolùm cogitatione & verbo, ſed & opere, ſemel & iterùm, immò & ſæpè peccare? Circa quæ

Aſſertio 1. neceſſitate manifeſtâ excuſare.

Dico primò. Si neceſſitas manifeſta ſit, ſine graui peccato poteſt iuuencularum ſeruitium aſſumi. Sic habetur in *Cap. 4. de Regulis Iuris, Lib. 5.* vbi ſic dicitur: *Quod non eſt licitum in lege, neceſſitas facit licitum. Sic hodiè ſi quis ieiunium fregerit ægrotus, reus voti non habetur.* Sic ibi. In caſu autem noſtro manifeſta eſt neceſſitas; vnde & licita fractio, ſi tamen fractio legis, vbi illam conſtat non obligare. Sic citandi *Aſſert.* 3.

Cap. 4. de Regul. Iur.

Aſſertio 2. probabilem timorem notabilis grauaminis ſufficere.

54 Dico ſecundò. Ad aſſumptionem præfati famulatus non eſt neceſſarium quod damnum ſeu grauamen ſubſecutum ſit notabile, ſed ſufficit probabilis exiſtimatio de illius grauitate cum manifeſta experientiâ alicuius non euidenter leuis nocumenti. Quod probari poteſt ex receptiſſimâ doctrinâ circa opinionem probabilem, quòd ſcilicet illam poſſit tutò quis amplexari. Nam ex probabili fundamento nocumenti naſcitur probabile etiam iudicium, quòd lex tunc non vrgeat: nam vbi euidens eſt, euidenter ſequitur poſſe à verbis legis recedi: ergo vbi probabile, ſufficiens eſt ad probabile iudicium, quod ſecurè in praxi ſic iudicans poſſit amplecti. Neque enim credibile eſt prudentem legiſlatorem, Eccleſiaſticum præſertim, iuxta pietatis regulas procedentem, eo cum rigore obligare velle, vt non niſi cùm euidens eſt nocumenti periculum, à verbis legis poſſit recedi: quia ſicut homines vt vitæ ſuæ aut ſaluti conſulant, non ſolùm euidentia pericula, ſed probabilia etiam vitare debent: ita & legiſlator communi circa hoc bono debet attendere, & naturali inclinationi conſeruandæ vitæ condeſcendere. Quod quidem in exemplo ieiunij nuper allato euidenter apparet: non vult enim Eccleſia infirmos obligare lege de ipſo latâ, quam ſic receptiſſimus vſus interpretatus eſt, vt tunc ceſſare illius cenſeatur obligatio, quando notabilis alicuius imminet probabile nocumenti periculum, iuxta medicorum iudicium, aut propriam experientiam. Si enim euidens tantùm periculum ad deobligandum eſſet neceſſarium, rarò vſus carnis liceret, cùm illius neceſſitas ſolùm ex probabilibus haberi ſoleat coniecturis, & à medicis præſcribi. Et ita communiter philoſophantur de Ieiunio agentes quoad ſubſtantiam aſſertionis, quorum ſententia conuenienter poteſt breui hoc noſtro diſcurſu comprobari.

Ex ieiunij ceſſante obligatione firmatur.

55 Dico tertiò. Si lapſus iterati ſint, ita vt proxima occaſio cenſeri poſſit, probabile videtur non obligari Parochum ad prædictum famulatum dimittendum, & abſolui poſſe, ſtante firmo propoſito inpoſterùm abſtinendi etiamſi expertus ſit ſe poſt Confeſſiones aliàs recidiſſe. Sic colligitur ex multorum Doctorum ſententiis, circa filios familias, famulos, medicos, chirurgos, mercatores, & circa eos generaliter, qui ſi dimittant peccandi occaſiones, commodam pariter vitæ ſuſtentationem amittent, ægrè, ſi dimiſerint victuri, & ſic potiùs morituri: Quod quidem & ad Parochos accommodari poſſe, qui occaſione Confeſſionum, aut Extremæ vnctionis, dum fœminis Sacramenta miniſtrant, grauiter labi contingit, graues Auctores affirmant, qui videri poſſunt apud Dianam *Parte 3. Tractat. 5. Reſolut. 3. iunctis iis, quæ habet, Tractat. 3. Reſol. 269. & Parte 5. Tractat. 14. Reſolut. 107. & 108.* Auctoribus autem ab eodem adductis addendi Baſſæus *in Floribus Theologicis.* verb. *Abſolutio, num. 7.* vbi ait abſolui poſſe Concubinarium, qui non dimittit Concubinam ob aliquod graue incommodum. P. Martinon *Tomo 5. Diſputat. 53. num. 287.* vbi idem affirmat *quando occaſio non poteſt relinqui ſine graui ſcandalo, vel infamia vel magno detrimento ſpirituali, aut temporali, & Pœnitens proponit firmiter vti auxilio diuino.* P. Bauny *Tomo 1. Tractat. 4. Quæſt. 14. Dicto. 3.* vbi adductis alijs, in quibus ſunt P. Laymam, & Mag. Candidus, Aſſertionem probat *Primò*, quia cùm eſt iuſta cauſſa exponendi ſe periculo peccandi, pœnitens nec occaſionem vult expreſsè & actu, nec peccatum ex eâ conſequens, ſed commodum ſuum, nempè priuationē damni, in famâ, honore, pecunijs; quo bono non frueretur, ſi occaſionem prædictam amitteret, aut vitaret. *Secundò*, quia iuſta & rationabilis cauſſa efficit, vt eam nolenti deſerere, non ſit plenè voluntaria, nec illi in culpam imputetur; cùm naturali iure liceat cuique honorem ſuum defendere, vitæ, & ſtatui neceſſaria non omittere, ſecundum Nauarrum in Manuali *Cap. 3. num. 21. Cap. 14. num. 35.* Ergo talis occaſio defectu voluntarij vitioſa non erit. Sic ille. Remigius in Praxi Parochorum editionis 4. *Tractat. 2. Cap. 6. §. 14.* & in terminis magis ſpecialibus loquens Ioannes Sancius in Selectis Editionis Lugdunenſis *Diſput. 10. num. 20.* quem tamen impugnat validè P. Arriaga *Tomo 8. Diſputat. 38. num. 35. & ſeqq.* tamquàm

Aſſertio 3. probabile eſſe nō obligari ad dimittendam occaſionem etiamſi lapſus iterati.

Diana.

Baſſæus.

P. Martinon.

P. Bauny.

Digitized by Google

quàm improbabiliter locutum; vnde neque à Diana admiſſus *Reſolut.* 108. *citatâ.* Sed caſus noſter vrgentior eſt, vt conſtat. Pro quo & videndus Thomas Hurtadus *Tractat.* 1. *Cap.* 4. vbi cum P. Laymam *Tomo* 1. *Tractat.* 6. *Cap.* 4. *numer.* 7. §. *Excipe*, graue incommodum corporis excuſare aſſerit.

Aſſertio 4. adiiciuntur quædā vt ſuſtineri poſſit probabiliter.

56 Dico quartò. Vt Aſſertio præcedens poſſit probabiliter ſuſtineri, aliqua adiicienda ſunt, ſine quibus minimè ſuſtineri poteſt.

1. Non cogendas ſeruitrices.

Primum, vt ſeruitrices dictæ non cogantur ad præfatum miniſterium, non ſolùm quia liberæ ſunt, ſed etiam quia ad perſiſtendum in ſtatu peccati cogerentur. Inuitari autem poſſunt, quia neceſſitas facit, vt periculum, cui exponuntur, voluntarium inuitanti non ſit, iuxta nuper dicta. De coactione autem alia eſt ratio, quia non eſt illis liber exitus à peccati ſtatu, in quod etiam inuitæ pertrahuntur.

2. Vt tempus tribuatur ad Cōfeſſionem.

Secundum, vt Parochus illis tempus ad Confeſſionem peccatorum tribuat, illaſque exhortetur, vt de peccatis pœniteant, & propoſitum emendationis concipiant, nec ſibi deinceps, ſi ad peccandum prouocauerit, vlla ratione conniueant. Hoc namque non ſolùm herilis cura, ſed multò magis Parochi requirit officium.

3. Fraternè corrigere, & modus, quo id faciendum.

Tertium, vt non ſolùm inſtante Confeſſionis tempore, ſed ante illud etiam præceptum fraternę correctionis adimpleat, exhortando prædictas, vt à peccato abſtineant, nec prauo ſuo moueantur exemplo, qui, ſi vt fragilis labitur, cum propoſito tamen emendationis ſubinde confitetur.

4. Inſtruere, ſine peccato ſibi aſſiſteri poſſe.

Quartum, vt eaſdem inſtruat non peccare ſe mortaliter, eò quòd eas aſſiſtentes habeat, etiamſi aliquando libidinoſæ perſuaſioni conſentiant, quia extra domum maioribus ſunt periculis obnoxiæ, neque habent ita commodam vitæ ſuſtentationem. Supponerem ita ſe habere, vt frequenter contingit, & in caſus contingentiâ mihi aſſertum. Sed quid ſi tale aliquid non extet, & tales honeſtiùs, & cum decenti ad vitam ſubſidio agere extra domum Parochi poſſint? Contrarium prorſus dicendum, teneri inquam recedere; immò & non accedere, ſi quod eſt futurum præſentiant, ex communibus regulis circa hanc materiam, de quo citati pro *Aſſert. præcedentib.*

Sed caſus excipitur.

5. Dimittendas, quæ ſpecialiter prouocant, ſi aliæ non tales inueniri poſſint.

57 Quintum, ſi cum his modò ſeruientibus occaſio peccandi vrgeat ob ſpecialem affectionem, quod tamen ſperatur non ita fore cum alijs, dimittendæ illæ, etiamſi incommodum aliquod, non tamen notabile, ex mutatione ſequatur. Si autem idem cum alijs futurum, retineri priores poſſunt, ſic enim non multiplicantur peccata, & minùs eſt ſcandali. Vt autem illud ceſſet, quod ex Confeſſione prædictarum, & infamiâ item apud Confeſſarium oriri poteſt, neque enim illæ niſi explicatâ complicis qualitate confiteri ſcient, debebit Parochus eas monere, vt eidem Confeſſario, cui Confeſſus ipſe fuerit, confiteantur, ſi id commodè fieri poſſit. Sed numquid poterunt confiteri ipſi? Affirmant plures, quos adducit, & ſequitur Baſſæus verb. *Concubinatus*, *numer.* 6. & in ſpecie caſus noſtri Portel *Tomo* 2. *Caſu* 50. *num.* 1. ſecluſo periculo noui conſenſus carnalis, aut defectu doloris, & inter cauſſas, quę hoc licitum reddere poſſunt, vitationem infamiæ adducunt; ſi videlicet expediret fœminam apud alium Confeſſarium non infamari. Eſt autem idem de Parocho in caſu noſtro, & ſimilibus, & cùm ſit probabile, non eſt cur illud penitus debeamus improbare, licèt improbet P. Fagundez *in Præceptum* 2. *Eccleſiæ*, *Lib.* 4. *Cap.* 3. *num.* 35. ob auctoritatem Cœleſtini Pontificis in Cap. *Non debet* 30. *quæſt.* 1. vbi grauiſſima pœnitentia imponitur ei, qui cum eâ carnaliter commiſcetur, cuius audierat in Confeſſione peccata, eò quòd, vt ibidem dicitur, filia ſpiritualis ſit. *Sic pœniteat quomodo de filia ſpirituali.* Ad quod tamen citati reſpondent caſum Textûs eſſe diuerſum, quia hic non agimus niſi de audiente peccatum eius, cui carnaliter commixtus eſt, cùm Textus procedat de eo, qui cùm audierit, poſteà ſpirituali filiæ commiſcetur. Iuxta quæ caſui noſtro parum videtur dicta ſententia fauere, cùm de eo agamus, qui non ſolùm earum peccata audit, quibuſcum peccauit, ſed quarum iam etiam peccata exceperat; ex quo ſi non diuerſæ ſpeciei peccatum habetur, eſſe tamen circumſtantiam aggrauantem multi Doctores tenent, quos adducit & ſequitur Ioannes Sancius *in Selectis*, *Diſputat.* 11. *num.* 5. & 6. Sed nihilominùs ſtat Doctorum, quos citauimus, non improbanda ſententia; quidquid enim de qualitate circumſtantiæ illius peccati ſit, qui cum filiâ Confeſſionis peccat, etiamſi demus ſpeciem mutare, totum illud poteſt audire is ipſe, qui peccauit, Sacerdos, rationabili cauſſâ ſubſiſtente, & auditum abſolutione delere, cùm in citato Canone, aut alio, prohibitio nulla extet; nec ratio filiationis (ſi tamen verè talis eſt, quod negant multi apud Auctorem citatum, & ille etiam amplectitur, ſicut & Pharaonius *Tractat.* 1. *Seſſione* 11. *Caſu* 5.) obſiſtere nequeat: nam & veram naturalem filiam baptizare quis poteſt, & filiam etiam ſpiritualem à ſe baptizatam à peccatis abſoluere, quod in Parochis eſt obuium.

An poſſint eidem confiteri.

Admittitur vt probabile.

Cap. Non debet 30. q. 1. non obſtare.

Nec rationem filiationis ſpiritualis.

Reſolutionem dictā non eſſe generaliter vſurpandā, & quid pro animæ ſecuritate proponendum.

58 Dico quintò. Quæ dicta ſunt, vt hoc auctoritati ſcriptorum demus, & fragilitati aliquorum, quibus deſperationis periculum imminet, aliquantulùm deferamus, raris debent caſibus adaptari, & tam ijs, quàm alijs Chriſti proponenda ſententia *Matth.* 18. *v.* 8. & 9. dicentis: *Si autem manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum, & proiice abs te: bonum tibi eſt ad vitam ingredi debilem vel claudum, quàm duas manus, vel duos pedes habentem, mitti in ignem æternum. Et ſi oculus tuus ſcandalizat te; erue eum, & proiice abs te: bonum eſt tibi, &c.* cum D. Hieronymi nota expoſitione in Officio S. Michaëlis. Cui ſententiæ alia conſonat apud eumdem Euangeliſtam *Cap.* 5. *v.* 29. & 30. vbi ita Dominus: *Quòd ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & proiice abs te: expedit enim tibi vt pereat vnum membrorū tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et ſi dextra manus tua ſcandalizat te, abſcinde eum; & proiice abs te: expedit enim tibi, &c.* Vbi non contentus oculum aut manum dixiſſe, dexterum & dexteram expreſſit, vt quæ non ſolùm vtilia, ſed vtiliſſima ſunt, ſi occaſionem proximam peccato præbeant, amputanda demonſtraret. Et Diuus quidam Ioannes Chryſoſtomus *Homiliâ* 17. *in Matthæum*, ita pro caſu noſtro exponit, vt per dexterum oculum & manum, mulierem amicam accipiat, de quâ iam ſermo præceſſerat: illa enim abiicienda eſt,

Matt. 18. v. 8. & 9.

Et cap. 5. v. 29. & 30.

D. Ioannes Chryſoſt.

Digitized by Google

eſt, ſi ſuo aſpectu, voce, aut geſtu ad libidinē provocarit. Ingemiſcet quidem ad hæc infirmus: quomodo enim quis eruto oculo, abſciſſâ dextrâ, & præciſo pede non ingemiſcat? Circa quod ſic P. Cornelius in citatum locum *Matth.* 5. ſcribit: *Concupiſcentiæ reſecandæ adeò viuaciter & tenaciter oculis, & corpori, immò & ipſi animæ inhærent, inſitæque ſunt, vt ſine ingenti vi & doloris ſenſu auelli nequeant: quare qui eas reſecant, ita dolent, acſi ipſum oculum, vel dentem ſibi eruerent. Norunt hoc experti: inde dicitur mortificatio quòd mortis ſenſum, doloremque pariat.* Sic ille. Ingemiſcet profectò, & mortis quidem ſenſu, vbi mulier non eſt; ſed ingemiſcat; & mortis ſenſu: nam meliùs eſt ſic ingemiſcentem in vitam intrare, quàm lenimentis mulierum temporalis peccati, vt Apoſtolus loquitur, habentem iucunditatem, ad tenebras exteriores, vbi æternus erit gemitus, & ſtridor dentium, irreuocabili iuſtiſſimi iudicis ſententiâ condemnari. Quàm erit terribile vocem eius, & aliorum inſultantium audire, dicentium. *Vlulate Paſtores.* Videatur Dom. Villaroël viſus à me poſt hæc ſcripta *Parte* 1. Pacificæ gubernationis *Quæſt.* 2. *Art.* 6. Vbi circa materiam præſentem latè & eruditè diſcurrit.

P. Cornelius.

CAPVT IV.

Parochi Indorum quam habeant ſpecialem obligationem circa Sacramentum Baptiſmi.

Aſſertio 1. Circa Baptiſmum infantium obligari ſub mortali Indorum Parochos.

59 Dico primò. Parochi Indorum tenentur ſub reatu lethalis peccati curare vt infantes quamprimùm poſſint baptizentur. Cuius ratio eſt, quia periculum ſpeciale circa illos imminet, ne ſine Baptiſmo decedant: incurioſè enim illi tractari ſolent & cùm parentes ebrietati ſint dediti, aut opprimi à dormientibus poſſunt, aut eorum vitæ periculum minimè deprehendi. Non tamen proptereà ſtatim à natiuitate baptizandi ſunt, quia id cum ſolemnitate fieri commodè nequit, & eam ſemper omitti non eſt conueniens. Illud tamen obſeruandum ſemper, vt quoties parentes infantem baptizandum ad Parochum deferunt eò quòd eorum iudicio periclitari videatur, Baptiſmum non differat, eò quòd ipſe non periclitari cenſeat, etiamſi illius ſit ſolemnitas omittenda. Ratio eſt clara tum ob periculum generale, de quo dictum; tum quia repulſi ſolent filios ſecum in remotiores ſtationes adducere, vbi vel mori cōtingat vel vitam ſine Baptiſmo ducere longiorem. Vnde & Sacerdotes, quibus in ipſo itinere paruuli baptizandi offeruntur, eos baptizare debent, & ſi non longè abſit Parochus, dum mortis periculum repræſentant: neque enim reiecti ad Parochum ibunt, & id accidet, quod dudum de repulſis à Parochis dicebamus. Religioſi autem id faciliùs præſtare poſſunt ob priuilegium ipſorum. Admonendi tamen Parochi, vt benè obſeruat Dom. Reyna *Tomo* 2. *de Prælato perfecto Lib.* 3. *Tract.* 2. *Cap.* 6. de quo, & nonnullis aliis materiam præſentem concernentibus, videnda quæ diximus *Titulo* 12. *Cap.* 8.

Aſſertio 2. de obſeruandis circa Patrinos.

60 Dico ſecundò. Circa Patrinos id obſeruandum quod Concilium Limenſe Tertium decernit *Act.* 2. *Cap.* 9. in Prouinciis quidem, vbi illius viget auctoritas ex obligatione inde ortâ; alibi ex ratione congruitatis, quia Decretum magnam præſefert conuenientiam. Sic ergo ibi: *Conuenit impedimenta, quæ ex cognatione ſpirituali oriuntur, Indis quoad fieri poteſt detrahere; ne ignorantes (quod ſæpè accidit) in gradibus illicitis coniungantur. Eam ob cauſſam, & in ſuperiori Synodo, & in hac commodum viſum eſt, vt in quouis populo, aut Parochia Indorum, certus ſit deſignatus Patrinus vel Suſceptor, qui baptizandos de fonte leuet: ſed hunc deſignare pertinebit ad Ordinarium, qui etiam plures, vt iudicauerit expedire, pro numeroſitate populi poterit conſtituere: ita tamen vt certi ſint & quorum fidei poſſit inſtitutio ſpiritualium filiorum committi.* Sic Concilium. Quod quidem cùm vnicam tantùm afferat ſic ſtatuendi rationem, eâ ſublatâ, videtur obligatio obſeruationis ceſſare, iuxta communem doctrinam, de qua ſæpiùs eſt à nobis dictum. Eſt autem ratio, *Ne ignorantes (quod ſæpè accidit) in gradibus illicitis coniungantur.* Atqui ignorantia iſta poteſt facilè præcaueri, debent namque Parochi Baptiſmi librum habere, in quo ſcribendi ſunt Patrini, vt dictum *num.* 7. Cùm ergo ex illis cognatio ſpiritualis conſtet, non apparet probabile coniunctionis inceſtuoſæ periculum. Præterquam quòd Patrinis, ſuo cùm funguntur officio, à Parochis cognatio, quam contrahunt, declaranda eſt. Si ergo contra prohibitionem fecerint, non ignorantes iam, vt Concilium loquitur, ſed ſcientes & volentes in iura Eccleſiæ delinquunt.

Concilium Lim. 3.

Videri ceſſare obligationem Decreti, ceſſante ratione.

Defenditur tamen.

61 Nihilominùs ſtare poteſt determinatio dicta, quia vel Parochi inſtructionem præfatam minùs exactè perficiunt, vel Indi illius obliuiſcuntur: ſuccedentibuſque Parochis, quæ ab aliis acta ſunt, in promptu non habentur, neque libri pro caſuum occurſu conſiſtuntur. Quibus addi etiam poteſt à Concilio rationē aliam ſubiungi ſpiritualis inſtitutionis, pro qua non multi capaces inueniuntur. Et licet, vt ait P. Suarez *Tomo* 3. *in* 3. *p. quæſt.* 67. *in Commentario, Art.* 8. §. 1. inter Catholicos rarò vrget obligatio dictæ inſtitutionis, quia ab iis apud quos baptizati educantur, illius cura ſuſcipitur; & in populis etiam Indorum, in quibus Parochi reſident, peculiaris circa hoc cura ſit: quia tamen non ſemper illa exacta eſt, & plures etiam ſunt populi ad vnam Parochiam pertinentes, in quibus Parochus reſidere nequit; conuenientiſſimum fuit vt erga Patrinos id, quod eſt propoſitum à Concilio ſtatueretur. Id autem quàm ſit generaliter conueniens ſtatim apparet, vt & generaliter debeat tale aliquid obſeruari. Non videtur autem omnino neceſſarium vt Patrini ab Ordinariis aſſignentur, quandoquidem Parochis ſufficiens circa hoc notitia eſt, & cùm Epiſcopi non ita frequenter, vt opus erat, Parochias viſitent, nequit ab ipſis peculiaris iſta prouiſio, quæ inter minutiora computatur, expectari. Addo non videri prohibitum à Concilio, quominùs aſſumi interdum alij Patrini poſſint, ſic parentibus rogantibus, ſi illi benè inſtructi ſint, & præſertim ſi parentes ex nobilioribus ſint, quibus & nobiles etiam Patrini pro filijs conſentanei ſunt, & quos ipſi non erubeſcant Compatres appellare.

Obligatio Patrinorū communiter ceſſat.

62 Dico

Digitized by Google

Aſſertio 3. Cura ſub lethali populis, in quibus Parochi non reſident.

62 Dico tertiò. Parochi Indorum ſolicitè prouidere debent, & ſub lethalis culpæ grauamine, ne in populis, in quibus non reſident, aliquis ſine Baptiſmo decedat. Ratio eſt clara: quia damnum eſt maximum & irreparabile, & ad Rectoris officium in primis ſpectans. Id vt caueatur, ſolent Indorum Parochi aliquos bene inſtructos formam Baptiſmi docere, & alia ad ipſius ſubſtantiam neceſſaria, vt ſi caſus neceſſitatis incidat, ſe non expectatis baptizent. Formam autem non latinè, ſed proprio Indorum idiomate proferendam tradunt, & ſcripto etiam in portâ Baptiſterij affixam, quia Sacriſtæ legere & ſcribere non rarò ſciunt. Vnde non probandum quod ait Fr. Ioannes Baptiſta in *Animaduerſionibus pro Confeſſariis Indorum fol. 225. pag. 1.* quòd ſi ſint in populo aliqui Indi callentes linguam Latinam, eis tradant Parochi tale officium, & faciant eos in ſcriptis ſeruare modum, quem debent inter baptizandum habere Vbi quidem non videtur loqui de callentibus quoad intelligentiam. Vbi enim tales? Cùm præſertim de illis agamus, qui in iis populis reſident, vbi Parochorum præſentia deficit. De callentibus ergo quoad modum pronuntiationis loquitur, Monialium inſtar, quæ Latinè legunt & cantant: & tunc non videtur conueniens, quia picarum, aut pſittacorum more pronuntiant. Vnde melius eſt vt ſuo id faciant idiomate; ſic enim dicunt, quod mente percipiunt, & ita digniùs Sacramentum adminiſtrant. Quod vtiliſſimum monitum tradunt D. Antoninus, Cardinalis Toletus, P. Suarez, & P. Sa, quos adducit & ſequitur P. Quintanad. *Tomo 1. Tract. 1. Singul. 7. in fine*, & alij. Non dubito tamen Sacriſtam benè inſtructum, & qui non ſolùm benè Latina verba pronuntiat (& ſunt qui pronuntient multi, Europæis plurimis cultiores) ſed etiam intelligat, licet aliàs Latinæ linguæ ignarus, magiſterio Parochi, aut alterius, poſſe Latinè baptizare: quod & videtur magis expediens, quia ſic etiam magis ad Eccleſiæ ritum accedit, digniorque de re, quam agit, conceptus ab eodem efformatur.

Baptizaturi in abſentia Parochorum quâ id linguâ facturi.

Aſſerta quæ Fr. Ioan Baptiſta circa Baptiſmũ.

63 Addit autem præfatus P. Baptiſta alia, circa quæ oportet aliquantulum immorari, ſic enim *num. 48.* ſcribit: *Indorum Parochus in populis, quos vocant de Viſita, deſignet aliquos Indos, & eos inſtruat vt poſſint baptizare tempore neceſſitatis, ne fortè paruuli abortiui, vel infirmi ſine Sacramento Baptiſmi diſcedant. Et illi ſint acriores ingenio, & qui numquam inebriantur, quos ſæpè requirat de modo, quo baptizant, etſi defectum nullum inueniant in Baptiſmo commiſiſſe, non curent eos denuò baptizare. Faciant etiam vt eliciant actum coràm ipſis volendi ſemper facere, quod facit Eccleſia, quoties eos baptizare contigerit, quia hæc intentio ſufficit, vt dicunt Doctores.* Sic ille. Vbi circa id, quod ait de requirendis iis, qui numquàm inebriantur, abſque dubio talis eſt diligentia laudanda: ſed neſcio an facilè inueniendus, qui numquam hoc natiuo defectu laboret. Sunt quidem multi tales in oppidis Hiſpanorum, & in oppidis etiam, in quibus Parochi reſident, ſtudio ſingulari in huius vitij extirpationem intenti: & in aliis tamen res ſatis dubia eſt: ſed fortè qui inuenientur tales, minùs apti ad illud erunt miniſterium, quia non ita acres ingenio. Quid ergo tunc faciendũ? Optimus ille erit, qui minimiſ vrgetur, iuxta Poetæ ſententiam. Quia verò dubium aliquod de fideli adminiſtratione tunc punget, etiamſi rogatus omnia ritè ſe peregiſſe teſtetur non penitus ei credendum, ſed ſub conditione Baptiſmus conferendus. Quod quidem iuxta complurium Doctorum ſententiam procedit, qui affirmant vnum teſtem non ſufficere ad faciendam plenam fidem de Baptiſmo, ſi talis ſit conditionis vt non ſufficiat ad moralem certitudinem, qui videri poſſunt apud P. Quintanam *ſuprà Singul. 1. num. 5. & ſingul. 3. n. 6.* Pro quo & facit id, quod docet P. Bauny *Tomo 1. Tract. 2. Quæſt. 18. §. Quod autem* vbi concludit tunc tantùm non iterandum ſub conditione Baptiſmum, cùm de illius certitudine leues tantùm ſcrupuli ſunt. Quis autem non videat in caſu noſtro non leues tantùm ſcrupulos inueniri, & §. *ſequenti* id magis explicans, addit tunc leues ſcrupulos non eſſe, cùm iuſtam dubitandi cauſſam conditio baptizantis ſuppeditat, vt quia rationem rarò ad conſilium adhibet, ſed temerè ac inconſultè agit multa, cùm ſit præcoci ingenio: ob quam cauſſam non eſt improbabile temerè etiam & inconſultè, ac proinde ſine intentione debitâ, aut in formæ applicatione peccaſſe; & generaliter quia rationes ſunt vtrimque veroſimiles. Quæ quidem caſui præſenti poſſunt penitus adptari.

Baptiſmus ab Indis collatus ſub conditione repetendus.

P. Bauny notanda doctrina.

Etiamſi rationem reddant rectæ adminiſtrationis, contra aliquos.

64 Si verò res ita ſe habeat, vt Indus Baptiſmi miniſter, non ſolum ebrietati deditus non ſit, ſed neque vnquam ebrietati ſuccumbat, & rogatus de modo traditi Baptiſmi, nullum in eo Parochus defectum inueniat; tunc quidem minimè iterandum Baptiſmum citatus Auctor affirmans, videtur rem extra quæſtionem poſitam arbitrari. Quod quidem iuxta eorum conſcientiam procedit, qui id de obſtetricibus ſufficienter Inſtructis, & aliis, tum viris, tum fœminis, aſſerunt, dum requiſiti à Parocho rationem ſui facti reddunt, in quo nihil ad ſubſtantiam pertinens poſſit deſiderari. Pro quo cùm Auctores adducat P. Quintanad. *Singul. 5. num. 1. ac 2. & ſeqq.* probet omnes ferè baptizatos domi, aut generaliter extra Eccleſiam à perſonis laicis, baptizandos iterùm ſub conditione: addit. *num. 9.* obſtetricem poſſe adeò bene inſtructam eſſe, & diu expertam in adminiſtratione Baptiſmi, vt nulla præſumptio vel ſuſpicio haberi poſſit de illo: ſecus de parentibus & cognatis. Iuxta hæc ergo videtur idem de Indo dicendum, cùm & benè inſtructum & expertum in talibus ſupponamus. Sed eſt certè quod obſtet: nam gens iſta valde eſt ad mendacia procliuis, vnde Indorum teſtimonia, etiamſi iurati deponant, exiguam merentur fidem, vt vidimus *Titulo præced. n. 29.* In re ergo momenti tanti non eſt illis ita credendum, vt baptizati ſalus periclitetur. Pro quo eſt Canon 84. ſextæ Synodi in Trullo ſic determinans: *Quoties non inueniuntur firmi teſtes, qui eos abſque vlla dubitatione baptizatos eſſe dicant, nec ipſi propter ætatem de ſibi tradito myſterio aptè reſpondere poſſunt debere abſque vlla offenſione baptizari, ne fortè eiuſmodi dubitatio eos purificationis ſanctificatione priuet.* Sic ibi. Atqui Indi non ſunt teſtes firmi; non ergo eſt illis plena adhibenda fides.

Quid de obſtetricibus.

Sexta Synodus.

Sine Baptiſmo rite

65 Pergit citatus Auctor, & ſic addit: *Dato etiam quòd Indus ſic inſtructus non benè baptizaſſet,*

Digitized by Google

Suſceptū poſſe Indum ſaluari, vt aſſerat citatus P. Baptiſta.

ſi paruulus ad annos poſteà deueniret diſcretionis, optimè poſſet ſaluari, quia pro baptizato ſe haberet, vt patet. Cap. *Apoſtolicam, de Presbytero non baptizato. Si etiam decederet ante annos diſcretionis, non damnaretur, ſecundùm Alexandrum Hallenſem, & S. Thomam, vt piè creditur. Namque ſi ſic baptizati deberent iterum baptizari ſub conditione, ſequeretur quòd baptizati ab obſtetricibus, eſſent ſub conditione baptizandi, cùm ſint illitteratæ, & faciliùs poſſunt errare in forma, quàm iſti Indi: quod tamen fieri non arbitror.* Sic ille. qui in eo quod de obſtetricibus ait, qualiter ſit admittendus, iam diximus, ſicut & Indos minori eſſe dignos fide.

Quis non, iuxta doctrina.

Id autem, quod de eo ait, qui Baptiſmum non verè ſuſcepit, neutiquam admittendum, niſi quatenus, dum pro baptizato ſe gerit, votum Baptiſmi conceperit per verum actum fidei, & contritionis, aut amoris Dei ſuper omnia ſufficientis ad iuſtificationem, ſiue illius forma, ſiue tantùm diſpoſitio ſit. Baptiſmus enim in re, vel in voto eſt omnino neceſſarius ad ſalutem, vt

Conc. Trid.

definit Concilium Tridentinum *Seſſione* 7. *Canone* 5. de Baptiſmo verbis illis: *Si quis dixerit Baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt, non neceſſarium ad ſalutem, anathema ſit.* Et hæc eſt receptiſſima ſententia Theologorum, neque oppoſitum tutò defendi poteſt; tum ob præfatam Concilij definitionem, tum ob multa alia, quæ adducit P. Suarez *Tomo* 3. *in* 3. *p. Diſput.* 27. *Sect.* 1. & 2. & alij, quibus ex nouioribus addendi P. Bauny *Tomo* 1. *Tractat.* 1. *Quæſt.* 20. P. Martinon *Tomo* 4. *Diſputat.* 24. *Sect.* 5.

Cap. Apoſtolicam, *declaratū.*

66 Caput autem *Apoſtolicam*, ita exponendum eſt: id quod ex eo conſtat: nam Innocentius II. in prædictâ reſponſione aſſerit Presbyterum per fidem Chriſti ſaluatum, non accepto Baptiſmo. Verba illius ſunt: *Quia in ſanctæ matris Eccleſiæ fide, & Chriſti nominis confeſſione perſeuerauit; ab originali peccato ſolutum, & cæleſtis patriæ gaudium eſſe adeptum, aſſerimus incunctanter.* Sic ille. Atqui fides ad iuſtificationem non ſufficit, vt eſt dogma fidei: ergo alia ad iuſtificationem neceſſaria in dicto Presbytero concurrere debuerunt: hæc ſunt contritio, aut amor in quibus votum Baptiſmi continetur, cùm contineatur propoſitum ſeruandi Dei legem ſub mortali obligantem, vt Baptiſmi legem conſtat obligare, quam erat Presbyter paratus implere, ſi ſe non baptizatum recognoſceret: quemadmodum qui conteritur habet votum reſtituendi, licèt nihil ſe debere credat, ſi tamen acciderit, vt reuerà ab ipſo aliquid alienum teneatur. Et eodem modo exponendum

Et Cap. Debitum.

Cap. *Debitum de Baptiſmo*, vbi Alexander III. de Iudæo, qui ſe ipſum baptizauit, ſic ait: *Si talis continuò deceſſiſſet, ad cæleſtem patriam protinus euolaſſet propter Sacramenti fidem, & non propter fidei Sacramentum.* Sic ille negans recepiſſe reipſa Baptiſmum, quia nullus baptizare ſeipſum poteſt, & illius votum admittens.

Attritionē cum voto ſufficere, in vtroque Capite indicatum.

67 Negari tamen nequit quo minùs in vtroq; Capite magnum fundamentū appareat, vt aſſeramus nō eſſe neceſſariam contritionem perfectam cum Baptiſmi voto, ſed attritionem eam ſufficere, quæ ad peccata grauia generaliter extendatur. Neque enim potuit Pontificibus conſtare Presbyterum & Iudæum contritionem perfectam habuiſſe, vt ratione illius iuſtificati in cœlum protinus euolarent. De attritione autem alia eſt ratio, quia cùm Presbyter acceptis ſuo ipſius iudicio Sacramentis deceſſerit, congruum fuit credendum diſpoſitionem adhibitam ab ipſo, ſicut & Iudæum eam, quæ ad Baptiſmum neceſſaria eſt, cùm iuſtificationis efficaci deſiderio teneretur, vnde actio illa inconſulta reſultauit. Verba illa notentur: *Aſſerimus incunctanter, protinus euolaſſet*: quæ omnem dubitationem excludunt; cùm tamen de contritione perfectâ non fuerit obuium iudicare. Negat id P. Suarez *Diſputat.* 8. *Sect.* 1. §. *Ad rationem*, probans non ſufficere attritionem cum expreſſo voto, quod & alij communiter tenent. Sed, vt dixi, prædicti Canones non parùm vrgent pro contraria poſitione, vnde illa non eſt vt penitus improbabilis refutanda.

Neque eſſe improbabile, licèt communis ſententia ſit contraria.

Et Concilium Tridentinum *Seſſione* 14. *Cap.* 4. definiens quod licet, *ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad iuſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit*: non videtur eſſe contrarium: nam de Sacramento tantùm Pœnitentiæ ibi eſt ſermo; cùm tamen in Sacramento Baptiſmi alia eſſe ratio poſſit, eò quòd illud eſt ianua aliorum, & minorem cognitionem rerum diuinarum petit; cùm tamen in iis, qui iam baptizati ſunt, maior ſupponatur, & ita maior etiam diſpoſitio ad iuſtificationem ſine Sacramento Pœnitentiæ requiratur.

Baptiſmi, Pœnitentiæ Sacramenti diuerſa pro eo ratio.

Paruulos ſine Baptiſmo ſaluari nullo modo admittendum.

68 Iam quod de paruulis à citato Auctore dicitur, minimè probandum eſt, & pia illa credulitas reiicienda, quæ iuxta fidei regulas nullâ ratione procedit. Errat ſæpè pietas talis, quæ diſpoſitiones diuinæ prouidentiæ, iuxta deſiderij ſui vana commenta metitur. Vnde D. Auguſtinus *Lib.* 1. *de peccatorum meritis & remiſſ. Cap.* 23. ita circa præſentem cauſſam ſcribit: *Nulla ex arbitrio noſtro ſalus æterna præter Baptiſmum Chriſti promittitatur infantibus, quam non promittit Scriptura diuina humanis omnibus ingenijs præferenda.* Stat generalis Chriſti ſententia *Ioan.* 3. *v.* 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Cui innixa Concilia, ſacri Canones, & Patres ita pronuntiant, vt Baptiſmus re, aut voto, neceſſarius ſit ad ſalutem: Atqui infantes, qui ſine Baptiſmo decedunt, nec re, nec voto, illum ſuſcipiunt; ergo in Dei nequeunt regnum introire.

D. Auguſt.

Ioan. 3. v. 5.

Si dicas votum quidem poſſe dari, ſed non in illis, benè tamen in parentibus, aut alijs eorum curam habentibus, idque videri ſufficiens; quia ſicut paruuli alienâ in alijs reguntur voluntate, quæ vt propria reputatur, ita & in hoc ſufficere debet, in quo maximum illorum bonum ſitum eſt; quæ fuit ſententia Caietani 3. *p. quæſt.* 68. *circa artic.* 2. addentis votum hoc aliquo exteriori religioſo ſigno manifeſtandum, quando nequit reipſa Sacramentum applicari. Si inquam dicas, in primis citatus Auctor, cum quo eſt controuerſia, minimè ſe opinione Caietani tuetur, ſed Alexandri, quam non benè attribuit D. Thomæ, cùm S. Doctoris diuerſa valde ſententia ſit, vt videri poteſt apud P. Suarium *Diſput.* 27. *Sect.* 3. §. *Dico primò.* Quòd ſi cum Caietano ſentire libeat, illius quidem ſententia iam pridem ab ſcholis relegata eſt, nec ſecurè defendi poteſt, quia ſine ſolido fundamento, in lege vniuerſali Chriſti, vti ab Eccleſiâ intellecta eſt, exceptionem valde generalem & regularem ac indeficientē affirmat, ſcilicet: *Niſi quis renatus fuerit*, &c. *præ-*

Votum parentū ſufficere, ſententia Caietani, quæ refellitur.

ter

Digitized by Google

ter eos, qui Voto ſuſceperint proprio, aut alieno, cùm per ſe non poſſunt. Cùm tamen votum vnius pro alio apud Concilia, Patres, & communem Eccleſiæ ſenſum minimè reperiatur. Quod doctè proſequitur P. Suarez *ſuprà, dicto ſecundo*, affirmans ſententiam Caietani ad minùs eſſe temerariam & errori proximam, & ita meritò à Pio V. ex Commentarijs in D. Thomam expungi iuſſam: quamquàm, vt ait P. Martinon *Diſput.*24. *citat. num.*49 in quibuſdam adhuc exemplaribus Romæ non cuſis inueniatur. P. Leſſius de Baptiſmo *quæſt.*68. *num.* 19. fidei proximam Caietano contrariam iudicat aſſertionem, vnde & illam cenſere videtur erroneam, & P. Arriaga *Tomo* 7. *Diſput.*24. *num.* 34. ait eſſe erroneam, ſi non omnino hæreticam, vt Sotus aſſeruit *in* 4. *diſtinct.*5. *quæſt. vnicâ, art.*2. pro quo & videndus P. Dicaſtillus *Tomo* 1. *de Sacramentis, Tractat.*2. *Diſput.*1. *num.*297. Licet P. Mæratius *Tractatu de Baptiſmo, Diſput.* 7. *Sect.* 2. *num.*4. nullam notam peculiarem inurat, præter mandatum Pij V. & P. Becanus *infrà, numer.* 1. ſolam temeritatis. Et quidem ille fidelem D. Thomæ non egit interpretem, *in eo enim Articulo* S. Doctor nullum aliud Baptiſmi votum agnoſcit, niſi illud, quod propriâ concipitur voluntate, per deſiderium, in quo fides per charitatem operatur.

Illius Cenſura.

69 Quod verò ad ſententiam Alexandri attinet, ita reuerà eſt eum in illâ fuiſſe, quam & Altiſiodorenſis tenuit, & Syluester apud P. Suarium *ſuprà*, §. 1. Tabiena, Armilla, Gabriël, Durandus, apud P. Filliucium *Tomo* 1. *Tractat.* 1. *Cap.* 5. *numer.* 80. Bartholomæus ab Angelis *in Exam. Confeſſor. de Sacramentis, Dialogo* 1. §. 31. qui aſſerunt, cùm Sacramentum adminiſtrari incipit, & aliquis in tali adminiſtratione defectus committitur, à Deo illum ſuppleri. Quod & D. Bonauentura, Gabriël, & Garſon apud P. Suarium ita tenent, vt dicant legem vniuerſalem pro eo non eſſe, ſed quod generalis lex à Chriſto lata locum priuilegio relinquat: cui autem illo frui contingat, eum ſcire ſolùm, qui gratiam facit, & cui voluerit ipſe reuelare: circa quod negare non poſſumus Deum hac in lege, ſicut in alijs, poſſe diſpenſare, & priuilegium pro ſuâ voluntate bonâ, beneplacente, ac perfectâ concedere, ſicut in alijs accidit, pro quibus generales leges ſunt: quòd autem aliquoties ita contingat, immò & ſæpiùs, vt citati Auctores exſtimant, ſine fundamento dicitur. Quemadmodùm circa immunitatem à peccato originali in conceptione philoſophandum eſt: licèt enim Deus priuilegium alijs concedere poſſit, quod Virgini conceſſit, illud tamen reipſa conceſſum aut concedendum, temerè quiſquam affirmauerit. Sicut aliquos ex infantibus, qui ſine Baptiſmo deceſſerunt, & locum pœnalem habent, educendos inde, & in gloriam ſubuehendos. Aut quoſdam, qui pro peccatis nõ ſatisfecerunt in vitâ, morientes ad cœlum ſtatim euchi, Deo pœnam plenariè remittente. Videndus P. Suarez *ſuprà, dicto* 2. vbi temerarium eſſe ait ſi quiſquam, ſeclusâ ſpeciali reuelatione, infantem aliquem ſine Baptiſmo ſaluari ſit auſus affirmare: & ſimiliter loquitur P. Becanus *quæſt.*5. *de Baptiſmo, num.*3. P. Dicaſtillus *numer.* 298. & alij. Quam notam non effugiet, qui omnes Indorum infantes non ritè ob miniſtrorum inſcitiam aut malitiam baptizatos, in regnum dixerit cœlorum intrare. In quo quidem dicendi modo mera hallucinatio eſt: cùm enim non recipientibus re aut voto Baptiſmum ianua cœleſtis claudatur, & qui ex inſcitiâ aut malitiâ miniſtri irritè baptizatur, neque re, neque voto Baptiſmum recipiat: vnde poteſt colligi aperiendam illam tali ſubſtantiali defectu non obſtante? Si dicatur inde colligi; quia non debet inſcitia aut malitia miniſtri, Dei ſapientiâ & bonitate in hoc potior eſſe negotio. Tunc ſic. Ergo ſi miniſter nihil erga adminiſtrationem faciat, ſed ab ea prorſus abſtineat, ſciens aut neſciens, incurioſè aut malitioſè, nihilominùs ſaluabitur infans, quia in eo caſu eadem præualet ratio. Hoc autem quis audeat pronuntiare? Nihil ergo circa hoc probabiliter dici poteſt, quidquid dicat P. Valentia *Tomo* 4. *Diſput.* 3. *Puncto* 3. vbi ita ſcribit: *Probabiliter arbitrantur Theologi, Deum in infantibus ſupplere defectum miniſtri, quando hic malitioſè ſubtrahit intentionem; & in adultis eumdem defectum miniſtri ſuppleri per deuotionem & fidem ipſius ſuſcipientis.* Sic ille, contra receptiſſimum iam Theologorum ſenſum, vt notauit P. Eſcobar de Mendoza *Tom.*2. *Theologiæ Moralis, Lib.* 11. *n.* 423. & hoc quidem quoad paruulos: quoad adultos verò id ſtare poteſt iuxta dicta *num.*67. & de his ſatis, vt Parochi circa rectam Baptiſmi adminiſtrationem valde ſoliciti ſint, ſcientes nullum eſſe priuilegium Indorum vt ſine Baptiſmo in cœlorum regnum admittantur; neque Parochorum, qui ad hæc & ſimilia ſomniculosè procedunt, pro ijs, qui pereunt, rationem iudici ſeueriſſimo reddituri.

Deum inſcitiam & malitiam ſupplere Miniſtri quorumdã ſententia.

Quam moderantur quidam.

Omnes rejecti.

Sententia præfata Cenſura.

Et efficaciter impugnatur.

Probabilẽ immeritò P. Valentiã cenſuiſſe.

*P. Maratius ſuprà, n.*5. *à cenſura abſtinet. Et P. Leſſius tantùm ait eſſe improbabilem.*

70 Dico quartò. Parochi Indorum lethalem culpam admittunt, qui in diebus Baptiſmi eos ebrietati vacare permittunt, dum Feſtum volunt ſibi lætiſſimum celebrare. Hoc aliquando contingere exploratiſſimum habetur. Ingreſſus noctu Indorum populum, dum iter facerem, populares in domo quadam congregatos inueni, & in ijs quoſdam penitus ebrios, alios eò properantes. Cumque ab vno aliquo, qui fortè egreſſus, quid hoc eſſet interrogaſſem, reſpondit: hodie Angelulos baptizauimus. Et erat quidem Parochus in populo tunc, ſed qui ad hæc nihil prorſus mouebatur. Vtinam Dei ſit miſericordiam conſecutus: nam mors eius non diu poſt ſuperueniens funeſtis eſt perditionis ominibus celebrata. Quid ergo? Siccanè eſt futura celebritas? Cùm Salomonis matre reſpondeo. *Prouerb.* 31. *v.*6. & 7. vbi ſic ille ex illâ: *Date ſiceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro ſunt animo: bibant, & obliuiſcantur egeſtatis ſuæ, & doloris ſui non recordentur ampliùs.* Quæ quidem Indis mirificè congruunt, qui dum bibunt, mœroris, amaritudinis animi, egeſtatis, & doloris minimè recordantur. Bibant ergo, ſed ita bibant, vt bibentes miſeriarum lenimen accipiant, non verò illas maiori alio pergant cumulare. Chriſtiani ſunt. Hoc lucrum ſubiectionis ſuæ. Sed Chriſtiani non erunt, dum ebrietatis vitium, aut funditus, aut magnâ ex parte non aboletur. De quo aliàs. Cùm ergo Chriſtianitatis initium in baptizatis eſt infantibus celebrandum, abſit, abſit, quod Chriſtianitati valde

Aſſertio 4. *die Baptiſmi curandum ne Indi inebrientur. Et quale circa hoc in Parochis peccatum.*

Prou 31. v.6. & 7.

de

Digitized by Google

de aduerſum miſerandis experimentis comprobatur. Quàm autem hoc ad Parochorum ſpectet curam ſatis perſpicuum eſt, vt non ſit opus circa illud ampliùs diſtineri. Vide *infrà num.* 85.

CAPVT V.

Circa Sacramentum Pœnitentiæ Parochi Indorum qualiter obligentur.

CIrca Sacramentum Pœnitentiæ videantur dicta *num.* 8. *&* *Titulo* 12. *Cap.* 11. pro quo &.

Aſſertio 1. *Parochos debere Indos audire, confiteri ex deuotione volentes.*

71 Dico Primò. Etſi aliquorum ſententia ſit Parochos non teneri ſub reatu mortalis culpæ ad audiendas Paræcianorum Confeſſiones, niſi quando illi ad Confeſſionem ſimiliter obligantur, vt *num.* 8. vidimus: in Parochis Indorum id nullatenus videtur admittendum: ſi enim repulſam patiantur confiteri ex deuotione volentes, graue ſcandalum patientur, & horrore ſimilis acceſſus ad illos ex repulſa concepto, etiam cùm obligatio Confeſſionis inſtabit, accedere verebuntur. Præterquam quòd cùm ſtabiliendæ apud Indos fidei negotium agatur, & de Chriſtianis moribus inducendis, debeantque Parochi ad Confeſſionis frequentiam exhortari, cooperari re ipſa debent ad ea, quibus talis obtinetur finis; aliàs ridiculi exhortatores habendi ſunt, & eius, quod ædificare contendunt, deſtructores. Videndi Doctores, quos adducit P. Eſcobar *Tomo* 2. *Theol. moral. Lib.* 16. *num.* 608. *&* 609.

Aſſertio 2. *Et ad ægrotos accurrere, eos ſimiliter audituri.*

72 Dicò ſecundò. Parochi Indorum, cùm ad Confeſſiones ægrotantium vocantur, accurrere citiùs debent, & tantò celeriùs, quantò illi longiùs diſtant, in aliis ſcilicet Paræciæ populis, etiamſi incommodum non leue ſit in itinere ratione temporis, diſtantiæ, aut viæ arduæ ſuſtinendum. Circa Parochos generalis illa doctrina eſt, teneri inquam Sacramenta ad ſalutem neceſſaria miniſtrare cum graui incommodo: an autem ſi vitæ ſit aut fortunarum, ſunt qui negant, alij & numero & auctoritate maiores affirmant; qui videri poſſunt apud P. Bauny *Tomo* 1. *Tract.* 10. *Quaſt.* 35. P. Baldellum *Tomo* 2. *Lib.* 2. *Diſput.* 19. *numer,* 16. Trullench. *Tomo* 1. *in Decalogum. Cap.* 5. *Dub.* 6. *num.* 13. P. Petrum Hurtadum *Diſputat.* 144. *de Charitate* §. 35. Dianam *Parte* 5. *Tract.* 3. *Reſolut.* 53. & Baſſæum. *verb. Parochus.* §. 3. Omnes autem videntur ſupponere graue incommodum non obſtare, quando circa grauiſſima tantùm altercantur. Videatur P. Palaus *Tomo* 1. *Tract.* 6. *Diſputat.* 1. *Puncto* 9. Iuxta hæc ergo nullum Parochis reſtat effugium, ſi audire Confeſſionem renuant perículoſo morbo laborantis.

Ex ſententia quorūdam effugium.

Sed erunt fortè qui dicant ſententiam eſſe aliquorum, qui cenſent obligationem Parochorum tunc tantùm vrgere, non obſtante vitæ periculo, cùm infirmus nequit alio medio ſalutem æternam conſequi; & ita ad audiendam Confeſſionem non teneri, quando infirmus habere actum contritionis poteſt, vt ordinariè accidit: nulli enim Deus auxilium pro eo ſubtrahit inſtante occaſione, & multò magis inſtante neceſſitate. Quæ doctrina applicari etiam poteſt pro graui incommodo; quia non videtur conſonum vt quis illi ſe exponat ob iuuandum eum, qui ſe ipſum poteſt à periculo liberare.

Præcluditur ex difficultate in Indis habendi actum contritionis. Et etiam ex officij obligatione.

73 Verùm hæc obſtare nequeunt: nam licet opinio multorum ſit non teneri quempiam ſpirituali alterius neceſſitati cum periculo vitæ, aut graui honoris vel fortunarum iacturâ ſuccurrere, quando ille iuuare ſe poteſt, quia non eſt in extrema neceſſitate conſtitutus, vt videri poteſt apud P. Palaum *ſuprà num.* 6. *&* 9. In Parocho tamen aliter res habet, qui tenetur non ſolùm in extremâ, ſed etiam in graui ſubuenire, vt aduertūt Doctores apud eumdem *num.* 12. quibus addendus Cardinalis Toletus *Lib.* 4. *Cap.* 10. *num.* 4. Licet autem poſſit quis abſolutè actum contritionis elicere, non ideo leuis neceſſitas reputanda eſt, quando morti proximus Parochum vocat, vt eidem confiteatur: quia præter difficultatem actûs prædicti, vtiliſſima eſt illi confeſſio, & tunc indiget maioribus gratiæ præſidiis, eſſetque ipſi grauiſſimum moleſtiæ genus periculoſiſſimo illo in articulo Sacramenti beneficio priuari: à quâ moleſtiâ nequit ſe ipſum eximere, vnde non debet leuis neceſſitas iudicari. Et vt hoc demus reſpectu aliorum, in iis, de quibus loquimur, oppoſitum eſt indubitanter aſſerendum. Indi enim, morbi præſertim turbatione concuſſi, difficillimè poterunt actum contritionis habere, quem exhortatore, & inſtructore ſtrenuo etiam adnitente, vix erit qui eliciat: quid iam eo penitus deſtitutus? Hinc eſt, vt non ſolùm in Parochis, ſed in aliis etiam obligationem ſuccurrendi ruſticis & ignaris talis obligationis, habendi ſcilicet contritionem, cum Confeſſarij copia deeſt, Doctores agnoſcant, etiam cum vitæ periculo, vt videri poteſt apud eumdem Scriptorem *num.* 6. *citato.* Ergo id de graui incommodo potiori ratione dicendum, de quo Aſſertio procedit, & pro quo videri poteſt Baſſæus verb. *Charitas n.* 18. *lit. B.*

In non Parochis grauem etiam obligationem extare.

Temperatur doctrina, quando eſt certa ſubuentio: non obſtante periculo.

74 Dico tertiò. Quod ad periculum vitæ, & alia minora ſpectat, ea, quæ Doctores dicunt, de conſtitutis in extrema neceſſitate, ſunt Parochis, & Sacerdotibus aliis applicanda reſpectu Indorum. Conſtat illud ex nuper dictis. Addo tamen doctrinam eorum ſic eſſe temperandam, vt obligatio vrgeat, quando non obſtante periculo, ſubueniri veroſimiliter poteſt, non autem quando ob periculi certitudinem redditur incerta ſubuentio. E. g. Vocatur Indorum Parochus (quod & in alijs contingere poteſt) vt Confeſſionem ægrotantis audiat, in cuius domum vt vadat fluuius traijciendus eſt, cuius eſt valde perículoſa traiectio; &, ſi in eo Parochus pereat, ægrotus pariter ſine confeſſionis iuuamine remanebit. Videtur quidem tunc obligatio ceſſare, quia eſt genus quoddam impoſſibilitatis. Secus eſſet, ſi poſt auditam Confeſſionem, eſſet neceſſaria traiectio ob inſequentes hoſtes, vel ſi ægrotus contagio laboraret. Hinc Doctores de Parochis etiam agentes, & eorum obligationem cum periculis dictis aſſerentes, addunt: *Si modo ſperetur remedium profuturum.* Vt videri poteſt apud P. Palaum *ſuprà num.* 13. & Baſſæum §. *Porrò,* id dilucidè atteſtantem, & in proprijs terminis.

Cardinalis Toleti doctrina de probabile

75 Nec aliter accipiendum, quod ait Cardinalis Toletus *ſuprà num.* 2. verbis illis: *Si ſibi probabile*

Digitized by Google

probabili profectu vt accipienda.

probabile eſt profuturum. v. g. *Eſt aliquis in mortis articulo, quem probabiliter ſcio non habere contritionem, nec eſſe confeſſum; ſi tamen ergo, qui Sacerdos ſolum illi adſum, cognoſco illum probabiliter confeſſurum, & ſaltem illum atterendum, teneor illum audire etiam cum periculo vitæ meæ temporalis: puta, ſi fortè inimici inſequuntur, quia tempus eſt belli, vel ſi fortè ille laboret peſte, vnde contraham, ſi acceſſero &c.* Probabile namque pro veroſimili accipit, quod mihi profectò tale videatur, vnde & determinatum iudicium circa futurum euentum habeam: quod certè tale eſſe non poteſt, quando periculum eſt dicti generis. Quis enim determinatè proferat ſe traiecturum fluuium, & ad ægrotum peruenturum? Cùmque circa illud eſſe probabile iudicium nequeat, ex eo ſequitur neque de profectu in adeundo infirmum poſſe tale iudicium efformari. Quod ergo citatus Cardinalis de inimicorum inſectatione ait, & periculo inde imminente, ſic accipiendum, vt talis inſectationis damnum poſt auditam Confeſſionem ſequatur: ſi enim periculum certum ante Confeſſionem immineat, idem eſt quod de fluuij traiectione dicendum. In peſte autem id eſt manifeſtius, quia nocumentum illud ex Confeſſione ſuboritur, licet periculum antecedat.

Caſus ſpecialior.

Quòd ſi contingat antequam ad infirmum laborantem peſte perueniat, Parochum in periculum infectionis incidere ex corruptione aëris, ita vt nocumentum antecedat: nihilominùs obligatio audiendæ Confeſſionis vrget, quia eo nocumento non obſtante, certum eſt poſſe Confeſſionem audiri, eò quòd infectio non interimat eâ celeritate, quâ flumen, curſum penitus impediendo. Et id quod de flumine eſt dictum, de præcipitiis etiam in itinere occurrentibus eſt dicendum, ſi noctu iuxta illa incedendum ſit & de ſimilibus: valde enim terribilia huiuſmodi mortis genera ſunt, nec credendum ad illa charitatem aut iuſtitiam obligare: ſicut neque Parochum cum tali onere velle officium Parochiale ſubire: vnum ergo damnum, cùm ex defectu Confeſſionis tantùm immineat, non eſt illius remedium ita tentandum, vt illud, & aliud etiam ſatis terribile, ſubſequatur; mors inquam Confeſſarij flumine aut præcipitos deuorata.

Parochum non teneri ad abſcedentes pro libito ſe conferre ni audiat.

76 Dico quartò. Parochi Indorum non tenentur ſub mortali ad audiendas Confeſſiones eorum ire, qui nolentes habitare in oppidis, in quibus commodè poſſunt, longius abſcedunt, licet eorum reductionem teneatur procurare. Ratio eſt: quia obligatio talis non eſt iuſtitiæ: hæc enim tantùm obligat pro *Pareciæ* terminis, & tali habitationis modo, quo poſſit omnibus opportunè ſuccurri. Neque charitatis, quia hæc nequit eſſe obligationi iuſtitiæ contraria: atqui Parochus tenetur non deeſſe ijs, qui in populo ſunt, idque ex iuſtitia, quod nequit cum illa abſentia componi. Secus autem accidit, cùm populi multi vnius *Paræciæ* ſunt: ad id enim neceſſitas nota compellit, & omnes illi pro vno diuerſos habente vicos reputatur.

Quid cum illis faciendum.

Quid ergo tunc faciendum? Præmonendi ergo Indi ne ſecedant, quia illis non poterit Parochus, cùm mors immineat, adeſſe: ſic enim non obtemperantes ſibi ipſis debent damnum imputare. Deinde ij, qui vocaturi veniunt Parochum, inſtruendi ſunt vt ægrotum ad habendum dolorem de peccatis excitent, de diuinâ miſericordiâ confidendo, ipſis, quod in ſe eſt facientibus, minimè defuturam. Prætereà vt quàm poſſint commodiſſimè ægrotum ad ſe adducant, quod Indi facere induſtriè ſolent. Nec timent inde irregularitatis incommodum, quia cùm id non ſit faciendum, niſi volente & conſentiente ægroto, ſalutis æternæ ſolicito, quam & Parochus modò illo deſiderat, nullum ex eo irregularitatis poteſt periculum emergere, iuxta ſententiam multorum dicentium non contrahi illam ab eo, qui hortatur alium ad ponendam vitam pro virtute, aut vertere ægrum, qui ex eo citiùs moriturus ſine animo tamẽ accelerandi mortem, & tranſmutantem eum de lecto in lectum, aut præbentem cibum & potum.

Irregularitatem non contrahi ex actibus charitatis, & exhortatione ad illos.

Pro quo videri Auctores poſſunt apud Dianam *Parte* 3. *Tract.* 5. *Reſolut.* 79. & *Parte* 5. *Tract.* 3. *Reſolut.* 117. & addendus P. Sa verb. *Irregularitas ex deformitate licita num.* 4. & maximè ad rem qui iacentem in via lethalibus vulneribus ſaucium, leuauari curat, & dum erigitur, expirat. Quod licet negauerit P. Comitolus *Lib.* 6. *Quæſt.* 52. & tres alij cum ipſo, aſſeruit tamen alius, pro quo & facit auctoritas Sacerdotis ſic monentis, in quo erat cum pietate doctrina, quod & alij poſteà ſecuti ſunt, ex quibus citatus Diana, & ante eum P. Filliucius *Tract.* 19. *num.* 278. In noſtro ergo caſu ægrotus pro ſalute æternâ periculo ſe mortis exponeret, & ita pro virtute; vnde qui ad id exhortaretur aut operam nauaret, ab irregularitate eſſe immunis; cùm aliàs ea etiam concurrant, de quibus dictum, vt ſatis probabilibus fundamentis talis Parochus, dum dicto modo agit, innixus videatur. Cùm prætereà nihil, niſi volente infirmo, faciendum ſit, & ex parte Parochi vis interueniat nulla, aut temerè quidquam attentetur.

Aſſertio 5. In ipſa Cõfeſſione vt ſe gerere Indorum Cõfeſſarius debeat.

77 Dico quintò. Parochi Indorum in audiendis Confeſſionibus non debent eſſe contenti ſimplici eorum narratione, ſed paternâ pietate erga illos ſe gerant, monentes ſemel & iterùm ne peccatũ aliquod, pro quo verecundantur, occultent, ſecreti obligationem inculcantes, & amore, quo eos diligunt, ex reuelatione cordis ſui ardentiorem futurum, eo quòd fragilitatem eorum notam habeant, & fallacias diaboli. Quod quidem maximè neceſſarium eſt, & præſertim in morti proximis, attentâ Indorum indole: vnde ratione defectus in huiuſmodi diligentiâ, graue poteſt peccatum inueniri. Quod quidem iuxta communem Doctorum aſſertionem procedit, qui dicunt Confeſſarium omne id agere debere, quo Deo Pœnitens reconcilietur. Pro quo Eligius Baſſæus audiendus verb. *Confeſſarius* 4. *num.* 17. §. *Octauo, Si.* Vbi ſic loquitur: *Quamuis Confeſſarij officium ſit audire potiùs Pœnitentem, quàm interrogare, vt notat Dominicus Sotus in* 4. *diſt.* 18. *quæſt.* 2. *artic.* 4. *quia tamen ſcopus illius eſt animam illam Deo reconciliare per medium à Chriſto inſtitutum, tenetur ſub peccato mortali omnia media adhibere ad finem iſtum neceſſaria, inter quæ eſt integritas Confeſſionis, quam per interrogationes procurare debet.* Sic ille.

Confeſſarij ex officio ad quid teneatur.

Eligius Baſſæus.

Apud quem §. *Secundò*, *in Confeſſario* duo illa carmina occurrunt ex D. Thoma deſumpta in 4. *diſt.* 17. *in Expoſitione Textus in fine*, quibus Confeſſarij qualitates exprimuntur, quod ſcilicet debeat eſſe.

Illius qualitates.

Con-

Confeſſor dulcis, affabilis, atque ſuauis
Prudens, diſcretus, mitis, pius atque benignus.

Quæ quidem in Confeſſariis Indorum elucere quammaximè oportet; ſin minùs, reconciliare eos Deo non poterunt confeſſionis beneficio, vnde grauium criminum rei cum eiſdem damnationis periculo ſubiacebunt.

CAPVT VI.

Indorum Parochis quæ obligationes circa Sacramentorum aliorum adminiſtrationem incumbant.

Aſſertio 1. In diebus communionis ebrietatis occaſiones ſubmouendæ.

78 PRo Euchariſtia conſulantur dicta in fine Cap. 2. & locis ibidem citatis, pro quo item

Dico primò. Cùm Indi in præcipuis feſtiuitatibus communicare ſoleant, eorum Parochis maximè curandum eſt, ne in diebus huiuſmodi occaſiones ebrietatis occurrant, ſed ad Eccleſiam vocandi, & deuotæ ſunt iterandæ cantilenæ, ne eodem die, quo Calicem Chriſti guſtant, quoad rem quidem contentam in eo, licèt non quoad modum, guſtent etiam calicem Dæmoniorum, quod Apoſtolus 1. *Cor.* 10. *v.* 20. & 21. cauendum monuit dicens: *Nolo autem vos Socios fieri dæmoniorum: non poteſtis Calicem Domini bibere, & Calicem dæmoniorum: non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum.* Notabilis profectò altiſſimi Sacramenti ea videtur iniuria, quam debet Parochus amoliri: & ſi quidquam eo inſcio huius generis accidat, non debet impunitum relinqui. *An æmulamur Dominum?* ſubdit Apoſtolus, *v.* 22. Quod ſic licet accipiamus: vbi æmulatio, vbi zelus pro Dei honore, ſi hic non exardeſcit?

1 Cor. 10. v. 20. & 21.

v. 22.

Aſſertio 2. Teneri Parochos ad exactiſſimam inſtructionē. Et qualis in ſpeciali futura.

79 Dico ſecundò. Parochi Indorum tenentur ad exactiſſimam inſtructionem circa hoc Sacramentum. Conſtat ex generali obligatione: quòd autem exactiſſima circa hoc eſſe debeat, ex eo quòd, ſi talis non ſit, grauiſſimè poſſit circa illius fidem & vſum oſtendi. Exactiſſimam autem dico, non abſolutè, ſed comparatiuè, reſpectu ſcilicet eorum, de quibus agimus, quibus ſat erit credere in Hoſtiâ & Calice eſſe Chriſtum, ſed non prius quàm ſacerdos in Miſſâ verba Conſecrationis proferat: & eumdem, qui in Hoſtiâ eſſe in minoribus illis, quæ pro communicantibus conſecrantur. Vide P. Dicaſtillum *Tractat.* 4 *Diſput.* 10. *numer.* 126. & 127. de Peruuianis in ſpecie loquentem, cùm generali doctrina. Sic ipſum voluiſſe pro magno fidelium bono, vt amoris argumentum exhiberet, & pignus gloriæ daret. Accipiendum præmiſſa mortalium peccatorum confeſſione, & aliter grande committi peccatum, & accipientem debere eſſe ieiunum. Aquam, quæ poſt Communionem datur, non eſſe Sacramentum, aut aliquid illius, ſed ideò dari, ne quidquam ex accepto Sacramento in ore reſideat. Nam & hoc infantibus iſtis exponendum eſt, circa quod errare aliquorum poteſt puſilla capacitas, dum in ætatem non euadunt plenitudinis Chriſti; quod & condonandum ipſis, nam & nos infirmi fuimus in hac parte; & ſerò ad perfectionem notitiæ peruenit conuerſa Gentilitas. Sunt multi eorum, vt aliàs admonui, Europęis plurimis in diuinorum ſcientiâ neutiquam inferiores: & id agitur, vtinam ſeriò ab omnibus, vt ſimiles nobis in ea euadant, ſintque *omnes docibiles Dei*, quod ab Iſaia dictum *Cap.* 54. *v.* 13. & implendum circa Euchariſtiæ myſterium teſtatus Dominus. *Ioan.* 6. *v.* 45. vbi de illo pleniùs diſſerebat.

Iſa. 54. v. 13.

Ioan. 6. v. 45.

Aſſertio 3. Obligari grauiter ad diſponendos Indos pro Confirmatione.

80 Dico tertiò. Parochi Indorum tenentur ſub reatu mortalis culpæ Paræcianos ſuos Diſponere ad receptionem Confirmationis. Ratio eſt clara; quia ius habent ad illud, quidquid de obligatione ſit, & eo ipſo quòd ſuſcipere velint, conſequenter inſtructi debent accedere, atque ius etiam habent, vt à Parochis ſuis eam requirant inſtructionem, quæ pro dignâ ſufficiat receptione. Nec valet ſi dicatur id ad Epiſcopum pertinere, ad quem & collatio Sacramenti: nam Epiſcopi Indiarum ordinariè id præſtare nequeunt, quia neque Indorum linguam callere ſolent, neque diutiùs apud Confirmandos reſidere. Præterquàm quòd ex collatione ad Epiſcopum ſpectante non infertur ad eum omnimodam diſpoſitionem ſpectare; quemadmodum ad ipſum ſpectat collatio Ordinum, cùm tamen diſpoſitio ad illos aliunde ſupponatur. Ideò namque Epiſcopis inferiores Paſtores dantur, vt ſint pro eorum muneribus adiutores. Sufficiet autem Indis ſi ſciant Confirmationem eſſe rem ſanctam à Chriſto inſtitutam ad firmandos Chriſtianos in fide, vt reſiſtant veneficis, & ſeductoribus, miniſtris diaboli: iterari non poſſe; quod inculcandum, quia ſolent Indi ſæpiùs ad illud recipiendum accedere: atque ad tale Sacramentum ſuſcipiendum debere in ſtatu eſſe gratiæ, contritione, aut Confeſſione præmiſſâ. Quia verò Indis communiter difficile eſt contritionem habere, ad Confeſſionem excitandi ſunt. Sed quia probabile eſt per Confirmationem poſſe primam gratiam haberi, ſi quis bonâ fide cum dolore peccatorum accedat: ſi Confeſſionem commodè præmittere nequeant, ad contritionem ſunt permouendi, ex quo ſaltem habebitur, vt attritionis actum eliciant, qui ſufficiens erit diſpoſitio, accedente, vt dixi, bonâ fide. Debet etiam Patrinos huius Sacramenti in libro adnotare, ſicut in Rituali Romano diſponitur. Circa quod obſeruandum in Appendice prædicti Ritualis ex Toletano additâ *pag.* 413. dici cognationem ſpiritualem in hoc Sacramento contractam non egredi Confirmantem & Confirmatum, & huius patrem & matrem. Vbi de Tenente mentio nulla eſt, inter quam etiam & Confirmatum ac eius parentes ſpiritualem cognationem contrahi determinat Concilium Tridentinum *Seſſione* 24. *Cap.* 2. *de Reformatione Matrimonij.* Pro quo videri poteſt P. Thomas Sancius *Lib.* 7. *de Matrimonio Diſput.* 54. *numer.* 10. Videtur ergo in citato loco defectus manifeſtus, cùm ad Concilij Decretum remiſſio fiat, & non ſpeciale aliquid circa Hiſpaniæ conſuetudinem indicari. Expedit autem vt Indi Patrini non ſint, ne impedimenta Matrimonij multiplicentur, ſicut in Patrinis Baptiſmi Concilium Limenſe tertium præcauiſſe vidimus *num.* 60. & *ſeqq.*

Notandum circa cognationem ſpiritualem.

81 Sacramentum Extremæ Vnctionis ad Parochorum curam omnino pertinet, vnde pro illo,

illo, præter dicta *Titulo* 12. *Cap.* 12. vbi & ipſorum obligatio declarata.

Aſſertio 4. Teneri cōferre Extremam Vnctionem.

Dico quartò. Parochus non ſolùm ex generali obligatione tenetur Indis Sacramentum Extremæ Vnctionis conferre, ſi videlicet aliquomodo petant, ſaltem interpretatiuè, ex eo quòd ita affecti erga ſaluationem ſunt, vt ſi memoriæ occurreret, omnino peterent: ſed ex ſpeciali etiam offerre, & nihil de eo curantes ad illius ſuſceptionem adhortari. Primum tenent communiter Theologi, pro quo videri poteſt P. Gaſpar Hurtadus *Tractatu de Extrema Vnctione Difficult.* 12. *in fine*, Diana *Parte* 5. *Tract.* 3. *Reſolut.* 83. & alij & videtur ita certum, vt inde orta ſit grauis inter Theologos difficultas, eiſdem diuerſimodè ſentientibus, an ſcilicet talis obligatio vrgeat, etiam cum periculo vitæ, vt tempore peſtis, & ſic aliàs: & qui negant, & videri apud Dianam poſſunt *ſuprà* & etiam *Reſolut.* 93. non vnam exceptionem adhibent, & ad id reducitur, vt ſi receptio Sacramenti ad ſalutem æternam ægrotantis videatur neceſſaria, non poſſit illud ob mortis periculum denegari. Secundum autem ex iis quæ diximus *Titulo* 12. *numer.* 355. & ex modò allatis conſtat: nam Indis ob defectum capacitatis deeſſe neceſſarius dolor in Confeſſione potuit, & ſic ſtatum conſcientiæ non fuiſſe immutatum, poſteà tamen talis excitari potuit, qui cum Sacramento Extremæ Vnctionis ſatis fuerit ad eorum iuſtificationem. Poteſt ergo æterna multorum ſalus in huiuſmodi adminiſtratione conſiſtere: quod cùm frequenter accidere queat, peccabunt grauiter Parochi, ſi tale negligant ſubſidium exhibere.

Et etiam offerre, & hortari ad illam.

82 Pro quo & extat Concilij Limenſis Secundi Decretum *Seſſione* 13. *Cap.* 75. à Concilio tertio innouatum *Act.* 2. *Cap.* 28. cuius hic eſt tenor: *Extremæ Vnctionis Sacramentum nulla ratio patitur Chriſtianis morbo periclitantibus denegari: ne ergo poſt hac quorumdam Parochorum deſidia friuolā de hoc excuſationem prætereat, innouato Superioris Synodi Decreto, ſtrictè mandamus omnibus Indis fidelibus, atque Æthiopibus, per ſuos Parochos, ſuo tempore pœnitentiam oſtendentibus, hoc Sacramentum adminiſtrari: atque inter cetera à Viſitatoribus diligenter de hoc inquiri pœnaſque arbitrio Ordinarij negligentibus imponi.* Hęc Concilium. Vbi cùm oſtenſionem pœnitentiæ requirat verbis illis, *ſuo tempore pænitentiam oſtendentibus*, ex eo colligi nequit, eum, qui ſubitò morbo corripitur, & ſenſibus deſtituitur, hoc eſſe Sacramento defraudandum: ſi enim manifeſtè in ſtatu peccati mortalis non ſit, non eſt illi denegandum, vt in Rituali Romano dicitur, & eſt communis Doctorum ſententia, qui videri apud Dianam poſſunt *Parte* 3. *Tract.* 4. *Reſolut.* 171. vbi cum aliis id extendit ad tempus Interdicti, de quo & *Tract.* 3. *cit. Reſolut.* 84. & 89. Verum eſt tamen Doctores omnes de neceſſitate non loqui, ſed tantùm aſſerere id licitè fieri poſſe. Zambranus tamen de Sacramento Extremæ Vnctionis *Cap.* 5. *Dub.* 2. *num.* 3. Syluius, quem adducit & ſequitur Baſſæus verb. *Extrema Vnctio* 2. *num.* 3. 5. *Aduerte*, & alij, neceſſarium eſſe affirmant, & duo poſtremi etiam cum periculo vitæ. Concilium ergo iuxta Rituale exponendum, pro quo & Concilium ipſum Tertium *Actione eàdem Cap.* 37. Et videnda quæ diximus *num.* 19. vel de oſtenſione interpretatiua pœnitentiæ, de quā nuper. Quòd ſi aliquantulùm dubitent, ſub conditione miniſtrent, ſicut aliàs licet, & habetur in Rituali, & de pueris, de quibus dubium eſt an vſum rationis habeant, docent Doctores, quos citat & ſequitur Diana *Tractat.* 3. *citato Reſolut.* 85.

Concilium 2. & 3. Limenſe.

Reſtat Sacramentum Matrimonij, circa quod multa diximus *Titulo* 12. *Cap.* 14. & ad doctrinæ complementum

Parochos pro ijs quæ ad Matrimonium ſpectant, nihil exigere poſſe.

83 Dico quintò. Parochi Indorum pro adminiſtratione huius Sacramenti, eo modo, quo adminiſtratio ad ipſos ſpectare poteſt, nihil poſſunt à contrahentibus exigere, iuxta dicta *num.* 21. & 22. & ſi exigant, ad reſtitutionem tenētur; quia præter ſimoniacam labem, genus rapinæ eſt, dum ab inuitis extorquetur. Non poſſe etiam oblatum recipi, ex *ibidem* adductis conſtat, cum moderatione adhibitā. Vbi ſi pecunia interueniat in ipſo adminiſtrationis actu, aut quid ſimile, eadem videtur reſtitutionis obligatio: rarò enim Indi hæc vltrò faciunt. Si autem poſt actionem ſacram eſculentum aliquid mittatur, accipi ſine ſcrupulo poteſt, quia vltroneum eſt, vtpotè ad nuptialem ſolemnitatem ſpectans, & non ſine mittentium offenſione poſſet repudiari. Et pro prædictis faciunt duæ Declarationes Cardinaliū in Recognitione Ioannis Gallemart circa *Cap.* 1. *Seſſionis* 24. de Reformat. Matrim. quarum prior ſic habet: *Petenti an ob difficultatem exigendi id, quod Parocho debetur ante benedictionem ex laudabili conſuetudine, poſſint cogi coniuges ad illud deponendum contra Abbatem. in Cap.* Ad Apoſtolicam *n.* 2. *& 4. in fine, Congregatio reſpondit, petitioni indignæ non eſſe reſpondendum.* Erat ergo indigna Parochi petitio, quia nihil tale ante benedictionem exigi poteſt. Poſterioris tenor ſequens eſt: *Congregatio Concilij cenſuit conſuetudinem ab his, quorum nuptiæ benedicuntur, aliquid recipiendi, demum eſſe obſeruandam, ſi ab initio pro fidelium voluntate, nullā exactione aut compulſione fuerit introducta & nec etiam à ſponte dantibus quidquam recipiatur antequàm benedictionem Sacerdos liberè fuerit impertitus.* Hæc Congregatio, cauſſæ præſenti, iuxtà nuper dicta, penitus adaptanda.

Duæ pro eo Cardinalium Declarationes.

Aſſertio 6. Ritus Romanus cum Indis exactè ſeruandus.

84 Dico ſextò. Ritus nuptiarum in Matrimonijs Indorum exactè obſeruandus, ſicut in Matrimonijs Hiſpanorum quoad omnia, quæ in Rituali Romano diſponuntur. Probatur ex dictis *cit. n.* 19. Concilium etiam Limenſe de illis ſpecialiter loquitur. Licet autem aliqua non videantur magni momenti, & ita neque omiſſio lethalis, alia autem grauiora ſunt, vt quòd ſecundæ nuptiæ non benedicantur, quando vidua nubit iam aliàs benedicta. Quòd autem ſponſus prior de conſenſu interrogetur, vt Romanum Rituale præſcribit, non videtur in Hiſpania, & conſequenter in Indijs obligare, quia in Appendice Ritualis prædicti, ex Manuali Toletano & Hiſpaniæ veteri vſu, contrarium proponitur auctoritate ſupremi pro iſtis Commiſſarij. Et licet in Præfatione dicatur, nihil contrarium Rituali Romano in Appendice apponi, ſed quædam addi ad maiorem recipientium Sacramenta vtilitatem illius Rubricis conformia, cui proteſtationi prædicta contrarietas videtur obſtare, & ita non eſſe id quod additur, admittendum. Stat nihilominùs

Quædam contrarietas ex Appendice Ritualis Toletani.

id, quod diximus, quia cùm iuxta Concilium Tridentinum *Seſſione* 24. *Cap.* 1. *de Reformat. Matrim.* Sic habeatur: *Si quæ Prouinciæ aliis vltra prædictas laudabilibus conſuetudinibus & ceremoniis hac in re vtuntur, eas omnino retineri Sancta Synodus vehementer optat*: id Rituale pariter obſeruandum vult, vt conſtat ex Rubrica poſitâ in fine Ritus celebrandi Matrimonium. Quâ facultate ſibi vtendum Eccleſiæ Hiſpaniæ cenſuerunt, vt in Appendice habetur *pag.* 414. Præfatio ergo de Matrimonio non procedit, vnde alia etiam circa ipſum aliquatenus diuerſa in Appendice proponuntur. Quale eſt illud poſt conſenſum coniugum exploratum: *Sacerdos ponat manum dexteram ſponſi ſuper manum dexteram ſponſæ, & dicat: Ego vos &c.* Sic *Pag.* 420. cùm tamen in Rituali *pag.* 221. ſic habeatur: *Mutuo igitur contrahentium conſenſu intellecto, Sacerdos iubeat eos inuicem iungere dexteras, dicens: Ego coniungo &c.* Et hoc profectò magis iuxta honeſtatem & decentiam apparet; quamuis id quod in Appendice dicitur, ita poſſit exponi, vt Sacerdos non debeat ſponſæ tangere manum, ſed ſponſi, dum eam manui ſponſæ ſuperponit. Et ſic fortè alia. In quo quidem ſeruanda conſuetudo, & ſic circa Matrimonij ceremonias accipiendum, quòd à Concilio eſt Limenſi decretum, vt obſeruari ſcilicet debeat ad vnguem Rituale Romanum, niſi vbi illud laudabili dicat ſtandum eſſe conſuetudini.

Concilium Tridens.

Circa iungendas nubentium manus obſeruatio.

Rituale Romanum.

85 Dico ſeptimò. Parochi Indorum conari debent ne nuptiæ ebrietatibus, & ſuperſtitionibus ex Gentilitate reſiduis, celebrentur. Quod enim ſanctũ eſt, non debet diabolicis additamentis temerari. Poſſunt Indi circa prædicta inſtrui & inſtructionis ita capaces ſunt, vt mirũ ſit quantùm in aliquibus lex continentiæ præualuerit. Inuenti ſunt, qui poſt nuptialem benedictionem per dies aliquot ſe continuerint, iuxta Angeli monitum ad Tobiam iuniorem: *Per tres dies continens eſto, &c. Tobiæ 6. v.* 18. donec Confeſſarij facultate percepta, ad quem ſibi recurſum habendum decreuerant, ad ſobrium illius vſum proceſſerunt. Diſcent omnia, & quæ didicerint moribus exprimerit, ſi ab iis, ad quos doctrina ſpectat, vt eorum munus exigit, doceantur. Videantur *num.* 79. ſunt tamen qui ſe timore damni imminentis excuſent, quia Indi poculis immerſi, ſi rettrahi ab impotenti huiuſmodi voluptate curentur, ſæuire in ſic retrahentes ſolent: vnde & inuentus eſt Parochus, qui cœtibus ad crapulam inſtitutis benedictionem daturus accedebat, à conuiuis inuitatus: timebat enim ne contra ſe in furorem acti verterentur. Sed certè ibi multi trepidauerunt timore, vbi non erat timor: id enim contendimus; curâ & ſolicitudine Parochorum agendum, ne nuptiæ ebrietatibus profanentur: quod ſcilicet ad illas neutiquam veniatur, hortamentis iteratis, comminationibus, & aliis mediis, quæ charitas & prudentia dictabit. Quòd autem ebrietates futuræ non ſint, non poterit ſemper humanâ induſtriâ caueri: quia non poteſt Parochus conuiuorum calices ad certum numerum moderari. Ebrietate autem extante, non ideò omnimoda eſt permittenda licentia, vt ad ſummum illa ſe porrigat, & damna extrema ſubſequantur. In id ergo iuxta virium poſſibilitatem incumbendum, Dei implorato auxilio, & Sancti populo Tutelaris. Nec diffidendum quando diuinæ gloriæ cauſſa agitur, eius gratiam defuturam. Quod autem Parochus ille circa menſæ benedictionem faciebat, indecorum cenſebat ipſe, ſed timori id dabat canis mutus, nec valens latrare, vnde & vexilla, quæ in proceſſionibus portari ſolent, ſinebat ad epulum populare deferri. Fateor, ſi timor grandis mali ex iis erat, qui cadere in virum conſtantem poſſunt, excuſari à graui peccato quatenus in menſa aſſidentes Dei bonis miſericorditer collatis fruerentur; non verò vt illi eiſdem abuterentur; licet contrarium ſibi perſuaſum haberet: vexilla autem deferri ex titulo aliquo accidere poterat, quia ſcilicet Feſtum alicuius Confraternitatis agebatur, non verò in contemptum religionis, quod minimè permittendum. Sed raró equidem tale quid accidere poteſt, vt ſcilicet timor talis ſit, qui Parochum ab officij ſui opportunâ adminiſtratione præpediat. Satius ergo fuiſſet vt Parochus prædictus, nihil pro Deo acturus, in domo, aut in cella, ſibi vacans tantummodò, reſideret. Et hæc pro Sacramentis.

Aſſertio 7. Vt nuptiæ ſine ſuperſtitionibus & ebrietatibus celebrentur, cura Parochorum eſt, & grauiter vrgentu

Tob. 6. v. 18.

Continentia Indorũ exemplum.

Timor damni an excuſare Parochos non impedientes poſſit.

CAPVT VII.

Indorum Parochi erga morituros, & mortuos, vt ſe gerere debeant.

86 Conſulenda circa hoc inſtructio, quę in Rituali Pauli V. habetur, ibi enim luculenter oſtenditur quomodo debeant Parochi ægrotantes inuiſere, & periclitantibus aſſiſtere; quod quidem circa Indos maximè oportet obſeruari. Vnde

Dico primò. Parochi Indorum grauiſſimè peccant, ſi eos morbo periclitantes deſerant, Sacramentorum adminiſtratione contenti, quando ad id fuerint aduocati. Conſtat ex grauiſſimo eorum damnationis æternæ periculo: ſunt enim facilè mobiles ſiue ad bonum ſiue ad malum. Et licet peccare contingat in mortis periculo conſtitutos, non audent Confeſſarium accerſere, neque obligationis ſuæ plenum conceptum efformant, morbi quatione diſtenti. Solent etiam inter eos diaboli eſſe miniſtri, qui in extremis agentes diabolicâ malignitate peruertunt: & vt vt ait Concilium Limenſe tertium *Act.* 2. *Cap.* 42. *eorum tanta eſt nequitia, vt vno die euertant, quidquid à Chriſti Sacerdotibus per annum ædificatur.* Quæ omnia curam debent Parochorum accendere, cùm ſit certum animam pro animâ, quæ perierit, ſi torpuerint, reddituros. Et quidem cùm Doctores communiter affirment, etiam cum periculo vitæ, debere Parochum Paræcianis ſuis Sacramenta conferre, ne ſcilicet illi iacturam animarum ſubeant, talibus deſtituti ſubſidiis; ſatis ex eorum conſtanti aſſertione colligitur, Parochos non poſſe ſine grauis criminis reatu illis deeſſe, qui eorum aſſiſtentiâ indigent, ſecluſo vitæ periculo, licet incommodum ſint aliquod perpeſſuri. Quod ſi nonnulli ſunt, qui ſecus ſentiunt, eâ certè ratione mouentur, quia vitæ tuendæ ius naturale eſt, & charitas in homine incipit à ſe ipſo: ſupponentes planè obligationem vrgere quando periculum tale non imminet. Pro quo P. Bauny *Tomo* 1. *Tract.* 10. *Quæſt.* 35.

Aſſertio 1. Aſſiſtendi periclitantibus grauiſſimam eſſe Parochorum obligationem.

Concilium Lim. 3.

Ex communi Doctorum ſententia euidens argumentum.

87 Dico

Aſſertio 2. Et abſoluendi illis Indulgentias, præſertim Cruciatæ.

87 Dico ſecundò. Sciant Parochi Indorum poſſe Indos ab eiſdem abſolui ab omnibus peccatis iuxta dicta *Titulo* 12. *Cap.* 11. & prætereà Indulgentiæ illis applicandæ ſunt, quæ in Bullâ Cruciatę conceduntur: illam enim Indi ſuis in oppidis reſidentes communiter ſumunt, & aliquando etiam ad ſumendum compelluntur: vel ſi quæ aliæ aliunde habeantur. Et hoc ſedulò accurandum eſt, quia Indi pœnitentias impoſitas obliuioni tradere ſolent, vnde Charitas Paſtorem debet impellere, vt grauem ſatisfactionis ſarcinam eo facient remedio leuiorem. Et quidem cùm Parochi Indorum eos ordinariè ad ſumendum Bullam impellant, inhumanum videtur, vt cùm illa eſſe ipſis magis proficua poteſt, tunc circa illam negligentes habeantur. Vnde non immeritò affirmari poteſt eos in hoc grauiter peccare, quia Indos ingenti fructu ſpirituali ſuâ negligentiâ defraudant, & ingentium pœnarum oneri obnoxios relinquunt, à quo eos poſſunt facilè liberare: quod quidem à Paſtoris officio maximè alienum eſſe quis non videat? Et ita etiam in eo plus quàm leuem reatum admiſceri. Et eſt illud iuxta communem de charitate doctrinam, ex qua habetur grauiter peccare eum, qui damnum graue alicuius non impedit, cùm poſſit ſine ſuo: & in hoc fundatur obligatio fraternæ correctionis; quia ſcilicet debemus proximi malum imminens propulſare. Quòd ſi obligatio ratione officij vlterius accedat, iam non ſolius charitatis, ſed iuſtitiæ etiam negotium agetur. Et tale eſt officium Parochorum, in quo charitatem & iuſtitiam connecti, benè poſt alios obſeruat P. Bauny *Quæſt.* 35. *citata.*

Magnum in communi doctrina Aſſertionis fundamentum.

Aſſertio 3. Ex defunctorum Indorum bonis nihil à Parochis vſurpandum.

88 Dico tertiò. Id quod à Concilio Limenſi tertio *Act.* 2. *Cap.* 39. circa defunctos Indos decernitur, omnino ſeruandum eſt, ſic autem habet: *ex bonis Indorum, qui decedunt, Parochi partem aliquam nullatenus vſurpare præſumant, etiam ſub illo prætextu, quòd quintam eorum portionem pro defuncti anima erogare velint: ſed integrum ſit Indis de ſuis bonis diſponere vt ipſis placuerit. Quòd ſi ab inteſtato deceſſerint, ad hæredes, quid pro anima defuncti erogandum ſit declarare pertineat.* Hæc Concilium. Quæ quidem ſanctè propoſita, ne circa hoc Parochi ignorantiâ laborarent. Sed certè omni tali ſanctione ſepoſitâ, obligatio iuſtitiæ Parochos ſub reatu peccati mortalis vrgeret. Nam cùm legitimi ſucceſſores ſint per leges conſtituti, nequit ab illis ſubtrahi, quod ad ipſos conſtat pertinere, niſi crimine rapinæ commiſſo. Cumque illi non teneantur quintam hereditatis partem pro animâ defuncti expendere, ſed tantum ad competentem funeris impenſam, vt videri poteſt apud P. Molinam *Diſput.* 162. §. *Quando quis*; contra eorum ius apertè fit totum illud expendendo, vnde & obligatio reſtitutionis eſt clara, iuxta prudentem æſtimationem, non enim eſt ex integro facienda reſtitutio, quia & heredes competentes debebant funeris expenſas facere, & aliqua pro defuncti animâ pariter erogare. Circa quod ſpecialius aliquid ſtatuit Synodus Diœceſana Limenſis *Lib.* 5. *Titulo* 2. *Cap.* 6. quod ſcilicet ſi Indi habentes filios dicant vt poſt mortem ſuam bona diſtribuantur pro Miſſis, Parochi id non faciant, ſed tantùm quintam partem poſt ſoluta debita & legata, & quòd ſecus facientes ad reſtitutionem teneantur. Si verò habeant aſcendentes, tertiam partem, iuxta leges Regni. Pro quo etiam Synodus Pacenſis *Lib.* 1. *Tit.* 2. *Cap.* 13. vbi quòd pro inteſtatis, ſi Caciquij ſint, aut principales, nõ plures quàm quadraginta Miſſę dicãtur. Quod iam Limenſis ſtatuerat *Lib.* 1. *Tit.* 5. *Cap.* 19. vbi quòd pro pauperibus dicantur quatuor aut ſex, & non cantatæ. Si quid autem bona fide factum fuerit, reſtitutionis obligatio ceſſabit, dummodo Parochus ex diſpoſitis non ſit factus locupletior, iuxta communes regulas in materia reſtitutionis. Et ad hunc modum philoſophandum eſt de aliis, in quibus Parochi nonnulli grauare conſcientias ſolent ita manifeſtè, vt non ſit opus circa illa quæſtiones agitare, ſed vt ipſi conſcientias reconueniant ſuas, & grauatas eas deprehentes, conentur Deo & proximis ſatisfactionem iuſtam exhibere.

Concilium Lim. 3.

Quinta bonorum pars non debet neceſſario ab heredibus pro anima defuncti expendi.

Synodus Diœceſana Limenſis ſpecialius diſponens.

Et Pacenſis.

Quid cùm bona fide.

CAPVT VIII.

Quædam alia pro Indorum Parochis.

Aſſertio 1. Grauiter peccare Parochos ad expugnationes euntes.

89 Dico primò. Parochi Indorum grauiter peccant ſi ad expugnandos Indos proficiſcantur. Pro hoc ſtat Limenſe Concilium tertium *Act.* 2. *Cap.* 7. ſic decernens: *nemo ex Clericis, qui doctrinæ Indorum præſunt, vel aliàs vtcumque agunt, ad bellum contra Indos, aut alias quaſcumque expeditiones, vt miniſteriis ſpiritualibus milites iuuet, proficiſcatur, niſi de expreſſa licentia ſui Epiſcopi. Qui ſecus fecerit, excommunicationi latæ ſententiæ ipſo facto ſubiaceat.* Sic Cõcilium, deciſionis ſuæ ratione præmiſsâ, quia in huiuſmodi expeditionibus leges ſolent iuſtitiæ violari, & irreparabilia damna deuictis inferri. Quæ quidem ratio omnes tangit. Et ita obligatio ad omnes illos extenditur, qui Concilij legibus non tenentur; licet excommunicatio ad illos, ſicut neque ad Religioſos, non extendatur. Secus erit ſi expeditio ſit pro defenſione, vt modò accidit reſpectu Chilenſium, & Calchaquienſium, quorum arma nimiſquantùm experimur infeſta.

Concilium Lim. 3.

Pœna excommunicationis quos tangat.

Aſſertio 2. Circa modum in Confeſſione tenendum

90 Dico ſecundò. Parochi Indorum circa præmittendam Confeſſionem Sacro id præſtare debent, quod à Concilio Limenſi tertio. *Act.* 2. *Cap.* 18. illis, & aliis ſæcularibus Sacerdotibus, ad quos illius iuriſdictio protenditur, his præſcribitur verbis: *Celebraturi Sacerdotes nullatenus ſacris veſtibus induti peccata confiteantur: ſed cum Confeſſione opus habent, antequàm ſe induant, & quidem genibus prouoluti id faciant: nec niſi apud Confeſſarium ab Ordinario approbatum. Qui aliter vel audierit, vel fecerit confeſſionem, ſciat ſe & præcepti reum, & ſalutarem ei pœnitentiam iniungendam.* Sic Concilium: cuius ſanctionis ratio non vna eſſe potuit: vel quia id decens non apparet, quod eadem inhibetur: vel quia contingere poteſt, vt qui ſacris veſtibus indutus confitetur, non ſit ad abſolutionem diſpoſitus, ex quo fiet, vt vel ſic celebraturus ſit, vel ſi veſtes deponat, id non ſine adſtantium offenſione contingat. Siue quòd Cõfeſſiones eo modo factæ, celerius quàm expediat, fiant. Quin etiam quòd Sacerdos veſtibus ſacris indutus, iam mundus ſupponitur, vnde & manus

Concilium idem,

Rationes cur Sacerdos ſacris veſtibus indutus non debeat confiteri.

manus antequàm ſe induat lauat in ſignum exactę munditiæ, vt Oratio indicat pro lotione ab Eccleſia inſtitutâ. *Ad abſtergendum omnem maculam, &c.* Prætérquàm quòd ſacerdos ſic indutus Maieſtatem quamdam diuinam præſefert ob repræſentationem Chriſti, vnde non eſt iuxta decorum eius perſonam Pœnitentis agere ſe alteri ſubiiciendo. Quibus etiam addi poteſt, Confeſſarium, cùm ſit iudex, ſuperiorem debere eâ in actione videri; quod ſecus accidit, cùm ſacerdos dicto modo confitetur. Et cùm Concilium nomine præcepti vtatur, manifeſtum eſt in tranſgreſſione aliquod eſſe peccatum.

Oppoſitum non videri mortale.

91 Dubitari autem poteſt an mortale ſit, quod videtur materiæ grauitas indicare. Nihilominùs contrarium videtur veroſimile; quia cùm Concilium ad mortale obligare intendit, id ſolet explicare. Neque indecentia talis eſt, vt maiorem obligationem arguat: & Sacerdos in ipſo celebrationis actu Pœnitentem agit, dum Confeſſionem præmittit, & adſtantibus ſe peccatorem profitetur. *Et vobis, fratres, &c.* & in oblatione hoſtiæ, *Pro innumerabilibus peccatis, & offenſionibus, & negligentijs*: ſicut & in peculiari pro ſe oratione: *Qui me peccatorem*, &c. Pro quo & illud in Canone: *Nobis quoque peccatoribus*, & ſic alibi.

Neque in Religioſis etiam veniale.

Religioſi autem tali præcepto non tenentur, & poteſt ſine peccato aliquo confeſſio ab indutis fieri, quia antequàm ſe induerant, non habuerunt copiam Confeſſarij: neque in illis eſt periculum prædictum de indiſpoſitione pro abſolutione. Et licet venialia tantùm peccata habeant, non abſurdè videntur facere, dum ex affectu eximiæ puritatis procedunt, vt ſic dignius ſacrificium valeant immolare. Erit autem tunc conueniens, vt non induti Caſulâ id faciant: illa enim eſt ſingulare indumentum ſacerdotis.

Approbationē Confeſſarij neceſſariam.

Quod autem de approbatione Confeſſarij dicitur, in Conſilio Tridentino habetur expreſſum *Seſſione 26. Cap. 15. de Reformat.* Vnde nec Parochus confiteri non approbato poteſt, cùm neque poſſit Epiſcopus ſibi non ſubditum ſacerdotem à proprio Ordinario non approbatum, eligere, iuxta Cardinalium declarationem, vel Pontificiam potiùs poſt factam ab illis relationem, quæ circa citatum Caput habetur ante omnes alias.

Quid de Parocho, & Clericis alterius diœceſis.

Poſſe autem Parochum alterius diœceſis Parocho confiteri, affirmat Beia *Tomo 1. reſponſ. Caſu 16.* quem ſequitur P. Bauny *Tomo 1. Tractat. 10. Quæſt. 11. de Parochis*, in principio. Et *Quæſt. 17. Aſſert. 1.* & eſt valde probabile. An autem ſimplici ſacerdoti in aliâ diœceſi approbato, probabile quidem eſt, ſed non vt prius illud: quamuis fundamenta, quæ citati adducunt pro Parochis, id etiam probent de quibuſlibet approbatis. Sed quæſtiones iſtæ Parochis omnibus ſunt communes.

Aſſertio 3. tabachum ante Miſſā ſumi non poſſe, ſine mortali peccato.

92 Dico tertiò. Parochi Indorum, & eſt de alijs, ſicut & de ſacerdotibus non Curatis, nequeunt ſine peccato tabachum ante Miſſam ſumere in locis, ad quos Concilij Limenſis Decreta perueniunt. Conſtat ex illius *Capite 24. Act. 3.* vbi ſic dicitur: *Prohibetur ſub reatu mortis æternæ Presbyteris celebraturis, ne tabachi fumum ore, aut Sayri, ſeu tabachi puluerem naribus, etiam prætextu medicinæ, ante Miſſæ ſacrificium ſumant.* Sic Concilium tertium: cuius adeò eſt perſpicua mens, vt nequeat circa illam vllatenus dubitari.

Concil. Lim 3.

Singularis cuiuſdam expoſitio.

Non defuit tamen qui ita cenſeret, ſacerdotem quidem, qui Miſſam dicere decreuit, non poſſe tabachum ſumere: eum autem, qui celebrare nolens, animum poſteà mutat, id poſſe facere, etiamſi tabachum ſumpſerit ante voluntatis mutationem. Verbum enim illud *Celebraturis* eam vim habet, vt eos tantùm deſignet, qui propoſitum habent celebrandi, iuxta participij huiuſmodi proprietatem; futurum enim ſignificat, non vtcumque, ſed ex animi deſtinatione: vnde & qui ſtatuit aliquid non facere, dicere abſolutè poteſt ſe id non facturum, & ita Sacerdos: *Volo ſumere tabachum, quia hodie non ſum celebraturus.*

Omnino inepta conuincitur.

93 Sed hac exponendi ratione nihil excogitari ineptius potuit, attentâ Concilij mente, quod totum eſt in huiuſmodi indecentiâ erga Miſſæ celebrationem ſubmouendâ: & illud apertè militat in caſu præſenti. Quemadmodum Eccleſia ſumptionem cibi & potûs ante Communionem vetuit, indecentiæ habitâ ratione, vt expoſuit D. Auguſtinus *Epiſtol. 118.* quæ eſt ad Ianuarium, ſic ſcribens: *Placuit Spiritui ſancto, vt in honorem tanti Sacramenti, priùs in os Chriſtiani corpus Dominicum intraret, quàm reliqui cibi: nam ideò per vniuerſum orbem mos ille ſeruatur.* Sic ille.

D. Auguſt.

Sicut ergo ineptum eſſet aſſerere eum, qui communicare ſtatuit, debere exactum ſeruare ieiunium; qui autem ieiunium fregit, quia non communicare ſtatuerat, mutatâ voluntate, communicare poſſe, cùm eadem omninò indecentia inueniatur in eo, quam Spiritus ſanctus, Eccleſiam in ſuis legibus dirigens, vitandam voluit: ita eſt pariter in propoſito caſu dicendum vbi ſimilis indecentia à Concilio intenditur remoueri. Neque Grammaticus ille ſenſus obſtat, quando de mente aliàs liquet, & communi omnium ita eſt vſu comprobatum. Quod ſimiliter circa Decretum Concilij tertij Mexicani dicendum, quod *Lib. 3. Titulo 5. §. 13.* ita ſtatuit. *Præcipitur ne vllus Sacerdos ante Miſſæ celebrationem, aut quæuis alia perſona ante Communionem quidquam tabachi per modum fumalis euaporationis, aut quouis modo percipiat.* Sic illud.

Concil. Mexicanū 3.

Cuius decernendi modo eadem poſſet explicatio adhiberi; quia præceptum ponitur de Communione agenti; ei enim, qui de illâ non agit, conſtat non imponi: ergo qui non agens ſumpſit, ſi voluntatem mutet, non eſt à beneficio ſacræ Communionis arcendus. Sed futilis eſt iſta ſubtilitas, & viro cordato prorſus indigna.

Non ſumant, quē ſenſum reddat.

94 Quod ergo dicitur: *Non ſumant, non percipiant*, idem eſt quòd *non ſumpſerint, non perceperint*; *quòd ſi ſumpſerint, aut perceperint, non celebrent.* Quemadmodum in Rubricâ, quæ habetur ante primam Miſſam Natiuitatis Domini, ſic dicitur: *Sacerdos, quoniam in die Natalis Domini celebrat tres Miſſas, in primâ, & ſecundâ Miſſâ non ſumat purificationem, ſed in tertiâ Miſſâ tantùm.*

Rubrica pro Miſſis Natiuitatis Dom.

Vbi verbum *Celebrat*, licèt præſentis ſit, ſignificationem habet de futuro. Et ita idem eſt atque; *quia celebraturus eſt.* Sicut ergo qui vnam tantùm Miſſam dicere ſtatuit, ſi purificationem ſumpſit, nequit alias celebrare prætextu verbi *Non ſumat*, illud iuxta modum dicendi præfatum exponendo; ita ſimiliter in caſu noſtro dicendum. Illud enim *Non ſumat.* Sic eſt exponendum, vt eam vim habeat, *ſi ſumpſerit*, *non celebret.* Et de illo

quidem

Digitized by Google

quidem, qui non celebrare decreuerat, affirmari abſolutè poterat eſſe celebraturum, non ſolùm ab eo, ſed ab aliis, quibus potuit reuelare: & ſine reuelatione item per moralem certitudinem, vt ſi celebrare nolit, quia ſtipendium non ſuppetit, & accedat, qui illud offerat, aut aliud occurrat, propter quod propoſitum mutandum eſſe veroſimili ratione credatur. Vnde & iuxta Grammaticæ leges illa eſt maximè propria ſignificatio, quia de futuro, & per participium ad id deſignandum, inſtitutum, ſiue voluntas faciendi ſit, ſiue coactè aut inſcienter fiat: vnde & daturus pœnas dicitur, qui nihil minùs quàm illas affectat, & luiturus corpore, quod deliquit. Et de eo, qui reipſa veniet, venturum dicitur, antè quàm voluntatem habeat veniendi, immò & antequàm in rerum natura ſit, ſic iuxta illud *Daniel. 9. v. 26. & ſanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo.* Quod poſt Chriſti mortem impletum. Et id quidem adeò perſpicuum eſt, vt non videatur operæ alicuius pretium circa ipſum occupari.

Participiũ de futuro quam habeat vim.

Præceptum ſub mortali obligans imponi potuiſſe probatur.

95 Præceptum autem dictum ſub mortali obligare ſatis ex ipſius tenore apparet; & potuiſſe ita diſponi, pro certo haberi debet; communique Doctorum aſſertione probatur. Si enim vna panis mica, aut vnâ aquæ guſtula, ſumi ante Communionem nequit, & ita potuit Eccleſiæ præcepto conſtitui, quomodò non etiam ſtatui poſſit, ne quis ore putido ex tabachi fumo, & ſubſtantiâ illâ per nares aut os ſordidè & importunè deuolutâ, *Hoſtiam puram, Hoſtiam ſanctam, Hoſtiam immaculatam, & panem ſanctum vitæ æternæ* ſuſcipiat? Vnde & ſimilis prohibitio, & quidem cum notabili extenſione, vt neque intra Eccleſiam ſumatur, pro diœceſi Hiſpalenſi, auctoritate Vrbani VIII. in Breui ſpeciali, de quo Cardinalis Lugo *Dubio 9.* infrà citando *n. 1.* & alia Cardinalis Borgiæ, de quâ Thomas Hurtadus *Tractat. 11. num. 390.* ſicut & auctoritate Synodi Canarienſis *in Conſtit. de vita & honeſt. Clericor. Fol. 228.* Vbi ſub excommunicatione latæ ſententiæ præcipitur, ne Clerici ante Miſſam, & per duas horas poſt eam dictum tabachum ſumant, & ita obligationem ex præfatis prohibitionibus prouenientem admittit Diana *Parte 5. Tract. 13. Reſol. 1.* qui & videndus *Parte 8. Tract. 7. Reſolut. 3.* & Dianam circa hoc hallucinatum *Parte 10. Tract. 16. Reſol. 23.* licèt aliàs multa in fauorem tabachiſtarum congerat: vbi tamen doctus Pater egregiè hallucinatur: ait enim in fine illius *Reſol. 1.* quòd in Partibus, in quibus Concilia id prohibent, ideò forſitan eſt, quia tabachus tali modo ſumitur, vt ad vomitum prouocat. Et illud ait ſe apertè colligere ex citatâ Conſtitutione Synodi Canarienſis, vbi tabachi ſumptio per duas horas à Miſſa dictâ prohibetur: nam aliàs non prohiberetur poſt ſumptam Euchariſtiam: etenim poſt illam non ſolùm tabachus, ſed omnis cibus poteſt ſumi. Sed certè alia eſt prohibitionum iſtarum ratio, cùm apertiſſimè conſtet tabachum vt communiter ſumitur ad vomitum non prouocare eos, qui eidem aſſuefacti ſunt; & in ordine ad effectum illum, prouocandi ſcilicet ad vomitum, ſpeciali modo ſumi. Quod ergo à Synodo eſt Canarienſi conſtitutum, ex diuerſa ſanè intentione proceſſit; vt ſcilicet Sacerdotes à vitioſâ conſuetudine ſumptionis talis arceantur, & decorum ſuæ dignitatis obſeruent, quam dedecere graueolentiam illam humanæ ſocietati intolerandam ſatis videtur manifeſtum. Præterquàm quòd vitium hoc nimiſquantùm hæret, vt cenſeant multi diabolicum aliquid in ſumptione iſta interuenire. Pro quo Thomas Hurradus *Tractat. 11. Cap. 1. & Reſolut. 1. §. 1.* Videatur Cap. *Tribus gradibus, de Conſecrat. diſt. 2.* vbi longior abſtinentia poſt Euchariſtiæ ſumptionem à D. Clemente Papa inuenitur iniuncta.

Pro eo quid Hiſpali.

Synodus Canarienſis.

Cap. Tribus gradibus.

Etiamſi nõ traiiciatur in ſtomachum prohibitionem vrgere contra Thom. Hurtadũ.

96 Stante autem obligatione generaliter loquendo, de ſumptione etiam per nares aut fumi aut pulueris accipienda eſt, quia de illis expreſsè locutum Concilium; vnde minimè audiendus Thomas Hurtadus *ſuprà, numer. 188.* qui non videtur textum legiſſe Concilij. In eo etiam non admittendus, quòd prohibitiones huiuſmodi dicat *numer. 165.* non extendi adſumptionem oretenus contingentem, cùm ſcilicet nihil in ſtomachum traiicitur; quod ſecluſis prohibitionibus peculiaribus, non eſſe contra ieiunij naturalis legem pro Communione requiſiti. Affirmat Cardinalis Lugo *Lib. 1. Reſponſorum Moralium, Dubio 9. numer. 7.* alios ſecutus, de quibus *ibi.* Non inquam audiendus, quia, vt vidimus, prohibitio Concilij traiectionem non attendit, ſed indecentiam, quam Concilium Mexicanum expreſſit, & Vrbanus Octauus, dum pro Diœceſi Hiſpalenſi iubet ne intra Eccleſiam ore aut naribus tabachus ſumatur; vbi manifeſtum eſt ad ieiunium neutiquam haberi reſpectum: cuius prohibitionis duo citati Auctores faciunt, ſicut & alij, mentionem; & ad intentum noſtrum à Cardinali Lugo ſapienter obſeruatur, *numer. 1.* Hoc ergo ſuppoſito, ad materiæ huius notitiam pleniorem ſint

Quid ſecluſa prohibitione Concilij.

Dubiorum quorumdam circa Tabachum Reſolutiones.

97 PRimum, *An Religioſi dicto Concilij præcepto teneantur.*

Religioſos non teneri ex vi legis, contra aliquos.

Et teneri quidem duplici ex Capite probari poteſt. Primò, quia legibus Concilij tenentur, iuxta multorum ſententiam, ex quibus ſunt P. Vaſquez *Tomo 2. in 1. 2. Diſputat. 167. Cap. 4.* vbi de legibus Ieiunij ſpecialiter loquitur. Emmanuel Rodericus *Tomo 1. qq. regul. quæſt. 66. art. 2.* Villalobos *Tractat. 2. Difficult. 30. num. 4.* Sed quia oppoſitum eſt valde probabile, quod inter alios defendit P. Suarez *Lib. 4. de Legibus, Cap. 20.* de quo & nos *ſuprà:* ideò ex hac parte nequeunt Religioſi vehementer vrgeri. Secundò, ex eo quòd Tabachi ſumptione ieiunium naturale frangatur, quod ſeruari ab omnibus debet Euchariſtiam accepturis. Sed certè ſi de Tabachi puluere aut ſucco per nares ſumpto, ſermo ſit, cùm id neque comedere, neque bibere ſit, parum roboris inde poſitio dicta deſumit. Poteſt autem aliqua eſſe difficultas, ſi in ſtomachum traiiciatur. Sed cùm ſint Auctores id de alijs ſic traiectis negantes, quia neque comedere, neque bibere eſt, difficile

An ex fractione ieiunij naturalis.

Et negatiua pars iuxta probabilia principia defenditur.

difficile erit fractionem inde naturalis ieiunij comprobare. Sic ergo de aquâ per nares attractâ, & in ſtomachum tranſmiſſâ, affirmat P. Fagundez *Lib. 3. circa tertium Eccleſiæ Præceptum, Cap. 5. num.* 14. quod ex doctrinâ P. Suarij, & P. Henriquez probat, licèt illi de aquâ ſic ſumptâ in ſpeciali non loquantur: vnde non benè Diana *ſuprà, Reſolut.* 1. §. *Hoc ſuppoſito*, P. Suarium vt in ſpeciali ſic aſſerentem adducit. Videatur *Tomo* 3. *in* 3. *P. Diſput.* 68. *ſect.* 4. §. *Quæret rurſus*. Ex eius tamen doctrina colligitur, dum ait id, quod per modum reſpirationis attrahitur, non frangere ieiunium naturale, etiamſi nutrire poſſit. Quòd ſi in aquâ id eſt veroſimile, idem etiam erit in vino, & in quolibet alio ſucco aut puluere: pro quo Diana *loco dudum citato*, vbi alios adducit, & præſertim Alfonſum à Leone de tabacho loquentem; licèt non deſint qui contradicant.

Circa fumum ore ſumptum ſententia affirmans.

98 De fumo autem maior videtur eſſe difficultas, quando per os ſumitur: & tunc, ſi in ſtomachum traiiciatur, illud frangi affirmant P. Præpoſitus *Tomo* 4. *in* 3. *p. quæſt.* 80. *numer.* 39. §. *Ex dictis.* Antonius de Leon *in qq. moralibus de Chocolate p.* 2. §. 4. *num.* 10. *& ſeqq.* id generaliter de quacumque ſumptione pronuntians. Thomas Hurtadus *ſuprà, Reſolut.* 2. vbi alios adducit. Sed pro ſententiâ contrariâ pugnat Diana *ſuprà*, & alij, quos ipſe, & etiam Hurtadus adducunt, qui probant. *Primò*, quia ſic ſumptum in ſtomachum non traiicitur, ſed per nares emittitur. In quo quidem deceptus Diana: non enim ſumitur, vt per nares eiiciatur, ſed vt conſulatur ſtomacho verâ illâ, aut exiſtimatâ virtute. Licèt enim veroſimile ſit id, quod cum alijs probat Cardinalis Lugo *ſuprà, numer.* 5. *& ſeqq.* Tabachum oretenus ſumptum poſſe effectum in ſtomacho habere, nullâ in eum ſubſtantiæ traiectâ particulâ; ea tamen philoſophia neque certa eſt, neque communiter nota, & ita aliter vſus habet. *Secundò*; quia ſumitur per modum reſpirationis, & non per modum cibi, aut potiùs, per actionem ſcilicet comedendi aut bibendi, iuxta doctrinam grauium ſcriptorum, ita præceptum dictum explicantium. Et hoc eſt vnicum, & veroſimile talis ſententiæ fundamentum: quam & ſequitur Ægidius Baſſæus verb. *Communio ſacra, numer.* 41. & P. Eſcobar de Mendoza in Theologiâ morali, & Examine Confeſſariorum, pro eadem adducitur, dum *Tractat.* 7. *Exam.* 6. *in fine*, ita ſcribit: *Tabachinæ pulueres, fumus, aut folium, prohibet à Communione? Puluis, aut fumus, minimè, qui nullam cibi aut potus rationem habet per nares traiectus.* Sic ille. Sed cùm de fumo per os ſumpto nihil dicat, pro oppoſitâ potiùs videtur militare. Et iuxta hæc etiam accipienda reſolutio Hieronymi Garciæ in ſummâ morali de ſacerdotio *Tractat.* 3. *Difficult.* 5. *Dub.* 2. *num.* 47. vbi ſe Dianam ſequi profitetur, & in fine concludit ſic: *Defiendo que no es culpa graue el tomallo antes de celebrar, por euitar los eſcrupulos, que podia cauſar eſto, ſupueſto que tiene buen fundamento.* Sic ille. Qui tamen de puluere & fumo per nares ſumptis locutus fuerat, & id quidem ex non benè percepto ſumptionis modo: fumus enim tabachi non per nares, ſed per os ſumi conſueuit, & ita Dianæ ſententiæ non videtur penitus conſentire. Sicut neque Cardinalis Lugo de ſumptione tantùm per nares locutus *cit. num.*

P. Eſcobar de Mend.

Hieronym. Garcia.

1. cum Paſqualigo *in Praxi Ieiunij*, *Deciſione* 438. Quod neque admittit Dom. Solorzanus, qui abſolutè ſumptionem per os & nares abhorret, & carpit in Politicâ Indianâ *Pag.* 118. §. *Y ſiempre*, ſic ſubdens: *Siendo aſi, que en opinion de Antonio de Leon que brantan con eſto el ayuno natural, y en la mia, y en la de todos quantos bien ſientem, el Euchariſtico.* Hæc ille. Quibus non obſtantibus, ſunt qui contrarium ſentiant, & ſe benè ſentire contendant, nec ſolùm theorici, ſed practici etiam aſſertores.

D. Solorz.

99 Cùm ergo modus dicendi prædictus neque ratione, neque auctoritate ſit penitus deſtitutus, & ita vt improbabilis nequeat condemnari, ſi nihil aliud obſtet, id modò diſpiciendum, vt Religioſis vſum non licere ſit prorſus aſſerendum. Et obſtare quidem ſchandalum poterit, quod generaliter circa leges ſimiles Auctores affirmant, vt videri poteſt apud P. Suarium *ſuprà*, *num.* 10. Dianam *Parte* 1. *Tractat.* 10. *Reſolut.* 11. qui & videndus circa ieiunium *Tractat.* 9. *Reſolu.* 38. vbi plures adducit. Quod quidem in præſenti caſu maximè locum habet; eſt enim quàmueriſſimum ſcandalizari eos, qui ſic agentes conſpiciunt Religioſos, in his præſertim regionibus, de quibus iam dictum, curam deberi ſpecialem haberi, quia de conuerſione infidelium, ſtabiliendâ fide, & Chriſtianis moribus inducendis agitur; vnde maiori debent Religioſi moderationis exemplo prælucere. Licebit ergo quod eſt cum multis nuper propoſitum, ceſſante ſcandalo; ſicut de fine alio, in caſu de quo loquimur, dixit Hieronymus Garcia, licet non congruè applicata doctrina, dum ex Dianâ aſſerit Tabachi ſumptionem à Concilijs prohibitam ob prouocationem nauſeæ & vomitus, & ita eo periculo ceſſante, prohibitionem etiam ceſſare.

Ratione ſchandali non licere Religioſis, ſed eo ceſſante, eſſe probabile.

100 Præter dictos autem ſumendi modos ſunt alij, dum ſcilicet folium ore ſumitur, ſed non traiicitur in ſtomachum, niſi quatenus ſuccus aliquis ſaliuæ admixtus deglutitur, ſine intentione tamen comedendi: neque enim comeſtione opus ad ingentem excitandam commotionem, de quo dictum *num.* 98. Et ſic ſumptum non frangere ieiunium tenent Diana, Hieronymus Garcia *num.* 46. P. Eſcobar de Mendoza *in fine Examinis citati* Patres Neapolitani Societatis, quos conſuluit, & ſecutus eſt Cardinalis Lugo *num.* 5. *& ſeqq.* & alij. Et comprobari poteſt ex doctrinâ P. Tanneri, & Bartholomæi à S. Fauſto apud Dianam, de circumferente ore aliquid aromaticum; quod & Bonacina affirmat *Tomo* 1. *Diſput.* 4. *de Euchariſtiâ, Quæſt.* 6. *Puncto* 2. *num.* 9. cum P. Coninck *Quæſtion.* 80. *de Sacramentis. num.* 48. & alijs: ex quo neceſſarium eſt nonnihil ſaliuæ adhæreat, non tamen impediens Communionem. Dum autem addunt, *ſed nihil ex intentione deglutit:* non eſt ita intelligendum, vt neque id, quod per modum ſaliuæ admiſcetur, non debeat ex intentione deglutiri. Nam cùm certum ſit admixtionem talem fieri, poteſt quis intentionem habere ſumendi illud ſic admixtum, quia id eſt cum intentione ſaliuam deglutiendi coniunctum, quam poteſt quis habere, quia actus licitus eſt. Sic ergo accipiendum eſt, vt ex intentione nihil deglutiatur, ne minimum quidem, quod ſaliuæ admixtum non ſit, ſed per ſe ſtans, ſiue ex folio, ſiue

Folium poſſe ſumi, ſi non traiiciatur.

Quid ex intentione, aut per modum ſaliuæ.

Digitized by Google

ſiue ex ſucco, ſiue in quo potior pars tabachi ſit, quàm ſaliuæ, quæ inſenſibiliter admiſcetur. Circa quod, cùm fundamentum non leue videatur habere, & ſic boni loquantur Auctores, non eſt cur rigidè vſque ad Cenſuram tranſgreſſionis mortalis cenſeamus.

De ſumptione in luto, & alijs.

101 Alius eſt etiam ſumendi modus, in luto ſcilicet; fit enim maſſa quædam, aut electuarium, quod capſulâ incluſum affertur, & parui coclearis vſu ori illatum neſcio qua ratione tractatur. Si ergo tranſglutitur, naturalis eſt ieiunij fractio manifeſta, quia medicamenti prætextu ſumitur, & fortè aliquoties tale eſt. Si verò poſt ſumptionem expuitur, alteratione per illud, quæ intenditur, ſubſecutâ & aliquid tantùm per modum ſaliuæ traiicitur, adinſtar eorum, qui cibos guſtant, quibus condiendis aſſiſtunt, aut qui vino os abluunt; idem eſt quod de folij ſumptione dicendum, eadem ſtante ratione; licèt defuturi non ſint qui ſecus ſentiant, & fortè meliùs: ſicut neque modi alij ſumendi, vt pillularum ſaccharo conditarum, de quibus Thomas Hurtadus; facilè enim eſt inuentis addere, & præſertim, vbi vitioſa cupiditas dominatur, æmula vanitatis.

Epiſcopi an præcepto teneantur. Vbi pars negatiua fundatur, ex receptis principijs.

102 Secundum dubium eſt, *An Epiſcopi dicto teneantur præcepto.*

Circa quod Religioſus Epiſcopus, cùm anceps eſſet, licèt doctus ille, alium duxit Religioſum & doctum pariter conſulendum, & non teneri reſpondit ille: qui moueri potuit ex eo quòd ſumptio prædicta ex ſe naturalis ieiunij fractiua non ſit, iuxta dicta: præceptum autem ad ſolos Præſbyteros dirigitur, vt ex eius tenore conſtat: nomine autem Presbyterorum in odioſis non veniunt Epiſcopi, ſicut neque nomine dignitatis, vt communiter notant Doctores. Videantur Naldus verb. *Epiſcopus, num.* 1. *&* 3. P. Sà verb. *Epiſcopus, num.* 9. & P. Suarez *Tomo* 5. *in* 3. *p. Diſput.* 31. *Sect.* 1. *num.* 53. Præterquàm quòd ſermo generalis non comprehendit perſonam loquentis. *L. Inquiſito. C. de ſolutionib.* Cap. *Petitio*, de iure iurando. Quod materiæ præſenti accommodat Barbòſa *de Poteſt. Epiſcop. Alleg.* 93. *num.* 27. Cùm ergo Epiſcopi Prouinciales prædicti Decreti Auctores fuerint, non videntur eo ſe voluiſſe comprehenſos. Neque enim de multis ſic decernentibus aliter ſentiendum eſt, ac de vno aliquo, cum Synodalem Conſtitutionem condit, ad quam non obligari communis ſenſus Doctorum eſt, de quo Barboſa *ſuprà.* Quæ ratio apud eos certè vim habeat, qui exiſtimant Concilium Prouinciale non eſſe ſuperius ſingulis in eo aſſidentibus, de quo *Titulo* 9. *num.* 155. *&* 158. *& ſeqq.* Vbi cùm oſtenſum ſit oppoſitum, & validè comprobatum, non eſt illi multùm inſiſtendum. Prior autem ſolidior eſt, iuxta quam Epiſcopi ab eo ſunt onere liberandi, ſi tamen ita cautè procedant, vt ſcandalum non ſequatur; ne illis Chriſti veniat applicanda ſententia, in Phariſæos iactata, quòd ſcilicet pro alijs onera grauia diſponant, quæ ipſi ne digito quidem mouere velint, moleſtiam omnem recuſantes. Et in Epiſcopis Indiarum peculiarem eſſe rationem ex dictis *num.* 98. circa Religioſos compertum habetur, de quo & aliàs.

Niſi adſit ſcandalū.

Ad communicantes omnes nō extendi.

103 Tertium, *an prohibitio dicta ad omnes ſe Communicantes extendat.*

Et de extenſione in iis partibus, ad quas ſe iuriſdictio Mexicani Concilij protendit, dubitari nequit, quia ita in illo expreſſum habetur: de aliis autem, cùm prohibitio expreſſa non ſit, & ſoli nominentur Presbyteri, iuxta id videtur iudicandum. Probabile namque eſt, ſecluſo præcepto, obligationem ſub mortali non eſſe: ſi ergo præceptum ad omnes Communicantes non extenditur, obligatio eorum alia à communi non erit. Neque ex obligatione Sacerdotum colligi obligatio aliorum poteſt, licet idem omnes recipiant, & eamdem videantur decentiam poſtulare. Quia licet idem ſit; modus tamen recipiendi eſt diuerſus, ſoli enim ſacrificant Sacerdotes. Et ita ſicut in Communicantibus non requiritur ſpecialis veſtium ornatus, qui tamen pro Sacerdotibus neceſſarius eſt, ita etiam circa alia dici poteſt. Pro quo eſt item, Sacerdoti, qui conſcientiam peccati mortalis habet, nec copiam Confeſſarij, onus Confeſſionis faciendæ, quamprimùm poſſit, imponi à Concilio Trid. *Seſſio* 13. *Cap.* 7. Quod tamen onus Communicantibus aliis iniunctum non eſt, vt communiter Doctores affirmant. Erat equidem Concilio perfacilè Communicantibus omnibus ſub reatu eodem præcipere: cùm ergo ita non fecerit, credendum eſt inuoluere omnes minimè voluiſſe. *Nam ſi voluiſſet, expreſſiſſet*, vt ſæpè aliàs dictum ex Cap. *Ad audientiam*, de decimis, & textibus aliis.

Conc. Trid.

Conſuetudinem tamen à Cōfeſſarijs cōfouendam.

104 Videtur tamen conſuetudo aliud ſuadere: nullus enim communicare audet poſt tabachi ſumptionem; & ſi ſecus fieret, ſcandalum non exiguum oriretur. Vnde videtur hoc eſſe à Confeſſariis confouendum, vt nullùm communicare permittant fumoſis ore aut naribus acceſſurum. Licet autem circa præſcriptionem conſuetudinis non ſint qui quæſtionem moueant defuturi; inſiſtendum illi, & ob reuerentiam Altiſſimi Sacramenti conniuendum; vt vires ſumat. Vnde accedenti & dolenti quod incautè Tabachum ſumpſerit, cùm eſſet communicaturus, dicendum vt in alium diem differat Communionem. Neque enim negari poteſt quin ſaltem indecentiæ aliquid in eo ſit, quod ad dilationem ſatis; accedente virorum ſapientium ſententiâ, qui, præter indecentiam præceptum graue eſſe contendant. Neque timendum, ex eo quòd fideles obligationem in eo grauem recognoſcant, occaſiones grauium lapſuum. Cùm enim illi ſatis cautè in hoc ſe gerant, & Confeſſariorum iudicio ſtare experientia notum ſit, nulla eſſe occaſio poteſt, quæ illis pernicioſa ſit futura. Dum ergo illi ſe Confeſſariorum iudicio ſubmittant, Confeſſarij opinione probabili vti poſſunt, vt ſic diuini Sacramenti reuerentiam tueantur. Neque enim ibi locum habet, quod ſententia communis amplectitur, Confeſſarium ſcilicet debere ſe opinioni Pœnitentis accommodare; quia Pœnitens nullâ ſe opinione tueri contendit, iudicio Confeſſarij penitus pariturus.

Digitized by Google

Alia circa eamdem materiam.

De Sayri, & Topaſayri.

105 PRæter Tabachum Concilium apponit *Sayri*, qui puluis eſt Indicus ad ſternutandum validiſſimus, vt ſic caput grauatum multipliciter alleuietur, quod etiam dicitur *Topaſayri*, nec graueolentiam illam, quam Tabachus, relinquit. Illo ergo vti non licet, vbi Concilij viget auctoritas: Quia verò ſunt alia, ſiue ex genere Indicarum plantarum, ſiue ex Europæis, aut aliunde petita, quæ ſumi ſolent, vt roſacei pulueres & ex Sandalo, dubitari poteſt an debeant etiam prohibita cenſeri à Concilio. Et vt prohibita cenſeri non debeant eſt obuia ratio ex doctrina communi de lege pœnali, quæ debet ſtrictè interpretari: cui inſiſtere qui voluerit, non poterit facilè erroris conuinci. Pro quo & argui ex eo poteſt, nam cùm pulueres dicti Orbi ferè vniuerſo communes ſint, & contingere poſſit vt ante Communionem ſumantur, non inuenitur pro hoc quidquam in Conciliis cautum, vnde neque Indica Concilia exiſtimanda ſunt prouidentiùs circa illos quidquam ſtatuiſſe. Eſt ergo pars iſta non inueroſimilis: ſed qui eam ſequi voluerit, ſcandalum vitare debet: qui enim viderint puluerem quemlibet Tabachi more deſumi, pro Tabacho non imprudenter iudicabunt, quia iudicium iuxta communiter accidentia ſolet efformari. Et quidem neque bonum illud de Tabachiſtis multi habere ſolent, nec tale quale ſibi Sacerdotalis & Religioſa debet dignitas accurare: vnde Dom. Solorzanus in Politica *pag.* 118. *Col.* 1. *in fine* poſt adducta aliqua contra putidam illam conſuetudinem ita ſubdit: *Coſas todas que en mi concepto ſon baſtantes para no hacerle bueno de los que ſe dan à deleyte tan aſqueroſo.* Sic ille. Cui & ego libenter ſubſcribo, & ita ſanè ſentio. Vt in prouiſione Beneficiorum meritò debeat ratio conſuetudinis iſtius haberi, & minùs dignos, ne indignos penitus dixerim, eos habendos decernere, qui illâ notati fuerint deprehenſi. Vitium enim eſt, quod & ipſi non negant, & ſordidum quidem ac fœdum, rebuſque ſacris tractandis peculiarem inconcinnitatem adducens. Quomodo ergo in Beneficijs conferendis habenda de hoc ratio non ſit, & vitium iſtiuſmodi ſupprimendum?

Pulueres alij non expreſſi, an prohibiti.

De Tabachiſtis non bonum cōceptum Dom. Solorzanus habuit: neque Auctor.

In Beneficijs poſt habendos.

An in ſtatu mortalis peccati ſint huic vitio dediti. Et pro parte affirmante arguitur ſeptem rationibus.

Prima ratio.

Dom. Solorz.

Barclayus.

106 Et dubitari quidem poteſt an huic vitio dediti in ſtatu mortalis peccati ſint; quod probari poteſt *Primò.* Quia graue nocumentum ſaluti inferunt, ex eo quòd pulueres cerebro notabilem inducant ſiccitatem, quo nihil illi magis aduerſum eſſe poteſt. Fumus autem hepar, & viſcera adurit, vnde & mortes ſubitę non raró contingunt: pro quo faciunt Carmina, quæ ex Ioanne Barclayo adducit Dom. Solorzanus *ſuprà* ex iis Hiſpanè verſa, quæ habet *Tomo* 2. *Lib.* 1. *Cap.* 8. *num.* 27. quorum illud ſemel & iterùm vſurpatum:

Planta nocens. O lethifero Planta horrida fumo!

Quando autem graue nocumentum ſaluti ex immoderantiâ eorum, quæ ore ſumuntur, infertur, graue peccatum eſſe communiter Doctores affirmant, vt videri poteſt apud Cardinalem Toletū *Lib.* 8. *Cap.* 60. *n.* 1. P. Leſſium *Lib.* 4. *Cap.* 3. *n.* 7. P. Eſcobar *ſuprà Tract.* 2. *numer.* 23. §. *Quandonam.* Baſſæum *verb. Gula. num.* 3. & alios. *Secundò*, quia iuxta citatos, Gula tunc eſt peccatum mortale, quando ex nimio cibo aut potu probabiliter timetur aliquod peccatum mortale. Pro quo Cardinalis Toletus *ſuprà* §. *Sextò, Quandę:* cui alij conſentiunt. Atqui Tabachiſtæ non vni, ſed multis mortiferis peccatis obnoxij ſunt, qui & vehementiâ appetitûs vrgente, quidquid obſtiterit, tranſgredientur: poſſunt autem multoties mandata ſub mortali obligantia interponi. *Tertiò.* Quia communis etiam doctrina eſt, gulam eſſe peccatum mortale, quando ex ea ſequitur ſcandalum, vt apud eumdem §. *Quartò quando*, & alios citatos. In caſu autem noſtro ſic vſuvenit, ſi præſertim huic vitio implexi Sacerdotes aut Religioſi ſint. *Quartò* Quia res ſacræ & diuinę indecorè tractantur, veſtes ſacræ inficiuntur, & Corporalibus ipſis ſordes ad nauſeam prouocantes inſtillantur. *Quintò.* Quia tales nihil pro dignitate, & vt res exigunt, faciunt. Sed properè, tumultuariè, ad ſordidam illam voluptatem ſemper anhelantes. Vnde & cremandus die ſequenti prouectæ ætatis homo ob fœda crimina, cùm à Sacerdote ad diſpoſitionem Chriſtianam efficaciter, licet ſuauiter, vrgeretur, inter doloris pro peccatis actus Tabachum poſtulabat: pro quo à Sacerdote correptus conſuetudinem cauſſabatur. Ergo neque æternæ ſalutis negotium in extremo articulo conuenienter ſinit pertractari. *Sextò*, quia, vt dixi *num.* 95. multi viri graues, docti, & experti, diabolicum aliquid in ſumptione iſta tantoperè inhæreſcente admiſceri arbitrati ſunt, & nunc etiam arbitrantur. *Tandem*, Præfati viri de Tabachiſtis bonum ſe non habere conceptum voce & ſcripto proteſtantur: in bono ergo illi ſtatu non videntur eſſe; quandoquidem ex leuibus defectibus non debet abſolutè ſiniſter conceptus efformari. Sed erunt qui hæc non vrgere contendant, & mortale peccatum in abuſu prædicto negent, & ſuam pergant hinc & inde petitis rationibus comprobare ſententiam. Sed durum ſanè erit, ſi quod ipſi probant, Deus fuerit inuentus reprobare. Et nil tale timentibus dicatur: Fumo pereant, qui fumos non vendunt, emunt tamen, contra eius, qui *ignis conſumens eſt*, manifeſtiſſimam voluntatem. Pro quo hæc ſatis.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Sexta.

Septima.

CAPVT IX.

Circa miniſterium Altaris nonnulla alia pro Indorum Parochis.

A Parochis Indorum Miſſale Romanum penitus obſeruandum.

Concilium Lim. 3.

107 IN Cōcilio Limenſi tertio *Act.* 4. *Cap.* 11. ſic habetur *In Miſſali auctoritate Sūmi Pōtificis edito, nihil addatur, aut detrahatur, aut immutetur quouis modo, ſed quemadmodū eſt ab Apoſtolica Sede conſtitutum, Miſſæ ceremoniæ omnes, ceteraque diuina peragantur.* Hæc Concilium. Quæ quidem omnes in altari miniſtrantes obſtringunt, ſed circa Indorum Parochos inculcanda illa, quia circa hoc ſolent frequentiùs culpabiles inueniri. Debent ergo pileo vti, dum è Sacriſtia exeunt, & ad illam reuertunt: ſic enim in Miſſali præcipitur:

Digitized by Google

tur: per medium ad altare aſcendere, & non per latus, Calicemque manibus portare, & non in altari aliàs poſitum ſatis eſſe cenſere, cùm debeat portari patena & hoſtia ſuper poſitis. Sic alia ſunt, in quibus lapſus multiplices; ſed præ aliis fortè maior ille in quibuſdam, qui eò quòd inter Indos ſe tantùm verſari videant, grauitatis pro ſacrificij maieſtate debitæ penitus obliuiſcuntur. Ibi ergo magis damnabiles, vnde excuſationem ſuæ leuitati prætexunt: quia enim Indi ſunt qui aſſiſtunt, ideò illi ad reuerentiam ſunt Sacramenti, ſui Rectoris exemplo ſingulariter pertrahendi, docti alium de illo formare conceptum, quod vident à viro dignitatis tantæ ſublimi circumſpectione tractari. Quòd autem nihil addendum ſit, detrahendum aut immutandum, à Pio Quinto in ſuâ Conſtitutione præcipitur, quæ in principio Miſſalis occurrit, verbis illis: *ac huic Miſſali noſtro nuper edito nihil vnquam addendum, detrahendum, aut immutandum eſſe decernendo, ſub indignationis noſtrâ pœnâ, hac noſtrâ perpetuò valiturâ Conſtitutione ſtatuimus, & ordinamus.* Sic ille. Et quidem cùm ita ſit à Pontifice conſtitutum, non videtur cur Concilium ſuo illud voluerit Decreto firmare. Sed certè conuenientiſſimum fuit, quia in Indiis ea licere videntur quæ pro cuiuſque libitu diſponuntur. Vnde & pro Regiis, & pro Eccleſiaſticis Conſtitutionibus obſeruandis, peculiaris debet à Gubernatoribus & Prælatis conatus adhiberi. Eſt etiam Decretum dictum Decreto Tridentini Concilij conforme *Seſſione* 22. *de obſeruandis & vitandis &c.* Vbi Epiſcopis huiuſmodi cura præcipitur, vt per edicta & pœnas, ritus & ceremonias ab Eccleſia probatos faciant obſeruari.

Decretum Tridentini pro abſoluta obſeruantia rituum & ceremoniarum.

108 Addit ſequentia Concilium: *Inter Miſſarum alicui ſaculari pacem cum patenâ dari, aut per Miniſtrum Ordinis ſacri ad feminam cuiuſcumque dignitatis deferri nullâ ratione permittatur.* Sic Concilium, cui penitus concinit Synodus Diœceſana Pacenſis *Lib.* 3. *Tit.* 8. *Cap.* 50. Vbi quid ad pacem cum patenâ dandam ſpectat ſatis ex Rubrica Miſſalis conſtat. §. 10. *num.* 3. in quo ſic dicitur *& inſtrumentum pacis ei porrectum à Miniſtro iuxta ipſum ad dexteram &c.* Debet ergo eſſe peculiare inſtrumentum, & non patena. Licet autem id pro omnibus videatur diſpoſitum, ita vt Eccleſiaſticis etiam pax inſtrumento, & non patenâ ſit danda, quia nulla in dictâ Rubricâ, & aliâ, quæ habetur *num.* 8. indicatur diuerſitas: pro ſolis tamen laicis vſus obtinuit vt patena non debeat adhiberi. Immò & pro Prælatis expreſsè loquitur Gauantus in *Commentario Rubricæ citatæ L. F.* ſic dicens: *Miniſter daturus pacem genuflectit ad dextram Celebrantis, & dicto tertiò Agnus Dei, porrigit inſtrumentum oſculandum eidem Celebranti: tum factâ genuflexione, accedit ad Prælatum & alios, quibus idem inſtrumentum porrigit &c.* Pro quo & facit id, quod teſtatur in *eiuſdem* §. *num.* 8. *verſ. Ordo verò*, Commentario, verbis ſequentibus: *neque datur vnquam cum patenâ, vice tabellæ, ſeu inſtrumenti, quam patenam prohibuit Pius V. in Epiſtola ad Archiepiſcopum Tarraconenſem ſuprà citatâ num.* 5. Sic ille. Prohibitio autem videtur fuiſſe generalis, vt probat particula *Vnquam*, quæ adiungitur cum negatione. Verùm dicente Auctore prædicto patenam à Pio V. fuiſſe prohibitam, ex eo videtur fieri non prohibitam illam per ea, quę in Miſſali habentur. Cumque aliàs Epiſtola illa Pij V. ad particularem Prǫlatum fuerit directa, neque vt vniuerſale Reſcriptum intimata, patenę vſus non videtur generaliter fuiſſe ſublatus. Ideo circa hoc non vna eſt vbique conſuetudo, & licet quod ad laicos ſpectat, peculiare Pontificium Decretum extet, Proregi tamen patenâ datur pax, & ſupremis alijs Prætoriorum Præſidibus, ac conſidentibus Auditoribus. Nec mirum erit, ſi Prætores Indorum tale quid velint, & obtineant, Parochis conniuentibus, ne difficiles experiantur ſalarij ſibi reddendi ſolutores, aut aliàs aduerſantes.

Circa pacem in Miſſa quid ex Concilio Limenſi 3. & Miſſalis Rubrica.

Gauantus.

Patenæ vſus in pace vt prohibitus & permiſſus.

109 Circa feminas autem id, quod à Concilio ſtatutum eſt, cum Proregum vxoribus non ſolùm temperatum, ſed etiam ampliatum: ſi enim publicè ſacris Miſſarum ſolemnijs interſint, per patenam illis datur pax, & alia pariter fiunt, quæ fieri cum Proregibus ſolent, quia eiſdem honorum prærogatiuis, quibus mariti, perfruuntur: ad eum modum, quo Reginæ illis, quas dicimus *Regaliàs*, iuxta vulgatum Iuris pronuntiatum, quòd vxores radijs virorum illuſtrantur. In quo quidem, vt de Regibus non loquamur, quia eorum alia ratio eſt, quibus & Pontifices plus indulgent, erga res Eccleſiæ beneuolas habere conueniens arbitratis: nimia videtur licentia præſumi, quia nullibi illa conceſſa; & neque in ciuilibus ea eſt honorum ſimultas, vt eſt planum: quia Proreginas comitari non debent Auditores, neque in ſellis ſedere illæ poſſunt, illis adſtantibus, Proregum more: & vt in illis eſſet, circa diuina nequit extendi, quia à diuerſo fonte procedit: vnde & Pontifex poteſt; quod ad id ſpectat, prout libuerit, indulgere. Et huc certè videtur Concilium reſpexiſſe verbis illis: *cuiuſcumque dignitatis.* Quod ſi in talibus hoc officij genus indecens à Concilio iudicatum, multò id erit indecentius reſpectu aliarum. Videant ergo Religioſi, qui vt Patronarum gratiam ineant, per Sacerdotem ſtolâ ornatum pacem illis deferendam iubent, an id Eccleſiæ ſit ritui & diſpoſitioni conforme. Eſt autem amplior pro thurificatione conceſſio in Ceremoniali Epiſcoporum. Reginis enim & magnis Principiſſis conceditur, ſicut & viris, immò & omnibus Magiſtratibus. Pro quo Dom. Villaroël *Parte* 2. *Quæſt.* 11. *Artic.* 6. *num.* 16. Vbi quòd Miſſale tantùm Proregi deferendum, iuxta Regiam ſchedulam. Sic *num.* 5. Quomodo autem in Chilenſi Eccleſiâ pacem Diaconus Regiæ Audientiæ præbeat, cui conſuetudini ipſe morem geſſerit, & de alijs diſpenſationibus circa Ceremoniale à Regio Indiarum Conſilio iuſſum obſeruari, quibus vrbanitatem ſuam poſteris commendatam relinquit, videndus *Art.* 3. *num.* 87. & 88. quæ an à Supremo diuinæ Majeſtatis Conſilio approbatæ fuerint, erit cùm certò certius videamus. Et poſt hæc ſcripta à Supremo Conſilio Indiarum reſcriptum vt Patenæ vſus in Pace neutiquam admittatur. Quibus præjactis,

Cum Proregum vxoribus in vſu, ſicut & ceremonia alia maritis propria. Sed nimiâ extenſione.

Amplior pro thurificatione conceſſio.

110 Dico primò. Parochi Indorum cæremoniarum ſacrarum incurioſi, & eo ſe gerentes modo, de quo *numer.* 107. mortaliter peccant. Probatur. Quia rem omnium diuiniſſimam indignè tractant, & ſuo exemplo Neophytos ad irreuerentiam

Aſſertio 1. Parochos Indorum mortaliter peccare cæremonias negligentes.

Digitized by Google

reuerentiam cum fidei exilitate compellunt. Et pro Rubricarum obſeruatione, vt alia omittam, ſtat Declaratio Pontificis, quam adducit Diana Parte 2. *Tract.* 14. *Reſolut.* 4. ex Emmanuele Roderico, & Henriquio Villalobos, & ſic habet: *cùm Cæſar Epiſcopus Nouarienſis in Hiſpanijs Nuntius Apoſtolicus eſſet, fuit coram eo dubitatum an Religioſi peccarent mortaliter in Canone Miſſæ dicendo commemorationem pro Epiſcopo loci, in cuius locum ponebant Superiorem Ordinis: conſulta ab ipſo Nuntio Sanctâ Sedes Apoſtolica reſpondit eos mortaliter peccare, cùm ſit ad vnguem Miſſale obſeruandum, nec in Collectis Miſſæ poſſe aliquid addi ſub eadem pœnâ, præter Orationem ſolitam pro Rege, & eius prole & exercitu.* Sic Pontifex: propter quod citati ita ſentiunt. Et Hieronymus Garcia *Tract.* 3. *Difficult.* 8. *n.* 20. affirmat circa hoc omnes conuenire. Pro quo & videndus P. Dicaſtillus *Tract.* 5. *Diſput.* 4. *Dubit.* 13. Mirari autem iuuat Dianam ita abſolutè ſentientem, circa Rubricas id addere, quod nequit cum prædicta reſolutione conſtare: Nam *Reſolut. ſequenti* ait contra aliquos, non peccare mortaliter Sacerdotem, qui cùm ſe induit ſacris veſtibus, Orationes tunc dicendas ex præſcripto Miſſalis omittit; eâ redditâ ratione, quia pro illis dicendis nullum extat præceptum, & quædam in Miſſali ponuntur, quæ ſolùm ad conſilium ſpectant, & ex quadam decentia debent obſeruari. Et addit ſic: *Vide Fagundez loco citato* (ſcilicet *Tract.* 1. in Præcepta Eccleſiæ *Lib.* 3. *Cap.* 21. *num.* 9.) *& num.* 32. *vbi probat Regulas Miſſalis non obligare ad mortale, niſi contineant eſſentiam, ſeu quaſi eſſentiam ſacrificij; reliqua verò non eſſe præcepta, ſed conſilia, & inſtructiones.* Sic ille. Qui *Reſolut.* 55. quæſtionem de Rubricarum obligatione cum eodem Patre decidit, ſic tamen concludens: *Et ego puto ita omnino eſſe tenendum, vt docet Fagundez Tract.* 1. *Lib.* 3. *Cap.* 21. *& ſeqq. quæ intelligenda ſunt, ſi vnam, vel alteram Rubricam non obſeruaret; non autem ſi nullam; aut ſi in rebus ſubſtantialibus ſacrificij delinqueret, vt alibi dictum eſt.* Sic ille: quæ, vt dixi, nequeunt cum prædictâ reſolutione componi. Quòd enim in Canone nominatur Epiſcopus, Rubrica vna eſt, minimè ad ſubſtantialia ſacrificij ſpectans: & quòd pro Epiſcopo ponatur Prælatus Religionis, leuis mutatio eſt, quatenus ad vnam tantùm Rubricam pertinet minimè ſubſtantiale: & tamen iuxta illum in tali mutatione peccatum mortale eſt, ob declarationem Pontificis, qui generalem eam obligationem pro ratione reddit, quòd ſcilicet Miſſale ſit ad vnguem obſeruandum: ergo ſtare eiuſdem aſſertio nequit, de leui tantùm obligatione circa prædictam obſeruantiam.

Declaratio Pontificis pro Rubricarum obligatione.

Dianam non conſequenter locutum.

111 Deinde, Peccatum mortale fatetur committi, ſi nulla Rubrica obſeruetur, non autem ſi vna vel altera: atqui inter nullam & vnam, vel alteram, medium eſt, quod ſcilicet plures non obſeruentur, ſunt enim illæ multiplices; tertia inquam, aut media, aut maior eorum pars. Cùm ergo vnius tantùm, vel alterius exceptio ſit, ex eo ſequitur inobſeruantiam plurium peccatum eſſe mortale: cùm additur omnimoda præteritio, quæ plurium ſit, non videtur lethalis culpæ damnari: manet ergo confuſa deciſio, & vt non manere dicamus, neque Auctorem ſibi poſt exiguum progreſſum contradicere; dicamus ſanè quod è re eſſe videtur, cum de vna aut altera Rubrica tantùm locutum, & id addidiſſe, quod omnino certum eſt, ſcilicet Rubricarum abſolutam penitus violationem ſine culpa mortali non ſtare. Quòd autem reſponſio omnino exacta non ſit, minùs eſt curandum, quàm vt contradictionem in Auctore tanto adeò celerem aſſeramus. Dici etiam poteſt aliquid citato loco deeſſe, hæc ſcilicet verba: *aut notabilem eorum partem*, poſt illa: *Non autem, ſi nullam.* Quod veroſimile redditur ex eo quod P. Fagundez, quem ille ſequitur, aliquam moderationem adiiciat *n.* 7. *cit. Cap.* 21. ſic dicens: *& ideò non peccare, communiter loquendo, mortaliter illum Sacerdotem, qui aliquam, aut aliquas earum, ſcienter ſine cauſſa omitteret; modo non dimittat tantam illarum partem, vt nouum ritum in Eccleſiam introducat.* Hæc ille. Eſt autem manifeſtum quòd nouus celebrandi ritus introducitur, quando notabilis ceremoniarum pars aut omittitur, aut mutatur: quia licet non ſit animus introducendi illum, quoad ſe tamen introducit: ridiculum enim eſſet conari ſimplicem Sacerdotem, aut etiam Parochum, ritum introducere in Eccleſiam, qui ab omnibus eſſet obſeruandus. Prædictis autem ſi addamus id, quod de Parochis Indorum diximus, & rationibus peculiaribus, quæ pro illorum obligatione militant, res videtur extra dubium.

Contra eumdem arguitur.

P. Fagundes.

112 Dico ſecundò. Violatio præcepti circa patenæ vſum in dandâ pace ſatis veroſimiliter dici poteſt eſſe mortalis. Probatur. Quia patena res ſacratiſſima eſt, & ita in illius vſu ordinario debet Eccleſiæ ſeruari. Cùm enim ad recipiendum Chriſti Corpus deſtinata & conſecrata ſit; quidquid præter illum contra Eccleſiæ præceptum ſit, materiam grauem concernit, vnde non debet leuis in eo tantùm lapſus iudicari. Quod vrgetur ex dictis pro *Aſſertione præced.* ex Declaratione Summi Pontificis circa nomen Antiſtitis: quia minus in eo videtur eſſe ad obligationem prædictam fundamentum; cùm ibi vſus rei ſacræ nullus ſit, contra Eccleſiæ prohibitionem. Deinde. Quòd patena ad vſum ſacrificij conſecrata eſſe debeat, ceremonia quædam Eccleſiæ eſt; & tamen graue peccatum eſſe eam ſine conſecratione pro ſacrificio adhiberi, omnium ſententia eſt: licet ſint qui ſufficere dicant in ea celebratum eſſe ſacrificium, quia per Corporis Chriſti contactum altior modus conſecrationis habetur. Quòd autem ritus talis ſub reatu culpæ lethalis vrgeat, ex grauitate materiæ Doctores colligunt: ergo ſimiliter eſt de illius vſu dicendum, quando grauiter prohibitus deprehenditur. Circa feminas autem non videtur poſſe veroſimiliter dubitari, quia in eo ſpecialis indecentia reperitur, & ab vſu Eccleſiæ videtur abhorrere.

Aſſertio 2. Patenæ vſum in pace contra Eccleſiæ præceptum eſſe mortalem.

113 Dico tertiò. Pacem feminis per Miniſtrum ſacrum deferri, peccatum mortale eſt. Probatur. Quia Concilium ait nullo modo id eſſe permittendum, ſupponens eſſe prorſus indecens. Quod autem Decretum hoc ſub mortali obliget, ex eo oſtenditur, quia materia grauis eſt, & non leuis momenti: & ſi obligatio grauis non eſſet, ferè inutilis redderetur. Quotus enim quiſque ex ſæcularibus eſt, qui circa venialia hæreat, cùm occaſio occurrit, in quâ benemereri de feminis primariis poſſit, aut earum ſit indignatio ſubeunda?

Aſſertio 3. Pacem feminis per Miniſtrum ſacrum deferri, mortale eſſe.

Digitized by Google

da? Dictum de hoc aliàs: & in genere ſacrarum actionum, de quibus loquimur, hanc regulam ſcriptores docti conſtituunt ad dignoſcendum quales Rubricæ obligationem grauem inducant, quales leuem: vt, tunc grauis ſit, quando materia eſt grauis; tunc leuis, quando circa leuem verſatur illa materiam. Pro quo videri poteſt Hieronymus Garcia *ſuprà, num.* 6. *& ſeqq.* Et pro exemplo leuium adducuntur illæ, quibus diſponitur, vt ſignacula in Miſſali ante egreſſum è ſacriſtiâ ſuis locis accommodentur: quòd manus hoc aut illo modo in Gloriâ & Credo habeantur, &c. Atqui in caſu noſtro Decretum Concilij circa materiam verſatur grauem. Quis enim non videat rem eſſe momenti non leuis vt Miniſter ſacer fœminæ pacem non deferat? Sicut grauis prohibitio eſt, quâ cauetur ne fœmina in Miſſâ miniſtret, vbi haberi copia alterius Miniſtri poteſt: quandoquidem etiam eo deficiente, ſunt qui negent; & ſatiùs eſſe putant vt Sacerdos ipſe defectum Miniſtri ſuppleat, vel vt Miſſam penitus omittat: pro quo ſunt Doctores, quos adducit & ſequitur idem Garcia *ſuprà*, *Dub.* 5. *numer.* 4. tam enim graue videtur Miniſtrum ſacrum ex altari ad fœminam deſcendere, quàm fœminam ad altare accedere, miniſterium præſtituram.

Ex prohibitione miniſtrandi in altari fœminas arguitur, & quid circa illã.

Aſſertio 4. quid in Proreginis, & alijs.

114 Dico quartò. Quando Proregum vxores, licèt id videatur aſſerendum, quod *num.* 109. ſatis comprobatum manet: quia tamen ſunt aliqui contrarium veroſimile reputantes, & ex omiſſione poſſunt non leues turbæ in Indijs excitari ſuſtineri id poteſt; non tamen in vxoribus Præſidum, aut aliorum ſupremorum Gubernatorum, quia pro illis nihil eſt, quod vſum decentem oſtendat, neque pro eiſdem ea faciunt, quæ pro prioribus vidimus ſuffragari. Sed iam ceſſat difficultas iuxta dicta *num.* 109.

Aſſertio 5. quæ obligatio in Religioſis.

115 Dico quintò. Religioſi, etiamſi Concilij Limenſis Decreto non teneantur, quia tamen Decretis Pontificijs ſubiecti ſunt, circa Patenæ vſum pariter obligantur. Quod per Miniſtrum ſacrum pax illis non deferatur, communis omnibus videtur obligatio, quia vti indecens à Concilio, non eſſe vllo modo permittendum, irrefragabili eſt teſtimonio pronuntiatum: vnde circa indecentiam dubium eſſe nequit, accedente Pontificiâ prædicti Decreti approbatione, cum alijs Concilij eiuſdem, & aliunde contra receptum eſt illud Eccleſiæ morem: ergo non eſt leuis tantùm abuſus, quam in eâ nimis officioſa actione committunt.

Aſſertio 6. Indas cantatrices in choro nequaquã admittendas.

116 Dico ſextò. Grauiter peccant Indorum Parochi, qui pro ſacris officijs puellas cantatrices adhibent, quæ cum cantoribus alijs in choro decantent. Ratio videtur manifeſta: quia id contra morem Eccleſiæ eſt, & ſingularem habet indecentiam, atque reciprocæ incontinentiæ periculum. Neque ex Monialibus ſumi argumentum poteſt: illis enim propter ſtatum adeò ſacrum id conceditur, neque viris intermixtæ ſunt. Excuſationem ex eo habere Parochi nequeunt quòd viris careant, qui miniſterio Chori inſeruire poſſint; melius enim erit miniſterio tali carere, quàm illud inducere, vbi tot damnabiles circumſtantiæ reperiuntur. Timebat D. Auguſtinus in cantu Eccleſiaſtico periculum ſenſibilis voluptatis ex vocum ſuauitate, vt ipſe eleganter proſequitur *Lib.* 10. *Confeſſionum, Cap.* 33. vbi hæc poſt alia habet: *Ita fluctuo inter periculum voluptatis, & experimentum ſalubritatis, magiſque adducor, non quidem irretractabilem ſententiam proferens, cantandi conſuetudinem approbare in Eccleſiâ; vt per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis aſſurgat. Tamen cùm mihi accidit, vt me ampliùs cantus, quàm res, quæ canitur, moneat, pœnaliter me peccare confiteor, & tunc mallem non audire cantantem.* Sic ille. Cùm ergo ita in Eccleſiâ canendum ſit, vt infirmiores animi in affectum pietatis aſſurgant, in quo periculum illud ſenſibilis eſt timendus exceſſus: quid iam fuerit, vbi puellæ cantant, ex quarum cantu nihil ad pietatem ſpectans ſperari poteſt, ſed majora pericula pertimeri. Erunt fortè qui hoc velint defendere; ſed videndum quo illi fundamento moueantur; & erit profectò non ſolidum: vnde Epiſcopi graui debent abſurditatem iſtam edicto prohibere, iuxta id, quod Concilium Tridentinum eiſdem præcipit *Seſſione* 22. *in Decreto de obſeruandis & vitandis in celebratione Miſſæ*: illa enim verbis eiuſdem comprehenſa, dum ait: *Hæc igitur omnia, quæ ſummatim enumerata ſunt, omnibus locorum Ordinarijs ita proponuntur, vt non ſolum ea ipſa, ſed quæcumque alia huc pertinere viſa fuerint, ipſi pro datâ ſibi à ſacroſancta Synodo poteſtate, ac etiam vt Delegati Sedis Apoſtolicæ, prohibeant, mandent, corrigant, ſtatuant, &c.* Et pro Indicis Parochis hæc ſatis, vt iam ad Religioſos veniamus.

D. Auguſtinus quid in Eccleſiaſtico cantu ſentiret.

Ab Epiſcopis abuſum dictum remouendũ.

Conc. Trid.

TITVLVS

TITVLVS XVII.

DE PAROCHIS INDORVM RELIGIOSIS.

Non pauca, nec leuia circa illos occurrunt, vnde opera erit non ſuperuacua pretium circa illa expedienda, licèt non prolixè, diligenter tamen inſtitiſſe, pro quibus ſit

CAPVT I.

An expediat Religioſos circa Indos munus ſuſcipere Parochorum.

1 QVæſtionem hanc eruditè verſat Dom. Solorzanus *Tomo 2. Libr. 3. Cap. 16.* & in Politicâ *Libr. 4. Cap. 16.* & vt ſine illâ aliquid certum & ſine offenſione tradamus

Aſſertio 1. generaliter loquendo eſſe conueniens. Dico Primò. Generaliter loquendo negari nequit conueniens eſſe vt Religioſi curam Indorum cum Parochiali obligatione ſuſcipiant. Conſtat; quia per Bullas Pontificum, & Regias ſchedulas, præcedente maturo virorum ſapientium conſilio, ita eſt ſæpiùs iudicatum: neque enim dici poteſt in negotio momenti tanti id, quod erat minùs expediens, ſtatuiſſe. Et quidem expedire poteſt vt Religioſi curam animarum cum Epiſcopali obligatione ſuſcipiant, pro quo Canones ſacri ſat plures occurrunt: ergo & quòd cum Parochiali obligatione, quod minùs multò eſt; vt conſtat. Quod denique probari ex effectu poteſt: nam fides Chriſtiana in Indijs, præſertim Occidentalibus, ſi non initium, incrementum tamen, & pluribus etiam in partibus vtrumque Religioſorum zelo & ſolicitudine, poſt Dei gratiam deberi res ipſa clamat, & pro eo eſt illuſtre teſtimoniũ glorioſę memorię Philippi II. Regis noſtri in ſchedulâ 16. *April.* 1583. vbi ſic habet: *Y ſupueſto que eſte fue el fin, que para ordenarlo ſe tubo*, (quòd *Schedula Philippi II.* ſcilicet Religioſi pro conuerſione Indorum Parochialem eorum curam haberent) *y que el efeto ha ſido conforme à lo que ſe procuraba, y procura, y que con vida Apoſtolica, y ſanta perſeuerancia han hecho tanto fruto, que por ſu dòtrina, mediante la gracia y ayuda de Nueſtro Señor, ha venido à ſu conocimiento tanta multitud de almas, &c.* Cùm ergo conuenientia & vtilitas ex effectu probetur, neque enim illa aliunde meliùs probari poteſt, vt in rerum omnium genere exploratum habetur; fitque veriſſimum quod dictum aliàs à D. Auguſtino in *Pſalm.* 54. *v.* 1. verbis illis: *Effectus probauit virtutem.* Sicut & quod à D. Leone Magno *Epiſtol.* 114. & habetur in Cap. *Fertur.* 1. *quæſt.* 1. ſic locuto: aut qualem fructum *de ſe producturus eſt, cui grauis paſti radix infecta eſt?* Conuenientiſſimum profectò oſtenditur Parochialibus Indorum Eccleſijs Religioſos eſſe propoſitos, cùm diſpoſitioni tali vberrimos conſtet fructus reſpõdiſſe, neque infectam radicem felici adeò prouentu coronatam.

D. Auguſt.

D. Leo Magnus.

2 Dico ſecundò. Vbi de conuerſione Indorum agitur, & nouellæ in populis plantationes ſunt Religioſorum Apoſtolico labore collectæ, non ſolùm conueniens, ſed neceſſarium prorſus eſt, Parochialem eorum curam habere. Probari id facilè poteſt; quia niſi ita fiat, omnis eorum labor breui fruſtrabitur: Indi enim charitate & ſuauitate Religioſorum attracti, dum in aliorum ſtatim poteſtatem veniunt, qui, vt frequenter accidit, quæ ſua ſunt quærunt, non quæ IESV Chriſti, in fide tepeſcunt, vnde & ad priſtinos errores, & remotiores habitatiunculas reuertuntur. Non ergo per Euangelium tantùm generandi in Chriſto, ſed iterùm atque iterum parturiendi, donec formetur Chriſtus in illis, exemplo Apoſtoli. *Gal.* 4. *v.* 19. ſic dicitur: *Filioli mei, quos iterùm parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* vbi & obſeruandum id, quod addit ſtatim: *Vellem autem eſſe apud vos modò, & mutare vocem meam: quoniam confundor in vobis, v.* 20. Quibus ſatis declarat quàm fuerit Galatis exitialis abſentia Euangelici genitoris. Parturiuit in Chriſto, vel Chriſto; ſed quos parturierat, dereliquit, & inde errores in illis, inde in ſpirituali genitore confuſio. Commiſit alijs recèns genitos infantes, qui Euangelizare alijs tenebatur; ſed non illi genitori ſimiles, inde ipſis lamentanda iactura. Quid ergo in caſu noſtro dicamus, vbi neque ij, qui geniti ſunt, Paulum habent genitorem, altitudine doctrinæ; & miraculorum magnitudine fidem validiſſimè cõfirmantem; & qui geniti, minoris profectò capacitatis ſunt, & notiſſimæ inconſtantiæ: & licet alia pro huius Aſſertionis comprobatione adduci poſſent, vni experientiæ maximè deferendum eſt: nam *quod ſcimus loquimur, & quod vidimus, teſtamur,* vt aliàs Dominus *Ioan.* 3. *v.* 11. Sed cùm addat ille: *& teſtimonium noſtrum non accipitis:* quid iam mirum, ſi nec noſtrum accipiatur?

Aſſertio 2. Indis à Religioſis conuerſis non ſtatim relinquendos. Et Parochialem eorum curã habendam.

Gal. 4. v. 19. & 20.

3 Dico tertiò. Stabilitâ iam fide, ſi res Chriſtiana meliùs per Religioſos, quàm per Parochos ſæculares promouenda ſit, ita vt ex illorum abſceſſu magnum ſit detrimentum acceptura, conuenientiſſimum eſt eos in Parochiali curâ conſeruare; immò & neceſſarium, & obligatorium. Id probo ex Bullâ Alexandri VI. ſat celebri in hac materia, ob donationem ab eo factam Regibus Catholicis Indicarum omnium regionum.

Aſſertio 3. idem eſſe ſtabilita iã fide, ſi melius per eos res Chriſtiana promouenda ſit.

In

In ea ſiquidem obligatio eiſdem imponitur mittendi maximè idoneos pro amplificatione in illis fidei Chriſtianæ Miniſtros, vt vidimus *Titulo* 1. *Cap.* 3. vbi & oſtendimus obligationem dictam ad omnes in Regnis Succeſſores pertinere. Atqui obligatio talis non eſt tantùm pro conuerſione, ſed pro ſtabilitate fidei, ad quam non ſufficit qualiſcumque cura, ſed magnâ opus eſt; non ſolùm generaliter loquendo, cùm Gentes è ſuis erroribus eruuntur, ſed ſingulari ratione in Indiis ob inconſtantiam dictam indigenarum, & diaboli miniſtros ad peruerſionem intentos, nondum penitus relegatos; à quibus, etſi abſentes ſint, timeri poteſt, quia & abſentes nocere poſſunt, dum ab his, aut aliis conſuluntur; qui ſemina impietatis & ſuperſtitionis nondum prorſus extincta diſpergunt. Si ergo Religioſi huic damno meliùs occurrere poſſunt, & ſine illis grauia ſunt detrimenta futura; id ſtare non poterit ſaluâ Catholicorum Regum conſcientiâ, ad quos non modò ex charitate, ſed etiam ex iuſtitia ſpectat illis ſeriò & conſtanter obſtitiſſe. Quod roborari ex eo poteſt: nam Indi, etiamſi ex parentibus fidelibus geniti ſint, Neophyti tamen cenſentur in ordine ad fruendum priuilegiis omnibus, quæ pro Neophytis ab Apoſtolicâ ſunt Sede conceſſa: non eſt ergo in illis ita radicata fides & Chriſtiana inſtituta firmata, vt iam velut antiqui Chriſtiani omnino tractandi videantur.

Aſſertio 4. Si ſecus, ab eo eſſe arcendos monere.

4 Dico quartò. Si res ad eum ſtatum venerint, vt de Religioſis non plus, quàm de ſæcularibus Sacerdotibus ſperetur, poterunt Reges Catholici id quod ſibi bene viſum fuerit circa eorum conſeruationem imperare, neque enim ad illam videntur obligati, vt ſatis declarat Philippus Secundus in citatâ Schedulâ *num.* 1. Pro quo & facit, quòd cùm dubia ſit conſeruationis vtilitas reſpectu Indorum, manifeſta eſt in conſeruatione pernicies reſpectu Religioſorum, vt ea oſtendunt, quæ adducit Dom. Solorzanus *Lib.* 3. *Cap.* 16. *num.* 37. *& ſeqq.* & in Politica *Cap. etiam* 16. & adeò irrefragabilia ſunt, vt nequeant niſi per contradicendi peſſimum ſpiritum denegari. Dubia autem vtilitas præponderare non debet damno manifeſto, vt eſt compertum, & Doctorum omnium aſſenſu firmatum. Immò cùm dubia eſt vtilitas, & damnum item dubium, nequit præponderare illa, ſed debet quis ſibi conſulere, quia & ſe plus amare debet; vnde & vulgatum axioma eſt charitatem in vnoquoque à ſe ipſo debere incipere: quod quidem tunc eſt veriſſimum, quando de damnis ſpiritualibus agitur, circa temporalia enim alia eſt ratio. Videantur P. Palaus *Tomo* 1. *Tract.* 6. *Diſput.* 1. *Puncto* 7. & alij apud ipſum. Pro quo eſt & regula illa, quam ex doctis Scriptoribus adducit Baſſæus verb. *Charitas, num.* 24. quòd ſcilicet in iis, quæ pertinent ad ſingulas coniunctiones, magis diligendi ſunt illi, qui ſecundùm eas ſunt nobis coniunctiores. Prælati ergo Religionum magis diligere debent Religioſos ſuos, quàm eos, quibus dari ad Parochialem curam poſſunt, ſtante eo, de quo loquimur, ſtatu, & ita eos ab imminentibus damnis remouere: immò & prouidentiam circa hoc ſublimiorem habentes, quia & illis incumbit vniuſcuiuſque ſtatui, pro illius conſeruatione, ſecundùm modum ſibi poſſibilem, accuratam ſollicitudinem adhibere. Quod de Regibus etiam noſtris aſſerendum, quibus Indiarum donatio ab Apoſtolicâ Sede facta, & cura in ſpiritualibus peculiaris impoſita; ad quam non vltimo loco ſpectat Religiones, quæ in Indiis exiſtunt, iuxta propria inſtituta viuere: quia ſi ſecus accidet, magnum inde propagationi fidei, & Chriſtianæ Reipublicæ ſtatui poteſt detrimentum comparari.

Pro quo notanda regula charitatis.

Regum Catholicorum obligatio circa tuendam obſeruantiam Religioſi ſtatus.

Aſſertio 5. Quod de facto, aliis iudicandũ relinquitur.

5 Dico quintò. An res ad eum ſtatum venerint, vt iuxta illa agendum ſit, non eſt meum iudicare. Videant alij, ad quos huiuſmodi cura ſpectat. Licet enim ſint qui ita iudicent, vnde & amotio Religioſorum à Paræciis Indicis iam pridem fuiſſet executioni mandata, niſi Religioſorum, quorum hoc intereſſe videtur, preces obſtitiſſent, vt videri poteſt apud Dom. Solorzanum, *citatis locis*; quem negat Fr. Ludouicus Miranda *in Manuali Tomo* 1. *Quæſt.* 43. *Artic.* 6. §. *Ad ſecundum.* Mihi tamen à tali eſt iudicio, dum ab eius, qui compellere ad huiuſmodi poſſit, imperio non vrgeor, penitus temperandum: cùm illud ſit dixiſſe ſatis, ſi reuerà is ſtatus ſit, de quo Aſſertio procedit, Prælatos Religionum non poſſe remotioni Religioſorum à Regibus noſtris intimatæ, reluctari: quod ex adductis circa *Aſſertionem præcedentem conſtat.* Neque temporalia commoda, quæ ex prædictâ amotione ceſſabunt, attendenda ſunt: omnibus enim illis Religioſa eſt obſeruantia præferenda; nec tolerandum damnum, non vnius aut alterius, ſed in corpus Religionis obſerpens, de quo prædicti teſtantur, & quod experimentis certis Prælati ipſi deprehendunt. Quod quidem ita iudicarunt Religioſi Patres Mexicani, cùm de Parochorum viſitatione per Ordinarios faciendâ, cum remotionis, ſi ſic cauſſæ exigerent, poteſtate, & examine præuio, iuxta Regium Philippi Quarti Regis noſtri reſcriptũ *die* 9. *Febr. An.* 1622. efficaciter ageretur. Adeò enim hoc Regulari inſtituto contrarium viſum illis, vt Parochias potiùs dimittere, quàm tali ſe iugo ſubmittere, neceſſarium fuerint arbitrati. Pro quo videri poteſt Mag. Fr. Ioannes de Griſalua in Chronico Ordinis D. Auguſtini Prouinciæ Mexicanæ, & aliarum Nouæ Hiſpaniæ, *Ætate* 4. *Cap.* 9. vbi præfatum reſcriptum ad litteram adducit; & de dimiſſionis proteſtatione pertractat.

Religioſorum Nouæ Hiſpaniæ iudicium.

Duo circa illud notantur.

6 Et duo ibi adnotanda ſuccurrunt. *Primum*, dimiſſionem talem non ſine graui incommodo circa temporalia futuram, quia eâ admiſſâ, ſuſtentatio pro Religioſis neceſſaria minimè ſuppetebat. Pro quo *fol.* 185. *pag.* 1. §. *El quinto inconueniente es grauiſſimo, y tocando en lo temporal &c.* *Secundum*, non obſtante grauiſſimo illo inconuenienti, ad dimiſſionem Doctrinarum accurrendum, quia ſtare conſeruatio non poterat cum obſeruantiâ Religioſâ. Pro quo in libello ſupplici ipſorum, cuius tenoris partem ſuæ Prouiſioni inſeruit Excellentiſſimus Comes de Priego Mexicanus Prorex, de quâ citatus Scriptor *fol.* 180. *Col.* 2. Sic habetur: *Y auiendolo aſsi entendido los Prouinciales de las Religiones de Santo Domingo, S. Franciſco, y S. Auguſtin, preſentaron ante ſu Excellencia vn memorial ò peticion, proponiendoles inconuenientes que tenia la execucion de la dicha Cedula, y los que aſsi miſmo de que las dichas Religiones dexen y deſampar*en

Libellus eorum ſupplex, damna dimiſſionis proteſtantiũ.

ſamparen las Dotrinas, que demas de cien años à eſta parte han tenido, y eſtàn à ſu cargo: y ſin embargo de ellos, y por eſcuſar los mayores, que reſultan de ſugetarſe los dichos Religioſos à la obediencia, viſita, y reformacion del dicho Arzobiſpo, y demas Obiſpos de eſte Reyno, en derogacion de ſu exencion, y priuilegio, renunciaban y renunciaron las dichas Dotrinas, exonerandoſe de ellas, y poniendolas en manos de ſu Mageſtad, y de ſu Excellencia en ſu Real nombre, paraque ſe ſiruieſe de proueer en ellas de Miniſtros mas conuenientes. Sic ibi. Id quod fuſiùs proſecuti in Memoriali, quod Procuratores dictarum Religionum Regiæ Maieſtati præſentarunt, de quo idem *idem fol.* 181. *Col.* 4. *& ſequentibus foliorum* 182. 183. *&* 184. ex cuius tenore illud imprimis, quod veluti compendium ceterorum præmiſſum, iuuat adiecisse, ex *fol.* 182. *Col.* 3. vbi ſic dicitur: *que ſi los Religioſos eſtan ſugetos à los Obiſpos en las Dotrinas, en viſitarlos, caſtigarlos, y remouerlos, ſerà total deſtruycion de las Ordenes, y obſeruancia de ſu Regla.* Sic illi. Et ante ipſos Fr. Ioannes Baptiſta in *Animaduerſionibus pro Confeſſarijs Indorum fol.* 390. vbi ita ſcribit: *Illud autem ſine formidine dico, quod in caſu, quo Fratres ſubiecti Epiſcopis cogerentur, vel remotionem à locis, in quibus habitant: potiùs Doctrinas, domos, Conuentus, ſupellectilem, & patriam etiam deſerere & relinquere deberent, quàm in huiuſmodi diſcrimine & periculo (ne dicam totalem Religionis deſtructionem) Ordinem ſuum aduocare.* Sic ille. Ex quibus habetur intentū: propter commoda inquam temporalia non eſſe Indorum Parochias retinendas, nec poſſe Prælatos pro illarum retentione contendere, quando res ad eum ſtatum redactæ ſunt, vt illarum adminiſtratio non iudicetur neceſſaria. Et obſeruantiæ Regularis damna certiſſima deprehendunt. Et quidem Mexicani Patres miniſterium ſuum valde neceſſarium pro ſpirituali Indorum ſalute iudicarunt, vt ex eorum conſtat Memoriali: & tamen dimittendas Doctrinas ob grauamen prædictum cenſuerunt. Quid ergo cenſeri oporteat, vbi neceſſaria eorum adminiſtratio non apparet, & damna circa obſeruantiam grauiſſima ſentiuntur.

Memoriale eorumdem pro eodem.

F. Ioan. Baptiſta.

7 Dico ſextò. Societas IESV prudentiſſimè faciet Doctrinas vbi de conuerſione Indorum non agitur, detrectando: neque admittere illas debet vbi ſolitariè agendum eſt; & non tenenda forma vitæ regularis. Sic Patres illi Peruuianæ Prouinciæ, quando circa hoc maior vrgebat Parochorum neceſſitas, iudicarunt, vt habetur *Tomo* 3. *Hiſtoriæ generalis Societatis Libro* 6. *num.* 315. Quod equidem vſque ad indignationem Proregis obfirmatum: vnde & patientiæ ipſis non leues occaſiones pullularunt: vt videri poteſt *Lib.* 6. *Hiſtoriæ num.* 341. *Tomo* 4. Ex *Libro autem* 4. *n.* 275. *& ſeq.* aliquid hoc loco opportunè delibandum: ſic ergo ibi: *illud difficultates habuit maximas, ſuſcipiendæ necne Parœciæ, in quibus Curionum munia cuncta exercentur. Obijciebantur ex vna parte ſæpè decantata pericula, ex licentiâ, ex occaſionibus, intemperantiâ gentis, tum auaritiæ nota in exigendo Camerico (ſic vocant collatam ab indigenis ad victum ſtipem) & ſtipendio à patronis, aut Fiſci Regij Præfectis: vnde & lites quotidie orirentur, & grauis offenſio populis, exiſtimantibus Euangelium ſibi venale proponi. Super hæc aſſiduè cum poteſtatibus ſæcularibus Religioſam adminiſtrationem perturbantibus: nec quos Præpoſitis Regularium videretur in Parœciis collocari, vel abduci patientibus. Nec minùs cum Epiſcopis decertandum &c. Ex altera parte extrema memorabatur gentis neceſſitas. Societatis Inſtitutum propriè ad propagationem Euangelij factum. Quid huc, aiebant, venimus? Quid Societas in hiſce regnis ſpectat niſi Euangelij propugnationem? Stationes liberæ, cura, excurſiones per interualla ſatis non ſunt. Nam neque ea gentis huius ingenia ſunt, quæ ſine aliquo imperio ad officium pelli; ac niſi aſſiduè inſtes, diu officium ipſæ conſeruent. Pueris aſſimiles ſunt, magiſtri præſentiâ, paternaque animaduerſione egentes. Hæc cùm dicerentur, & Proregis flagitatio magnificè explicaretur, viſum eſt id etiam genus attentandum Euangelicæ culturæ: ſed hactenus, vt teſtarentur Proregi, & quibus oporteret, experimenti cauſſa id erat ſuſcipiendum. Interim incommodè leuari poſſe, ſi probatiſſimi quique in eam curam deligerentur, & Præſidem apud ſe haberent prudentem ac vigilem: ijdemque omnes vnâ aliquâ domo religioſè viuerent. Nam cupiditatis & auaritiæ nomen facilè ſublatum iri &c.*

Aſſertio 6. Societatem IESV meritò doctrinas detrectare.

Eiuſdem Hiſtoria.

8. Cùm ergo genus prædictum Euangelicæ culturæ attentatum eſſet, in vno Iulienſi oppido experimentū ſubſtitit, de quo *n.* 280. & illud quidem bene vertit, ſed non vlteriùs progreſſum, niſi in vnâ Sancti Iacobi Parœciâ Ciuitati Regum adiacenti: licet Reges noſtri ſuam circa hoc ſemel atque iterùm declararint voluntatem: vt videri poteſt apud Dom. Solorzanum *Lib.* 3. *Cap.* 16. *num.* 70. & in Politica *pag.* 643. §. *Del meſmo, & ſeq.* Cùm etiam non multis abhinc annis, doctrina, quæ de *Chauin* dicitur, occaſionis ingreſſus inde percommodi ad Gentiles ſuſcepiſſet, rebus iuxta votum non ſuccedentibus, eò quòd pauci Gentiles fuiſſent inuenti, eam dimiſit, reclamantibus Indis, & querimonias ſuas ad Regium vſque Conſilium iaculantibus, de cuius imperio Peruuianus Prorex apud P. Prouincialem expoſtulauit, reditumque expetiit: quod tamen non potuit impetrare. Scio tamen ſerudè cauſſam iſtam de tradendis Societati Doctrinis apud Regium Conſilium agitari, ſic Regiis Miniſtris inſtantibus, ſalutis Indorum zelo conſtanti permotis; & quem inſtantiæ iſtæ ſint habituræ exitum, nequeo coniectare. Parendum ſanè Regum noſtrorum imperiis, qui tamen nihil quod lædere Inſtitutum Societatis poſſit, aut honeſtum illum agendi modum ab ipſis commendatum, valeat vllâ ratione deterere, ſubire eamdem patiantur. *como quiera que os encargo procureis ſiempre moſtrar os muy grato con los Prelados de eſta Orden, y darles el confidente y facil deſpacho, que ſe requiere: por el buen exemplo, que conſu honeſtidad, y vida exemplar conſeruan, con tanta edificacion de las Almas.* Verba ſunt Philippi Tertij Regis noſtri ad Principem Squilacenſem Peruuianum Proregem in Epiſtola *Ann.* 1620. *die* 28. *Martij*, apud Dom. Solorzanum *cit. loco Politicæ.* vbi de Doctrinis tradendis agitur. Et quidem honeſtatis laus in Indiis adeò debet eximia reputari, qualem magnus ille vir P. Ioſephus de Acoſta, ſuâ illâ notabili ſententiâ reputabat, de qua P. Sacchinus *Tomo* 4. *hiſtoriæ Societatis Lib.* 7. *num.* 352. verbis illis: *Frequenter vſurpans, in Peruuia non alia expetenda miracula in virtutis teſtimonium, quàm conſeruatam integrè caſtitatem.* Sic ille.

Quid re ipſa factum.

Illius eximia commendatio, verbis Philippi 3.

In Indiis quanta caſtitatis laus.

P. Sacchinus.

CA-

CAPVT II.

An Religioſi Indorum Parochi ex iuſtitia, & non ſolùm ex charitate Parochiale debeant officium exercere.

Ex charitate tantū adminiſtrare qua probent.

9 NEgant aliqui, ex quibus Emmanuel Rodericus *Tomo 1. qq. regul. quæſt. 35. art. 5.* ſibi penitus concinnente Fr. Ludouicus Miranda *in Manuali, Tomo 1. quæſt. 43. artic. 5. §. Tertiò pro.* Et id probant, quia Religioſi ſemper hoc onus ſub prædictâ obligatione ſuſcipere detrectarunt; neque eſt vnde poſſit obligatio talis ſuboriri. Quòd enim Pius V. *An. Dom. 1567. die 23. Martij*, expeditâ Bullâ eos ad Parochialem curam habiles reddiderit, ad id conceſſâ facultate non probat intentum; quia in eadem Bullâ addit, *Vt hactenus conſueuerunt*: ex quo potiùs oppoſitum comprobatur. Addit tamen teneri Religioſos ex iuſtitiâ facere, ſi non omne ad quod Curati tenentur, quia verè Curati non ſunt; id tamen totum, quod feciſſent ibi Clerici Curati, vel alij Religioſi, impediti ne miniſtrent, quia illi eos, quominùs id faciant, impedierunt, ſe huic muneri deſtinantes, & coràm Rege agentes, ne ſibi miniſterium huiuſmodi tolleretur. Quia ratio naturalis dictat, vt vnuſquiſque ſoluat damnum, quod ſuâ cauſſâ fuit illatum. Cùm charitatis autem obligatione, ex quâ aliquid inchoatum eſt, poſſe obligationem ſubſequentem iuſtitiæ coniungi, conſtat in eo, qui ex charitate confeſſionem audire alterius incipit, quam tenetur ex iuſtitiâ perficere, propter iniuriam, quam Pœnitenti faceret, qui propter obtinendam abſolutionem peccata reſerauit: vt cum communi ſententia docet D. Sotus *in 4 diſt. 28. q. 41.* Hæc Fr. Emmanuel, in quibus ſecutus Mag. Veracruz, & Mag. Noronam, qui ita cenſuerant, & expoſuerant, vt videri poteſt apud Fr. Ioannem Baptiſtam *Fol. 256. n. 31.* Pro eodem ſtat Fr. Antonius Remeſal in Hiſtoriâ Guatemalenſi *Lib.* 10. *Cap.* 22. P. Pellizarius *Tractat.* 8. *Cap.* 4. *numer.* 90. & alij item, nihil nouis declarationibus Regij Conſilij permoti, de quibus ſtatim.

Aſſertio 1. in nouis cōuerſionibus ſolùm ex charitate adminiſtrari.

10 Dico primò. Parochi Indorum, vbi recèns eorum conuerſio eſt, neque Regius patronatus exercetur, ſed iuxta Apoſtolica priuilegia proceditur, non adminiſtrant ex iuſtitiâ, ſed ſolùm ex charitate. Id probo. Quia ad aſſerendā iuſtitiæ obligationem nullum eſt fundamentum, &, vt ex Fr. Emmanuele diximus & eſt ſanè veriſſimum, Religioſi ſemper onus huiuſmodi recuſarunt. Neque in illis ea currit ratio, quæ ab eodem adducta eſt, ex obligatione ſcilicet ſupplendi damna: quia reuerà talia damna non ſunt, cùm ſit nemo, qui de tali agat conuerſione, neque apud Reges noſtros prætenſionem vrgeat: & vt talis aliquis ſit, quòd ipſis id, quod prætendunt, non concedatur, ex negotiatione Parochorum dictorum non prouenit, ſed quia Reges noſtri conuenientiſſimum iudicant curam talem ipſis non præbere, efficaciorem ad Parochialia munera illorum charitatem, quàm horum iuſtitiam reputantes. Hoc enim poſſe contingere etiam reſpectu Epiſcoporum circa ouium ſuarum curam, benè oſtendit Fr. Ioannes Fochet apud Fr. Ioannem Baptiſtam *Fol. 393. & ſeqq.* ſiue autem ab eiſdem conuerſi ſint, ſiue ab alijs; dummodò Parochum non habeant, poſſunt circa illos Parochialia omnia exerceri; & etiam Matrimonio iungi, licèt alibi habeant domicilium. Pro quo P. Thomas Sancius *infrà, num.* 13. adducendus *Concluſ.* 4. & alij apud ipſum.

Aſſertio 2. non oriri obligationē iuſtitia ob impeditos alios, eſſe verosimile.

11 Dico ſecundò. Si admittatur Religioſos ex charitate adminiſtrare, dici veroſimiliter poteſt, quamuis oppoſitum veroſimilius ſit, non oriri obligationem iuſtitiæ, ex eo quod ſe pro retinenda poſſeſſione tueantur, & ſic alios ex iuſtitiâ adminiſtraturos impediant. Quòd ex eo probari poteſt: nam impeditio talis non eſt per iniuſtitiam, vt ſuppono, ſed iuſtis adductis rationibus, vt non remoueantur: atqui velle poſſeſſionem antiquam continuare, non eſt nouum velle obligationis onus ſubire, quod & ipſi ſic agentes aſſerunt: ergo ſuperior titulus ex charitate fuit, ille ipſe vim habet, & non alius. Nec dicas Reges conſeruationem Parochorum non aliter velle, quàm ſi illi onus titulo iuſtitiæ ſuſcipiant. Nam licet id verum ſit ſi de ingreſſu loquamur, non tamen de conſeruatione, quando onus eſt ex ſolâ charitate ſuſceptum; quod contingere poterit, vel quia Regia edicta alicubi vſu recepta non ſunt, vt in aliquibus Fratrum Minorum Prouinciis, pro quo Fr. Ioannes Baptiſta *Fol. 212. §. octaua veritas.* Vel ſi Religioſi prætendant, idque habeat fundamentum, non obſtante Regiâ diſpoſitione obligationem tantùm charitatis pro ingreſſu eoſdem vrgere, de quo ſtatim.

Aſſertio 3. teneri ex iuſtitiâ à Rege præſentatos, aut locum eius tenentibus.

12 Dico tertiò. Veroſimilius eſt Religioſos, qui ex præſentatione Regij patronatus curam Parochiarum ſuſcipiunt, ex iuſtitiâ ad plenam adminiſtrationem teneri, niſi ipſi contrarium proteſtentur, & non obſtante proteſtatione, Parochiæ conferantur. Sic Fr. Ioannes Baptiſta *Fol. 177. Pag. 2. num. 12. & Fol. 318. Pag. 1. §. Vt autem, & ſeqq.* Dom. Solorzanus *Tomo 2. Lib. 3. Cap. 16. num. 24.* vbi adducit Ioannem Focher, & Emmanuelem Rodericum, cuius tamen ſententiam iam vidimus. Et in Politicâ *Pag. 632.* Quod & conteſtati ſunt Prouinciales trium Religionum Nouæ-Hiſpaniæ in Epiſtolâ, quam ad præclaræ mem. Philippum II. ſcripſerunt, & à Fr. Ioanne Baptiſta ad verbum refertur *Fol. 178. & ſeqq.* Idem ſupponit Magiſter Grijalua in Hiſtoriâ *D. Auguſtini Prouinciæ Nouæ-Hiſpaniæ, &c. Ætate 3. Cap. 35.* vbi de Societate IESV loquens, & eius in Philippinas ingreſſu *Ann.* 1580. ita ſcribit: *Porque ſegun ſu ſanto Eſtatuto, ſin encargarſe de eſta, ò de aquella Dotrina con titulo de Curas, adminiſtrando los de Iuſticia, la Charidad los lleba por todas las partes, donde conocen que ay neceſidad, y con tanto zelo y cuydado predican la fe, y adminiſtran los Santos Sacramentos, como ſi fueran propios Curas, y como ſi lo debieran hacer de Iuſticia. Demanera que ſin tener propio ganado, obrando con todos los Paſtores, tienen en todos los merecimientos no pequeña parte.* Sic ille. Et eſt communis ac receptiſſima perſuaſio; vt non dubitet Dom. Solorzanus affirmare, poſt formulam præſentationis, quam Dom. Franciſcus à

Præclarum elogium Societatis IESV.

Toleto Peruuianus Prorex in regionibus iſtis conſtituit Regio Patronatui conformem, pro comperto apud omnes habitum Religioſos ex iuſtitiâ adminiſtrare.

Fundamentum Aſſertionis ex reſcriptis varijs.

13 Fundamentum Aſſertionis præcipuum ex Regiâ diſpoſitione deſumitur, varijs in reſcriptis, ſed præcipuè in illo *Ann.* 1587. *die* 16. *Decembris*, in quo ſic dicitur. *Y porque lo que tanto importa, como es la Cura de las Almas, y mas las de eſtos tan nueuos en la Fe, no conuiene quede à voluntad de los Religioſos: los que eſtubieren en las dichas Dotrinas, Curados, y Beneficiados, han de entender en el oficio de Curas, non ex voto charitatis, como ellos dicen, ſino de Iuſticia, y obligacion, adminiſtrando los Sacramentos no ſolamente à los Indios, ſino tambien à los Eſpañoles, que ſe hallaren viuir entre ellos. A los Indios por los Indultos Apoſtolicos ſobredichos, y à los Eſpañoles por Comiſion vueſtra, para lo qual ſe la aueis dedar, &c.* Extat *Tomo* 1. *Indicarum ſchedularum*, *Pag.* 97. & eam ex citatis adducunt Dom. Solorzanus, & Fr. Ioannes Baptiſta, qui etiam Regiam Epiſtolam profert tenore integro, ſcriptam PP. Prouinciali & Diffinitoribus Prouinciæ S. Euangelij Ordinis D. Franciſci in Nouâ-Hiſpaniâ, in quâ obligatio prædicta eiſdem intimatur. Et ſimiles aliæ Prouincialibus aliorum Ordinum deſtinatæ ſunt; vt declarat Titulus prædictæ Epiſtolæ *Fol.* 380. *Pag.* 2. *Non ex voto charitatis, (como allà lo platicais) ſino de Iuſticia y obligacion.* Verba illius ſunt. Quòd autem Reges noſtri ita diſponere potuerint, non debet in dubium reuocari, quia Patronatum habent ampliſſimum in Indijs, & peculiarem facultatem ad huiuſmodi prouiſiones. Poſſunt ergo ſub eâ conditione tantùm præſentare, vt qui præſentantur, obligationem ſubeant, quam Curati generaliter habent. Et huius ratio optima in prædicto reſcripto redditur; quòd ſcilicet res momenti tanti, qualis eſt Cura animarum, non eſt Religioſorum libito relinquenda. Et Indis non ſolum, ſi indignæ ſint, ſed etiam ſi tantùm ibi habitent, poſſe Sacramenta adminiſtrari, & eos Matrimonio iungi, ex Bullâ Pij V. probat D. Thomas Sancius *Lib.* 3. *de Matrimonio, Diſput.* 26. *num.* 2. qui & *num.* 3. de vagis idem ſtatuit, parùm conformiter ijs, quæ habet *num.* 7. vbi Epiſcopi neceſſariam ait eſſe licentiam, ob rationes quaſdam parùm vrgentes ſtante priuilegio.

Pij V. verbis occurritur, circa modũ conſuetum adminiſtrandi ex charitate.

14 Neque obſtat quod ex Bullâ Pij V. adducitur, ſcilicet Parochiale officium Religioſis concedi, ſicut anteà conſueuerunt: quòd autem ex charitate tantùm adminiſtrare conſueuerint, videtur manifeſtum; ſic enim in citatis Regijs reſcriptis habetur: vt *num. præced.* vidimus: *Non ex voto charitatis, como allà dicen. Como allà lo platicais.* Pro quo latiùs diſcurrit Ioannes Focher *in Opuſculo de veris Indiarum Occidentalium Miniſtris*, & ex eo Fr. Ioannes Baptiſta *Fol.* 390. *pag.* 2. & *ſeqq.* Videtur autem difficile quomodo obligatio iuſtitiæ imponi à Rege poſſit, quia obligatio talis quid ſpirituale eſt, & ad rem maximè ſacram ſpectans, Sacramentorum inquam adminiſtrationem, & alia Parochialis officij ad forum animæ pertinentia miniſteria. Sed vt dixi, prædicta non obſtant; quia Bulla Pij V. ad inſtantiam Philippi II. Regis noſtri impetrata eſt, & cùm ipſe obligationem iuſtitiæ futuram exprimat, credendum omnino eſt, iuxta eum ſenſum à Pontifice talem obtentam facultatem. Quod ergo Pontifex ait *ſicut anteà conſueuerant*, non ad modum adminiſtrationis ſpectat, de quo Pontifici nihil enarratum eſt, ſed ad ſubſtantiam adminiſtrationis, & quantùm ad independentiam ab Ordinarijs ibidem conceſſam. Præterquàm quòd ex conceſſione Alexandri VI. de quâ *Titulo* 1. *Cap.* 3. Reges noſtri poſſunt, & debent Miniſtros pro conuerſione Indorum, & ijs, quæ ad ipſam conducunt diſponere: & accedente ampliori Indulto Iuris patronatus, ſicut facultas eſt illis quoad præſentationem, ita & quoad illius modum. Quòd ſi prædicta non ſufficerent, non eſt credendum in re tanti momenti ſine conſultatione Sedis Apoſtolicæ id factum, de quo agimus; quandoquidem & Rex ipſe ob prædictam cauſſam, quòd ſcilicet res ſummi momenti ſit cura animarum, & ita modo debito debeat adminiſtrari, ac propterea non ex charitate tantùm, ſed ex iuſtitiâ, id à ſe iniungendum fuerit arbitratus. In id enim, quod vitare contendebat, prorſus impegiſſet, indebito modo ſe gerens in obligatione imponendâ; quod eius facultatem excedebat.

Quomodo à Rege talis poſſit obligatio imponi.

Aſſertio 4. obligationem iuſtitiæ quæ ſequantur.

15 Dico quartò. Ex prædictâ obligatione iuſtitiæ hæc habentur. *Primò*, Religioſum Parochum ad reſidentiam teneri, nec poſſe pro libitu abeſſe, ſed iuxta id, quod Parochis generaliter permittitur. *Secundò*, neque Prælatos poſſe abſentiam indulgere, aut etiam Parochos rebus in alijs occupare. *Tertiò*, teneri ad omnia, ad quæ veri Parochi, etiam cum vitæ periculo, vbi charitas non vrgeret. *Quartò*, quoad ſufficientiam in doctrinâ, & linguæ peritiâ, eandem cum alijs obligationem habere. Pro quo Fr. Ioannes Baptiſta *Fol.* 384. ita ſcribit: *Hæc & alia multa tenentur Parochi ſuis præſtare ouibus, vt debitè ſuum officium exequantur, vt patet per multas Seſſiones Concilij Tridentini. Sed ad hæc quis tam idoneus? Non illi profectò, qui ſine vlla, vel ſaltem mediocri, diuinarum litterarum cognitione, & linguarum peritia, nullum non mouent lapidem, vt huic muneri, & potiùs oneri & operi præficiantur. Quos quanta maneat vltio & vindicta ſacræ litteræ apertè teſtantur, &c.* *Quintò*, tenentur ad damna omnia reſarcienda, quæ ex eorum incuriâ prouenerint. Sic *citati numer.* 9. & adductus nuper Auctor poſt adducta ex eodem, acriter pro Aſſertione depugnans. *Sextò*, magis obligati ſunt Parochiali Eccleſiæ, quàm ſuæ Religioni, in ordine ad ſubſidia conferenda: vnde & neceſſitatibus illius, & pauperum Paræcianorum debet priùs ſubuenire. Pro quo Dom. Solorzanus *Lib.* 3. *Cap.* 16. *num.* 86. & in Politicâ *Capit.* 16. §. *Antepenultimo.* Et ante illum P. Suarez *Tomo* 4. *de Religione, Tractat.* 8. *Cap.* 19. *num.* 20. *Tandem*, ſtante præcepto Prælati, & neceſſitate ad officium pertinente, huic occurrendum eſt, illo cum reuerentiâ prætermiſſo, etiamſi cum Cenſuræ impoſitione procedat. Horum omnium rationes ſunt manifeſtæ, pro quibus & faciunt, quæ ſequenti Capite differemus.

Fr. Ioan. Baptiſta.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT III.

An Religioſi Indorum Parochi Beneficium propriè Eccleſiaſticum habeant, & teneantur illud acceptare per Canonicam inſtitutionem, Ordinario conferente, & non tantùm in Commendam.

Beneficium quid ſit & inde ratio dubitandi 1. quia fructibus nõ percipiunt.

16 Ratio dubitandi eſt, quia Beneficium propriè dictum *eſt ius percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis Clerico competens propter diuinum officium*, vt communiter illud definiunt Doctores, & videri apud ſummiſtas poteſt, & præſertim apud eorum Principem Syluestrum *verbo dicto* 2. 1. Atqui Parochi Indorum tale ius non habent, quia Indi aut decimas non ſoluunt, vt in Nouâ-Hiſpaniâ, pro quo Mag. Grijalua in Hiſtoriâ *D. Auguſtini illarum Prouinciarum, Ætate* 4. *Cap.* 11. *Fol.* 188. *Col.* 4. Vel ſi ſoluunt, ad eorum Parochos non pertingunt, pro quorum ſuſtentatione portio tributi deducitur, quæ primus effectus dicitur. Talis autem portio non computatur inter bona Deo dicata, vnde & prohibentur Ordinarij Cenſuris vti, vt ad illam ſoluendam Regios miniſtros compellant. Vnde & reſolutio *Titul.* 16. *num.* 49. circa recitationem officij. *Secundò*, quia Parochiale officium non datur illis in titulum perpetuum, & ita non habent Parochi illius proprietatem. Pro quo faciunt, quæ habet Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 3. *Cap.* 16. *numer.* 26. & in Politicâ *Pag.* 639. §. *Però todas.* Vbi ex Regijs ſchedulis oſtendit Doctrinas eſſe amobiles ad nutum Regiæ Maieſtatis. Qui etiam *num.* 23. *cit. Cap.* de formâ agens, iuxta quam in Peruuio conferuntur, ait præſentationem Regiam Ordinario exhiberi, ab eoque præſentatum examinari, & habilem repertum adminiſtrandi licentiam accipere, *citra vllam tamen aliam collationem, vel inſtitutionem.* Perpetuitatem autem eſſe de ratione Beneficij communiter docent Doctores, ex quibus aliquos adducit P. Palaus *Tomo* 2. *Tractat.* 13. *Diſputat.* 1. *Puncto* 1. *num.* 6. Pro quo & P. Suarez *Tomo* 4. *de Religione, Tractat.* 8. *Lib.* 3. *Cap.* 19. *numer.* 23. *Tertiò*; quia ceſſante proprietate & perpetuitate, Beneficium tantùm videtur dari in Commendam, quia non datur in titulum: illi autem qui ſic Beneficium Curatum accipiunt, non ſunt propriè Prælati, ſed Procuratores, licèt habeant legitimam adminiſtrationem, iuriſdictionem, & auctoritatem, iuxta communem praxim, quamuis ſint qui ſecus ſentiant quoad plenam iuriſdictionem. Pro quo videri poteſt P. Thomas Sancius *Lib.* 2. *Conſiliorum, Cap.* 2. *Dub.* 48. Ex quo videtur ſequi, Religioſos non teneri ad collationem Canonicam requirendam, quia illa tantùm requiritur pro Beneficijs quæ dantur in titulum, qualia non ſunt, quæ ipſis tribuuntur, ſed precariò conceduntur, vt loquitur Dom. Solorzanus *num.* 11. vnde & P. Pellizarius *Tract.* 8. *Cap.* 4. *num.* 9. ait illos non eſſe propriè Parochos.

2. Ex defectu perpetui tituli. *Dom. Solorzanus* *3. Quia tantùm videntur dari in Commendam.*

Fundamentum aliud

17 Et ita contendunt Religioſi nonnulli, licèt aliud videatur eſſe eorum fundamentum, priuilegia ſcilicet circa hoc à Sede Apoſtolicâ conceſſa, ſcilicet à Pio V. de quo *num.* 9. ab Adriano VI. in celebri Bullâ, quæ vocatur *Omnimoda*: quam non eſſe abrogatam ex eo probari poteſt, quòd nullibi talis abrogatio reperiatur. Quòd ſi alij Pontifices conceſſiones alias cum limitatione protulerunt, id non obſtat ampliori præcedenti conceſſioni, vt diximus *Titulo* 12. *num.* 15. 388. & 389. Quod eſt etiam iuxta Bullas Leonis X. Clementis VII. & Pauli III. de quibus Fr. Ioannes Baptiſta *Fol.* 172. & *ſeqq.* Prætereà, in Regiis ſchedulis, quibus modus obſeruandus in prouiſionibus præſcribitur Doctrinarum, circa Religioſos nihil ſpeciale traditur quoad Canonicam collationem per Ordinarios faciendam. Et licet Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 3. *Cap.* 17. *num.* 1. & in Politicâ *Lib.* 4. *Cap.* 17. in principio dicat ex eo quòd circa alios traditur, colligi quid ſit circa Religioſos dicendum, & ita à Rege præſentandum ex tribus ſibi oblatis à Prælato, quem maluerit ab Ordinario inſtituendum: id certè non videtur vrgere, quia à diſparatis non fit illatio, vt eſt Iuris axioma certiſſimum: neque enim eſt eadem Religioſorum cauſa & ſæcularium Clericorum, cùm illi habeant diuerſum Prælatum, & pro eiſdem extent ſingularia priuilegia. Præterquàm quòd in Schedulis *Ann.* 1620. 1628. & 1634. apud Dom. Solorzanum *num.* 7. & 9. in quibus forma circa prouiſionem Religioſorum habetur, cùm tres à Prælatis & Capitulis nominandos ſtatuatur, ex quibus vnus ſit ab eo, qui Regio nomine Patronatum exercet, eligendus, ibi ſiſtitur: *Eligirà vno qual le pareciere*: nec de Canonicâ inſtitutione quidquam additur ab Ordinario faciendâ. Et quidem hic locum habet quod dictum ſæpiùs iuxta Iuris pronuntiata: *Quod ſi voluiſſet, expreſſiſſet.* Cap. *Ad audientiam*, de decimis. Cardinal. Mantica *deciſ.* 54.

ex Apoſtolicis priuilegiis. *Item ex modo præſentationis.*

Aſſertio 1. abſolutè affirmãs habere proprium Beneficium.

18 Dico primò. Parochialis cura in Religioſis eſt verum & proprium Beneficium. Probatur *Primò* ex Regiis Schedulis, in quibus ita aſſeritur. Philippus enim II. ſic loquitur in Schedulâ *Ann.* 1583. *die* 6. *Decembris. Y en el entretanto que no vbiere los que conuiniere para todas las dichas Dotrinas, y Beneficios, repartireis los que que daron igualmente entre las Ordenes que ay en eſſas Prouincias.* Et in Schedulâ *Ann.* 1587. *die* 16. *Decembris*, ſic idem. *Los que eſtubierén en las dichas Dotrinas Curados y Beneficiados.* Hoc idem probant quæ adducit Dom. Solorzanus *Cap.* 16. *num.* 1. & *ſeqq.* Pro quo & ſtat P. Thomas Sancius *Lib.* 3. *de Matrim. Diſputat.* 26. *num.* 7. vbi ait reuerà eſſe Parochos. *Secundò*, quia ſi aliquid obſtaret, id eſſet quod adductum nuper: atqui illud non obſtare conſtat: nam quod de bonis Eccleſiaſticis dicitur, non eſt ad decimas fructuarias reducendum, quia & decimæ perſonales eſſe poſſunt, quæ in Indis ad portionem illam aſſignatam reuocantur, reſpectu cuius eſt in Parochis verum ſpirituale ius ratione fundamenti, quod eſt ſpirituale miniſterium. Quia verò portio dicta non videtur vt decimalis tractari, iuxta dicta, ſed vt ſtipendium doctrinæ; dici poteſt ad decimas ius habere, ſed ius illud eſſe impeditum, & pro illis dictam portionem ſubſtitui, dum res componuntur. Prætereà, eſt in illis ad bona Eccleſiæ, ad ea ſcilicet, quæ Eccleſiæ legantur & offeruntur, & ita de oblationibus partici-

1. Probatio ex Regiis Schedulis. *2. Ex obiectorũ ſolutione.*

Digitized by Google

participant, de illis ſcilicet, quæ eorum ſuſtentationi accommodata ſunt, non de aliis, quæ ad ornatum & cultum Eccleſiæ ſpectant: pro quo Naldus. Verb. *Parochus numer.* 20. & pro eodem apertè facit Indorum Parochos eſſe propriè Beneficiatos; cùm tamen decimæ illis non ſoluantur. Id autem quod de perpetuitate dicebatur, non vrget: nam & Beneficia Manualia ſunt, quibus propriè rationem Beneficij conuenire probat cum aliis P. Bauny in Praxi Beneficiorum *Diſput.* 1. *Quæſt.* 16. vbi ſpecialiter de Beneficiis Religioſorum agit. Pro quo & P. Azor *Tomo* 2. *Lib.* 3. *Cap.* 26. *Quæſt.* 12.

Perpetuitatem non eſſe de ratione Beneficij, de abſoluta loquendo.

19 Quomodò autem aliqua perpetuitas neceſſaria ſit benè explicat P. Palaus *ſuprà numer.* 5. iuxta aliorum & propriam mentem, quòd ſcilicet ſufficiat perpetuitas in ipſo Beneficio, licèt non ſit in Beneficiato. Quod in caſu quidem noſtro apertè conſpicitur: Parochiale enim Beneficium in perpetuum eſt fundatum, per hos tamen aut illos, ſecundùm diuerſos eorum ſtatus, adminiſtrandum. Et cùm citatus Auctor ita cenſeat, non videtur conſequens, quod ſubdit *citato num.* 6. dicens, quòd licet hoc in rigore ita ſit; at in iure Canonico, & ex communi acceptione Beneficij, ſolùm venit intelligendum, quod etiam in Beneficiato perpetuum eſt. Si enim in rigore ita eſt: ergo & iuxta ius Canonicum, per quod Beneficiorū inſtitutiones habentur. Quòd ſi iuxta Canonicum ius non eſt in rigore tale: ergo abſolutè tale non eſt: & ita ille *num.* 7. affirmat Beneficium Manuale deficere à ratione Beneficij communiter accepti. Niſi velit communiter quidem Beneficium illud tantùm intelligi, quod perpetuum eſt, non ita tamen communiter, etiam illud, quod in Beneficiato non habet perpetuitatem. Non quòd propriè tale non ſit; ſed quod licet ſit propriè tale, non ita communiter deſignari ſoleт in ordinario loquendi modo. Quo pacto non bene pro ſe adducit P. Thomam Sancium *Lib.* 7. *Operis Moralis, Cap.* 29. *num* 106. ibi enim abſolutè negat Beneficium Manuale eſſe propriè tale, & non tantùm in minùs communi modo loquendi. Ratio autem videtur vrgentiſſima: nam ratione Beneficij Manualis habetur ius ſpirituale verè & propriè ad bona Eccleſiæ, propter officium: atqui in hoc ratio Beneficij conſiſtit, in cuius definitione nihil prætereà additur, vt videri apud citatos poteſt & alios quos ipſi citant: ergo eſt verè & propriè Beneficium.

Aliqualem requiri, quæ & caſui adaptatur.

P. Palaum non videri conſequenter locutū.

Ratio vrgens pro Manualibus.

20 His addendum Beneficia, de quibus agimus, ex ſe perpetua eſſe; quia non dantur pro tempore determinato: licèt enim Reges noſtri, cum Religioſis Doctrinas relinquendas ſtatuunt, eos non adquirere proprietatem admoneant; nulli tamen eam habenti tollenda eſt, ſed poſt vacationem Beneficium Clericis tribuendum. Pro quo Schedula *Ann.* 1583. *die* 6. *Decembris*, in quâ de hoc præſertim agitur & quod dixi, inſinuatur. Et licet in Schedulâ *Ann.* 1585. quam adducit Mag. Grijalua in Hiſtoriâ Auguſtianâ Nouæ-Hiſpaniæ, &c. *Fol.* 176. ſic dicatur: *Preſiriendolos* (ſæculares ſcilicet Sacerdotes) *à los Religioſos que las tienen y han tenido:* id nō videtur de perſonis Religioſorum in eis tunc temporis exiſtentibus, ſed de Religionibus intelligendū: ita vt doctrinæ, quas religioſi vnius Religionis habent, aut habuerunt, Religioſis eiuſdem aut alterius, minimè conferantur quæ in poſſeſſione ſunt. Quia verò aliunde Doctrinæ Manuales eſſe poſſunt, eò quòd à Prælatis poſſint remoueri Parochi, dicendum Doctrinas ex ſe perpetuas eſſe, & ita Parochos per totam vitam in illis poſſe perſiſtere, vt perſiſtunt aliqui. Quòd autem pro delictis amoueri poſſint, omnibus eſt Beneficiatis commune, & pro Religioſis extat Cap. *Monachi*, de ſtatu Monachorum. Ex quibus fit non eſſe alicuius momenti id, quod de Commendis dicebatur: Commendæ etenim non ſunt, ſed cum proprietate retinentur.

Perpetuitatis modus alius in Religioſorum doctrinis.

21 Quòd autem pluribus Schedulis cauetur, & ſpecialiter illâ *Ann.* 1624. *die* 22. *Iunij*, de quâ Dom. Solorzanus *Cap.* 16. *num.* 77. *Que por ho ſuſodicho no puedan los Religioſos adquirir propiedad, ni perpetuidad quanto à las Dotrinas.* Id inquam non officit, quia Reges tantùm intendūt Religioſos ad retinenda Beneficia non poſſe allegare proprietatem, vt illis fiat iniuria, ſi ab eiſdem remoueantur. Quòd verò cùm ea poſſident, illorum proprietatem & dominium habeant, non inficiantur, & ita illam habere affirmat Emmanuel Rodericus *Tomo* 3. *qq. regul. quæſt.* 29. *artic.* 4. de Fratribus etiam Minoribus locutus. Et Dom. Solorzanus *Cap.* 16. *citato, num.* 86. Quòd ſi ipſe ait, vt vidimus *numer.* 16. Beneficia dicta *precariò* concedi, conſtetque aliàs eius, quod precariò accipitur, non adquiri dominium: non eſt aliter exponendum. Scilicet eo loquendi modo, ſignificari abſolutam Regum noſtrorum poteſtatem ad illorum ſubtractionem. Non eſſe autem precariò data, ex eo euincitur, quia datur verum & proprium ius ad plenam adminiſtrationem, & ad diſponendum de fructibus atque emolumentis; quod valdè alienum eſt à ratione precarij, in quo merus vſus traditur ad voluntatem dantis reuocabilis. Et ex iis probatur dominium & proprietatem adquiri durante poſſeſſione, licèt reuocabili per ſuperiorem poteſtatem: quia eſt abſoluta poteſtas adminiſtrandi, cui non obſtat reſpectus ille reuocabilitatis, quia reſpectu Pontificis omnia Beneficia illam habent, & ille non obſtat proprietati.

Regiæ Schedulas non obſtare.

Quomodo dicantur precariò dari.

22 Iam quod de Priuilegiis Pontificiis dicitur robore eſt penitus deſtitutum: nulla enim peculiaris conceſſio habetur, per quam poſſint Religioſi, vbi Epiſcopatus erecti ſunt, & Regius Patronatus exercetur, officium Parochi ſine Ordinariorum licentiâ adminiſtrare: præter illam celebrem Pij V. quæ, cùm ad inſtantiam Philippi II. impetrata ſit, Regum noſtrorum eſt voluntati relictum, vt illius vſum quatenus ſibi bene viſum fuerit, temperarent. Et ita, cùm in illâ habeatur vt Religioſi in locis ſibi aſſignatis & aſſignandis officium Parochi exercere poſſint, *Ordinariorum locorum, vel aliorum quorumuis licentia minimè requiſita:* nihilominùs Regio Philippi III. Reſcripto *die* 28. *Martij* 1620. ad Proregem Peruuianum, declaratum eſt, id non derogare Regio Patronatui, & ita præſentationem requiri Regio nomine factam. Item, per aliam Schedulam *die* 14. *Nouembris* 1603. ab eodem Rege ad alias ſe Schedulas referente, approbatio Ordinariorum vt neceſſaria proponitur: *Sin ſer primero examinado y approbado por el Prelado de aquella Dioceſi.* Sicut ergo circa appro-

A priuilegijs præſidium nullum. Et t. de priuilegio Pio V.

Regia Schedula.

Digitized by Google

probationē ita eſt diſpoſitū, potuit ſimiliter circa Canonicam inſtitutionē diſponi. Et quidquid de aliis temporibus fuerit, in præſenti ita res ferunt, quia iuſſio Regis vrget. Vnde cùm circa Societatem, pro tribus, quas in Peruuio habebat Doctrinas, à Proregibus & Prælatis benignè actum fuiſſet, & neque in præſentatione, neque in Canonicâ inſtitutione, aut Ordinarij approbatione, eius fuiſſet Religioſa libertas onerata; ſicut neque pro aliis Paraquariæ Prouinciæ, ex recèns ab eius filijs, in fame & ſiti, in laboribus multis & multi ſanguinis effuſione conuerſis, ad magnā Dei gloriam congregatis; iam communem formam experiri compellitur, & ad præſentationem recepto more, alia ad Prælatos ſpectantia peraguntur: licet quoad Paraquarias Reductiones rigor ſit aliquatenus temperatus in eo quòd Religioſam poſſet obedientiam retardare.

Circa Societatem quid actū.

Pontificum mens circa prædictam obligationem.

23 Et hæc ſanè videtur Pontificum mens, vt conſtat ex Bullâ Clementis Octaui pro Fratribus Franciſcanis, cuius tenorem adducit Dom. Solorzanus *Cap. 16. cit. n. 63.* vbi declarat Religioſos officium Parochi exercentes, cenſendos eſſe intra Clauſtra agere vt non debeant ab Ordinariis, quaſi agentes extra illa, tractari, ſic enim ibi: *Ex Apoſtolicæ Sedis ſpeciali Indulto deputari ſoleant, qui ab eorum Superioribus nominati, ac à locorum Ordinarijs, ſeu eorum Officialibus approbati priùs fuerint &c.* Gregorius XV. in ſpeciali Conſtitutione *die 5. Febr. 1622.* ita ſtatuit *Has generali, & perpetuò valiturâ Conſtitutione decernimus, ſtatuimus, & declaramus, vt deinceps tam Regulares, quàm Sæculares, quomodolibet exempti, ſiue animarum curam perſonarum ſæcularium Monaſteriis, ſeu domibus Regularibus, aut quibuſuis aliis Eccleſiis, vel Beneficiis, ſiue Regularibus ſiue Sæcularibus incumbentem exerceant, ſiue aliàs Eccleſiaſtica Sacramenta aut vnum ex illis miniſtrent, prauiâ Epiſcopi licentiâ & approbatione; ſiue quoquo modo in dictæ curæ exercitio, aut in eorum Sacramentorum, vel alicuius ex illis adminiſtratione de facto abſque vllâ auctoritate ſe ingerant: in his, quæ eiuſmodi curam, ſeu adminiſtrationem concernunt: omnimodæ iuriſdictioni, viſitationi, & correctioni Diœceſani Epiſcopi, tamquàm Sedis Apoſtolicæ Delegati, plenè in omnibus ſubijciantur.* Sic ille, pleniſſimâ additâ priuilegiorum derogatione. Cùm ergo nequeat dici Religioſos ſe in adminiſtrationem Parochialem ingerere, fatendum neceſſariò eſt, id ab illis faciendum *prauiâ Epiſcopi licentiâ & approbatione* Quod autem in Indiis id etiam ſeruandum ſit, planum apparet, dum pro illis non oſtenditur priuilegium ſpeciale, per quod Conſtitutioni prædictæ derogetur, quam adducit Dom. Barboſa in Collectaneis ad Concilium Tridentinum *Seſſione 25. Cap. 11.* de Regularibus. Licet autem Pontifices de Canonicâ collatione & inſtitutione loqui non videantur: ex illorum tamen verbis conſtat, non poſſe Religioſos Bullis ſe tueri, in quibus ſine licentiâ & approbatione Ordinariorum eis conceditur Parochiale munus exercere. Eo autem admiſſo, circa Canonicam collationem non eſt cur hæreant, quia nihil plus per eam grauantur, & Prælatis plena iuriſdictio relinquitur, vt ſi delinquant, amouere eos poſſint, aut ſi vtiliores circa alia ſint futuri. *Vt videlicet ſi fuerint dilapidatores, ſi incontinenter vixerint, aut tale aliquid egerint, pro quo amouendi meritò videantur: aut ſi etiam pro neceſſitate maioris officij de Conſilio Fratrum fuerint transferendi.* Sic ex Concilio Lateranenſi in Cap. *Monachi*, de Statu Monachorum. Pro quo etiam eſt Cap. *Ea quæ*, eodem Titulo. Quamuis autem Prælati in Indiis id facere nequeant, niſi Patrono annuente; neque in hoc ſpeciale videtur eſſe grauamē, quia etiamſi Canonica inſtitutio non interueniat, idem debet iuxta Regias Schedulas obſeruari. Vnde iam

Clemens. 8.

Greg. 15.

Illius Conſtitutio etiam pro Indiis vim habet.

Cap. Monachi de ſtatu Monachorum.

24 Dico ſecundò. Quamuis dicamus Parochialia Beneficia Religioſorum in Indiis non eſſe propriè talia ob defectum perpetuitatis, nihilominus Canonica inſtitutio ſtare pro illis poteſt. Probatur. Quia Beneficium Manuale datur in titulum, vt probat Rebuffus in *Tractatu Nominationum Quæſt. 9. num. 26.* Ergo & Indica ſimiliter dari poſſunt, & conſequenter Canonica inſtitutio. Illationem probo: quia *titulus eſt ius ſacræ functionis obeundæ, & propter eam commodum temporale pro victu conueniens ex rebus Deo dicatis exigendi*, iuxta communem ſcribentium doctrinam, pro quâ Nauarrum, Seluam, & P. Reginaldum adducit P. Bauny in Praxi Beneficiorum *Diſput. 1. Quæſt. 2. 5. Eſt autem ius.* Atqui nulla eſt diſconuenientia in hoc quòd tale ius ab Epiſcopo tribuatur, quandoquidem Paſtor eſt ouium, circa quas eſt illud exercendum, & quòd hoc ſolemni aliquâ ceremoniâ fiat: ergo nullo modo Canonica inſtitutio reſpectu eorum, de quibus eſt ſermo, repugnat.

Aſſertio 2. Qualiacumque ſint Religioſorum Beneficia, Canonica inſtitutio pro illis non repugnat.

Quid ſit Titulus.

25 Dico tertiò. Cùm non videatur improbabile Parochialia Beneficia Regularium non eſſe propriè talia, eo quòd in titulum perpetuum non conferantur, ſi Canonica inſtitutio deſit, dummodò alia concurrant, non erit grauis peccati reus taliter adminiſtrans. Probatur. Quia opinio probabilis tutò in agentis vtilitatem poteſt aduocari. Quòd ſi dicatur in materiâ Sacramentorum id non licere, iuxta communiſſimam ſententiam, occurrendum eſt, notandâ doctrinâ, quòd ſcilicet in caſu noſtro nullum Sacramentum periclitatur, ex cuius dubiâ receptione periclitari etiam poſſit ſalus eorum æterna, qui ſunt illa recepturi, vt patet diſcurrendo per ſingula. Nam Baptiſmus à quocumque datus eſt validus. Ad Euchariſtiæ conſecrationem character ſacerdotalis ſufficit. Pro Confeſſione ſatis eſt ſimplex Sacerdos ab Epiſcopo approbatus. Extrema vnctio quoad valorem non pendet à Parochiali poteſtate. Matrimonium non tale eſt Sacramentum, ex cuius dubia receptione cum probabili adminiſtratione, timeri dānatio queat: & vt demus poſſe facere de attrito contritum, ſi ex parte contrahentium nihil deſit; non ideò illo priuabitur effectu, ex eo quòd Parochus, vt talis receptus, aliquem patiatur defectum, propter quem in foro conſcientiæ probabiliter talis non ſit: quia non eſt adminiſtrator Sacramenti, ſed publicus teſtis; cùm contrahentes ipſi illius miniſtri ſint, & in ipſis materiâ & forma reſideat, & ita de Sacramenti validitate nequit dubitari. Quod notandum pro ſimilibus, in quibus occurrere probabiles opiniones poſſunt. Conſtitutiones autem diuerſæ Pontificum, quas adducit Lauretius à Franchis in Controuerſiis. *Quæſt. 86.* ne Religioſi curam animarum ſine licentiâ Sedis Apoſtolicæ ſuſcipiant, nihil

Aſſertio 3. Iuxta probabilem ſententiam de ratione propria Beneficij, quid fieri poſſit.

Notanda doctrina circa Sacramentorum valorem.

Digitized by Google

hil obſtant, tum quia de veris Beneficiis loquuntur, tum etiam quia in caſu noſtro diſpenſatio eſt, de quâ dictum.

CAPVT IV.

An Religioſi Indorum Parochi ad examen ab Ordinario faciendum teneantur.

Examinis neceſſitas.

26 DVrus eſt hic ſermo, ſed neceſſariò deuorandus ab iis, qui vel zelo ſalutis Indorum munus Parochiale ſuſcipiunt, vel propriæ vtilitatis intuitu: *cum enim amatur*, vt eſt præclara Diui Bernardi ſententia, *aut non laboratur, aut labor amatur*. Eſt illud ad prædicta conſequens: ſi enim approbandi ab Epiſcopis, de eorum eſt ſufficientiâ ſufficiens etiam neceſſariò iudicium efformandum: vnde ſi aliàs de illa non conſtet, per examen notitia comparanda. Si inquam aliàs non conſtet: conſtare enim poteſt, & ita examinis obligatio ceſſabit, non obſtante Decreto Concilij Tridentini *Seſſione* 24. *Cap.* 18. *de Reformat.* quia ad formam illam non tenentur Regulares in Beneficiis, quæ ipſis conferri conſueuerunt, prout eſt à Congregatione Cardinalium declaratum, ſic referente Gonzalez *ad Regulam* 8. *Cancellariæ. Gloſſâ* 6. *num.* 162. & Nicolao Garcia *de Beneficijs Parte* 9. *Cap.* 2. *num.* 197. *& ſeq.* Pro quo & faciunt quæ circa hoc tradunt Doctores adducti à à Dom. Solorzano *Lib.* 3. *Cap.* 6. *num.* 20. *& ſeqq.* Sicut enim non eſt obligatio totius formulæ obſeruandæ, ita neque alicuius eius partis, circa quam nihil eſt ſpecialiùs declaratum. Et quemadmodum in approbandis Confeſſariis examen requiritur; additur tamen *Aut aliàs idoneus iudicetur*, ita & in præſenti intelligendum. Neque obſtat Schedula Regia *Ann.* 1634. de quâ Dom. Solorzanus *Cap.* 17. *num.* 14 in qua ſic dicitur: *y para ſer Curas los dichos Religioſos, aunque ſean Superiores de las Caſas, o Conuentos, donde moran y habitan, y ſon como Cabeceras de las dichas Dotrinas, deben, y han de ſer examinados por los Obiſpos y Ordinarios Seculares, y por ſus examinadores en el diſtrito de las dichas Dotrinas. Pues ninguno puede cuydar de eſta ocupacion Chriſtianamente ſin licencia ſuya. Y en el Idioma tambien lo deben ſer, por la perſona, que ſe diputa para eſta enſeñanza.* Sic ibi. Non inquam obſtat, quia totum id debet intelligi ſecundùm Canonicas diſpoſitiones: neque enim Reges noſtri Piiſſimi & Religioſiſſimi addere in rebus hujuſmodi obligationes intendunt, quæ ad Superiorem poteſtatem ſpectant, ſed eorum, quæ diſpoſita ſunt, executionem vrgere. Cùm ergo Religioſi ad dictam formam ſeruandam non ſint à Concilio obligati, neque ratione Regij reſcripti exiſtimandum eſt obligationis aliquid accreuiſſe. Vnde neque cùm examinandi illi ſunt, neceſſarium eſt vt illud per Examinatores Synodales fiat, ſed vel per Epiſcopum ipſum, aut per alios ſibi benè viſos. Sicut neque per magiſtrum Indici idiomatis, quia & in hoc eſſe ſufficiens notitia ſine examine poteſt: & vt habenda per illud ſit, alij eſſe Examinatores poſſunt, quibus non minùs confidere Ordinarius queat: immò ſi ipſe Indici idiomatis gnarus ſit, vt ſunt aliqui, nullus eo meliùs rem iſtam poterit explorare. Et ſimiliter exponendum eſt, quod habetur in alia Schedula *Ann.* 1603. *Die* 14. Nouembris, de qua citatus Auctor *Cap. illo* 17. *num.* 13. vbi tamen de Examinatoribus nihil ſed tantùm *Sin ſer primero examinado y aprobado por el Prelado de aquella Dioceſi, aſi en quanto à la ſuficiencia, como en la lengua &c.* Vt autem ea, quæ ad hoc ſpectant pleniùs habeantur,

Niſi de ſufficientiâ conſtat.

Nec obſtare Regiam Schedulam.

Quinam Examinatores ſufficiant.

Aſſertio 1. Peccatum lethale in intruſione.

27 Dico Primò. Religioſi, qui ſine approbatione Epiſcopi in adminiſtrationem Parochialem ſe ingerunt, mortaliter peccant. Probatur. Quia in re grauiſſimâ Pontificis & Patroni mandata tranſgrediuntur, & iura Epiſcopalia violant.

Aſſertio 2. De obligatione reſtitutionis emolumentorum.

Dico ſecundò. Præfati nequeunt emolumenta Beneficij percipere, & ſi percipiant, ad reſtitutionem tenentur, faciendam Eccleſiæ, iis exceptis, quæ pro alimentis conſumpta, & poſſunt aliqualiter eorum labori reſpondere. Dixi *aliqualiter*, quia non debet fieri ſimilis computatio cum iis, quæ legitimo Parocho tribuuntur: illi enim, qui ſine approbatione adminiſtrat, multò minus tribuendum eſt, quia eſt quaſi vltroneus venditor, cuius merces vileſcunt, ita enim & hujus vileſcit labor pro dimidia parte, vt multi circa prædictos affirmant.

Aſſertio 3. Pro una Parochia quando repetendū examen.

28. Dico tertiò. Semel examinatus pro vnâ Parochiâ, ſi ad aliam tranſeat; debet examinari, ſi in alio Epiſcopatu, aut alterius linguæ ſit. Sic deciditur in Regiâ Schedulâ citatâ Ann. 1634. Habet autem eamdem limitationem, *Niſi aliàs idoneus iudicetur*, propter dicta. *num.* 26.

Aſſertio 4. Quid in eodem Epiſcopatu, vbi diuerſa eſt lingua.

Regia Schedula.

29 Dico quartò. Quando in eodem Epiſcopatu Religioſus ad Parochiam diuerſæ linguæ tranſit, non debet niſi circa illam examinari. Probatur ex præfatâ Schedulâ, in qua ſic dicitur: *Los examinados y aprobados vna vez no han de voluer à ſerlo, ni por los proprios Arzobiſpos, y Obiſpos, ni por ſus ſucceſſores. Y eſto ſe ha de entender para el miſmo Arzobiſpado, ò Obiſpado, en que fueren examinados, y en que ſeles vbiera dado, y diere la aprobacion, como à tales Curas ſin limitacion alguna. Mas ſi ſobreuiniere cauſa, que lo pida, ò por demeritos en la ſuficiencia, ò falta del Idioma, ò por ſuceder, como de Ordinario ſucede, que tratende mudarſe ò paſarſe à otra Dotrina, en que aya, ò ſe hable otra lengua, es juſto que ſe examinen; y declaro, que pueden y deben ſer examinados de nueuo, porque ya no ſe halla en ellos aquella ſuficiencia, que merecia la primera aprobacion, y aſi lo podran hacer y mandar los Arzobiſpos, ò Obiſpos para quietud de ſus conciencias.* Hæc ibi. Ex quorum tenore colligitur pro eo tantùm examen requiri, cuius ſufficientia primam approbationem non meruit: atqui circa ſolam linguæ ſufficientiam hoc contingit, quia circa illam examen non præceſſit: ergo circa alia non eſt illud adhibendum.

Aſſertio 5. Defectum ſufficientiæ non debere plenè probari.

30 Dico quintò. Vt demerita propter defectum ſufficientiæ, & peritiæ in idiomate Indico, ad nouum examen ſufficiant, non debent plenè probari, ſic enim ad examen veniendum non eſt, cùm de inſufficientiâ conſtet, & ita Schedula non eſt ſic intelligenda. Tunc ergo adhibendum illud, quando rumor talis eſt, indicia, & quærimoniæ Indorum, vel aliorum relationes. In re enim tanti momenti prouidere Epiſcopi ſpirituali ſaluti ouium ſuarum debent, & id præſtare, quod diues ille, apud quem villicus diffamatus eſt, dum

eum

Digitized by Google

eum accerſens dixit: *Redde rationem villicationis tuæ Lucæ. 16. num. 1. & 2.* Neque enim iniuria aliqua in hoc interuenit, dum ſine iuridicâ probatione ad examen accerſitur, quia examen non eſt grauamen aliquod irreparabile, & in eo, optimâ ratione redditâ, Religioſus cumulum meritorum adauget, & famæ ſuæ diſpendium amolitur. Quia verò hæc, quæ contra Indorum Parochos dici poſſunt, difficilis probationis ſunt vt ad examen deueniatur minùs multò neceſſarium eſt, quàm vt ad inquiſitionem iuridicam, iuxta ea, quæ in Iure Canonico diſponuntur. Et ſpecialiter in Cap. *Qualiter & quando* 2. de accuſationibus, vbi citatus Euangelij locus adducitur. Iuuat autem, quod in fine citati Capitis habetur, dum ſic concludit Innocentius Tertius iuxta Concilium Lateranenſe: *Hunc autem ordinem contra Regulares perſonas non credimus vſquequaque ſeruandum, quæ, cùm cauſſa requirit, faciliùs & liberiùs à ſuis poſſunt adminiſtrationibus amoueri.* Sic ille. Quod quidem in adminiſtrationibus, de quibus agimus, maximè verum habet, quæ Religioſorum propriæ non ſunt, & in quibus ingentia damna poteſt adducere ſolitudo. Pro quo eſt Cap. *Monachi*, de ſtatu Monachorum, in quo ſic dicitur: *Nec ſoli inter Seculares homines ſpiritualium hoſtium conflictum expectent, Salomone dicente, Væ ſoli, quia, cùm ceciderit, non eſt qui ſubleuet eum. Eccleſ. 4. v. 10.* Sic ibi, ex Concilio etiam Lateranenſi, vbi ad Parochialem curam reſpectus habetur; ſic enim ibidem præmiſſum: *Nec ſinguli per villas & oppida, per quaſcumque Parochiales ponantur Eccleſias, ſed in maiori Conuentu, aut cum aliquibus fratribus maneant: nec ſoli &c.* Pro eodem eſt Cap. *Illud 7. quæſt.* 1. & Cap. *In omnibus*, 81. *diſt.*

Cap. Qualitates & quando, *de accuſationibus.*

Cap. Monachi, *de ſtatu Monachorum.*

31 Dico ſextò: Vt Religioſus tempore vacantis Beneficij, aut abſentiæ Parochi adminiſtret, non eſt neceſſaria approbatio Epiſcopi ſpecialis, ſed à Prælato poterit Religioſus alius adhiberi. Id probo. Quia per Bullam Pij V. poſſunt ſine licentiâ tali ad Parochiale munus applicari: etſi autem illa temperata ſit, iuxta dicta *Cap. præced.* totum illud in ordine ad prouiſionem Parochorum eſt, quibus eſt facienda collatio: atque circa interinatios nihil derogatum eſt; vnde neque examen debet præmitti, quia illud pro Canonicâ inſtitutione, & præcedenti approbatione præmittitur. Non debet autem vacationis tempus ex induſtriâ pro commodis temporarijs interim ſeruientis prorogari: quia id non ſine injuriâ Patroni fit, & eſt contra ipſius Beneficij inſtitutionem, quòd per proprietarium adminiſtrari debet, cùm ij, qui ad tempus præficiuntur, minùs diligenter, & ſic non ſine Eccleſiæ damnis, vt experientia docet, adminiſtrent. In quo tamen paruitas materiæ eſſe poteſt, & vnius menſis ſpatium non videtur mortalis culpæ damnandum; quia comparatione triennij, aut quadriennij, pro quo ſolet conferri, pars magna non eſt. Et in Parochialibus Beneficijs Laicorum quatuor menſes Ordinarijs conceduntur in Indijs; licet hoc permiſſio potiùs ſit, quàm facultas, cùm Concilium Tridentinum. *Seſſione* 24. *Cap.* 18. *de Reformat.* decem dies aſſignet; licet addat: *vel aliud tempus ab Epiſcopo præſcribendum*: quod certè proportionatum eſſe debet, vt non ſit paucio-

Aſſertio 6. Supplentes non indigere ſpeciali approbatione.

Vacationis tempus nõ prorogandum.

Concilium Tridentinum quãtum concedat.

rum, ita vt commodè prouiſio fieri poſſit: neque ita plurium, vt præfatus numerus enormiter excedatur. Et ita vltra alios decem dies prorogari non poſſe, ex Bulla Pij V. & duobus Prouincialibus Concilijs refert Zerola *Parte* 1. verb. *Parochia* §. 2. *Dub.* 3. Sed Indijs, propter diſtantiam, plus aliquid indulgendum. In quo quidem Epiſcopi peccare grauiter poſſunt, dum propter humanos reſpectus hujuſmodi differunt prouiſiones.

Zerola.

CAPVT V.

An Prælati Religioſi pro Parochiis Indorum debeant proponere digniores.

32 Affirmatiuam ſententiam abſolutè tenet Dom. Solorzanus *Tomo 2. Lib. 3. Cap. 17. numer. 23. & ſeqq.* pro quâ alios adducit, ex quorum generali doctrinâ id ſequitur. Sed in ſpeciali pro Indiis refert Fr. Ioannem Baptiſtam in *Animaduerſionibus pro Confeſſariis Indorum Parte* 2. vbi cum Mag. Veracruz concludit, quòd cùm in Capitulo Prouinciali Definitorum debeat eligere Guardianos & Priores, qui ſimul his Parochijs fungantur, debent ſemper eligere meliores ſub mortali peccato, vt docet D. Thomas *2.2. quæſt. 63. artic. 1. & q. 185. & Quodlib. 6. quæſt. 9.* quem ſic explicat Sotus *de Iuſtitiâ & Iure Lib. 3. quæſt. 6. artic. 2.* Caietanus in Summa V. *Beneficium*, & egregiè Nauarrus in *Miſcellaneo Latino de Oratione num.* 43. Sed certè neque Mag. Veracruz, neque Fr. Ioannes Baptiſta de Curatis Indorum locuti: vnde verba illa, *Qui ſimul his Parochiis fungantur*, de ſuo addidit citatus Auctor, neque ab eis dicta ad electionem pertinent Parochorum, ſed generalior doctrina eſt, ſicut & in § 5. ſeqq. Videantur *fol. 261. pag. 2. & 262.* Sed quidquid de hoc ſit, probari prædicta ſententia poteſt ex communi, ſatiſque receptâ doctrinâ, quæ in Concilij Tridentini grauiſſimo Decreto *Seſſione* 24. *Cap.* 18. *de Reformat.* magnum habet fundamentum: quod ſcilicet ad Beneficia Curata digniores ſunt eligendi: id quod cùm in Beneficiis ſecularibus maximè verum habeat, in Regularibus, de quibus agimus, pariter aſſerendum: quia pro illis ſeculares Parochi eligendi erant, & ita digniores: quòd autem tales non eligantur, ex oppoſitione Religioſorum prouenit, vt fatetur citatus Fr. Ioannes Baptiſta *fol. 384. pag.* 2. ſic dicens: *Quòd autem ſimus cauſſa* (damnorum inquam ex defectu in miniſterio) *patet, quia totis viribus procuramus, ne in noſtros populos Clerici vel Fratres alterius Ordinis intrent, Sacramentaque ibi miniſtrent. Immò ſi ibidem Epiſcopus, vel Senatus Regalis Clericos præficerent in Curatos, nos valde de hoc conquereremur. Et peto nunc, quis tenetur in dictis populis Indorum aſſignatis miniſtrare Indis Sacramenta, diebuſque feſtiuis Miſſas celebrare? &c. Non Clerici, quia inde amoti ſunt noſtris importunis precibus; non Epiſcopi, quia abſunt; ergo Fratres ad ſupradicta tenentur.* Sic ille.

Digniores proponendos qui cenſeant.

Eorum fundamenta.

Fr. Ioan. Baptiſta.

33 Dico primò Quando Prælati tres aſſignant, ex quibus Patronus eligat præſentandum pro

Aſſertio 1. Peccare

pro

grauiter Prælatos minùs dignis locum meliorem in nominatione tribuentes.

pro doctrinâ, grauiter peccant, ſi in aſſignatione eos præferant, qui minùs digni ſunt, ob humanum aliquem reſpectum carnis & ſanguinis. Videantur dicta *Titulo 2. Cap.4. & Titul.3. num.76. & ſeqq.* Et quæ de Regibus loquentes diximus *Titulo 1. num. 69. & ſeqq.* Ratio eſt: quia cum ij, qui Regio nomine præſentant, communiter eum eligant, qui meliorem locum in aſſignatione Prælati tenet, taliſque ſit ipſius Prælati voluntas: vnde ſi nominare vnum ſolùm poſſet, illum, quem primo proponit loco, nominaret: ex eo fit fidelitatem debitam in re magni momenti violari, & damna conſequenter velle, quæ ex minùs digni adminiſtratione ſequentur, quę ſunt ſanè nō leuia, & ita leuis eſſe culpa nequit. Niſi fortè exceſſus non ſit magnus; tunc enim aliquid eſt humanis obligationibus concedendum, vt neque in eo veniale peccatum inueniatur. Pro quo videri poteſt P. Thomas Sancius *Lib. 2. Conſiliorum, Cap. 1. Dub.2. n.17.* vbi alios adducit.

Aſſertio 2. ſine peccato ſtare poſſe non proponi digniorem.

Notanda pro eo doctrina.

34 Dico ſecundò. Sine peccato ſtare poteſt vt Prælati minùs dignum proponant, omiſſo digniore. Id probo ex doctrinâ Dominici Soti *Lib.3. de Iuſtitiâ, quæſt.6. art. 2. argum. 1. poſt Concluſ. 9.* & aliorum, quos ſequitur P. Sancius *loco dudùm adducto, num. 23. §. Tertiò, limitanda.* Dicunt illi poſſe digniorem omitti, quando breui expectatur locupletior Præbenda eidem conferenda. Iuxta quam philoſophandum in noſtro caſu: cùm enim Prælati Religioſi multas habeant Doctrinas, quæ paſſim vacant, & in illis plures occurrere poſſint, quæ digniorem Paſtorem requirant; prudenter facient, ſi pro illis eos, qui tales fuerint, reſeruarint. Quod enim Doctores citati dicunt de locupletiori Præbendâ, ita intelligendum eſt, vt non debeat maior commoditas eligendi tantùm attendi, ſed quando cum illâ bonum eſt Eccleſiæ connexum: neque enim Beneficia pro locupletandis Miniſtris, ſed pro bono Eccleſiæ præſertim inſtituta ſunt. Beneficio ergo pro quo maior eſſe poteſt induſtrij Miniſtri neceſſitas, conuenienter, qui nunc omittitur, reſeruatur. Pro quo eſt etiam ſententia aliorum, quos ſequitur idem Pater *num. 24.* dicentium digniorem poſſe poſtponi reſpectu pinguioris Beneficij, quia in minùs pingui vtilior eſſe poteſt, ob ſpeciales circumſtantias: iuxta ſingularem in hac materiâ præ oculis habendam, bonum ſcilicet Eccleſiæ bono priuatorum eſſe præferendum. Cùm ergo Prælati in prædicto modo proponendi eùm poſſint habere reſpectum, non debent ob prætermiſſos digniores condemnari.

Et aliâ obſeruatione digniſſima.

Aſſertio 3. quid circa praxim. ad vitandos ſcrupulos.

35 Dico tertiò. Dummodo Prælati Religioſi eos proponant, de quibus plenam habent ſatisfactionem, quantùm humana fragilitas noſce ſinit, quæ nec abeſſe patitur imperfectiones cum virtutis ſubſtantiâ conſiſtentes, rarò continget in prætermiſſione digniorum graue peccatum inueniri. Id probo. Nam Cardin. Caietani ſententia eſt in *Summâ. v. Electio. & v. Beneficium. §. vltim. & ſentaculo 12. quæſt.4.* quem multi docti Recentiores ſequuntur, dicentes obligationem eſſe eligendi digniorem, ſi conſideretur Beneficium formaliter, quatenus ſcilicet eſt prouentus honoris, & bonorum temporalium, quia ſic ad regulas diſtributionis communium bonorum ſpectat. Si tamen attendatur ad principale, quod reperitur in

Caietani ad probationem ſententia. Vbi Beneficij conſideratio duplex aahibenda.

Beneficijs, ſcilicet officiū paſcendi, & miniſtrandi diuina, ſatis eſt ſi conferatur digno, quia ſic nō eſt diſtributio honoris, ſed oneris, pro quo & alias rationes adducit Salon *2.2.q.63.art.4.Contr.3.Fol. 1004.& ſeq.* Licèt autem citati illam reprobent cū Couarruuia Reg. *Peccatum, 2.p.§.7.n.4.verſ.Igitur;* quia reipſa duo illa inſeparabilia ſunt: in caſu tamen noſtro, videntur poſſe ſeparari: quia doctrinæ non ſunt inſtitutæ pro honore & prouentu rerum temporalium in Religioſis, in quibus oneris potiùs quàm honoris diſtributio eſt. Quòd ſi aliqui eas ex deprauato illo affectu appetant, id certè per accidens eſt. Addunt illi, vtro ex illis modo conſiderentur Beneficia, danda eſſe dignioribus, ſaltem ex virtute fidelitatis, quâ tenentur diſpenſare fideliter præficiendo Eccleſiæ Miniſtrum digniorem ſuis muneribus obeundis. Verùm hoc non obſtat, & ex eo potiùs argui poteſt pro noſtra poſitione: nam fidelitas omnino ſeruatur à Prælatis Religioſis, dum loco ſæcularis Clerici aliàs ſeruituri, Religioſus plenæ ſatisfactionis offertur, licèt dignior non ſit: nam generaliter loquendo plus eſt fidendum tali, quàm Sacerdoti ſæculari non ligato votis, nec profitenti perfectionē, aut in ſcholâ virtutis educato; qui non ſolùm Epiſcopo, ſed etiam Prælato ſuo adminiſtrationis eſt rationem exactam redditurus. Vnde præſumptionem pro Religioſis extare benè oſtendunt Auctores, quos adducit Dom. Solorzanus *Cap. 16. numer. 57.* factâ cum ſæcularibus Sacerdotibus comparatione. Licèt negandum non ſit multos ex iis probatæ virtutis exiſtere, & qui in Parochiali curâ non ſint Religioſorum digniſſimis poſthabendi.

Aſſertio 4. contra abuſum nominandi ignaros Idiomatis, & ſocium peritum aſſignandi.

36 Dico quartò. Prælati Religioſi grauiter peccant, ſi doctrinas in titulum Patribus grauioribus conferri faciant, dum eos ad illas nominant, Indicum Idioma non callentibus, alium illis aſſociantes in eo peritum, vt Parochiales per eum functiones obeantur. Sic Dom. Solorzanus *Cap. 17. num. 26. & ſeqq.* & in Politicâ *Pag. 651.* vbi & Motum proprium ſæpiùs adductum, & Textus alios expendit, ex quibus conſtat peritiam linguæ in Parocho neceſſariam eſſe, vt per ſe ipſum adminiſtret: pro quo & faciunt adducta *Titulo præced. numer. 3. & Titulo 13. num. 4.* & ſpeciale Reſcriptum Philippi III. in propriis terminis caſum decidentis. Eſtque id adeò perſpicuum, vt mirum ſit apud viros doctos & pios tale quid accidere potuiſſe. Et videtur ſanè peccatum tale commune trium: Prælati inquam proponentis, Patroni præſentantis, & Epiſcopi approbantis ac Canonicè inſtituentis. Cùm enim debeat examen præcedere, & reuerà non præcedat quale neceſſarium eſt, ſic enim de linguæ defectu conſtaret; dum ita omnes ad huiuſmodi abſurdum concurrunt, in eadem ſunt pariter damnatione. Niſi fortè Religioſus ſocius examen ſubeat, & præſentetur, atque approbetur, eique Canonica inſtitutio fiat: cùm tamen in foro Religionis aliter ſe res habeat, eò quòd Religioſi exiſtiment ſe ad illa omnia non teneri, eiſque propterea ſubiici, quia ſi ſecus facerent, turbæ inde excitarentur, & ſtipendium Parochialis curæ minimè ſolueretur. Quod quidem diſſonantiam habet inſignem, & fraudem Religioſâ ſinceritate prorſus indignam: vnde nec credibile eſt tale quid alicubi practi-

Peccatum commune trium.

Fraus quæ in eo eſſe poteſt, penſius damnabilis.

Digitized by Google

practicatum: neque occultari illud poſſet: detectum autem remedio fuiſſet opportuno per ſuperiorem prouidentiam extirpatum. De hoc certè Schedula Regia non loquitur, quia talis in Regiorum Conſiliariorum mentem venire non potuit abſurditas, cuius poſtrema verba oportebit expungi, dum ibi ſic dicitur: *Que dando con eſto ſugeto todo loque como tales Curas hicieron, à los eſcrupulos, nullidades, è inconuenientes, que ſe dexan conſiderar.* Licèt enim circa præfata poſſit quiſquam opinione probabili ſe tueri, ſiue periculo nullitatis, iuxta dicta *num.* 25. in caſu tamen iſto omnino deficit probabilitas, & grauiter debita fidelitas violatur, vnde non poſſunt non acres ſcrupuli ſuboriri. Ad ea, quæ initio Capitis allata ſunt, quid ſit dicendum, conſtat ex dictis circa *Aſſertionem præcedentem.*

Regia Schedula circa quid verſetur.

CAPVT VI.

An Religioſi Prælatorum poſſint præcepto compelli ad Parochialem curam Indorum.

Diuerſa ſententia & 1. affirmans, & illius fundamenta.

37 NOn vna eſt circa hoc Auctorum mens. Affirmant Ludouicus Lopez 1. *p. Inſtructorij*, *Cap.* 56. *Col.* 3. Emmanuel Rodericus *Tomo* 2. *Summæ*, *Cap.* 9. *num.* 6. Pro quo & P. Palaus citat P. Suarium *Tomo* 3. *de Religione*, *Lib.* 10. *Cap.* 10. *in fine*; qui tamen id abſolutè non tenet, ſed tantùm ait ex ſpeciali titulo, quem expoſuerat, illud quandoque fieri. *Et hoc titulo interdum coguntur Religioſi per præcepta ſuorum Prælatorum ad ſuſcipiendum munus Parochorum apud Indos, quia iam illud miniſterium ex diſpenſatione Pontificum talibus Religionibus appropriatum eſt.* Verba illius ſunt. Pro explicatione autem tituli ſic præmiſerat, probans Religioſum poſſe compelli ad acceptandum Beneficium Regulare: *Quia illa Beneficia, & eorum miniſteria pertinent propriè ad munera talis Religionis, & ideò cadunt ſub materia obedientiæ Prælatorum eius. Argumento Cap.* Quorumdum *de Electione in Sexto*, ibi: extra adminiſtrationes proprij Ordinis. Et Cap. *Cum ſingula, de Prabendis, in Sexto.* Sic ille. Qui de illis videtur Beneficiis locutus, quæ Monaſteriis adnexa ſunt. Et quidem Cap. *Quorumdam* neque vnum, neque aliud probat, quia illud *Proprij Ordinis*, ad Prælaturas eſt proprij Ordinis referendum, ad quas quis ſine ſpeciali Prælati licentiâ poteſt Præbere conſenſum: neque deciſio illa poteſt caſui præſenti accommodari, vbi de licentiâ ad Prælaturas extra Religionem admittendas agitur, & negatur id fieri poſſe, etiam cum Prælati licentiâ, quando in diſcordiâ factæ ſunt electiones. Quid hoc ad rem? Vnde Gloſſa verb. *Ordinis*, ait circa adminiſtrationes proprij Ordinis hîc nihil noui iuris ſtatui. Caput autem *Singula* id probat, quod dicebamus, de Beneficiis quidem Monaſteriis annexis P. Suarium locutum, ſic enim ibi: *Prohibemus inſuper, ne Prioratus, vel Eccleſiæ, aut adminiſtrationes, ſeu officia vnius Monaſterij conſueta per eiuſdem Monachos gubernari, committantur deinceps abſque auctoritate Sedis eiuſdem alterius Monaſterij Monachis gubernanda, &c.*

P. Suarez.

Cap. Quorumdam, de Electione in 6, quid determinet.

Quid Cap. Singula, de Prabendis, ibid.

38 Quidquid de hoc ſit id, quod præfati affirmant, negat P. Thomas Sancius *in Opere Morali, Lib.* 6. *Cap.* 2. *numer.* 50. id probans, quia eſt præter Religionum inſtitutum, & res periculis plena. Et licet Pius V. id conceſſerit, ex eo probatur licitum eſſe tali fungi miniſterio, non autem Religioſos poſſe ad illud obligari. Addit autem *num.* 51. poſſe Religioſum cogi ad ſuſcipiendum Beneficium conſuetum regi per Religioſos Monaſterij, quia talis gubernatio pertinet ad Monaſterium, & ita ab eius Prælato poſſe tale onus imponi. Videtur autem hoc ad Indorum Parochias referendum, quando iunctæ ſunt Monaſteriis, & Religioſi conuentualiter viuunt, & non ſoli, quia de Parochiis Indorum agens ad ea ſe refert, quæ dicenda ab ipſo *numer. ſeq.* & illum ſequitur P. Palaus *Tomo* 3 *Tractat.* 16. *Diſputat.* 4. *Puncto* 5. *numer.* 3. quoad Parochias Indorum; addit tamen ſic: *Quòd ſi Beneficium Regulare ſit tui Ordinis, ad illud ſubeundum compelli à tuo Prælato potes. Cum enim à Religioſis illius adminiſtrari debeat, neceſſum erat vt Prælatus, apud quem eſt Ordinis adminiſtratio, poteſtatem haberet compellendi ad illius Beneficij adminiſtrationem.* Sic ille. Cuius ratio videtur ad Parochias Indorum aduocanda, licèt ille pro ipſis ex eo arguat, quia Beneficia ſæcularia ſunt: Pontificia enim conceſſio non mutat Beneficij ſæcularis naturam, & conſequenter non præſtat vt ad illud ſubeundum obligare Prælatus poſſit. Sed id non videtur ſatisfacere: quia ſemel ſuſceptâ adminiſtratione talium Beneficiorum, cùm à Religioſis adminiſtrari debeant, neceſſarium eſt vt Prælatus, apud quem eſt Ordinis adminiſtratio, poteſtatem habeat compellendi ad talem adminiſtrationem: vnde parum intereſt, quòd Regulare ex naturâ ſuâ, aut ſæculare ſit, quia idem onus circa adminiſtrationem incumbit. Aut ergo ratio citati Doctoris pro Beneficijs Regularibus eneruis eſt, aut ſæcularibus etiam debet applicari.

Sententia negans, & ratio pro illâ.

P. Sancius.

P. Palaus.

39 Dico primò. Si Religiones aliquæ à Pontifice compellantur Indorum Parochias adminiſtrare, poterunt Prælati eos, quos idoneos iudicauerint, ad curam talem conſtringere. Sic colligitur ex Auctoribus generaliter affirmantibus, & conſtat ex nuper adductâ ratione: quia cùm adminiſtrare teneantur, ad talem adminiſtrationem neceſſaria eſt poteſtas compulſiua, aliàs ſtare non poſſet adminiſtratio.

Aſſertio 1. affirmans quando à Pontifice indicitur Religioni adminiſtratio.

Dico ſecundò. Idem erit, ſi aliunde neceſſitas oriatur, vt quia Rex vrget, cuius nequit ſine grauibus inconuenientibus voluntati contrairi. Ratio eſt eadem.

Aſſertio 2. idē ſtatuīt, vndecumque ſit neceſſitas.

Dico tertiò. Si Religiones omnino voluntariè curam prædictam aſſumant, nequeunt Prælati Religioſos ad illam compellere pro iis locis, in quibus conuentualiter non viuunt. Id conſtat: quia tunc non vrget neceſſitas. Et præterea ex communi doctrinâ ſcriptorum, iuxta quam Religioſi non poſſunt compelli ad ea, quæ ſunt ſupra aut præter regulam, & proprium inſtitutum: de quâ P. Suarius *Lib.* 10. *citat. cap.* 8. P. Sancius *Cap.* illo 2. præſertim *n.* 15. P. Palaus *Diſp.* 4. *cit. Puncto* 4. & alij apud ipſos, quibus addendus Baſſæus verb. *Religio* 4. *n.* 9. P. Buſembaus *in Medullâ Theologiæ Moralis, Lib.* 4. *Cap.* 1. §. 1. *Non tenetur.* Talis autem eſt occupatio prædicta, cùm

Aſſertio 3. negans, ſi voluntaria ſit aſſumptio in Religione, & ſoli ſint Parochi futuri.

ad

ad ſæculares ſpectet, & plena ſit periculis, iuxta dicta.

Aſſertio 4. affirmans, ſi Beneficiũ ſit annexũ Conuentui.

40 Dico quartò. Si Conuentus aliquis ſit, in quo Cura prædicta habeatur, poſſunt Prælati Religioſi ſubditos ad illam ſuſcipiẽdam compellere. Sic citati *n.* 38. & ratio eſt; quia licet Beneficiũ ex ſe ſæculare ſit, dum tamen Conuentui adnectitur, conditionem ſortitur Regularis, cùm Eccleſia Regularis ſit, & Regulari modo adminiſtretur, ceſſentque pericula, quæ in ſolitariè agentibus inueniuntur. Si qua autem ſunt ex conditione officij, illa quidem miniſteriis etiam ſunt adnexa, quæ maximè propria Ordinum Mendicantium ſunt, cùm debeant eſſe Ordinariorum Præſidum adiutores. Huius tamen oppoſitum non eſt improbabile, ſi Cura in tali Conuentu omnino voluntariè ſuſcipiatur: neque inconueniens erit vllum, ſi nullus, qui talem Curam velit aſſumere, reperiatur; poterit enim tale Beneficium dimitti, cuius dimiſſio libenter ab Ordinariis admittetur, cùm nihil magis exoptent, quàm vt Religioſi, quæ ſua ſunt tractent, & ſæcularibus Sacerdotibus, quæ ſæcularia ſunt Beneficia, tractanda derelinquant. Si tamen ad bonum Conuentus conſeruatio Beneficij valde conferat, non debet adminiſtratio voluntaria omnino cenſeri, vnde alia militat ratio, de quâ dictum.

Oppoſitum. probabile.

Notanda limitatio.

Aſſertio 5. pro Societate generaliter affirmans.

41 Dico quintò. Religioſi Societatis IESV compelli poſſunt ad Parochialem curam Indorum quomodocumque illa à Superioribus ſuſcipiatur. Probatur ex ampliſſimâ obedientiæ materia, quam eius inſtitutum amplectitur. In Conſtitutionibus enim *Parte* 3. *Cap.* 1. §. 23. *& Parte* 6. *Cap.* 1. §. 1. dicitur obediendum eſſe in omnibus, in quibus manifeſtum peccatum non cernatur: vnde obligationem obediendi in Societate latiùs patere, quàm in aliis Ordinibus affirmat P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 41. *numer.* 75. §. *Alterum eſt*: ſicut & in Ordine Minorum, quia in illius Regulæ *Cap.* 10. dicitur obediendum in omnibus, quæ non ſunt contra Regulam, vel animam: contra animam enim ſolum peccatum eſt. Pro quo & Illuſtriſſimus Caramuel *in Theologiâ Morali numer.* 1392. ita ſcribit: *Vnde Patres Ieſuitæ, quia promittunt obedientiam in omni materia, quæ non ſit euidenter mala, poſito Superioris præcepto, tenebuntur iuxta minùs probabilem ſententiam operari, aut etiam actiones probabiliter malas elicere.* Sic ille. Licèt autem circa hoc limitationem aliquam eſſe admittendam doceant P. Suarez *Tomo* 4. *de Religione, Tract.* 10. *Lib.* 4. *Cap.* 12. *num.* 10. *& ſeqq.* P. Sancius *ſuprà, num.* 16. & P. Palaus *Cap.* 4. *num.* 7. §. *Religioſi verò.* Ea tamen in iis tantùm locum habere poteſt, quæ conformia Inſtituto non ſunt, quatenus conducere non poſſunt ad ſpirituale bonum proximorum, quorum ſaluti debet illa vacare: ſi autem ipſa aliquid ad prædictum finem expedire iudicauerit, non debet à materiâ obedientiæ, quam profitetur, excludi. Atqui aſſumptio Parochialis curæ Indorum poteſt conueniens ad ſpiritualem illorum profectum iudicari: ergo & obligari ad illam poterunt tale Inſtitutum profitentes.

Illius obedientia quam late pateat.

Caramuel.

Neque limitationẽ, quam Doctores adhibent, obſtare.

Ex loco Conſtitutionum robur additum probationi.

42 Quod quidem roborari poteſt ex eo, quòd *Parte* 9. *Conſtitutionum, Cap.* 3. §. 20. de Generali loquens D. IGNATIVS his verbis decernit: *Generatim loquendo in rebus omnibus, quæ ad propoſitum Societati finem perfectionis, & auxilium proximorum ad Gloriam Dei faciunt, omnibus præcipere in obedientiæ virtute poſſit.* Sic ibi. Quis autem non videat ad auxilium proximorum conducere curam prædictam poſſe, idque ad Dei Gloriam, cùm Gloria eius ex hominum ſalute ſingulariter propagetur? & multò illud potiùs, quàm ex cælorum magnitudine, ornatu, ſplendore, de quibus Vates ſummus: *Cæli enarrant Gloriam Dei. Pſalm.* 18. *v.* 1. Poteſt item roborari ampliùs ex eo quòd *citato, Cap.* 3. §. 9. habetur, dum dicitur in Generali eſſe poteſtatem admittendas quaſcumque perſonas Societatis ad quælibet loca *ad quamuis actionem ex iis, quibus vti ad proximorum auxilium Societas ſolet, exercendam.* Conſtat autem Societatem Indorum Parochialem curam exercere ſolitam, in Iaponiâ, Sinâ, Indiâ Orientali, Braſiliâ, Nouâ-Hiſpaniâ, Paraquariâ, Nouo-Regno Granatenſi, Chilenſi, & Peruuiano, atque vbicumque ad maiorem proximorum vtilitatem iudicat expedire. Licèt enim, vt diximus, *num.* 7. *&* 8. Societas doctrinas prudentiſſimè & cautiſſimè detrectet; vbi tamen expedire iudicat, tale onus non refugit ſuſtinere: & ita quando tale accidit, id non ſine ſpeciali conuenientia fieri, debet ab eius filiis iudicari. Ex quo fit compelli illos ad curam Parochialem poſſe: neque ſententiâ illâ grauium ex ipſa Societate Doctorum ſe tueri poſſe: quandoquidem pro Societate ſpecialis ratio militat iam propoſita & roborata. Quemadmodum ſententia communis eſt, Religioſos non poſſe compelli vt in Indias ſe conferant conuerſioni Gentilium vacaturi, vel ad alios infideles mitti: cùm tamen in Societate ſecus accidat, vt citati docent, & etiam Ludouicus Lopez & Emmanuel Rodericus, quos pro eo laudat P. Sancius *num.* 47.

Aliud pro eodem.

Sicut & poſſe ad Indias mitti, & alia infidelium loca.

CAPVT VII.

Qualiter Religioſi Parochi ad viſitationem ab Ordinariis faciendam teneantur.

Teneri illos, & obligationis fundamenta.

43 TEnentur equidem, quia ſic à Sede eſt Apoſtolicâ conſtitutum, ſic etiam Regiis Schedulis, iuxta poteſtatem ab eadem Sede conceſſam. Et quidem Pius V. ex cuius magis ſpeciali Indulto Religioſi poſſunt Parochialem curam exercere, dum ſtatuit in Bullâ ſæpiùs allegatâ, vt ſine alicuius licentiâ prędictam curam exerceant, nullam de viſitatione faciens mentionem: non ideò cenſendus eſt illam penitus excluſiſſe, quia, vt ſæpiùs dictum eſt, iuxta vulgatum Iuris axioma, à ſeparatis non fit illatio; & ſtat optimè Parochialem curam independenter à quocumque Ordinario aſſumi & dimitti cum Ordinarij iure circa inſpectionem adminiſtrationis: & ita vbi huius iuri expreſsè derogatum non eſt, debet penitus recognoſci. *Poteſtati enim Ordinariorum non detrahitur, niſi inquantùm eſt expreſſum.* Vt ex Cap. *Auditis.* & Cap. *Cùm olim*, probat Ioannes Andreas *in Cap.* 1. *de Priuilegiis, in Sexto.* §. *Quantùm ad iſta.* Pro quo eſt & Cap. *Paſtoralis*, de Priuilegiis, vbi Innocen-

Iuri Ordinariorum non derogatur, niſi per expreſſa.

Digitized by Google

Innocentius Tertius declarat Religioſos, quibus à Papa conceſſum eſt, vt Eccleſias ei ſubiectas poſſint in proprios vſus conuertere, non auctoritate propriâ, ſed à Diœceſano loci poſſeſſionem illarum accipere debere, niſi in priuilegio aliud exprimatur: vbi ſic concluditur: *Quia per indulgentiam huiuſmodi Epiſcopali iuri non credimus derogari.* Habent autem Epiſcopi ius fundatum circa viſitationem Religioſorum in his, quæ curam Parochialem concernunt, non ſolùm per Concilium Tridentinum. *Seſſione* 25. Cap. de Regularibus, vbi id expreſsè deciditur, quæ deciſio anterior fuit comparatione Conceſſionis Pij Quinti: ſed etiam per iuris communis diſpoſitionem in Cap. *Cùm Capellas* de Priuilegiis: quod benè expendit Dom. Solorzanus *Cap.* 17. *n.* 48. & 49. & quod è re præſenti maximè videtur eſſe Pius Quintus præfati priuilegij auctor ita luculenter declarauit, vt videri poteſt in Collectaneis Declarationum Barboſæ circa citatum Caput Tridentini. *Voluit tamen* (verba illius ſunt) *vt in omnibus Eccleſiis Parochialibus, in quibus Cura animarum, etiam laicorum exercetur, habeant Ordinarij facultatem eas Eccleſias & perſonas in iiſdem Curam exercentes, viſitandi, & corrigendi, in his dumtaxat quæ ad dictam Curam, & Sacramentorum adminiſtrationem ſpectant, ita vt ab hoc Decreto nullus videatur exemptus.* Sic ille ex Religioſo Pontifex, & Religioſorum ſingularis Patronus: vt non debeant illi de hoc onere querelis interminabilibus proclamare. Pro quo & Regiæ Schedulæ extant, moderationem dictam, poſt varias circa illud altercationes & controuerſias, exprimentes: de quibus agit Mag. Grijalua in *hiſtoria Auguſtinienſi Noua-Hiſpania ad finem Ætatis* 3. & per plura Capita *Ætatis* 4. Dom. Solorzanus *Cap.* 16. *num.* 77. & *ſeqq. Cap.* 17. *num.* 46. & *ſeqq.* & in Politica *Lib.* 4. *Cap.* 16. & 17. & Dom. Felicianus à Vega in Cap. *Ceterùm* de Iudiciis. *num.* 36. Pro quibus

Cap. Paſtoralis. de Priuilegiis.

Pij V. Declaratio.

Aſſertio 1. affirmans, quoad Curam Parochialem.

44 Dico primò. Epiſcopi viſitare Religioſos poſſunt quoad ea, quæ officium Parochiale concernunt. Conſtat ex dictis. Quæ autem ſint illa, declaratur in Regio Reſcripto *die* 22. *Iunij* 1624. quod per iterata alia iuſſum ad vnguem obſeruari, vt videri poteſt apud Dom. Solorzanum *citatis locis*, ibi, *En lo tocante à la adminiſtracion de Curas, y no en mas, viſitando las Igleſias, Sacramento, Chriſma, Cofradias, limoſnas de ellas, y todo lo que tocare à la mera adminiſtracion de los Santos Sacramentos, y miniſterio de Curas &c.* Quæ quidem meritò expreſſa ſunt, qui ad Parochialem curam manifeſtè ſpectant. Nomine autem Chriſmatis, Baptiſmalis fons etiam intelligitur, qui in aliquibus Schedulis expreſſus habetur, eò quòd ad ſolemnem illius adminiſtrationem adhibendum ſit, & fons ipſe ſacro ſit Chriſmate conſecratus: vnde & pariter accipiendum venit Oleum ſacrum pro Sacramento Extremæ vnctionis, quod cum Chriſmate ſolet aſſeruari. Eccleſiæ item nomine venit ſacriſtia, & ornamenta ſacra; circa quæ Epiſcopi ſpecialem debent ſolicitudinem adhibere, ſicut & circa Calices, Corporalia, & Miſſale: in his enim omnibus magnæ ſolent indignitates admiſceri. Libri item Baptiſmi, Matrimoniorum, ac defunctorum: Eleëmoſynæ pro Eccleſiis datæ: neque enim ad illas, quæ ex Confraternitatibus colliguntur, arctanda eſt viſitatio, licet illæ ſolæ fuerint in citata Schedula deſignatæ. Deinde circa modum agendi Religioſi Parochi inquirendum in iis, quæ ad ipſum vt talem pertinent, de quibus dictum eſt *Titulo præcedenti.* Et pro quibus legi ſolet Edictum ad hanc regulam conformandum. Quibus addo ad Parochi Indici officium etiam pertinere, vt Indos faciat de ſuis priuilegiis certiores. Pro quo Ferdinandus Zurita *in Enchiridio Indico Quæſt.* 10. Et obligationem hanc ſub mortali vrgere ſatis compertum apparet, quia res eſt magni momenti, & Pontificiis gratiis Parochorum incuriâ germina iſta nouella fraudantur. Obſeruat autem citatus Auctor priuilegia poſſe conſuetudine abrogari, & quando tale accidit, obligationem ceſſare, cujus erit indicium, ſi violatores legis puniantur. Sed circa hoc cautè procedendum eſt, quia Indi numquam voluntatem etiam tacitam hab nt ſuis priuilegiis renuntiandi, & deſuetudo ex defectu poteſt notitiæ contingere, neque aliud de Pontificia eſt præſumendum voluntate. Videantur dicta *Tit.* 12. *num.* 426. Hoc ergo videant, & diſponant viſitantes.

Quæ ad illam ſpectent explicantur ex reſcripto Regio.

Specialis additio circa explicanda Indis ſua priuilegia.

45 Dico ſecundò. Viſitatio prædicta circa mores & vitam Religioſorum non debet extendi. Sic conſtat ex dictis, & ſatis innuitur in prædicta Schedula verbis illis: *En lo tocante à la adminiſtracion de Curas, y no en mas.* Sed eo non contenti Regij Conſiliarij Indiarum Regio nomine ſic pergunt: *Que en los exceſos perſonales de las coſtumbres y vidas de los Religioſos Dotrineros, no que dacen ſugetos à los Arzobiſpos, ò Obiſpos, paraque los caſtigaſen por las viſitas, aunque fueſe à titulo de Curas: ſino que en caſo que ſe tubieſe noticia de exceſo, ſin eſcribir, ni hacer proceſos auiſaſen ſecretamente à ſus Prelados Regulares para que lo remediaſen, y que ſino lo hicieſen, los Arzobiſpos y Obiſpos pudieſen vſar de la facultad, que les da el Sancto Concilio Tridentino, de la manera, y en los caſos, que lo pueden hacer con los Regioſos no Curas. Y que en eſte acudan al Virrey, que los ha de nombrar, y poder remouer, à repreſentarle las cauſas para que lo haga, como ſe ha hecho, y hace en el Peru.* Hæc Rex. Circa quæ obſeruandum eſt aliqua eſſe Religioſorum poſſe crimina Parochorum, quæ videntur ſimul perſonalia, & ad officium pertinentia. Vt v. g. ſi Religioſus ſit ludo aleatorio deditus, quia illi immerſus eſt, cùm ad ea, quæ ſunt officio propria, vocatur, non accurrit, vnde & grauia detrimenta ſubſequuntur. In hoc ergo cùm teſtium depoſitiones excipiuntur, ita procedendum eſt, vt tantum ſcribatur Religioſum ad ea, quæ officij ſunt, adminiſtranda vocatum non accurrere, & in tali ac tali occaſione id accidiſſe. Quod verò ad ludum ſpectat, quia perſonalis defectus eſt, non proceſſandum, ſed ad Regularem Prælatum deferendum, vt remedium apponat, iuxta Schedulæ tenorem. Quòd ſi ita inter ſe connexa ſint ea, quæ ad officium, & quæ ad perſonam ſpectant, vt ſecerni non poſſint, reſpectus officij debet præualere, quia maioris momenti eſt, cùm damnum importet publicum, & aliud ſit tantùm perſonale. Vt ſi poteſtate officij ad aliqua perpetranda vteretur, ad quæ perſonalis reſpectus minimè ſuffeciſſet. Itaque illa perſonalia cenſenda ſunt, quæ cum officio nullam habent connexionem

Aſſertio 2. Ad mores non extendendam.

Regia Schedula modum procedendi diſponens.

Notandum circa crimina perſonalia, & ad officium ſpectantia.

Digitized by Google

ſecundùm ſe ſpectata, licet per accidens habere poſſint. Vt ſi Religioſus aleâ ludat, & multas pecunias exponat, quæ ratione officij prouenniunt: poſſet namque ſimiliter ludere, ſi aliunde haberet, & ſic in aliis. Non ita ſi mercimoniis vacet, textrinas habeat, erga Indos aſperè ſe gerat, & alia, quæ ſæcularibus Parochis ratione officij prohibentur: hæc enim nullo modo, niſi Parochi eſſent, exercerent. Et ita accipiendum quod habet P. Pellizarius *Tract* 8. *Cap.* 4. *num.* 16. dum ait cum aliis comprehendi ea, quæ occaſione, colore, fauore, & auctoritate officij committuntur.

P. Pellizarius.

Inquiſitionem non faciendam, etiam ſine proceſſu.

46 Nec debet circa mores & vitam inquiſitio fieri ad habendam notitiam, etiamſi nihil proceſſandum ſit, ſed eo tantùm fine vt à ſuis Prælatis corrigantur: id quod Regia Schedula ſatis indicat verbis illis: *Sino que en caſo, que ſe tubiere noticia de exceſo, ſin eſcribir &c.* Vbi de notitiâ tantùm agitur, quæ haberi ſine inquiſitione poteſt, & accidit cùm Indi, aut alij, ſcandala Parochorum Epiſcopis aperiunt, quod & facere poſſunt, ſi remedium aliâ viâ non ſperent, aut eam iudicent meliorem. Nec videtur peccare grauiter Epiſcopus, qui extraiudicialiter interrogat ad notitiam hauriendam, vt à Prælatis Religioſis, quæ damnabilia occurrerint, faciat emendari. Tantùm enim videtur inquiſitio iudicialis prohibita in ordine ad correctionem ab ipſis titulo ſuperioris iuriſdictionis adhibendam, vt ex verbis illis apparet, *Paraque los caſtigaſen por las viſitas.* Quòd autem ſecretè admonendos Prælatos dicitur, non ideo eſt, quia in eo abſolutè ſecretum ſeruandum ſit, eò quòd res, de quibus agitur, ſint ſecretæ; tunc enim Religioſi Parochi fraternè corrigendi, iuxta formam à Chriſto traditam. Pro quo eſt & Regia Schedula Philippi Secundi *Ann.* 1585. in quâ ſic dicitur: *Y que à los Religioſos, que eſtubieren en las dichas Dotrinas, aſi miſmo los viſiten y corrijan en quanto à lo mas fraternalmente, teniendo particular quenta de mirar por el honor y buena fama de los tales Religioſos: en los exceſos que fueren ocultos: y que quando mas que eſto fuere meneſter, ò conuiniere, den notitia à ſus Prelados paraque los caſtiguen: y que no lo haciendo, lo hagan ellos, conforme à lo diſpueſto en el Santo Concilio de Trento.* Quod verò de rebus, quæ ſecretæ ſunt, non agatur, ex eo conſtat quia ſi Prælati remedium non adhibeant, Epiſcopi facultate ſibi à Concilio traditâ vti debeant, quæ pro ſecretis non eſt, cùm ad id lex ſufficiat Charitatis. Id ergo tantùm ſecreti intimatione præſcribitur, vt Religioſi Prælati iudicialiter non conueniantur, ſed amicabiliter; efficaciter tamen, quia res ſummi momenti agitur, à qua pendet multorum æterna ſalus, & ex cuius conniuentiâ multorum ſequi poteſt æterna damnatio. Quid autem ex Concilio Tridentino habeatur, ad quod ſe Regiæ Schedulæ referunt, conſtabit legenti *Seſſionis* 25. *Caput* 14. *de Regularibus.* Vbi breuis illa, ſed valde formidanda concluſio: *Epiſcopo inſtante, à ſuo Superiore intra tempus ab Epiſcopo præfigendum, ſeuerè puniatur, ac de punitione Epiſcopum certiorem faciat: ſin minùs, à ſuo Superiore officio priuetur, & delinquens ab Epiſcopo puniri poſſit,* Sic Concilium.

Non peccare grauiter, inquirentes.

Prælati vt ſecretè admonendi.

Schedula Philippi 2.

Concilij Tridenti diſpoſitio circa correctionem.

Delinquens grauiter

47 Quomodo autem puniendus ſit, ibi non dicitur: videtur autem ex Regia Schedula manifeſtum, ſic enim additur: *Y que en eſte acudan al Virrey, que los ha de nombrar, y poder remouer, à repreſentarle las cauſas, para que lo haga, como ſe ha hecho, y hace en el Peru.* Poteſt ergo quacumque graui cauſſâ exiſtente, quæ ad mores Religioſi ſpectet, eum pœnâ priuationis Doctrinæ punire: neque enim medium quid in Regia Schedula admittitur, vt ſcilicet puniri poſſit, & in Parochiali officio conſeruari. Et quidem meritò: nam Religioſo, qui vti exemplar virtutis, immò & perfectionis proponitur, grauiter in publico delinquenti nulla eſſe pœna magis proportionata poteſt. Vnde non ſunt Parochorum ſæcularium more tractandi, quibus plura permittuntur, ſed iuxta Decretalem Innocentij Tertij de qua *n.* 30. *faciliùs & liberiùs à ſuis poſſunt adminiſtrationibus amoueri.* Tenentur autem Proreges Epiſcoporum deferre ſententiis, aliàs nullius illæ roboris remanerent; & ita in Schedula adducta deciditur, verbis illis; *Que los ha de nombrar, y poder remouer.* Neque enim dicitur quòd nominare ſeu præſentare poſſit, ſed quòd reipſa nominaturus ſit; & ſtatim additur poteſtas remotionis: quod eſt dicere: *Nominet alium, quia poteſt aliàs nominatum remouere.* Ratio autem diſcriminis inter Religioſos & ſæculares non ſolùm eſt iam adducta ex maiori eorum obligatione; ſed etiam quia ſæcularis, ſi facilè remoueatur, ſine ſubſidio pro vitæ neceſſariis manet, neque ad Beneficium aliud poterit adſpirare: quod ſecus in Religioſo accidit, cui non poſſunt deeſſe neceſſaria ad Monaſterium redacto, in quo vti in proprio elemento ſecuriùs & quietiùs reſidebit. Quòd ſi id doleat, eo ipſo magis eſt illi conuentualis receſſus neceſſarius, vbi ea, ad quæ vocatus eſt, ſtudeat exercere. Si verò Prorex remotionem renuat, ipſe viderit, cui & damna ex irrationabili reſiſtentia penitus imputanda, de quo & Epiſcopus ipſum admonebit.

priuatione Doctrinæ puniendus. Vbi aliquid notatu dignum.

Cap. Qualiter & quando, de accuſationib.

48 Dico tertiò. Epiſcopi, ſi impediti legitimè ſint, poſſunt Religioſos Parochos per alios viſitare. Sic in Schedula dicta declaratur verbis illis: *Que los Arzobiſpos y Obiſpos por ſus perſonas, ò por las que ellos eligieſen eſtando impedidos, pudieſen viſitar los Religioſos Dotrineros.* Et pro eodem extat Schedula Philippi Secundi ad Epiſcopos Nouæ-Hiſpaniæ tranſmiſſa, in qua cum ſingulis loquens, ſic ait: *Os ruego y encargo, que quando por por vueſtra perſona no pudieredes viſitar las Dotrinas de eſo Obiſpado, conforme à lo proueido en la Cedula mia de* 1. *de Iunio, de* 1585. *donde mas en particular ſe trata de eſto, enuieis à las dichas viſitas de Religioſos, que eſtubieren en las Dotrinas, en quanto à Curas, y del Santiſſimo Sacramento, Pila del Bautiſmo, y fabrica de las Igleſias, y demas coſas tocantes à ellas, y del culto Diuino, con Religioſos de las miſmas Ordenes. Demanera que donde vbiere Frayles Dominicos, vaya Frayle de la miſma Orden por Viſitador, y que la miſma forma ſe guarde con los Aguſtinos, Franciſcos, Mercenarios, y de la Compañia, y eſto para los caſos, y en la forma, que ſe contiene en la dicha Cedula. Fecha en Madrid à* 21. *de Deciembre de* 1595. *años.* Quæ Schedula Originalis habetur in archiuo R. P. Commiſſarij Generalis Ordinis Minorum in Noua-Hiſpania, vt teſtatur Fr. Ioannes Baptiſta in *Animaduerſionibus pro Conſeſſariis Indorum fol.* 396. *in fine.*

Aſſertio 3. Viſitare Epiſcopos per alios poſſe.

Schedula Philippi 2.

49 Et illa quidem poſſent Religioſi aliarum Prouinciarum

Ad omnes Prouincias poteſt extendi.

Digitized by Google

Prouinciarum ſe tueri, quia in ea non fuit inſpecta ratio aliqua ſpecialis, quę in Religioſis Nouæ-Hiſpaniæ, & non in aliis, militaret, ſed generalis illa ibidem præmiſſa: *Que los es cauſa de mucha inquietud y deſaſoſiego, enuiarlos à viſitar en quanto Curas, con Clerigos, ò Religioſos de otras Ordenes: y conuiene eſcuſar todas las occaſiones, que los pueden diuertir de ſu principal fin. &c.* Quæ quidem ad omnes Religioſos in Indijs Parochialem curam exercentes conſtat pertinere. Quãdo enim ratio eſt generalior quàm diſpoſitio, hæc per illam ampliatur, iuxta Textus & Doctores, quos adducit Dom. Solorzanus *Tomo 2. Lib. 2. Cap. 22. num. 71.* Videntur autem Religioſi fauori iſti renuntiaſſe, quia & inconuenientibus eſt obnoxius, iuxta id, quod citatus P. Fr. Ioannes Baptiſta *eodem loco* ſcribit ita dicens: *Sed & hoc ſuam habet difficultatem, ſi Epiſcopi aliquem eligerent in Viſitatorem Religioſum ambitioſum, honoris, & pecuniarum cupidum & auidum, & erga Religionem ſuam malè affectum. Vnde eligi non debet ad tale munus ſubeundum qui ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur à Deo tamquàm Aaron.* Sic ille. Cùm verò dicatur Epiſcopum tunc tantùm aliquem ſuo loco miſſurum, quando ipſe eſt impeditus; non tenentur Religioſi Viſitatorem admittere, qui à non impedito mittitur; & Epiſcopus in hoc non videtur à graui culpâ eximius. Quia verò de impedimento, aut illius defectu, non facilè poſſunt Religioſi iudicare; vbi oppoſitum non conſtat, admittenda viſitatio eſt: & cùm conſtiterit, vitandi tumultus, & res vrbanè & pacificè tranſigenda: neque enim Religioſa iura defendenda ſunt more caſtrorum; & modo ipſo defenſionis arma præbenda contrariis, dum in eo iniuriæ verbis & actionibus Religioſâ moderatione indignis admiſcentur.

Ratio in eadem redditur. — *Cui videtur renuntiatum ob inconuenientia.* — *Fr. Ioan. Baptiſta.* — *Epiſcopi non impediti nequeunt mittere Viſitatorē: & quid, ſi mittatur, agendum.*

Aſſertio 4. Religioſi Parochi an poſſint per Cenſuras premi.

50 Dico quartò. An Religioſi Indorum Parochi occaſione viſitationis & correctionis, quæ Epiſcopis licet circa Officium Parochiale, poſſint ab illis per Cenſuras premi, quæſtio momenti non leuis eſt: in qua partem affirmantem multis firmat Dom. Solorzanus *Lib. 3. Cap. 17. num. 57. & ſeqq.* & in Politica *fol. 657. §. Pero no obſtante, & ſeq.* & Lauretus à Franchis in Controuerſiis *pag. 9. & 10.* minimè Religioſis infenſus, licet Vicarius generalis Auenionenſis. Et eſt præcipuum illius fundamentum abſoluta iuriſdictio Epiſcoporum in Religioſos Parochos quatenus tales, quæ ex ſupradictis conſtat: vbi autem iuriſdictio in foro externo eſt, datur pariter poteſtas ad compellendum per Cenſuras, quæ ſunt arma Eccleſiaſtici brachij ad ſubditos in officio continendos. Pro quo P. Thomas Sancius *Lib. 7. de Matrimonio, Diſput. 33. num. 22. & 23.* plures Auctores adducit: & ita plures etiam ſunt, qui in caſu noſtro ita ſentiunt à Dom. Solorzano citati, qui ita practicatum aliquoties ait, præcedente declaratione Limæ Peruuij Metropoli. Obſeruandum tamen nullum ex præfatis Auctoribus eſſe Religioſum. Pro parte verò negante ſunt plurimi apud P. Sancium *ſuprà*, quatenus generaliter aſſerunt conceſſâ iuriſdictione in aliquem, qui priuilegium habet ne poſſit excommunicari, aut Cenſuris aliis coërceri, non illas poſſe in eum ferri, &, ſi ferantur, eſſe inualidas. Pro quo facit manifeſtè *Cap. 1.* de Priuilegiis *in Sexto §. In eos autem.* Religiones autem talibus priuilegiis gaudere ibidem P. Sancius oſtendit.

Affirmatiua ſententia Et illius fundamentū. — *Negatiua & fundamentum item.*

Pro Mendicantibus vrgetur ex Cap 1. de Priuilegiis in 6.

51 Et vt Mendicantes gaudeant, ſecluſo nouo aliquo alio priuilegio, vel cui poſſit aliquid circa valorem opponi, expendi poteſt id, quod eſt animaduerſione digniſſimum, licet à Doctoribus non videatur adnotatum; in citato inquam Capite ſic haberi: *In eos autem, quibus ne interdici, ſuſpendi vel excommunicari à quoquam valeant, à Sede eſt Apoſtolica indultum (ſicut ſunt Religioſi quamplures,) in quorum priuilegiis continetur &c.* Quæ deciſio negari nequit quominùs hodie verum habeat quoad omnia in illa contenta: vnde & modò ſunt Religioſi quamplures tale priuilegium habentes, quia nunc Religiones præcipuæ extant, quæ tempore deciſionis præfatæ vigebant. Eſt namque Decretalis illa Innocentij Quarti in Concilio Lugdunenſi, quod celebratum eſt *Ann.* 1245. Quis autem non videat Monachales omnes illius temporis, etiam nunc vigere, ſicut & Mendicantiũm plures? Aut quis inſuper dubitare, eas ipſas, aut earum aliquas eſſe, quibus tale ſit priuilegium ab Apoſtolicâ Sede conceſſum? Non eſt autem reuocatum illud, quia de tali reuocatione non conſtat. Licet enim Alexander Quartus priuilegia conceſſa ab Innocentio Quarto & aliis, præter Regias perſonas, quibus ab antiquo talis erat gratia conceſſa, reuocauerit ſpeciali Conſtitutione; Clemens tamen Quartus illo clementior, vt ait Ioannes Andreas in Gloſſa, reuocationem abrogauit, temperamento addito, de quo in *Cap. Ne aliqui*, eodem Titulo, per quod Ordinarij Cenſuris vti in Priuilegiatos nequeunt, quando priuilegium conceſſum non eſt perſonarum intuitu, ſed Religionum, aut locorum, vt in caſu noſtro. Ex quo videtur euidenter deduci Religioſos Mendicantes excommunicari non poſſe, aut Cenſuris aliis percelli, niſi quando id in ſpeciali ab Apoſtolicâ fuerit Sede diſpoſitum, vt in caſibus aliquibus apud Tridentinum. Et idem eſt de Religioſis aliis cum Mendicantibus communicationem priuilegiorum habentibus; quia, vt ex ampliſſima conceſſione ſingulis facta conſtat, omnia priuilegia participant Religionibus quibuſcumque conceſſa: ergo & illa, de quibus teſtatur Concilium, & Innocentius in Decretali illa, cùm non conſtet eſſe reuocata. Qui diſcurſus videtur euidens generaliter loquendo, quamuis in caſu, de quo loquimur, ſit ſpecialis difficultas *inferiùs* declaranda. Et ita, licet prædicto diſcurſu non adducto, non poſſe Religioſos grauari Cenſuris, niſi vbi ſpecialis pro eo conceſſio eſt, ſi priuilegium generale habeant, tenent Gambaro, Emmanuel Rodericus, & P. Henriquez, quos adducit & ſequitur P. Thomas Sancius *citato num. 23.* & in *Opere morali Lib. 6. Cap. 1. num. 14.* P. Gaſpar Hurtadus *Tractatu de Cenſuris Diſput. 12. n. 5.* P. Martinon *Tomo 5. Diſput. 58. num. 29.* P. Bauny *Tomo 2. Tract. 1. Quæſt. 12.* ad finem P. Pellizarius *Tract. 8. Cap. 4. numer. 117. §. Maius dubium*, iuncto Summario eiuſdem numeri. Tamburinus, Scortia, Peyrinus, Portel, Villalobos, Aloyſius Bariola, quos adducit, & ſequitur Diana *Parte 3. Tract. 2. Reſolut. 76. & Parte 5. Tract. 9. Reſolut. 43.* & alij complures.

Circa reuocationē obſeruatio. — *Negantem qui tueantur.*

Digitized by Google

Diſſenſus circa illam ex Decretali etiam Innoc. IV.

52 Difficultas autem, quam dixi circa prædictum diſcurſum exrare, in caſu de quo loquimur, occurrit, in Parochis inquam Epiſcopis in omni Parochiali iure ſubiectis, ex eo quòd in prædicta Decretali additur poſt prædicta, in fine illius; ſic enim dicitur: *Nec forſan ipſi Monachi ad Monaſteriorum ſuorum Prioratus Ordinarijs eiſdem ſubiectos (vt vel gerant eorum regimen, vel in eis tamquàm proprij locorum ipſorum Monachi reſideant) fuerint deſtinati: tunc enim etſi liberè poſſint ad eadem Monaſteria reuocari; ne tam illorum, quàm ipſorum Prioratuum Monachi reputentur (cùm non ſit inconueniens aliquem vtrobique locum habere Monachicum) vnum alteri ſubeſſe Monaſterio, vel ab ipſo noſcitur dependere: ratione tamen eorumdem Prioratuum dicti Ordinarij ſua iuriſdictione in ipſis etiam quoad præmiſſa, quamdiu morantur in illis, licitè vti poſſunt.* Hæc ibi. Iuxta quæ etiamſi ampliſſimum priuilegium ſit, quale ibidem exponitur, vt Ordinarij Cenſuris vti nequeant erga ſic Priuilegiaros: ſi tamen in loco ſint iuriſdictioni Epiſcopi ſubiecto, aut cum illius regimine, aut ſine illo, priuilegium ceſſat erga præmiſſa; *ſcilicet ſuſpenſionem, excommunicationem, & Interdictum*: vt exponit Gloſſa verba illa Textus: *Quoad præmiſſa*: quia de illis deciſio apertè procedit. Cùm ergo Parochi Religioſi Indorum in loco Epiſcopo ſubiecto ſint, priuilegium exemptionis prædictæ non videtur vllatenus ſuffragari. Non enim hîc locum habet exceptio, quam addit Gloſſa, poſt adducta verba ſic dicens: *& intelligas hoc quando Prioratus ille tale priuilegium non habet ex ſe, nec ex ſuperiori Monaſterio: quia ſi maius Monaſterium habet priuilegium quòd Monachi ſui, & Prioratuum ſibi ſubiectorum, à quoquam excommunicari non poſſint, &c. tunc ſecus.* Non inquam habet locum, quia Doctrinæ Indorum tale priuilegium non habent, neque Prioratus, aut Prælaturæ aliæ, quibus aliquæ illarum ſubiectæ eſſe ſolent quoad obſeruantiam Religioſam, illud item allegare poſſunt; quia Eccleſiæ etiam illæ, in quibus Prælatura exercetur, Parochiales ſunt, & ita Epiſcopo ſubiectæ, proptereaque non gaudent priuilegio. Licèt enim contingere poſſit vt Prælatus non ſit Parochus; quia tamen Eccleſia, & tali Prælato ſubditi ſub iuriſdictione Epiſcopi ſunt, & domorum etiam, quas ædificarunt, domini non ſint, vt expreſsè eſt Regiis Schedulis declaratum, de quibus Dom. Solorzanus *Cap.* 16. *num.* 87. Prioratus talis dici poteſt ſubiectus Ordinario, vt Decretalis loquitur; quia quoad maiorem ſui partem ſubiectus eſt. Quamuis ergo (vt hoc detur) Prælatum nequeat Cenſuris impetere; ſubditos tamen poterit, qui Parochiale munus adminiſtrant.

Gloſſæ doctrinam nō tollere illā.

Domos Parochorum non eſſe.

Quid pro praxi.

53 Quod cùm probabile eſſe negari non poſſit, difficilè ſperet quiſquam occurrente occaſione, id quod fauorabile eſt Religioſis, ab Epiſcopis eligendum. Sed habent illi vnde obuiare moleſtijs huiuſmodi poſſint, cedendo, ne cædantur mucrone Cenſuræ, & res ita diſponendo, vt numquam ad extrema hæc remedia veniatur. Debent autem Domini Epiſcopi conſiderare non ita opportunum eſſe remedium, quod poteſt ſine difficultate fruſtrari. Cùm enim Religioſi opinionem pro ſe habeant, iure, ratione, & magnorum ſcriptorum auctoritate firmatum; Cenſuris ſe non ligatos poſſunt, cùm interminatæ illæ fuerint, arbitrari; & ita quoad forum animæ nihil factum nimiâ illâ ſeueritate, & multoties etiam quoad externum, cùm ſine teſtibus ordinariè Parochi in populis degant, vbi quaſi ſunt abſoluti domini voluntatis. Alijs profectò pœnis vti poſſunt, vt ex Hoſtienſi aduertit Ioannes Andreas in citatum Cap. *Volentes*, quod eſt primum de Priuilegijs, vbi illa ipſius verba: *Dicit Hoſtienſis quòd etiam deponere illos poterunt, & in arctum Monaſterium detrudere, ſi cauſſa talis fuerit*, &c. Et quidem Monaſterium quantumuis amplum ſatis erit arctum ijs, qui vitæ Doctrinariorum aſſuefacti, obſeruantiam domeſticam ægerrimè poſſunt tolerare. De quo Prælati teſtantur, vt videri poteſt apud D. Solorzanum *Cap.* 16. *n.* 38. Vide etiam *infrà*, *Titulo* 20. *n.* 60. *& Titulo* 12. *n.* 233.

Pœna alia præter Cēſuras.

Ioan. Andreas.

CAPVT VIII.

Qualiter Religioſi Indorum Parochi Religionis vinculis teneantur.

54 SVnt illa plura, quoad vota ſcilicet, & alia, quæ iuxta Regulam, aut Prælatorum præcepta poſſunt eorum conſcientias onerare, pro quibus

Aſſertio 1. circa votum Caſtitatis, reſeruationem vim habere.

Dico primò. Votum Caſtitatis ita obligat Parochum Religioſum vt ſi quid reſeruatum, quod ad illud ſpectet, ſit, non poſſit ab eo ſine licentia Prælati Regularis abſolui. Id conſtat. Quia Parochus talis abſolutè manet ſubiectus Religionis Prælatis in omnibus, quæ ad mores pertinent, cùm circa ea tantùm, quæ Parochialis officij ſunt, Ordinario debeant ſubiacere: ergo in ijs, quæ ad votum caſtitatis ſpectant omnimodam retinet ſubiectionem. Sicut de aliis Religionis obſeruantijs Auctores dicunt, quæ cum officij adminiſtratione non pugnant: vt videri poteſt apud P. Pellizarium *Tractat.* 8. *Cap.* 4. *num.* 115. & alios pro *Tertiâ Aſſertione* citandos. Et quidem nulla eſt ratio laxamenti circa hoc, quando conſtringi poſſunt habenæ, debent, vt maioribus periculis maior cautio adhibeatur. Quia verò contingere poteſt vt Parochus aliquis nullius Monaſterij Prælato ſubiectus ſit, ſed tantùm Prouinciali: circa hoc à Prouincialibus prouidendum, & obſeruandum quod Religionum ſtatuta præſcribent. Si autem nihil præſcriptum inueniatur, videndum quid in more ſit. Quòd ſi nec de more conſtiterit, communes regulæ reſeruationis ſeruandæ, quæ apud Doctores occurrent. Vt ſi Prælato reſeruatum peccatum ſit, abſoluatur cum onere comparendi, vel gerat ſe vti non habens copiam Confeſſarij, iuxta diuerſas opiniones, ſi autem nihil eſt in Religione reſeruatum Prouinciali, ſed Prælato Monaſterij, qui nullius Monaſterij Prælato ſubiectus eſt, videtur poſſe cui voluerit confiteri, & hoc eſt veroſimile. Quamquàm inueroſimile non ſit reſeruationem tunc ad Prouincialem tranſire, quia immediatus Religioſi talis Prælatus eſt; nec credibile reſeruationis habenas tunc laxari, quando, vt dixi, cohibendæ potiùs ſunt. Sed quia reſeruatio odioſa eſt, erunt quibus hoc non placeat, nec facilè fuerit eos à ſuâ ſententiâ dimouere. Et idem eſt pro reſeruatis circa materias alias obſeruandum. Poſſunt autem confiteri non approbato

Quid ſi nulli inferiori Prælato ſubiectus ſit.

ab

Digitized by Google

Amotis ab officio durare approbationem, cum notãda doctrina.

ab Ordinario: quod ſecus eſſet, ſi Ordinario ipſi eſſent plenè ſubiecti, iuxta ea, quæ tradit P. Pellizarius *ſuprà num.* 135. Amotis tamen ab officio, durat approbatio, quia non pro Indis tantùm approbati ſunt, ſed etiam pro Hiſpanis, iuxta Regiam Schedulam, de quâ *numer.* 13. & ita ſine limitatione ſexuum & perſonarum. Videatur citatus *num.* 136. qui *num.* 133. ait quando Parochi ſunt amobiles ad nutum, non poſſe eligi in Confeſſarios ex delegatione aliorum Parochorum: cuius oppoſitum eſt probabile, & ita in Parochis Indicis ſine ſcrupulo aliquo circa Indos practicandum: immò & valde expediens eſt, cùm etiam Indi cuilibet approbato confiteri poſſint. Circa Hiſpanos autem non eſſet ita certum, ſi Parochi eſſent amobiles: ſed certè non ſunt, quia & Religioſos non eſſe tales conſtat ex dictis *num.* 18. *& ſeqq.*

Circa votum Paupertatis,

Aſſertio 2. difficultas ex eo quòd Parochi Indorum videantur dominium redditnum adquirere, ſicut & Epiſcopi.

55 DIco ſecundò. Circa votum paupertatis maior videtur eſſe difficultas ob receptam multorum ſententiam de Beneficiarijs dominium Eccleſiaſticorum redditnum adquirentibus: quod quidem & in Parochis Religioſis videtur admittendum, ſicut & in Epiſcopis Doctores admittunt, qui videri poſſunt apud P. Thomam Sancium *in Opere moral. Lib.* 6. *cap.* 6. *n.* 7. qui *num.* 13. ait eſſe probabile: ob ſimilem rationem, quia videlicet ita adiudicatur ſua portio Beneficiario Regulari ac Seculari cum liberâ transferendi in alium dominij facultate: vnde tam amplè poteſt diſponere inter viuos de ſui Beneficij redditibus, quàm poteſt Beneficiarius ſæcularis, vt docent Doctores quamplures, quos adducit & ſequitur P. Sancius *ſuprà n.* 14. & Dom. Solorzanus *Lib.* 3. *Cap.* 16. *num.* 85. Nihilominùs vti certiſſimum tenendum Beneficiarium Religioſum voto paupertatis adſtringi, neque redditnum Eccleſiaſticorum, aut bonorum aliorum, quæ adquirit, proprietatem comparare. Sic P. Suarez *Tomo* 4. *de Religione, Tractat.* 8. *Cap.* 19. *num.* 7. P. Sancius *ſuprà num* 36. Dom. Solorzanus dudum *citato Capite numer.* 84. Thomas à IESV de ſtatu Monachorum *Parte* 2. *Cap.* 7. *Dub.* 3. quod etiam de Religioſis Epiſcopis tenet Dom. Villaroël *Parte* 1. *quæſt.* 3. *art.* 4. *numer.* 67. *& ſeqq. & Parte* 2. *Quæſt.* 14. *art.* 4. *num.* 74. & alij apud ipſos. Ratio eſt clara; quia Parochus talis manet verus Religioſus: neque paupertatis votum, quoad id, quod eſſentialiter importat, quomodocumque explicetur, incompatibile eſt cum munere Parochiali: cumque aliàs circa hoc nulla extet diſpenſatio, nullum eſt fundamentum vt oppoſitum quidquam aſſeramus.

Contrarium ſtatuitur vt certum

De ijs, qui in Societate nondum profeſſi aut formati, dubium ſpeciale.

56 Eſt autem ſpecialis difficultas in Religioſis Societatis, qui vota poſt biennium tantùm emiſerunt, & dominij capaces ſunt: illi enim, ſi in Indiis Parochiale munus adminiſtrent, videntur fructuum Beneficij adquirere proprietatem, & ita non ſolùm inter viuos, ſed etiam poſt mortem poſſe diſponere, iuxta formam in Conſtitutionibus aſſignatam. Sed certè & in illis etiam reſolutio prædicta locum habet: ſic enim Societas Beneficia prædicta admittit, vt in nullo lædatur votum paupertatis, & ſub eâ conditione, vt ex emolumentis nihil ſibi Religioſi adquirant, ſicut inuiolabili eſt praxi ſemper obſeruatum. Licèt ergo ſtare poſſit, quod docet Cardinalis Lugo *Diſput.* 3. *de Iuſtitiâ, num.* 90. iuxta mentem R. P. Mutij Vitelleſchi Societatis noſtræ Præpoſiti Generalis, eum, qui biennij tantùm emiſit vota, poſſe ſibi adquirere dominium notabilis alicuius quantitatis, quæ aut hæreditate aut donatione proueniat; cùm tamen in ordinarijs adquiſitionibus domui aut Collegio adquirat. In caſu tamen noſtro, ſi emolumenta Beneficij in magno pretio ſint, non ſunt illâ regulâ comprehenſa, quia ſub conditione dicta adquiruntur: ſi autem non magni valoris, ſtare illa poteſt: quamuis Prælati debeant illis abundantiùs prouidere. Vnde nec diſtributio illorum eiſdem permittitur pro ſuo arbitrio facienda: idque omnes ita ſibi perſuaſum habent, vt neque in ordine ad proprias neceſſitates, ſi quando occurrant, inſciis Superioribus, quidquam audeant attrectare.

Idem di illu affirmandum.

Conceſſio Iuris prò diſtributione quomodo non obſtet.

57 Neque obiici poteſt facultatem amplè diſtribuendi à Iure haberi, cui nequit ex inferiorum diſpoſitione quidpiam contrarium ſtabiliri. Nam Ius quidem, vel Eccleſia, vt cum aliis Doctoribus loquitur P. Sancius *num.* 14. *citato.* concedit plenam redditnum adminiſtrationem: ſed cùm priuilegium ſit, illi poteſt renuntiari, eò quòd Religio noxium ſibi futurum eſſe præuideat, ob ſpecialem circa paupertatem perfectionem, aut morem ſuo inſtituto conuenientem, in eadem obſeruatum. Sicut priuilegiis quibuſdam iuxta ea, quæ ad officium S. Inquiſitionis ſpectant, renuntiauit, vt conſtat ex *Decreto* 21. *Congreg.* 5. & in materiâ paupertatis loquendo, Concilium Tridentinum *Seſſione* 25. *Cap.* 3. *de Regularibus. Concedit omnibus Monaſterijs & domibus tam virorum, quàm mulierum & Mendicantium, exceptis domibus Fratrum S. Franciſci, Capucinorum, & eorum, qui Minorum de obſeruantia vocantur, etiam quibus, aut ex Conſtitutionibus ſuis erat prohibitum, aut ex priuilegio Apoſtolico non erat conceſſũ, vt deinceps bona immobilia eis poſſidere liceat.* Cui tamen Conceſſioni Societas noſtra quoad Domos Profeſſas renuntiauit. Non eſt ergo mirum ſi amplæ illi facultati diſtribuendi bona ex Beneficio obuenientia renuntiauerit. Præterquàm quòd cùm Beneficia dicta ita à Pontifice data ſint, cuius mentem Regiæ Schedulæ declararunt, vt ea quæ ad mores ſpectant curæ Prælatorum Regularium referuentur: & ad mores maximè ſpectet, præſertim in Indiis, ne Religioſi liberam habeant bonorum adminiſtrationem, eo ipſo ea, quę ad hoc ſpectant, ad eoſdem ſpectat moderari.

Conc. Trid.

Religioſi aliorũ Ordinũ quid liceat circa illam.

58 Et ex prædicto diſcurſu conſtat quid de Religioſis aliorum Ordinum circa poteſtatem diſtribuendi bona Beneficij ſit dicendum. Poſſunt enim Prælati diſtributionem huiuſmodi moderari, & applicare fructuum partem atque emolumentorum piis operibus, inter quæ Monaſteriorum neceſſitates meritò debent computari: habito tamen ante alia & præ aliis reſpectu ad neceſſitatem Parochialis Eccleſiæ, & pauperum Paræcianorum iuxta dicta *num.* 15. & tenendam omninò ſententiam Thomæ à IESV *ſuprà*, §. *Ex quibus*, quæ pro Indicis Parochis ſpecialiter militant, quia manent abſolutè ſub obedientiâ Prælatorum, vnde ab illis tantùm corrigi poſſunt in iis, quæ

Digitized by Google

quæ ad mores ſpectant, iuxta dicta *Cap. præcedent.* Quòd ſi applicatio talis non fiat, aut portione aliquâ pro opere pio aſſignatâ, reliqua Parocho relinquantur, illa ſanè poterit pro ſuo arbitrio in opera pia diſpenſare. Poterit etiam reſeruare ſibi aliqua, ſi præuideat neceſſaria ſibi futura poſt Parochiam dimiſſam, eò quòd Religio non plenè prouideat ad Religioſorum neceſſitates ſubleuandas. Ad Monaſterium autem reuerſus tenebitur ea manifeſtare Prælato, & iuxta illius licentiam vſum temperare. Circa quod, niſi Religio ſit penitus relexata, non poteſt non aliquid diſpoſitum inueniri: Parochis enim diſtribuendi, & ſibi retinendi facultatem tribui ad liberum vſum extra monaſterium, & intra illud, non ſine graui ſtare paupertatis iniuriâ poteſt; niſi quantitas valde moderata ſit, quam cùm Religioſus ſuo labore collegerit, non eſt penitus inordinatum, vt eâ ad monaſterium regreſſus perfruatur: quamuis eo ipſo quòd regrediatur, aut ad aliud vadat, ibi habitaturus monaſterij fiant, vt benè explicat P. Suarius *Tomo 4. de Religione, Tractat. 8. Lib. 3. Cap. 19. num. 11.* cuius illa ſunt verba: *Exiſtimo autem eo ipſo quòd perſona redit ad Monaſterium cum talibus bonis, incorporari bona illa bonis Monaſterij: quia in primis talis Religioſus iam non poteſt habere liberam adminiſtrationem talium bonorum, quia hoc repugnat Religioſa vita, cùm iam illa perſona ſit omnino actu ſubiecta Prælato Religionis: ad illum ergo iam ſpectat talium bonorum adminiſtratio. Vnde eo ipſo quòd Religioſus ſecum defert talia bona ad Monaſterium, quantùm eſt ex ſe illa applicat, & Prælatus illa permittendo, conſequenter acceptat: & ideò ex tunc incipit dominium talium bonorum eſſe apud Monaſterium.* Sic ille.

Quæ ſecum afferunt, Monaſterij fieri.

P. Suarez.

59 Sed quid ſi Prælatus neſciat, quia Religioſus occultat, & neque iſte vult ea Monaſterio applicari? In primis contra paupertatis votum peccare, ex eodem Patre conſtat. Deinde, ſufficit tacita Prælati voluntas: quia ſicut illa ſufficit, iuxta communem Doctorum ſententiam, vt Religioſus alienare aliquid, aut conſumere poſſit: ita etiam, (& multò id potiùs) vt poſſit Monaſterij bonis incorporari. Neque obſtat Religioſum applicationi reluctari, quia circa hoc non eſt dominus ſuæ voluntatis, & talis applicatio beneficio iuris communis habetur: vt ſi exiſtens in Monaſterio aliquid adquirat, quod tamen applicari Monaſterio nolit, ſed ſuo vſui reſeruare. Erit autem idem ſi pecunias, aut alia ſecum non ferat in Monaſterium, ſed apud ſæcularem deponat: quia cum perſonâ aduenium iura. Niſi fortè ante dimiſſam Parochiam, ſciens eam breui dimittendam, ſtatuerit bona talia diſpoſitioni Prouincialis reſeruare: tunc enim, etſi ea in Monaſterium apportet, Monaſterij non erunt, ſed eius, cui Prouincialis voluerit applicare. Id inſuper obſeruando ingentem pecuniæ quantitatem, neque cum Prælati licentiâ poſſe Religioſum retinere; quia licet non ſit contra formalem rationem paupertatis, quæ ſolùm in Profeſſis proprietatem excludit; eſt tamen contra ſtatum; quia adeò pecunioſus & potens ad ſua commoda pecuniâ promptâ vti, ſi ſæcularis eſſet, minimè pauper haberetur: ergo multò minùs Religioſus in ſtatu pauperis viuens. Vnde Concilium Tridentinum *Seſſione 25. Cap. 2. de Regularibus*, ſic ſtatuit:

Cùm Prælatus ignorat, & Religioſus non applicat, quid dicendum.

Nemini igitur Regularium, tam virorum, quàm mulierum, liceat bona immobilia vel mobilia, cuiuſcumque qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquiſita, tamquàm propria, aut etiam nomine Conuentus, poſſidere vel retinere, ſed ſtatim ea Superiori tradantur, Conuentuique incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona ſtabilia alicui Regulari concedere, etiam ad vſumfructum, vel vſum, adminiſtrationem, aut Commendam. Adminiſtratio autem bonorum Monaſteriorum, ſeu Conuentuum, ad ſolos Officiales eorumdem ad nutum Superiorum amouibiles pertineat. Mobilium verò vſum ita Superiores permittant, vt eorum ſupellex ſtatui paupertatis, quam profeſſi ſunt, conueniat: nihilque ſuperflui in ea ſit, nihil etiam, quod neceſſarium, eis denegetur. Quòd ſi quis aliter, &c. Hæc ſi Religioſi conſiderent; quod à nobis dictum eſt, quàm ſit rationi & veritati conforme, non poterunt non indubij penitus iudicare. Pro quo & addo Declarationem Cardinalium apud Dom. Barboſam, & alios, ſic habentem: *Per talem licentiam Regulares ipſa immobilia, vel mobilia ſuperflua poſſidentes, à culpa vel à pœna non excuſantur. Nec credendum eſt Superioribus aſſerentibus ſe poſſe concedere licentiam poſſidendi mobilia aut immobilia ſuperflua.* Sic illi.

Concilij Trid. quid circa paupertatis vſum ſtatuit.

Declaratio Cardinaliũ pro eodem.

60 Dixi bona poſſe à Religioſo Parocho vel Monaſterio, vel Prouinciali, vt ea iuxta id, quod magis expedire viderit, applicet, condonari, quando diſtributio illi permiſſa eſt. Quod intelligendum de bonis, quæ illi non intuitu Eccleſiæ data ſunt, aut ab ipſa ex eodem intuitu adquiſita: ſi præſertim iam ſint in ornamenta, & alia vtenſilia conuerſa. Pro quo videndus Dom. Solorzanus *citato 16. num.* 87. & in Politica *fol. 646.* Idem erit, ſi ipſi ex adquiſitis propriâ induſtriâ, aut ex ſalariis, quidquam pro ſeruitio Eccleſiæ fecerint: in quo Clericorum Secularium alia ratio eſt, iuxta ea, quæ habet P. Suarez *citat. Lib. 3. Cap. 16. num. 26.* Niſi aliter apud ſe ſtatuant, nolentes vt talia Eccleſiæ ſint, ſi contingat eam ad Sæculares Clericos deuenire, aut ſi ipſi Parochialem curam dimiſerint. Quę quidem voluntas quantùm ad forum conſcientiæ ſufficiat: in foro autem externo non ſuffecturam credo; quia cum ſeruitio Eccleſiæ applicatum ſit, ex illius intuitu factum, præſumptionis erit non leuis: circa quod pro re nata talium arbitri iudicabunt. Vnde non eſt generaliter admittendum quod affirmat P. Sancius in *Opere moral. Lib. 7. Cap. 32. num. 76.* & ex eo Cardinalis Lugo *Diſput. 3. citat. num. 234.* & P. Pellizarius *Tract. 8. Cap. 4. num. 128.* Religioſum ſcilicet Parochum Eccleſiæ adquirere, quando Beneficium eſt ſæculare. Niſi dicamus eam doctrinam, quæ etiam eſt P. Suarij *citato Cap. 19. numer. 28.* rectè ſtare, quando Beneficium non ſolùm ex inſtitutione ſuâ, ſed etiam ex vſu ſæculare eſt; quia videlicet non ſemper ſolet per Regulares adminiſtrari, & Regularis, qui nunc adminiſtrat, pleno eſt iure Ordinario ſubiectus: quod non ita accidit in Parochiis Indorum: licet enim ex inſtitutione ſua ſæculares ſint, & Sæcularibus deſtinatæ, ſolùmque ratione neceſſitatis Regularibus ad tempus attributæ: illi tamen Ordinariis non pleno iure ſubduntur; in quo Beneficia iſta à communi talium conditione deficiunt, ſic diſponentibus Pontificibus, qui ad hoc habent abſolutiſſimam poteſtatem.

Quæ bona Religioſus ſecum afferre non poſſit, nec donare.

Non ſemper Eccleſiæ adquirere.

61 Qui-

Peccant grauiter profanè expendentem, etiam cum Licentiâ. Et accipientes ad reſtitutionem teneri.

61 Quibus addendum (vt quæ ad hanc materiam ſpectant, terminemus) Religioſum, qui ea, quæ ex Parochiali Beneficio adquirit, in vſus profanos, aut inhoneſtos expendit, mortaliter peccare, neque ad hoc poſſe licentiam amplam Prælatorum, aut prætenſum ius ratione Beneficij ſuffragari, vt communiter tradunt Doctores, & videri poſſunt P. Suarez *ſuprà num.* 20. P. Sancius *Lib.* 6. *Cap.* 6. *num.* 14. *& Lib.* 7. *Cap.* 19. *numer.* 31. P. Pellizarius. *numer.* 130. & alij, quos adduximus *Titulo* 3. *numer.* 39. Ex quo ſequi videtur clarè, accipientem ſic datateneri ad reſtitutionem: quod etiam communi eſt Doctorum aſſenſu firmatum. Videantur dicta *Titulo* 1. *num.* 146. *& Titulo* 3. *num.* 38. *& ſeqq.* & Thomas à IESV *ſuprà Parte* 3. *Cap.* 2. De ludo autem communis eſt Religioſis omnibus difficultas: & licere aliquid illi exponere ad honeſtam recreationem, ſententia eſt ſatis recepta Doctorum: pro quo videri poteſt P. Molina *Diſputat.* 520. paullò poſt principium. Et P. Sancius *Cap.* 19. *citato* 10. *numer.* 79. Vbi plures congerit ſic docentes. Addit autem poſſe ludo exponere ad rationem quatuor vel quinque aureorum pro centum ſibi quotannis ad ſuſtentationem conceſſis. In Indiis autem conſtat maiorem licere quantitatem Pro quo & facit, quòd cùm in Concilio Limenſi Tertio *Act.* 3. *Cap.* 17. lata eſſet excommunicatio aduersùs Clericos aleis vel chartis pictis ludentes, aut quolibet alio ludo prohibito, ſi quod exponunt, valorem duorum aureorum excederet: à ſacra Cardinalium Congregatione auctoritate Sixti V. id temperatum eſt, vt pœnam excommunicationis non incurrant, niſi ſummam luſerint quinquaginta aureos excedentem, vt conſtat ex *Præfatione Concilij ipſius* §. 1. Prudenter enim Patres illi iudicarunt quinquaginta aureos in Indiis non eſſe notabilem quantitatem, idque pro ſingulis vicibus. Vt ex hoc intelligamus quatuor aut quinque aureos à Doctoribus prædictis pro Religioſis aſſignatos, in Indiis ad maiorem debere ſummam excreſcere, vt graue in eo peccatum inueniatur. Vnde aliquali ſeruatâ proportione (neque enim omnimoda ſeruari debet; cùm adeò diſpar ſit ſecularium Clericorum, ac Religioſorum conditio) neque viginti ſufficient, & plus aliquid requiretur, quod difficile fuerit prætaxare. Et hæc circa Paupertatem, vt iam

Quid ludo exponere poſſint.

Ex Concilio Lim. 3. deſumpta quantitas.

Circa Votum Obedientiæ.

Deberi illam in omnibus, quæ ad mores ſpectant.

62 DIco tertiò. Religioſus Parochus in Indiis debet in omnibus, quæ ad mores ſpectant, & cum officij adminiſtratione non pugnant, Prælatis Religionis obedire, iuxta qualitatem præcepti. Conſtat ex dictis. Quia cùm in Ordine ad præfata exemptus non ſit, debet obedientiam more aliorum. Et eſt hoc communi doctrinæ Scriptorum conſonum, aſſerentium, quòd ſi Eccleſia, cui Religioſus præeſt, ſit ſubiecta Prælatis Religionis quoad ſpiritualia, & ipſe quoad illa ſubiectus manet, pro quo & alias ſubiectionis qualitates adducunt, videndas apud P. Sancium *Cap.* 6. *citato num.* 36. Sed adducta eſt ſatis, vbi de ſpirituali obligatione tractamus:

Doctrina P. Suarij.

Eccleſiam autem Parochialem, durante Religioſi adminiſtratione, ſubiectam eſſe in ſpiritualibus Prælatis Religionis, ex eo oſtenditur, quia Religioſus ipſe illius Paſtor in ordine ad illa ſubiectus eſt: vnde ſi malè adminiſtret, puniri poteſt, & ideò Eccleſia quoad omnia viſitatur. Vnde & dici etiam poteſt quoad temporalia ſubiecta, quia de ijs etiam curare Prælatus debet. Neque accommodari hic poteſt, quod docet P. Suarius *citato Cap.* 29. *num.* 19. videlicet quòd ſi Eccleſia ſit omnino exempta à iuriſdictione Epiſcopi, & ſubiecta Prælato Regulari, eâ ratione tenebitur Beneficiarius. Monachus illi parere, ſicut teneretur parere Epiſcopo, ſi ordinario iure illi eſſet ſubiecta. Si autem Eccleſia ſit ſubiecta Epiſcopo, non tenetur Monachus parere Prælato in rebus, quæ pertinent ad regimen Eccleſiæ, quia tenetur parere Epiſcopo: ergo non proprio Prælato, non enim poteſt in eadem materiâ duos habere Superiores inter ſe non ſubordinatos. Tum etiam quia illa non eſt materia obedientiæ, eò quòd non pertineat ad Regulam, neque ad obſeruantiam Religioſam. Vnde licet Prælatus Religionis ſimul ſit quaſi Epiſcopus illius Eccleſiæ, non tenebitur Monachus Beneficiarius illi parere in tali materiâ ex vi obedientiæ, ſed ſolùm ratione iuriſdictionis, ſicut tenetur parere Epiſcopo. Hæc autem exemptio manifeſtior eſt, quando Eccleſia non eſt Religioni pleno iure ſubiecta, vt probat idem Pater *num.* 24. & multò magis quando eſt Beneficium ſeculare.

quæ videtur obſtare.

Applicari non poteſt in præſenti.

63 Non inquam applicari poteſt, quia, vt diximus *num.* 60. Beneficia Indica, de quibus loquimur, ſpecialem habent conditionem, neque debent iuxta regulas aliorum Beneficiorum penitus gubernari: neque enim omnino Regularia, neque omnino Sæcularia ſunt, licet ſine addito diminuenti ſecularia dici poſſint, ob rationem adductam *citato loco.* Pro quo & videri poteſt P. Sancius *citato Cap.* 29. *Lib.* 7. *num.* 24. vbi bene oſtendit non præſcribi ſtatum Beneficij etiam poſt quadragenariam poſſeſſionem, quando ſeculare concluditur Regulari ex diſpenſatione. Vnde & Epiſcoporũ iuriſdictioni ſubſunt quoad omnia Parochialia, & Religioſis Prælatis etiam quoad illa: non vt contrarium quidquam ſtatuere poſſint, ſed vt ea impleri faciant, & ſuâ etiam prouidentiâ addant, quæ viderint expedire, ſupplendo multoties eorum negligentiam aut impotentiam: & etiam circa mores & vitam, in quo pleniſſimâ gaudent poteſtate. Non eſſe autem inconueniens, vt circa eamdem materiam duo ſint Superiores, quando Superioritas dicto modo exercetur; ex ſe apparet veroſimile: & jam ibi aliquis modus ſubordinationis interuenit. Vnde & Parochum delinquentem circa Parochialia poſſe à ſuo Prælato puniri, tradit cum alijs P. Pellizarius *Tract.* 8. *Cap.* 4. *num.* 117. licet ſint qui ſecus ſentiant. Et quidquid de Beneficiis aliis ſit, in iis, de quibus loquimur, aliter ſe res habet, quia ſic recepta ſunt. An autem Prælato iubenti circa Parochialia debeatur obedientia ex vi voti, vel extraordinariæ iuriſdictionis, non multùm ad negotium obedientiæ intereſt, cùm conſtet ſimiliter obediendum. Et licet ſententia P. Suarij, quam & tenet P. Palaus *Parte* 3. *Tract.* 16. *Diſputat.* 4. *Puncto* 25. *num.* 2. veroſimile fundamentum

Duo Superiores quomodo circa eamdem materiam eſſe poſſint.

Prælato iubenti circa Parochialia an ex Voto obedientiæ ſit illa præſtanda.

 tum

Digitized by Google

tum habeat; contrarium tamen non inuetoſimiliter probari poteſt ex dictis *Cap. 6.* Si enim Religioſi compelli poſſint ad acceptandam Parochialem curam, quod & P. Suarez ibidem adductus videtur docuiſſe: conſequenter etiam compelli poterunt ad rectum adminiſtrationis modum: quia ſicut ipſum Parochiale officium materia obedientiæ eſt, ita & illa quæ ad ipſum ſpectant, ſaluâ Ordinariorum poteſtate.

Circa obligationem habendi Socium ex eadem Religione.

Quid iure ſtatutum, cum diſtinctione Monachorum, & Canonicorum.

64 Affirmant communiter Doctores, ſi Beneficium Regulare ſit, & Religioni pleno iure ſubiectum, ex Cap. *Monachi*, de Statu Monachorum & Cap. *Quod Dei timorem*, eodem tit. Si verò pleno iure ſubiectum non ſit, & ita neque Parochus amobilis ad nutum, ſecus cenſent: quia in priori caſu, cùm ſub obedientiâ Religionis maneat, ad eius Prælatos ſpectat decenti eorum modo viuendi prouidere: quod cùm ceſſet in poſteriori, quandoquidem Religioſus ab obedientia Prælatorum eximitur, non eſt obligatio Socium tribuendi. Sic P. Suarez *Cap. 19. citato num 28.* P. Palaus *Diſput. 4. Puncto 25. num. 4.* P. Pellizarius *num. 121.* & plures alij, quos adducit P. Sancius *Cap. 6. citato num. 39.* vbi alios modos dicendi commemorat: eum autem ſequitur, vt Religioſi Monachorum nomine deſignati, ſemper ad id teneantur, non verò Canonici Regulares, niſi quando commodè poſſunt: ſic enim videtur decerni in prædicto Cap. *Quod Dei timorem*. Et quidem ita eſt; pro quo ſola litteræ inſpectio ſufficit, ex qua ſunt illa: *Licet autem in Lateranenſi Concilio de Monachis caueatur, ne ſinguli per villas & oppida per quaſcumque Parochiales ponantur Eccleſias &c. Quia tamen iſtud de Canonicis Regularibus ſpecialiter non cauetur, qui etſi à ſanctorum Monachorum conſortio non putentur ſeiuncti, regulæ tamen inſeruiunt laxiori &c.* Iuxtà quæ manifeſtum eſt inter Monachos & Canonicos quoad habendum Socium diuerſam Iuris diſpoſitionem induci. Cùm ergo in fine ſic additur: *Sic annuendum duximus poſtulatis, vt exercens Plebani officium, ſi commodè fieri poterit, vnum Canonicum Regularem tecum habeas ad cautelam: cuius in iis, quæ Dei ſunt, & Regularis obſeruantiæ, tam conſortio, quàm ſolatio perfruaris.* Cùm inquam ſic additur, obligatio nulla, quæ peccatum importet, imponitur; aliàs inter Monachos & Canonicos nullum eſſet diſcrimen, quod tamen Innocentius Tertius ibidem intendit ſtabilire.

Ca. Quod Dei timorem, de Statu Monachorum.

Commoda illius expoſitio.

Quod ergo dicitur, *Si commodè fieri poterit*, ad voluntatem eſt Beneficiarij penitus referendum: commodè enim non poteſt fieri, quod eſt renuenti inclinatione faciendum, quamuis aliàs ratione ſuſtentationis & habitationis, commoditas non deficiat. Idem igitur videtur, acſi diceret, *Si moleſtum non ſit futurum.* Et tunc conſilium eſt, & prætereà licentia conceditur vt ſocius pariter morari cum illo poſſit, quia de hoc forſitan aliquis dubitaret, an ſcilicet Canonicus non Parochus extra Conuentum cum Parocho habitare valeret, cùm ſit extra Clauſtra conſtitutus.

In Parochis Indicis obligationem ceſſare.

65 Quidquid de hoc ſit, in Parochis Indorum ſpecialis ratio ad non habendum Socium occurrit, quia propter neceſſitatem illis eſt Parochialis cura commiſſa, vt Pius V. in ſuâ exprimit conceſſione; ratione cuius neceſſitatis etiam ſic fieri cœptum, vt Religioſi ſine ſocio in Parochijs degerent; quod & poſteà, eorum etiam aucto numero, ſic etiam factum & continuatum, vt iam obligatio dicta videatur conſuetudine penitus abrogata. Pro quo & aliorum poteſt ſententia ſuccurrere apud P. Sancium *ſuprà*, dicentium Monachos & Canonicos Regulares teneri ad habendum Socium, *Si commodè fieri poterit*: & in hoc eſſe illos prorſus æquales, diſcrimenque à Pontifice conſtitutum in eo conſiſtere, vt Canonicis faciliùs quàm Monachis Parochialia Beneficia conferantur. Quod equidem probabile eſt: vbi & alium explicandi modum poſſumus adhibere; Pontificem ſcilicet ita Parochialem curam illi, de quo erat ſermo, concedere, vt licet Regulæ inſeruiret laxiori, Monachorum tamen ſubire obligationem deberet, habendi ſcilicet Socium ad cautelam. Diſcrimen ergo à Pôtifice traditum inter Monachos & Canonicos, in eo eſt, in quo à Pontifice conſtituitur, quòd ſcilicet iſti Regulæ inſeruiant laxiori: ſed eo non obſtante ſtatuit, cùm de Parochiali curâ agitur, quoad obligationem habendi ſocium penitus exæquandos. Obligatio autem vtrorumque eſt. *Si commodè fieri poterit.* Id quod reſpectu Indicorum Parochorum frequenter accidit quia vel idonei deficiunt: vel, ſi extent, vitam illam ſolitariam renuunt: vel à Prælatis non conceduntur, quia eos pro Conuentibus neceſſarios iudicant: vel quia vt in plurimùm moleſti ſunt, nec ſolatio, vt Pontifex ait, ſed tormento: vnde non videtur circa hoc ſcrupulus inijciendus. Ex quo & commodum illud ſequitur, vt non multiplicetur eorum numerus, qui vitæ laxiori aſſueti, difficilè ad domeſticam obſeruantiam reuocantur. Pro quo P. Suarius *Cap. 19. citato num. 21.* optimè philoſophatus, dum ait quòd *reuocatio Religioſi ad Clauſtrum eſt valde vtilis, & viciſſitudo illa eſt moraliter neceſſaria ad bonum Religionis; ne per longam conſuetudinem exiſtendi extra Clauſtrum amittat Religioſus conſuetudinem etiam obediendi, & alios Religioſos mores &c.*

Quorundam ſententia, & explicatio. Cap. citati.

Alius explicandi modus.

P. Suarez

Obligationem extare, ſi numerus Parœcianorũ ſit magnus. &c.

66 Illud tamen hoc loco addendum teneri Religioſum Parochum pro habendo ſocio ſolicitudinem adhibere, & Prælatum Religionis præbere illum, quando ob Parœcianorum numerum, aut oppidorum diſtantiam, vel aliâ ex cauſſa nequit commodè adminiſtrare. Et tunc quidem ad Ordinariorum prouidentiam ſpectat Parochiæ diuiſio, concurrente Patrono. Neque enim hic locum habet priuilegium, de quo P. Pellizarius *ſuprà num. 113. 5. Quæri poteſt*, Ordini Ieroſolymitano conceſſum, vt ob numeroſitatem nequeat Epiſcopus Parochias diſmembrare: quod participant aliæ Religiones: quia cùm Parochiæ Indicæ ſæculares ſint, & precariò à Religioſis habeantur, de illis diuerſa eſt ratio. Pro quo Cõcilium Limenſe Tertium *Act. 3. Cap. 11.* ſic loquitur: *& antiquiſſima Iura, & nouiſſima Concilij Tridentini Decreta* (Seſſione 21. Cap. 4. de Reformat.) *Epiſcopos magnoperè admonent, ne plures Parochianos Rectori alicui committi patiantur, quàm quibus*

Concilij Limen. 3. Decretum

circa numerum Parochianorum.

quibus poſſit ſufficere ad Eccleſiaſtica Sacramenta adminiſtranda, & diuinum cultum peragendum. Quod maturè expendentes Patres in hac ipſa vrbe iam pridem ad Synodum Prouincialem congregati: vt animas ſuas liberarent, ſuper ſpeculam Domini conſtituti, clarâ voce pronuntiarunt, teſtatique ſunt, indicare ſe non poſſe vni Rectori plures Parochianos Indos quàm quadringentos tutè committi: ſed neque ipſis adhuc quadringentis vnum ſufficere certò ſe affirmare: interim tamen id tolerandum eſſe. Poſt hæc, & alia ſic concluditur: *Itaque cenſemus in quocumque populo Indorum, qui contineat Parochianos trecentos, aut etiam ducentos, proprium Parochum debere conſtitui. Cùm autem pauciores fuerint quàm ducenti, curet, & efficiat Prælatus vt eò reducantur, vbi commodè regi poſſint.* Hæc iuxta duo Concilia; vt videant Parochi, in quorum populis Indi multiplicati ſunt ſupra numerum, quomodo debeant eiſdem aduocato ſocio ſubuenire.

Excuſationem eſſe inualidam ex eo quòd ſalarium non augeatur, ex illius ſuperabundantia oſtenditur.

67 Neque enim cauſſari poſſunt ſe ad id non teneri, dum ſalarium non augetur, ſcientibus Epiſcopis Paræcianorum exceſſum, neque ignorante Patrono, quibus eſt potiùs defectus, qui in adminiſtratione obuenerit, imputandus. Nam, vt in eodem Concilij loco habetur, emolumenta Parochorum maiora ſunt, quàm eorum ſingulis debeantur: ſic enim ibi: *Cùm præſertim Indorum tributa, quæ Doctrinæ potiſſimo titulo exiguntur, tanta ſint, vt longè plures Eccleſiaſticos Miniſtros non rarò alere poſſint.* Sic ibi. Quibus addendæ obuentiones pro Indorum numeroſitate multiplices. Deinde. Et, ſi ſalarium non augeatur, tenentur Parochi dum morbo impediuntur, Paræcianis de Miniſtro prouidere, quia id exigit Paſtoralis cura: ergo & in caſu, de quo loquimur. Et cum hoc onere videntur Beneficia iſta conferri, licet in collatione ipſâ illud non exprimatur. Quod quidem in Parochis Religioſis euidentiùs apparet, quia illis pro ſuſtentatione pauciora ſufficiunt, vnde & iubentur habere ſocium ad cautelam, conſortium, & ſolatium, iuxta dicta. Et ita ſupponitur obligatio ad eorum ſuſtentationem: ergo multò magis in partem ſolicitudinis, quando illa neceſſaria eſt. Vnde ſi requiſiti Prælati Socium tradere nequeant, aut nolint, cùm poſſint, debent Parochi ſæcularem Sacerdotem aduocare, etiamſi præceptum Prælatorum id vetantium extet: quia in eo & charitas, & iuſtitia aliud manifeſtiſſimè perſuadent. Quòd ſi etiam certam ſummam contribuere Prouinciali, aut Conuentui alicui, præcepto impoſito, compellantur, & eam in ſtipendium coadiutoris inſumant, ad illam, neque aliquam eius tenentur portionem in foro conſcientiæ: & affirmarè cum veritate, & etiam iuramento poſſunt, emolumenta fuiſſe talia, vt ad contributionem dictam minimè fuerint ſufficientia. Si eis fides adhibeatur, benè quidem res ſe habebunt: ſin minùs, patientia illis neceſſaria erit, quia reddere compellentur; ſed non ideò, vt credo, fame morientur. Pro quibus hæc ſit ſatis attexuiſſe.

TITVLVS XVIII.

DE PRÆBENDARIIS ECCLESIARVM CATHEDRALIVM INDICARVM.

EOrum ſupra Parochos nota excellentia eſt; ſed cùm de Miniſtris ſaluti Indorum quærendæ præpoſitis, & Epiſcoporum præcipuis adiutoribus tractatio noſtra procedat, illos eſt viſum præmiſiſſe. Cùm aliàs ob peculiarem Curam animarum, in quâ Parochi ad Epiſcopalis ſolicitudinis partem aduocantur, ſint qui tractationem de Parochis tractationi de Præbendariis præponendam arbitrentur; vt videri poteſt apud P. Bauny *Tomo* 1. aut etiam anteponant quatenus ex minùs perfectis ad perfectiora procedunt; eo quòd Beneficia Curam animarum habentia ſimplicibus perfectiora quoad ſubſtantiam videantur; immò & reuerà ſint: iuxta quæ de illis agit P. Azor *Tomo* 2. *Lib.* 3. qui de Parochis *Cap.* 12. Sed hoc parui momenti eſt: nec Domini Præbendarij multùm de ordine curabunt, dummodo illis hoc noſtro labore aliquantulùm ſeruiamus. Sit ergo pro ipſis

CAPVT I.

An prouiſionis titulum accipientes pro Cathedralium Indicarum Prębendis, ſi admittant, debeant ſtatim ad ſeruiendum, præſentatione exhibitâ, ſe conferre.

Prouiſionis Regiæ ſtylus, aſſignatione temporis.

1 QVando Reges noſtri aliquos ad Indicas ſolent præſentare Præbendas, in prouiſionis ſchedulis ſpatium etiam ſoliti ſunt ſatis competens temporis aſſignare, intra quod ſic prouiſi Regiâ præſentatione Prælato Eccleſiæ exhibita, debeant ſuum miniſterium auſpicari, non valituram aliter, vt in eadem exprimi conſueuit. Et cauſſa quidem longi ſpatij; duorum ſcilicet, aut trium annorum, ex diſtantia deſumitur, & nauigationum incertitudine. Contingit autem multoties aliquos prouiſionem dictam accipientes totum illud ſpatium expectare, cùm breuiori poſſint ad Eccleſiam ſibi aſſignatam accurrere, Regiæ beneficentiæ fructum accepturi. Circa quod meritò dubitari poteſt, an tutâ conſcientiâ fieri poſſit. Et pro parte affirmatiua ſtat prouiſionis ipſius tenor, cui ſe poteſt

Formulam prouiſionis proponit D. Villaroel. quæſt. 19 Art. 3. n. 18.

Digitized by Google

Pars affirmatiua probatur.

teſt quis, ſaluâ conſcientiâ, accommodare; eſt enim gratia, & talibus, ſicut & priuilegiis, vtimur cùm volumus, iuxta receptum axioma. Prætérquàm quòd cùm Regio Conſilio Indiarum conſtet prouiſos poſſe in ciuitate ipſa adeſſe, in quâ eſt Eccleſia, ad cuius ſeruitium promouentur, vel certè non longè ab illa, ſic ſtatuere poterant, vt ſi intra breuius ſpatium ſe præſentare non poſſint, longum aliud minimè patrocinari poſſet, clauſulâ illâ additâ, *vel ſi intra breuius poſſint, in quo mora eis nocebit*. Atqui tale quidquam non additur: ergo quia non eſt iuxta prouidentis mentem vt ſpatium illud, cùm fieri poterit, debeat ex obligatione conſcientiæ coarctari. Nihilominùs

Aſſertio 1. negans, deficiente cauſſa.

2 Dico primò. Si prouiſus de Præbenda ſine rationabili cauſſa præſentationem diu differat, non videtur tutâ conſcientiâ id facere poſſe. Probatur; quia cùm Præbenda inſtituta ſit pro ſeruitio Eccleſiæ, ad cuius auctoritatem, decentiam, & ſplendorem ſpectat, dum eo per longum ſpatium priuatur, damnum notabile patitur, cuius rationabilis cauſſa non eſt in eo, qui eidem occurrere potuit, & debuit, acceptâ præſentatione. Damnum autem notabile reputari ex diſpenſatione Iuris oſtenditur, circa tempus, quod Patronis ad præſentationem conceditur; laicis enim quadrimeſtre, Eccleſiaſticis ſemeſtre: quia vlteriùs prouiſionem differre non ſine notabili Eccleſiæ poteſt contingere detrimento. Et ideò negligentes in præſentando intra illud ſpatium, præſentationis pro illâ vice iure priuantur: quæ pœna grauis profectò eſt. Cap. *Qui diuerſitatem* 5. de Conceſſione Præbendæ. Et Cap. *Vnico*, de iure patronatus *in Sexto*. Ratio autem deciſionis redditur in Cap. *Ne defectu* 41. *de ſupplen. neglig. Prælator.* ne ſcilicet Beneficia diu vacent. Et Cap. *Nulla* 2. *de Conceſſ. Præb.* ibi: *Non diu maneant in ſuſpenſo*. Quid autem prouiſio prodeſt, ſi electus remoratur? Quod vrgetur ex obligatione, quam Præbendarij habent aſſiſtendi in Eccleſiâ, quæ ſub mortali eſt, ſi abſentia ſit diuturna, vt cum alijs docet P. Bauny *Tomo* 1. *Tractat.* 11. *Quæſt.* 6. 5. *Eſt autem*. Et 5. *Quæres*. *Et in Praxi Beneficiorum, Diſput.* 13. *Quæſt.* 47. *et Diſput.* 15. *Quæſt.* 24. per errorem, cùm eſſe debeat. 25. 5. *Quæ etſi*. Et probabilius, multis adductis, affirmat Diana *Parte* 2. *Tractat.* 12. *Reſolut.* 31. P. Palaus *Tomo* 2. *Tractat.* 7. *Diſputat.* 3. *Puncto* 2. Et omnino videndus Bonacina *Tomo* 1. *Diſput.* 2. *de officio diuino in Choro, &c. Quæſt.* 1. *Puncto* 2. *num.* 1. & P. Leſſius *in Reſolutionibus poſthumis.* verb. *Horæ Canonicæ, num.* 18. Pro quo & nonnullos adducit P. Thomas Sancius *Lib.* 2. *Conſiliorum, Cap.* 2. *Dub.* 112. *num.* 2. licèt ipſe *num.* 4. & 5. tantùm ſub veniali eſſe dicat, niſi contemptus adſit, aut propter abſentiam omittatur Officium diuinum publicum, vel aliàs notabiliter lædatur cultus diuini officij. Atqui prouiſus de Præbenda, quam admiſit, iam eſt moraliter Præbendarius, & titulo Præbendæ ab omnibus ſalutatur, eiuſque abſentia non ſine detrimento diuini cultûs accidit: ergo de illo eſt ſimiliter iudicandum. Neque obſtat Præbendæ fructus non percipere: quia obligatio reſidendi ex vi Beneficij habetur ad Eccleſiæ ſeruitium inſtituti: diſtributiones autem neque augent, neque minuunt obligationem, ſicut neque alia emolumenta: ſed dantur ad inuitandum Præbendarios vt animo promptiore concurrant, vt benè obſeruat P. Sancius *ſuprà, num.* 6.

Ex tempore Patronis deſignato vrgetur.

Cap. Nulla de conceſſ. Præbendæ.

Et ex obligatione aſſiſtendi in Eccleſiâ Præbendarijs communi.

Nō obſtare fructus non percipi.

Aſſertio 2. affirmans ſtante rationabili cauſſa.

3 Dico ſecundò. Si rationabilis cauſſa dilationis ſit, nullum erit in illâ peccatum. Probatur; quia rationabilis cauſſa dilationis, eſt rationabile impedimentum: atqui impedito non currit tempus, vt eſt regula multis Iuris vtriuſque deciſionibus comprobata, pro quibus videri poteſt Gloſſa in Cap. *His quibus* de Electione verb. *Currit*. Vt verò rationabilis debeat cauſſa reputari, inſpiciendum an ex affectu honeſto procedat, etiamſi temporale commodum concernat; vt quia tempus illud neceſſarium eſt ad recuperanda debita, vel de rebus ſuis diſponendum. Non verò ſi ex titulo augendi diuitias per contractus minùs decentes Clericalis ſtatum, aut ex ambitione, quia ſic viam munit Præbendæ alteri pinguiori. Erit autem honeſtiſſima, ſi Parochus Indorum ſit, & in ædificandâ Eccleſiâ verſetur, cuius fabrica eo abſcedente, aut nullo modo, aut lentè admodum cenſeatur proceſſura. Vel ſi pio alteri incumbat operi illius præſentia promouendo, & abſentia negligendo. Et generaliter ſi Deus habeatur præ oculis, cuius beneplacitum inquiratur, & non mundi vanitas dominetur.

Vnde talis reputāda.

Aſſertio 3. etiam illâ deficiente validā eſſe admiſſionē, immò & non culpabilem.

4 Dico tertiò. Si tempus in Regiâ prouiſione aſſignatum non ſit elapſum, etiamſi rationabilis cauſſa pro dilatione non fuerit, non peccabit grauiter qui præſentato titulo Præbendæ poſtulauerit collationem, neque etiam qui ſic præſentatum admiſerit ad Canonicam inſtitutionem & poſſeſſionem. Ratio eſt; quia quidquid de præterito peccato fuerit, ius ex præſentatione habitum non eſt amiſſum, quia Regia prouiſio abſolutè illum terminum ſtatuit, neque ob dilationem aliàs culpabilem inualidari gratiam à ſe factam declarat, aut veroſimili aliquâ ratione ſignificat. *Oportet autem beneficia Principum eſſe manſura*. Sicut Regula habet Iuris *in Sexto*: pro quo & facit ratio adducta *nu.* 1. & deſeruire poteſt multorum ſcriptorum ſententia aſſerentium Præbendarios ægrotantes lucrari diſtributiones quotidianas, etiamſi propriâ culpâ in morbum inciderint, vt videri poteſt apud P. Sancium *ſuprà, Dub.* 91. Trullench *Lib.* 1. *Cap.* 8. *Dub.* 8. *numer.* 5. & Zerolam *Parte* 1. *verb. Diſtributiones, numer.* 3. Culpa ergo priuilegio & gratiæ non obſtat, quando ita admiſcetur, vt ob illam non inueniatur aliud à Principe declaratum: vnde nec veniale in eo videtur eſſe peccatum.

Ægrotantes lucrari diſtributiones, etiamſi ex culpa.

Aſſertio 4. Idem ſtatuens elapſo termino.

5 Dico quartò. Si terminus elapſus ſit, neque rationabilis cauſſa ſubſtiterit dilationis, etiam prouiſus poterit tunc tutâ conſcientiâ ad Epiſcopum venire, inſtitutionem Canonicam petiturus. Id probo ex Cap. *Si tibi abſenti*, de Præbendis, &c. *in Sexto*, vbi ſic habetur: *Sed ſi Epiſcopus (notificatâ tibi Collatione) ad conſentiendum terminum competentem aſſignet: niſi conſenſeris, poterit eo elapſo Beneficium liberè, cui viderit expedire, conferre. Antequàm tamen ipſum contulerit, tuum poterit (non obſtante quòd elapſus ſit terminus) præſtare conſenſum: & ex tunc de ipſo non poterit aliter ordinari.* Sic Bonifacius VIII. Propter quam deciſionem tenent communiter Doctores nullum tempus in Iure præfixum eſſe, intra quod Beneficia acceptari debeant

Cap. Si tibi abſenti, de Præbendis in 6.

Digitized by Google

Nullum tempus in Iure deſignatum pro acceptatione.

ant, vt videri poteſt apud Dom. Solorzanum *Tomo* 2. *Lib.* 2. *Cap.* 13. *numer.* 21. Licèt autem Regiam præſentationem acceptauerit, cui terminus præfixus eſt, cùm renuntiare illi poſſit liberè ante Collationem, non eſt plenè Beneficium acceptatum. Præterquàm quòd Capitis præfati deciſio eò tendit, vt Collationi non ſit tempus in Iure præfixum, licèt præſentationi & prouiſioni ſit: ergo dummodo Ordinarius præſentatum velit inſtituere Canonicè, lapſus termini à Patrono deſignati non officit; quæ quidem deſignatio prouiſi diligentiam excitat, & obligationem ante oculos ponit, & non formam inuiolabilem proponit, etiamſi dicatur vt Præbenda vacet: vt verò hoc non debeat Regiæ voluntati contrarium exiſtimari, valida eſt coniectura ex iis, quæ diximus *num.* 2. circa damna, quæ ex dilatione in Beneficiorum prouiſione ſequuntur: id namque in caſu præſenti maximè verum comprobatur. Si enim poſt elapſum tempus præſentationi aſſignatum, ad nouam ſit deueniendum prouiſionem, aliud erit ſpatium ſimile percurrendum, quod iunctum præcedenti longiſſimam faciet vacationem. Nequit autem tale quid de Regiâ voluntate præſumi, ad maius ſemper bonum cauſſæ publicæ, & præſertim Indiarum, intentâ, cuius ſunt curæ ab Apoſtolicâ Sede quoad ſpiritualia commendatæ. Si etiam addamus non ſine graui ſcrupulo præſentationem ita poſſe prorogari, contra Iuris diſpoſitiones, præſertim circa Patronos laicos.

Tacitam renuntiationem per triennium inductam non benè caſui præſenti applicari.

6 Et licet communis ſententia ſit eum, qui per triennium collationem non acceptauit, cenſeri iuri ſibi competenti renuntiaſſe, & ita illo priuari: pro quo Dom. Solorzanus *ſuprà, num.* 21. *&* 22. quia eſt tacita renuntiatio, quæ in Iure expreſſæ æquiparatur. Cap. *Quàm periculoſum* 7. *quæſt.* 1. In caſu tamen noſtro aliter res habet, quia nequit tacita renuntiatio præſumi, vbi expreſſa eſt Beneficij aſſumendi voluntas, quamuis plus iuſtò illius executio prorogata. Neque Caput illud quidquam probat, in quo de tacita renuntiatione nihil habetur ſed quòd periculoſum ſit iuri & poteſtati in ſpiritualibus renuntiare, quandoquidem quod dimittitur, nequit reaſſumi, quod Eſau exemplo comprobatur, qui vendidit primogenita ſua. Atqui Eſau non tacitè, ſed expreſsè renuntiauit, vt conſtat ex *Geneſis* 25. & ex facto: vnde Caput illud deſumptum, quia ſcilicet Diuus Cornelius Pontifex volebat Pontificatui renuntiare, quod ne faciat, Diuus Cyprianus exhortatur. Vbi manifeſtum eſt non de tacita, ſed de expreſsâ renuntiatione tractatum. Negandum tamen non eſt tacitam tantùm renuntiationem inueniri poſſe, & triennium ad illam ſufficere, vbi de contrariâ voluntate non conſtat, per quam tacita venit elidenda, quia in ſolâ præſumptione fundatur. Ad ea, quæ initio Capitis pro parte fauorabili ſunt propoſita, non eſt opus reſpondere, cùm ex dictis conſtet quod ex illis habeatur.

Cap. Quã periculoſum 7.q.1. *explicatũ.*

CAPVT II.

An tutâ conſcientiâ pauci Præbendarij, ad quos eſt numerus ſtatutus in erectione redactus, eorum poſſint emolumenta lucrari.

Ratio dubitandi.

7 Decimalia emolumenta ſic diſpoſita in Indiis ſunt, vt ad diſtributiones quotidianas quarta decimarum portio ſequeſtretur Præbendariis diſpenſanda. Cùm ergo ob Patroni diſtantiam contingere poſſit, vt deficientibus Præbendariis alij tardiùs adueniant, & ſic eorum numerus reddatur exiguus, inde dubitationis materia, & certè non leuis, vt non debeat hoc loco prætermitti. Circa quam

Aſſertio 1. *affirmans; ſed cum diuerſo modo obligationis.*

Dico primò. Quando numerus Præbendariorum adeò eſt exiguus, vt eorum diſtributiones veniant duplicandæ, aut ampliores duplo futuræ, recipi quidem ab illis poſſunt, ſed cum diuerſo modo obligationis. Primum ex eo oſtenditur, quia quota illa eiſdem aſſignata eſt, & pro caſibus contingentibus nihil aliud diſpoſitum, dum deficientium numerus non ſuppletur. Sicut ergo quarta Epiſcopalis deferenda Epiſcopis eſt, & ſua etiam portio fabricæ, ſicque alijs; ita & Præbendarijs. Secundum autem probatur; quia diſtributiones decimales ſecundùm maiorem ſui partem ſunt ſtipendium laboris, quod vti proportionatum eſt eiſdem aſſignatum, de quo *num.* 2. Atqui numero ad paucos redacto, nequit quod cum dicto exceſſu ſuperadditur rationem proportionati ſtipendij habere: ergo non eſt illius & alterius eadem ratio, & pro vtroque ſimilis obligatio. Maior conſtat ex dictis. Et præterea eſt pro illa quod ex communi ſcribentium doctrina habet Couarruuias *Lib.* 3. *variarum, Cap.* 13. *num.* 1. diſtributiones ſcilicet eſſe veluti diurnum & horarium ſtipendium his, qui quotidiano miniſterio in celebrandis diuinis officijs inſeruiunt Eccleſiæ. Pro quo & Zerola *Parte* 1. verb. *Diſtributiones, num.* 3. 5. *Primum dubium,* benè ait, eſſe denarium diurnum illi ex condigno debitum, qui portauit pondus diei & æſtus, vt in Euangelio. *Matth.* 20. *v.* 12. & Congregatio Cardinalium circa *Caput.* 12. *Seſſione* 24. *de Reformat. ante num.* 40. verbis illis: *Amittendas eſſe diſtributiones quotidianas, vtpotè quæ debeantur illis, qui adſtant. Ideoque dicunt eſſe ſalarium diurnum, quod laborantibus debetur.* Minor autem eſt manifeſta: nam diſtributiones ſunt proportionatum ſtipendium, quando numerus eſt Præbendariorum expletus: ergo quod additur duplò aut ampliùs excedens, ſupra proportionem eſt: ex quo fit illationem eſſe etiam manifeſtam.

Diſtributiones quomodo ſtipendium diurnum.

Ex labore aucto non benè argui ad totalem acceptionẽ.

8 Dici poteſt ſupra proportionem non eſſe, quia augetur labor, dum ille, qui plurium erat futurus, ad paucos reuocatur: ſed contra hoc eſt, quia licet labor aliquantulum augeatur, non tamen in eâ proportione vt totum diſtributionum incrementum poſſit illi reſpondere; cùm aliàs certum ſit, quòd præmium laboris iuxta illius debeat creſcere proportionem. Quòd autem non ſic creſcat euidentiſſimum eſt. Nam quod attinet

ad

Digitized by Google

ad Chorum non duplicatur aſſiſtentia, cùm ſit obligatio eadem, licèt hebdomarij munus ſit frequentiùs obeundum, vnde & Miſſa Conuentualis pluries etiam decantanda. At hoc incrementum laboris aliquale tantum eſt, non tamen duplo maior labor. Præterquàm quòd propter incrementum tale laboris nihil videtur peti ampliùs poſſe, quia ratione Præbendæ ad id tenetur, quando caſus neceſſitatis occurrunt, vt patet quando Socij ægrotant, aut impedimentum aliud legitimum patiuntur. Et ità etiam accidit in officiis aliis: Auditores enim Regij, ſi pauciores ſint, plus laborare coguntur, nec tamen propterea ſalarium maius accipiunt: ſicut & Quæſtores, & Rationales. Non debent autem Eccleſiaſtici in hac rerum temporalium cauſſa à laicis miniſtris ſuperari. Pro quo eſt & ſententia multorum apud Couarruuiam *ſuprà.* §. *Tertiò, eadem*, quam & ſequitur Zerola *ſuprà.* §. *Primum dubium*, aſſerentium Præbendario, qui gerit vicem duarum perſonarum, vt quia Canonicus, & Archidiaconus eſt, non deberi plures diſtributiones, quia non multiplicatur præſentia, licèt labor aliquomodo multiplicetur: eſt enim abſonum *vt quis ſtipendia ſibi vendicet plurimorum*, vt habetur in Cap. *Quia nonnulli, de Cleric. non reſident.*

Cap. Quia nonnulli.

Ex probatis ſententiis vrgetur.

9 Et pro reſolutione propoſitâ ſtat etiam ſententia, quam cùm doctis Recentioribus tenet P. Thomas Sancius *Lib.* 2. *Conſiliorum, Cap.* 2. *Dub.* 88. *num.* 8. quòd ſcilicet ſi Canonicus propter excommunicationem, ſuſpenſionem, vel aliud impedimentum occultum, Beneficij fructus principales amittat, non tenetur illos reſtituere aliis Canonicis, ſed fabricæ Eccleſiæ, in quâ eſt Beneficium, vel pauperibus. Id quod *numer.* 7. etiam docuerat citatus Auctor cum communi etiam Doctorum ſententia Recentiorum, de eo, qui fructus principales amittit, quos vocant *Groſſam*, ob non recitatas Horas Canonicas. Atqui idem videtur dicendum quando fructus ex quacumque aliâ ratione ſuperſunt, & ita cùm Præbendæ vacant, quia eadem ratio eſt. Sicut enim in caſibus prioribus non ſunt aliis dandi Præbendariis, quia nullus apparet titulus, propter quem illos lucrari poſſint; ita & in poſteriori, cùm ipſis poſſit Euangelicum illud dici: *Tolle, quod tuum eſt, & vade.* Stat enim celebris opinio Gloſſa *in Clement.* 2. verb. *Suſpenſos, de vita & honeſt. Clericor.* aſſerentis abſentium partes in fructibus principalibus in Eccleſiam conferendos. Sunt autem diſtributiones, de quibus loquimur, principales fructus, vt conſtat, & licet Couarruuias *ſuprà.* §. *Quartò, quod*, contrarium videatur tenere, id tamen cum formidine pronuntiat, ſic dicens: *& ſanè, ni fallor etiam in redditibus principalibus, &c.* addens ſtatim quamdam diſtinctionem; vt tunc fructus accreſcant præſentibus, quando certa quantitas deſtinata eſt ad Miniſtrorum victum, & laboris mercedem: ſecus autem ſi ſtatutum ſit, vt cuilibet Miniſtro detur certa aliqua præſtatio: tunc enim abſentium partes debentur Eccleſiæ. Quis autem non videat eamdem in omnibus eſſe rationem, nec maiorem titulum pro lucro extare, quando labor non duplicatur. Quòd ſi ratione aucti aliqualiter laboris debet ſtipendium accreſcere: ergo & quando certa annua præſtatio deſtinata eſt, idem debet affirmari: quod tamen negatur.

Couarruuias, diſtinctionē apponit, non probatam.

10 Deinde, militat principaliter pro Aſſertione Decretum Concilij Tridentini *Seſſione* 22. *Cap.* 3. vbi de non implentibus perſonaliter competens ſibi ſeruitium dicitur: quod *illius diei diſtributionem amittant, nec eius quoquo modo dominium acquirant, ſed fabricæ Eccleſiæ, quatenus indigeat, aut alteri pio loco, arbitrio Ordinarij applicatur.* Non ergo præſentibus diſtributiones accreſcunt. Si dicatur cum P. Sancio *ſuprà num.* 4. intelligi de diſtributionibus, quæ amittuntur ab iis, qui non adimplent onera particularia ſibi ab Epiſcopo impoſita, quarum diuerſa eſt ratio ab illis, quæ amittuntur propter abſentiam: & ab eodem Concilio *Seſſione* 21. *Cap.* 3. decernitur, vt inter illos diuidantur, qui diuinis officiis interſunt. Id certè non ſatisfacit, quia ratio eſt eadem: ſicut enim non adimplentibus onera particularia ab Epiſcopo impoſita, diſtributiones non accreſcunt præſentibus, & impoſita ſibi exequentibus, quia nullus eſt titulus, propter quem tale accrementum mereantur, laboris ſui pretium proportionatum habentes: ita ſimiliter in aliis, quibus nullum eſt ſpeciale onus impoſitum, abſunt tamen ſine titulo priuilegiato; quia nulla eſt ratio differentiæ. Neque Concilium cùm diſtribuendas inter præſentes decernit, eam generalem diſtributionem intendit, ſed proportione accommoda: vt ſcilicet præſentibus ſuæ dentur portiones, quæ quidem Choro etiam pleno darentur, non verò quòd in paucos omnis quantitas diſpergatur; cùm illa potiùs debeat præualere ſententia: *Diſperſit, dedit pauperibus.* Quia verò eo loco quid eſſet de portionibus abſentium faciendum, non ſtatuerat, id Decreto poſteriori diſpoſuit: vnde nulla eſt in præfatis Sanctionibus antinomia; neque neceſſaria expoſitio adducta, quam ex Nauarro citatus Auctor deſumpſit.

Ex Tridentini Decreto fortior inſtantia.

Differentia quædam diſtributionum, quā aliqui adhibent, non iuuat.

11 Videtur autem in contrarium ſtare Declaratio Cardinalium quam adducit Nicolaus Garcia *de Beneficijs, Parte* 3. *Cap.* 1. *num.* 465. Iuxta illam enim inter duos illos diſtributionum modos diſcrimen conſtituitur, vt aliæ intereſſentibus accreſcant, non ita illæ, de quibus in loco diſponitur poſteriori. Sed certè de tali Declaratione authenticè non conſtat. Deinde, cùm diſcriminis ratio appareat nulla, ita accipienda eſt dicta Declaratio, vt nullum in re ipſa diſcrimen ſit quantùm ad Eccleſiæ, piorum locorum, ac pauperum commodum, licèt per diuerſas debeat manus ad eoſdem deuenire. Itaque dandæ illæ intereſſentibus, ſed vt per eos fiat, quod erat per Ordinarios faciendum. Bona enim Eccleſiæ ſunt, & in illis non eſt titulus vt lucrari ea poſſint: ergo in bonum debent ipſius Eccleſiæ conuerti. Præterea, quod ad caſum noſtrum attinet, ex eadem Declaratione compertum habetur, ſic enim in eâ dicitur: *Portiones abſentium accreſcunt deſeruientibus, ſi ex Decreto Concilij Seſſione* 21. *Cap.* 3. *ſeparatæ ſint.* Cùm ergo diſtributiones, de quibus agimus, non ſint ex Decreto Concilij ſeparatæ, ſed totum emolumentum Beneficiale; ſit inde non accreſcere ſeruientibus. Aut ergo Declaratio dicta authentica non eſt, & ſic ex eâ nihil probare aduerſantes poſſunt: aut authentica; & ſic Aſſertioni propoſitæ penitus conformatur.

Neque Declaratio Cardinalium.

Illam ſuffragari.

12 Dico ſecundò, Ex diſtributionibus accreſcen-

Aſſertio 2. Quid ex accreſcentibus ſumere Præbendarij poſſint.

creſcentibus ſumere Præbendarij poſſunt proportionatum aliquid labori etiam accreſcenti, conſideratâ illius qualitate, & eo frui ſicut diſtributionibus aliis. Neque obſtat quod diximus de condignitate ſtipendij ſecluſo incremento dicto, etiamſi illud non augeatur: quia licet ita ſit; cùm tamen accreſcat illis, iuxta ſpecialem pro Indiis diſpoſitionem, aliquid inde emolumenti percipere poſſunt, ne velut mercenales ſint, per quos ad alios dictarum tranſeat vtilitas portionum. Et quia cùm reuerâ labor aliqualiter accreſcat, & illius intuitu dentur, præmium inde aliquod poterit expectari: quod iuxta Eccleſiæ benignitatem eſt, quæ diſtributiones eâ conſideratione diſpoſuit. *Enimuerò cùm hæc non ſine doloris acri ſenſu aduerteret, frigere templa, ſilere pulpita, mærere diuina officia, Canonicorum ea obeuntium paucitate mirabili, credidit optimum factum eſſe eos præmiis, vti pueros, dulciariis, ad pietatem munuſque præſtandum illicere*, vt loquitur P. Bauny *Tomo* 1. *Tract.* 11. *Quæſt.* 17. §. *Eſt autem.* Et quidem licet nihil ſibi applicandum ex tali accretiône Præbendarij haberent, hoc ipſum quod eſt poſſe de illis diſponere, magni præmij loco habendum eſſet: quia plura opera pia inſtituere aut promouere poſſunt, conſanguineorum neceſſitatibus ſubuenire, & ſic gratiam multiplicem inire, atque honorem non modicum comparare. Quomodo autem portio illa labori reſpondens diſpenſanda ſit, quæſtio eſt ad integram diſtributionem aſſiſtentiæ reſpondentem ſpectans, de qua ſtatim.

Aſſertio 3. Quid faciendum ſtatuens, cum maior numerus Præbendariorum adeſt.

13 Dico tertiò. Si major numerus Præbendariorum adſit, ita vt excedant medietatem, videtur ſine ſcrupulo poſſe quidquid accreſcit, aſſumi. Et ratio eſt: quia cùm ſumi aliquid poſſit, juxta nuper dicta, id quod accreſcit in caſu dicto non videtur improportionatum, etſi ſuperabundantia aliqualis appareat, ad benignitatem eſt Eccleſiæ talis liberalitas referenda.

Aſſertio 4. Quid quãdo vnus tantùm adeſt.

Dico quartò. Si vnus tantùm Præbendarius, ſit vt non ſemel accidit, non ſunt illi diſtributiones penitus denegandæ, eò quòd diſtributio reſpectu vnius ſolùm eſſe nequit, vt ex nominis conſtat proprietate. Id videtur clarum, quia eo quòd ſolus ſit, & ſic labor eius minor, non debet eſſe pejoris conditionis. Habebit ergo proportionatum labori ſtipendium, juxta prudentis arbitrium. Et diſtributionis tunc etiam ſtabit vox propter reſpectum ad plures, non actu, ſed aptitudine. Sicut juſtitia diſtributiua exercetur quando vni datur Beneficium non habenti oppoſitorem. Præter illud autem quod ſibi aſſumpſerit, dubitari poteſt, an alia poſſit Eccleſiæ aut pauperibus dilargiri, vel ad Epiſcopum hæc ſpectat functio, juxta id quod Concilium Tridentinum diſponit *Seſſione* 22. *Cap.* 3. Et videtur quidem ſatis veroſimile ad Epiſcopum ſpectare, quia caſus eſt ſpecialis, & momenti magni, nec veroſimile Præbendario vni tantùm eſſe conceſſam poteſtatem. Pro quo & facit id, quod cum alijs tradit Dom. Solorzanus *Lib.* 3. *Cap.* 13. *num.* 53. & in Politica *Lib.* 4. *Cap.* 14. *pag.* 620. §. 1. Capitulum ſcilicet ſine Epiſcopo poſſe diſponere de bonis Menſæ Capitularis ſiue fabricæ, in rebus non multi momenti. Quod ſequitur Dom. Villaroël *Quæſt.* 8. *Artic.* 2. *num.* 10. Et eſt illud Iuris diſpoſitioni conforme, videturque in Indijs ſeruandum, & maximè in noſtro caſu, vbi non videtur eſſe Capitulum, quia *Capitulum eſt collectio Canonicorum, eodem ſuffragij cauſſa commeantium*: vt videri poteſt apud P. Bauny *ſuprà Quæſt.* 21. Si verò non adſit Epiſcopus, ab vno fieri poterit diſtributio, quando in Eccleſiam eſt indigentem facienda, aut in pauperes: quia hæc non patiuntur dilationem. Cui reſolutioni accommodari poteſt id, quod ait Dom Barboſa *de Poteſtate Epiſcopi Allegat.* 53. *num.* 239. quòd licet Capitulum, ſiue Clerici inferiores ſine Epiſcopo non poſſint ſtatuere de quotidianis diſtributionibus, quia hoc concernit ſtatum vniuerſalis Eccleſiæ, diuinaque officia, eorumque regimen: poterunt tamen id facere, quando nihil conſtituunt contra Epiſcopi juriſdictionem, aut contra jus commune: id quod ex Auctoribus alijs deſumpſit, & de quo *infrà Tit. ſeq. num.* 1. In caſu ergo noſtro id fieri poterit quod diximus, quia juriſdictio ad vnum redacta eſt. Et in vno ſolo Canonico ius Capituli conſeruari poteſt: vt cum aliis tradit P. Azor *Tomo* 2. *Lib.* 3. *Cap.* 27. *Quæſt.* 5. quamuis hoc ſuam habeat difficultatem, pro qua Dom. Solorzanus *Lib.* 3. *Cap.* 13. *num.* 36.

Capitulum circa bona Menſæ vt queat diſponere.

Quid ſit Capitulũ.

Ab vno poſſe fieri ſi non adſit Epiſcopus.

In quo remanet ius Capituli.

CAPVT III.

Quomodo debeat Præbendariorum defectus ſuppleri.

14 CVm id poſſit in Indiis non raró cõtingere, ad Regiam prouidentiam pertinuit caſus huiuſmodi præuenire, vt ſcilicet Eccleſiæ debito cultu non careant, & diuina officia cum conuenienti poſſint decentiâ celebrari. Ideò per Regias ſchedulas conſtitutum, vt paucitate Præbendariorum ſuccedente, Epiſcopi Clericos aliquos deputent adſtituros Choro, & Præbendariorũ more ſacra peracturos, competenti illis ſtipendio deſignato. De ſua S. Iacobi Chilenſi Eccleſia locutus Dom. Villaroël & Schedulam, & factum refert *Quæſt.* 5. *Art.* 5. *num.* 25. qui per errorem typographiæ eſt. 14. Circa quod

Aſſertio 1. Id negans de Religioſis.

Dico primò. Epiſcopi nequeunt Religioſum ad Canonicatum modo dicto deſignare, etiam conniuentibus Prælatis. Quod quidem non ex eo accidit, quia Religioſis nequeunt ſine licentia Sedis Apoſtolicæ Beneficia concedi. Cap. *Super eo*, de Regularibus. Cap. *Cùm de Beneficio*, de Præbendis *in Sexto.* & alibi: Pro quo alia ſatis vrgentia adducit Lauretus de Franchis *in Controuerſiis. Quæſt.* 89. cùm tale miniſterium non ſit Beneficium, ſed ſeruitium temporale, ſicut de Vicariis temporalibus affirmant communiter Doctores, & eſſe ab omnibus receptum teſtatur P. Palaus *Tomo* 2. *Tract.* 13. *Diſput.* 1. *Puncto* 1. *in fine.* Sed quia id abſolutè extat prohibitum in citato Cap. *Super eo*, verbis illis: *Nec ampliùs in Eccleſiis ſæcularibus debent aſſumi: ne contra votum, quod Deo fecerunt, venire probentur.* Vbi cùm de iis ſermo ſit, qui nondum profeſſionem emiſerunt; habitum tamen Religionis aſſumpſerunt; ex eo Doctores colligunt ad Religioſos talem deciſionem extendi. Quæ cùm generalis ſit, & aſſumptionem prohibeat, de illâ etiam, quæ tempora-

Cap. Super eo, de Regularibus.

Digitized by Google

Qui nequeunt eſſe Canonici. lis eſt, neceſſariò intelligenda. Et ideò Religioſum non poſſe eſſe Canonicum tenent quamplures, quos adducit P. Thomas Sancius in *Opere morali Lib. 7. Cap. 29. num. 75.* Pro quo & Thomas à IESV in Cap. *Non dicatis. Parte 2. Cap. 7. Dub. 3. §. 1.* In eo enim maximè verificatur ratio, quam Canon inducit, quòd ſcilicet contra votum Deo factum venire probetur: contra profeſſionem inquam Religioſi ſtatûs, qui humilitatis, obedientiæ, & ſeceſſus à ſæculo eſt.

Sententiam quorumdam contrariam, antiquatã. 15 Dices primò aliquos eſſe Doctores, qui affirmant Regulares eſſe capaces Canonicatûs in Eccleſia ſæculari, vt videri poteſt apud P. Sancium *ſuprà num. 74.* Sed contra hos eſt communiſſima & veriſſima ſententia ita vſu recepta, vt contraria penitus videatur antiquata, & ab vſu Eccleſiæ reiecta, vnde ſine diſpenſatione Pontificis id numquam ad praxim reuocatur.

Neque titulum neceſſitatis ſuffragari. Dices ſecundò communem deciſionem tunc quidem obſeruandam, cùm non vrget neceſſitas, eâ autem vrgente ob defectum Præbendariorum, Religioſos poſſe ad id muneris aduocari. Sic enim affirmat Rebuffus, & Gonzalez alios referens, ex illiſque P. Palaus *ſuprà Puncto 3. n. 11.* qui ex Nicolao Garcia addit in caſu dicto Beneficia non eſſe conferenda in titulum, ſed in Commendam, quia non videtur neceſſarius modus alius prouiſionis; & hic eſt aptior: ſiquidem, quandocumque reperiatur miniſter idoneus, poterit extraneus remoueri. Et ſic deciſum videri à ſacra Congregatione apud citatum Garciam *Parte 7. de Beneficiis Cap. 10. num. 32. in 1. Declaratione.* Verùm neque hoc vrget, quia doctrina illa procedit circa Beneficia Curata, vt videri poteſt apud citatum Patrem, Auctores pro eadem afferentem. Cùm enim §. decimum cum ſententiâ Mandoſij terminaſſet dicentis hodie non diſpenſari cum Monacho ad Beneficium Curatum obtinendum, ſtatim ſequentem verbis illis auſpicatur: *Limitanda tamen eſt doctrina* &c. Et eſt illa etiam P. Sancij *citato Cap. 29. num. 39.* vbi pro eadem plures Auctores adducit. Et ex hac differentiâ argui pro Aſſertione poteſt: nam ad Beneficia Curata promoueri Regularis nequit, cùm tamen iuxta Ius commune capax illorum ſit, vt conſtat ex Cap. *Quid Dei timorem,* de ſtatu Monachorum (iuxta quod P. Leſſius verb. *Religioſus Caſu 2. in Reſolutionibus poſthumis* praxim Belgicam defendit) id enim propter bonum animarum ſic eſt ab Apoſtolicâ Sede diſpoſitum: immò neque ad tempus ad eadem aſſumi, vt declarauit Gregorius XIII. cuius Declarationem adducunt plures Scriptores, vt videri poteſt apud P. Palaum, *num. 20. citato* & ſic ſe habet: *Sanctiſſimus D. N. Gregor. XIII. noluit licere Canonicis Regularibus Congregationis Lateranenſis, etiam de licentia ſui Generalis, abſque permiſſu Summi Pontificis aſſumere curam animarum etiam ad tempus, multò minus Beneficium Curatum.* Sic Declaratio. Ex qua fit multò minùs licere Beneficium ſimplex aſſumere, quia illud neque de iure communi licet, & ita neque ad tempus: quia etiam ad tempus aſſumptum ea habet inconuenientia, de quibus *numer. præced.* & ex eiſdem fundamentis conſtat neque Epiſcopum in eo poſſe diſpenſare. Id quod ſpecialiter aduertunt P. Sancius *loco nuper adducto*

Doctrina id admittens, in Beneficiis Curatis tantùm currit, & qualiter illud.

Greg. XIII. Etiam de illis vetuit, licet ad tempus.

n. 76. qui plures adducit, & P. Palaus *num. 5.* quamuis Staphylæus apud P. Sancium contrarium ſentiat, minimè audiendus, ſicut nec Gambara apud Lauretum *ſuprà*, Doctorum agmine repugnante, & nihil contra eos, quod aliquatenus vrgeat obiectans.

16 Ratio autem cur non liceat in Beneficio ſimplici id, quod in Curato, iam inſinuata eſt, quia pro hoc eſſe poteſt neceſſitas, non pro illo, vt colligitur ex Cap. *Priſcis 55. diſt.* ibi: *Quia eatenus Eccleſiæ vel cunctis, vel ſufficientibus priuatæ ſunt miniſtris, vt plebibus ad ſe pertinentibus diuina munera ſupplere non valeant; concedimus vt ſi quis Monaſterialibus diſciplinis eruditus &c.* Ex Gelaſio Papa. Pro ſimplicium autem Beneficiorum adminiſtratione, in quibus magis eſt honoris & commodi, quàm laboris, talis neceſſitas non eſt, cùm illa ad animarum curam non ordinentur, licet ad diuinum cultum decenter exhibendum poſſint neceſſaria iudicari, vt in Eccleſiis Cathedralibus accidit: pro eo enim Præbendæ inſtitutæ ſunt; & vt vigeat, diſtributiones quotidianæ diſpoſitæ ſunt, vt conſtat ex Concilio Tridentino *Seſſione 21. Cap. 3.* & ex dictis *Cap. præced.* Cùm autem cultus diuinus in Monaſteriis etiam ſit decenter exhibendus, non eſt conueniens vt, iuxta vulgarem parœmiam, vnum ſpolietur altare, vt alterum veſtiatur: neque inquietandi Religioſi, cùm poſſint Clerici ſæculares inquiri, & dictis muneribus admoueri. Non equidem deſunt illi in oppidis frequentioribus: ſi autem Cathedralis in ſolitario oppido fundata ſit, non eſt ibi quærendus ſplendor & pompa inſignium ciuitatum. Et pro Feſtis ſolemnioribus inuitari Religioſi poterunt, qui libenter accurrent, etiamſi nullius temporalis lucri illecebrâ prouocentur. Quamquàm neque erit indignum, vt aliquid huiuſmodi per modum eleëmoſynæ aut gratitudinis interdum tranſmittatur.

Ratio pro Curato maior, quàm pro ſimplici.

Cap. Priſcis 55. diſt.

17 Dico ſecundò. Si Epiſcopus opinione vtens inueroſimili Religioſum de licentia ſuorum Prælatorum in Canonicum aſſumat, non poterit illum pro publicis delictis publicâ animaduerſione punire, licet quoad leuiores defectus in ſuo miniſterio corripere illum poſſit proportionatâ correctione. Primum probo ex eo quòd talis manet abſolutè ſub obedientia Prælatorum Religionis, & multò magis quàm Parochi, circa quorum mores & vitam nequit Epiſcopus coërciuam potentiam exercere, vt vidimus *Titulo præced. Cap. 7.* In eo ergo ſeruandum quod à Concilio Tridentino ſtatutum eſt *Seſſione 25. Cap. 14.* de Regularibus, vt tunc tantùm puniri delicta Religioſi poſſint, cùm notoria ſunt, & extra clauſtra commiſſa, ac proprius Prælatus admonitus omiſerit punitionem, aut de ea Epiſcopum intra tempus ab eo aſſignatum non fecerit certiorem. Secundum autem ex eo oſtenditur, quia cùm ad Epiſcopum pertineat, vt ea, quæ ad diuinum cultum ſpectant, cum omni decentiâ adminiſtrentur, in eo, qui adminiſtrant, videntur eidem eſſe ſubiecti. Non videntur autem in tali adminiſtratione alij eſſe defectus poſſe, niſi qui in modo aſſiſtendi in Choro, aut Miſſas celebrandi, occurrere ſolent, qui graues eſſe in Religioſo vix poſſunt, vnde non eſt cur ad grauem ſit animaduerſionem ab Epiſcopis veniendum.

Aſſertio 2. Religioſum factum Canonicum, non poſſe ab Epiſcopo puniri ob defectus circa mores.

Quid circa defectus in miniſterio.

Digitized by Google

niendum ; & ita non probandum, quod à quodam dicitur factum Epiſcopo, qui ſuæ Religionis ſocium, quem fecerat ille Canonicum, & in publico grauiter deliquerat Regij Gubernatoris iniuria, in Choro publicè Religioſorum more traduxit, acri verberatione, vt eo pacto Gubernatori ſatisfactio conueniens præberetur. Niſi fortè à Prælato ſuo id ipſi permiſſum, aut ſocius talis eius obedientiæ penitus ſubiaceret. Sed non credo ſubiectionem ad caſus iſtos extendi conuenienter potuiſſe ; quandoquidem ſupplicium in proprio potuit Conuentu inferri, & pœnis recluſionis, alijſque ex ſe perſpicuis, ſatisfactio proportionata diſponi.

Factum cuius Epiſcopi non probandū.

18 Dico tertiò. Clerici ad Præbendas in caſu dicto ſupplendas adſciti, ad omnia tenentur, ad quæ proprietarij Præbendati, ſicut & eorum frui priuilegijs poſſunt, ſi qua ſunt in modo ſeruiendi. Id conſtat : quia ſubrogatio fit cum omnibus qualitatibus, quæ in eo eſſent, pro quo ſuccedit ſubrogatus, vt probant Doctores, quos adducit Dom. Solorzanus *Tomo 2. Lib. 2. Cap. 19. num. 22. & Lib. 3. Cap. 9. num. 24.* Si verò ſtipendium non ſit integrum, ex eo capite erit inæqualitas, quantùm ad obligationem detrahendi congruam portionem pro ſuſtentatione, & reliqua pijs operibus applicandi : vix enim vlla eſſe videtur : quia ſi proprietarius tantùm pauperibus, aut piis operibus applicaret, quantum ſubrogato detrahitur, ſatis ſuæ obligationi ſatisfeciſſe videretur : ergo cùm illud minus hic habeat, ad nihil aliud videtur obligandus. Hac ratione excuſantur qui vicariam habent temporalem, vt videri poteſt apud P. Palaum *Tomo 1. Tract. 6. Diſput. 2. Puncto 5. num. 2. & 3.* Et prætereà eſt ratio aperta : quia id, quod detrahitur, piis eſt operibus applicandum ; neque enim reſeruandum ſucceſſoribus eſt in Indiis, in quibus decimalis groſſa pro Præbendariis ſequeſtrata, inter eos diuiditur, licèt pauciores ſint quàm eſſe debeant, iuxta Eccleſiarum erectionem : nihil ergo ſucceſſoribus reſeruatur, & ita quod paucis ſuperfluit, piis operibus deſtinandum. Quidquid ergo de communi iure ſit, de quo poſt alios eruditè agit P. Bauny *in Praxi Beneficiorum, Diſput. 15. Quæſt. 22.* & de nouis ſtatutis in Beneficijs Cameræ Apoſtolicæ, de quibus Zerola *Parte* 1. verb. *Beneficium, ad ſextum* : praxis equidem dicta contraria illis penitus non eſt : quia vt conſtat ex Cap. *Quarta*, de officio iudicis Ordinarij, & ex Cap. *Præſenti, eodem titul. in Sexto.* Vacantium Beneficiorum fructus ita adminiſtrare œconomi ex præſcripto Ordinariorum debent, aut eorum, ad quos cura talis ſpectat, *vt eos aut in vtilitatem Eccleſiarum expendant, aut futuris perſonis fideliter reſeruent.* Quando ergo nihil reſeruatur ſucceſſoribus, ſed in Eccleſiæ vtilitatem expenduntur, communis Iuris diſpoſitionibus non penitus contraitur. Leges autem de ſpolijs pro Camerâ Apoſtolicâ in Indijs non ſunt receptæ.

Aſſertio 3. Clerici ſubrogati obligationes ſubeūt proprietarijs communes, quorum & priuilegijs potiuntur, exceptâ obligatione ſuperflua largiendi.

Quid iuxta ius cōmune circa dictā obligationem.

CAPVT IV.

An eo quòd decimalia emolumenta ad diſtributiones quotidianas in Eccleſijs Indiarum ſint redacta, obligatio erogandi ſuperflua pauperibus &c. in Præbendarijs minuatur.

19 Circa conuenientiam diſpoſitionis dictæ, pro quâ Concilium Limenſe ſecundum *Seſſione 2. Caput. 66.* & tertium *Act. 3. Cap. 26.* videndus Dom. Solorzanus *Tomo 2. Lib. 3. Cap. 14. num. 19.* & in Politicâ *Fol. 616.* Quod & in nonnullis aliarum Prouinciarum Eccleſijs ſeruari ſupponunt Doctores, dum de diſtributionibus agunt, & earum diſcrimen oſtendunt vſitatumque iam pridem probant Gloſſæ Decretalium citandæ *num. ſequenti* ; & in omnibus ferè Cathedralibus ac Collegiatis Hiſpaniæ ac Luſitaniæ in vſu eſſe affirmat P. Fragoſus *Tomo 2. Lib. 10. Diſput. 23. §. 1.* verſ. *Tertiò limitatur.* Et vt conſuetudine dictâ extante, non ſit obligatio erogandi pauperibus, aut in alia pia opera expendendi, quæ congruæ ſuſtentationi ſuperfluunt, ex eo videtur probari, quia ex diſtributionibus obligatio iſta non emergit, vt tenent Doctores plures generaliter loquentes, & inter alios Couarruuias, Sylueſter, Roſella, quos adducit & ſequitur P. Bauny *in Praxi Beneficiorum, Diſput. 15. Quæſt. 23. Dub. 2. Aſſert. 2.* & plures alios apud P. Thomam Sancium *Lib. 2. Conſiliorum, Cap. 2. Dub. 46.* quibus adde D. Eſcobar à Corro *Tractatu de Horis Canonicis, Quæſt. 5. §. 2. num. 26.* & videtur etiam tenere P. Reginaldus *Libr. 10. Tractat. 3. num. 92.* Quorum ratio eſt ; quia diſtributiones conceduntur ob perſonale miniſterium, ſuntque denarius diurnus labori debitus, vt iam diximus ; quando autem tale aliquid eſt, nequit onus eidem apponi : hac enim de cauſſâ ex bonis acquiſitis ob miniſteria Eccleſiaſtica prædicationis, auditionis Confeſſionum, celebrationis Miſſarum, & ſimilium, non eſt obligatio erogandi quidquam, iuxta communem ſententiam Doctorum : cenſentur enim quaſi patrimonialia, vt videri poteſt apud P. Sancium *ſuprà. dub. 45. numer. 4.* P. Palaum *numer. 5.* apud quem P. Vaquez, P. Coninck, & P. Leſſius. Nihilominùs

Vſus diſtributionum in Eccleſiis Indiarū, in aliis multis ſeruatur.

Pro minuēda obligatione quid facere videatur.

20 Dico primò. Præbendarij Indici non minùs ad eroganda ſuperflua tenentur, quàm ſi vſitato aliis Prouinciis modo Præbendæ fructus acciperent. Et oppoſitum videtur improbabile, rationiſque atque auctoritatis præſidio deſtitutum. Licèt enim ſint qui de diſtributionibus videantur generaliter locuti, de illis tamen agunt, quæ verè & propriè tales ſunt, iuxta communem ſacrorum Canonum, & Doctorum de illis ſcribentium intellectum. Illæ enim quæ propriæ diſtributiones ſunt, quotidianæ item ſunt, quia quotidiè tamquàm denarius diurnus tribuuntur, iuxta dicta *num. 7.* & ita in Iure, cùm de illis agitur, proponuntur, vt conſtat ex Cap. *Licèt*, de Præbendis ibi : *Nolumus autem vt quotidianæ diſtributiones, quæ tantùm reſidentibus in Eccleſijs, & ijs, qui interſunt horis Canonicis, exhibentur, ei tribui faciatis.*

Aſſertio 1. obligatio eadem ſicut in aliis Prabēdarijs.

Cap. Licèt de Præbendis.

Quando autem tota Præbenda in eis conſiſtit, nō diſtribuuntur quotidiè, ſed in fine anni. Similiter in Cap. *Conſuetudinem*, vnico de Cler. non reſident. in 6. ibi: *Diſtributiones quotidianas, quæ aliàs Manualia Beneficia, ſeu victualia nuncupantur.* Vbi Gloſſæ id obſeruant, quas communiter Doctores ſequuntur. Hinc Præbenda ſic dari ſolita diſtributionis nomine non comprehenditur, ſed vt quid ab illis diſtinctum in Cap. *Olim*, de verb. Signific. ibi: *Præbendam, quæ tantùm reſidentibus de communi confertur, ſicut vni ex alijs, de communibus prouentibus, & Manualia Beneficia non conferrent, &c.* Manualia enim Beneficia diſtributiones quotidianæ ſunt, iuxta id, quod ex Boniſacio VIII. in citat. Cap. *Conſuetudinem*, iam expreſſum habemus. Concilium etiam Tridentinum *Seſſione* 21. *Cap.* 3. ibi: *In quibus nullæ ſunt diſtributiones quotidianæ. & Seſſione* 22. *Cap.* 3. *Illius diei diſtributionem amittant, &c.* Sic alibi. Videndus Dom. Solorzanus *citato Cap.* 14. *num.* 23. *& ſeqq.* Vbi plures Auctores ita de diſtributionibus ſentientes adducit, quibus addendi P. Thomas Sancius *citato Cap.* 2. *Dub.* 111. pręter id quod *Dub.* 46. *citat.* vt certum præſupponit in illius initio; diſtributiones ſcilicet eſſe partem diſtinctam à groſſa Beneficij, & quæ titulo illius datur. Pater Reginaldus *ſuprà*, *numer.* 22. *&* 23. in cuius fine clarè oſtendit ſe de quotidianis diſtributionibus fuiſſe locutum. P. Bauny *ſuprà*, *quæſt.* 24. quæ per errorem impreſſionis eſt. 23. *Dub.* 6. licèt omninò contrarius ſibi in eo, de quo inferiùs. P. Fragoſus *Tomo* 2. *Libr.* 10. *Diſputat.* 23. §. 1. *numer.* 2. *&* 13. Verſ. *Tertiò limitatur*, vt alios omittam.

Cap. Conſuetudinē, de Cleric. non reſid. — *Cap. Olim de verbor. ſignificat.* — *Conc. Trid.*

Ratio pro Aſſertione manifeſta.

21 Ratio autem eſt manifeſta. Quia non eſt titulus aliquis, propter quem Præbendam accipientes modo dicto ab obligarione communi Præbendariorum eximendi ſint. Quòd enim hoc aut illo modo Præbenda detur, illius ſubſtantiam non variat, neque ſpecialis labor Præbendarijs adiicitur, quandoquidem vt lucrentur, neceſſariò aſſiſtere debent, vt ſtatuitur in Concilio Tridentino *Seſſione* 24. *Cap.* 12. ibi: *Non liceat vigore cuiuſlibet ſtatuti aut conſuetudinis, vltra tres menſes, ab eiſdem Eccleſijs quolibet anno abeſſe, &c.* Habet ergo modus dictus diſtributionis illud ſpeciale, vt amiſſa à non aſſiſtentibus accreſcant iis qui aſſiſtunt: quod non acciderer, ſi Præbendario cuilibet certa eſſet quantitas annuatim deſignata: pro quo Couarruuias adductus *num.* 9. vbi de hac dictum diſtinctione. Quod quidem tantùm abeſt vt obligationem Præbendariorum minuat, vt potiùs augeat: quia hoc modo locupletiores redduntur, vt in omnibus omnem ſufficientiam habentes abundent in omne opus bonum, iuxta Apoſtoli monitum, & ita diſpergant, & dent pauperibus. 2. *Cor.* 9.

Conc. idem

Aſſertio 2. ex diſtributionibus portionem deberi pauperibus, &c.

22 Dico ſecundò. Etiam vbi diſtributiones non ſunt tota Præbenda, ſed portio aliqua ex decimali maſſâ detracta, tenentur illas lucrantes ad eumdem expendendi modum, de quo in *Aſſert. præced.* Sic Sarmientus, & Nauarrus, quos adducit & ſequitur P. Sancius *Dub.* 46. *citato*. P. Bauny *Dub.* 6. contrarius ſibi, vt iam dixi: ſed poſteriori ſtandum Aſſertioni, vti teſtamento, quo priùs facta reuocantur. Vt autem in gratiam viri docti contrarietatem talem explicatione commodâ propulſemus, dici poteſt in priori loco, vbi ſic ſtatuit: *Dico ſecundò: Nec de annonis diarijs, quas diſtributiones nominant, quidpiam eſſe pauperi dandum, quod negatum in negantis cedat exitium:* de diſtributionibus loqui, quæ ad quotidianum victum neceſſaria ſunt, ita vt nihil ex illis ſuperfluat. In ſecundo autem, vbi ſic inquirit: *An ſi diſtributiones diariæ ſint his, quæ ad victum, ſuique ſuſtentationem honeſtam ac decentem, Beneficiatus exigit, ampliores teneantur, quod de ijs reliquum erit, in res pias, inopumque commodum impendere?* Et reſpondet ſtatim ſic: *Omnino, nam omnia bona Eccleſiæ ſunt eiuſdem generis & conditionis.* Et probationem latiùs exequitur: ibi inquam de alijs loqui, quæ abundantiores ſunt. Benè verùm eſt rationem ab eo pro Aſſertione priori adductam explicationi iſti non congruere: arguit enim ex eo quòd Præbendarius ob miniſterium ſuum mercedem illam diariam accipiat, cuius & dominium comparat; & ideò ab Eccleſia non poſſe onus illud imponi, ſicut neque patrimonialibus, quia quaſi patrimonialia ſunt. Quæ ratio probat, etiamſi aliquid ſuperfluat, non eſſe obligationem ad illud piè expendendum, ſi verè quidquam probat juxta Auctoris mentem, pro quà hæc ſatis. Fundamentum autem Aſſertionis noſtræ iam indicatum eſt, quia diſtributiones non habent conditionem diuerſam ab aliis fructibus Præbendæ, neque ex modo, quo tribuuntur, illa fundari poteſt, ſicut de diſtributionibus, in quibus tota eſt Præbenda conſtituta, dicebamus. Et illo irrefragabili fundamento præſuppoſito, videtur euidens conſequentia circa quotidianas, de quibus loquimur. Neque illæ abſolutè pro diariâ ſuſtentatione dantur: alioqui quod reliquùm eſt Præbendæ & maior eſt illius pars, deberet in pia opera diſpertiri: quia congruâ detractâ, id quod ſuperfluit, ſic expendendum eſt, de quo ex profeſſo dictum *Tit.* 13. *num.* 72. *& ſeqq.* Hoc autem quis admiſerit? Dantur ergo vt diarium ſubſidium, & leuamentum laboris, & deſidiæ excitamentum, iuxta dicta *num.* 12.

P. Bauny contraria dicta conciliantur.

Fundamentum Aſſertionis.

23 Neque obiecta vrgent: licèt enim ſtipendium laboris ſint, id etiam habet Præbenda tota, quia Beneficium datur propter officium; & tamen onus illud pietatis adnectitur. Cui quidem non obſtat dominium earum adquiri: nam & iis, quæ ſic adquiruntur, poteſt onus charitatis imponi, quod grauiter quidem vrgeat, nec tamen implementi defectus obligationem reſtitutionis inducat: eſt enim obligatio velut paterna ab Eccleſia impoſita; Pater autem non ex iuſtitiâ, ſed ex pietate tenetur ſubuenire neceſſitatibus filiorum iuxta communem ſententiam. Et ita poteſt quis donationem patri facere intuitu filiorum, vt illis ſcilicet in neceſſitate ſuccurrat, nullam ſpecialem eidem obligationem adiiciens, ſed vt illi, quæ ipſi eſt propria, ſatisfaciat: quod ſi non fecerit, ad reſtitutionem non tenetur eiſdem filiis faciendam e pro quo videri poſſunt P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 9. *n.* 152. P. Filliucius *Tract.* 28. *n.* 4. P. Azor *Tomo* 2. *Lib.* 2. *Cap.* 4. *quæſt.* 26. P. Reginaldus *Lib.* 20. *n.* 10. Baſſæus verb. *Alimenta*, *n.* 5. Sayrus in Claui Regia *Lib.* 7. *Cap.* 5. *n.* 15. & apud eos alij, vt non videatur circa hoc poſſe dubitari.

Obiectis ſit ſatis. Vbi quòd ea, cuius dominii adquiritur, poteſt onus pietatis imponi.

CAPVT

CAPVT V.

Quid circa congruitatem ſuſtentationis obſeruare Indici debeant Præbendarij.

24 Dictum de hoc *Titulo* 13. *num.* 72. *& ſeqq.* & ſpecialiter *num.* 75. cùm de Epiſcopis ageremus: ibi enim dicta ad Præbendarios ſunt, proportione perſonarum ac redditũum ſeruatâ, penitus aduocanda. Sed vt aliquid magis ſpeciale pro eiſdem adijciamus

Aſſertio 1. Quæ vanitatem ſæculi redolent, non poſſe in Congrua computari & quæ illa.

Dico primò. Præbendarij Indici non poſſunt ad Congruam referre, quæ ſæculi redolent vanitatem, qualia ſunt veſtes holoſericæ magni pretij, aut earum varietas; ſerui multiplices, & eorum pretioſus ornatus, quem & in Epiſcopis damnat Dom. Villaroël, & ipſe Epiſcopus *Parte* 1. *Quæſt.* 2. *Art.* 3. *num.* 14. Qui & pro eorumdem conuiuiis videndus *Quæſt.* 3. *Artic.* 1. *& Parte* 2. *Quæſt.* 14. *Artic.* 4. *num.* 36. Lecti curioſitate mirabiles, & operimentis planè regiis; currus vrbani nobiliorum curribus exæquandi; aulæa ſimilis qualitatis: menſæ ex auro & argento ſingulariter ſpectabilis apparatus, & quotidiana fercula illius inſtar, *qui epulabatur quotidie ſplendidè*, conſequenter ad illud: *Qui induebatur purpurâ & byſſo. Lucæ* 16. *verſ.* 19. Sic enim fiet vt multi Lazari ſint, qui neque micam pro tolerandâ fame, neque malagma pro curandis, aut panniculum pro leniendis vlceribus aſſequantur. Et hæc quidem ſatis comperta ſunt; cùm Principes potiùs deceant, quam Chriſti miniſtros, & Chriſtianæ moderationis exemplaria, quibus commendati pauperes, quibus pia opera demandata: pro quibus Fideles in ſudore vultus ſui terram colunt, non vt ſæculi pompas nutriant, ſed vt decentem & honeſtam viuendi rationem, talibus adiuti præſidiis cum omni tranquillitate complectantur. Ideo contra huiuiſmodi meritò Diuus Bernardus inuehitur *Epiſt.* 42. *Col.* 3. ita ſcribens: *Clamant verò nudi, clamant famelici, conqueruntur, & dicunt: Nobis frigore & fame laborantibus quid conferunt tot mutatoria, vel extenſa in perticis, vel plicata in manticis? Noſtrum eſt quod effunditis, nobis crudeliter ſubtrahitur quod inaniter expenditis. Et nos Dei plaſmatio, & nos Sanguine Chriſti redempti ſumus. Nos ergo fratres veſtri: videte quale ſit de fraterna portione paſcere oculos veſtros. Vita noſtra cedit vobis in ſuperfluas copias. Noſtris neceſſitatibus detrahitur quidquid accedit vanitatibus veſtris. Duo ergo mala de vnâ prodeunt radice cupiditatis, dum & vos vanitando, & nos ſpoliando perimitis. Huc accedit, quòd hæc omnia nec negotiationis ſtudio, nec proprio manuum exercitio vobis laboraſtis: ſed nec iure hereditario poſſidetis: niſi & fortè vos in corde veſtro dixeritis: Hereditate poſſideamus Sanctuarium Dei, Pſalm.* 82. *v.* 15. *& hæ pauperes modò quidem coràm Deo tantùm, cui corda loquuntur. Ceterùm in futuro ſtabunt in magna conſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt. Sap.* 5. *v.* 1. *Stante quidem pro eis Patre orphanorum, & iudice viduarum. Pſalm.* 67. *v.* 5. *Ipſius enim tunc vox erit. Quamdiu non feciſtis vni de iſtis minimis, nec mihi feciſtis. Matth.* 25. *verſ.* 45. Hæc ille, & alia, ad quæ Præbendariorum debet attentio commoueri, & conſcientiæ remorſus fideli eorum exauditione; non Scriptorum quorumdam nimis laxa doctrina ſopiri. Pro quo & Auctores quamplures congerit Alfonſus de Valdes in *Tractatu de Eleëmoſyna pag.* 42. *Col.* 2. *& ſeqq.*

Lucæ 16. v. 19.

D. Bernardi præclara declamatio.

Aſſertio 2. Quid in vrbibus præcipuis. Vbi præſertim de curribus honorariis.

25 Dico ſecundò. In vrbibus præcipuis Indiarum, vbi currus ſunt honorarij in vſu, poterunt Præbendarij iis vti, ſi pro neceſſitate magis, quàm pro vanitate videantur adhiberi, quod eorum ſtructura & ornatus facient manifeſtum. Nouimus aliquos ex primariis Dignitatibus, qui numquàm vt illis vterentur, adduci potuerunt. Neque erat illud puſillo animo tribuendum; ſed quia ſuperfluum exiſtimabant, quibus vna erat terenda via, à domo ſcilicet in Eccleſiam; vel ſi quæ rarior alia, pedibus ſimiliter decurrenda, vel ſi libeat, mulâ decenter inſtratâ. Nihilominùs id dandum conſuetudini, & aliquali neceſſitati cum moderatione dicta: ſic enim multi timoratæ conſcientiæ, & doctrinæ non vulgaris faciunt; idque ſine ſcandalo. Si non ſit notabilis in ornatu exceſſus, peccatum erit aliquod, quia & aliquid in eo vanitatis; ſed non mortale; cùm aliàs ſumptus iſte quotidianus non ſit: quod & de ſellis geſtatoriis, aut currilibus, ac ſimilibus pariter aſſerendum. Vbi & perſonarum dignitas attendenda: nam vt benè ait P. Bauny *in Praxi Beneficiorum Diſput.* 15. *Quæſt.* 24. quæ per errorem typographiæ eſt 23. poſt dicta ab eodem *Quæſt.* 16. vbi alios magis in ſpeciali loquentes inducit: plura Decano licent, quàm ſimplici Canonico: vt enim ille meritis ac dignitate præſtat; ita & ſplendidior decet agendi ratio; vnde & conſequenter plura licent Canonico, quàm Portionario, & huic etiam plura, quàm dimidiam habenti portionem. Pro quo & P. Molina *Diſput.* 145. §. *Primum eſt. & ſeqq.* & P. Thomas Sancius *Lib.* 2. *Conſiliorum Cap.* 2. *Dub.* 41. *num.* 1. *&* 9. ex quibus & aliis D. Machadus *Tomo* 2. *pag.* 62. *n.* 4. Sed ille eſt Indiarum abuſus, vt eſſe omnes pares velint: & illi, quorum parentes mechanico ſunt opificio noti, vbi dignitatis aliquid in Eccleſia ſunt adepti, primarios pergant dignitate & ſanguine Præbendarios exæquare. Sed ſua ſit multis laus, qui Propheticum illud audientes: *Sta in gradu tuo. Dan.* 10. *v.* 11. in eo contenti, & iuxta illius qualitatem agentes, nihil inſolentiæ permittunt, nihil deferunt vanitati.

Dignitatem attendendam perſonarũ.

Indiarum abuſus.

Aſſertio 3. In quibus plus aliquid ſplendoris licet.

26 Dico tertiò. In Præbendariis Indicis plus aliquid ſplendoris licet quàm in Europâ, vbi fides altas egit radices; & ratione illius plus etiam ad congruam ſuſtentationem aſſumi poteſt. Id ex eo oſtenditur, quia apud Indos ſplendor iſte peculiarem auctoritatem inducit, & reuerentiam parit, quæ & apud Europæos neceſſaria eſt, ne in regionibus iſtis ex illius defectu grauia incommoda ſubſequantur. Sic colligitur ex Ferdinando Zurita *in Enchiridio Indico Quæſt.* 32. *Propoſit.* 1. qui tamen *Propoſit.* 2. addit id intelligendum niſi pauperes grauiter egeant. Sed certè quod inde piis operibus detrahitur, ſingulari eſt morum honeſtate ſupplendum, & eorum ſplendore exterior ille ſplendor ſuperandus. Pro quo D. Bernardus *Epiſtola citata* ſic habet: *Vos autem abſit vt in talibus honorificandum putetis miniſterium veſtrum.*

Sed morũ ſplendore illuſtrandus.

Digitized by Google

D. Bernardus.

Videntur quidem honorifica, ſed oculo, qui videt in facie, non qui videt in abſcondito. Nam quæ videntur in abſcondito nullis apparent fucata coloribus: ſpectabilia ſunt tamen. Nullis condita ſaporibus; prædulcia ſunt tamen. Nullis eleuata culminibus; excelſa tamen. Caſtitas, charitas humilitas, nullius quidem coloris ſunt; ſed non nullius decoris. Nec mediocris decoris, qui diuinos quoque delectare poſſit aſpectus. Sic ille. Quomodo autem pro augendo ſplendore nouis dignitatibus, congruam non liceat augere, benè explicat. Card. Lugo in *Reſp. moral. Lib.* 5. *Dub.* 11.

Aſſertio 4. Pia opera vbi exercenda.

27 Dico quartò. Circa pia opera id de Præbendariis dicendum, quod de Epiſcopis *Titulo* 13. *num. citatis.* vbi an debeant in loco Beneficij fieri, an poſſint eſſe vltramarina? & pro hoc vltimo pugnat P. Bauny *Diſput.* 15. *citata Quæſt.* 23. *Dub.* 6. arguens *Primò*, quia de voluntate oppoſita Papæ litteris ſcriptis non conſtat, aut Canonibus. Vbi enim illi? Quando, & à quibus Beneficiariis promulgata? *Secundò.* Ex Eccleſiæ in omnes pari ardore charitatis. *Tertiò*, Ex communi omnium ſenſu, & receptâ vbique conſuetudine, quam erroris arguere, non paruæ fuerit in Politicis imprudentiæ. Sed ad primum & tertium de conſuetudine, ex dictis *citato loco* poteſt facilè reſponderi. Nec verum abſolutè eſt ſic omnium ſenſum habere, cùm ſint qui ſecus ſentiant; habeatque illud non leue in ſacris Canonibus fundamentum. Et ijs, quæ *citato loco* adduximus, addi poteſt id, quod in Extrauag. *Execrabilis, de Præbendis & dignitatibus*, ait Ioannes XXII. dum inter inconuenientia, quæ ex Beneficiorum pluralitate ſequuntur, illud recenſet, quòd *hoſpitalitas in ipſis Beneficiis debita non ſeruatur.* Non vrget autem magis hoſpitalitas, quàm aliæ Eccleſiarum aut pauperum neceſſitates, quas in Beneficiorum loco, de quibus agimus, non occurrere eſt moraliter impoſſibile. Vnde & P. Molina ad Diœceſim tantùm huiuſmodi facultatem admittit, & in caſu rarò extra illam aſſerit prorogari. Et Gloſſa circa citatum locum verb. *Debita*, ſic habet: *Intellige, ſolita & congruens iuxta quantitatem prouentuum Beneficij.* Sic illa ex Hoſtienſi in Cap. *De Monachis*, de Præbendis. Pergit autem ſic dicens: *Pro hoc autem quòd dicit, Debita, videtur quòd neceſſitatis, non tantùm voluntatis eſt hoſpitalitas. Et in Beneficiatis hoc certum eſt. Cap. Florentinum* 85. *diſt. &* 42. *diſt.* §. 1. Hæc Gloſſa. Ex quibus apparet quantùm vrgeat obligatio dicta, vel qualis ſit obligationis huiuſmodi fundamentum. Ad ſecundum autem dici poteſt affectum Eccleſiæ ardentem eſſe erga omnes filios; illis tamen ſufficienter ab eadem prouiſum, cùm in omni Chriſtianâ diœceſi ſint ex illius diſpoſitione, qui poſſint ſubuenire, quòd ſi non ita fiat, ſed contrarium arbitrio Præbendariorum relinquatur, minor eius apparet affectus, quia ſic multi poſſunt, remedio opportuno deſtitui, Beneficiariis ad extraneos inclinatis & quidem in Europæ Prouinciis faciliùs id poſſit admitti, quia ſi Beneficiarij vnius Diœceſis in aliam per pia opera ſunt propenſi, ſperari poteſt vt & Beneficiarij alterius pro illa opera pietatis inſtituant, ſicque inter omnes compenſatio reperiatur. Quod tamen in Indiis non accidit: nullus enim in Europa degens de Indiis curat, vt ſubueniat indigentibus, aut pia opera pro communi vtilitate conſtituat. Nihilominùs videatur moderatio expoſita *Titulo* 13. *numer.* 83.

Non eſſe neceſſariò vt in loco Beneficij, probat P. Bauny tripliciter.

Fit ſatis 1. & 3 rationi.

Extrau. Execrabilis.

Gloſſa.

Hoſpitalitas quomodo debita.

Secunda ratio eliditur.

CAPVT VI.

De obligatione Indicorum Præbendariorum circa aſſiſtentiam in diuinis Officiis.

Aſſertio 1. Statuta Eccleſiarū ſeruanda circa aſſiſtentiam.

28 DIco primò. Circa obligationem dictam conſulenda ſunt Eccleſiarum ſtatuta, quæ in forma erectionis ſolent apponi, & illis ſtandum, ita vt ſi defectus occurrat, iuxta communes regulas, quas Doctores in hac tradunt materia, & diuerſitatem probabilium opinionum debeat iudicari. Sic P. Thomas Sancius *Lib.* 2. *Conſiliorum Cap.* 2. *Dub.* 102. qui aſſerit ſtatuta Eccleſiarum communiter habere, quod eſt in Concilio Baſilienſi diſpoſitum. *Seſſione* 21. *Cap. Quo tempore quiſque debeat eſſe in Choro.* Sic autem ibi: *Qui in Matutinis ante finem Pſalm. Venite exultemus: & in aliis horis ante finem Primi Pſalmi, & in Miſſa ante vltimum Kyrie eleiſon, vſque ad finem diuino Officio non interfuerit, niſi fortè neceſſitate cogente, petita, & obtentâ à Præſide Chori licentiâ, diſcedere oporteat, pro illa abſens habeatur.* Hæc Concilium. Sed certè ſtatutum illud, ſi ſeruatur alicubi, non ex vi illius, ſed ex conuenientia, quæ in re apparet, receptum debet reputari quia ſtatuta dicti Concilij vim obligandi non habent, niſi nonnulla, & quidem pauca, quæ vt admitterentur conueniens fuiſſe Sedes Apoſtolica iudicauit. Pro quo Lauretus de Franchis *in Controuerſiis pag.* 196. Vnde circa prædictam aſſignationem non eſt vbique conſuetudo eadem, vt ex Petro Moneta tradit Bonacina *Tomo* 1. *Tractatu de Horis Canonicis Diſput.* 1. *Quæſt.* 5. *Puncto* 2. *n.* 12. §. *Verùm, quia*

Quid ex Concilio Baſilienſi.

Non obligare illud.

Aſſertio 2. Vbi receptum illud, aut aliud, quæ inde obligatio.

29 Dico ſecundò. Stante ſtatuto dicto, Concilio Baſilienſi conformi, aut alio quouis, quoad amiſſionem diſtributionum, non ideò illius tranſgreſſio iudicanda eſt mortalis ad effectum adimplendi præceptum, diuini officij recitandi, aut lucrandi fructus Beneficij. Sic P. Suarez *Tomo* 2. *de Religione Tract.* 4. *Lib.* 4. qui eſt de Horis Canonicis *Cap.* 25. *numer.* 15. *&* 16. P. Vincentius Tancredi *de Religione Lib.* 4. *Tract.* 3. *Diſput.* 6. *numer.* 8. Quod etiam ex aliorum doctrinâ colligitur, & magis in ſpeciali ex Bonacina, & Moneta *ſuprà* ex quibus & Diana *Parte* 2. *Tract.* 12. *Reſolut.* 26. *in fine.* Et quoad priorem partem de tranſgreſſione circa generalem obligationem recitationis Officij, ex eo oſtenditur, quia pars illa non eſt notabilis vt communiſſima Doctorum ſententia firmat, pro quâ videndus Diana *ſuprà Reſolut.* 41. *& Parte* 5. *Tract.* 5. *Reſolut.* 26. *& Parte* 12. *Tract.* 2. *Reſolut.* 44. P. Palaus *Tomo* 2. *Tract.* 7. *Diſputat.* 2. *Puncto* 5. *num.* 1. P. Thomas Sancius in *Opere morali Lib.* 1. *Cap.* 4. *num.* 18. P. Bauny *in Praxi* Beneficiorum *Diſput.* 13. *Quæſt.* 7. D. Eſcobar. à Corro *Tractatu de Horis Canonicis Quæſt.* 4. §. 6. *circa particulam* Integrè *num.* 22. Baſſæus verb. *Horæ Canonicæ* 5. *n.* 2. vbi diuerſas circa hoc Auctorum ſententias congerit, & earum aliquas nimis laxas. Medium tenuere

Cuius officij pars omiſſa ſub mortali tranſgreſſionem inducat.

Digitized by Google

P. Suarij præferenda ſententia.

nitere beati. Et hæc laus ſit P. Suario, qui *num. 16. citato*, ſic concludit: *& ſaltem videtur neceſſarium vt nulla Hora integra dimittatur, neque pars alicuius Horæ, quæ æquiualeat minimæ Horæ vel dimidiæ parti eius. Si autem hanc non attingat, non videtur eſſe peccatum mortale.* Sic ille, qui ita præmiſerat: *Quarè ſi è contrario quis omitteret ferè dimidiam partem Completorij, non auderem dicere illum peccare mortaliter, quia reuerà reſpectu totius officij diei illa non videtur notabilis pars, nec in ſe & abſolutè videtur tam grauis materia.* Hæc doctiſſimus ille Magiſter; pro certitudine ſententiæ P. Suarij militat P. Turrianus *in Selectis Parte 2. Diſputat. 31. Dub. 32.* vbi ait oppoſitam de integra minori Hora non eſſe probabilem. Ex quibus colligit *Cap. 30. n. 12. & 13.* tunc oriri obligationem reſtitutionis quoties omiſſio eſt mortaliter peccaminoſa: quod accidit quando duodecima pars totius Officij omittitur: id quod ex Bullâ Pij V. circa taxationem in huiuſmodi omiſſionibus in ordine ad reſtitutionem deduci arbitratur. Neque credendum eſt ſtatuta Eccleſiarum maiorem obligationem inducere ex ſtatuentium intentione, quia de hoc minimè conſtat, neque opus erat ita arctare conſcientias, quas in eo genere voluit Pontifex non vrgendas; cùm ad finem ſtatutorum ſatis eſſet impoſitio mulctæ; quia vt ſapienter philoſophatur P. Suarez *citato num. 15.* hoc fundari potuit in prudenti gubernatione Chori, quia multi homines magis mouentur timore pœnæ, vel incommodi, quàm culpæ.

Pœnam ex omiſſione non incurri ante ſententiam.

30 Secundum autem ex hoc ipſo probatur: nam cùm ſit pœna, non priuatur, niſi poſt ſententiam. Licèt amiſſio ob defectum intereſſentiæ ante ſententiam incurratur, quia Bonifacius VIII. & Concilium Tridentinum eius Conſtitutionem approbans, reddunt dominij inhabiles recipientes, de quo *num 34.* vt benè expendit P. Fragoſus *Tomo 2. Lib. 10. Diſput. 23. §. 4. num. 9.* Secus tamen accidit in pœnâ per ſtatutum poſitâ circa intereſſentiæ modum, pro quo inhabilitas talis non interuenit, & ita applicari poteſt doctrina citati Auctoris *num. 10.* Pœna ergo per ſententiam infligenda, quæ in hoc genere non eſt iuxta ordinariam iuris formam pronuntianda, formato proceſſu; ſed iuxta Eccleſiarum ſtylum, deſignato Punctatore, de quo Zerola verb. *Horæ Canonicæ*, ad Octauum, & Concilium tertium *Act. 3. Cap. 26.* Vnde ſi circa hoc diligentia Punctatoris defuerit, in conſcientiæ foro nulla eſt obligatio, quia ibi ad ſummum interuenit peccatum veniale, & propter illud obligatio reſtitutionis in materiâ, de quâ loquimur, imponenda non eſt; vt benè P. Suarez *citato Cap. 30. num. 13.* Qui licet cum ea diſtinctione, quam expoſuimus, & probauimus, non loquatur, ſicut nec P. Vincentius Tancredi, quatenus ſtatuti ſpecialis non meminerunt, ſed iuxta obligationem à Pio V. impoſitam, & vrget etiam extra Chorum recitantes procedant, in eo certè ſuffragantur. Si præterea addamus id quod de pœnâ ante ſententiam incurrendâ diximus, ab omnibus non probari: id enim negat P. Bauny cum aliis *Tomo 1. Diſput. 15. quæſt. 18.* & quia illi de Miſſâ non loquuntur, iuxta ipſorum, & aliorum doctrinam proportionaliter eſt dicendum, partem à Concilio aſſignatam non inducere obligationem reſtitutionis, quia exigua eſt. Quamuis autem ex eo quòd dicunt communiter Doctores, circa obligationem audiendi Miſſam, deſignantes quæ ſit pars notabilis, cuius omiſſio graue peccatum inducat, non videatur poſſe argui, quia obligatio illa pro diebus tantùm eſt feſtiuis, & Præbendarij etiam in profeſtis teneantur aſſiſtere; & in feſtiuis etiam poſſunt dicendo Miſſam, aut eam audiendo, à Conuentuali diſtinctam, ſatisfacere: nihilominùs optima illa habenda regula, quia ex ipsâ intelligitur quænam ſit pars notabilis, aliàs dicendum propter omiſſionem in Miſſâ nihil in foro conſcientiæ deberi; quod non eſt vllatenus admittendum. Quemadmodum licet poſſit extra Chorum obligationi Horarum Canonicarum Præbendarius ſatisfacere, & ita ratione præcepti circa illas non teneatur ad aliam recitationem: tenetur tamen ratione officij, ſi fructus ſit Præbendæ lucraturus. Credo autem ante Euangelium debere aſſiſtere, quia illud in Miſſâ ſolemni ſingularem celebritatem habet, & cultus illi ſpecialiſſimus adhibetur, vnde & pro eo cantando Miniſter ſacer Presbytero proximus traditione libri Euangeliorum conſecratur.

Pro omiſſione veniali non vrgere.

Quid circa Miſſam.

Optima regula.

Inſtar Horarum poſſe computari.

31 Quamquam non videatur improbabile Miſſam inſtar Horarum poſſe computari, vt tunc ei ſatisfactum ſit, cùm maiori parti ſit aſſiſtentia adhibita, vnde ab Offertorio videtur ſufficere, vel fortè minùs aliquid, proportione habitâ etiam ad Matutinum, iuxta id, quod tenet P. Filliucius *Tract. 23. Cap. 20. num. 219.* & Diana *citata Reſolut. 26.* peccare ſcilicet mortaliter omittentem dimidiam Horam, ſed non teneri ad reſtitutionem. Id quod eſt etiam P. Suarij doctrinæ conforme *citato num. 12.* vbi ſic ait: *Ex dictis ergo colligo, per argumentum à contrario, vel potiùs à definita legis taxatione, pro minori omiſſione, quàm ſit vnius Horæ integræ, non contrahi aliquam obligationem reſtituendi; ſolum enim taxatum eſt, quod pro ſingularum Horarum omiſſione reſtituendum ſit. Cùm autem ſit lex rigoroſa, videtur reſtringenda ad terminos ſuos: præſertim cùm peculiariter ſit facta ad declarandam reſtitutionem pro rata temporis & Horæ.* Sic ille, addens ſtatim id, quod ex eodem retulimus *num. 29.* & ſequitur P. Fragoſus *Tomo 2. Lib. 10. Diſput. 22. §. 5. num. 9.* &, vt verum fatear, non apparet dudum poſitæ eiuſdem reſolutioni conforme, vt verba adducta poſſunt reddere manifeſtum. Cùm enim lex rigoroſa ſit, & peculiariter pro taxandâ reſtitutione ſit lata, ad ſuos eſt terminos reſtringenda: & ita cùm non Horæ partem, ſed Horæ abſolutè dictæ omiſſionem ad inducendam obligationem reſtitutionis exquirat, dum id P. Suarez amplectitur, & pro fundamento ſtatuit, non videtur conſonum ad medietatem minorum Horarum, & proportionales Matutini partes obligationem prorogare. Et ita P. Filliucij, & Dianæ ſententia non diſplicet P. Vincentio Tancredi *ſuprà, Diſp. 16. Quæſt. 5. At*, *Filliutius*, & P. Pellizario *Tract. 5. Cap. 8. n. 21.*

P. Suarez.

Hora non integra omiſſionem non inducere obligationem reſtitutionis.

Aſſertio 3. Aſſiſtentiâ pro vnâ Horâ poſſe ſuppleri per aliam, ſi ſtatutum tale ſit.

32 Dico tertiò. Si per ſtatutum non vrgeat obligatio aſſiſtendi omnibus Horis, ſed per aſſiſtentiam v.g. in Matutino compenſari poſſit aſſiſtentia in primâ, vt alicubi eſt in vſu, poſſunt ſe Præbendarij eidem conformare. Id videtur clarum: quidquid circa vſum dictum in Eccleſijs Indicis obnitatur Dom. Reyna *Tomo 1. de Perfecto Prælato, Lib. 4. Tract. 1. Cap. 8.* Quia ſtatuta huiuſmodi

Digitized by Google

iuſmodi maturo conſilio, & regulis iuris inſpectis, à ſuis auctoribus prodierunt. Quòd autem iuſta eſſe poſſint, ex eo oſtenditur, quia conſuetudo talis poteſt eſſe rationabilis: ergo & lex idem indulgens. Aſſumptum conſtat, quia hoc ſpectat ad leuandum aſſiſtentiæ laborem, vt in ſimili tradit P. Palaus *Tractat.* 7. *Diſput.* 3. *Puncto* 9. §. 12. *num.* 14. circa conſuetudinem non aſſiſtendi Matutino, ex Bonacinâ *Diſput.* 2. *de Officio diuino in Choro, &c. Quæſt.* 5. *Puncto* 6. *num.* 14. vbi alios adducit. Et quidem propter eum finem Conc. Trident. *Seſſion.* 24. *Cap.* 12. tres menſes ſingulis annis abſentiæ concedit, non permiſſione ſolâ, ſed licentiâ: vt id ſanè liceat, ſicut eius verba declarant, dum ait: *Non liceat vltra tres menſes, &c.* Sicut ergo tres menſes in anno conceduntur, ita & quolibet die vna poteſt Hora conuenienti ratione concedi, beneficio conſuetudinis. De tribus aliis menſibus ob iuſtam cauſſam admittit P. Leſſius *in Reſolutionibus poſthumis.* verb. *Beneficium, num.* 44. vide & *num.* 41. Prætereà, Conſuetudine induci poteſt vt aliqui non aſſiſtant ob diuturnam in aſſiſtendo defatigationem: & ita vſu receptum in Compoſtellanâ Eccleſiâ vt Præbendarij, qui per 40. annos ſeruierunt, etiamſi abſint, pro præſentibus habeantur, annuente conſuetudini iſti Gregorio XIII. vt refert P. Bauny *Tomo* 1. *Tractat.* 11. *Quæſt.* 17. §. *Primo*, *quia* vbi ſic concludit: *Iam hoc quæro, cur quod in Eccleſiis Hiſpaniæ ſit impunè ratione conſuetudinis, in Noſtratibus, id eſt, Gallis, culpabile ſit, nec ferendum?* Sic ille. Quod & nos poſſumus ad Indicas Eccleſias deriuare. Iuxta quæ legitima eſt conſequentia, quòd ſcilicet lex eſſe poſſit pro eodem, quia conſuetudo legitimè præſcripta & rationabilis vim legis habet, vt ex Iure notum. Cap. *Finali*, de conſuetudine & communi Doctorum conſenſu, vnde & circa illam lex poteſt expreſſa conſtitui, id indulgens, quod aliàs non eſt vſu firmatum, vel ſi firmatum ſit, ſpecialius illi robur adiiciendo. De conſuetudine enim ad ſtatutum benè arguitur, iuxta Doctores, quos adducit Marius Antonius *Lib.* 1. *variar. Reſol.* 1. *n.* 3.

Conc. Trid.

Conſuetudo Eccleſiæ Compoſtellanæ.

33 Et citatus quidem Pater conſuetudinem quamdam aliquarum Galliæ Eccleſiarum ſatis notabilem defendit, quarum Præbendarij diſcedentes à Choro vixdum inchoatis Matutinis, vt fit Metis, vel intereſſentes tantùm Miſſæ, aut Matutinis, vt fit Sibianecti, quidquid præſentibus obuenit plenè recipiunt. Circa quod in fine §. *Non ero*, ſic ille ſcribit: *Quarè eſt hæc mea ſententia dum corriguntur (quod facere Epiſcopo eſt neceſſe, aut Papæ, ſi eius ſolius poteſtati ſubiecti, ab Epiſcopi ſunt cenſurâ liberi) mea inquam eſt opinio Canonicos, vbi ſe Choro ſteterint, ſub initium finemque Officij, aut Horæ vni de præcipuis interfuerint, prout eos facere mos in ſuis Eccleſijs obtinuit, poſſe quidquid præſentibus obuenit, ſeruare.* Sic ille, id probans, tum multorum proborum exemplo, qui ſe huic conſuetudini conformarunt, obuentiones integrè reportantes: cùm quia ob diuerſas cauſſas, quas Doctores aſſignant, abſentes frui omnibus iis poſſunt, quæ ſunt præſentibus deſtinata. Item, quia conſuetudo hæc legitimè poteſt eſſe præſcripta, & poteſt dici rationabilis, quia è maieſtate Eccleſiæ eſt vt fas ſit Canonicis egredi, cùm aliquamdiu in ſacrâ æde precandi cauſſâ fuère cum ceteris, acſi velint per ſe pſallere, & non per ſubſtitutas ad hoc operas, id vt illis ſit liberũ. Accedit bona obuenientia poſſe ſibi inuicem largiri Canonicos, ſi nulli ſint nominatim debita, & ea, de quibus agimus, ad præſentes ſpectant, vnde & liberaliter poſſunt condonare. Prçterquàm quòd lex non obligat, niſi recepta ſit, vt plures Auctores docent, ex quibus aliquos cógerit: & quæ de negandis diſtributionibus, abſentibus, aut à Choro, vt *ſuprà*, diſcedentibus, ab Eccleſia lata eſt, in Eccleſiis dictis non eſt recepta; vbi & dici poteſt præſentes eſſe, quia parti aſſiſtunt, ſaltẽ impropriè & ſynecdochicè. Sic ille philoſophatur. Et quidem ſi iuxta ipſum rationabilis conſuetudo dicta haberi debet, & è maieſtate Eccleſiarum eſt, cur corrigendam dicit, idq; neceſſariò ab Epiſcopo, ſeu à Pontifice faciendum? Ea certè corrigenda, quæ à ratione ſunt aliena, & ita implicatio eſſe in dictâ videtur poſitione.

Et notabilis alia Eccleſiarũ Gallicarum.

P. Bauny vt illi deferendum cenſeat.

Non conſequenter loquitur.

34 Deinde. Conſuetudo in caſu dicto omnino reprobata eſt in Cap. *vnico de Cleric. non reſid. in ſexto.* & in Concilio Tridentino *Seſſione* 24. *Cap.* 12. *de reformat.* Pro quo conſulendus P. Thomas Sancius *Lib.* 2. *Conſil. Cap.* 2. *Dub.* 110. Quòd autem rationabilis non ſit, conſtat ex eo quòd vt iniqua generaliter improbatur: iniquum enim eſt, vt qui non laborant, manducent ex iis, quæ ſunt laborantibus deſtinata. Videndus Couarruuias *Lib.* 3. *Variar. Cap.* 13. *num.* 5. vbi Philippum Probum id probantem adducit, addens poſſe ſtare conſuetudinem, ſi conſenſu Pontificis ſit inducta, & ſic concludens: *Oportet autem hanc conſuetudinem aliquâ ratione & cauſſâ ab iniquitate defendi; cùm alioqui iniqua eſſe videatur.* Sic ille: & ex hoc refellitur id, quod dicitur de diuerſis cauſis, quas Auctores tradunt, propter quas abſentes poſſunt pro præſentibus haberi: tunc enim Pontificis ſuffragatur voluntas, de quâ *in Cap. citato*, verbis illis: *Exceptis illis, quos infirmitas ſeu iuſta & rationabilis corporalis neceſſitas, aut euidens Eccleſiæ vtilitas excuſaret.* Quod à Concilio Tridentino penitus approbatur, Conſtitutionis eiuſdem factâ mentione, propter quam ſeptuagenarios à reſidentiâ excuſari tradit cum aliis Marius Antoninus *Lib.* 1. *Reſolut.* 85. *num.* 12. Eſt etiam Eugeniana Conſtitutio in fauorem ſtudentium, quam refert Nicolaus Garcia *de Beneficijs*, *Parte* 3. *Cap.* 2. *num.* 58. & non eſſe reuocatam probat Thomas Hurtadus *Tractat. vlt. num.* 733. *& ſeqq.* propter quam cenſent multi etiam lucrari diſtributiones, vt videri poteſt apud D. Solorzanum *Tom.* 2. *Lib.* 3 *cap.* 14. *n.* 24. cùm tamen illæ ibidem expreſsè excipiantur, quia de propriis accipiendum. Et Bonifacij VIII. in Cap. *Cùm ex eo, de Elect. in* 6. Sicut & alia Honorij III. in fauorem Magiſtrorum Cap. *Super ſpecula*, quod eſt finale *de Magiſtris.* In caſu autem, de quo eſt ſermo, nihil tale accidit: neque enim momenti eſt alicuius, quod de maieſtate Eccleſiarum dicitur, cùm ſit illud potiùs maieſtati earum aduerſum: quòd ſcilicet Præbendarij officia ſacra ſua dedignentur præſentiâ cohoneſtare, totum illud magnum & ſublime cultùs diuini negotium Clericis vulgaribus relinquentes. Et cùm non dedignentur ex Beneficio viuere, officium, in quo eſt ſumma conſtituta ſublimitas, per ſe exequi dedignantur. Neque proborum praxis cauſſam promouere poteſt, quando in contrarium ratio & auctoritas

Dictam conſuetudinem Sacris Canonibus reprobatam, & non eſſe rationabilem.

Couarr.

Cap. Vnico ſuprà.

P. Bauny rationes deiiciuntur.

adeò

Digitized by Google

adeò manifeſtè ſtant. Morem planè ſecuti, & re indiſcuſſà proceſſerunt: neque adeò equidem probi, qui lucro ita attenti, diuinum cultum, cuius eſſe promotores ſoliciti debuerant, adeò frigidè pertractarunt, vt vix pedem in Eccleſiam intulerint, cùm eumdem reuocarint. Videndus P. Leſſius *infrà Caſu* 11.

Condonationem mutuam non licere Præbendatis.

35 Quod verò ad condonationem attinet, à Concilio Tridentino eſt penitus condemnata citato in Capite verbis illis: *Diſtributiones verò qui ſtatutis horis interfuerint, recipiant; reliqui quauis colluſione, aut remiſſione excluſâ, his careant, iuxta Bonifacij Octaui Decretum &c.* Remiſſionem autem non ſolùm eſſe illicitam, ſed etiam inualidam, communis eſt Scriptorum ſententia, qui videri poſſunt apud P. Fagundez *Tomo 2. in Decalogum Diſput.* 23. §. 4. *numer. 6. Lib.* 10. de quo etiam *inferius Capite* 8. Non eſſe autem receptam legem huiuſmodi inconſequenter dicitur, quandoquidem Concilij Tridentini Decretum de accretione diſtributionum, quæ reſpectu intereſſentium contingit, cùm alij abſunt, in præſenti cauſſa ab eodem Auctore allegatur §. *Secundò cum ſint.* Præterea, ſecluſâ lege, iuri naturali ſtandum eſt: Atqui iuri naturali repugnat, vt qui officio ſuo deeſt, præmium conſequatur officij. Pro quo eſt argumentum Auctoris eiuſdem §. *Cauſſa eſt*, vbi ita ſcribit: *Qui de bonis communibus Eccleſiæ vitam propagat, ei quoque miniſtrare debet, vt dicitur Cap.* Secundùm Apoſtolum, *de Præbendis: at in quo eſt Eccleſiæ vtilis, qui præter ſpeciem ſuam nihil ei publicè in Choro accommodat?* Hæc ille. Quibus nos addere poſſumus: In quo eſt Eccleſiæ vtilis, qui nec ſpeciem ſuam publicè in Choro accommodat, per ſpatium ibi breuiſſimum demoratus? Iam quid de aſſiſtentia? quæ impropriè & Synecdochicè ſit talis, benè quidem dictum eſt; ex quo & ſit impropriè & Synecdochicè eſſe etiam ſic præſentibus diſtributiones tribuendas, vt iuſtitiæ propria æqualitas teneatur. Quæ quidem ideò à me longiori ratiocinatione propoſità, vt omnibus proſim, & ne pro Indiis ſimile quidquam præſumatur. Et quidem Auctor idem poſteà in *Praxi Beneficiorum Diſput.* 14. *Quæſt.* 1. §. *Secunda, Beneficium*, conſimili conſuetudine memoratâ, ſic ſubdit: *Quod quàm prudenter iuſtèque id agant, aliorum eſto iudicium: hunc ergo morem probare non poſſum, vtpotè Concilij Decretis oppoſitum.* Hæc ille, quibus potiùs annuendum.

Legem eſſe receptam, & eâ non ſtante iuri naturali ſtandum.

Suâ doctrinâ citatus Auctor redarguitur.

Impropriè aſſiſtentia impropriâ diſtributionem largiendam.

Sanior citati Auctoris ſententia.

Epiſcopis diſpoſitionem circa dicta competere.

36 Illud autem veriſſimè à citato Scriptore dictum, ad Epiſcopum ſcilicet pertinere conſuetudines rationi non conformes corrigere, quia in iis, quæ ad hoc ſpectant, ius illi ratione officij conuenit: & ſpecialiter in Concilio Tridentino obligatio circa illud intimatur *citato Cap.* 12. Vide etiam P. Leſſium *ſuprà num.* 45. & verb. *Horæ Canonicæ n.* 16. & 17. & omnino *Caſu* 11. dum per Synodum Prouincialem quid debeat fieri non ſtatuitur. Et licet ibidem duos Canonicos adhibendos ad diſpoſitionem hujuſmodi decernatur, verbis illis: *Intereà verò Epiſcopus, non minùs quàm cum duobus Canonicis, quorum vnus ab Epiſcopo, alter à Capitulo eligatur, in iis, quæ expedire videbuntur, poterit prouidere.* Sic Concilium. Illorum tamen duorum non eſt ſuffragium deciſiuum, ſed conſultiuum, vt Congregatio Cardinalium declarauit, quæ ſic habet: *Epiſcopus tenetur conſilium hoc petere, non autem ſequi: conſenſus enim Capituli non eſt neceſſarius.* Sic Congregatio, vt extat in Editione *Ann.* 1631. & ratio eſt, quia ſtante petitione conſilij, verè cum duobus Canonicis procedit, & prouidet, vnde non eſt eius iuriſdictio contra tenorem diſpoſitionis, cùm ſit odioſa coarctanda: & vt talis loquendi modus omnino legitimus oſtendatur, ponamus ex duobus Canonicis vnum hoc modo ſentire, alium diuerſo: tunc quidem ſi Epiſcopus vnius iudicium amplectens, iuxta illud ſtatuat, illius ſtatutum ſtabit, & tamen ſi ſuffragia debeant eſſe deciſiua, & ad eum ſenſum verba Concilij aduocanda, nequit dici cum duobus prouidere: non eſt ergo ſenſus ille accommodatus. Et quòd conſuetudine introduci poſſit, vt videtur certè introductum, quòd tale conſilium non requiratur, ex Auctoribus colligitur, quos adducit Zerola. Verb. *Epiſcopus* §. *Decimò.*

Duorum Canonicorum ſuffragia tantùm conſultiua.

Declaratio Cardinalium.

Pro illa ratio.

37 Quia verò contingere poteſt vt Epiſcopi conſuetudinem aliquam remouere velint, quæ rationabilis & legitimè præſcripta ſit, & Præbendarij probabile fundamentum ad ſe in eâ cõſeruandos habere poſſint, vt circa aſſiſtentiam in Matutino & Primâ altercari vidimus, ſuo illi vtantur iure; neque enim Epiſcopis ita defertur arbitrium, vt quidquid veroſimile appareat, valeant imperare. Pontifices quidem in ſuis Conſtitutionibus conſuetudines locorum attendunt, nec ſuæ eſſe voluntatis affirmant, illis, cùm generaliter ſtatuunt, contraire, quas, cùm ſint res facti, poſſunt ignorare, vt conſtat ex *Cap.* 1. *de Conſtitutionibus in Sexto.* Non ergo Epiſcopis aliter eſt de ſuâ præſumendum poteſtate, vt omnem valeant ſibi non bene viſam conſuetudinem ſtatim abrogare, quæ aliis & probis, & ſapientibus rationabilis poteſt apparere. Quòd autem ſtare conſuetudo rationabilis poſſit, vt Præbendarij non debeant omnibus Horis intereſſe, & conſequenter ſtatutum vim illi tribuens, iam à nobis oſtenſum *num.* 32. Pro quo & facit id, quod in Concilio habetur ante adducta verba: ſic enim ibi: *Cetera, quæ ad debitum in diuinis officiis regimen ſpectant; deque congrua in his canendi, ſeu modulandi ratione, ſimulque de omnibus Eccleſiæ miniſtris, quæ neceſſaria erunt, etſi qua huiuſmodi Synodus Prouincialis pro cuiuſque Prouinciæ vtilitate & moribus, certam cuique regulam præſcribit.* Hæc ibi. Ex quibus conſtat id, quod attinet ad conueniendum in Choro, & permanendum ibi, ad Synodum Prouincialem ſpectare, vel ad Epiſcopum, dum Synodi ſtatuta non extant, & in iis attendendos Prouinciarum mores. Non ergo neceſſarium eſt vt Præbendarij ad omnes Horas conueniant, & in Choro permaneant, ſi enim hoc neceſſarium eſſet, non erat cur circa hoc Synodus aut Epiſcopus deberent ſpecialiter prouidere. Et per hoc roboratur id, quod *numer.* 29. diximus circa pœnam non intereſſentium, quando Pontificium ſtatutum directè non violatur, ſed ſpeciale Eccleſiæ, vt debeat ſententia iudicis expectari.

Non omnem conſuetudinem poſſe Epiſcopos abrogare.

Concilium Trident.

Illorum regulas ad diſponenda, quæ ad hoc ſpectant.

CAPVT

CAPVT VII.

Quæ abſentia in Præbendariis Indicis debeat iuſta reputari.

MVltæ eſſe pro eo cauſſæ poſſunt, iuxta Iuris diſpoſitiones, & receptas Doctorum ſententias, de quibus dictum aliquid *num.* 34. & vt id, quod inſtituti eſt noſtri, promoueamus, ſit

§. I.

De iuſta cauſſa ratione ſtudiorum.

Aſſertio 1. Licere abſentiam ratione ſtudiorum.

38 DIco primò. Studiorum cauſſâ abeſſe Indici Præbendarij poſſunt. Probatur, quia id conceditur in Cap. *Licet vobis*, de Præbendis. Cap. *Cùm ex eo*, de Electione in 6. & multis aliis locis apud Tiberium Decianum *Volum.* 1. *Reſponſo* 43. *numer.* 1. Dom. Solorzanum *Tomo* 2. *Lib.* 3. *Cap.* 14. *num.* 21. *& ſeqq.* P. Bauny in Praxi Beneficiorum *Diſput.* 14. *Quæſt.* 2. §. Secundò excuſat, *& ſeqq.* Dom. Barboſam *de Poteſt. Epiſc. Alleg.* 56. *numer.* 18. *& ſeqq.* alioſque. Et conceſſio talis nullibi reuocata; immò nec videtur poſſe conuenienter reuocari, ſtante ſemper ratione adductâ à Pontificio Octauo dicto Cap. *Cùm ex eo*. ſummâ ſcilicet neceſſitate doctorum hominum in Eccleſia.

Aſſertio 2. Maximè Theologiæ. Cap. Licet ex eo

Dico ſecundò. Abſentia ob cauſſam dictam maximè habet locum in Theologia. Conſtat, tum ex illius præſtantia, tum ex ſpeciali conceſſione in *Cap. finali de Magiſtris.* Et in Concilio Tridentino *Seſſione* 5. *Cap.* 1. *De Reformat.* Vbi de ſtudio Scripturæ ſacræ eſt ſermo, quod eſt Theologiæ fundamentum: & ex illius conceſſione ſufficienter poſſet intelligi ſtudium etiam Theologiæ conceſſum: quemadmodum in citato Cap. *Licet vobis*, ſic habetur: *In ſacra pagina cupientes ſtudere.* Et tamen ibi Doctores Theologiam indicatam etiam volunt, ſicque habet Summarium eiuſdem Capitis, dum in eo ita legitur: *Abſens in Theologia ſtudio fructus Beneficiorum ſuorum percipit.*

Aſſertio 3. Et Iuris Canonici.

39 Dico tertiò. Idem indultum pro ſtudio Iuris Canonici eſt admittendum, licet in Iure non habeatur expreſſum. Sic probat Tiberius Decianus *Reſponſo citato n.* 2. *& ſeqq.* vbi Doctores & congruentias adducit.

Aſſertio 4. Circa tempus quantum concedendum.

Dico quartò. Pro ſtudio dicto tantum eſt ſpatium temporis concedendum, quantum conueniens apparet ſecundùm curſum ordinarium ſtudiorum; aliàs non obtineretur finis à Sede Apoſtolica huiuſmodi indulgentiâ prætenſus. *Cap. finali de Magiſtris* quinquennium conceditur. Cap. *Cùm ex eo*, quod eſt poſterius, ſeptennium. Eſt autem inter Doctores controuerſum an poſterior hæc Conceſſio modò locum habeat, quia Declarationes Cardinalium extant, quinquennium tantummodò poſſe concedi concludentes, vt videri poteſt apud Nicolaum Garciam *Tractatu de Beneficiis Parte* 3. *Cap.* 2. *num.* 81. pro quo & ipſe pugnat *num.* 82. ſicut & alij, in quibus Dom. Barboſa *ſuprà num.* 31. Sed contrarium tenet Zerola *Parte* 1. verb. *Studium. Ad Tertium*, ſolis Parochis aſſignatum quinquennium affirmâs, & vlteriùs addens circa hoc poſſe Epiſcopum arbitrari: & ita non ſolùm ſeptennium, ſed etiam octennium concedere ſiue pro Theologiæ, ſiue pro Iuris ſtudio. Et pro eo adducit Conciliũ Lateranenſe ſub Leone X. *Seſſione* 8. §. *Statuimus.* vbi quinquennium pro Philoſophiâ, & aliud item pro Theologia conceditur: item Pium Quartum *die* 24. *Nouemb. Ann.* 1564. Bullâ ſpeciali quinquennium exprimentem. Vbi tamen additur, *Vel aliud tempus.* Concilium Tridentinum *citato Cap.* 1. *Seſſionis* 5. vbi nulla temporis limitatio adiecta. Quod quidem mirum videri non debet, ſi Galliæ conſuetudinem attendamus, in quâ decennium pro Magiſtris & Licentiatis in Theologiâ conceditur: & pro Doctoribus, aut Licentiatis in Artibus, & Logicalibus incluſiuè, ſeptennium, vt teſtatur P. Bauny *Quæſt.* 2. *citata* §. *Dixi, iure.*

Concilium Later. ſub Leone X.

Pius IV.

Concil. Trid.

Galliæ conſuetudo.

Eugenij IV. Conſtitutio quæ Salmanticenſi, & alijs, præſertim Indicis Vniuerſitatibus, eſt communis.

40 Et addi poteſt Eugenij Quarti Conſtitutio, de quâ *num.* 34. quæ licet pro Salmanticenſi Academia tantùm expedita ſit, ad omnes alias extendendam multi Scriptores affirmant, quos adducit & ſequitur Dom. Solorzanus *ſuprà num.* 25. *&* 26. Vbi id præſertim habere verum ait in Limana & Maxicana, quibus priuilegia omnia Salmanticenſis à Carolo ſunt quinto conceſſa. Quod quidem alicui minùs fortè placeat, quia Imperator & Rex potuit quidem priuilegia communicare, quæ ipſe, aut eius inclyti Progenitores concedere potuerunt: non verò illa, quæ ad ius ſpirituale Beneficiatorum ſpectant, quale eſt iſtud, de quo loquimur, & ea, quæ ad ipſum pertinent, & ita Pontifici propria ſunt, vt neque Epiſcopi circa illa plenam habeant poteſtatem. Poteſt autem illud reduci ad Alexandri Sexti ampliſſimam Conceſſionem circa propagandam fidem, & Miniſtros prouidendi. Sed hoc etiam difficultatem habet, quia Reges noſtri, cùm de ſtudiis generalibus fundandis agitur, vbi Gradus, prout in Vniuerſitatibus conceduntur. Sedem Apoſtolicam per ſuos Oratores adeunt, vtpotè qui exiſtimant, quæ talia ſunt, eorum excedere poteſtatem. Quidquid de hoc ſit, ratio à nobis adducta vrget, quia niſi competens concedatur tempus, Eccleſia conceſſionis ſuæ fine fruſtratur. Quis enim quinquennio poſſit in litteris euadere conſummatus? Tales profectò, quales illa deſiderat in Cap. *finali*, & Cap. *Cùm ex eo*. In ſcientia inquam ita proficientes, vt *fructum in Dei Eccleſia ſuo tempore afferre valeant opportunum. Qui ſicut ſplendor firmamenti in Eccleſia ſint*, & *velut ſtellæ in perpetuas æternitates manſuri*, vt ibi dicitur.

Carolus V. vt potuerit priuilegia Salmanticenſis ad Indicas extendere.

Ratio pro ampliori ſpatio quàm quinquennij.

Cap. Cùm ex eo.

Aſſertio 5. Prædicta Indijs applicanda.

41 Dico quintò. Quæ Aſſertionibus præcedentibus dicta ſunt, Indiis poſſunt applicari, pro quibus locutus Dom. Solorzanus citatis locis, & in Politica *pag.* 616. Et ratio eſt quia nullibi exceptæ inueniuntur: quamuis dici non inueroſimiliter poſſet excipiendas eſſe, quia in illis ſpeciales militant rationes, ſcilicet diſtantia magna reſpectu Regiæ Curiæ, vnde prouiſiones adueniunt, ex quo fit vt Eccleſiæ multoties competentibus Miniſtris deſtitutæ reperiantur: cui incommodo, ſi ex alia parte accedat, quod ex abſentiâ pro ſtudiis emergit, maior videbitur ſolitudo.

Quæ oppoſitum probare videantur.

Digitized by Google

ſitudo. Deinde, Pro Eccleſiis Indiarum Miniſtros debere idoneos eligi, iuxta id, quod ab Alexandro Sexto Regibus Catholicis in celebri donationis Indiarum Bullâ grauiter intimatur. Præterquam quòd in Eccleſiis Europæ, vbi priuilegium dictum viget, ſolent Vicarij ſubſtitui; (licet obligationem talem negat Trullench *Libro* 1. *Cap.* 8. §. 9. *num.* 5.) per quos ſatis ſacris fiat officiis, vt de Gallia teſtatur P. Bauny *ſuprà* §. *Dixi, iure*. Et generaliùs Zerola. *V. Beneficium, ad Tertium*, *pag.* 87. ſimilis enim vbique ratio occurrit: ne ſcilicet Eccleſiæ ſeruitium per longum adeò ſpatium, cùm pro eo abundè ſint diſpoſiti prouentus, omittatur. Atqui id fieri in Eccleſiis Indiarum conuenienter nequit, quia nullus pro abſenti inter Capitulares admittitur: & quamuis ad canendum poſſet admitti, non tamen ad alia, quæ Præbendariis propria ſunt, tum in Choro, tum in altari. Item cùm in Eccleſiis Indiarum, vt diximus, tota Præbenda ſit in diſtributionibus conſtituta, eam integrè ſic abſentes lucrari contendent, quia multi Doctores ita cenſent, quos refert & ſequitur Dom. Solorzanus *citato Cap.* 14. *num.* 28. & 29. quod quidem durum videtur, vt ſcilicet ij, qui in Eccleſia reſident, & pondus ſeruitij ſuſtinent, nil plus eo titulo habeant: vnde ſacri Canones diſtributiones ſemper excipiunt, ſicut & Eugenius Quartus, vt vidimus *num.* 34. eo quidem reſpectu vt præſentes & ſeruientes, non præſentibus nec ſeruientibus præferantur. Licet autem ſint Doctores, qui in hoc caſu tertiam diſtributionum partem detrahendam dicant, vt videri poteſt apud eumdem Auctorem *citato num.* 28. tenetque etiam P. Palaus *Tomo* 2. *Tractatu* 7. *Diſputat.* 3. *Puncto* 9. §. 9. *num.* 13. verſ. *Solum eſt*: quod eſt equidem & iuri & rationi apprimè conſonum, extatque pro eo Declaratio Cardinalium circa *Cap.* 1. *Seſſ.* 5. *num.* 25. Cùm tamen in opinione ſit, facilè contingere poterit vt contra Præbendarios in fauorem ſtudentium ſententia proferatur. Et ita quidem videmus in Magiſtris practicari, quibus pro abſentiæ tempore nihil detrahitur.

Ex diſtributionibus an aliquid detrahendum.

Aſſertio 6. *Licentiam Prælatorū in Indiis neceſſariā.*

42 Dico ſextò. Si priuilegium ſtudentium ſit in Præbendariis Indicis practicandum, nullo modo id ſine licentiâ debet fieri Prælatorum, qui & eam poterunt denegare. Scio multorum eſſe ſententiam, qui affirmant Prælatorum licentiam non requiri, quibuſcum tandem ſentit Nicolaus Garcia *Parte* 3. *Cap.* 2. *num* 95. pro quo & alios adducit P. Bauny *Quæſt.* 2. §. *Hæc tamen.* Sed certè multi alij neceſſariam eſſe dicunt, ex quibus P. Reginaldus *Lib.* 30. *Tract.* 3. *Cap.* 5. *num.* 54. §. *Quarta ſententia*, vbi P. Leſſium adducit; qui tamen *Lib.* 2. *Cap.* 34. *num.* 163. ad ſtudium Theologiæ, & Iuris Canonici non eſſe neceſſariam aſſerit. P. Palaus *ſuprà num.* 7. Dom. Barboſa *Allegat.* 56. *numer.* 28. & 29. Citat autem vterque Nicolaum Garciam, qui tamen *citatorum* contrarium determinat. Et pro eo ſtat Cap. *Relatum*, & Cap. *Tua Fraternitatis, de Cler. non reſid.* ibi: *Niſi fortè de licentia ſuorum Prælatorum, vel ſtudio litterarum, vel pro aliis honeſtis cauſſis &c.* Sic in priori. Et in alio, ibi: *Accepta licentia.* Ita vt etiam apertè Pius Quartus in Bulla citatâ *numer.* 39. & Congregatio Cardinalium, de qua Nicolaus Garcia *num.* 81. & 82. quæ circa ætatem præſcribit limitationem: neque iudicium circa illud & alia formari conuenienter poteſt, niſi Prælatus à Præbendario conueniatur: Pro quo & expendo Cap. *Super ſpecula*, ibi: *Ad Theologicæ profeſſionis ſtudium aliqui docibiles declinentur: qui, cùm docti fuerint, in Dei Eccleſia velut ſplendor fulgeant firmamenti &c.* Non ergo omnes, ſed docibiles, ad Theologicæ profeſſionis, & Iuris Canonici ſunt ſtudia deſtinandi; ſed qui docibiles? De quibus ſcilicet ſperari poſſit, ſi diu prædictis facultatibus operam dederint, in Dei Eccleſia adinſtar ſplendoris firmamenti futuros, & vt *ad iuſtitiam valeant plurimos erudire*, vt ibidem dicitur, priùs ipſi iuxta ingenij docilitatem eruditi. Vt ergo ex circumſtantiis docilitas poſſit agnoſci, Prælatus neceſſariò eſt adeundus, & illius beneplacitum requirendum. Quòd autem in Indiis negare licentiam debeat, niſi caſus aliquis rarus accideret, adductæ rationes oſtendunt.

Caput, Relatum. Et Cap. Tuæ Fraternitatis.

Cap. Super ſpecula.

43 Quia verò repulſus appellare poteſt, vt cum Zerola tradunt alij ab eodem citati *ſuprà num.* 1. §. *Ad Primum*. Et P. Palaus §. *Nihilominùs*, videant appellationis iudices qualiter in huiuſmodi cauſſa procedant: vix enim credibile eſt, vt maiorem notitiam docilitatis habeant illi, quàm Paſtor proprius, qui omnes circumſtantias attentè poteſt expendere, & viciniores teſtes examinare. Omnibus autem id audiendum, quod habet Gloſſa in *citatum* Cap. *Cùm ex eo*, verb. *Litterarum*, ſic clamans: *Caueant Epiſcopi ne diſpenſent cum iis, qui dociles non ſunt; iam enim in eis ceſſat huius Conſtitutionis cauſſa. Vnde nec fiat diſpenſatio.* Sic illa, adducens ſtatim Cap. *Quod pro remedio* 1. *quæſt.* 7. quod tamen non videtur ad rem, quia ibi tantum dicitur *quòd id quod neceſſitas pro remedio reperit, ceſſante vtique neceſſitate debet ceſſare pariter.* Niſi dicamus ceſſare hic neceſſitatem, quatenus neceſſitas poſſibile reſpicit: cùm autem is, qui docibilis non eſt, nequeat neceſſitati Eccleſiæ ſuccurrere, reſpectu illius ceſſat neceſſitas. Sicut eſuriens neceſſarium habet panem, non lapidem, qui tantùm in panem poteſt per diuinam potentiam tranſmutari. Accedit Regia Schedula Philippi Tertij *die* 14. *Auguſti. Ann.* 1620. ad Proregem, & Audientiam Nouæ-Hiſpaniæ, in qua iubet *Que ningun Prebendado deje de ſeruir y reſidir ſu Prebenda, à titulo de Cathedra.* Ex tali enim iuſſione clarè videtur inferri neque ratione ſtudij debere reſidentiam omitti: quia omiſſio reſidentiæ ob publicum magiſterium magis priuilegiata eſt, vt conſtat ex Cap. *Finali*, de Magiſtris, vbi cùm pro ſtudentibus concedatur quinquennium, Magiſtris tamen minimè tempus limitatur, vt communiter obſeruant Scribentes, pro quo Dom. Barboſa *Allegat.* 56. *citata n.* 32. vbi alios adducit. Et P. Palaus *ſuprà numer.* 11. §. *Ceterùm*: quamuis Gloſſa non ita reſolutiuè in eo loqui videatur. Cùm ergo pro Magiſtris priuilegium Iuris in Indiis non ita ſuffragetur, vt illi à reſidendi obligatione habeantur immunes, neque id certè debet pro ſtudentibus indulgeri. Et licet Schedula dicta non ſit ad omnia Indiarum regna directa, ex eâ tamen pro iudicando conueniens fundamentum ſumi poteſt, ſtante præſertim ſententiâ & praxi, pro qua Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 4. *Cap.* 12. *num.* 66. & *ſeqq.* plures

Quid ſi repulſus appellet.

Gloſſa.

Cap. Quod pro remedio 1 q. 7.

Schedula Philippi 3.

Digitized by Google

plures Auctores adducit, quod ſcilicet Regiæ Schedulæ ad vnum Proregem directæ, non ſolùm pro illo regno, ſed pro omnibus ius ſtatuant, in quibus eadem eſt ratio, vt in caſu eſt noſtro manifeſtum.

Parochis licentiam denegandã.

44 Et ex his conſtat Parochis potiori ratione licentiam huiuſmodi denegandam. Pro quo & facit quamplurium Doctorum ſententia aſſerentium illis poſt Concilium Tridentinum non poſſe concedi. Cùm enim iuxta illud Beneficia Curata debeant per concurſum, dignioribuſque conferri; non eſt poſſibile digniorem inueniri aliquem, & aliàs penitus illitteratum. Videndi illi apud Barboſam *ſuprà, num.* 30. qui & ita deciſum affirmant. Quod etiam vt probabilius & in conſulendo ac iudicando ſeruandum amplectitur P. Palaus *ſuprà, num.* 8. *&* 9. vbi plures etiam congerit oppoſitum ſentientes, qui tamen ab Epiſcopo licentiam petendam affirmant. Tenent etiam Trullench *ſuprà, num.* 3. caſum tantùm rarum excipiens. Et Thomas Hurtadus *Tractatu vltimo, num.* 740. niſi quando Cura eſt data ſine concurſu, de quo *num.* 741. Habent ergo Indiarum Epiſcopi vnde negare eam meritò poſſint, idque ſine appellationis remedio, quia ſuo vtuntur iure ſecundùm priorem ſententiam, & ſecundùm poſteriorem: cùm enim licentia in hoc vt neceſſaria ſtatuatur, appellatio ſubuenire nequit, vt contra id fieri poſſit. Pro quo eſt Cap. *Relatum* citatum, ibi: *Niſi fortè de licentiâ ſuorum Prælatorum, vel ſtudio litterarum, vel pro aliis honeſtis cauſſis contigerit eos abeſſe: nec patrocinari debet eis appellationis diffugium, ſi contra huiuſmodi intentionem Decreti fuerit interiectum.* Sic Alexander III. vbi de habentibus Curatum Beneficium agebatur. Extat etiam pro eodem Decretum Concilij Tridentini *Seſſion.* 23. *Cap.* 1. *de Reformat.* vbi ſtatuitur neminem Curam animarum habentem poſſe ſine licentiâ Ordinarij in ſcriptis, gratiſque concedendam, ſe abſentare: quod ſi ſecus accidat, cenſuris abſentem poſſe compellere ad reſidentiam, non obſtante Eugenianâ, Extrauagante inquam Eugenij IV. quæ habetur inter Communes *Lib.* 5. *de Priuilegijs*, *Cap.* 3. & prohibet Cenſuras ferri in eos, qui Romam tendunt, ibique negotia apud Sedem Apoſtolicam proſequuntur. Poſſunt ergo & tales ad reſidendum compelli, poſſunt pariter & ſtudentes, idque *ſine appellatione, aut inhibitione etiam in Romanâ Curiâ.*

Nec appellationi deferendum.

Cap. Relatum, de Cleric. non reſid.

Conc. Trid.

Aſſertio 5. circa Ius Ciuile idẽ priuilegiũ extare, iuxta probabilem ſententiam.

45 Dico ſeptimò. Pro ſtudio Iuris ciuilis poſſe priuilegium dictum ſuffragari (iis exceptis, de quibus in Cap. *Non Magnopere.* & Cap. *Super ſpecula*, ne Clerici, vel Monachi, Religioſis inquam, Presbyteris & habentibus dignitatem, vel perſonatum, vel Parochialem) tenent Doctores aliqui, ex quibus nonnullos adducit & ſequitur Tiberius Decianus *Volum.* 1. *Reſponſo* 43. *numer.* 5. *& ſeqq.* quibus addendi Dom. Barboſa *Allegat.* 56. *citata, num.* 26. Zerola verb. *Studium. Ad quintum*, qui etiam alios allegat. Bonacina *Tomo* 1. *Diſput.* 2. *de officio diuino, Quæſt.* 5. *Puncto* 3. §. 9. *num.* 4. & P. Palaus tamquàm probabile *ſuprà, numer.* 6. Negant alij, ex quibus videtur Dom. Solorzanus, qui ſolius Theologiæ, & Iuris Canonici meminit. Pro quo & faciunt Declarationes Cardinalium, quæ numquàm de Ciuili iure loquuntur. Sed certè cùm prior dicendi modus graues Patronos habeat, non poteſt penitus improbari: præſertim quia Cap. *Cùm de diuerſis*, de Priuilegijs *in* 6. expreſsè Ius ciuile commemorat, dum ſtudentes Romæ, vbi iubetur *vt regatur & vigeat ſtudium iuris diuini & humani; Canonici videlicet, & Ciuilis*, omnibus priuilegiis fruantur, quibus fruuntur ij, qui ſtudent *in Scholis, vbi generale regitur ſtudium, & ita quòd recipiant integrè prouentus ſuos Eccleſiaſticos, ſicut illi, &c.* Vbi Innocentius IV. non ſolùm pro Romæ ſtudentibus priuilegium illud concedit, ſed ſimul oſtendit quantùm debeat Iuris Ciuilis ſtudium æſtimari; atque ita cauſſam eſſe ſufficientem, vt abeſſe Beneficiarij poſſint: pariterque præſupponit id in ſtudiis aliis generalibus fieri, dum ad eorum ſimilitudinem Romanas vult Scholas frequentari, & ſimilibus priuilegiis ſtudentes frui. Quòd ſi quis miretur quomodo Pontifex in ſtatuendis ſcholis non meminerit Theologiæ, occurrendum eſt cum Ioanne Monacho, qui ait illud, *Canonici videlicet & Ciuilis*, non ita exponendum, vt Canonicum reſpondeat diuino, & Ciuile humano, ſed per vtrumque quod ſit humanum exponatur. *Id eſt, poſitiui, ſcilicet Canonici & Ciuilis: quod dicit diuini intelligatur propriè de ſacrâ paginâ.* Verba illius ſunt. Et meritò quidem, quia Ius Canonicum nequit propriè dici diuinum, quandoquidem iuxta communem Theologorum & Iuriſperitorum intellectum, ius diuinum & poſitiuum omnino diſtincta ſunt, & ita frequentiſſimè loquimur, dum dicimus aliquid eſſe de iure poſitiuo, non tamen diuino. Quidquid tamen de hoc ſit, in Indiis non eſt concedenda licentia pro ſtudio legum, non ſolùm ob generalem rationem dictam, ſed quia ad negotium fidei, quod præſertim in eiſdem agitur, vix vtilis eſſe poteſt. Et quidem merus Legiſta generaliter loquendo parùm valet, vnde eſt illud apud Tiberium Decianum *ſuprà. Legiſta ſenza Capitulo, val poco: Canoniſta ſenza legge val niente.* Hinc factum, vt in Limanâ Academiâ ita legum ſtudium vigeat, quòd in illo nullus Gradum accipere nequeat; & ita duo tantùm anni curſus exigantur, quia eâ moderatione tantum comparari notitiæ poteſt, quantum eſt ad Sacrorum Canonum intelligentiam neceſſarium.

Cap. Cùm de diuerſis, de Priuileg. in 6.

Theologia cur non in eo expreſſa mentio.

Ioan. Monachus.

In Indijs non eſſe licentiam, pro ſtudio legum concedendam.

Aſſertio 6. pro Grammaticâ licentiã debere concedi, & quid de litteris humanioribus.

46 Dico octauò. Pro auditione Grammaticæ, ſi talis defectus poſſit cum Præbendæ adeptione componi, concedi licentia poteſt, immò & debet, quia ſine Grammaticâ Præbendarius lapſus fœdiſſimos in diuini officij exercitatione committet. Ad litteras humaniores poſſe licentiam concedi cum Nauarro tenet P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 34. *num.* 163. P. Reginaldus *Lib.* 30. *Tractat.* 3. *Cap.* 5. *num.* 54. §. *Quarta cauſſa.* Alij etiam ſine limitatione id fieri poſſe concedunt, vt Malderus & Petrus Gregorius, quorum ſententiam vt probabilem amplectitur P. Bauny *Quæſt.* 2. *citatâ.* §. *Hæc tamen:* & §. *Secundò excuſat.* Cùm ergo hoc circa humaniores litteras ita habeat, circa Grammaticam non videtur etiam in Indiis, pro Parochis ipſis dubitandum. Sic vidimus Parochum quemdam Indorum ab Epiſcopo in Seminarium miſſum, vbi Grammaticâ inter pueros addiſceret, quod neſcio an fuerit conſecutus. Si dicas tales, vtpotè penitus illiteratos, eſſe irregulares, & ita Beneficio priuandos, cuius non ſunt capaces ex Cap. *Cùm in cunctis*, *de Electione*

Digitized by Google

Quinam illiterati irregulares cenſeantur.

ctione. §. Finali. Cap. *Cùm nobis*, eodem Titulo: pro quo & Doctores apud Barboſam *Allegat. 46. num. 5. & 10. & Allegat. 63. num.* 1. Occurrendum eſt ex communi ſententiâ Doctorum, qui illiteratos Beneficij incapaces eos tantùm eſſe dicunt, qui legere neſciunt, vel ad ſummum, ſcribere: vt videri poteſt apud Illuſtriſſimum Zapatam *Diſceptatione de Iuſtitiâ diſtributiuâ, Pag.* 120. P. Thomam Sancium *Lib. 2. Conſil. Cap. 2. Dub.* 20. & P. Palaum *Tractat.* 13. *Diſput. 4. Puncto 6. num.* 9. qui ſufficiens iudicat, ſi legere linguam Latinam ſciat. Barboſa *num. 9. & 13.* cum aliis plus exigit, ſed reuerà parum, quod ſcilicet aliquod principium Grammaticæ habeat. Quòd ſi inſtetur electiones iſtas eſſe irritandas, licèt validæ ſint, vt indignis delatas, contra Concilij Tridentini Decretum *Seſſione 7. Cap. 3. de Reformat.* ibi, *Aliter autem facta collatio, ſiue prouiſio, omnino irritetur.* Pro quo Barboſa *Allegat. 65. num.* 3. & P. Palaus *ſuprà, numer.* 8. Reſponderi poteſt irritandam quidem, ſi nulla ſit ſpes meliorationis; cùm tamen eſſe poſſit, & rationes aliquæ conuenientiæ, vt irritatio poſſit ſuſpendi, conceſſo tempore ſtudij, ſitque hoc pacto melior conditio poſſidentis, vel tolerati ob inſignem probitatem, & alia, de quibus Barboſa *citato numer.* 3. & etiam.

Eorum electiones irritandas.

Conc. Trid.

Aſſertio 9. ad ſtudium Philoſophiæ priuilegiã extendi.

47 Dico nonò. Pro ſtudio ſolius Philoſophiæ generaliter loquendo veroſimile eſt priuilegium ſtudiorum ad ſic ſtudentes extendi. Sic Zerola verb. *Studium, Ad quintum.* P. Leſſius, P. Reginaldus, & P. Bauny *num. præced.* citati; qui de licentiâ vt de Grammaticâ loquuntur, & apud ipſos alij. In Indiis tamen id non videtur admittendum, propter rationem generalem, de quâ *num.* 41. & propter adductam *num.* 45. circa Ius ciuile: eſt enim ſtudium hoc ad negotium, quod præcipuè in Indiis agitur, ſtabiliendę ſcilicet Chriſtianæ Religionis, vbi dominata barbaries, parùm vtile, & tempus in eo inſumendum vtilius poſſet ſtudiis aliis commodioribus applicari. Et Præbendariis quidem, de quibus præſertim agimus, pro miniſterio Chori & Altaris, defectus Logicæ, Phyſicæ, & Metaphyſicæ incommodare non poterit. Sed ſi tantus amor huiuſmodi cognitionis in aliquo vigeat, vt de illius carentia doleat, habet ille profectò horas vacuas, habet & menſes, in quibus inſtructore conſulto, poſſit adeptione notitiæ reſpirare. Poterit etiam frequentare Scholas, cùm reſidentiæ obligatio non vrget, nec difficilè fuerit Gradum aliquem conſequi, cùm eos, qui in facultate iſtâ conferri ſolent, ſit facillimum obtinere. Quod ſi in ciuitate ſit, in quâ ſtudia communia non vigent, de Gradu non curandum, vix vtili, niſi quatenus ad ſuperiores eſt via. Satius fuerit ſtudio probitatis incumbere, ſic enim & Magiſtri & Doctoris lauream magis honorificam comparabit.

Sed non in Indijs.

Aſſertio 10. circa ſtudium Medicinæ negatiua, Et quid pro oppoſito facere videatur.

48 Dico decimò. Priuilegio dicto non debeut gaudere, præſertim in Eccleſiis Indiarum, qui Medicinæ operam dare velint. Sunt equidem qui hoc concedant, ex quibus Zerola Verb. *Studium ad quintum principale, & in reſponſione ad dubium primum*: vbi cùm prohibitionem proponat, de quâ *num.* 45. circa alios nullam mouet quæſtionem. Colligitur etiam ex P. Bauny *Quæſt. 2. citatâ. §. In eorum.* Vbi quod in Cap. *Relatum*, de ſtudio litterarum dicitur, vt vidimus *num.* 44. ad humanas omnes litteras extendendum arbitratur, cùm reuerà omnibus & diuinis & humanis ſit commune. Et poſſet quidem in Indiis ſpecialis ratio conuenientiæ, immò & neceſſitatis allegari, ob paucitatem ſcilicet Medicorum, qui huic ſtudio poſt Philoſophiæ curriculum, quæ illius fundamentum eſt, operam ſtrenuam diuturnamque nauarint. Neque Medicina Præbendatium dedecet, quandoquidem Præbendarios Medicos conſtat extitiſſe, & his ipſis diebus Canonicus Legionenſis neſcio quam ſuper curando controuerſiam Romæ diſcuſſam excitauit. Et quidem cùm Medicina ſimul cum Iure ciuili inueniatur conceſſa, iis exceptis, de quibus in Cap. *Super ſpecula, ne Clerici vel Monachi*, ibi: *Ad Archidiaconos, Decanos, Plebanos, Præpoſitos, Cantores, & alios Clericos Perſonatus habentes, nec non Presbyteros.* Sicut propter ſtudium Iuris ciuilis poteſt licentia concedi, iuxta dicta *numer.* 45. ita & pro ſtudio Medicinæ, *cùm de ſimilibus idem iudicium ſit habendum.* Cap. *Inter Corporalia*, de tranſlation. Epiſcop.

Illam non dedecere Præbendarios.

Cap. Super ſpecula.

Probatur Aſſertio.

49 Nihilominùs propoſita eſt Aſſertio ſuſtinenda, quia licet Medicinæ ſtudium non ſit Eccleſiaſticis abſolutè prohibitum: quòd tamen abeſſe à Beneficio poſſint, vt illi dent operam, contra morem Eccleſiæ eſt, non enim circa hoc quidquam practicatum extat, neque ſine ſcandalo ſtaret, ſi ad praxim illud adducere quiſquam niteretur. Pro Indiis autem eſt ſingularis ratio, quam Honorius III. adducit in citato Cap. *Super ſpecula*, ſic locutus: *Quia verò Theologiæ ſtudium cupimus ampliari, vt dilatato ſui tentorij loco, funiculos ſuos faciat longiores, vt ſit fides Catholica circumcincta muro inexpugnabili bellatorum, &c.* Cùm enim in Indiis de propagatione agatur fidei, & ita, vt funiculos ſuos, dilatato tentorij loco, faciat longiores, omnium maximè neceſſaria Theologia eſt, & ita non eſt ad Medicinam indulgentia Sedis Apoſtolicæ pro ſtudentibus amplianda. Cuius licet neceſſitas aliqua ſubſit, aliunde ſuppleri poteſt, prouidendo vt aliorum ſtatuum adoleſcentes ſtudio eiuſdem applicentur. Non eſt autem eius, & Ciuilis iuris ratio eadem, licèt ſimul proponantur: quia Iuris ciuilis ſtudium pro Sacrorum Canonum intelligentiâ valde neceſſarium eſt, & pro eo, vt vidimus, ſpecialis eſt Innocentij IV. conceſſio.

Ex citato Cap Super ſpecula vrgens ratio.

Aſſertio 11. In Scholis Societatis poſſe priuilegium obtineri.

50 Dico vndecimò. Si in Indiis licentia Præbendariis, aut etiam Parochis, ſtudiorum cauſſâ concedatur, poterunt illi Philoſophiam & Theologiam in Scholis Societatis audire, in quibus illæ cum facultate conferendi Gradus prælegiuntur. Licet enim Doctores aliqui, Declarationi cuidam Congregationis Cardinalium inhærentes, dicant futurum ſtudium in famoſa Vniuerſitate, Vt Zerola verb. *Studium, Ad Octauum*, Bonacina *Tomo 1. Diſputat. 2. de Officio diuino Quæſt. 5. Puncto 3. §. 9. num. 7. & 8.* Dom. Barboſa *Allegat. citata num. 21. & 22.* P. Palaus *Tomo 2. Tract. 7. Diſput. 3. Puncto 9. num.* 1. & alij. id tamen non videtur vrgere, quia iuxta diſpoſitiones Iuris communis id neceſſarium non eſt; & vbi præſertim de eo agitur, ſcilicet in *Cap. Tuæ Fraternitatis, de Cler. non reſident.* nihil tale iubetur. *Quæſiuiſti* (inquit Innocentius Tertius Epiſco-

Cap. Tuæ Fraternitatis.

piſcopo Altiſſiodorenſi,) *vt cùm interdum Canonici, quibus ſtudiorum gratiâ eſt indultum vt in abſentia ſua fructus recipiant Præbendarum ſuarum, acceptâ licentiâ ſe ad villas transferunt, vel caſtella, in quibus nullum eſt, vel minùs competens ſtudiorum exercitium, vtrùm Præbendarum ſuarum fructus ſint talibus conferendi?* Ad hoc ſic ille. *Ad quod breuiter reſpondemus, eis, qui huiuſmodi fraudem committunt, (cùm fraus &c dolus nemini debeat patrocinium impertiri) præfatam indulgentiam competere non debere.* Hæc Pontifex. Quis autem non videat fraudem hic tantùm dolumque notari, dum prætextu ſtudiorum vagandi oblectamenta quæruntur? & quis item non perſpiciat nihil tale in ſtudiis Societatis inueniri, vbi valde competens ſtudiorum exercitium reperitur? Vnde Bernardus Parmenſis in citatum Caput ſic ait: *Nota quod nomen ſtudij de meliori, vel ſaltem de bono intelligendum eſt.* & Gloſſa ibidem verb. *Sudiorum* ita habet: *Sufficit, ſi ſit ſtudium conueniens, ſiue mediocre. D. de Ædil. edicto. Sciendum.* §. *Illud &c l. Si quod.* §. *Venditor.* Hæc Gloſſa. Et ita non obſtante Declaratione dictâ tenet Moneta de *Diſtributionibus. Parte* 2. *Quæſt.* 10. *num.* 17. Nec videtur tandem diſſentire Dom. Barboſa, dum ait ſtudium generale illud dici, quod eſt erectum & inſtitutum per Papam, Regem, ſeu Principem, & ita non ſufficere ſtudium, quod non eſt Vniuerſitas. Studia enim Societatis, in quibus conferri Gradus poſſunt in Indiis, auctoritate Papæ & Regis id habent, & poſſunt vocari Vniuerſitates. Pro quo eſt ſententia executorialis Regij Indiarum Conſilij, quâ concluditur vt in Ciuitate Platenſi ſit Vniuerſitas, vbi de ſtudiis Societatis erat controuerſia. Et quidem non parum apparet diſſonum, vt ſtudia Abulenſia, Oxomenſia, & nonnulla alia in Hiſpania, *in quibus nullum eſt, vel minùs competens ſtudiorum exercitium*, vt Textus citatus loquitur, Vniuerſitatis nomen obtineant, & quòd illud ſit ſtudiis Societatis in Indiis, in quibus valde competens exercitium cernitur, propter aliquorum minùs competentem contradictiunculam, denegandum. Et hæc pro ſtudentibus, iam pro docentibus

Gloſſa Bernardi Parmenſis Et alia.

§. II

De iuſta abſentiæ cauſſa ratione Magiſterij.

Aſſertio 12. *Profeſſores Theologiæ, &c Canonum in Indiis qualiter priuilegiati.*

51 DIco duodecimò. Profeſſores Theologiæ Scholaſticæ, Expoſitiuæ, & Moralis, ac etiam Iuris Canonici, ita in Vniuerſitatibus Indicis docere poſſunt, vt præter horas lectioni competentes, Eccleſiæ debeant iuxta Præbendarum ſuarum officia deſeruire. Pro hoc videndus Dom. Solorzanus *citato Cap.* 14. *n.* 21. *&c ſeqq.* & in Politicâ *pag.* 617. Quia verò circa hoc amplior conceſſio extat, videntur illâ ſe tueri poſſe. Et eſt Gregorij XIII. cuius fit mentio in Declarationibus Concilij Tridentini ad *Cap.* 1. *Seſſionis* 5. *numer.* 29. & iuxta quam ita ſcribit P. Thomas Sancius *Lib.* 2. *Concil. Cap.* 2. *Dub.* 95. *n.* 5. *Verùm iam ex gratia, diebus, quibus legunt, habendi ſunt ſicut præſentes in Choro &c inſeruientes, vt declarauit Gregorius XIII. audita relatione Congregationis Cardinalium ad Caput* 1. *Seſſionis* 5. *num.* 12. §. *Non debent.* Sic ille. Quod & inductâ huiuſmodi conceſſione tenent Gonzalez *ad Regul.* 8. *Cancellariæ* §. 7. *Proœmij numer.* 180. & Nicolaus Garcia *Parte* 3. *Cap.* 2. *num.* 118. & poſt eos Bonacina *Diſput.* 2. *de officio diuino Quæſt.* 5. *Puncto* 3. §. 6. *num.* 2. Trullench *Lib.* 1. *Cap.* 8. §. 6. *n.* 1. & Thomas Hurtadus *Tract.* 12. *num.* 1585. Poterunt ergo in foro conſcientiæ totius diei diſtributiones retinere. Quis enim poſſit illis Pontificiam gratiam impedire? Sed illud videtur obſtare, de gratiâ prædictâ authenticè non conſtare. Sed obſtantia iſta ex eo depellitur, quia negari nequit ſaltem id eſſe probabile, cùm teſtimonium pro eo Scriptorum grauium habeamus. Stante autem probabilitate, ſecurè poteſt Præbendarius Profeſſor, illâ ſe in retentione dicta tueri, iuxta communem doctrinam, de qua ſæpiùs. Sed debet talis conſequenter in hac materia procedere: & ſicut Declaratione dictâ in ſuum vult vti commodum, cùm tamen authentica non ſit, ita & ſimilis pro detractione tertiæ partis diſtributionum debet admitti, de qua circa *citatum Caput num.* 25. vt enim habet Regula 38. *Iuris in* 6. *Ex eo non debet quis fructum conſequi, quod viſus eſt impugnare.* Non tamen ideò improbabile redditur priùs dictum.

Greg. XIII. amplior indulgentia.

Obſtantia quadam depulſa, & obſeruatio addita doctrinalis.

Cap. Ex eo, de reg. iuris.

52 Dico decimotertiò. Præbendarij Cathedras Iuris ciuilis moderari poſſunt, & indulto frui, quo & alij Profeſſores. Id negat P. Palaus *citato* §. 9. *num.* 3. Sed conſtat ex dictis *num.* 45. circa ſtudentes, quia omnium quo ad hoc eadem ratio eſt. Et ita Thomas Hurtadus *Tract.* 11. *n.* 737. ait ſic legentes Eugenianâ gaudere, etiamſi ſint Curati, pro quo *numer.* 732. illud magis ſpeciale, omnes exceptos in Cap. *Finali*, de quibus *num.* 48. non eſſe Profeſſores, ſed ſtudentes, vt ex tenore ipſius eſt Textùs manifeſtum: quamuis Cap. *Non magnoperè*, vtrumque Religioſis videatur prohiberi, vt exponitur in Cap. *Finali.* In priori enim ſic: *Ad legendas leges.* ſed ſtudium non ita expreſſum, ſubintellectum tamen ab Alexandro, exponit Honorius, ſic dicens: *Contra Religioſas perſonas de clauſtris exeuntes ad audiendum leges, vel Phyſicam Alexander Prædeceſſor noſter olim ſtatuit &c.* Quibus circa eoſdem ampliùs roboratis, ſubdit ſtatim: *Quia verò Theologiæ ſtudium cupimus amplìari &c. ad Archidiaconos &c.* (ſicut *n.* 48. *&c* 49.) *hoc extendi volumus &c mandamus.* Sic ille. Studium ergo eſt quod prohibet, non magiſterium. Eſt inſuper intellectus alius *citati Capitis, Non magnoperè.* & verò legitimus, iuxta quem omnis ceſſat difficultas: nam cùm in illo dicitur *Ad legendas leges*, lectio ſtudentium, non legentium indicatur, & ita exponit Honorius, eſtque iuxta Cap. *Quia nonnullis*, de Magiſtris, ibi: *Legendi ſtudium, &c opportunitas proficiendi.* Et ita de Religioſis etiam loquentes tenent plures, quos adducunt & ſequuntur P. Thomas Sancius in *Opere morali. Lib.* 6. *Cap.* 14. *num.* 45. & P. Palaus *Tomo* 3. *Tract.* 16. *Diſput.* 4. *Puncto* 13. §. 6. *num.* 2. qui cùm addant Religioſos poſſe in ea facultate graduari, conſequenter ſentire debent, & eam legere publicè poſſe, ad id enim Gradus conceditur, vnde & de aliis idem pariter eſt dicendum. Et quidem deciſionis ratio in magiſterio deficit: ex eo enim quod in Iure ciuili laureatus illud publicè doceat,

Aſſertio 13. *Circa Cathedras Iuris ciuiles affirmans.*

Cap. Finali. *Ne Clerici &c.*

Cap. Non magnopere *genuina explicatio.*

Religioſis etiam licere

Theo-

Digitized by Google

Theologiæ ſtudium non deſinit ampliari: talis enim huiuſmodi ſtudio non eſt operam iam daturus, neque quemquam impedit quo minùs Theologiæ poſſit gymnaſia frequentare. Ex fundamento autem dicto idem videtur in Profeſſore Medicinæ dicendum, & ita de illa ſimiliter Scriptores citati loquuntur. Quia verò hæc ob ſpeciales aliquas circumſtantias poteſt in Indiis dedecere, in iis præſertim, quos Ius excipit, iudicio Epiſcopi ſtandum eſt; cùm reſolutio noſtra circa illos non ſit adeò certa, quin poſſit eidem non inueroſimiliter penitus refragari.

Circa Medicinam.

De Grammatica omnino aſſeritur.

53 Pro Magiſtro autem Grammaticæ manifeſtior eſt ratio, cùm eam Concilium Tridentinum *Seſſione* 5. *Cap.* 1. *de Reformat.* Decreto Innocentij Tertij in Concilio generali, vt habetur in Cap. *Quia nonnullis*, de Magiſtris, prorſus inſiſtens, enixè commendet, ita iubens: *Saltem Magiſtrum habeant ab Epiſcopo cum conſilio Capituli eligendum, qui Clericos, alioſque Scholares pauperes Grammaticam gratis doceat, vt deinceps ad ipſa Sacræ Scripturæ ſtudia, annuente Deo, tranſire poſſint, ideoque illi Magiſtro Grammatices, vel alicuius ſimplicis Beneficij fructus, quos tamdiu percipiat, quamdiu in docendo perſtiterit, aſſignentur: dum tamen Beneficium ipſum ſuo debito non fraudetur obſequio. &c.* Ex quibus fit fructus Beneficij huic miniſterio conuenienter applicari, cùm in citato Capite etiam dicatur vt *vnius Præbendæ prouentus* aſſignetur: poſſunt ergo & Præbendæ fructus ſecundùm illam portionem dari, quæ abſentibus denegatur. Quod intelligendum deficiente alio, qui æquè benè id præſtare poſſit. Quamuis P. Palaus §. *illo* 9. *num.* 3. ſic concludat: *Præcipuè cùm non adſit alius, qui doceat, ex dicto Cap. Quia nonnullis.* Quibus videtur ſignificare etiamſi alius ſit, qui docere poſſit, locum habere prædictum indultum: id enim ſignificat Particula *Præcipuè*, quæ caſum magis certum exprimit, iuxta vulgatam acceptionem. Sed certè citatum Caput contrarium non obſcurè ſignificat, dum in eo ſic habet ratio deciſionis: *Quia nonnullis propter inopiam, & legendi ſtudium, & opportunitas proficiendi ſubtrahitur &c.* Si ergo ſit qui gratis doceat, & ſit pro miniſterio tali ſufficiens, vt accidit in ciuitatibus, in quibus ſunt Collegia Societatis, nequit Præbendarius in eo, à ſua Eccleſia abſens, aut in ea non aſſiſtens, horis competentibus occupari. Eſt autem circa hoc Declaratio Cardinalium, ſic habens: *Ante omnia in Seminariis conducendus eſt Grammaticus, & Muſicus, qui pueros inſtruant: & ſi reperiantur Ieſuitæ, ceteris anteponendi ſunt.* Sic circa *Cap.* 18. *Seſſionis* 23. Quod in Parochis potiori ratione dicendum: licet enim ili indulto frui poſſint, ſicut alij, quia cum de Magiſtris agitur, non excipiuntur, quod & Doctorum auctoritate, & exemplo confirmat Nicolaus Garcia *Parte* 3. *Cap.* 2. *num.* 62. ex quo P. Palaus *ſuprà numer.* 4. in caſu tamen noſtro id, quod de aliis negamus, de ipſis plus vrget, eò quòd reſidentia in Beneficiis curam animarum habentibus difficiliùs ſuppleatur, & illius defectus toleretur.

Concilium Trident.

Sed deficiente alio, qui pro eo ſufficiens.

Cap. Quia nonnullis.

Quod non accidit, vbi adeſt Societas, alijs præferenda. Et maximè reſpectu Parochorum.

54 Præterquam quòd ſpecialis Declaratio Cardinalium extet apud Gonzalez circa 8. *reg. Cancell. Gloſſa* 6. *num.* 254. ex quo citatus etiam Auctor. *ibidem*; iuxta quam Parochus ob lecturam Grammaticæ à reſidentia nequit excuſari. Bene verum eſt Declarationem dictam vrgentem non videri, etſi demus eſſe authenticam (circa quod videri poſſunt quæ adducit Dom. Villaroël *Parte* 1. *Pacificæ gubernat. Quæſt.* 2. *Artic.* 3. *num.* 47. & 48. vbi quòd fides authenticis adhibenda eſt, ſed non propterea vt legibus neceſſariò obſequendum) quando Parochia eſt in ciuitate ipſa, in qua & lectura: tunc enim reſidere dicitur Parochus, etſi certis horis adeſſe non poſſit, ſicut lectores alij, qui Præbendam in ipſa, in quâ degunt, habent ciuitate. Et vt profeſſio dicta parui facienda non ſit, præter dicta ex Conciliis, & Canonibus ſacris, Caſſiodori elegans commendatio, aureis ſanè verbis, adijcienda, quibus Grammaticam, in hunc modum locutus, extollit: *Prima enim Grammaticorum Schola eſt, fundamentum pulcherrimum litterarum, mater glorioſa facundiæ: quæ cogitare nouit ad laudem loqui ſine vitio, hoc incurſu orationis ſic errorem cognoſcit abſonum, quemadmodum boni mores crimen deteſtantur externum. Eſt Grammatica magiſtra verborum, ornatrix humani generis, quæ per exercitationem pulcherrimæ lectionis, antiquorum nos agnoſcitur iuuare conſiliis. Hac non vtuntur barbari reges, apud legales dominos manere cognoſcitur ſingularis. Hinc Oratorum pugna Ciuilis iuris claſſicum canit. Hinc cunctos Proceres nobiliſſima diſertitudo commendet: &, vt reliqua taceamus, hoc quod loquimur, inde eſt.* Sic ille. *Lib.* 9. 21.

Declaratio Cardinalium pro eo, de quarum auctoritate.

Præfata vt vrgeat.

Grammatica præclarum elogium.

Caſſiodorus

§. III.

De cauſſis aliis, & ſpecialiter de iis, quæ pro Indiis in Limenſi ſunt ſtatuta Concilio.

55 Dico decimoquartò. Præbendarij Indiarum, ſi alias habeant abſentiæ cauſſas, quæ generaliter iuſtæ à Doctoribus reputantur, eodem ſunt iure, quo illi, cenſendi, & diſtributiones pariter lucrari poſſunt, ſicut de abſentibus ratione ſtudij concluſimus. Pro quo Dom. Solorzanus *citato Cap.* 14. *num.* 37. & *ſeqq.* & in Politica *pag.* 617. §. *Y en fuerza.* Circa illud autem Concilium Limenſe Tertium *Act.* 3. *Cap.* 28. ſic ſtatuit: *Cathedralis Eccleſia ſuis Miniſtris carere non debet. Itaque quod quæſtûs, non charitatis cauſſa ſit, nullâ ratione permittendum eſt, vt Dignitatem, Canonicatum, aut quamcumque Præbendam in ea obtinentes, ad Vicariatum, aut Curatum, extra illam mittantur: quod in Sede vacante, quia perquam frequens eſt, ne fiat, Sancta Synodus ſub æterni iudicij commitatione denuntiat.* Sic Concilium. Vbi cùm eam abſentiam damnet, quæ cauſſa quæſtûs ſit, non videtur comprehendi illa, quæ vt damno alicui temporali magni momenti occurratur, fieri poteſt: vt ſi quis eſſet patrimonium, aut aliquam eius conſiderabilem partem amiſſurus: periclitarentur parentes, aut ſorores præſentiâ fratris ad remedium orphanitatis indigerent. Eſt enim hæc *iuſta & rationabilis corporalis neceſſitas* quæ in Cap. *Vnico de Cler. non reſident. in* 6. vt ſufficiens approbatur, & ab infirmitate diſtinguitur: illius enim nomine omne iuſtum impedimentum intelligitur, vt docent communiter Scriptores, ex quibus aliquos adducit D. Thomas Sancius *Lib.* 2. *Con-*

Aſſertio 14. *cauſſas generaliter probatas.*

Concilium *Lim.* 3.

Quæ cauſſa quæſtus non ſit abſentia, probata ab illo, & aliqua illius exempla.

Cap. Vnicum *de Cler. non reſid.*

ſil. Cap. 2. *Dub.* 92. *numer.* 1. Pro quo & videtur facere Cap. *Præſentium* 7. *quæſt.* 1. vbi Clerico, qui ſuis ordinandis negotiis per duorum menſium ſpatium abfuerat, indulgendum ab Epiſcopo, D. Gregorius ſtatuit. Et ita P. Bauny *in Praxi Beneficiorum, Diſput.* 14. *Quæſt.* 2. §. *Vndecimò abſentiam*, propria negotia cauſſam eſſe abſentiæ legitimam arbitratur. Sed certè cùm in eo Capite negotiorum adducta cauſſa non probetur, ſed ſolius ægritudinis, circa quam, & non circa negotia Pontifex ſanctus iubet inquiri, ex deciſione tali non videtur illa ſufficienter comprobari, ſed reprobari potiùs, quia exceptio firmat regulam in contrarium. Nihilominùs admitti poteſt, quatenus ægritudo illa potuit occaſione negotiorum contrahi: ſi enim præceſſiſſet, non fuiſſet commoditas ſe abſentandi, neque fundamentum ad remouendum illum ab Eccleſia, in quâ Beneficium obtinebat. Quod ergo inquirendum circa ægritudinem dicitur, ita eſt accipiendum, vt videatur an ratione illius abſentia maior fuerit, quàm negotia requirebant. Quæ eſt veroſimilis explicatio, pro quâ & facit cauſſam ordinandi negotia non damnari, vt damnari oportebat, ſi minùs ſufficiens habebatur.

Cap Præſentium, 7 q. 1 quid probet: cuius & congrua explicatio.

56 Illud hoc loco ſpeciale occurrit, an diſtributiones lucretur, qui à Prorege in Curiam accerſitur, eò quòd contra illum aliquid ſubortum ſit, propter quod accerſendus, poteſtate illâ, de qua grauis eſt controuerſia, videatur. Et Dom. quidem Solorzanus de vocatis à Rege & Proregibus id verum reputat *citatis locis*: ſed in iis videtur locutus caſibus, in quibus cauſſa boni publici agitur, cui poſſunt Præbendarij ſic vocati conſilium aut operam præſtare: eſt autem diuerſa ratio, cùm Præbendarius vt reus comparere cogitur, quomodocumq; iudicium illud inſtruatur. Circa quod illud eſt certum, ſi Præbendarius innocens in cauſſâ ſit, emolumenta Præbendæ non amittere, quæ Præbendam ipſam conſtituunt: quidquid de diſtributionibus ſit, ſecundum partem illam tertiam, quam & ſtudentibus negandam volunt multi, de quo *numer.* 41. & in caſu præſenti id potiùs dicendum, quia abſentibus à loco Beneficij etiam ob cauſſam publicam, vt quia in Concilio generali aſſiſtunt, negandum reſoluit cum multis P. Thomas Sancius *ſuprà, Dubio* 94. licèt alij ſecùs ſentiant apud eumdem, qui Decreto Concilij Conſtantienſis *Seſſ.* 19. §. *Item, cum abſente*, videntur contraire. Eſt autem oppoſitum probabile, quando Præbenda in ſolis eſt diſtributionibus conſtituta. Et in caſus noſtri ſpecie, quando ſcilicet iniuſtum Superioris præceptum interuenit, id tenet Bonacina *Diſputat.* 2. *de officio diuino, Quæſt.* 5. *Puncto* 2. *num.* 9. cum aliis, & valde veroſimiliter etiam cùm diſtributiones diſtinctæ ſunt; ſicut de iniuſtè incarcerato Trullench *Lib.* 1. *Cap.* 8. *Dub.* 10. Si verò culpa in eo reſideat, non ideò amittit, quia culpâ illâ non erat tali pœna digna; etſi eſſet, à competendi erat iudice infligenda, qualis non eſt laicus Gubernator, qui neque in eo articulo ſe intromittit. Eſt ergo tunc *iuſta & rationabilis corporalis neceſſitas*; quia licet culpa præceſſerit; iuſtè tamen & rationabiliter Præbendarius edicto Proregis obſequitur, ne maiora incommoda ſubſequantur. Quemadmodum infirmitas lucrandis diſtributionibus non obſtat, etiamſi culpabiliter contracta fuerit, iuxta dicta *num.*4. Eſt autem circa prædicta generalis illa deciſio, pro quâ in Declarationibus Cardinalium ad Cap. 12. *Seſſione* 24. *de Reformat.* ſic dicitur: *Quando non ſtat per aliquem quo minùs in ſuo Beneficio reſideat, nullum ob non reſidentiam detrimentum ſentire debet. Hoc ſæpè reſolutum eſt.* Alia item in hunc modum: *Congregatio cenſuit diſtributiones quotidianas lucrari eum, qui indebitè coniectus in carcerem fuerit, & fructus Præbendæ, ſiue maſſæ groſſæ tamdiu deberi, quamdiu per ſententiam non fuerit declaratus iuſtè illum in carcere detineri.*

Dubium circa Præbendarium à Prorege accerſitū.

Si innocens nihil amittere.

Neque etiamſi culpabilis.

Declarationes Cardinalium circa prædicta.

57 Pergit Concilium, & ſic ſubdit: *Nulli quoque in Eccleſiâ Cathedrali Præbendam obtinenti commeandi in Hiſpaniam copia fiat, niſi Præbendam ſuam aut Beneficium priùs reſignauerit.* Sic illud: cuius oppoſitum cùm videamus fieri, credendum eſt ad cauſſam ipſius Eccleſiæ copiam ſic factam reuocari. Et ita illud admittit Dom. Villaroël *Parte* 1. *Quæſt.* 8. *Art.* 1. *num.* 40. Sed certè vix talis inuenietur, qui ob ſolam Eccleſiæ vtilitatem incommoda & pericula nauigationis aſſumat. Sua ergo Præbendarius quæſiturus augmenta, honorificam commiſſionem accurat, vt ſic minùs illi negotiorum ſuorum proſecutio quæſtuoſa reddatur: quo euentu non poſſe lucrari diſtributiones tenent graues ſcriptores apud Bonacinam *Diſput.* 2. *citatâ, Quæſt.* 5. *Puncto* 3. *numer.* 14. Ex quo frequenter accidit, vt circa propria ſolicitus, alia frigidè pertractet; vnde & promotus redit, ſed non Eccleſiæ cauſſa promota, poſt tranſmiſſam ipſi à Capitulo ingentem pecuniæ quantitatem. Res ergo iſta coràm Deo debet expendi, cùm de tradendâ commiſſione agitur, & vtilitas ponderanda: & qui de illâ ſuſcipiendâ agit, ſuam conſcientiam oportet inſpiciat, quia in præpoſterâ intentione & traditione graue peccatum interuenit, & reſtitutionis obligatio manifeſta. Videndus Bonacina *ſuprà, num.* 17. *& ſeqq.* Neque ſemper ad condonationem confugi poteſt, quia multoties illa non habet locum vel quia mortui aliqui Præbendarij ſunt, vel quia eorum quidam præ verecundia non exigunt, videntes alios ex dignioribus obmuteſcere: vel propterea quòd ignorant quo ſe pacto geſſerit Procurator: vnde ad illius eſt hoc conſcientiam remittendum.

In Hiſpaniam non licere commeari, niſi reſignato Beneficio.

Circa eos, qui prætextu vtilitatis Eccleſiæ tendunt notanda doctrina.

58 Citatum Caput ſic Concilium claudit: *Prætereà iidem in Eccleſiâ Cathedrali Præbendam obtinentes, non ampliùs quàm per menſem, atque hunc interpolatum, at per dies, non per horas computandum, ab Eccleſia abeſſe poſſunt.* Hæc Concilium: cuius diſpoſitio non debet diſpoſitioni Concilii Tridentini videri contraria, dum *Seſſione* 24. *Cap.* 12. abſentiam trium menſium indulget: cùm ibidem ſic addat: *Saluis nihilominùs earum Eccleſiarum Conſtitutionibus, quæ longius ſeruitij tempus requirunt.* Vnde in margine Decreti citati locus Tridentini præfatus apponitur; vtpotè cui ſe voluit dicta Synodus conformare. Et quidem meritò ob inculcatas rationes, quia & Eccleſiæ Indicæ ad ſtabiliendam meliùs Religionem, Miniſtrorum debent numero competenti decorari; & quia ob diſtantiam Patroni, ex ordinario numero aliqui ſemper deſiderantur; & ſic diuina officia non poſſent conuenienter celebrari. Vnde & extant plures

Menſis vnius vacatio Indicis Præbendarijs tantùm indulta.

Non eſſe id Conc Trid. diſpoſitioni contrarium.

Digitized by Google

plures Cardinalium Declarationes pro diuerſis Eccleſiis, quibus minor vacatio per ſtatuta eſt propria conſtituta. Neque allegari poteſt in contrarium ſtatuta dicta ante Concilium fuiſſe; cùm tamen Limenſe Concilium poſt Tridentini confirmationem fuerit congregatum. Nam Concilium generaliter loquitur, & Limenſe approbatum fuit à Sede Apoſtolicâ, quæ nihil contrarium Tridentini Decretis nuper editis permiſiſſet. Quomodo autem prædicta diſpoſitio in omnibus Eccleſiis non vigeat, ſed Tridentini, indulgentiâ illarum Præbendarij perfruantur, ipſi viderint, neque enim ſine magno fundamento id factum debemus arbitrari. Menſem autem non per horas, ſed per dies computandum, eam poteſt habere cauſſam, quòd computatio horaria nimis laborioſa eſt: & prætereà ne quis horam magis incommodam eligat, vt in ea non aſſiſtat, dum ex ea menſem integrandum ſibi habet perſuaſum. Eſt autem decretum prædictum Cardinalium Declarationi conforme, circa citatum Caput, quæ ſic habet: *Congregatio cenſuit non poſſe confici ex horis, quibus Canonici reſidentes abſunt à Choro, dies, vt ex diebus & horis confici poſſint menſes abſentiæ, de quibus in hoc Decreto: neque ad conſtituendum ſeruitium nouem menſium colligendas eſſe punctaturas; quaſi ij, qui nouem partes punctaturarum ex duodecim, quæ ex ſeruitio totius anni conſtantur, deſeruiendo tulerint, ſeruitio nouem menſium debito ſatisfecerint: ſed ipſos dies reſidentiæ & ſeruitij, ſiue continui ſiue interpolati, numerandos eſſe, vt compleant numerum dictorum nouem menſium.* Sic Congregatio. Eſt ergo iuxta ſpiritum & mentem Eccleſiæ vt eo, quo quis ſeruit die, integrè ſeruiat, eo quem elegerit vacationi aut propriis negotiis aſſignato. Quemadmodum in iis, qui Scholas frequentant, accidit, quibus dies ſunt vacationum aſſignati: id quod conuenientius eſt, quàm vt, dum Scholas frequentant, non integros dies lectionibus audiendis impendant: quod equidem non poteſt non eſſe, & Scholis ipſis & docentibus indecorum, nec de obligatione aſſiſtendi plura, vt ad alia tranſeamus.

Cur non per horas facienda computatio.

Congregationis Trid. Declaratio.

CAPVT VIII.

Vtrum Indici Præbendarij abſentes lucrari fructus Præbendæ poſſint ex aliorum condonatione.

Colluſio & remiſſio à Tridentino damnata.

59 FVndamentum dubitationi præbet Concilium Tridentinum *Seſſione* 24. *Cap.* 12. *de Reformat.* in quo ſic dicitur: *Diſtributiones verò qui ſtatis horis interfuerint, recipiant: reliqui, quauis colluſione aut remiſſione excluſa, his careant, iuxta Bonifacij VIII. Decretum, quod incipit Conſuetudinem, quod ſancta Synodus in vſum reuocat, &c.* Iuxta quod ſunt etiam Cardinalium Declarationes, ex quibus illa pro Eccleſiâ Vxonienſi 22. *Nouemb.* 1591. tenoris ſequentis: *Congregatio Concilij cenſuit non licere Capitulo, aliquo prætextu diſtributiones quotidianas donare aut remittere alicui, qui ab Eccleſiæ ſeruitio abſuerit: quin immò eum, qui illas receperit, teneri ad earum reſtitutionem, nec illas ſuas facere poſſe.* Sic Congregatio, cuius alia Declaratio idem de Epiſcopo ſtatuens *inferiùs* referenda. Pro eadem ſtat Concilium Limenſe tertium *Act.* 4. *Cap.* 26. ſic decernens: *Diuino Officio diurno & nocturno, ac Miſſarum ſolemnibus interſint omnes Cathedralibus Eccleſiis Dignitates, atque Canonici, quemadmodum in Tridentino & Limenſi Concilio conſtitutum eſt. Qui verò non interfuerint, ſine vlla remiſſione diſtributiones amittant, quæ ceteris, qui interſunt, eo ipſo debeantur: neque verò remiſſionem aut condonationem vllam in iis ſibi viciſſim Capitulares facere poſſint; ſi fecerint, nulla ſit, ſed diſtributiones ita perceptas teneatur in conſcientiâ reſtituere, qui fraudem facit.* Sic illud, iis conformiter, quæ à Bonifacio VIII. in citato Cap. *Conſuetudinem, de Cleric. non reſident.* ſtatuta ſunt verbis illis: *Qui verò aliter de diſtributionibus ipſis quicquam receperit (exceptis illis, quos infirmitas, ſeu iuſta & rationabilis corporis neceſſitas, aut euidens Eccleſiæ vtilitas excuſaret) rerum ſic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas ſuas; immò ad omnium reſtitutionem, quæ contra huiuſmodi noſtram Conſtitutionem receperit, teneatur. De diſtributionibus etiam pro Defunctorum Anniuerſarijs, largiendis, idem decernimus obſeruandum.* Sic Pontifex: quæ omnia, licèt adeò videantur perſpicua, locum tamen quæſtioni relinquunt: an ſcilicet aliqua via ſit, quâ condonationes ſuſtineri poſſint? Vt neque lethales ſint, neque obligationem reſtitutionis inducant. Circa quod

Pro eadem Declarationes Cardinalium.

Et Concil. Lim. 3.

Ac Decretalis Bonifacij 8.

60 Dico primò. Remiſſio aut condonatio generaliter facta, dum Præbendarij ita inter ſe conueniunt, vt ſibi inuicem remittant, mortale peccatum eſt. Id videtur clarum: quia eſt contra legem in materiâ grauiſſimâ, quæ ſi non obligaret hoc pacto, inutilis redderetur. Pro quo dictum *Titul.* 2. *n.* 3.

Aſſertio 1. mortale eſſe generalem condonationem decernere.

Dico ſecundò. Non obſtante remiſſione dictâ, eſt obligatio reſtitutionis. Conſtat ex dictis *num. præced.* & ita vt certum ſtatuunt Auctores, quos adducit P. Thomas Sancius *Lib.* 2. *Conſil. cap.* 2. *dub.* 108. *n.* 2. & Pharaonius *Pag.* 459.

Aſſertio 2. obligationem eſſe reſtitutionis.

Dico tertiò. Reſtitutio talis facienda eſt Eccleſiæ, aut piis operibus, iuxta Declarationem Cardinalium, quæ extat in vltimâ recognitione, & ſic habet: *Non licet Epiſcopo, aliquo prætextu, diſtributiones quotidianas donare, relinquere, aut quauis colluſione remittere alicui, qui vel ab Eccleſiæ ſeruitio abfuerit, vel alio quouis modo diſtributiones legitimè debeat amittere. Nec fas ſit cuipiam eas capere; & ſi acceperit, ſuas ne faciat, ſed eas reſtituere omnino cogatur, diſtribuendo fabricæ Eccleſiæ, quatenùs indiget, aut alteri pio loco, Epiſcopi arbitratu.* Sic Congregatio: & ratio eſt: quia licet diſtributiones amiſſæ à non ſeruientibus, iis, qui ſeruiunt, accreſcant; dum tamen generalis iſta remiſſio fit, ij, quibus accreſcere debebant, eas remittunt, vnde earum domini non fiunt: cùmque aliàs fructus Eccleſiaſtici, & patrimonium Chriſti ſint ita expendi debent, vt mos Eccleſiæ ſeruat, & eſt ille, quem Congregatio deſignat. Si dicas remiſſionem eſſe conditionalem, ſi videlicet is, cui fit, eius ſit vtilitatem percepturus, ſeu minùs in dominio ſeruientis futuras. Contra hoc eſt, quia talis modus remittendi communiter non habetur: tum etiam; quia modus ille donandi non eſt proptereà quòd velit ſe iuſtitiæ conformare, non aliter donando quàm ei liceat, ſed vt fraudem faciat Eccleſiæ, ad quam talia debent bona pertinere, vtilitatem propriam vtilitati eiuſdem præferendo: vnde cùm voluntas iuridi-

Aſſertio 3. cui facienda.

Declaratio Card.

Aſſertionis ratio.

Reſponſio quædam diſiecta.

Digitized by Google

iuridica & legalis non ſit, ſed fraudulenta & iniqua, non attenditur conditio, ſed remiſſio penitus annullatur. Quin etiam quòd cùm tales indifferenter diuino Officio defuerint, etiamſi quis donationem conditionatam fecerit, & ſic illa locum habere nequeat, ſed in eius iure id, quod remiſit, remaneat: aliunde habere nequit quod ſeruitio ſuo non meruit, cui conſtat defuiſſe. Communis ergo defectus communi eſt animaduerſione mulctandus, & ita ex eo nullus debet commodum reportare. Et quidem cùm talis defectus ſit, qui in detrimentum Eccleſiæ redundet, nulla alia cauſſa eſt præter ipſos, & ita ipſi debent illum redditione fructuum compenſare. Quia verò contingere poteſt, vt Eccleſia non indigeat, ad alia pia opera eius benignitas deriuatur.

Aſſertio 4. Idem ſtatuens in tacita conuentione.

61 Dico quartò. Quando nulla ante remiſſionem procedit conuentio, ita tamen ſoliti ſunt Præbendarij facere, idem dicendum eſt. Id probo: quia ibi eſt genus quoddam tacitæ conuentionis, ex quâ ſequitur vt in ſeruiendo magni deprehendantur defectus, quorum quidem ij ſunt cauſſa, qui talem ſolent facere remiſſionem: ſi enim ſcirent omnes nihil ſibi remittendum, diligentiùs adſtarent. Sic ergo, dum abſunt, nequeunt mereri ſtipendium, neque alij donare ipſis illud poſſunt, quia cauſſa abſentiæ ſunt, & ſic ad compenſationem tenentur Eccleſiæ faciendam, ſicut nuper arguebamus. Et hæc ratio maximè vrget quando eſt expreſſa conuentio.

Aſſertio 5. Negans, cum abeſt fraus vt probabile.

Dico quintò. Si nullâ præcedente conuentione modis dictis aliquis diſtributiones ſibi debitas remittat gratis, probabiliter ſuſtineri poteſt id eſſe licitum & validum. Sic Gabriel, Nauarrus, Honcala, & Sandoral, apud P. Thomam Sancium *numer.* 2. *citato.* Et probatur: quia Concilium eam videtur remiſſionem tantùm damnare, quæ fraudulenta eſt, & colluſionem importat, vt indicant verba illa. *Quauis colluſione aut remiſſione excluſa:* remiſſio enim addita eſt ad exponendum quid nomine colluſionis ſignificatum vellet, vt ſit remiſſio mutua, quæ eo ipſo fraudulenta eſt. Et ita videtur intellexiſſe Limenſe Concilium, vt illa eiuſdem declarant verba: *Teneatur in conſcientia reſtituere, qui fraudem fecit.* Pro quo P. Filliucius *Tract.* 41. *num* 51. & P. Palaus *Tract.* 7. *Diſput.* 3. *Puncto* 9. §. 13. *num.* 2. & alij citandi.

Robur adduur ex recepta doctrina.

62 Quod roboratur ex ſententia grauium Scriptorum, quos adducit & ſequitur P. Sancius *ſuprà Dub.* 109. P. Filliucius & P. Palaus *locis dudum citatis*, quibus adde Dom. Eſcobar à Corro *Tractatu de Horis Canonicis, Quæſt.* 5. §. 2. *n.* 209. & Trullench *Lib.* 1. *Cap.* 8. *Dub.* 16. *numer.* 405. iuxta quam, ſi Præbendarius reſtituat diſtributiones cum pacto de donando poſteà, donationem valet, quia reuera idem eſt acſi non reſtitueret: ſi verò ſine fraude reſtituat, & alter ſine dolo aut metu reddat ex intuitu amicitiæ, remiſſio valida eſt. Etiamſi extent apud Theſaurarium, ſed iam deſignatæ. Quæ eſt celebris doctrina Gloſſæ in Cap. *Statutum*, de Reſcriptis in *Sexto*, licet in alia materia, ad quem tamen reſolutionem ſe remittit in citato Cap. *Conſuetudinem*, verb. *Suas:* ſic enim ibi: *Quòd ſi illi, quorum lucro prædicta cedebant, remittant; numquid eſt Canonicus abſolutus? Satis videtur quòd ſic. Inſtit. de rerum diuiſ.* §. *Per traditionem; cùm hic non ſit additum remiſſionem non prodeſſe, vt ſuprà eodem lib. de Reſcriptis, ſtatutum.* §. *antepenult.* Hæc Gloſſa, quæ in allegato Capite, vbi remiſſio ſubmouetur, donationem eſſe validam & affirmat & probat, quia remiſſio eſt donatione facilior. Sed certè, licet facilior ſit, quia eſt rei non apprehenſæ, eſt tamen genus quoddam donationis. *l. Peculium, in principio D. de peculio*, vbi Bartholus: & in caſu noſtro eiuſdem omnino conſiderationis: quia cùm Præbendarius ſumat dandas ſibi ſtatim diſtributiones abſque vlla difficultate, quaſi in poſſeſſione earum eſt, & ita cùm eas remittit, nihilo minùs facit, quàm ſi poſt apprehenſionem eas Collegæ ſuo donaret. Sicut ergo hoc veroſimiliter licet, ita & illud. Vnde nec deſignatio portionis videtur neceſſaria.

Glossa celebris pro eadem.

Declaratio Cardinalium vt accipienda.

Neque aliter accipiendum quod in Declaratione Cardinalium habetur, dum dicitur non poſſe aliquo prætextu diſtributiones donari aut remitti, & qui illas receperit, teneri ad reſtitutionem: loquitur enim de donatione factâ à Capitulo, aut ab Epiſcopo; ex quibus hic nequit dare quod ſuum non eſt, ſed Præbendariorum, quibus accreſcit: Capitulum autem per modum talis id etiam præſtare nequit, quia ſic decernente maiori parte, inuiti aliqui priuarentur: & quia, cùm à Capitulo ſit, tacita videtur eſſe conuentio, vt omnibus ea faciat indulgentia, quam omnes ſic liberaliter præſtant.

Aſſertio 6. Sententia quædam de diuerſitate diſtributionum improbata.

63 Dico ſextò. Sententia, quam tenent Emmanuel Rodericus, Vega, Sandoual, & alij, ac probabilem reputat Moneta, Naldus autem & Bonacina probabiliſſimam, vt videri poteſt apud P. Palaum *ſuprà num.* 5. minimè videtur probanda, quatenus affirmant Conſilium Tridentinum ſolùm decernere circa diſtributiones inpoſterùm amittendas, ſi debita aſſiſtentia defuerit, non verò circa iam amiſſas, ad quas, qui adſtitit, proximum habet ius: quam diſtinctionem improbant Nicolaus Garcia, Menochius, & Bonacina, quos adducit & ſequitur P. Palaus *ſuprà num.* 6. qui dum *num. præced.* aſſerit Naldum eam probabiliſſimam reputare, omnino deceptus eſt, quia in loco ab eodem, ſicut eſt apud Bonaeinam, allegato, ſcilicet verb. *Diſtributio num.* 3. nihil tale habet, ſed ſuam ſententiam his verbis proponit: *Diſtributiones quotidianæ in caſibus, in quibus in abſentia non percipiuntur, non poſſunt per Capitulum remitti aut donari ipſi abſenti; neque is, ſic eas accipiens, faceret ſuas.* Sic ille. In quo & lapſus apertè Bonacina dum *Diſput.* 2. *de diuino Officio &c. Quæſt.* 5. *Puncto* 7. §. 1. *num.* 5. affirmat Naldum ſententiam Emmanuelis & aliorum ſequi loco citato. Quæ licet non multùm ad rem facere videantur, omittenda non fuerunt, vt & de veritate conſtet, & Auctores eam, quæ opus eſt, diligentiam ſtudeant adhibere, neque aliis facillè credant ſæpiùs in errore deprehenſis. Ratio autem Aſſertionis *Illius ratio.* illa eſt, quia & in amiſſis diſtributionibus poteſt eſſe colluſio à Concilio reprobata: vt ſcilicet omnes ſibi inuicem remittant: & aliquando in amittendis de futuro poteſt fraus deeſſe, quam diximus Concilium remouere, vt ſi quis amico dicat ſe numquam rigorem cum eo in requirendis diſtributionibus ſeruaturum, quem ſciat non propterea pręſentiam diuinis Officiis ſubſtracturum, ſed quia aliàs ei libebit, abfuturo equidem etiamſi eſſet annua Præbendæ commoda perditurus.

Digitized by Google

Concilium Limenſe de quibus locutum.

rus. Et Concilium quidem Limenſe non videtur de remiſſione amittendarum de futuro locutum, vt ex eius apparet verbis. *num.* 57. adductis, neque quod nondum eſt, propriè remittitur aut donatur. Addo diſtinctionem illam quoad effectũ, de quo agitur, nullius eſſe momenti. Nam ſi remiſſio amittendarum nulla eſt: quando re ipſa contigit amiſſio ob negatum ſeruitium poterit Præbendarius remittere & donare non virtute prioris promiſſionis, ſed quia iam eſt illarum dominus. Si inſtes non eo ipſo quòd dominus ſit poſſe pro libitu diſponere, quandoquidem parte ſuæ Congruę detractã, reliquum debet in opera pietatis expendere. Contra eſt, quia diſtributiones cum eo onere tranſeunt ad Collegam, quod de illis etiam diximus *num.* 22. quæ tota Præbenda non ſunt: neque eſt, vt ſupponimus, fundamentum aliquod peculiare, propter quod de contrario expendendi modo poſſit condonator ſuſpicari.

CAPVT IX.

Permiſſæ vacationis menſibus an Præbendæ fructus debeantur. Et quid ſpeciale circa Indicos Præbendarios.

Aſſertio 1. Præbendã certò deberi à diſtributionibus diſtinctam.

64 Dico primò. Vbi Præbenda à diſtributionibus diſtincta eſt, non eſt dubium illam menſibus deberi præfatis. Sic communiter Scriptores, qui circa diſtributiones tantùm quæſtionem mouent, aliud vt indubitabile ſupponentes, iuxta Iuris diſpoſitionem, ac præſertim Concilij Tridentini *Seſſione* 24. *Cap.* 12. de Reformat. vbi generaliter ſupponitur abſentes Præbendæ fructus facere ſuos. Aliàs non eſſet æſtimabile beneficium, quod Eccleſia ad leuamen laboris indulget, cùm Præbendarij ſubſidio ad vitam competenti carerent, quod & indecorum eſſet aliis modis quæritare. Si dicat ſibi illos imputare debere, qui ſponte recedunt. Contra eſt: quia durum inde Eccleſiæ ſeruitium redderetur, cùm vacationis nihil ſuppeteret iis, qui Choro manè & veſpere intereſſe deberent, & diebus præcipuè feſtis, in quibus alij ſolent à labore continuo feriari. Pro quo Declaratio Cardinalium circa citatum Caput die 5. Iulij 1598. verbis illis: *Prout fruuntur in dictis tribus menſibus omnibus fructibus ſuarum Præbendarum, cùm pro præſentibus & intereſſentibus habeantur in iure.*

Aſſertio 2. Diſtributiones probabiliter deberi.

65 Dico ſecundò. Quando diſtributiones diſtinctæ ſunt, probabile eſt illas deberi trimeſtri, aut alio ſtatuto vacationis tempore. Vt non debeantur, faciunt Declarationes Cardinalium, ex quibus eſt dudum citata, dum in ea ſic ſubditur: *Nemo tamen poteſt frui dictis diſtributionibus, quando iſtæ diſtributiones ſunt diſtinctæ à Præbendis.* Idem habetur in alia 17. Iulij 1597. ſed ſtrictiori, dum ſic ait: *Congregatio Concilij cenſuit non licere Canonicis prætextu immemorabilis conſuetudinis vltra tres menſes quotannis ab Eccleſia abeſſe, neque eo trimeſtri tempore poſſe abſentes quotidianas percipere: quippe quòd huiuſmodi immemorabilis conſuetudo vtroque caſu ſublata eſt Decreto Capitis* 12. *Seſſio.* 24. Facit inſuper quòd cùm diſtributiones intereſſentibus tantummodò debitæ ſint, & ita Sacri Canones ſtatuant, exceptio abſentium, vt genio indulgeant temporis ſpatio permiſſo, nullibi reperitur. Et ita tenent. Naldus verb. *Diſtributiones, num.* 3. innixus præfatæ Declarationi conſuetudinem etiam remouenti. Diana ſtatim allegandus, pro ſe adducens non paucos. Tenent item alij, quos adducit Bonacina *Diſput.* 2. *de Officio diuino in Choro &c. Quæſt.* 5. *Puncto* 6. *numer.* 7. Et etiam Trullench *Lib.* 1. *Cap.* 8. *Dub.* 3. *num.* 5. Quòd verò debitæ ſint, probat Bonifacij Octaui Conſtitutio, quam Concilium Tridentinum innouat *citato Cap.* 12. dum diſtributiones etiam non intereſſentibus conceduntur, quando adeſt *iuſta & rationabilis corporalis neceſſitas.* Talis enim debet exiſtimari, quæ in vacationibus iſtis interuenit, ſine quibus Chori labor valde moleſtus redderetur: pro quo Bonacina eruditè diſcurrit *num.* 7. *citato* ex quo P. Palaus *Tract.* 7. *Diſput.* 3. *Puncto* 9. §. 12. *num.* 4. alijque apud Dianam *Parte* 10. *Tractatu* 11. *Reſolut.* 58. Et ante illos P. Thomas Sancius *Lib.* 2. *Conſil. Cap.* 2. *Dub.* 103. *num.* 2. qui iſtam tenet ſententiam, ſed cum limitatione, quando ſcilicet ſtatuta Eccleſiæ illas Præbendariis concedunt; vnde videtur ſupponere abſolutè non deberi. Verùm limitatio non videtur abſolutè adhibita: quandoquidem, ſi per Concilium non eſſet ius ad illas, non poſſent per ſtatuta concedi, quæ diſpoſitioni Concilij contraria eſſe nequeunt, cùm in eo ſic addatur: *Non obſtantibus quibuſcumque ſtatutis & conſuetudinibus.* Quia verò dubium aliquod circa mentem Concilij eſſe poterat, dum trimeſtre abſentiæ concedit, ſic ſubdit citatus Auctor poſt adductam rationem, de qua nuper: *Item, quia ſic vſus interpretatus eſt.* Hac ergo de cauſſa poſſunt ſtatuta fieri, quæ ſint Iuris circa hoc interpretationes cum obligationis vi. Et ita tenere nonnullos ait maximè doctos Recentiores. Videtur etiam ſic tenere P. Palaus, qui cùm permiſſionem ſolitam approbet lucrandi his diebus diſtributiones, ex fructibus groſſæ arguit, quos certum eſt lucrari abſentes, cùm in omnibus eadem ratio inueniatur. Nec diſſentit Bonacina, qui non ſolùm ratione conſuetudinis legitimè præſcriptæ, quadragenariæ inquam, id licere affirmat. Sed etiam ratione Conſtitutionis: vnde id currit, quod de Statutis dicebamus, pro quo & alios adducit.

Cardinalium Declarationes.

Conſt. Bonifacij VIII.

P. Sancius.

Statuta circa Decretum Trid. quomodo fieri queant.

P. Palaus

Bonacina.

Declarationes Cardinalium non eſſe contrarias.

66 Et hæc ad probabilitatem ſatis, ſi addamus Declarationes Cardinalium non eſſe contrarias, quibus Doctores aliqui apud Bonacinã, quos & ſecutus P. Palaus, ita reſpondent, vt procedant quando conſuetudo non eſt legitimè præſcripta per lapſum 40. annorum: quod quidem minùs apparet veroſimile, quia dubitatio non eſt propoſita ſub tali formã, quòd ſcilicet quadragenaria conſuetudo nondum eſſet præſcripta: ſic enim alia erat adhibenda reſponſio, quia de conſuetudine non ſolùm antecedente Concilium, ſed ſubſequente illius Decretum agebatur. Ex quo fit Declarationem dictam minus congruam eſſe, vtpotè quæ propoſitæ non fecerit ſatis quæſtioni. Præterquam quòd etiamſi hoc de priori Declaratione concedamus, in qua de conſuetudine agitur: in poſteriori id locum non habet, quia in illa de conſuetudine nihil, vt

Digitized by Google

conſtat ex illius tenore, *num. præced.* adducto. Aliter ergo reſpondendum; & ita dico Declarationem priorem tantùm ſibi velle vt ratione immemorialis conſuetudinis, quæ ſublata eſt per Concilium, non liceat quotidianas diſtributiones recipere: quòd verò ex alio titulo liceat, Concilium neque negat, neque affirmat, id Eccleſiarum ſtatutis poſt Concilium conditis, aut opinionum diuerſitati relinquens. Poſterior autem valde difficilem reſolutionem videtur continere, quia in eâ ſic habetur: *Illis tribus menſibus à Iure conceſſis non eſt aſſignanda cauſſa abſentiæ, quâ quis vult abeſſe cum licentiâ ſui Prælati impetrata à Decano, vel Præſidente in Choro, & frui quibuſdam nouis diſtributionibus per Epiſcopum impoſitis, quibus fruuntur in dictis tribus menſibus omnibus fructibus ſuarum Præbendarum; cùm pro præſentibus & intereſſentibus habeantur de iure.* Sic Congregatio, ex quibus conſtat Præbendarios dictis tribus menſibus diſtributiones lucrari ab Epiſcopo impoſitas, quia pro intereſſentibus habentur de iure. Quæ ratio probat etiam diſtributiones alias ex maſſa fructuum detractas, & certas alias, ſtataſque lucrari: quia ſcilicet pro intereſſentibus habentur de iure, quibus omnes illæ debentur. Cùm ergo hoc ita ſit, quomodo addi ſtatim potuit: *Nemo tamen poteſt frui dictis diſtributionibus, quando iſtæ diſtributiones ſunt diſtinctæ à Præbendis.* Siquidem diſtributiones, de quibus præceſſerat ſermo, diſtinctæ à Præbendis erant, cùm dicantur nouiter ab Epiſcopo impoſitæ & volentes ſe abſentare, iiſdem frui debere, *Sicut fruuntur omnibus fructibus ſuarum Præbendarum.* Et prætereà reſpectu omnium eadem eſt ratio, quia pro intereſſentibus habentur. Cùm ergo difficilis reſolutio ſit, & aliqualem videatur compugnantiam præſeferre, non eſt multùm eidem inſiſtendum, quando præſertim vſus, vt diximus, mentem ſit Concilij interpretatus. Et hoc pro explicatione ſatis, ne videamur paſſim ad defectum auctoritatis confugere, dum Declarationes dictæ authenticæ non probantur. Pro quo Diana denuò *Parte* 11. *Tractat.* 8. *numer.* 54. apud quem aliqui dicunt non obligare, dum non publicantur, & ſeruari mandantur. P. Dicaſtillus *Tractatu de Pœnitentiâ, Diſputat.* 10. *numer.* 254. *& ſeqq.* omnino videndus. Thomas Hurtadus *Tractat.* 3. *Reſolut.* 45. apud quos Vrbani VIII. Decretum, & P. Eſcobar de Mendoza *Tom.* 1. *Lib.* 5. *Cap.* 12. *Problem.* 3.

Illarum quadam difficilis reſolutio.

De illarũ auctoritate in genere.

67 Dico tertiò. Quando diſtributiones diſtinctæ à Præbenda non ſunt, vt in Indiis, abſentes diebus conceſſis illas integrè lucrantur. Ita habetur in Declaratione Cardinalium, de quâ nuper, verbis illis: *Nemo tamen poteſt frui dictis diſtributionibus, quando iſtæ diſtributiones ſunt diſtinctæ à Præbendis.* Exceptio enim firmat regulam in contrarium. Et ratio videtur aperta: quia aliquid lucrari deberet reſpondens Præbendæ: atqui nihil tale eſt à diſtributionibus diſtinctum: debet ergo lucrari illud. Si dicas lucrari duas tertias partes, ſicut de abſentibus cauſſâ ſtudij cenſent aliqui, vt vidimus *num.* 41. pro quo & extat Declaratio Cardinalium circa *Cap.* 1. *Concil. Trid. Seſſione* 5. *num.* 25. contra eſt quòd in primis illud multi negarit, vt videri poteſt apud Dom. Solorzanum *ibidem* adductum. Deinde. Ibi eſt ſpecialis ratio, quia non videtur æquitati conſonum vt qui non laborant, laborantibus in perceptione fructuum exequentur: in caſu autem noſtro par eſt Præbendariorum omnium conditio, quia omnibus recreationis cauſſâ recedentibus paria emolumenta proueniunt: & hinc eſt eum, qui ob perpetratum crimen priuatur diſtributionibus, non ob id videri priuatum fructibus, quando diſtributiones à Præbenda diſtinctæ ſunt: ſi autem non ſit diſtinctio, priuatus diſtributionibus, etiam fructibus eſt priuatus, & è contra, iuxta Doctores, quos adducit & ſequitur Bonacina *Diſput. de Officio diuino, Quæſt.* 1. *Puncto* 1. *numer.* 5. Sicut ergo in pœnalibus integra venit portio, ita & in fauorabilibus; pro quo videndus idem *ſuprà, Quæſt.* 5. *Puncto* 4. *num.* 4. & alij apud ipſum. Eſt prætereà in Indijs ſpecialis ratio, quia illorum Præbendarijs breuius vacationum tempus conceditur: Et prætereà facit pro eo grauium ſcriptorum ſententia, quos citat & ſequitur P. Thomas Sancius *Lib.* 2. *Conſil. Cap.* 2. *Dub.* 110. *num.* 2. iuxta quam, ſi conſuetudo induxerit vt dentur diſtributiones quotidianæ abſentibus in eo caſu, quo de iure dubium eſt; an abſentibus debeantur, & ſit legitimè præſcripta, valet. Atqui in Eccleſiis Indiarum ita accidit, ſic enim tenet pluſquam quadragenaria conſuetudo; vnde licet dubium aliquod de iure ſit: illud debet penitus conſopiri.

Aſſertio 3. affirmans abſolutè cũ Præbenda in diſtributionibus eſt conſtituta.

Declaratio Card.

Aperta ratio.

Ex receptâ doctrinâ vrgetur.

Pro Indijs aliquid ſpecialius.

68 Facit item quod cum aliis tenet citatus ſcriptor *num.* 3. & nonnullis etiam citatus Bonacina *ſuprà, Puncto* 6. *num.* 4. quòd ſcilicet ſi ex peculiari cauſſa in aliquâ Eccleſiâ inducta fuerit conſuetudo, vt abſentibus diſtributiones tribuantur, quæ quidem cauſſa iuſta ſit, valida ſit habenda, vt ſi ratione ſtudij, vel ad breue tempus. Quis autem non videat in caſu noſtro rationabilem cauſſam inueniri. Poſſet etiam adduci ſententia Nauarri *de Oratione, Cap.* 5. *num.* 22. *& Cap.* 21. *num.* 64. iuxta quam licita eſt conſuetudo, quæ in aliquibus Eccleſiis Hiſpaniæ viget, quam non eſt mirum Indicas æmulari, quæ in hoc ſe putant meliora chariſmata æmulari; vt Præbendarij ſingulis menſibus vnum vel duos dies vacationis aſſumant pro barbæ tonſione, & in illis diſtributiones lucrentur. Sed conſuetudinem talem improbant alij, quos adducit & ſequitur P. Palaus *Tractat.* 7. *Diſput.* 3. *Puncto* 9. §. 12. *num.* 18. cui non reſpondet ſummarium, in quo ſic dicitur: *Conſuetudo aſſumendi ſingulis hebdomadibus vnum vel dimidium diem recreationis pro tonſione barbæ, non ſatis mihi probatur.* Sic ibi. Supponit ergo talem eſſe conſuetudinem: cùm tamen in textu id ponat, quod vidimus. Videtur ergo totum illud per conſuetudinem haberi. Quæ quidem ſi diem integrum ſingulis hebdomadibus induxerit, intoleranda eſt, cùm ad functionem illam breue ſufficiat ſpatium, & ſint etiam non breuia, quæ poſt aſſiſtentiam in Choro ſuperſunt. Quæ ratio probat etiam neque dimidium eſſe neceſſarium diem. Quia verò Eccleſiarum, in quibus docti & pij ſedêre Prælati, Præbendarij item notæ probitatis & doctrinæ ſeruierunt, non eſt penitus reprobanda conſuetudo: ſi quidpiam moderatum circa hoc inductum ſit, debet vtique vt non penitus abſonum tolerari. Pro quo facit id, quod iuxta plurium ſententiam nuper eſt dictum, valere inquam conſuetudinem, quæ ad breue tempus lucrum

Roboratur ex aliorum veroſimili valde ſententia.

Et Nauarri alia, de die pro barbâ, de quâ diſcurſus.

P. Palaus.

Digitized by Google

erum diſtributionem indulget. In caſu autem, de quo loquimur, non ſolùm breuis temporis indulgentia eſt, ſed cauſſa etiam aliqualis, quæ etſi ſe ſola non eſſet ſufficiens, iunctâ temporis breuitate poteſt ſufficiens iudicari.

Ex conſuetudinibus circa materia arguitur, quæ recenſentur.

69 Et quidem cùm alia multò maioris conſiderationis conſuetudine poſſint in materiâ præſenti firmari, non eſt cur circa prædictam indulgentiam, quando moderationem habet debitam, hæreamus. Videatur P. Palaus *Puncto* 12. *citat. numer.* 2. *& ſeqq.* vbi hæc omnia concedit. Poſſe ſcilicet vacationem trimeſtri maiorem introduci, & in illâ diſtributiones Præbendarios lucrari: & regulariter præſumendum eſſe cauſſam eſſe rationabilem, ſi conſuetudo Prælatis videntibus & non contradicentibus obſeruetur. Quatuor menſium vacationem in multis Eccleſiis licitè permitti, & in illis lucrum diſtributionum Præbendariis obuenire; ſicut & cùm Pontifici aut Epiſcopis aſſiſtunt, ſtudiis dant operam, ſuam iuriſdictionem viſitant, & aliis negotiis vacant, ob quæ abſentia cum fructuum perceptione conceditur. Item, qui tempore diuinorum Officiorum Miſſam in Eccleſiâ celebrant, etiamſi ex ſolâ deuotione: qui Confeſſiones audiunt: qui peregrinationem aliquam inſignem obeunt: qui per 40. annos ſeruierunt: & qui Matutino intereſſentes, tantum lucrantur quantum alij totius diurni Officij pondus ſuſtinentes. Quòd obligatio aſſiſtendi per alium impleatur, & vnus Præbendarius pro alio ſuppleat, & fructus ac diſtributiones primi anni hæredibus defuncti concedantur. Præbendarios non obligari ad Matutinum, cùm horâ intempeſtiuâ dicitur. Præbendæ fructus lucrifieri aſſiſtendo paucis per annum diebus in Choro, aut vni Horæ diebus ſingulis: id quod in multis Eccleſiis Hiſpaniæ ſic vſus venit. Hæc ille ex aliis, & præſertim ex Bonacina, quæ multò maiora ſunt: quàm quòd præbendariis moderatum aliquod ad effectum prædictum ſingulis hebdomadibus tribuatur. Quod ſi re ipſa neceſſarium non ſit, honeſti laxamenti finem habebit eo titulo colorati.

P. Palaus.

Specialis quæſtionis reſolutio, ex quâ & via rationi.

70 Et hoc modo explicata dicta conſuetudine, faciliùs fit ſatis quæſtioni, quam mouet P. Sancius *ſuprà*, *Dub.* 97. vbi quærit, an cum Canonicus ſe excuſat à Choro cauſſâ radendæ barbæ, ſi id non faciat diuini Officij tempore, ſed alio, vt nocte, poſſit diſtributiones illius temporis lucrari. Circa quam Nauarrus negatiuè reſpondet in Cap. *Quando*, Hiſpanæ ſcriptionis *Cap.* 5. *num.* 19. & poſteà affirmatiuè *Capite eodem Latino, Cap.* 5. *numer.* 21. Quod & ſequitur P. Sancius, quia nihil ſubtrahit cultui diuino, cùm poſſet veſpere, Horarum tempore id feciſſe. Vbi & exemplum addit excuſationis ob hoſpitis receptionem. Primum autem illud ex datâ explicatione iuſtificari melius poteſt; quia ſcilicet laxamentum illud eo titulo cohoneſtatur. Quod ad hoſpitem autem attinet, non video quomodo ſtare poſſit. Nam ſi ſciebat hoſpitem nocte venturum, quid hoc ad excuſationem aſſiſtentiæ diurnæ? Si neſciebat quâ horâ venturus, iam eſt neceſſitas verè impediens ob incertitudinem; & ſic non eſt locus quæſtioni, dum quæritur, *An cùm Canonicus excuſatur à Choro, cauſſa verè neceſſaria, at illa verè non impediuit aſſiſtentiam Chori,*

Exemplum de receptione hoſpitis non exactè oſtenditur.

teneatur reſtituere diſtributiones. Ex prædicta autem explicatione noſtra, prior illa quæſtio in terminis difficilioribus ſoluitur: *An ſcilicet is, cui ſingulis hebdomadibus ſpatium aliquod pro barba expolienda conceditur. Si id non faciat, niſi ſemel aut bis in menſe, poſſit nihilominùs diſtributiones ſingularum hebdomadarum lucrari.* Affirmatiuè enim reſpondendum eſt, quia id poteſt titulus honeſti laxamenti iuſtificare. Vbi & addi poteſt ratio, à Patre Sancio reddita, quòd ſcilicet ex eo diuino cultui nihil detrahatur.

Cōſtantiā alterius enodatio.

CAPVT X.

Quædam aliæ obligationes circa Præbendarios Indicos percurruntur.

Aſſertio 1. Præbendarios canerè in Choro debere.

71 DIco primò. Præbendarij Indici vt diſtributiones integrè lucrentur, canere in Choro debent, quando cantus non eſt harmoniacus, tunc enim recitando ſatisfaciunt, aut ibi, aut alibi. Probatur *Primò* ex generali obligatione Præbendariorum, quam recognoſcunt communiter Doctores, quos adducunt & ſequuntur Bonacina *Diſputat.* 1. *de Officio diuino*, *Quæſt.* 3. *Puncto* 2. §. 1. *num.* 16. Dom. Eſcobar à Corro *Tractatu de Horis Canonicis*, *Quæſt.* 3. §. 6. *numer.* 7. Vnde minùs conſequenter locutus *Quæſt.* 9. §. 2. *numer.* 92. vbi ait per ſolam aſſiſtentiam lucrari. Videndus etiam *numer.* 49. P. Suarez *Tomo* 2. *de Religione*, *Tractat.* 4. *Libr.* 4. *Cap.* 12. *num.* 8. *&* 9. P. Leſſius *Libr.* 2. *Cap.* 34. *numer.* 185. *&* 186. vbi ſecluſa conſuetudine, quam remouendam cenſet, à Prælatis obligationem ex iure, & primaria inſtitutione recognoſcit. Sicut & P. Bauny *Tomo* 1. *Tractat.* 11. *Quæſt.* 17. *& in Praxi Beneficiorum*, *Diſputat.* 15. *Quæſt.* 23. quæ per errorem typographiæ eſt 24. §. *Septimo*, *Decreto*, vbi hanc ſtatuit Aſſertionem: *Decreto Concilij, Canonico non eſt ſatis cum ceteris in Choro eſſe, dum Deo laus ab his peragitur, niſi ſacræ ipſe Pſalmodiæ pro viribus vacet.* Rationes autem ſatis validas priori loco in illius comprobationem adducit Filliucius *Tractat.* 23. *numer.* 295. P. Pellizarius *Tractat.* 5. *Cap.* 8. *num.* 25. P. Vincentius Tancredi *de Religione*, *Tractatu* 3. *Libr.* 4. *Diſputat.* 5. *numer.* 9. Baſſæus verb. *Horæ Canonicæ* 2. *num.* 13. Diana *Tomo* 1. *Tractat.* 12. *Reſolut.* 33. Dom. Villaroël *Parte* 1. *Pacificæ gubernat. Quæſt.* 8. *Articul.* 2. *num.* 8. *& ſeqq.* Trullench *in ſpeciali de hoc Tractatu ad finem Tomi* 3. Dom. Reyna *Tomo* 1. *de Perfecto Prælato*, *Libr.* 4. *Tractat.* 1. *Cap.* 5. vt alios omittam. Licèt ſint qui negent apud Dom. Machadum *Tomo* 2. *Pag.* 171. *Col.* 2. Decretum Concilij citatum extat *Seſſione* 24. *Cap.* 12. *de Reformation.* vbi ſic dicitur: *Omnes verò diuina per ſe, & non per ſubſtitutum compellantur obire officia, atque in Choro, ad pſallendum inſtituto, hymnis & Canticis Dei nomen reuerenter, diſtinctè, deuoteque laudare.* Sic ibi: vbi valdè incongrua reſponſio illa fuerit, ſi quis dicat Decretum dictum ad Prælatos dirigi, & non ad ſingulares perſonas. Nam cùm Concilium iubeat vt compellantur ſua obire officia, obligatio ex eiſdem officiis orta ſatis apertè deſignatur.

P. Bauny.

Conc. Trid.

Reſponſio incongrua depulſa.

Ratio manifeſta.

ſignatur. Et ex hoc ſumitur ratio manifeſta. Nam Præbendarij Officium aliquod ſpeciale eſt, quandoquidem propter illud confertur Beneficium: Atqui non eſt aſſiſtentia ſola in Choro, nec priuata recitatio: ergo aliquid aliud ad finem ſpectans, propter quem Chorus inſtitutus eſt: De priuata recitatione conſtat; nam illa Beneficiariis omnibus eſt communis: Præbendarij autem aliquid magis ſpeciale in ordine ad diuinum Officium habent. Quòd autem neque aſſiſtentia in Choro ſubſtantia tota Officij ſit, demonſtratur claré: quia Chorus debet à Præbendariis frequentari ratione eius, propter quod ille inſtitutus eſt, vt ex præfato Tridentini teſtimonio conſtat, verbis illis: *In Choro, ad pſallendum inſtituto*: ergo aſſiſtentia ſola non ſufficit, & ita ex ſolo illius fine non debet à Præbendariis frequentari. Accedit ſic eſſe à Pio V. declaratum, vt conſtat ex Bulla, quæ incipit: *Ex proximo Lateranenſi*: in qua apertè decernitur, vt Canonicus, qui non pſallit in Choro, licet præſens ſit, fructus amittat, quos lucrifeciſſet, ſi cantaſſet. Pro quo & alia ſunt Decreta Pontificum apud Citatos videnda.

Declaratio Pij V.

Non amitti integrè diſtributiones à non canante ſi attendat.

72 Dixi, *Integrè*; quia probabile eſt dimidiam partem diſtributionum lucrari poſſe, ſi ad id, quod ab aliis canitur, debitam attentionem adhibeat: talis enim aſſiſtendi modus eam videtur promereri. Et ita cum P. Suario *ſuprà n.* 10. ferè omnes citati tenent; quidquid contradicat Bonacina, qui pro ſententia ſua alios præter citatos adducit. Habet autem ſpecialem difficultatem in Præbendarijs Indicis, ex eo quòd diſtributiones ſint tota Præbendæ ſubſtantia: non enim videntur dimidiam partem amittere. Nam iuxta P. Suarium, & alios citatos, qui priuatim recitat Officium, lucratur integrè fructus, & ſolùm dimidiam partem diſtributionum amittit. Non videtur autem Præbendarius Indicus peioris conditionis futurus, dum Choro aſſiſtit, & ita duas tertias partes fructuum lucrabitur, ac præterea dimidiam tertiæ, quæ detrahenda erat, ſi diſtributiones iuxta Concilij formam ſtatuerentur; ſed hoc non videtur admittendum: quia priuata recitatio in ordine ad lucrandos fructus, quando illi ad diſtributiones ſunt penitus redacti, perinde ſe habet, ac ſi non eſſet, quia propterea illi ad diſtributiones redacti ſunt, vt more diſtributionum percipiantur, & ita per formalem aſſiſtentiam in diuinis Officiis, vt nihil priuatæ recitationi reſpondeat. Sunt ergo peioris quoad hoc conditionis Indici Præbendarij quantùm ad corporalis laboris incrementum, ſed melioris apud Deum, quia ſic magis illi aſſiſtunt, Angelorum fungentes officio. Nihilominùs non videtur improbabile minùs aliquid dimidiâ parte non canentem amittere, ſtante probabilitate ſententiæ dictæ, quam tot ac tanti Doctores amplexi, quia aliqualis proportio debet ad alios lucrandi modos haberi. Sicut enim durum eſſet quod integram aut dimidiam Præbendam, & partem diſtributionum dimidiam amitteret, qui non caneret; vnde quod ad Præbendam attinet ſaluum manet: ita durum etiam videtur dimidiam Præbendam amitti, in quâ tota eſt, per deſignationem diſtributionum, Beneficij ſubſtantia conſtituta. Quamquam ad hoc dici non immeritò poſſit; Canant, & integrè lucrabuntur. Si autem id, quod adeo eſt facile, & Deo honorificum, faſtidiosè detrectant, ſibi imputent, dum prouentuum amiſſione plectuntur. Sed iuxta dicta videtur moderata mulcta tertiæ partis amiſſio.

Specialis difficultas circa Præbendarios Indicos.

Quod non improbabile in totum ſanctum.

Specialis obligatio eorum circa cantū.

73 Quòd autem Præbendarij Indici ad ea nondum ſpecialiter teneantur, quod erat *Secundò* probandum, & pro quo videri poteſt Dom. Reyna *ſuprà Cap.* 5. ex eo oſtenditur quia, vt fatentur qui obligationem canendi negant, & videri poſſunt apud P. Sancium *ſuprà Dub.* 99. qui eorum ſententiam probabiliorem iudicat, niſi vbi eſt conſuetudo, aut Epiſcopi ſtatutum: id locum habere nequit. Vbi ſine Præbendariorum cantu Officium diuinum congruè peragi nequit, eo quòd non ſit ſufficiens Cantorum copia. Hoc autem in Eccleſiis Indicis ordinariè contingit in diebus ferialibus, & multoties in feſtiuis. Item. Quia cùm de ſtabiliendâ Chriſtianâ fide in regionibus iſtis agatur, diuinus cultus debet ſpeciali curâ tractari, ad quem ſpectat vt ij, qui ſunt inter Eccleſiaſticos præcipui, diuinas laudes perſonent. Quòd ſi conſuetudo in contrarium ſit, ea debet à Prælatis aboleri, vt benè P. Leſſius *num.* 71. citatus admonuit.

Matutini Cantus in Eccleſiis Indicis miſſus. Circa quod excurſio.

74 Cùm autem ij, qui conſuetudine induci poſſe teſtantur vt Præbendarij non canant, & ſunt ferè omnes adducti *numer.* 71. Pater Suarium ſecuti *numer.* 11. addant id per Menſionarios aut Capellanos faciendum, ita vt cantus pro nulla Hora deficiat: mirari profectò iuuat quomodo in Eccleſiis Indicis mos ille inoleuerit, vt Matutinum Officium ſine cantu relinquatur. Matutinum inquam, Hora illa inter Canonicas præcipua, & ad Dei laudem præſertim inſtituta, vnde & extrema illius pars Laudum nomine compellata. Et poterat quidem excuſatio admitti, ſi tempus eſſet incommodum, non iam nocte intempeſtâ, quod vix in vſu, ſed ſub illius initium, vt in Concilio Limenſi Tertio *Act.* 3. *Cap.* 27. ſtatuitur, vbi ſic dicitur: *Horæ Canonicæ Matutinæ ante pulſum Salutationis Angelicæ nequaquam inchoentur.* Quod quidem conſuetudine abrogatum, neque immeritò, quia non ſine inconuenientibus tempore illo ianuæ Eccleſiæ paterent, quod frequentia experimenta comprobarunt. At cùm præfatum Officium horâ quartâ pomeridianâ dici ſoleat, qualis eſſe excuſationi locus poteſt, ſurgentibus ad Matutinum mediâ nocte Religioſis, & in Choro diuinas laudes inſonantibus, cùm Cathedralis Eccleſia omnium debeat eſſe ſpeculum, typus, exemplar? Et quidem ego Auctores euoluens de hac materia agentes, & varias circa illam conſuetudines admittentes, de quibus *num.* 69. Et circa quas etiam videri ſpecialiùs poteſt Bonacina *tota Diſput.* 2. *de Officio diuino*: nihil tale deprehendo, quòd ſcilicet extante Præbendariorum numero competenti vt Horæ ſacræ in Choro decantari poſſint, & circa alios ita vſu habente, illarum præcipua cantûs celebritate poſſit penitus defraudari. Nulla enim rationabilis cauſſa illis ad exceptionem iſtam poteſt occurrere, quia reuerà non apparet, neque ex leuitate materiæ, cùm ſit illa grauiſſima; neque ex temporis incommodo, quandoquidem ad tempus omnium commodiſſimum Hora eſt iſta anticipata. Quòd autem ex Horis

Concilium Lim. 3.

præ-

Digitized by Google

præcedentibus defatigati ſint aſſiſteñtes, non ſatisfacit, quia interruptio ſufficiens eſſe poteſt: item, priuilegium aliquod pro aſſiſtentia concedi. Et abſolutè loquendo conuenientius eſt, Præbendariis aliquibus abſentibus, Officium cani, quàm iis aſſiſtentibus prætermitti, in quo ad laudandum Dominum præſertim inuitantur: *Venite, exultemus Domino. Semper in Pſalmis meditemur atque voce concordi Domino canamus dulciter hymnos.* Et quidem Concilium Limenſe *citato* Cap. 27. poſt adducta verba ſic ſubdit: *Signum verò Campanæ ad ſingulas Canonici Officij Horas detur.* Quibus ſatis videtur indicare Canonicas Horas, eas præcipuè, de quibus immediatus ſermo præceſſerat, cantu dicendas: non enim conſuetum eſt pro recitandis ſubmiſſâ voce, Campanæ pulſus adhiberi: quia ille nòn tantùm pro recitaturis datur, ſed etiam pro aliis, qui voluerint Dei laudibus intereſſe. Pro quo hæc ſatis, & circa quod poterunt docti & Religioſi Prælati pro munere prouidere.

Campanæ pulſus ad Horas cur detur.

Aſſertio 2. Circa Salue Regina.

75 Dico ſecundò. Circa Antiphonam, *Salue Regina*, Sabbatis dicendam, quæ & Quadrageſimæ tempore ſingulis diebus dicitur in aliquibus Eccleſiis, ſeruanda conſuetudo, vt diſtributiones illi reſpondentes lucrifiant, aut amittantur. Poſſe id ſtatuto firmari non videtur dubitabile, & ita Concilium Limenſe *citato Capite* ſic ſtatuit: *Omnibus autem Sabbatis Salue Regina cantetur in Cathedralibus & Parochialibus Eccleſiis, cui interſint Præbendati & alij Clerici omnes cum ſuperpellicio, etiam primæ Tonſuræ; alioqui arbitrio Ordinarij plectantur.* Hæc Concilium. Quod quidem cùm plectendos iubeat eos, qui abfuerint, & clauſula illa omnes, de quibus ſermo præceſſerat, comprehendat, obligationem ſupponit, quæ circa Clericos alios eſt per deſuetudinem abrogata. Circa Præbendarios autem non videtur eſſe ſub mortali. Et cùm de mulcta pecuniariâ nihil dicatur, nihil etiam in foro conſcientiæ ex diſtributionibus reſtituendum. Poterit autem Prælatus, ſi defectus fuerit frequens, aliquid inde detrahere, & intereſſentibus applicare. Sed in hoc, vt dixi, attendenda conſuetudo. Et Concilium quidem Tridentinum de diſtributionibus agens, dum eas diuidendas decernit, Horarum in ſpeciali non meminit, ſed ſic generaliùs pronuntiauit: *Quæ inter Dignitates obtinentes, & ceteros diuinis intereſſentes, proportionabiliter iuxta diuiſionem ab Epiſcopo, etiam tamquam Apoſtolicæ Sedis Legato, in ipſa prima fructuum deductione faciendam diuidantur. Seſſione* 21. *Cap.* 3. *De Reformat.* Cùm ergo Antiphona dicta inter diuina debeat meritò computari; poterit Epiſcopus in Diſtributionum diuiſione, intereſſentiæ reſpectu illius rationem habere, vt lucrifiat earum aliquid, vel amittatur.

Limenſis Concilij Decretum.

Qualiter obligat.

Aſſertio 3. Circa Præbendarios Parochos.

76 Dico tertiò. Præbendarij Indici, qui propter tenuitatem Præbendæ, ſimul ſunt Parochi, dum Parochiale Officium ex neceſſitate exercent, non tenentur ad Chorum, & Præbendam in diſtributionibus conſtitutam integrè lucrantur. Sic tenent Gonzalez, Moneta, & Nicolaus Garcia, quos adducit & ſequitur Bonacina *Diſput.* 2. *citata Quæſt.* 5. *Puncto* 3. §. 7. *num.* 3. Et alij plures apud ipſos, loquentes etiam cùm Diſtributiones à Præbenda diſtinctæ ſunt. Quando autem non ſunt diſtinctæ, id certius, & ita in ſpeciali declaratum à ſacra Cardinalium Congregatione, vt teſtatur Aloyſius Riccius *Deciſione* 498. *num.* 4. Et Nicolaus Garcia *Parte* 3. *Cap.* 2. *num.* 114. & 353. Eſt autem huius Conceſſionis ratio, quia ſi ita non fieret, minimè obtineri poſſet finis, propter quem duorum illorum Beneficiorum ſimultas indulgetur: vt ſcilicet quod ex vno deeſt, per aliud ſuppleatur. Dixi. *Dum Parochiale officium ex neceſſitate exercent:* quia ſi poſſit in tempus aliud ſine aliqua animarum iacturâ differri, non poteſt tutâ conſcientiâ Præbendarius ſacris ſe officiis denegare. Aliter hoc explicat Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 3. *Cap.* 14. *numer.* 5. vt ſcilicet Curatus Præbendis aggregetur, cum onere eidem per vices inſeruiendi ab eiidem Præbendariis, vel Rectorem cum congruâ ſuſtentatione conſtituendi. Additque hanc praxim in Eccleſiis Indiarum ortum habuiſſe ex Textu in Cap. *Expoſuiſti*, de Præbendis 33. Et diſpoſitis in Tridentino *Seſſione* 24. *Cap.* 13. & 15. Sed certè Cap. *Expoſuiſti* de aggregatione Parochialis Eccleſiæ non agit, ſed Capellæ; licet Bernardus in Gloſſa id ad Parochialem Eccleſiam extendat. Conſilium Trid. in *Cap.* 15. de vnione Parochialis nihil, ſed de ſimplicibus Beneficiis diſponit. In *Capite autem* 13. id expreſſius, ſed de iam facta: cum tamen unio Parochialis Eccleſiæ penitus Epiſcopis prohibeatur. Nullibi autem de modo ſeruiendi quidquam adiectum, vnde hoc iudicio Epiſcopi relinquendum.

Notandum circa praxim.

Modus alius ſeruiendi.

Aſſertio 4. Quamlibet iuſtam cauſſam ad integrũ lucrum ſufficere in Indicis.

77 Dico quartò. Generaliter loquendo, quoties Præbendarius Indicus ex iuſta cauſſa abeſt, tutâ conſcientiâ poteſt diſtributiones integrè lucrari, in quibus eſt Præbenda conſtituta. Probatur. Quia generaliter loquendo, abſens ex iuſta cauſſa lucratur fructus Præbendæ, id quod ex ſacris Canonibus & Conciliis manifeſtum habetur, vt vidimus *num.* 64. Atqui Præbenda Indica in diſtributionibus conſiſtit: ergo illam ex iuſta cauſſa abſentes poſſunt lucrari. Si dicas tertiam partem detrahendam reſpondentem quotidianis diſtributionibus, iuxta illorum ſententiam, de qua *num.* 41. Cùm oppoſita ſit non parum probabilis, tuta conſcientia ſe illi poteſt Præbendarius conformare. Ex quo generalis etiam Aſſertio ſequitur, quòd ſcilicet Præbendarius numquam ſit ad reſtitutionem obligatus, quoties iuſta cauſſa abſentiæ ſuccurrit, in quo non debet ſuo iudicio inniti, niſi caſus ſit apud Auctores expreſſus. Facilè enim in cauſſa propria decipimur, dum iudices eſſe properamus. Videtur autem cauſſa iuſta, vt communes alias prætereamus, ſi Præbendarius vnius Eccleſiæ ad concurſum veniat pro alterius Præbendâ neceſſarium: in quo quidem ratione diſtantiæ, quæ in regionibus iſtis occurrit, multùm eſt temporis inſumendum, tres ſcilicet aliquando, aut quattuor menſes: ad hoc enim edicta proponuntur. In hoc autem ſpatio tempus vacationi permiſſum includendum, videri alicui poſſit: quia cùm illud ad leuandam moleſtiam ex aſſiſtentiâ in Choro, & propria agenda negotia concedatur, vt vidimus *Cap. præced.* totum hoc occupatione, de qua agimus, obtinetur: nec debet Eccleſia tot abſentiarum incommoda ſuſtinere, quando eius cauſſa non agitur, ſed priuata oppoſitorum. Contrarium autem ſuâ eſt probabilitate præditum: quia

Et obligationem reſtitutionis ex ea non oriri.

Talem eſſe abſentiam pro concurſu ad Præbendam in alia Eccleſia.

reuera

reuerà oppoſitioni conceſſum ſpatium, leuamini non eſt, cùm & moleſtia itineris eunti & redeunti, & oppoſitionis ſint anguſtiæ deuorandæ. Pro quo & facit illorum ſententia, quos adducit & ſequitur P. Thomas Sancius *ſuprà*, *Dub.* 104. vbi ait Canonicum per totum annum non reſidentem poſſe frui diebus, quos vocant de *Recle*, vacationis ſcilicet: niſi per Eccleſiæ ſtatuta, aut conſuetudine aliud habeatur. Eorum ergo ratio ſpecialis habetur; quidquid de abſentia ex aliis cauſis ſit. In hoc autem obſeruandum illud, quod Pius V. in ſimilibus admonuit, Diuo Carolo reſcribens, cuius reſcripti generalem diſpoſitionem eſſe tenet Bonacina *Diſputat.* 2. *citatâ*, *Quæſt.* 5. *Puncto* 3. §. 8. *num.* 4. qui *num.* 3. illius tenorem apponit. Concedens enim vt Præbendarij, dum viſitant, vel alteri ſpirituali negotio ex commiſſione Prælati vacant, diſtributiones obtineant, ſic addit: *Dummodò ipſi Vicarij intra fines ſui Vicariatus maneant, & prætextu exercendi officium, non vagentur ſolatij cauſſa.* Sic ille. Non eſt autem iuſta cauſſa, ſi ob dicendam Miſſam ex deuotione abſit, vt cum aliis tenet Dom. Villaroël *Quæſt.* 8. *Art.* 2. *num.* 5. & Trullench *Libr.* 1. *Dub.* 12. §. 4. Quia licet ſanctiſſima occupatio ſit, anteponi potuit, aut poſtponi. Quòd ſi tempore officij deuotionis occaſio vrget, aut intereſſe illud Deo ſacrificet, aut deuotioni obligationem præferat, ſciens melius eſſe obedire, quàm ſacrificare.

Et probabili ſententia arguitur, vt non debeat vacationis tempus includi.

Obſeruatio in prædictis.

Miſſam ex deuotione celebrare non eſſe talem.

78 Cauſſa item iuſta debet computari, ſi Præbendarius diœceſim viſitet, eò quòd ſit Epiſcopus impeditus, neque ſit alius, qui æquè benè munus illud poſſit obire. Sic ex præfatâ Pij V. conceſſione habetur. Vbi illud addendum, non obſtare quòd Præbendarius dictus ſalarium pro labore viſitationis accipiat, vt in ſimili tenet Bonacina *ſuprà*, §. 3. verſ. *Amplia ſecundò*, de Præbendario abeunte vt iura ſuæ tueatur Eccleſiæ. Qui tamen §. 6. *num.* 4. in ſimili ſic contendit: *Excipienda tamen ad minimum videtur tertia pars, quæ inſeruientibus accreſcere conſueuit, dum Beneficium in ſolis conſiſtit diſtributionibus: par enim non eſt vt ipſi pro abſente laborent, & nullum inde commodum ſentiant, vt innuere videtur ex Declarationibus ſacræ Congregationis Garcias, Moneta, & alij, &c.* Verùm his non obſtantibus, non tenebitur talis Viſitator partem illam tertiam non admittere, aut admiſſam reſtituere, quia Pontifex ita diſtributiones indulget talibus, *ac ſi in Choro perſonaliter inſeruirent.* Neque dolere intereſſentes debent, quod laboris pro alio ſuſcepti nullum commodum ſentiunt, quia labor dictus ſpirituali vtilitate compenſatur, cui & ipſi debent pro ſui officij ratione conſulere: ſunt enim Epiſcoporum Conſiliarij in partem ſolicitudinis vocati, & in quos, vacante Eccleſiâ, tota ſpiritualis cura deſcendit. Quòd ſi ratio illa vim haberet, non ſolùm de tertiâ parte, ſed etiam de integrâ diſtributionum portione probaret: quia pro alio laborantes, non partem commodi, ſed totum illud habere debent: qui enim non laborat, manducare non debet, iuxta Apoſtoli ſententiam in hac materiâ à Sacris Canonibus vſurpatam. *Iuſtum* prætereà *eſt, vt illi conſequantur ſtipendium, qui pro tempore ſuum commodare reperiuntur obſequium.* Cap. *Charitatem*, 12. *quæſt.* 2. Neque obſtat Regia prohibitio, iuxta quam Præbendarij nequeunt Diœceſim viſitare. Pro quo Dom. Villaroël *Quæſt.* 2. *Articul.* 8. *numer.* 15. Non ex ratione ab eo adducta, ſiniſtræ informationis; veriſſimè enim eſt Regium Conſilium informatum. Sed quia vtcumque id ſe habeat, labor eſt idem, & tranſgreſſio non Viſitatori, ſed Epiſcopo adſcribenda, cui nulla eſt appoſita pœna: & poteſt in hoc ratione peculiaris neceſſitatis, cum iuſtificatione procedere, vt non videatur in illâ locum habere Regia diſpoſitio.

Benè talem Diœceſis viſitationē.

Bonacina non ſibi cōſtans doctrina.

Intereſſentibus cur non debeat id haberi moleſtum.

Cap. Charitatem 12. q. 2.

79 Eſt autem idem dicendum, de Præbendario, quem Epiſcopus ſecum ad viſitandum adducit, eò quòd illius operâ videatur indigere. Pro quo eſt Cap. *Ad audientiam*, de Præbendis, vbi ſic Honorius III. *Decernimus vt duo ex Canonicis Eccleſiæ memoratæ in tuo ſeruitio exiſtentes, ſuarum fructus integrè percipiant Præbendarum: cùm abſentes dici non debeant ſed præſentes, qui tecum pro tuo, & ipſius Eccleſiæ ſeruitio commorantur.* Sic Pontifex: cuius deciſio non eſt ad Canonicos coarctanda, ſed ad Præbendarios quoſlibet extendenda, ob adiunctam rationem: quòd ſcilicet abſentes dici nequeant, ſed præſentes; & quia quod ad ſeruitium Epiſcopi & Eccleſiæ attinet, in aliis poteſt ſimilis commoditas inueniri. Eſt autem illud in vſu; pro quo Zerola verb. *Capitulum.* §. *Ad nonum.* Trullench *ſuprà*, §. 2. *num.* 2. diſtributiones, cùm non ſunt diſtinctæ, concedens, & Barboſa *Allegat.* 53. *num.* 143. licèt ſint qui negent apud eumdem, inſpectâ hodiè vbertate fructuum Epiſcopalium & multitudine peritorum: qui à vero non videntur aberrare. Videtur autem in Indiis duorum Præbendariorum abſentia ex prædicto titulo minimè ſuſtinenda, niſi breue per aliquod tempus, quia non poteſt non in diuini cultus detrimentum redundare. Pro quo eſt id, quod habet Gloſſa in *citat. cap.* verb. *Vt duo*, vbi ſic ait: *Si verò plures eſſent, priuarentur: & credo hoc ſtatutum fuiſſe, ne in fraudem hoc aliqui procurent, & Eccleſiæ ſeruitium diminueretur propter illorum abſentiam, &c.* Sicut ergo tres nequit Epiſcopus in ſeruitio dicto retinere, quia ſic Eccleſiæ ſeruitium diminueretur, ita nec duos in Indiis, vbi ſpecialis ratio eſt, ob Præbendariorum ex prouiſionis dilatione defectum, & illorum aliàs paucitatem, comparatione aliarum Eccleſiarum; quamuis in Eccleſijs aliquibus competens numerus inueniatur; & quia comitantium Epiſcopum diuturnior abſentia eſt, ob diſtantiam populorum, & impedimenta viarum. Quod poſt hæc ſcripta probari video à Dom. Villaroëlio *Quæſt.* 2. *Artic.* 7. *numer.* 7. *& ſeqq. & numer.* 37. Vbi limitat ſi Eccleſiæ ſint locupletes, & numeroſæ.

Iuſtam etiam eſſe cauſſam Epiſcopum in viſitatione comitari.

Cap. Decreuimus, de Præbendis.

In Indijs quomodo locum habere poſſit.

Gloſſa.

De Canonico Magiſtrali.

80 MVlta de illius prouiſione apud Dom. Barboſam *Allegat.* 56. & apud Nicolaum Garciam *Parte* 5. *Cap.* 4. *num.* 153. *& ſeqq.* & ex eo apud P. Palaum *Tractat.* 13. *Diſputat.* 3. *Puncto* 3. quæ quidem communia ſunt, & ad Indicum nihil ſpeciale conferunt, ſicut & quæ ibidem de Canonico Doctorali ab eiſdem ſcriptoribus congeruntur. Pro quorum prouiſionis forma extant Bullæ Sixti IV. & Leonis X. & illa eſt ad Canonicum Theologum pro docendâ

Circa formam prouiſionis quid generaliter, & quid pro Indijs ſtatutum.

Scripturâ,

Digitized by Google

Scripturâ,& Pœnitentiarium extenſâ. Eſt autem in Eccleſiis Indiarum ſpeciale illud, vt concurſus quidem ad huiuſmodi Canonicatus fiat, præſentatio autem ad Regem pertineat, iuxta dicta *Titulo* 1. *Cap.* 10. ſpeciale item eſt, quòd multùm fauori & negotiationi deferatur; cùm tamen vt Præbendæ iſtæ digniori dentur præfatæ Bullæ decernant,& ita ab Electoribus iuramentum exigatur. Sed cùm neque Epiſcopi neque Capitulares verè & propriè eligant, ſed de ſufficientiâ iudicium ferant, reſeruatâ Regi prouiſione, non videtur deciſio dictarum Bullarum vrgere, niſi quatenus in illis id, quod aliàs obligat, continetur. Et tale videri poteſt ſecretum in ſuffragio ferendo, vt conſtare nequeat, cui delatum illud fuerit. Quamuis neque illa obligatio generaliter talis ſit vt mortale peccatum debeat ſemper illius violatio reputari. In electione quidem Prælatorum Regularium mortalem eſſe docet P. Suarius *Tomo* 4. *de Religione*, *Tractat.* 8. *Lib.* 2. *Cap.* 5. *num.* 12. ſicut & in electione officialium; quia Concilium Tridentinum ſic videtur indicare,dum debere fieri ſtatuit per ſecreta ſuffragia *Seſſione* 25. *Cap.* 6. *de Reformat. Ita vt ſingulorum eligentium nomina numquam publicentur.* Per quod non ſolùm ſecretum in ipsâ electione ſeruandum decernitur, ſed etiam vt elector ipſe numquàm ſe prodat, ob inconuenientia, quæ ex eo poſſunt pullulare, odiorum, diſſenſionum, & rixarum. Sed cùm forma illa non ſit omnibus electionibus communis, vt idem Pater aduertit *numer.* 7. ſed Prælatorum: neque vbi veræ aliorum electiones ſunt, illius obligatio ex vi Conſtitutionis ſub mortali eſſe poteſt, & ſic multò minùs in caſu,de quo loquimur, vbi verò electio non eſt,ſed quædam via ad illam. Quod ergo ad ſecretum attinet, aliunde penſandum eſt: ex inconuenientibus inquam, quæ ex illius poſſunt emergere fractione, & aliquando talia non ſunt, vt propterea debeat grauis in eo culpa reputari. Vt quando omnes ſibi perſuaſum habent talem Præbendarium pro tali oppoſitore dediſſe ſuffragium, idque etiam oppoſitores alij. Quid enim noui tunc, ſi illud fateatur? Vnde cùm P. Palaus *ſuprà*, *num.* 9. iniquam & præiudicialem oſtenſionem vocat Schedularum reprobarum, quas quis ſecum defert, vt oſtendat pro quo ſuffragium dedit, licèt irritam non reddat electionem, vt ex Nicolao Garcia ſtatuit ſic docente *ſuprà*, *num.* 197. non eſt de oſtenſione accipiendus, vt eſt à nobis explicata, ſed quando grauia poſſunt incommoda pertimeri; aut quando manifeſtatio eſt cauſſa electionis, vel ſit conſentiente Capitulo, vt tradit Thomas Hurtadus *Tractat.* 12. *num.* 1640. 1652. & 1654.

Secretum quâ obligatione in electione ſeruandũ.

Conc. Trid.

81 Iam quod ad obligationes in conſcientiæ foro Canonici Magiſtralis ſpectat, vna illa eſſe videtur vt concionetur. Quando autem, conſuetudo, aut Epiſcopalis diſpoſitio dictabit: vel certis deſignatis diebus, qui officio habeantur adnexi, aut qui ſingulari deſignatione, pro temporum opportunitate ac neceſſitate, ab Epiſcopo, aut ab eius Generali Vicario contingant. Et obligatio quidem dicta ſub mortali eſt, propter onus officio adnexum, vnde & Epiſcopus compellere ad illud poteſt, cenſurarum etiam prolatione. Poterit autem Canonicus dictus per alium quandoque miniſterium præfatum obire; non quidem deſignando Concionatorem, qui ſine alio Præſidentium beneplacito concionetur; ad id enim minimè ſe eius facultas extendit; ſed bona eorum venia requiſita. Neque enim ſtrictior eſt Magiſtralis Canonici obligatio, quàm Parochi: hunc autem quandoque per alium id facere poſſe, quod ad eius munus pertinet, iam vidimus *Titulo* 16. *num.* 4. Licèt autem ad gremium Canonicale conducat, & ad illius decorum faciat, vt ſint ex illo, qui prædicationis officio poſſint grauiter & doctè perfungi: eorum tamen prædicatio non ita Chriſtianis populis neceſſaria deprehenditur, quia plus eſſe ſolet florida, quàm robuſta, vt in prouerbium abierit quaſi Canonicum prædicare. Vnde vir ſanè inſignis Aluarus Pizannius de Palacios Canonicus Scripturalis in Eccleſiâ Cordubenſi, cuius mentio habetur in Deciſione Rotæ vltimâ apud Dianam *Parte* 11. & profundæ Scripturarum intelligentiæ præclara extant aliquot monumenta: cùm Hiſpali in Monaſterio quodam Monialium ſuggeſtum aſcendiſſet, in quo magna ſolebat frequentia populorum audiri, ſic eſt concionem auſpicatus: *Neſcio qua fronte prædicaturus aſcendo, & prædicaturus Euangelium, quod modò audiſtis,in quo Diui Præcurſoris Ioannis prædicationem nobis Eccleſia ſancta repræſentat. O Prædicator, & Prædicator! Ille veſtimentum habens de pilis camelorum, & zona pellicea ſuper lumbos eius: Ego byſſo indutus & ſericis. Illicibus locuſtæ, & mel ſylueſtre: mihi fercula varia ad delicias præparata. Ille ex deſerto veniens; ego in medio habitans populorum, vnde & dicere cum Euangelico Vate poſſum.* Quia vir pollutus labiis ego ſum: & in medio populi polluta labia habentis ego habito. *Iſaiæ* 6. *Ille à Deo miſſus: nam fuit homo miſſus à Deo, poſt longiſſimam præparationem: ego neſcio quo ſpiritu ductus, ſine præparationis dignæ ſuffragio, de mundo totus, vt tantùm de mundo prompta ſit ad loquendum facultas, iuxta Ioannis alterius effatum:* Ipſi de mundo ſunt, ideò de mundo loquuntur, & mundus eos audit. 1. *Ioan.* 4. *v.* 5. *Quomodo ergo non erubeſcam? Prædicabo tamen, & contra meipſum ſententiam proferam.* Hæc ille: quæ quidem non ideò à me prolata vt Canonicorum prædicationem expungam, quos, tum aliis ex cauſſis, tum etiam propterea prædicare oportet, quia ex illis aſſumi Epiſcopi ſolent, quod in hoc Regno continuatâ quadam ſucceſſione perſpeximus: Epiſcoporum autem primaria cura, iuxta Canonica inſtituta,in prædicationis debet dignâ exercitatione reponi.

Quid vir inſignis ex illis de eorum prædicatione ſenſerit.

Quæ neceſſitas talium prædicationis.

82 Poteſt autem non inutiliter quæri quot ſint dies Canonico Magiſtrali concedendi,quando eſt ille concionem habiturus, in quibus pro præſenti in diuinis Officiis habeatur? Circa quod P. Thomas Sancius *Libr.* 1. *Conſil. Cap.* 2. *Dub.* 107. videtur ſupponere ſex eſſe poſſe, ſic enim *ibidem* inquirit: *An Concionator, cui dantur ſex dies præcedentes Concionem, vt poſſit abeſſe lucrans diſtributiones, poſſit illis diebus adeſſe, & loco illorum aliis frui.* Quod quidem ille negat, & meritò. Ex ſuppoſitione autem ipſa apparet conceſſionem illam eſſe nimis laxam: ſi enim adeſſe illis ſex diebus poteſt; non ſunt ergo ad Concionem neceſſarij. Et mihi quidem ita videtur; quia cùm pro huiuſmodi Concionibus longa ſpatia præparationis antecedant: non eſt adeò larga indulgentia

Quot dies illi concedendi habituro concionem.

P. Sancius.

Obligatio Concionandi quæ ſit in illo.

tia neceſſaria: vnde iudico ſufficere Veſperam diei, in quo habenda concio, integrum, quo habetur, diem & Horas ſequentis matutinas. Quòd ſi Concionator plus aliquid exigat, indulgendum ipſi, qui circa hoc ſuam debet conſcientiam conuenire. Neque videtur illi tuta, ſi cùm potuerit Concionem opportunè diſponere, id in proximos dies conſultò reiecit, indulgentiâ prædictâ fruiturus. Si autem id bonâ actum fide, non eſt cur circa obligationem aut non accipiendi, aut reſtituendi diſtributiones acceptas ſtimuletur. In his enim bona fides attenditur, vt in caſu alio dictum à Bonacina *Diſput. 2. de Officio diuino. Quæſt. 5. Puncto 4. num. 16.* & à pluribus apud Barboſam in *Remiſſionibus ad Tridentinum Seſsione 24. Cap. 12. 5. Si ignarus.* Et ſtandum conſuetudini, à Dom. Machado *Tomo 2. pag. 193. col. 1. in fine.*

Bona fides vt faueat.

De Canonico Doctorali.

83 ILlius eſt munus, Eccleſiæ, in qua eſt inſtitutus, iura defendere. Eccleſiæ autem nomine Capitulum etiam venit, cuius & iuribus defendendis, licet contra Epiſcopum agatur, debet operam ſedulam adhibere. Quod quidem ſi non faciat, peccat mortaliter, quia officio ſuo deeſt in materia graui. Sed dubitari poteſt an ſit obligatus ad reſtitutionem: videtur enim obligatio dicta, etſi grauis, non tamen onus illud habere; quia cùm Canonicus diuinis aſſiſtat officiis, id ſuâ aſſiſtentiâ lucratur, quod Canonici alij, & ita integram Præbendam: ergo non aliam quàm illi obligationem contrahit, atque ita integrè, ſicut alij, lucrari poteſt, idque ſine onere aliquo reſtitutionis. Nihilominùs dicendum ad reſtitutionem teneri, non equidem portionis alicuius diſtributionum, quæ aliis debeat accreſcere, quia non minùs quàm illi, diuinis interfuit officiis: ſed Eccleſiæ, iuxta damnum, quod perpeſſa illa ex neglectâ defenſione. Obligatio namque prędicta ex iuſtitia eſt, cùm ſit ratione officij, iuxta ea, quæ Doctores tradunt in materia reſtitutionis, vt ſæpiùs diximus, & videri pro eo poteſt ſpecialiter P. Leſſius *Lib. 2. Cap. 32. num. 16.* vbi ita ſcribit: *Aduerte eum, qui aliquam adminiſtrationem ſuſcepit, videri ſe tacitè ad duo obligare. Primò, Ad curandum vt ſuâ negligentiâ nullum damnum detur; & ad hoc ſe obligat lege iuſtitiæ, ita vt teneatur ad reſtitutionem, ſi non præſtiterit. Secundò, Quod promouebit commoda eius, cui per officium ſeruit, in omnibus, quantùm commodè poterit &c.* Neque ratio adducta vrget: quia licet verum ſit Canonicum dictum integrè diſtributiones lucrari & Prębendæ emolumenta, aliunde eſt ad officij curam obligatus, ex cuius neglectu damnum emergere poteſt, quod reſarcire tenetur. Sicut Theſaurarius Eccleſiæ ſimiliter Præbendam percipit: ſi tamen per eius negligentiam res Eccleſiæ pereant, aut detrimentum ſubeant, ad reſtitutionem in foro conſcientiæ tenetur. Neque propterea peioris conditionis eſt, quàm Canonici alij, forſitan illitterati: quia officium illius valde honorificum eſt, & cum eo onere ab ipſo ſuſceptum, qui, ſi eo titulo Præbendam non fuiſſet adeptus, in gradu fortè inferiori remanſiſſet. Et hæc quidem Doctoralibus omnibus communia ſunt, circa quæ Indicos ex eo peccare frequentiùs accidet, quod Epiſcopis ſe contrarios oſtendere vereantur, qui ob vaſtiſſimam ab Apoſtolica Sede diſtantiam, plus ſibi quàm oporteat ſolent aſſumere poteſtatis. Sed conſcientiæ negotium humanis timoribus pręhabendum.

Illius munus.

Ex defectu an obligatio reſtitutionis.

Statuitur illa.

P. Leſſius.

Quid pro Indicis.

De Canonico Scripturario.

84 COnuenientiſſimum ſacræ Scripturæ ſtudium, vnde & à Concilio Tridentino *Seſsione 5. Cap. 1.* ſingulariter commendatum, vt & Magiſtri illius eſſent, & qui ſtuderent ipſi, priuilegiis peculiaribus fruerentur. Quomodo autem dum legunt pro præſentibus habeantur dictum *numer.* 51. Neque obſtat Declaratio Cardinalium circa *Cap. 12. Seſsionis 24. die 27. Februarij* 1585. iuxta quam tertia pars diſtributionum detrahenda dicitur, quando Præbenda ex illis conſtat. Statim enim ſequitur alia fauorabilior pro ſtudentibus, quibus non debent Profeſſores poſthaberi. Licet alia etiam extet *die 23. Septemb.* 1595. apertè contraria, quæ varietas indicat non eſſe in hoc multùm curandas illas, dum firmum aliquid non fuerit ſupremâ auctoritate conſtitutum. Sed quid faciendum, ſi contingat auditorum numerum non adeſſe, eò quòd in Vniuerſitatibus ciuitatum earumdem Cathedra peculiaris ſit, quam certis debeant adire temporibus, qui gradus ſunt in Theologiâ quoſlibet obtenturi? Id equidem, vt Epiſcopi cum Capitulo circa hoc deliberent ne titulus iſte ſine ſubſtantia ſit. Conſilium enim Capituli circa hoc adhibendum ex Concilio Tridentino habetur *citato Capite*: neque enim ſi ſeriò id agatur, modus deerit vt competens audientium numerus colligatur. Quòd ſi deliberatione habitâ, & mediis adhibitis res non ex voto ſuccedat, vacabit ab ea functione Canonicus, ſicut Doctoralis vacat, quando nihil, quod defendi aut promoueri oporteat, occurrit. Neque enim Canonicus talis panem gratis comedet, quandoquidem ſicut alij ad aſſiſtentiam eſt in diuinis obligatus. Non eſt autem penitus abiicienda cura, eo quòd ſemel deliberatione adhibitâ nihil eſt obtentum, ſed pro temporum opportunitate id de nouo præſtandum, quod ad finem à Concilio intentum conducere videatur.

Quomodò lucretur non aſſiſtens.

Quid ſi auditores deſint.

De Canonico Pœnitentiario.

85 OFficium hoc in Eccleſiis Cathedralibus ex Decreto Concilij Tridentini proceſſit *Seſsione 24. Cap. 8. de Reformat.* Vbi ſic habetur: *In omnibus etiam Cathedralibus Eccleſiis, vbi id commodè fieri poterit, Pœnitentiarius aliquis cum vnione Præbendæ proximè vacaturæ ab Epiſcopo inſtituatur, qui Magiſter ſit vel Doctor aut Licenciatus in Theologia, vel Iure Canonico, & annorum quadraginta, ſeu aliàs qui aptior pro loci qualitate reperiatur: qui dum Confeſsiones in Eccleſia audiet, interim præſens in Choro cenſeatur.* Sic Concilium. Quòd autem Præbenda dicta per concurſum danda ſit, ab Vrbano eſt Octauo diſpoſitum, & ita in Hiſpania, & in Indiis, licet non in omnibus Eccleſiis, practicatur. Habet autem Pœnitentiarius dictus

Præbenda Pœnitentiaria inſtitutio.

Concilium Trid.

Digitized by Google

Eſt eo ipſo approbatus Et probabile habere caſus Epiſcopis reſeruatos.

dictus ex vi prouiſionis ſuæ abſolutam approbationem, vt poſſit Diœceſanorum omnium Confeſſiones audire. Quòd autem ex vi illius non habeat caſus reſeruatos Epiſcopis, cum multis probat Diana *Parte* 9. *Tract*.8. *Reſolut*. 11. & 12. niſi vbi fuerit legitimè probata conſuetudo. Oppoſitum autem eſt probabile. Et quidem tantus ſufficientiæ & auctoritatis apparatus, qualis à Concilio in Pœnitentiario requiritur, ad aliquod ſpeciale miniſterium videtur deſtinatus: quale non eſt ordinaria audiendi Confeſſiones facultas, quæ cuilibet mediocriter inſtructo Clerico concedi ſolet, quales multi in Cathedrales confluunt. Neque quòd ex officio id habeat tanti venit æſtimandum, quia pro eo etiam Parochi ſine præfatis requiſitis adſunt. Nullum ergo apparet aliud præter dictum: vt ſit quidem qui præfata habeat, & ad quem etiam pro abſolutione à reſeruatis poſſit recurſus haberi, ne Diœceſani cogantur ſemper Epiſcopum adire, quod non facile eſſe ſolet. In qua Summi Pœnitentiarij ſimilitudo ſeruatur comparatione Pontificis; licet in iſto circa multa alia poteſtas inueniatur. Quæ quidem ratio magni eſſet profectò momenti, niſi ſacræ Congregationis Cardinaliũ Declarationes viderentur obſtare. Illud certius Pœnitentiarium ad aliam Præbendam aſſumptum, approbatum ad audiendas Confeſſiones Diœceſanorum omnium remanere, ſicut Parochus dimiſſo officio, iuxta probabilem ſententiam, pro qua Auctores apud Dianam *Parte* 1. *Tract*. 11. *Reſol*. 8. & *Parte* 5. *Tract*. 12. *Reſolut*. 47. Et in Pœnitentiario quidem ratio videtur eſſe maior, quia illius ſufficientia illuſtrioribus teſtimoniis innititur, ſecundùm qualitatem eorum, quæ pro huiuſmodi Præbendâ requiruntur. Vnde & qui tempore Paſchæ eidem confitetur, præcepto Eccleſiæ ſatisfacit, vt declarauit ſacra Cardinalium Congregatio, quæ eſt vltima circa *Cap. citat*. Approbatio autem ſine iuriſdictione intelligenda eſt, ſicut de Parochis Doctores notant, dum à Parochis aliis ad audiendas Paræcianorum Confeſſiones adhibentur, & generaliter de approbatione ſine ſpeciali ouium deſignatione, & ita à Parochis delegari illis iuriſdictio poteſt, & per Bullam Cruciatam aut Iubilæum eligi.

Promotus approbatus manet.

Vide Tit. 12. n. 190.

Circa diſtributionum lucrum adnotantur aliqua.

86 Et lucrari illum diſtributiones poſſe, dum Confeſſiones in Eccleſia audit, iam ex Concilio vidimus. Circa quod *Primò* adnotandum id, quod de Canonico Magiſtrali. *num*. 82. dictum; non poſſe ſcilicet illum præparationem Concionis in dies proximos eidem ex induſtriâ reiicere, vt ſic illos habeat cum lucro à labore Chori feriatos: ita & Pœnitentiarium non poſſe tutâ conſcientiâ Confeſſionum auditionem, quæ præmitti commodè potuit aut differri, tempori aſſiſtentiæ ſeruare. Licet poſſit ſedere expectans, vt ait Trullench *Lib*. 1. *Cap*. 8. *Dub*. 12. §. 2. *numer*. 1. *Secundo*, Quod licet Concilium de Confeſſionibus in Eccleſia auditis loquatur, id non debet ad Eccleſiam Cathedralem arctari, quia expedire poterit vt alibi audiantur. Immò neque neceſſarium eſſe in Eccleſia audiri; quia infirmus vocare Pœnitentiarium poteſt; & cùm id ad eius munus pertineat, propter quod, dum in Eccleſia audit, præſens habetur, idem eſt de caſu dicto, & ſimilibus dicendum. Vnde circa hoc non eſt audiendus Trullench *ſuprà* id negans. Sed Dom. Mochadus poſt hæc ſcripta viſus *ſuprà pag*. 190. *Col*. 1. Poſita eſt autem auditio in Eccleſia, quia ibi ordinaria eſſe auditio ſolet. Quemadmodum Bonifacius Octauus in adducta ſæpiùs Conſtitutione de Clericis non reſidentibus, tres cauſſas excepit, propter quas licet abſentibus diſtributiones quotidianas obtinere; nec tamen propterea aliæ ſunt rationabiles excludendæ, vt aduertit Bonacina *Diſputat*. 2. *de Officio Quæſt*. 5. *Puncto* 6. *num*. 4. Addo inſuper Pœnitentiarium in Indiis debere linguam Indorum callere, quia generalis Confeſſarius eſt, & in oppoſitione hoc attendendum, vt ceteris paribus in linguâ peritior præferatur. Quod equidem & in Magiſtrali deberet attendi, quia generalis magiſter eſt, & ad illos eius magiſterium oportet extendi, qui Indiarum portio præcipua ſunt, & qui illo maximè videntur indigere. Videantur diuerſæ Declarationes ſacræ Congregationis Cardinalium circa Pœnitentiarium ad citatum Caput, & præſertim reſponſio ad Epiſcopum Abulenſem iuxta quam *debet Pœnitentiarius pro fructu peccata confiteri volentium, aſſiſtere certis horis opportunis in loco & Sede, pro Epiſcopi, ad quem hoc ſpectat, arbitratu*. Et videndus etiam Zerola. Verb. *Pœnitentiarius*.

Declaratio Card. circa locum, & horas.

De Scholiarcha, & Cantore.

Pro illis Decretum. Concilij Lim 3.

87 DE illis ſic in Limenſi Concilio *Act*. 3. *Cap*. 29. *Cùm Beneficium detur propter Officium, munuſque Scholaſtriam obtinentis in Cathedralibus ſit docere litteras, Cantoris verò tantum Eccleſiaſticum. Cúmque tam Concilij Tridentini Generalis, quàm Superioris Prouincialis, id fieri Decreto ſancitum ſit: ſtatuimus in noſtrâ Prouinciâ poſthac, vt Scholaſticus perlegat Lectionem, quam ei ſuus Præſul indixerit, & Cantor doceat rationem cantûs: idque vterque exequatur intra decem dies, ex quo ſtatuti notitiam ceperit. Quòd ſi in Seminario puerorum erigendo ſuo fungantur munere, eo ipſo ſint liberi à contributione pro dicto Seminario.* Hæc Concilium, de quibus Concilium Limenſe Secundum *Seſſione* 2. *Cap*. 75. Concilium autem Tridentinum circa Scholiarcham *Seſſione* 23. *Cap*. 18. de Reformat. vbi de Seminarij erectione, ſic ſtatuit: *Deinde, vt cum minori impenſâ huiuſmodi Scholis inſtituendis prouideatur, ſtatuit ſancta Synodus, vt Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates, & alij locorum Ordinarij, Scholaſterias obtinentes, & alios, quibus eſt Lectionis munus annexum, ad docendum in ipſis ſcholis inſtituendos, per ſe ipſos; ſi idonei fuerint, alioquin per idoneos ſubſtitutos, ab eiſdem Scholaſticis eligendos, & ab Ordinariis approbandos, etiam per ſubtractionem fructuum cogant & compellant. Quòd ſi iudicio Epiſcopi digni nõ fuerint, alium, qui dignus ſit, nominent, omni appellatione remotâ: quod ſi neglexerint, Epiſcopus ipſe deputet. Docebunt autem prædicti quæ videbuntur Epiſcopo expedire. De cetero verò Officia, vel dignitates illæ, quæ Scholaſteriæ dicuntur, non niſi Doctoribus, vel Magiſtris, aut Licentiatis in ſacra pagina, aut in iure Canonico, & aliis perſonis idoneis, & qui per ſe id munus expleant, conferantur: & aliter facta prouiſio nulla ſit, non obſtantibus quibuſlibet priuilegiis & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus.* Sic ibi.

Concilium Trident.

Gradum in Scholiarcha non eſſe neceſſariū concluditur quidquid aliàs diſpoſitum ſit, etiam in erectionibus.

88 In quibus quod ad Gradum Scholiarchę attinet, ita fuerat in erectione Limanæ Eccleſiæ diſpoſitum, vt ſufficeret in altero Iurium, aut in Artibus, in aliquâ generali vniuerſitate receptus, vt videri poteſt apud Dom. Solorzanum *Tomo* 2. *Libr.* 3. *Cap.* 4. *num.* 14. & in Politicâ *Lib.* 4. *Cap.* 4. *Pag.* 521. *in principio.* Cumque qualitas talis Gradus non determinetur, videtur qualiſcumque ex vi erectionis ſufficere: nec mirum, quia erectio dicta ante Concilij Tridentini publicationem fuit, videlicet *Ann.* 1543. vnde poſt illius publicationem oborta quæſtio, quam ſupremi Indiarum Concilij diremit auctoritas, dum in talibus non eſſe Gradum neceſſarium declarauit: Immò quod in erectione Limanæ Eccleſiæ ſtatutum eſt, non vrgere, & conſequenter neque aliarum, quæ ad eius ſunt formam erectæ, tradit Dom. Solorzanus *ſuprà. Cap.* 14. *num.* 18. & in Politicâ *Capite etiam* 14. *pag.* 615. *Col.* 2. & ita vidimus in Eccleſiis dictis aliquos omni carentes Gradu: vnde & dignitates iſtæ admitti tutâ conſcientiâ poſſunt, quin etiam & prætendi. Et ratio eſſe poteſt; quia iuxta Cardinalium Declarationem, quam adducit Nicolaus Garcia *Parte* 7. *Cap.* 7. *in Additionibus ad num.* 35. ex quo Dom. Solorzanus *citat. numer.* 18. Decretum Tridentini non comprehendit Scholaſterias exiſtentes in loco vbi non eſt erectum Seminarium, vel vbi in eius inſtitutione Præceptores alij deſignantur. Cùm ergo in omnibus locis, in quibus Scholaſterij exiſtunt, Scholæ Societatis ſint, vbi alumni Seminariorum commodè poſſint inſtitui, quos præferendos aliis ſacra Cardinalium Congregatio iudicauit, vt vidimus *num.* 53. Concilij, & erectionis videtur ratio ceſſare, ſicut & Concilij Limenſis vtriuſque. Neque propterea Beneficium ſine officio proueniet, quandoquidem Scholaſticus aliorum Præbendariorum more Choro debet aſſiſtere, tali dignitate ad ſolum ferè titulum reuocatâ, ſicut & Archidiaconi. Quamuis in Ciuitatibus, vbi Vniuerſitates generales ſunt, maiorum Graduum collatio ad eoſdem ſpectet: in quo dum occupantur, an haberi pro præſentibus debeant, aliqualis quæſtionis eſt. Et videtur affirmatiuè reſpondendum, ſicut de aliis Præbendariis, quando ratione ſui muneris abſunt; dummodò ex induſtriâ occupatio dicta in tempus diuinis deputatum officiis, vt de aliis diximus, minimè reiiciatur.

Concilij Decretum quos non comprehendat.

Archicantori, quæ obligationes.

89 Circa Cantorem, ſeu Archicantorem, nihil in Concilio Tridentino, in quo tantùm ſtatuitur, vt alumni Seminarij cantum Eccleſiaſticum doceantur. Quòd verò Præbendarius, cui dignitas confertur, huiuſmodi non debeat per ſe munus docendi ſubire, receptiſſima praxis oſtendit: in prouiſione ſiquidem illius nulla peritiæ in cantu habetur cura, & multoties iis illa confertur, qui neque diſcipuli in eâ eſſe arte poſſunt, ob vocis inſuauitatem. Eorum tamen impenſâ ſubcantor conſtituitur, à quo id præſtari poſſit, quod eſt à Concilio Limenſi conſtitutum. Quod ſi alicubi ita non factum; faciendum ſanè: aliàs conſcientiæ minimè ſatisfactum. Si autem ex huiuſmodi defectu Eccleſia detrimentum in diuinis officiis patiatur, videtur reſtitutio aliqua eidem facienda quantùm prudentis æſtimari poſſit arbitrio iuxta dicta *num.* 83. Verè enim in re pretio æſtimabili damnum eſt illatum, & ab obligatione ratione officij contractâ deuiatum. Pro quo videndus P. Fragoſus *Tomo* 2. *Pag.* 861. *num.* 8. & 9. vbi cum aliis docet id, quo Præbendarius in foro conſcientiæ priuatur ob delictum in ſeruitij defectu Eccleſiæ reſtituendum.

Et reſtitutionis ex damno Eccleſiæ ſecuto.

De Portionarijs.

Illorum quoad aſſiſtentiam obligatio.

90 SVnt & Portiones integras, & dimidias habentes, ſed æqualiter ad aſſiſtendum diuinis obligati, nec minùs quàm Præbendis fruentes amplioribus; cum eo enim onere illas admiſerunt: & quemadmodum Canonici non minùs ad aſſiſtendum, quàm Dignitates obligantur, licèt minora illorum emolumenta ſint, ita de Portionariis dubio eſt procul iudicandum. Vnde circa hoc oportet illos attendere, ne ex inæqualitate prouentuum apparenti quodam reſpectu decipiantur. Poteſt autem aliquis circa ſtatutum Concilij tertij Limenſis hærere *Act.* 3. *Cap.* 26. cuius tenorem dedimus *num.* 59. ibi enim cùm de obligatione aſſiſtendi agatur, Dignitatum, & Canonicorum mentio tantùm habetur, neque clauſula alia generalis additur, quâ Portionarij videantur comprehenſi, quæ tamen *Cap.* 28. habetur, vbi de non mittendis Præbendariis extra Eccleſiam agitur, verbis illis: *Aut quamcumque Præbendam in eâ obtinentes.* Verùm ex eo ſumi rationabile argumentum nequit, cùm ibidem Concilium ad Tridentini ſe Decreta remittat *Seſſione* 24. *Cap.* 12. *de Reformat.* vbi de Portionariis eſt mentio manifeſta, verbis illis: *Præterea obtinentibus in eiſdem Cathedralibus aut Collegiatis, Dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut Portiones, &c.* Neque dimidias Portiones habentes ſe exceptos velint, quia de illis manifeſta mentio non videtur: veriſſimè namque facta eſt; ſiquidem Portionem habent abſolutè talem, cùm partem habeant ſatis conſiderabilem fructuum; quæ tamen aliarum comparatione dimidia eſt: & certè ſi talibus aſſignata omnino eſſet æqualis, ita vt alij maiorem non haberent, nullum eſſet fundamentum exceptioni: atqui per accidens prorſus accidit, quod alij maiorem: vnde in ordine ad effectum, de quo agitur, id non debet curari.

Circa Concilium Limenſe dubium expeditum.

Conc. Trid.

De Capellanis Chori, aliiſque.

Capellanorum obligationes, & quid non ſit illis cum Præbendarijs commune.

91 IVxta Cathedralium erectiones ſolent Capellani, habituri partem fructuum, deſignari, & pro Eccleſiâ Limenſi lex decreti. Quorum obligatio ex eiuſdem eſt tenore perſpicua: neque priuilegijs illis generaliter fruuntur, quibus Præbendarij, quia reuerà Præbendarij non ſunt, vnde nec Sedem cum Præbendariis habent, nec cappâ vtuntur Præbendali. Nequeunt ergo dies vacationis habere, quos habent illi, quia nullibi inueniuntur conceſſi: & quia propterea conſtituti ſunt, vt deficientibus Præbendariis, quibus variæ pro abſentiâ cauſſæ poſſunt occurrere, non deſint qui officij ſacri poſſint debitum penſum decenter explere. Et ita poſt hæc ſcripta audio ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo iudicatum. Poteſt autem in dubium vocari, an ſuo miniſterio non incumbentibus Capellanis, id, quod iis ſubtrahendum, accreſcere aliis debeat: & negandum illud:

Quæ ex defectu reſtituenda, Eccleſiæ debentur.

Digitized by Google

illud: quia Capellanis intereſſentibus accreſcere non debet, quibus ſuum eſt ſalarium aſſignatum, nec per modum diſtributionum lucrantur: neque illorum labor ex defectu aliorum augetur, quia neque plus cantant, neque plus inſeruiunt. Neque Præbendariis, quia defectus talis in detrimentum cedit Eccleſiæ, neque per modum diſtributionum, vt dixi, talis remuneratio confertur: & ita reddenda eſt Eccleſiæ. Si dicatur, quidquid ex portione Præbendariis & Miniſtris aſſignatâ ſupereſt, ex quarta inquam parte maſſæ decimalis, ad Præbendarios pertinere. Id quidem tunc ſtabit, cùm poſt ſalaria iiſdem aſſignata Miniſtris, qui ad decentē diuini cultûs rationem neceſſarij fuerint, aliquid ſuperfluit: non verò quando ex aſſignatis ſalariis ob defectum Miniſtrorum eſt reliquum: quia illud iam ex portione dicta cenſeri debet extractum, & Eccleſiæ attributum, vnde reddendum eidem, vt detrimentum ex defectu ſuperueniens compenſetur. Et circa hoc neſcio an ſatis fundata eſſe ſoleat, & non vnius aut alterius illa querela, Eccleſias competentibus carere Miniſtris, qui Choro inſeruiant, dum Præbendarij parum ſunt de negotio iſto ſoliciti, ſcientes ſibi accreſcere quidquid minùs fuerit illis impenſum.

Quando aliquid illis accreſcat.

Declaratio Cardinalium circa illos.

92 Eſt autem erga prædictos Declaratio Sacræ Congregationis Cardinalium circa *Cap.* 12. *Seſſionis* 24. *de Reformat. numer.* 33. vbi ſic dicitur: *Congregatio Concilij cenſuit non requiri licentiam Epiſcopi, quando obtinentes Dignitates, Canonici, Portionarij, abeſſe volunt tempore à Concilio Tridentino illis permiſſo. De alijs, qui non ſunt Beneficiati, & inſeruiunt in Eccleſiâ, Concilium nihil diſpoſuit, ſed æqualiter ſeruandum quod Concilium mandat circa regimen debitum in diuinis officijs.* Sic Congregatio. Vbi circa eos, qui Beneficiati non ſunt, indulgentiam Concilij non ſuffragari decernitur, ſed obſeruandum id, quod *in citato Capite* Concilium ſtatuit: videlicet vt Epiſcopus circa id prouideat, dum Prouinciale Concilium non prouidet quid ſit in diuinorum officiorum celebratione ſeruandum. Ad eorum ergo prouidentiam ſpectat, quando & quomodo, qui Eccleſiæ inſeruiunt, ſuo debeant miniſterio adeſſe. Videntur autem Capellani Præbendariorum priuilegio frui, quia Beneficiati dici poſſunt; quandoquidem Beneficium, redditus inquam Eccleſiaſticos, propter officium ſpirituale recipiunt, propter aſſiſtentiam inquam in diuinis, & cooperationem erga ipſa: Declaratio autem Concilij quoad priuilegium dictum ſolos eos, qui non ſunt Beneficiati, diſcludit. Et ita videtur dicendum, ſi Capellaniæ in titulum conferantur, & ex Patroni præſentatione: ſecus autem ſi ex arbitraria deſignatione, & ſine Canonica inſtitutione. In Limenſi autem Eccleſiâ præſentatio Patroni præcedit. Sed, etiamſi dicamus Beneficia eſſe, non ſequitur, ad illos Declarationem extendi, ſed ad Beneficiatos, qui Præbendam habent, & non ſunt peculiari Chori ſeruitio deputati. Procedit enim illa iuxta tenorem Concilij, quod Dignitates, Canonicatus, Præbendas, & Portiones expreſſit, & ſtatim addidit: *Priuetur dimidia parte fructuum, quos ratione Præbendæ fecit ſuos.* Solis ergo Præbendariis trimeſtris vacationis eſt indulgentia conceſſa. Quòd ſi aliquale circa hoc dubium eſt, Epiſcopus arbitrari poterit, ſi non antè Synodus id præſtiterit Prouincialis, ſeruatâ formâ à Concilio præſtitutâ. Erit autem id certius, ſi obligatio Capellanorum, de quibus agimus, non ſit quotidianæ & vniuerſalis aſſiſtentiæ, ſed pro certis diebus: ſic enim valde diuerſa ratio eſt in illis, ac in Præbendariis, vt non debeat illis vacatio ſimilis indulgeri, cùm eam ipſi habeant, vt àb obligatione aſſiſtendi diebus feriatis. Et idem de Acolythis dicendum, qui in Eccleſiarum erectionibus deſignari ſolent, vt videri poteſt in erectione Limanæ Eccleſiæ apud Dom. Solorzanum *Libr.* 3. *Cap.* 4. *numer.* 14. In eâ enim ſex deſignati experiuntur. Nec de Præbendariis plura, vt ad eorum Capitulum veniamus, pro quo ſit

An Beneficiati.

Trimeſtri vacatione non frui.

Conc. Trid.

Digitized by Google

TITVLVS XIX.

DE CAPITVLIS CATHEDRALIVM ECCLESIARVM, SEDE PRÆSERTIM VACANTE.

Eccleſiæ Cathedralis Capitulum ex Prabendarijs conſtat, de quibus actum cùm ſit Titulo præcedenti, *non videntur eſſe multa ad conſcientiæ forum ſpectantia, quæ longiori indigeant diſcuſſione, præſertim circa Capitulum Sede plena: de quo tamen præmittendum aliquid, vt ad Capitulum, vacante Sede, de quo plus aliquid circa Eccleſias Indiarum occurrit, ſtatim procedamus. Sit ergo pro illo*

CAPVT I.

Circa Capitula Indicarum Cathedralium adnotantur nonnulla ad forum conſcientiæ pertinentia, cùm Sedes plena.

Aſſertio 1. non poſſe circa diſtributiones ſine Epiſcopi auctoritate diſponere.

1 DIco primò. Capitulum circa diſtributiones, in quibus ſunt Præbendæ conſtitutæ, nequit ſine Epiſcopi conſenſu diſponere, modum in eo ſeruandum ſtatuendo. Sic colligitur ex Dom. Barboſa *Allegat.* 53. *num.* 139. qui pro ſe adducit Monetam: & de diſtributionibus quotidianis agunt, vnde ad ampliores, quales ſunt illæ, de quibus loquimur, fit euidens conſequentia. Probatur ex Concilio Tridentin. *Seſſione* 21. *Cap.* 3. vbi cùm diſtributionum deductionem ſtatuat, quæ ſunt intereſſentibus tribuendæ, ſic ſubdit: *Iuxta diuiſionem ab Epiſcopo, etiam tamquàm Apoſtolicæ Sedis Delegato, in ipſâ primâ fructuum deductione faciendam, diuidantur, &c.* Prætereà hoc ſpectat ad regimen in diuinis officiis habendum, quod valde ex fructuum diſtributione dependet: illud autem ad Epiſcopum ſpectare, dum Prouincialis Synodus non prouidet, ex eodem Concilio habetur *Seſſione* 24. *Cap.* 12. *de Reformat.* in fine, ibi: *Cetera, quæ ad debitum in diuinis officiis regimen ſpectant, &c.* P. Azor *Tomo* 2. *Lib.* 7. *Cap.* 17. *in fine*, cùm proponat quæſtionem: an Capitulum ſine Epiſcopo poſſit ſtatuta condere de diſtributionibus certâ ratione & modo diuidendis, ſic reſoluit: *Reſpondeo poſſe, quando nihil contra Epiſcopi iuriſdictionem, aut contra Ius commune conſtituit.* Sic ille adducens Francum in Cap. *Conſuetudinem.* §. *Statuimus de Cleric. non reſid. in* 6. Quod videtur difficile: nam ſtante Aſſertionis propoſitæ veritate, quòd ſcilicet circa prædicta ſtatuere ad Epiſcopum pertineat, & non ad Capitulum ſine illo: contra ipſius iuriſdictionem fit, & contra ius commune, in Concilio ſtabilitum *citatis locis*: ergo nequit ſtare quod Capitulum ſtatuat, & prædicta non ſequantur. Videtur autem dictorum Auctorum mens, vt id, quod ſtatuto Capituli diſponitur, contra Epiſcopi iuriſdictionem non ſit, neque contra Ius commune; tunc enim ipſum ſtatutum non debet iniquum reputari. Quod ſaluari ex eo poteſt: nam cùm Epiſcopus non diſponit, neq; diſpoſitis contradicat, non eſt cur debeat diſpoſitio vt illegitima repudiari. In hoc ergo non videtur grauiter Capitulares delinquere: quod tamen tunc accidet, cùm contradicente Epiſcopo id facient, quia in re graui ius illius violatur, niſi eo animo faciant, vt non velint ſtatutum ſuum contra Epiſcopum defendere, ſed vt conueniens condere, quod tamen ſciant poſſe per Epiſcopum infirmari. In quo ſi res ex fine communis boni, & ex proprij commodi intuitu tranſigatur, turbis & ſimultatibus vitatis, facilè poterit in iſtis peccatum euitari. De hoc etiam Santarellus *quæſt.* 3. *n.* 8. & alij, quos adducit & ſequitur Bonacina *Tom.* 2. *diſp.* 1. *quæſt.* 1. *Puncto* 3. *n.* 30. quatenus concedunt Capitulum ſine conſenſu Epiſcopi facere ſtatuta poſſe, quæ ad bonum regimen, & ordinem ipſius Capituli pertineant, cum exceptione quadam apud illum videnda.

Conc. Trid.

Patris Azor difficilis reſolutio.

Mens explicatur Auctorum.

Aſſertio 2. in receptione Epiſcopi quomodo graue peccatum poſſit contingere.

2 Dico ſecundò. Capitulum grauiter peccare poteſt in Eccleſijs Indiarum, ſi Epiſcopum recipiat non oſtenſis litteris Apoſtolicis, vt proprio nomine ſuſcipiat Eccleſiæ adminiſtrationẽ. De hoc dictum *Titulo* 13. *numer.* 23. *& ſeqq.* Et ſpectare poteſt ad Sedem plenam, quatenus iam Epiſcopi confirmatio ſupponitur. Eſt autem pro Indiis id ſpeciale, quia propter diſtantiam aliquæ circa hoc poſſunt eſſe fallaciæ. Poteſt autem Capitulum humano aliquo reſpectu aut timore ductus, grauiſſimam Apoſtolicæ Sedis diſpoſitionem, dum inconſideratè recipit, violare. Neque videtur timor talis eſſe poſſe, qui cadit in conſtantem virum, quandoquidem nihil Epiſcopali auctoritati detrahitur, dum ei gubernatio iuxta Regia reſcripta traditur, neque Epiſcopo diſplicere poteſt Canonica iura ſeruari, quorum obſeruan-

ſeruantiam debet ille præ aliis promouere. Si verò ſpiritu à ſua alieno dignitate feratur, eo ipſo conſtantiùs renitendum, & ſe ad patiendum aliquid pro Eccleſia non dubitandum exponere, quam Chriſtus ipſis regendam commendauit. Pro quo videri poteſt Dom. Villaroël *Parte 1. Pacificæ gubernat. Quæſt. 1. Art. 12.*

Aſſertio 3. Dum comitari Epiſcopum renuit, grauiter peccare poſſe.

3 Dico tertiò. Etiam poteſt grauiter peccare Capitulum renuens comitari Epiſcopum, quando iuxta conſuetudinem & ſtatuta id facere debet, ſi præſertim ex eius renitentiâ diuina Officia differantur, & ſcandalum in populo ſuboriatur. Sic accidit aliquando, me ſpectante, cùm ſolemnitas funebris Principis Hiſpaniarum inſtaret, tumultuariè hac ex cauſſa peracta, cedente Epiſcopo, reluctanti Capitulo in ea occaſione; qui tamen poſteà ſuâ eſt vſus poteſtate, appellationis iudice ſententiam comprobante. Et fuit tunc neſcio quis de ſui contemptu prætextus, cuius quærelæ locus eſſe deinde potuit; ſed non ideò debuit dolor talis in ſingularem adeò demonſtrationem erumpere, eo quòd & Pontifex longiſſimè abſit, & Regalis prouidentia nequeat ſemper opportunum remedium adhibere.

Quomodo illi obedientia præſtanda.

Sit ita, vt Epiſcopi aliquoties in modo præcipiendi deficiant, & quòd circumſtantiæ occurrant, quibus communis parendi obligatio videtur variari. Obtemperandum tamen pro re nata, quando inconuenientia dicta aut ſimilia concurrunt: quia Capitulum congeries ſubditorum eſt, & pro obedientia exigendâ Epiſcopus fundatam habet intentionē. Nec deneganda illi ob quemcumque apparentem reſpectum, qui etiamſi fundamento non careat, obſtare non debet, vt turbæ & ſcandala caueantur. Pro quo eſt id, quod circa Regios Auditores adnotat Dom. Solorzanus *Tomo 2. Lib. 4. Cap. 3. num. 40.* cùm à Proregibus quidquam obſtinatè decernitur, negatâ appellatione in cauſſis ad gubernationem ſpectantibus, ſic enim ſcribit: *Quamuis ſi in ſuis ſententiis tenaciter hæreant, & Regias Audientias ius de illis cognoſcendi non habere contendant, quaſi meræ & abſolutæ gubernationis ſint, nihilque contentioſæ iuſtitiæ admixtum habeant; vel ex aliis cauſſis, iis, quæ ipſi iuſſerint, ſtandum ſit, vt occaſiones ſcandali præſcindantur, & ad Regium Senatum cauſſa remitti debet, cum proteſtationibus modeſtè ab Auditoribus factis, & rationibus ac motiuis, quibus vtraque pars ſuam iuriſdictionem aſſerit, & defendit: vt in eodem Senatu ei, cui competere viſa fuerit, demandetur.* Sic ille. Quod equidem & Capitulo faciendum, quod comparatione Epiſcopi minorem multò auctoritatem habet, quàm Regium Prætorium Proregis comparatione; vt eſt perſpicuum. Vnde & Collegium Præbendariorum Capitulum dicitur, quaſi paruum Caput Epiſcopo comparatum: vt ex quadam Gloſſa affirmat P. Azor *ſuprà Lib. 3. Cap. 37. §. In præſenti.*

Exemplo Regiorum Auditorum parendum.

Dom. Solorzanus.

Aſſertio 4. Peccare item grauiter ſalaria Miniſtris competentia denegando.

4 Dico quartò. Capitulum etiam lethale poteſt peccati vulnus incurrere, ſi ſalaria Miniſtris competentia non tribuat. Vnde & cultus diuinus minùs decenter peragatur, dum Capitulares ſciunt id, quod ex ea parte decimalis portionis plus habetur, eiſdem accreſcere. Quomodo autem ex hoc obligatio reſtitutionis emergat, dictum à nobis *Titulo præced. num. 91.* In quo quidem Decani, aut eo non extante, eius, qui Choro præeſt, maioris inquam Dignitatis, aut antiquioris Canonici, iuxta ea, quæ cum aliis tradit P. Azor *ſupra Quæſt. 3.* conſcientia præſertim grauatur, quia ad eum ſpecialiter hæc cura ſpectat, quâ maior nulla. Et ita vt nulla ex parte diuinus minuatur cultus, quiſquis ille eſt, qui Choro præſidet, ſolicite curare debet, vt ex Concilio Tridentino habetur *Seſſione 21. Cap. 3. de Reformatione.* Et ex manifeſtiſſimo lumine rationis.

Aſſertio 5. Et in decimarum adminiſtratione.

5 Dico quintò. Capitulum graui item poteſt turpari delicto, ſi ob humanos reſpectus adminiſtrationem decimarum, aut locationem iis faciat committi, quibus plenè confidi nequit, ob amicitiam videlicet, cognationem, aut auaritiæ labem in aliquo, aut aliquibus: quod damnum in Indiis ſolet eſſe non infrequens. Et ex eo obligationem reſtitutionis oriri, ſatis videtur apertum, ſi damnum in prædictis obtigerit. Et quidem ſi omnes cum plena perſonarum notitiâ facto conſenſerunt, nulli eſt reſtitutio facienda, quia ſcienti & volenti non fit iniuria. Si autem dolo & fraude res acta, illis debere fieri à fraudulentis & doloſis, iuxta communem in hac materiâ doctrinam eſt. Quia verò non ſoli Capitulares damnum paſſi, ſed alij etiam, quibus minora emolumenta proueniunt, illis ſatisfactio reddenda à Capitulo, iuxta redditum, quibus potiuntur ſinguli, proportionem. Ita vt Dignitates plus Canonicis reddant: & Canonici pluſquàm Portionarij, qui & in rebus iſtis ſolent habere ſuffragium. Sed quando hæc erunt? Neſcio ſanè. Illud tamen ſcio, futurum tempus, in quo reddatur *vſque ad vltimum quadrantem.* Et vt nullus ſit, cui reſtitutio ſit facienda ex Eccleſiæ Miniſtris; facienda quidem Eccleſiæ ipſi, iuxta prudentis arbitrium, iuxta dicta *num. 91. Tituli præced.*

Obligatio inde reſtitutionis.

CAPVT II.

Quando Sedes dicatur vacare, & quomodo circa hoc peccare Capitulum poſſit.

Certa quædam circa Eccleſiæ vacationem.

6 Circa hoc aliqua ſunt certa. Primum, Sedem vacare per mortem Epiſcopi: cùm enim non ſit iam qui ſedere poſſit, vacua eſt, ſeu vacat, ab ipſo interitus puncto. Secundum, per depoſitionem Epiſcopi, quando ſcilicet Pontificiâ ſententiâ deponitur, id eſt, Pontificiâ dignitate priuatur. Tertium, per tranſlationem cùm Epiſcopus vnius Eccleſiæ ad aliam transfertur, & illius eſt adeptus poſſeſſionem, ſiue non adeptus priori penitus renuntiauit. Ex his enim cauſſis vinculum ſpiritualis coniugij diſſoluitur, & Eccleſia dicitur viduata, vt conſtat ex Cap. *Inter Corporalia* de Tranſlat. Epiſcopi. Quartum habetur in Cap. *Si Epiſcopus*, de ſupplenda neglig. Prælat. in 6. vbi ſic dicitur: *Si Epiſcopus à Paganis aut Schiſmaticis capiatur; non Archiepiſcopus, ſed Capitulum, ac ſi Sedes per mortem vacaret illius, in ſpiritualibus & temporalibus miniſtrare debebit, donec eum libertati reſtitui, vel per Sedem Apoſtolicam (cuius intereſt Eccleſiarum prouidere neceſſitatibus) ſuper hoc per ipſum Capitulum,*

Cap. Si Epiſcopus, de ſupplendâ neglig. Prælat.

Digitized by Google

quam citò cōmodè poterit, conſulendam, aliud contigerit ordinari. Sic Bonifacius Octauus. Idem autem eſſe, ſi Epiſcopus captus ab hæreticis fuerit, notat Ioannes Andreas, & ratio eſt eadem, neque in eo eſſe poterat difficultas. Poteſt autem id in Indiis accidere, ſi dum Epiſcopus diœceſim viſitat, & longiùs progreditur, irruptio aliqua Ethnicorum fiat, vt in Chilenſi accidit rebellione. In hoc ergo caſu Vicarius ceſſat Epiſcopi, aut Gubernator ab eodem deſignatus; ſicut per mortem ceſſaret, quia captiuitas eſt ciuilis mors: pro quo Auctores apud Dianam *Parte* 8. *Tractat.* 4. *Reſolut.* 4. poſt Gloſſam *in Cap. citato.* Videtur autem adhibenda limitatio, ſi Epiſcopus ſperetur breui libertatem adepturus: non enim abeſſe creditur, ſtatim reuerſurus, iuxta Iuris regulas: & præſertim in caſu captiuitatis. l. *Poſtliminium* §. *Captiuus l. Nihil D. de captiu. & poſtlim. reuer.* Et Concilium Tridentinum *Seſſione* 23. *Cap.* 1. *de Reformat.* eas abſentiæ Epiſcoporum per tres menſes accommodat: ampliandas autem in caſu dicto ſatis eſt veroſimile, quia trimeſtris abſentia ex ordinariis cauſſis, & non multùm vrgentibus aſſumi, potentior ratio eſt: debet etiam longius ſpatium indulgeri, vt ex eodem loco Concilij conſtat; & quia Epiſcopi tunc ſperatur reuerſio, ad eumdem gubernatio pertinet, & ita illius Vicarius & Gubernator vſque ad reditum permanebunt.

Circa captiuitatem quid obſeruandū.

Quintum, ſi Epiſcopus in dementiam incidat, quod faciendum tunc conſtat ex Cap. *Paſtoralis, de Clerico ægrot. in* 6. vbi ſic decernitur: *Si verò Epiſcopus demens fuerit, & quid velit, aut nolit exprimere neſciat, vel non poſſit: tunc eius Capitulum, vel duæ ipſius partes, eadem auctoritate vnum aut duos coadiutores ſumant idoneos, qui eius officium exequantur.* Sic Bonifacius Octauus. Poſſunt ergo Vicarium generalem eligere, nec tenentur ſeruare formam in Concilio Tridentino traditam *Seſſione* 24. *Cap.* 16. *de Reformat.* quia de electione poſt mortem Epiſcopi agitur: mortuo autem dementi, alius eligi Vicarius poterit; immò & debebit; formâ Concilij ſeruatâ, aut alius aut idem, qui dementiæ tempore ſubrogatus.

Quid circa Epiſcopi dementiā.

Cap. Paſtoralis, *de Cler. ægrot. in* 6.

7 Hæc cùm videantur certa; grauiſſima tamen quæſtio circa tranſlationem extat, quando ſcilicet ratione illius abſolutè dicenda ſit Eccleſia vacare, vt Capituli auctoritas locum incipiat habere. Licet enim conſtet per tranſlationem, ſicut per mortem, Capitulum in iuriſdictione ſuccedere, vnde Gloſſa in citat. Cap. *Si Epiſcopus* verſ. *Mortem,* ſic habet: *Mortem, renuntiationem, tranſlationem, depoſitionem, vel alio modo.* Quia tamen contingere poteſt vt notitiâ certâ confirmationis habitâ, ſiue ante illam, per ſolam præſentationem Epiſcopus diſcedat, & poſſeſſio differatur, quæ ad vacationem prioris Eccleſiæ neceſſaria videtur, inde dubium oritur circa Capituli ſucceſſionem. Quod certius apparet, dum Epiſcopus in priori ſe Eccleſia continet: indecorum enim eſt, vt in ea ſit, nec tamen gubernare eam poſſit, ſed Capituli maneat in multis iuriſdictioni ſubiectus, ac moleſtiis, immò & iniuriis expoſitus eorum, quos nuper ſibi ſubiectos & obſequentes habebat. Pro quo diuerſas Doctorum ſententias refert Dom. Solorzanus *Lib.* 3. *Cap.* 13. *num.* 77. *& ſeqq.* & in Politica *Lib.* 4. *Cap.* 13. *pag.* 609. *& ſeqq.* & Diana *Tract. citato. Reſolut.* 29. de quo & nos *Titulo* 13. *Cap.* 4. Vnde iam

Quæſtio grauiſſima circa tranſlationem.

Gloſſa.

8 Dico primò. Generaliter loquendo, licet per confirmationem vacare cenſeatur Eccleſia, vbi certa illius habetur notitia, & Epiſcopi conſenſus accedit; non tamen Capitulo ſuccedit auctoritas, donec Epiſcopus extra diœceſim ſit, vel ſi ſit intra ipſam, à gubernatione velit penitus abſtinere. Primum conſtat ex manifeſta declaratione Innocentij Tertij in Cap. *Inter Corporalia,* ex quo habetur per confirmationem coniugium ſpirituale cum Eccleſia contrahi, cuius diſſolutionis poteſtas ſoli Pontifici reſeruatur. *Vnde cùm non ſit maius vinculum Epiſcopi ad Eccleſiam, quam Electi; maximè cum fuerit confirmatus: immò idem penitus & non aliud, idem iuris obtinet in vtroque &c.* Verba illius ſunt. Spirituali ergo contracto coniugio, apertè ſequitur quod prius fuerat diſſolutum; quando quidem ſpiritualis eſſe bigamia nequit, vt ibidem pronuntiat Pontifex verbis illis: *Ad ſecundam priori vinculo perdurante non poterit Canonicè conſecrari.* Secundum autem iuxta complurium Scriptorum ſententiam eſt, quos Citati adducunt aſſerentes adminiſtrare poſſe, donec nouæ Cathedræ accipiat poſſeſſionem: dum enim totum illud conceduntur, hanc neceſsè eſt partem conſequenter admittant: quòd ſcilicet dum intra diœceſim ſunt, adminiſtrare queant. Neque obſtat quod ex Moſſobrio adducit Diana *ſuprà Reſolut.* 55. §. *Terminus*, teſtante reſolutum eſſe Epiſcopum debere, ab exercitio ordinariæ iuriſdictionis abſtinere, & Capitulo illam conuenire, vbi primùm abſolutionis ſuæ teſtimonium authenticum habuerit: neque enim de reſolutionis illius qualitate conſtat, cuiuſnam illa, aut qualis: vnde communi ſententiæ non debet obſtare. Et pro Indiis illud ſpeciale ſuccurrit, quòd ſcilicet Reges noſtri cum gratia præſentationis ſchedulam ad Capitulum remittunt Eccleſiæ, pro quo eſt illa facta Prouiſio, vt eidem gubernationem attribuat; cui in mandatis datur vt ſtatim ſe ad illam conferat, ne oues damna diu experiantur, quæ ex abſentiâ ſolent cumulari Paſtoris. Sicut ergo ante confirmationem ob prædictam cauſſam adminiſtrare poteſt, ita & ad aliam Eccleſiam promotus, dum in priori exiſtit: quia eadem ratio eſt, & ita etiam eadem Pontificis, Regiſque diſpoſitio, & ſatis veroſimiliter præſumpta voluntas. Tertium eos habet Patronos, qui apud Citatos occurrunt, dum neceſſariam non eſſe poſſeſſionem affirmant. Et pro eo maximè faciunt, quæ adducit Dom. Solorzanus *num.* 88. *& ſeqq.* & in Politica *pag.* 611. *& ſeq.* Eſt enim tacita renuntiatio, non verbis, ſed opere ipſo facta, quæ non habet minorem efficaciam. Quòd ſi de voluntate contrariâ conſtet, non eſt de illa curandum, quando opus ipſum verbis contrarium habetur: eſt enim abſoluta deſertio Eccleſiæ, vnde & adminiſtrationis, pro qua iam titulus nullus extat, & ita ſi prætendatur, nullum talis prætenſio poteſt legitimum effectū habere.

Aſſertio 1. *Epiſcopum dum à diœceſi non recedit; poſſe gubernare.*

Cap. Inter Corporalia.

Confirmatione coniugium ſpirituale diſſolui.

Quid ſpeciale pro Indijs.

Receſſus extra diœceſim quomodo ſit tacita renuntiatio.

9 Quod verò per expreſſam renuntiationem adhuc intra Diœceſim verſantis, vacatio Eccleſiæ contingat, vt in vltima Aſſertionis eſt parte propoſitum; videtur irrefragabile; quia nullibi renuntiatio talis vt inualida videtur reprobata, & generalis regula eſt poſſe quemlibet iuri ſuo cedere.

Si expreſſa, vacationem inducere, etiam exiſtentis intra diœceſim.

Digitized by Google

Quædam inſtantia deiecta ex defectu poteſtatis.

cedere. Illud tantum videtur obſtare, de quo *citato Cap.* 4. Epiſcopum videlicet non poſſe ſcite beneplacito Summi Pontificis ſuæ dignitati renuntiare, etiamſi confirmatus tantùm, & nondum conſecratus ſit: de quo item adductum Cap. *Inter Corporalia*, perſpicuè diſponit. Sed hoc non vrget: quia per renuntiationem prædictam non renuntiatur dignitati, pro qua iam renuntiatio præceſſit, quando promotioni ad aliam Eccleſiam aſſenſus eſt præſtitus, ſed fit aliquid conſequenter ad illam, vt actus completus ſit. Si adhuc inſtes, poſt conſenſum præſtitum manere in Tranſlato poteſtatem adminiſtrandi ex Iuris diſpoſitione, quæ videtur in bonum Eccleſiæ conceſſa, cui proprius qui fuit ſponſus, melius prouidebit, dum intra illius diœceſim demoratur. Quod in Eccleſiis Indiarum videtur magis vrgere ob adductam paulò ſuperiùs rationem. Neque illud etiam obſtat: quia licet in fauorem Eccleſiæ poteſtas illa in tranſlato perſeueret, locus eſt renuntiationi; quia non omne, quod eſt in fauorem Eccleſiæ, eſt irrenuntiabile, ſed illud tantùm quod eſt in Iure, aut aliàs per Pontificias leges tale declaratum: & ita contingit in præſenti: ex ea ratione, quòd cura huiuſmodi poteſt per alios ſuppleri; & licet non ita aliquando benè; quia tamen citò eam depoſiturus eſt ob neceſſitatem profectionis; non ipſi cum tanto onere relinquitur, vt ſtatim in illos transferri nequeat, in quos eſt ſtatim transferenda. Et argumento eſt ob huiuſmodi adminiſtrationem nullum Epiſcopo emolumentum ex maſſa decimali relinqui, omnia gratis peracturo. Quod etiam in Indiis conuenienter fieri poteſt regulariter loquendo, niſi caſus talis occurreret, in quo charitas aliter fieri compellere videretur.

Item alia ex diſpoſitu ob bonum Eccleſiæ.

Aſſertio 2. Capitulum in Indijs Epiſcopo non reſliturum, licet probabilis pro eo ſententia ſit.

10 Dico ſecundò. In Indiis licet Capitulum ſecundùm probabilem opinionem procedat, dum tamen Epiſcopus renititur, & ſibi adminiſtrationem competere probabili etiam ratione contendit, non eſt Sedes vacans publicanda, niſi Patrono de omnibus certiorato, Prorege inquam, aut ſupremo Gubernatore: quia cùm turbæ inde poſſint excitari, & ſcandala non leuia emergere, niſi iuriſdictio ſtabiliatur, à nullo alio poſſunt inconuenientia iſta ſubmoueri. Et ex eo etiam quia cùm præſentare ad Beneficia poſſit, oportet vt eius, cui præſentatio facienda eſt, ſit pacificè fundata iuriſdictio, vnde & prouidentiam ſuam circa hoc poteſt interponere. Et in conſultationis huiuſmodi prætermiſſione grauiter poteſt delinqui, propter inconuenientia, quæ debent à Capitularibus præcaueri. Quomodo autem contra Eccleſiaſtica iura non ſit vt Patroni vltra præſentationem aliquid circa Prælatos exercere poſſint, vt firma eorum iuriſdictio ſit, ex Canonico iure habemus. Cap. *Nobis*, de iure patron. ibi: *Non electioni Prælati, ſed iam factæ honeſtius Patroni poſtulatur aſſenſus; niſi aliter de ſua iuriſdictione obtineat, vt partes ſuas interponere debeat electioni tractandæ.* Sic Clemens Tertius. Non ergo mirum eſſe poterit, ſi aliud præter præſentationem Regibus Catholicis, & præſertim in Indiis concedatur: quòd ſcilicet omnino curent, vt ſatis fundata iuriſdictio eorum ſit, quibus Canonicè inſtituendi à ſe præſentandos eſt futura poteſtas.

Quid Patrono vltra præſentationem liceat.

Cap. Nobis *de iure patron.*

Aſſertio 3. Sola præſentatione non inducit vacationem.

11 Dico tertiò. Dum Epiſcopi tranſlationis ſuæ teſtimonium, quod facere plenam fidem poſſit, non habent, ſed ſolam Regiam præſentationem, non debent ab Eccleſiarum, in quibus ſunt, adminiſtratione deſiſtere. Hoc probant adducta à nobis *citato Cap.* 4. *Tit.* 13. & ratio eſt clara, quia coniugale vinculum perſeuerat, vnde & cura ſponſæ opus eſt etiam perſeueret. Sic ergo Sedes vacare nequit.

Aſſertio 4. Niſi Epiſcopus longam profectionem aſſumat.

Dico quartò. Si Epiſcopus litteris præſentationis acceptis, & exhortatorio maturandæ profectionis ante Confirmationis legale ſcriptum abeat in regionem longinquam, ex quo adminiſtratio Eccleſiæ, quam relinquit, ſtatim ac receſdit, peragi ab eo nequeat, Sedes vacare dicenda eſt, vnde nequit Vicarium aut Gubernatorem relinquere, qui eius nomine adminiſtrat. Exemplo eſſe poteſt, ſi ex Noua-Hiſpania in Peruuium, aut è contra transferatur. Si ex Inſulâ S. Dominici in Prouincias nuper dictas. Si ex Paraqueria, aut Tucumano in Popaianum. Si ex Panamenſi Eccleſia in Eccleſiam S. Crucis in Montanis; ſi inde in Eccleſiam S. Fidei Regni noui Granatenſis: tales enim videmus tranſlationes, quæ aliquando ex non agnitâ diſtantiæ immenſitate videntur factæ, non ſine magnis Eccleſiarum detrimentis, de quo aliàs. In illis ergo Sedes vacare dicenda eſt quoad effectum dictum, quidquid de rigore ſit, cùm non ſit penitus vinculum diſſolutum. Neque dici poteſt per Vicarium poſſe adminiſtrari, donec Electus adueniat, aut tranſmiſſa ei à Capitulo gubernatione Gubernatorem ille deſignet & in defectu huius alium: quia Vicarius cum Epiſcopo vnum habet tribunal & auditorium, vt determinat Bonifacius Octauus in Cap. *Non putamus*, de Conſuetudine. Et in Cap. *Romana*, de Appellation. *in* 6. Cùm ergo penitus ceſſet Epiſcopi tribunal, etiam & Vicarij ceſſare neceſſarium eſt.

Pro quo exempla.

Exuſio ex conſtitutione Gubernatoris & non Vicarij præcluſa.

12 Si dicatur poſſe Epiſcopum Gubernatorem, & non Vicarium relinquere, cuius ſit delegata poteſtas, & ita diuerſum habeat tribunal, Contra eſt: quia tunc appellatio à ſententiis Gubernatoris ad Epiſcopum eſt deferenda: quod impoſſibile cùm ſit, ex eo fit deſignationem dictam non valere. Deferendam conſtat ex Cap. *Super quæſtionibus* §. *Porrò* de Officio Delegati. Cap. *Si is cui*. Cap. *Si à Subdelegato*, de officio, & poteſt. iud. delegati in 6. & textibus aliis, quos adducit Couarruuias *Practicar. qq. Cap.* 4. *num.* 8. Et quidem aut Gubernatori tali committitur iuriſdictio omnis, vel cum aliqua reſeruatione. Si Primum, iuxta multorum ſententiam, quos adducit & ſequitur citatus Auctor, eſt idem vtriuſque tribunal, ſicut de Vicario generali dictum, & ita ratio adducta pro illo militat. Si autem Secundum, locus eſt appellationi ad eundem, & ita ſequitur intentum. Quia verò ſunt qui cenſeant, *apud eundem*, appellationem eſſe non ad delegantem, ſed ad Superiorem interponendam: neque illud facere pro aduerſa valet poſitione: quia Epiſcopus ſic recedens nihil poteſt ſibi reſeruare, cùm prouidere circa illud è longinquo nequeat: ex quo fit vnum eſſe illius & Gubernatoris tribunal; quod ſtare non poſſe iam vidimus; quidquid de appellatione ſit. Et prætereà cùm ſit adeò

Circa appellationem à delegato notanda doctrina.

Digitized by Google

deò probabilis ſententia, quæ affirmat appellationem eſſe ad Epiſcopum interponendam, poterit Gubernator iuxta illam procedere; & ad alium factam non admittere: quod eſt grauamen ſatis ingens, & ita ab Epiſcopo nequit in ſuo receſſu relinqui: id enim eſſet; non iam ſponſi ſed acerbi dominatoris officium. Quidquid prætereà de appellatione ſit, receptiſſima doctrina eſt Epiſcopum adiri poſſe per viam querelæ, de cuius recurſu praui conſulendus P. Thomas *Sancius Libr. 3. Conſil. Cap. Vnico, Dub.* 35. Hic autem abſolutè tollitur receſſu dicto: ergo nequit, dum recedit, res ita diſponere, vt ſubditi illo careant, ſicut carere neceſſe eſt Gubernatoris deſignatione: quia illius poteſtas non eſt in deſtructionem, ſed in ædificationem.

Epiſcopus adiri poteſt per viam querelæ: vnde arguitur.

Sola præſentatione quomodo ſtare poſſit vinculum ſpirituale diſſolui.

13. Accedit, quod licet generaliter loquendo, per ſolam præſentationem non diſſoluatur vinculum ſpiritualis connubij, poteſt tamen ante connubium cum aliâ ſponsâ celebrandum, prioris renuntiatione diſſolui, iuxta dicta *numer.* 7. Licet autem vt renuntiatio valeat, ſit licentia Pontificis neceſſaria, iuxta dicta etiam *num.* 9. totum id videtur in caſu præſenti contingere. Dum enim recedit Epiſcopus, & curam omnem Eccleſiæ deponit, renuntiare videtur eidem: nullum enim maius renũtiationis argumentum inueniri poſſe videtur, quàm omnimoda deſertio eius, qui non eſt ampliùs reuerſurus. Quòd autem licentia Pontificis adſit, ex iis deducendum, quæ diximus *Titulo* 13. *numer.* 45. & 46. Vbi licentiam quidem in ordine ad dimiſſionem Eccleſiæ admittimus, per quam tamen minimè vinculum connubiale ſoluatur. Id autem tunc accidere credendum eſt, quando Eccleſia dimiſſa gubernari ab Epiſcopo poteſt, diſtantiâ poſitâ competenti: quando autem illa immenſa eſt, id nullatenus eſt credibile: quia ſicut de poteſtate Epiſcopi diximus, quæ, iuxta Apoſtolum, non eſt in deſtructionem, ſed in ædificationem: ita & de Pontificis eſt poteſtate iudicandum; vnde & Apoſtolica ſententia ab eiſdem in ſacris Canonibus vſurpatur. Quòd ſi renuntiationis nomine non veniat dimiſſio dicta, venit tamen ſub generalitate illa, de quâ Gloſſa adducta *num.* 7. verbis illis, *Vel alio modo.* Neque enim quando condebantur Iura, & Gloſſæ adiiciebantur, detectæ Indiæ fuerant: tunc etenim caſus iſte expreſſiùs poneretur. Et quia contingere poterat, ſub illa oportuit generalitate ſignari. Et quemadmodum circa Epiſcoporum Conſecrationem nouus eſt pro Indiis modus introductus, quem Iura neſcierunt: ita & circa eorum tranſlationem nouus etiam introduci potuit, in quo Apoſtolica Sedes ſuâ vtitur ampliſſimâ poteſtate, vt in illis ædificentur *deſerta ſæculorum*, iuxta Iſaiæ vaticinium *Cap.* 58. *verſ.* 12. Id eſt, tot retrò ſæculis deſerta, & ſic deſertorum more ſolis horrida ſpelæis infernalium beſtiarum.

Licentiam adeſſe Pontificis in Indijs. Et vnde colligatur.

Generali renuntiationis nomine comprehenſa, quæ in præſenti cernitur.

CAPVT III.

Circa obligationem Vicarij generalis eligendi qualiter Capitulum in conſcientiæ foro teneatur.

Aſſertio 1. Formam electionis ex Tridentino ſolum poſt mortem Epiſcopi videri obligare.

14 Dico primò. Attentâ Concilij Tridentini diſpoſitione circa electionem Vicarij *Seſſ.* 24. *Cap.* 16. *de Reform.* non videtur obligare, niſi quando Sedes per mortem Epiſcopi vacat. Probatur ex illius tenore, ibi: *Item, Officialem ſeu Vicarium, infra octo dies poſt mortem Epiſcopi conſtituere, vel exiſtentem confirmare omnino teneantur.* Eſt ergo diſpoſitio limitata, quæ eo ipſo quod talis limitatum habet effectũ, ita eſt communis ſcribentium Doctrina, pro quo Cardinalis Tuſchus *Lit. D. verb. Diſpoſitio Concl.* 494 Videtur autem in contrarium ſtare ſacra Cardinalium Congregatio in Declaratione quadam 28. *April.* 159. quam & adducit Naldus verb. *Vicarius num.* 8. & ſic habet: *Congregatio Concilij cenſuit Capitulum adhibitum poſſe amouere Vicarium, aliàs per ipſum electum & confirmatum: tenerique intra octo dies alium conſtituere: alioquin deuolui ius deputandi Vicarium ad Metropolitanum: acſi Eccleſia ipſa Metropolitana fuerit, ad antiquiorem Epiſcopum.* Sic Patres illi, iuxta quorum mentem idem videtur neceſſariò faciendum quocumque modo Vicarius deſit, vnde & ad caſum vacantis Sedis per tranſlationem Epiſcopi ſimilis conſequentia facienda ob ſimilem rationem, iuxta notoriam regulam de ſimilibus, pro qua præſertim Innocentius Tertius in Cap. *Inter Corporalia, de Tranſlat. Epiſc.* de quo aliàs à nobis dictum. Et in terminis caſus, de quo loquimur, terminum octo dierum currere Capitulo etiam à die ſcientiæ tranſlationis, quando tamen à Summo Pontifice fuerit Epiſcopus abſolutus à vinculo prioris Eccleſiæ, deciſum refert Stephanus Quaranta verb. *Capitulum Sede vacante.* §. *Duodecimò quæro. V. Terminum.* Et ex eo Dom. Barboſa *Allegat.* 54. *num.* 164. Et abſolutè Diana *Parte* 8. *Tract.* 4. *Reſolut.* 55. §. *Terminus.* Videtur autem circa alia ibidem diſpoſitâ idem aſſerendum, ſi talia ſint, vt grauis pro illis, generaliter loquendo, diſpoſitio debeat æſtimari. Vbi ergo Declaratio talis ſub teſtimonio eſt authentico præſentata, omnino ſeruanda eſt, ſi & ipſa ſit vſu recepta: vbi autem ſecus accidit, id dici poteſt, quod de ſimilibus Dom. Solorzanus *Lib.* 3. *Cap.* 13. *num.* 45. & in Politica *Lib.* 4. *Cap.* 13. *pag.* 607. §. *Y aunque* ſcilicet non videri tanti ponderis vt Concilij diſpoſitionem vincant de electione poſt mortem locuti, etſi aliud voluiſſet. Negandum tamen non eſt Capitulum non ritè facturum, ſi electionem intra terminum dictum non perficiat, dum nullum occurrit obſtaculum; quia illam periculo annullationis exponit, ſi Metropolitanus eam probare nequeat, aut antiquior Epiſcopus, ſi Eccleſiæ Metropolitanæ, aut exemptæ Capitulum ſit; prout à Concilio in eodem Capite diſpoſitum reperitur.

Declaratio Cardinalium in contrarium.

Quid circa illam, & alias ſimiles.

Aſſertio 2. Sub morta-

15. Dico ſecundò. Verba Concilij citata obligationem in conſcientia important. *Omnino teneantur.*

Digitized by Google

ti ad electionem obligari intra dictum terminum.

teneantur. Et ita intra prædictum terminum debet Vicarius eligi, vt graue peccatum euitetur. Id videtur compertum, quia præceptum eſt manifeſtum, & materia, circa quam verſatur, eſt grauiſſima, cuius omiſſio graui animaduerſione punitur: dum Capitulum eligendi facultate priuatur, vt cum aliis tenet Diana *ſuprà Reſolut. 71.* quamuis non deſint qui dicant non priuari, vt videri poteſt apud P. Palaum *Parte 2. Tract. 12. Diſput. 2. Puncto 29. num. 6.* Præterquam quòd id non videtur poſſe niſi ex damnabili diſſenſione contingere, ex qua item ſcandala ſolita pullulare. Capitulum itaque officio ſuo deeſt in re, ex qua adminiſtratio Eccleſiæ maiori ex parte dependet, quod ſine graui culpâ eſſe nequit. Et in Indiis quidem id quàm veriſſimum oſtenditur, quia ſi electio ad alium ex deſignatis à Concilio deuoluenda ſit, magnæ in eo ſunt faciendæ moræ propter diſtantiam, quæ etiam in cauſſa eſſe poterit, vt in electione erretur; nimis enim diſtantia difficilè agnoſci poſſunt: quod ſicut in ſenſu, ita & in intellectu vſuuenire paſſim deprehendimus, dum errorem experientia reddit cum dolore perſpectum. Ad hæc, cùm gubernatio apud Capitulum plenè reſideat, dum Vicarius non eligitur: & vt non eligatur Capitularium in cauſſa ſit obſtinata contentio, eâ quidem perſiſtente, gubernatio eſſe congrua nequit, perturbatus enim animus, iuxta celebre ſapientis effatum, non eſt aptus ad exequendum munus ſuum: & multorum perturbatio nihil dare concinnum poterit, ſicut neque cithara, in qua chordæ diſcordarint. Pro quo multa apud Scriptores ſacratioris litteraturæ & politioris occurrunt. Ego pro caſu noſtro illud expendo, quod ex Lateranenſi Concilio habeatur in Cap. *Cùm in cunctis*, quod eſt primum *de iis, quæ fiunt à maiori parte Capituli*: ſic enim ibi *Præualeat ſemper, & ſuum conſequatur effectum, quod à maiori & ſaniori parte Capituli fuerit conſtitutum.* Supponit ergo Concilium ſanum futurum eſſe Capitulum, quãdo in iis, quæ diſponit, maiorem & ſaniorem partem agnoſcit: ſaniorem enim dicens, ſanam item partem aliam profitetur. Si ergo non ſanum, ſed vulnera diſcordiæ præ ſe ferens illud ſit, non erit ab eo conueniens aliquid expectare, neque ſanitas inde populi deſiderata procedet: cùm ſit illud ex D. Leone notiſſimum, & in Iure vulgatum, quod *vita Rectorum, eſt ſanitas populorum.*

Cap. Cùm in cunctis, *de iis quæ fiunt &c.*

Aſſertio 3. Et ad doctum eligendum.

16 Dico tertiò. Capitulum debet ſub reatu culpæ lethalis Vicarium doctum eligere, ſi inueniri talis poſſit. De abſoluta obligatione conſtat: quia Vicarius eſt veluti Epiſcopus, dum Epiſcopalis vacat Sedes, cùm in eo iuriſdictio reſideat, & ita iudex in cauſſis totius diœceſis futurus: atqui Epiſcopum eſſe doctum debere ſacri Canones clamant, pro quo præſertim Cap. *Inter cetera, de Officio iudicis Ordin.* Sed quod habetur in Cap. *Niſi cùm pridem, de Renuntiatione*, magnum habet momentum, & pro Vicario apprimè facit: ſic enim ibi: *Pro defectu quoque ſcientiæ plerumque poteſt petere ceſſionem: quia cùm ipſa circa ſpiritualium adminiſtrationem ſit potiſſimùm neceſſaria, & circa curam temporalium opportuna; Præſul, qui commiſſam ſibi debet Eccleſiam regere in vtriſque, ſalubriter ei renuntiat, ſi ſcientiam, in qua ipſam regat, ignorat. Tu enim (inquit Dominus. Oſee 4. v. 6.) ſcientiam repuliſti: & ego te repellam, ne Sacerdotio fungaris mihi.* Hæc Innocentius Tertius, in quibus probatio Aſſertionis elucet: Vicario ſiquidem ſpiritualium cura, atque etiam temporalium, toto ambitu diœceſis incumbit, pro quibus ſcientia neceſſaria eſt, vnde, qui competenti caret, omnino eſt ad officium ineptus, & proinde etiam grauiter peccant talem ad illud eligentes. Quod adeò videtur perſpicuum, vt abſurdum videatur illud in dubium reuocare. Peccaret quidem grauiter Capitulum, ſi pro temporali adminiſtratione rei alicuius ad Eccleſiam pertinentis Oeconomum ineptum adhiberet, ſicut & pro quolibet alio in ipsâ miniſterio: ergo multò magis Vicarium eligens ſcientiâ ad rectam functionem ſui muneris deſtitutum: quandoquidem omnium illud eſt officiorum maximum, quorum prouiſio ad ipſum poteſt pertinere. Quòd autem eminentia ſcientiæ neceſſaria non ſit, *citato in Capite de Renuntiatione* eleganter declarat Pontifex, ſic locutus: *quamquàm deſideranda ſit eminens ſcientia in Paſtore; in eo tamen ſit competens toleranda: quia ſecundùm Apoſtolum* (1. Cor. 8. v. 1.) *ſcientia inflat; charitas autem ædificat: & ideò imperfectum ſcientiæ poteſt ſupplere perfectio charitatis.* Sic ille: qui competenti cùm ſit in Epiſcopo ſcientiâ contentus, quando perfectio charitatis adeſt, imperfectionem eius ſuppletura, idem credendus eſt in Vicario requirere: de Epiſcopo enim ad Vicarium bene arguitur in huiuſmodi requiſitis. Et ita cùm dubium eſſet an quod de Vicario Cathedralis Eccleſiæ à Tridentino diſponitur, extendi etiam ad Collegiatam, defuncto eius Prælato, deberet, *Congregatio die 12. Septembris* 1585. *cenſuit negatiuè: quia ſi non eſt neceſſe vt hic Prælatus mortuus ſit Doctor: ergo neque Vicarius eius.* Sic habetur in Declarationibus circa citatum Caput.

Qualis doctrinæ ſuppellex in Epiſcopo requiratur, & conſequenter in Vicario.

Cap. Niſi cùm pridem, *de Renuntiat.*

Non eminentem, ſed competentem neceſſariam.

Declaratio Congreg.

Aſſertio 4. Gradum in Iure Canonico habiturum, & ſecus eligentes vt grauiter peccant.

17 Dico quartò. Quod Concilium Tridentinum ſtatuit circa Gradum in Iure Canonico, vt ſcilicet Vicarius ſit Doctor, aut Licentiatus in illo, obligat ceteris paribus in conſcientiâ, & obligatio videtur eſſe grauis. Sic colligitur ex multis Doctoribus, quos adducit Dom. Solorzanus *Cap. 13. citato num. 38.* & præterea ex P. Bauny *Tomo 1. Tract. 11. Quæſt. 21. §. Eligit etiam.* P. Fragoſo *Tomo 2. pag. 684. numer.* 30. P. Palao *Tomo 2. Tract. 13. Diſputat. 2. Puncto 29. num. 4.* P. Azor *Tomo 2. Lib. 3. Cap. 23. in fine*, vbi Concilij deciſionem ſimpliciter proponit. Vnde mirari iuuat quomodo eum Dom. Solorzanus *ſuprà num. 42.* pro ea ſententia referat, quæ & aliorum eſt, aſſerentium formam à Concilio propoſitam quoad qualitatem dictam parum in Eccleſiis Hiſpaniæ ſeruari; cùm nihil tale apud illum reperiatur. Sicut neque apud Sayrum in *Floribus Deciſionum Lib. 1. Titulo 16. Deciſione 2.* Vbi ita ſcribit: *Vicarius generalis à Capitulo Sede vacante conſtituendus, Doctor eſſe debet vel Licentiatus in Iure Canonico, vel aliàs quantùm fieri poterit idoneus. Et cùm Vicarius Epiſcopi idoneus eſſe debeat ad id, in quo vices eius gerit, & conſtitui ſolet ferè ad omnia, quæ geſturus eſt Epiſcopus; non ſatisfacit Epiſcopus muneri ſuo, niſi idoneum conſtituat, ſed peccat: conſtitutio tamen talis Vicarij tenet ipſo iure; modò ſit Clericus ſaltem in Minoribus conſtitutus, vnde & ab eo & cum eo facta valida cenſentur.* Hæc ille: ex quibus manifeſtè apparet ipſum quoad Capitulum

Sayrus.

Digitized by Google

tulum Sede vacante ſine limitatione formam à Concilio traditam in Vicarij electione complecti, neque de vſu contrario quidquam affirmare; & conſequenter peccare illud, ſi idoneum non eligat, quandoquidem in Epiſcopo ſimile peccatum agnoſcit, in quo minor eſt obligatio quoad prædicta, vt communiter Doctores tradunt. Quòd autem validam electionem dicat, peccatum non tollit, ſed valorem in electione ab Epiſcopo factâ tantùm adſtruit, cùm de electione Capituli nihil tale pronuntiarit. Tales autem lapſus in Iuriſperitorum allegationibus paſſim deprehendimus, dum glomerare Auctores ſtudent pro Reſolutionum ſuarum auctoritate fundandâ, ſed in eorum lectione minimè vigilantes: quod in Textuum citatione fat frequens, vt & alij ante me adnotarunt, & ego experientiâ veriſſimum deprehendi. Sit tamen Dom. Solorzano ſua de inſigni conditione laus à me alibi non ſemel celebrata.

Lapſus Iuriſperitorū in citationibus.

18 Aſſertionis autem probatio ex citatâ Concilij diſpoſitione deſumitur: neque enim quod ibi ab eo poſitum vim tantùm conſilij habet: alioquin quod de termino pro electione, octiduo ſcilicet, dicitur, rationem etiam conſilij ſolam haberet; quod eſt contra omnium mentem, & praxim inuiolabiliter obſeruatam: neque obſtat quod ibidem à Concilio additum; *vel aliàs quantùm fieri poterit idoneus.* Nam ſtante caſu, vt à nobis proponitur, impoſſibile eſt vt ſit aliàs quantum fieri poterit, magis idoneus. Cùm enim loquamur de omnibus, qui electioni occurrunt, ceteris paribus; ſi is, qui Gradum prædictum habet, prætermittatur, magis idoneus quantùm fieri poteſt, prætermittitur: quia habet quidquid alij, & prætereà Gradum à Concilio requiſitum. Itaque ſi magis idoneus reperiatur; qui tamen Gradu prædicto careat, ille eligi poterit: ſecus ceteris paribus, vbi humani reſpectus tantùm præualere poſſunt, & ita eorum ratione grauiter in electione delinqui. Quemadmodum graues Auctores tenent ceteris paribus debere eligi ex gremio Capituli, vt videri poteſt apud Dianam *ſuprà, Reſolut.* 57. qui & Cardinalium Declarationem adducunt: nam eo ipſo quòd de Capitulo ſit aliquis, ſi in aliis paritas ſit, nequit eſſe ſimpliciter talis, quia ratione auctoritatis à gremio prouenientis paritas in aliis ſuperatur.

Probatio Aſſertionis, & ex Concilij verbis expenſis.

Eſſe aliquē de Capitulo qualitatē, ex quâ exceſſus habeat.

19 Dico quintò. Si duo inueniantur pares, & Gradu inquam in Canonico iure conſpicui, ſed eorum alter in Ciuili etiam iure laureatus ſit, ille eſt præferendus. Sic colligitur ex P. Fragoſo *citat. num.* 30. vbi Vicarium etiam in Ciuili iuri non mediocriter verſatum futurum eſſe pronuntiat. Eſt autem pro Aſſertione magnum in Tridentino Concilio fundamentum *citato, Cap.* 16. dum ait: *Qui ſaltem in Iure Canonico ſit Doctor, &c.* Particula enim *ſaltem* id ponit, quod eſt in eo genere minus; vnde quod eſt plus deſideratur, ſi inueniri poſſit. Cùm ergo Doctor aut Licentiatus in vtroque iure plus ſit, & magis ad rem faciat, ille eſt iuxta Concilij mentem præferendus. Cumque ſtatim addat magis idoneum, quantùm fieri poterit, eligendum, militat argumentum idem, quod pro *Aſſertione præcedenti* iam datum. Et cùm peritia Iuris ciuilis magni eſſe momenti ad deciſionem cauſſarum poſſit, in poſtpoſitione talis peccatum erit, quandoquidem Eccleſia aptiori adminiſtratore priuatur, in quo inueniuntur, qui eligunt, infideles. Id quod etiam probat non eſſe illud leue.

Aſſertio 5. In Iure ciuili peritū ceteris paribus præferendum.

20 Dico ſextò. Si quis Doctor aut Licentiatus in Iure Canonico, in eo excellat, præferendus eſt laureato in vtroque peritiæ minoris, etiamſi in Ciuile conſtet eminere. Id ex eo oſtenditur; nam cauſſæ, quas eſt tractaturus Vicarius, Eccleſiaſticæ ſunt, circa quas Canonicæ ſunt leges conſtitutæ, vnde maior in illis peritia Ciuili anteponenda eſt, quæ in ſubſidium tantum adhibetur. Pro quo eſt Cap. *Intelleximus*, quod eſt primum, *de noui operis nuntiat.* in quo ſic Lucius III. Pontifex: *Quia verò ſicut leges non dedignantur Sacros Canones imitari, ita & ſacrorum inſtituta Canonum Principum Conſtitutionibus adiuuantur, &c.*

Aſſertio 6. Peritus in Canonico Laureato in vtroque minoris in illo peritia præhabendus.

Cap. Intelleximus de noui oper. nunt.

Dico ſeptimò. Si ceteris paribus Doctor aut Licentiatus in Theologiâ cum Doctore Licentiato in Iure concurrat, nihil Tridentini Decreto derogando, dici poteſt præferendum illum, ſi Gradui doctrinam conſtet reſpondere. Quod quidem in adductis nuper verbis fundari poteſt: *Qui ſaltem in Iure Canonico ſit Doctor, &c.* Illud enim *ſaltem*, vt dicebam, maius aliquid indicat, quod ſit Concilij menti conformius. Rogo ergo quodnam illud ſit? Dici poteſt *iuxta Aſſertionem quintam*, Gradum in Iure vtroque deſignari. Atqui hoc licet veroſimile ſit, & quod ad Aſſertionem attinet, illa ex eo rectè deducatur, quomodocumque dicta particula explicetur: videtur autem explicata alia ſatis congrua, ſi dicamus illud *ſaltem* Gradum in Theologiâ denotare, quia Gradus in Iure inferior eſt, & ita ſi Doctor Theologus non inueniatur, ſaltem Iuriſtam eſſe quærendum. Et de ſuperioritate Gradûs Theologici dubitari nequit: ſic enim Eccleſiæ ſtatuta determinant, iuxta quæ Vniuerſitatum omnium praxis inuiolata procedit, vnde & color inſignibus omnium perfectiſſimus, albus ſcilicet, attributus. Deinde Theologia in Sacris Canonibus præſertim commendatur, vt videri poteſt in Cap. *Licèt*, de Præbendis. Cap. *Finali, de Magiſtris.* In Concilio Trident. *Seſſione* 5. *cap.* 1. *de Reformat.* Vnde neceſſarium fuit per ſpecialem Declarationem Sacræ Congregationis Cardinalium ſtabiliri, priuilegium Magiſtris & Scholaſticis Beneficiariis ad reſidendum obligatis cõceſſum, vt poſſint, dum legunt, aut ſtudio Theologiæ dant operam, pro præſentibus haberi, ad Profeſſores Iuris Canonici, & eidem ſtudentes extendi. Accedit Declaratio alia adducta *num.* 16. iuxta quam Vicarius ſuccedens Prælato Eccleſiæ Collegiatæ non tenetur eſſe Doctor, cuius ratio eſt; quia cùm Prælatus ipſe non teneatur eſſe Doctor, conſequens eſt, vt neque Vicarius teneatur. Tunc ſic: Epiſcopus non tenetur eſſe Doctor aut Licentiatus in Iure Canonico, cùm poſſit eſſe Theologus: ergo neque Vicarius illi ſuccedens. Quæ conſequentia, ſi legitima non eſt, neque illa eſſe videtur, quæ Congregationi eſt ratio decidendi. Videatur Thomas Hurtadus *Tract.* 12. *num.* 1842 vbi pro Theologi prælatione decertat.

Aſſertio 7. ceteris paribus Theologum præferendum.

De ſuperioritate Gradus in Theologiâ.

Ex Declaratione Cardinalium efficax argumentum.

21 Quibus id videtur obſtare, contrarium ſcilicet intellectum communiter eſſe receptum, vt ſcilicet omnino iuxta mentem Concilij fuerit in Iure Canonico Laureatum debere eſſe Vicarium:

Obiectioni ex contrario intellectu Concilij.

Digitized by Google

tis, & Declarationibus, occurrritur.

rium: quod ita fatentur, quo abſolutè id tenent; & qui cenſent non obligare deciſionem dictam, in eo fundantur, quod per verba ſubſequentia ſit illi moderatio adhibita, *ſiue alius, quantùm fieri poterit, idoneus*: vel quia ita vſu receptum: ac propterea quia pro eo extant Cardinalium Declarationes, ac præſertim vna 28. *Auguſti* 1621. quam Auctores adducunt, ac præcipuè Dom. Barboſa *in Tractatu de Canonicis, cap.* 42. *numer.* 53. Ad quæ reſponderi poteſt, ita quidem eſſe, vt communis intellectus pro contrariâ faciat poſitione; ſed non ideò reiiciendam vt inuerosimilem, quæ Textui conformis oſtenditur, & pro ſe habet præſidia non contemnenda à Iure, & ratione petita. Vbi accommodari non immeritò poteſt, quod Bonacina habet *Tomo* 1. *Diſput.* 2. *de officio diuino, Quæſt.* 5. *Puncto* 3. §. 3. *num.* 1. Vbi cùm dixiſſet Præbendarium abſentem ad tuenda iura Capituli lucrari diſtributiones, etiamſi ſtipendium à Capitulo accipiat, ita ſubdit: *Hæc ampliatio mihi probatur, licèt nullum habeam Auctorem, qui meæ ſententiæ ſubſcribat, plures verò contrarios inueniam, &c.* Deinde, quamplures eſſe, qui teneant Doctorem Theologum eligi poſſe, vt videri poteſt apud Dom. Solorzanum *ſuprà*, quem item cum Riccio adducit Diana *ſuprà, Reſolut.* 56. vnde quod ad rem attinet, ſeu effectum ex Concilij interpretatione deductum, non poteſt dici ſententia iſta ſingularis. Quòd verò particula, *ſaltem*, hoc aut illo modo accipi debeat, quantùm ad vim conſequentiæ ex illâ, tanti momenti non habetur, vt ſingularis ſententia ſolidis fundamentis innixa, veniat reſpuenda. Quod verò Cardinalium Declarationes non vrgeant, iam vidimus *num.* 14. ex Dom. Solorzano. Cùm autem Doctorem Theologum dicimus, non quemlibet intelligimus, ſed eum, qui in Theologiâ generale poſſit magiſterium exercere, quæ non tantùm ſpeculatiuas notitias de diuinis, ſed morales etiam & iudiciales multas comprehendit: qui enim tales; facillimo negotio iudices eſſe poſſunt, & cauſſas, de quibus agitur, intimè penetrare. Quod verò ad praxim attinet, nihil eſt difficultatis in illâ, vt & illiterati in ipsâ inueniuntur promptiſſimi; cùm aliàs Aſſeſſor ſit Iuris Canonici conſultus adhibendus. Nullum ergo erit peccatum in talium electione.

Bonacina opportuna ad probationem doctrina.

Aſſertio 8. *Capitulum Indiarum ſicut alia eligere poſſe.*

22 Dico octauò. Capitula Indiarum more aliorũ ſe gerere poſſunt in Vicariorum electione, quia & in illis homines docti reperiuntur, & in dictarum facultatum exercitatione verſati. Sed non eſt ſpecioſo Doctoris titulo multùm quandoque deferendum, vt ob eam ſolam debeat aliquis non pariter laureatis anteferri. Dantur non rarò ſine meritis laureæ, ex quo accidit vt Doctor in Iure Canonico Vicarius electus, cùm Aſſeſſorem non cogatur habere, abſurda non leuia in cauſſarum iudiciali expeditione committat. Tantùm ergo abeſt vt Doctores tales præferri debeant, quòd potiùs in eorum electione grauis culpa reperiatur. Vnde Concilium Tridentinum *citato in Capite* ſapientiſſimè iſta prouidit. Cùm enim ſtatuiſſet eligendum Doctorem aut Licentiatum in Iure Canonico, non addidit, *vel ſi talis non extet, alius qui magis idoneus inueniatur.* Sed vt iam vidimus: *vel alius, quantùm fieri poterit, idoneus.* Sciebat enim Doctores & Licentiatos in Iure Cano-

Doctoris laureæ non multùm deferendũ.

Conc. Trid. vt ſit ſumma attentione locutum.

nico poſſe plures occurrere, ſed non idoneos; tum ob qualitatum aliarum defectum, tum etiam ob doctrinæ in facultate illa tenuitatem, quibus non debet titulus honorificus auxiliari. Id ergo in Indiis præcipuè accurrandum, quod ex Innocentio III. dedimus *numer.* 16. vt ſcilicet talis eligatur, in quo *imperfectum ſcientiæ poteſt ſupplere perfectio charitatis.* Charitas enim maximè neceſſaria, vt Indorum ſaluti conſulant, & cauſſæ illorum ingrediantur ad ipſos: ne clamor ille aures diuinæ Iuſtitiæ laceſſat, de quo *Iſa.* 1. *v.* 23. *Pupillo non iudicant, & cauſſa viduæ non ingreditur ad illos.* Debent enim pauperum & deſolatorum cauſſæ ad iudices ingredi, vt non ſit opus deductore. Nullus pre foribus adſtabit ianitor, ſed ſine obice, vti in domum propriam, intrabunt. Vel ſi ianitor aliquis futurus, ſit equidem charitas, quæ iuxta Apoſtolum. 1. *Corinth.* 13. *v.* 4. *&* 5. *Patiens eſt, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur.* O digniſſimum pro miſellorum Indorum cauſſis ianitorem!

Charitas in Vicarijs Indi is maximè neceſſaria.

Iſa. 1. v. 23.

1. Cor. 13. v. 4. & 5.

CAPVT IV.

Circa viſitationem Diœceſis quid debeat à Capitulis Indicarum Eccleſiarum, Sede vacante, præſtari.

23 QVæſtio inter Doctores antiqua eſt, an Capitulum, Sede vacante, circa Diœceſis viſitationem poſſit officij ſui partes applicare, de quâ ſpecialiter P. Azor *Tomo* 2. *Lib.* 3. *Cap.* 37. *Quæſt.* 5. & ſunt qui negant, quia Capitulum non ſuccedit in iuriſdictione voluntaria, ſed neceſſaria: viſitatio autem tantùm neceſſaria cenſebitur, quando contra aliquem inquiſitio debet fieri, aut quòd eius fama læſa inueniatur. Communior autem ſententia affirmat, pro quâ citatus Auctor adducit Decretum Concilij Tridentini *Seſſione* 2. *Cap.* 3. *de Reformat.* vbi ſic habetur: *Viſitatores etiam à Capitulo deputandi, vbi Capitulum ius viſitandi habet, priùs ab Epiſcopo approbentur.* Sic ibi. Quod tamen ad rem non videtur facere, cùm de Capitulo Sede vacante ſermo non ſit, quod Epiſcopo generaliter in iuriſdictione ſuccedit, ſed de aliàs priuilegiato, cui Sede etiam plenâ ius eſt pro viſitatione conceſſum, vnde & viſitatorem ab Epiſcopo approbandum ſtatuitur, ex quo plena comprobatur. Adducit etiam Cap. *Sopitæ*, de Cenſibus, vbi nihil ad intentum: ſolùm enim decernitur vt Archiepiſcopus viſitans Prouinciam Procurationem habeat à Monaſterijs. Addit Cap. *Relatum* 10. *quæſt.* 1. ſeu potiùs *Relata*, in quo tantùm de negligentia & auaritia Epiſcoporum agitur, cùm commiſſos ſibi populos Confirmationis, & prædicationis cauſſâ circumeunt. Sed hoc quid ad quæſtionem? Probat tandem ex Cap. *Eccleſiæ*, quòd eſt finale *de ſupplement. negligent. Prælat. in Sexto.* adducto etiam pro eodem à Patre Molina *Tomo* 6. *Tractat.* 5. *Diſputat.* 11. *numer.* 7. vbi Archiepiſcopus dat Viſitatorem, ſi Capitulum viſitationis vſum neglexerit. Sed videamus Textum ſic ſe haben-

Capitulum viſitare poſſe diœceſim, communior ſententia.

Conc. Trid.

Textus à P. Azor adductus nihil ad intentum facere.

Digitized by Google

Cap. Eccleſiæ, de ſuppl. neg. Prælat.

tem: *Eccleſiæ Cathedrali vacanti Viſitator ab alio, quàm à Romano Pontifice deputari non poteſt. Niſi fortè Capitulum in ſpiritualibus & temporalibus, negligenter aut perperam adminiſtret. Tunc enim Archiepiſcopus ob negligentiam, vel malitiam Capituli (eo vocato, cauſſaque ſuper hoc cognitione præmiſſâ) Viſitatorem, ſeu adminiſtratorem eidem Eccleſiæ licitè poterit deputare.* Sic Bonifacius Octauus, addens ſtatim Viſitatorem ab Archiepiſcopo deputatum non poſſe Beneficia conferre, quæ ad collationem pertinent Epiſcopi. Quid iam in Textu iſto, quod ad rem, de qua eſt ſermo, conducat? De negligentiâ Capituli in viſitandâ Diœceſi nec verbum quidem. Quòd ſi Viſitator datur, non ea de cauſſa eſt, neque vt diœceſim viſitet, ſed vt in ſpiritualibus & temporalibus adminiſtret. Vnde Gloſſa ibi verb. *Viſitator*, ſic ait: *Viſitator idem quòd Adminiſtrator, de quo 61. diſt.* Catinenſis. Et Cap. *Quoniam Feſtus.* Sic Gloſſa. In Capitibus, quæ allegat, Viſitatio Diœceſis nulla ratione committitur: nam in priori Viſitator mittitur; qui de electione Epiſcopi curet, & in Secundo, vt omnem vigilantiam atque cautelam circa Clericos plebemque Capuanæ exhibeat Eccleſiæ, *vt in vigiliis, obſequioque Eccleſiaſtico, ſedulò ac deuotè debeant deſeruire.* Nullus ergo ex adductis Textibus quidquam præſtat ad intentum: in quo doctus Auctor inuentus eſt minùs habens, dum Iuriſtarum allegationibus fidem adhibuit, quam plerumque non merentur vt *num.* 17. etiam dicebamus.

Gloſſa.

Poteſtas Capituli ex ſucceſſione in iuriſdictione probatur.

24 Quidquid de hoc ſit, pro quo & videndus Diana *Parte* 8. *Tract.* 4. *Reſolut.* 13. iuriſdictio Capituli in Ordine ad viſitationem rectè probatur ex eo quòd ſuccedet Epiſcopo in omnibus, quæ Epiſcopalem Ordinem non requirunt, & aliàs prohibita in ſpeciali non inueniuntur, vt collatio Beneficiorum, de qua in citat. Cap. *Eccleſiæ*, & nonnulla alia. Circa quod videri etiam poteſt P. Leſſius in *Reſolutionibus poſthumis.* verb. *Abſolutio, numer.* 23. Quod verò de juriſdictione neceſſaria dicebatur juxta ſententiam Ioannis Andreæ, omnino hic locum habet, quia viſitatio generalis ad illam pertinet, cùm Epiſcopus ad eamdem omnino teneatur. Vnde etiam & Capitulum, in Indijs præſertim, quod & Auctores aduerſi negare nequeunt, quando vacatio diutina eſt, vt in illis eſſe ſolet. Nec tamen certum illud, ſed probabilius, vt cum alijs affirmat P. Azor. Quod quidem animaduertiſſe juuabit, vt Capitula Indiarum non ſint ita circa mittendos Viſitatores ſolicita, quando probabile eſt illis hanc minimè competere facultatem. Circa quod opportunè citatus idem Auctor obſeruat, quòd cùm modica eſt vacatio, videlicet cùm nondum anni curriculum effluxit, ex quo Epiſcopus, qui deceſſit, Viſitationem abſoluerat, aut quando probabiliter creditur Succeſſor breui futurus: tunc non eſt quòd Capitulum viſitet. Hoc autem licet numquàm accidat, cùm Capitulum in Indijs poſt mortem Epiſcopi in juriſdictione ſuccedat, ſemper enim vacationes annum prætergrediuntur: poteſt tamen in tranſlatione ſuccedere, vnde & ſeruandum illis. Pro eo verò, quòd dixi, Capitulum in Indiis nòn debere eſſe multùm de viſitatione ſolicitum, cùm probabile ſit illi ius generalis viſitationis non competere. Conſideratione dignum occurrit, quòd cùm Concilium Limenſe Tertiù de viſitatione egerit *Act.* 4. *per priora Capita* & de Viſitatoribus ab Epiſcopis, dum viſitare ipſi non valent, mittendis: de Viſitatoribus tamen Sede vacante non meminit neque ibi neque alibi. *Actione autem* 3. *Cap.* 28. vbi ſtatuit, Sede vacante, non mittendum Præbendarium, vt extra ſuam Eccleſiam Vicariatum aut Curatum exerceat, quod perquam frequens eſſe ait: cùm opportuna de Viſitatoribus loquendi occaſio videretur, nihil pro illis adiecit, vtpotè qui ad viſitandum mitti à Capitulo non debeant, quia pro iure ad viſitationem non eſt ſatis explorata poteſtas. Quibus præiactis

Obſeruatio pro limitatione.

Et pro Indijs alia.

Aſſertio 1. Viſitationem à Capitulo omitti poſſe.

25 Dico primò. Capitulum in Indiis, Sede vacante, etiamſi vacatio annum excedat, poteſt tutâ conſcientiâ viſitationem omittere, niſi alicubi illam exigat ratio ſpecialis. Probatur ex dictis: quia probabile eſt id fieri non poſſe. Deinde. Quia viſitationes huiuſmodi infructuoſæ, immò & præiudiciales eſſe ſolent: pro quo extat elegans proteſtatio Concilij Limenſis citati *Act.* 4. *Cap.* 1. vbi de Viſitatoribus ab Epiſcopis deſtinatis loquitur, in quibus minus eſt periculi, quia purior ab humanis reſpectibus videtur electio, & exceſſus faciliùs poſſunt puniri, cùm non habeant validos defenſores, vt Sede vacante contingit. Verba illius ſunt: *Eccleſiaſticæ diſciplinæ neruus ferè in Canonica viſitatione conſiſtit, quem aſtu dæmonis, & auaritiâ hominum plurimorum, ita debilitatum cernimus, vt unde potiùs plurimæ querelæ & damna prouenerint &c.* Pro quorum remedio monet ſtatim; *Vt non niſi viris integris, ſpectatæ probitatis, induſtriis, atque idoneis viſitationem committant.* Quod equidem deſiderari poteſt, non ita tamen obtineri. Vnde & frequentes ſemper audiuntur querelæ, & communis perſuaſio clamat nihil huiuſmodi viſitationibus bonum Indicæ Eccleſiæ promoueri. Ita de ſuis Conſilium atteſtatum temporibus; neque mirum in iis, quæ ſubſecuta ſunt & ſubſequentur, conditionem mundi non euadere meliorem; qui quantùm ſenior, tantùm deterior. Sit tamen multis ſuâ de integritate, probitate, atque induſtriâ commendatio: ſed ij curas recuſant tales, ſi fortè contingat ad eas ſuſcipiendas inuitari, nam qui compellat rarus inuenietur.

Concilium Lim. 3.

Aſſertio 2. Omnem conuentionem pro pecunia danda eſſe damnabilem. ad quam emolumenta reuocantur.

26 Dico ſecundò. Damnabilis eſt omnis conuentio, quæ fieri inter Capitulares & Viſitatores poteſt, vt emolumenta iſtorum illis reddenda ſint, aut illorum certa portio. Quis hic hæreat? Aut enim ea tantum emolumenta ſunt, quæ licitè reportari poſſunt, & ſic laboris ſunt præmia, quæ Viſitator ſubit, ac proinde illis priuantur iniuſtè. Aut illicita illa, dum à Parochis, quæ non licet, corraduntur. Talia autem reſtituenda ſunt, iuxta dicta *Titulo* 15. *Cap.* 2. Si dicas emolumenta licita poſſe vltro donari Præbendariis, eò quòd Viſitator in huiuſmodi functione ſolum prætendat honorem ſpecioſi tituli in ordine ad ſuas in Curiâ prætenſiones; id certè non releuat; quia cùm conuentio præcedat expreſſa, aut expreſſæ æquiualens, non eſt iam donatio gratuita. In quo eſt & execrabilis ſimoniæ labes: Officium ſpirituales functiones habens propter pecuniam datur, non dandum aliàs, illis, qui dabunt quidem, ſed non tantùm, quantùm turpis cupiditas pergit extorquere. Pro quo faciunt

Digitized by Google

faciunt quæ Doctores tradunt de ſimonia, agentes ad cognoſcendum quando id, quod pro re ſpirituali datur, rationem pretij habet, cùm conſtet multoties dari aliqua pecuniâ æſtimabilia, & pecuniam ipſam, nec tamen ſimoniam committi: vt cùm ſtipendium datur pro dicenda Miſſa, & diſtributiones quotidianæ pro aſſiſtentia in diuinis officiis. Dicunt enim tunc rationem pretij habere, quando non eſt titulus aliquis, ex quo datio poſſit honeſtari; qualis eſt titulus ſuſtentationis debitæ operario, redimendæ vexationis, laboris extraordinarij, aut liberalitatis: pro quibus ſpecialiter videri poteſt Bonacina *Tomo* 1. *Tractatu de ſimonia Diſput.* 1. *Quæſt.* 1. §. 2. Nullus autem talis titulus in præſenti occurrit, vt eſt manifeſtum: ſi enim aliquis, maximè vltimus, quem tamen iam vidimus locum non habere. Pro quo & videndus citatus Auctor *Quæſt.* 6. *Puncto* 1. vbi præter alia id habet §. *Vltimo*, quod hic videtur accidere: ait enim ſimoniam committi, dum quis aliquid ſpirituale tradit cum pacto vt pecuniam, vel rem pretio æſtimabilem præbeat: etiamſi dicat ſe hoc poſtulare ex beneuolentia, & liberalitate illius, cui res ſpiritualis traditur: quia in pactum deducit obligationem, & falſa eſt illa propoſitio, quâ indicat ſe liberaliter tradere, & liberale donum exigere, cùm ineat contractum onerosum, & re ipſa non donat, ſed vendat. Quod & de pacto vt gratus eſſe debeat tale quid reddendo, dixerat ante iſta *num.* 7. & ex P. Suario deſumpſit *Tomo* 1. *de Religione Lib.* 4. *Cap.* 45. *num.* 8. 11. & 12.

Quando id, quod pro re ſpirituali datur, rationem pretij habeat, vt Simonia propterea committatur.

Præſenti caſui doctrina applicata.

27 Video tamen his aliquos aduerſari, exiſtimantes non eſſe ſimoniam, quando ſola obligatio beneuolentiæ aut gratitudinis in pactum deducitur; vt videri poteſt apud Dianam *Parte* 2. *Tract.* 2. *Miſcellaneo. Reſolut.* 27. qui prædictam ſententiam probabilem cenſet. Sed certè, quidquid de illa ſit, contra quem pugnat P. Fragoſus *Tomo* 2. *pag.* 534. *num.* 8. & 10. Pharaonius in *Append. Tractatus* 2. *Seſſione* 12. *Caſu* 5. Et Diana ipſe viſus poſt hæc ſcripta *Parte* 11. *Tract.* 5. *Reſolut.* 31. §. *His ſuppoſitis*, pro praxi reprobat cum Rocafull. Pro quo & *Tract.* 7. *Reſolut.* 23. vbi de mutuo agit, & Ioannem Soriam adducit, probabile exiſtimantem illud licere ad procurandam amicitiam Collatoris, & vt gratiam ſibi præſtet, etiamſi in pactum deducatur. Videatur etiam *Parte* 10. *Tractat.* 15. *Reſolut.* 5. Quidquid inquam de illa ſit: quam & in puncto metaphyſico probabilem iudicat P. Oñate. *Diſputat.* 84. *num.* 212. in caſu noſtro res ita ſe habet, vt nullus futurus ſit ſanè ſapiens, qui pactum dictum poſſit approbare. Solis enim verbis beneuolentia & gratitudo præfertur, cùm tamen re ipſa obligatio ſtricta contendatur induci. (vide Patrem Leſſium *ſuprà Caſu* 6.) Si enim gratitudinis debito ſe ſatisfacturum promittens, id non præſtet, nullus non mouebitur lapis, vt ab illo extorqueatur: neque erit qui audeat promiſſis non ſtare, indignationem veritus expectatione ſua defraudari. Exactio autem talis contra rationem gratuitæ donationis eſt. Cap. *Episcopus* 1. *quæſt.* 2. Ibi: *Si non ex pacto, neque exactus, aut petitus &c.* Prætereà, Omnino alienum à ratione gratitudinis eſt, vt id, quod eſt labori debitum, tamquam illius ſtipendium, ei, qui officium contulit, tribuatur. In quo quidem genus quoddam crudelitatis interuenit, cum quo nequit ſtare, vt debitum gratitudinis ad huiuſmodi retributionem inducat: quia reuera beneficium non fuit, quod ita onerosum redditur laboranti, & in quo, qui officium tribuit, non eius, cui tribuit, attendit commodum, ſed proprium: cùm beneficium actus beneuolentiæ ſit. Item Scriptores illi, qui pactionem de re temporali pro ſpirituali licitam eſſe in foro conſcientiæ dicunt, eatenus ſic aſſerunt, quatenus res ſpiritualis ſecundùm rationem communem officij conſiderata meretur ex iuſtitiâ compenſationem, tamquàm ſtipendium, vt ſpirituale etiam officium meretur remunerationem gratuitam. Atqui hoc in caſu noſtro commodum locum habere nequit: quia officium Viſitatoris ita confertur, vt ſecundùm communem rationem Officij, non debeatur ſtipendium ei, qui dedit; vnde etiamſi nihil ſpirituale in eo reperiatur, minimè eſſet debitum: Capitulo enim propter adminiſtrationem ſtipendium non debetur, neque in communi, neque in particulari. Quòd verò gratuitam mereatur remunerationem, omnino alienum ab obligatione ſtipendij eſt, vt res ipſa clamat; non ergo illa doctrina quadrat.

Effugium de pacto licito cum ſola obligatione gratitudinis, ex quorumdam ſententia.

In caſu præſenti locum non habere demonſtratur.

Inſtantia vrgens ex aduerſantium doctrina.

28 Nec ſatisfaciet qui dixerit Capitulo quidem non deberi ſtipendium, deberi autem ſingulari Præbendario, qui ſuâ diligentiâ obtinet, vt Capitulum talem eligat Viſitatorem. Nam cùm Præbendarius talis in huiuſmodi diligentia ſuum potiùs commodum quàm Viſitatoris attendat, ſtipendium ex eo capite non meretur. Et quidem ſicut Capitulum totum nequit ſtipendium exigere ratione huius electionis, ita neque Præbendarius, qui diligentiam dicitur adhibuiſſe: quia Capitulum diligentiam adhibere tenetur vt congruas perſonas pro viſitatione reperiat: Capitulum autem non eſt abſtractum aliquod Platonicum, ſed Collegium Præbendariorum, ad quorum ſingulos ſpectat proponere idoneos, & deinde ad Capitulum circa conuenientiam, deliberationem ſine humanis reſpectibus agitare. Non ergo diligentia dicta ſtipendio eſt peculiari digna, quia ex obligatione officij debuit adhiberi. Neque quod ad ſimoniam ſpectat eâ ratione mollitur: quia Præbendarius in dicto caſu non habet tantùm ſolicitatoris partes, ſed collatoris officij ſimul cum aliis: vnde non ſolam diligentiam vendit, ſed collationem.

Euaſio ex diligentia Præbendarij, cui ſtipendium debeatur, expuncta.

29 Dico tertiò. Non ſolùm iniqua eſt pactio, vt emolumenta tradantur, ſed etiam aliqua illorum portio, aut certa, vel incerta quantitas. Conſtat ex dictis: quia non eſt titulus ad quidquam accipiendum: ſi enim dignus ſit, de quo agitur, proponi debet: ſi indignus, abominanda eſt prorſus propoſitio. Et diligentia pro electione penitus execrabilis. Si dicas eſſe multos dignos poſſe, & tunc non eſſe obligationem proponendi vnum potiùs quàm alium. Id certè non ſatisfacit, quia caſus eo ipſo variatur. Loquimur enim de paciſcente cum Præbendario, vt obtineat deſignationem: hic autem eo ipſo illâ penitus indignus eſt. Quid enim indignius pro tali poteſt munere cogitari? Neque cum integritate, neque cum ſpectata probitate, & aliis à Concilio Limenſi requiſitis, de quibus *num.* 25. id poteſt vllâ ratione componi. Deinde, etſi componi poſſit,

Aſſertio 3. Idem ſtatuens de parte emolumentorum.

Digitized by Google

poſſit, & gratia aliqua in eâ prælatione intercedat, illa non eſt temporali ſtipendio compenſanda, pro eo adhibitâ pactione; quia electio alicuius diſiunctiuè neceſſaria eſt, neque plus laboris in vnâ, quam in aliâ propoſitione intercedit. Præterquàm quòd electio eſt ad rem ſpiritualem, nec pretio æſtimabilem. Sicut enim Epiſcopus, ſi ex concurrentibus ad Ordines quoſdam præ aliis eligat, ratione prælationis huiuſmodi nequit accipere pretium, quia ad rem omnino ſpiritualem eſt; ita ſimiliter in caſu noſtro dicendum. Sin minus, ad pactiones tales in omni rerum ſacrarum genere ianua aperietur latiſſima, per quam & via quæ ducat ad perditionem. Vide *Titul.* 13. *à num.* 5. *vſque ad* 13.

Præbendarios nō poſſe eſſe Viſitatores.

30 Dico quartò. Præbendarij, Sede vacante, vbi pauci numero ſunt, non poſſunt eſſe Viſitatores: quod quidem Regiis ſchedulis cautum inuenitur, de quibus Dom. Solorzanus *Lib.* 3. *Cap.* 12. *num.* 17. Quinam autem pauci dicendi ſint, ſi quærat quiſpiam, videtur dicendum paucos ſemper cenſendos, qui in Eccleſiis non Metropolitanis ſunt; cùm enim etiam eorum expleto numero, qui iuxta erectionem eſſe poſſunt, multi non ſint; non poſſunt ordinariè loquendo cenſeri plures, cùm ſemper aliqui ex eo numero deſint, & aliunde copia Clericorum non ſuppetat, qui diuinorum officiorum ordinariæ celebrationi ſubſeruiant, ſintque inſuper ægroti aliqui, aut aliàs impediti. In Metropolitanis autem cùm major numerus ſit, id poſſet faciliùs ſuſtineri, niſi ob rationes dictas eorum eſſet numerus imminutus. Quando autem non obſtante paucitate Præbendarius ad viſitandum exiret, non videtur lucrari poſſe diſtributiones, quia cauſſa abſentiæ legitima non eſt, neque ſub aliqua ex illis comprehenditur, quas Sacri Canones admittunt, & de quibus *Titulo præcedent. Cap.* 7. Neque eſt ſimile cùm Epiſcopus mittit ob dicta *num.* 78. *ibidem* niſi neceſſitas eſſet ſimilis, quod Patrono fieri notum oportebit. Non eſt autem improbabile oppoſitum, dummodo detrimentum Eccleſiæ obueniens compenſetur. Quia verò ex huiuſmodi viſitationibus, ad quas Præbendarij, Sede vacante, egrediuntur, frequentia inconuenientia longo ſunt temporum lapſu deprehenſa, meritò Regali prouidentiâ cautum ne talis permittatur egreſſus, & ita circa hoc Proreges aduigilant; & vtinam eorùm in re adeò vtili vigilantia perſeueret.

An egredientes lucrentur diſtributiones

CAPVT V.

Circa Beneficia quid poſſint Indicarum Eccleſiarum Capitula, & quæ circa hoc onera poſſint eorum conſcientias aggrauare.

§. I.

De Reſignatione in fauorem.

Aſſertio 1. omnia circa Beneficia poſſe.

31 DIco primò. Capitulum, Sede vacante, poteſt præſentatos Regio nomine Canonicè inſtituere, & circa eos omnia præſtare, quæ & Epiſcopus, Edicta ſcilicet proponere, cùm Beneficia vacauerint, ad examen vocare, per Synodales Examinatores faciendum, tres digniores eligere ex approbatis, & iuxta meritorum qualitatem locum illis in nominatione tribuere, & ad eum remittere, qui Regio nomine Patronatum exercet. Quod quidem quantùm ad inſtitutionem Canonicam attinet, iuxta Iuris communis diſpoſitionem procedit: pro quo videri poteſt P. Azor *Tomo* 2. *Libr.* 3. *Cap.* 38. *Quæſt.* 2. apud quem Auctores aliqui rationem conantur reddere cur Capitulum inſtituere poſſit, & non ſimpliciter conferre, ſed non ſatiſfaciunt; cur ſcilicet Sacri Canones vnum concedant, negent aliud, in quo videtur eadem eſſe ratio. Eſt autem illa & obuia & concludens, voluiſſe Sedem Apoſtolicam erga Patronos ſe beneuolam exhibere, vt ſic multos ad fundandas Eccleſias prouocaret: & ita Gloſſa in Cap. *Etſi Capitulum*, de Inſtitutionibus, vbi Bonifacius VIII. quæſtionem anteà dubiam ſuâ Conſtitutione diremit, ita dicens: *Etſi Capitulum, Sede vacante, Beneficia, quæ ad collationem Epiſcopi pertinent, conferre non poſſit: Præſentatos tamen à Patronis poteſt admittere, ſi ſint idonei, & eos inſtituere in Beneficijs, ad quæ fuerint præſentati: licèt ad Epiſcopum, (ſi ſupereſſet) admiſſio & inſtitutio huiuſmodi pertineret.* Sic ille. Et ita, inquam Gloſſa. verb. *Præſentatos*, ſic habet: *De Præſentatis ſolùm hîc dixit, & poterat de Præſentatis dubitari, quaſi præſentatio inniteretur gratiæ, & non Iuri communi, vt ſic poteſtas huius gratiæ, vacante Sede, in Capitulum non tranſiret.* Hæc Gloſſa. Vbi non prætermittendum Patrem Azor pro veritate propoſitâ allegare Gloſſam in Cap. *Cùm illis*, de Præbendis *in* 6. Cùm tamen in eo Titulo Cap. *Cùm autem* non ſit, ſed ſit ille 5. in citato Cap. *Cùm illis.* Quod animaduertiſſe oportuit, ne inde ſuperuacui ac moleſti in quærendo laboris occaſio alicui tribuatur. Videatur ergo Gloſſa in citat. Cap. verb. *Noſcatur.* Licet autem in prædicta Decretali ſolùm videatur concedi facultas inſtituendi Capitulo, quando vacat per mortem Eccleſia, ibi, *Si ſupereſſet*: ad omnem tamen vacationem referenda eſt, quia ratio eſt eadem: & ſic habet Doctorum ſenſus ac communis praxis; quamuis Gloſſa cum limitatione dicta loqui videatur, ſic dicens: *Nota quod poteſtas inſtituendi in Beneficijs deuoluitur, Sede vacante, ad habentem exercere iuriſdictionem Prælati defuncti.* Sic illa. Sed id propterea dictum, quia frequentius.

quæ de Regio ſunt patronatu, ad quæ Epiſcoporū ſe extendit auctoritas.

Cur non ſimpliciter conferre.

Cap. Etſi Capitulū, *de Inſtitut.*

Gloſſa.

Eadem.

32 Dico ſecundò. Non ſolùm Præſentatos Regio nomine poteſt Capitulum inſtituere, ſed quoſcumque ab iis, qui ius habent præſentandi ad Beneficia ſimplicia, ſecundùm receptas Doctorum ſententias circa id, quod neceſſarium eſt vt Beneficium aliquod dici poſſit. Quòd ſi aliquod minùs propriè tale inueniatur, quod tamen ad Epiſcopi inſtitutionem ſpectet, idem erga illud facere Capitulum poterit, quod Epiſcopus facere ſolitus. Tum quia ſuccedit in iuriſdictione Epiſcopo ex conſuetudine competenti, vt cum Panormitano, Syluestro, Merolla, & P. Azor tenet Diana *Parte* 8. *Tractat.* 4. *Reſolut.* 18 Tum etiam, quia qui poteſt plus, poteſt & minus, iuxta regulam iuris *in* 6.

Aſſertio 2. idem eſſe de Præſentatis à quolibet ad Beneficia ſimplicia.

33 Dico tertiò. Capitulum in Eccleſiis Indiarum nequit reſignationem Curati Beneficij, aut

Aſſertio 3. non poſſe reſignationē

in fauorem admittere in Indijs, ſi Beneficium ad Regium Patronatũ ſpectet.

aut alterius, quod de iure patronatus ſit, in fauorem alterius admittere. Probari id poteſt *Primò* ex generali Scriptorum doctrina, iuxta quam admiſſio talis ad ſolum Pontificem ſpectat, vt videri poteſt apud Dom. Barboſam *Allegat.* 50. *n.* 23. vbi pro ea adducit Cap. *Deliberatione.* §. *Prohibemus*, *de Officio Legati in* 6. in quo tamen expreſsè non habetur, ſic enim ibi: *Prohibemus inſuper, ne Legatus ipſe in genere aut ſpecie cuicumque concedat vt ab ijs, qui Beneficia intra Legationem eiuſdem habentes, ea in illius manibus voluerint liberè reſignare, ipſorum reſignatione receptâ, illa valeat idoneis conferre perſonis.* Sic Bonifacius VIII. qui ſtatim ſecus factum nullius declarat eſſe valoris. Non ergo de reſignatione in fauorem alterius agitur. Ex ratione autem, quam Pontifex adhibet, poteſt illud conijectari; ita enim claudit: *Cùm per hoc aperiri poſſet via contra Lateranenſe Concilium ad Beneficia vacatura.* Sic ille. Concilij autem Lateranenſis Decretum, cuius mentionem inducit, habetur in Cap. *Nulla, de conceſſ. Præbend.* in quo ſic dicitur: *Nulla Eccleſiaſtica miniſteria, ſeu etiam Beneficia Eccleſiæ, tribuantur alicui, ſeu promittantur, antequàm vacent. Ne deſiderare quis mortem proximi videatur, in cuius locum & Beneficium ſe crediderit ſucceſſurum.* Hæc ibi. Si enim facultas recipiendi vel admittendi reſignationes alias concedatur, & pariter Beneficia conferendi, quæ fuerint reſignata, facilè continget vt in fauorem aliquorum reſignentur, quibus ſit facta promiſſio, cùm à priuato, cui per indulgentiam talis facultas conceditur, facilè poſſit obtineri. Sic ergo Decretalis Bonifacij cum Decretali ex Concilio Lateranenſi deſumpta componitur, & quod Aſſertio propoſita ſtatuit, ex eiſdem veroſimiliter comprobatur.

Cap Deliberatione, de officio Legati in 6.

Ex illius ratione cõiectura pro deciſione.

Cap. Nulla, de conceſſ. Præb.

Reſignatio ſub ſpe ve queat ab Epiſcopo admitti.

34 Sed certè, licèt de eo loquendo, cui per extraordinariam viam id concedi poteſt, omnino ex Decretali dictâ colligatur; non videtur id generaliter certum, quandoquidem deficiente promiſſione, talis poteſtas Epiſcopis competit, licèt reſignatio ſub ſpe fiat collationis ei faciendæ, quam deſiderat reſignator; & eo etiam deſignato, dummodò pactio nullatenùs intercedat. Quod quidem cum multis vt probabile tenet Dom. Barboſa *Allegat.* 69. *num.* 50. & id quidem ſtante inſuper Conſtitutione Pij V. de quâ idem *num.* 47. *& ſeqq.* & in quâ præcipit ne reſignationes fiant deſignato ſucceſſore; addens alia, ex quibus colligi poſſit reſignationem ſaltem tacitè eſſe in fauorem, quæ coràm Epiſcopis & alijs Collatoribus fieri non poteſt, vt citati ab eo Doctores affirmant *num.* 48. & ſententiam Barboſæ tenet etiam P. Thomas Sancius *Lib.* 2. *Conſil. cap.* 3. *Dub.* 38. *numer.* 23. poſt Conſtitutionis Pij V. factam mentionem, & luculentam explicationem: neque vnius tantùm, quæ in hoc negotio præcipua, ſed prioris alterius *Idibus Auguſt.* 1567. cùm alia fuerit *Kal. Aprilis* 1568. eſtque ordine 58. & ad verbum habetur apud P. Fragoſum *Tomo* 2. *Pag.* 718. *numer.* 35. Videndus etiam Diana *Parte* 5. *Tractat.* 14. *Reſolut.* 22. & generaliter quòd reſignatio in fauorem tertij licita & valida ſit, tenent Ductenus, Aragon, Sotus, & Couarruuias apud P. Sancium *numer.* 14. quod & cum aliis, quos affert, tenet Illuſtriſſ. Zerola *Parte* 1. verb. *Renuntiatio.* §. *Ad ſecundum.* Et tam iſti, quàm ex antiquioribus aliqui, poſt editas Conſtitutiones à Pio V. reſcripſerunt: quarum quæ maximè vrget, ſuſpicatur non eſſe receptam P. Sancius, pro quo *num.* 19. cuius & præſertim Zerola meminit, neque aduerſari contendit. Ex generali ergo illâ doctrinâ non poteſt Aſſertio noſtra ita firmari, vt pro certâ debeat haberi, licèt communior Doctorum ſenſus pro eo ſtet, ex quibus plures adducit P. Sancius *ſuprà num.* 11. Et eam cum aliis tenet P. Oñate *Diſputat.* 83. *numer.* 137. Non eſt autem reuerentiæ debitæ veritati conforme, quod P. Palaus ſcribit *Tomo* 2. *Tractatu* 13. *Diſput.* 6. *Puncto* 2. §. 2. *num.* 2. quòd ſcilicet, ſi ſub conditione reſignatio fiat, ſolus Pontifex eam admittere poteſt, vt tenent omnes Doctores (excepta reſignatione ex cauſſâ permutationis) Ordinarij namque ſolùm poſſunt ſimplicem & puram reſignationem admittere ex cauſſis à Pio V. in ſuâ Conſtitutione propoſitis. Quòd autem nomine reſignationis ſub conditione eam complectatur, quæ fit in fauorem, conſtat ex iis, quæ idem habet §. 1. *n.* 3. Cùm ex dictis perſpicuum ſit plures eſſe, qui alii præter Pontifices poteſtatem dictã competere proteſtentur, nequit dici ſine veritatis iniuriâ omnes contrariũ ſentire Doctores. Circa idem P. Bauny *in Praxi Benefic. Diſp.* 9. *q.* 25. *Aſſert.* 2. modo cautiore locutus, dum ſtatuit alium à Pontifice non poſſe deſignationem conditionalem admittere, & confirmare, non tamen ob ſimoniam; aliàs neque Pontifici id liceret: ſed quia id fieri mos communis non patitur; à quo malum eſt, ſicut & à lege diſcedere. Nec pro ſe Doctorem vllum adducit, aut omnium eſſe pronuntiat.

Neque obſtare Conſtitutiones Pij V.

P. Palaum non benè contrariũ omniũ eſſe Doctorum aſſerere.

P. Bauny cautius locutum.

35 Si ergo aliud non obſtaret in Beneficiis, de quibus loquimur, poſſent eorum reſignationes à Capitulo, Sede vacante, probabilem amplexo ſententiam, admitti. Quia reſignationes admitti ab illo poſſe, multorum ſententia eſt, pro quâ Diana non paucos allegat *Parte* 8. *Tract.* 4. *Reſol.* 28. & tenet ipſe vt probabiliorem. Neque negabit P. Palaus, qui §. 2. *citato*, *numer.* 4. affirmat Capitulum poſſe admittere reſignationes purè factas; & probat, quia ſuccedit Epiſcopo in omnibus, quæ ſunt iuriſdictionis ordinariæ, exceptis caſibus à Iure expreſſis. Cùm autem admiſſio reſignationis pertineat ad ordinariam iuriſdictionem, neque inueniatur in Iure excepta Capitulo, fit ſanè ad ipſum pertinere. Quæ ratio probat etiam de reſignatione in fauorem, ſuppoſito quòd illa Epiſcopo competat quoad ſui admiſſionem: quam & idem Auctor *numer. ſeq.* abſolutè Capitulo concedit, licèt neque illud, neque Epiſcopi poſſint prouidere. Pro quo etiam *Diſput.* 2. *Puncto* 29. *num.* 15. *&* 16. Sed eſt aliud quod obſtet, vnde &

Reſignationes puras poſſe à Capitulo admitti.

Et etiam fauorem.

36 Aſſertio probatur ſecundò, quia Beneficia, quæ ſunt iuris patronatus, reſignari nequeunt ſine patroni conſenſu in fauorẽ, quando reſignatio collationẽ inſert; aliàs enim licet. Sic Flamminius, Gigas, Couarruuias, & P. Leſſius, quos adducit & ſequitur P. Bauny *ſuprà. Quæſt.* 6. §. *Sextò. Ad reſignationem.* Quidquid dixerit §. *Et quoniam.* P. Azor *Tomo* 2. *Lib.* 5. *Quæſt.* 4. cum limitatione dictâ, ex quo P. Palaus *num.* 5. *citato.* Pro eodem alios allegat P. Sancius *Lib.* 2. *Conſil. Cap.* 2. *Dub.* 29. *numer.* 1. quibus cumet ſentit. Neque mirum ita illos alioſque ſentire, quia expreſſa pro

Pro Indijs quid obſtet, ex iure patronatus, ſicut & generaliter.

Digitized by Google

pro eo Iuris deciſio extat in Cap. *Conſultationibus.* Cap. *Ex inſinuatione.* Cap. *Poſtulaſti*, de Iure Patronatus. Adducit etiam P. Sancius Cap. *In Lateranenſi*, quod tamen ad rem non facit, tantùm enim ibi dicitur: *Inſtitutos verò remouere non audeant Epiſcopis inconſultis*, ſcilicet Patroni: quod eſt valde diuerſum. Vnde reſignatio talis non ſolùm eſt illicita, ſed etiam inualida, iuxta prædictos: licèt Aluinus apud P. Bauny exiſtimet non eſſe nullam, ſed annullandam Prioribus tamen conſentit Dom. Solorzanus cum aliis pro eodem laudatis *Lib.* 3. *Cap.* 3. Poteſt autem pro Aluini ſententiâ auctoritas Alexandri III. non eam leuiter iudicantis, adduci, dum in Cap. *Illud, Titul. cit.* ſic habet: *Si verò ius Patronatus, vacante Eccleſiâ, Religioſo loco contulerit, & aliquis ſine præſentatione Fratrum eiuſdem loci fuerit in ipsâ Eccleſiâ inſtitutus, eius ſecundùm rigorem Iuris eſt inſtitutio irritanda.* Sic ille. Pro quo & Zerola *Parte* 2. verb. *Ius Patronatus ad octauum.* §. *Octauum dubium.* Siue ergo irrita ſiue irritanda ſit, qui ſine præſentatione inſtituit, grauiter peccat, quia ius Patroni violat in re magni momenti; & priuilegio Pontificio, immò & Pontificum omnium, contradicit. Quod equidem in caſu eſt noſtro quàm veriſſimum, quia Reges Catholici priuilegium tale maximi faciunt, & contra illud iri inter iniurias deputant grauiores. Id autem ſequitur, cùm reſignatio in fauorem admittitur, ei, pro quo eſt fauor, Beneficium conferendo: quod vt dixi, ſecus eſſet, ſi ſola eſſet admiſſio à Capitulo facta, de quo ſpecialiter loquimur, & beneplacitum Patroni ad inſtitutionem quæreretur.

Cap. Lateranenſis, de Iure Pat.

Cap. Illud ibid.

De quadā ſecus facta renuntiatione.

37 Hinc eſt non apparere vnde iuſtificari potuerit reſignatio cuiuſdam Parochi, qui ad Præbendam Eccleſiæ cuiuſdam Cathedralis promotus per Regiam præſentationem Beneficium in fauorem alterius reſignauit, qui Parochiam habebat tenuiorē. Concedit quidē Pius V. in Conſtitutione citatâ inter alias cauſſas, propter quas Beneficium reſignari poteſt, vt id fiat, cùm Beneficiatus ad aliud Beneficium contigerit promoueri: pro quo Auctores, quos adducit P. Palaus *ſup.* §. 1 *n.* 6. Qui id dicunt, quod eſt ex ſe manifeſtum, reſignationem inquam talem eſſe admittendam, quia non eſt voluntatis, ſed neceſſitatis, cùm nequeat duo ſimul Beneficia incompatibilia, Iure & ratione reclamantibus, poſſidere. Quando autem neceſſitas talis eſt, non eſt locus reſignationi in fauorem: quâ ratione non poteſt quis morti proximus modo dicto reſignare: quod iam pridem decreuêre Pontifices, vt videri apud Auctores poteſt, quos citat P. Palaus *Diſput.* 6. *citatâ, Puncto* 2. §. 1 *num.* 3. Licèt enim in eo ad vitandas fraudes attenderint; hæc etiam ratio mouere maximè potuit. Neque enim in gratiam eius admitti reſignatio debet, qui id facit, quod eſt eum facere prorſus neceſſarium, & circa id, quod non eſt iam omnino ſuum, vt benè P. Sancius *ſuprà, Cap.* 37. *num.* 12. Suppoſitâ autem acceptatione noui Beneficij idem eſt in reſignante prius illud, quod habebat; vnde neque reſignare poteſt. Præterquàm quòd cùm neceſſitatis titulus reſignationem faciat licitā, illi omnino deficit in reſignatione ad fauorem, quia nulla eſt neceſſitas taliter renuntiandi. Neque eſt ſimile de eo, qui ob crimen, quod commiſit, priuandus eſt Beneficio, quem poſſe in fauorem reſignare, quorumdam ſententia eſt: vt videri poteſt apud P. Palaum *ſuprà, Puncto* 2. §. 2. *num.* 8. *& ſeqq.* in quo reſignatio videtur neceſſaria: nam verè talis non eſt: poteſt ſiquidem non reſignare, ſed priuationis ſententiam, quam meretur, expectare, vbi reſignatio locum non habet. Quibus accedit contra ius Patroni agi; in quo nequit excuſatio aliqua fundamentalis inueniri. Et quidem permutationes nequeunt fieri ſine illius conſenſu, de quo §. *ſequenti*; vbi tamen minor violatio iuris apparet, ſi ille non requiratur: iam enim eos, qui permutant vti dignos probauit; quod ſecus accidit in eo, in cuius fauorem fieri reſignatio poteſt. Et licet contingere queat, vt probatus iam ſit, quia ab eo ad Beneficium præſentatus; id quidem eſt per accidens, quia reſignatio, ſi abſolutè licet, in fauorem etiam non probati fieri poteſt. Quod ſi fortè Patronus, aut eius locum tenens, conſenſum præſtet huiuſmodi reſignationi, erit ille inſufficiens ad eius valorem, quia aliunde eſt in illâ inſanabilis defectus, ex Iuris inquam Canonici & Pontificum diſpoſitione, iuxta dicta: debet enim per concurſum prouideri.

Morti proximum nō poſſe in fauorem reſignare.

Bene tamē ob crimen ille priuādum.

Quod ſi Patronus aſſenſum præſtet.

§. II.

De Permutationibus. An valeant vacante Sede, & quæ in illis conſcientiarum grauamina.

38 NOn eſſe licitas; immò abſolutè non poſſe permutationem à Capitulo admitti, non pauci tenent, quos adducit & ſequitur P. Palaus *Tomo* 2. *Tractat.* 13. *Diſput.* 2. *Puncto* 29. *numer.* 17. *& ſeqq.* & plures alij apud P. Thomam Sancium *Lib.* 2. *Conſil. Cap.* 3. *Dub.* 38. *num.* 7. quorum ſententiam amplectitur: addens tamen *num.* 8. quòd licet Capitulum non poſſit auctoritatem permutationi præſtare; poteſt tamen illam admittere ab Epiſcopo perficiendam. Negat item P. Bauny *in Praxi Beneficiorum, Diſputat.* 10. *Quæſt.* 2. §. *Tertiò, Nomine.* qui §. *vlt.* modum dicendi P. Sancij reprobat quoad permutationis admiſſionem, quam & negat cum Nicolao Garcia P. Palaus *num.* 28. Sed ante P. Sancium illum tradiderat P. Azor *Tomo* 2. *Lib.* 3. *Cap.* 38. *Quæſt.* 8. cum aliis, quos allegat. Et eorum doctrina directè procedit in Beneficiis, de quibus loquimur, quorum collatio ad ſolum Epiſcopum pertinet ſine Capituli interuentu, ſuppoſitâ præſentatione. Et Diana quidem quæſtione iſtâ propoſitâ *Parte* 8. *Tractat.* 4. *Reſolut.* 29. ita circa illam diſcurrit, vt nihil decernat. Sententiâ enim P. Azorij præmiſſâ, ſic ſubdit: *Sed hæc ſententia non caret difficultate, vt optimè obſeruat Merolla.* Cuius Auctoris rationibus, verbis eiuſdem propoſitis, ſic concludit: *Vnde ex his omnibus exiſtimat Merolla non poſſe Capitulum, Sede vacante, dictas reſignationes recipere.* Videtur autem in eo, quòd obiecta à Merolla laudet cum Auctore, illius iudicium approbare: quod & §. *vltimus* etiam oſtendit, dum ſic ille ibi ſcribit: *Nota etiam hîc obiter, non poſſe etiam Capitulum præſentare ad Beneficium iuris Patronatus Epiſcopo competentis. Ita Merolla loco citato, Dub.* 12. *per totum.* Sic ille. Qui dum ait: *Nota etiam non poſſe*, vbi iuxta propriam mentem non obſcurè loquitur,

Permutationes à Capitulo perfici non poſſe, qui cẽſeant.

Circa Dianæ ſententiam coniectura.

ſatis

Digitized by Google

ſatis ſignificare videtur ſe etiam negaſſe id, de quo ſermo immediatè præceſſerat. In hac etiam ſententiâ fuit Illuſtris Dom. D. Ioannes de Caruaſal, y Sande Argentinenſis Prætorij in Peruuio Præſes, & Tractùs illius, in quo Potoſinus mons, latiſſimi Viſitator, & poſteà in Hiſpaniâ, propter inſignem ſapientiam, & rerum magnarum tractandarum induſtriam, ad primariorum munerum culmina ſublimatus, & erudito ſanè, ac diligenter elaborato Scripto eam adeò certam eſt conatus oſtendere, vt nullum Auctorem pro oppoſitâ extare minimè dubius affirmarit: & ita nec probabilem eſſe reputandam. Nihilominus

Aſſertio 1. Contrarii eſſe probabile, quoad reſignationis admiſſionem.

39 Dico primò, Capitulum, Sede vacante, poſſe reſignationem cauſſâ permutationis admittere, probabile eſt. Probatur, quia & hoc graues Auctores tenent, vt videri poteſt apud P. Azorium *ſuprà*, qui plures adducit, quibuſcum & ipſe ſentit, ſicut & P. Sancius locis citatis, P. Filliucius *Tract.* 41. *Cap.* 2. *numer.* 45. quidquid poſteà dicat *Cap.* 9. *num.* 7. Et prætereà eſt pro eo ratio non leuis momenti: nam Capitulum ſuccedit Epiſcopo in iuriſdictione ordinaria quoad omnia, iis exceptis, quæ in Iure, Conciliis, ac Pontificiis Conſtitutionibus habentur expreſſa: pro quo Auctores congerit Diana *Parte* 8. *citat. Reſolut.* 1. Atqui admiſſio permutationum non eſt inter excepta: ergo poteſt à Capitulo exerceri. Si dicas in Cap. *Quæſitum, de rerum permutat.* ſoli Epiſcopo auctoritatem huiuſmodi reſeruari, ibi: *Si autem Epiſcopus cauſſam inſpexerit neceſſariam, licitè poterit de vno loco ad alium transferre perſonas: vt quæ vni loco minùs ſunt vtiles, alibi ſe valeant vtiliùs exercere.* Id certè non ita vrget, vt explicatio ſatis veroſimilis non poſſit eidem adhiberi: vt ſcilicet de Epiſcopo, & quolibet alio Epiſcopalem auctoritatem habente; debeat intelligi, vt ſæpè alibi. Pro quo faciunt quæ habet P. Suarez *Tomo* 1. *de Religione Tract.* 3. *Lib.* 4. *Cap.* 32. *numer.* 11. quòd ſcilicet denominatio ſumi ſolet ab eo, quod eſt regulare & ordinarium: per quod non excluduntur, immò comprehenduntur ea, quæ ſunt eiuſdem rationis, vt latiſſimè confirmat Tiraquelus *Lib.* 1. *de Retractu*, §. 2. *à num.* 4. *vſque ad* 10. Tum etiam quia Epiſcopus vno modo, & quaſi formaliter dicitur ratione iuriſdictionis Epiſcopalis; id eſt quoad officium & curam, licet non ſit talis quoad dignitatem & conſecrationem. Vnde quando actus, de quo eſt ſermo, pertinet purè ad officium & iuriſdictionem Ordinariam, etiamſi nominetur Epiſcopus, intelligitur ratione iuriſdictionis: nam character & dignitas nihil ad talem actum operatur, Hæc ille. Quæ quidem quàm ſint veroſimilia, nullus erit qui ſanâ poſſit mente dubitare.

Cap. Quæſitum, de rerum permut.

Notanda doctrina circa Epiſcopi nominationem, Eximij Doctoris.

Aſſertio 2. Eſſe etiam probabile quoad plenam auctoritatis præſtationem.

40 Dico ſecundò. Probabile etiam eſt Capitulum poſſe permutationem perficere eo modo, quo Epiſcopus. Sic tenent aliqui, quos adducit P. Suarez *numer.* 11. *citato.* Verum eſt tamen illos non loqui quando Collatio Beneficiorum ad ſolum Epiſcopum pertinet, aliqui enim id negant, vt Gloſſa in *Clement. Vnica, de rerum permut.* verb. *Conferantur*; id tantùm admittens quando Collatio ad Capitulum ſimul cum Epiſcopo pertinebat, & ſic alij. Vnde videri alicui poterit, quod caſui noſtro nequit adaptari vbi de Beneficiis Indicis præſertim agimus, quorum collatio ad ſolum Epiſcopum ſine Capitulo pertinet, de quo inferiùs. Sed ſi limitationem aliqui addunt, alij ſine illa loquuntur, Zerola *Parte* 1. *verb. Renuntiatio, Ad Quartum principale*, vbi fieri poſſe permutationem abſolutè affirmat coràm Ordinario, & eius Vicario ad id habente poteſtatem. Et licet Gloſſam præfatam alleget, eius tamen limitationem non apponit; ſed ait quod de reſignatione dictum, ſimiliter eſſe de permutatione dicendum, P. Suarez citato *Capite num.* 14. vbi ſic ait: *Quod ita poteſt declarari, diſtinguendo duo, quæ in hoc negotio interueniunt. Vnum eſt approbare permutationem, & conuentionem partium: ſeu conſenſibus partium auctoritatem dare, & quaſi complere conditionem vt pactio conditionata tranſeat in abſolutam: aliud eſt exequi permutationem acceptando reſignationem, & nouam Collationem faciendo. Primum ergo pertinet ad Epiſcopum. D. Cap. Quærenti: & non ad inferiorem Collatorem, niſi iuriſdictionem Epiſcopalem etiam habeat. Secundum autem pertinet ad inferiores, quando Beneficiorum Collatio ad ipſos, & non ad Epiſcopum pertinet, & ita fieri non poterit ab Epiſcopo, niſi de conſenſu illius.* Hæc ille: qui cùm Epiſcopum, & habentem Epiſcopalem iuriſdictionem pares faciat in ordine ad permutationem, & ſolùm illis ſit neganda collatio, quando ad inferiores pertinet, ſatis apertè ſuam videtur mentem exprompſiſſe. Quòd autem Capitulum intelligat, cum de habente Epiſcopalem iuriſdictionem idem, quod de Epiſcopo, pronuntiat, ex *num.* 11. perſpicuum habetur, ibi: *Qui habet iuriſdictionem Epiſcopalem, etiamſi dignitatem Epiſcopalem non habeat, vt eſt Capitulum Sede vacante.* Pro quo & faciunt adducta *num. præced.* Aduertendum autem citari à P. Suario Cap. *Quærenti*, cùm eſſe debeat Cap. *Quæſitum*: quod per errorem typographi factũ ibi, & alibi, niſi fortè Scriptoris. Ne autem cuipiam moleſtæ inquiſitionis cũ iactura temporis paretur occaſio ob erraticas citationes, ſciat *citato Cap.* 1. *num.* 1. Sic haberi: *Id enim clarè ſupponitur* (ſcilicet licitas eſſe permutationes) *in Cap. Inter cetera de Præbendis. Et in Vnico, de rerum permutat. in* 9. *Et ſumi poteſt ex* Cap. *Quærenti. Et* Cap. *Cùm olim.* Et Cap. *Ad quæſtiones. Extra. eod.* Ita ibi. Vbi quod *in* 9. dicitur, legendum *in* 6. Quod additur *Extra*, non eſt Extrauagantis alicuius citatio, ſed error manifeſtus: cùm Capita illa habeantur in *Titulo de rerum permutatione Libr.* 3. *Decretalium.* Et addi potuit *Ex eodem* Cap. *Cùm vniuerſorum*, quod maximè ad rem facit. P. Suarium ſequitur P. Oñate *Diſput.* 84. *num.* 88. & P. Vincentius Tancredi *de Religione Tract.* 2. *Lib.* 4. *Diſput.* 24. *num.* 12. expreſsè loquens de Capitulo, & ſine limitatione vllâ, qui alios pro eodem accumulat, eâ fundamentali redditâ ratione, quòd fundamentum talis actionis eſt iuriſdictio Epiſcopalis, & non Ordo.

Zerola.

P. Suarez.

Quædam errantes citationes apud P. Suarium notantur.

Ex recepta doctrina de poteſtate ad conferenda Beneficia validum argumentũ.

41 Eſt inſuper pro eodem id, quod reſolutionem circa caſum, de quo loquimur, reddit certiorem, quandoquidem de Beneficiis Indiarum agimus, quæ ſunt iuris patronatus: communem inquam eſſe doctrinam, ad eum ſpectare permutationum auctoritatem, qui conferendi Beneficia poteſtatem habet. Pro quo ſic P. Sa verb. *Beneficium num.* 59. *Qui poteſt conferre Beneficia, poteſt concedere vt permutentur.* Et de inferioribus

P. Sa.

reſpectu Epiſcopi, etiamſi non habeant eamdem Epiſcopalem iuriſdictionem, affirmant Angelus, Syluester, Sotus, apud P. Suarium *ſuprà num.* 13. quorum ſententiam P. Tancredi *ſuprà numer.* 14. ait eſſe valdè probabilem: ſicut & P. Palaus *Tomo* 3. *Diſput. vlt. Puncto* 15. *num.* 6. Ante quos P. Suarez *numer.* 14. dixerat vi rationis ſpectatâ ſibi videri valde veroſimilem. Et Barboſa *Allegat.* 69. *numer.* 9. quamplures adducens amplexatur. Et P. Sancius *ſuprà num.* 4. Id ergo quod talibus conceditur, potiori eſt iure Capitulo concedendum, vtpotè quod inferiorem poteſtatem non habet, ſicut alij, ſed eamdem, quam Epiſcopus, quia Ordinaria huius in illud tranſit, iuxta dicta. Pro quo & Auctores plurimi videri poſſunt apud P. Filliucium *Tractatu* 41. *num.* 40. Pôteſt autem illud Beneficia conferre, quia iuris patronatus ſunt, vt eſt Iuris manifeſta deciſio, de qua dictum, & pro qua poſt Barboſam alios referentem *ſuprà num.* 8. ita ſcribit P. Palaus *Tract.* 13. *Diſput.* 6. *Puncto* 2. §. 3. *num.* 5.

P. Palaus, contraria vt doceat.

Capitulum, Sede Vacante, poteſt recipere reſignationes Beneficiorum ex cauſſa permutationis, ſi eorum Collatio ad ipſum pertineat. Tradunt cum Gloſſa in Clement. de rerum permutat. Doctores communiter. At ſi ſolius Epiſcopi collatio, electio, ſeu præſentatio Beneficiorum ſit, nequaquam Capitulum poterit reſignationes ex cauſſa permutationis admittere. Quia non poteſt admittere, niſi admittendo conditionem, vt compermutantibus conferantur, quod ſibi datum non eſt. Sic pluribus relatis Nic. Garcia. Parte 11. *Cap.* 4. *num.* 75. Sic ille, qui ſtatim ex eodem Nicolao Garcia *num.* 81. Sic addit: *Verùm ſi Epiſcopus horum Beneficiorum reſignationes admiſiſſet, & antequàm eas compermutantibus conferret è vita decederet, poſſe Capitulum, Sede vacante, ea compermutantibus dare, quia admiſſa reſignatione Beneficiorum, collatio neceſſaria eſt. Cap. de rerum permut. in* 6. *& Clement. eodem titulo. Et Capitulum Epiſcopo ſuccedit in his, quæ ſunt neceſſitatis & obligationis. Garcia ſuprà n.* 81. Hæc ille. Vbi mirari licet quomodo ſui immemor ita protulerit: nam *Diſput.* 2. *Reſ.* 29. *num.* 20. oppoſitum contra citatum à ſe Auctorem probauerat, concludens poſt alia talem caſum vix poſſe contingere, cùm admittens permutationem, eo ipſo Collationem Beneficij præſtet, & eodem contextu admittatur vtriuſque renuntiatio, & pariter fiat vtriuſque Collatio, vt aliis citatis docuit ipſe Garcia 5. *Parte Cap.* 8. *n.* 104.

Ex neceſsitate Collationis pro permutatione arguitur.

42 Sed ſtando vltimæ eius voluntati, ex doctrinâ illâ poteſt etiam Aſſertio noſtra probari; ex eo ſcilicet quòd permutatio neceſſitatem inducat, ita vt reſignanti Beneficium collatio alterius pariter reſignati debeatur, vt ſtatuitur in Clementina, in qua ſic dicitur: *Nec conceſſione Iuris vtentibus, præſertim circa ſpiritualia, illudatur: ſi qua Beneficia ex cauſſa permutationis ab aliquibus reſignata, aliis quàm ipſis permutare volentibus conferantur, nullius hoc eſſe volumus firmitatis.* Sic Pontifex. Et inde eſt reſpectu permutationis non currere determinationem temporis pro Beneficiis reſeruatis, aut non reſeruatis, vt cum aliis obſeruat P. Palaus *Diſputat.* 3. *Puncto* 5. *numer.* 6. eam reddentibus rationem, quod hæc Collatio obligatoria ſit, non voluntaria, & ſemeſtre conceſſum eſt Collatoribus liberè conferentibus. Si dicas ex eadem *Diſput.* 2. *Puncto* 29. *num.* 19.

Clement. de rerum permutat.

neceſſitatem dictam eſſe ex ſuppoſitione liberâ, ex eo ſcilicet quòd reſignatio liberè ſit acceptata, quâ ſuppoſitione ſublatâ, nulla eſt obligatio collationis, ex qua colligit non poſſe Capitulum reſignationem cauſſâ permutationis admittere. Si inquam hoc dicas nihil inde ratio adducta ad fundandam probabilitatem ex vi fundamenti hujus infringitur. Nam ſi quidquam valeret, fieret ex ea tempus à Pontificibus pro Collatione præſcriptum etiam in permutationibus currere neceſſariò debere, quia illæ tantùm ex ſuppoſitione liberâ neceſſariæ ſunt, quandoquidem permutatio poteſt non admitti, & ita illa, ceſſante obligatione, ceſſabit. Cùm ergo non ceſſet, neceſſitas aliter eſt explicanda, ex eo ſcilicet quòd cum permutare volentibus debeat condeſcendi, ſicut & Patronis; quia permutatio non niſi ex cauſſa neceſſaria fieri poteſt, vt Canones ſacri diſponunt, de quo ſtatim. Stet ergo licitum eſſe Capitulo permutationes admittere, quod certius & exploratius in Indiis, vbi & praxis id communiſſima roborauit. Fundamenta autem ex dictis conſtant, vnde non eſt cur plura addere debeamus.

Enaſi nem ex eo quòd collatio ſit tantum neceſſaria ex ſuppoſitione reſecta.

Aſſertio 3. Cauſſam non leuem ad permutationem requiri.

42 Dico tertiò. Ad permutationem cauſſa aliqua non leuis momenti debet intercedere. Sic Doctores omnes, ex quibus videri poſſunt Zerola *Parte* 1. verb. *Renuntiatio. Ad Tertium.* §. *Quintum dubium.* Barboſa *ſuprà num.* 27. Et P. Sancius *ſuprà Cap.* 38. *num.* 14. Eſtque illud iuxta Iuris communis diſpoſitionem. Nam in Cap. *Quæſitum*, de rerum permutat. Sic habetur: *Si autem Epiſcopus cauſſam inſpexerit neceſſariam, licitè poterit de ſuo loco ad alium transferre perſonas, vt quæ vni loco minùs ſunt vtiles, alibi ſe valeant vtiliùs exercere.* Sic Vrbanus Tertius; iuxta cuius mentem neceſſitas ad vtilitatem etiam reuocatur: magna enim vtilitas pro neceſſitate debet reputari. Neque vtilitas permutantium attendenda eſt, ſed Eccleſiæ, vt ſatis ibidem expreſſum. Vnde Cap. *Valet.* 81. *diſt.* quod circa prædictam Vrbani deciſionem adducit Gloſſa, non videtur ad rem: quia in eo tantùm dicitur, vt recenter conuerſis loca mutentur, in quibus peccandi occaſiones habuerunt. Niſi fortè contingat Parochum aliquem, in loco, vbi diu fuit, ex occaſionum illecebrâ labi grauiter conſueuiſſe, & opportunum videatur de vitæ mutatione ſolicitum ad locum aliquem minoris ex occaſionum raritate periculi illum tranſmutare. Pro quo tales poſſunt circumſtantiæ concurrere, vt id non debeat penitus reſpui, & ita Prælatorum iudicio relinquendum. Adducit prætereà Gloſſa Cap. *Mutationes*, Cap. *Scias*, Cap. *Omnis qui* 7. *quæſt.* 1. in quibus tamen de ſolâ Epiſcoporum agitur mutatione. Quia verò in illis ratio neceſſitatis inter alias pro ipsâ commendatur; non immeritò poſſunt inferiorum Beneficiatorum permutationibus applicari.

Ca. Quæſitum, de rerum permutat.

Eccleſiæ vtilitatem, & non permutare volentium, attendendum.

Vtilitas quomodo admittatur.

44 Vbi ſi quæras prædictorum Canonum occaſione, qui Pontificij ſunt, ſcilicet D. Anteri, & Pelagij, an inter Epiſcopos eſſe permutatio poſſit: id quidem iuxta Canonici iuris diſpoſitionem eſt inauditum: de potentia autem abſoluta Pontificis id eſſe factibile, nequit dubitari. Quod & nuper factum audio inter Epiſcopum Nicaraguenſem & Caracenſem. Hinc eſt vt non ante multos

Inter Epiſcopos an eſſe permutatio poſſit.

Digitized by Google

Cuiuſdam attentatũ.

multos annos, id, quod in præfatis, nihil tale volentibus, eſt peractum, quidam Epiſcopus attentarit; Oaxacenſis nempe in Noua-Hiſpania: qui cùm Epiſcopum Iucatanenſem ad Cuſcenſem Eccleſiam electum, & in eam tendentem hoſpitio recepiſſet, virum ſanè grandæuum; perſuadere ipſi conatus eſt (quod ab eodem excepi,) vt ibidem remaneret, ſeque viribus firmiorem in eius Eccleſiam profecturum, ſuæque diligentiæ atque induſtriæ relinquendum; quidquid ad negotiationem huiuſmodi neceſſarium videretur. Daturum ſe inſuper promiſit triginta mille argenteos octiregales, quos in emolumentis antecurrentibus poterat in Eccleſia Cuſcenſi numerare. Sed prudente viro rem vrbanè repellente, non eſt in eâ proceſſum. Et ille quidem permutationis auidus, vitam priuſquam alter cum morte permutauit. Et permutatio quidem talis ex ſolius Patroni nequit fieri voluntate; non obſtante eo, quod Dom. Solorzanus affirmat *Lib.3.Cap.3. num.* 20. vidiſſe inquam ſe aliquando inconſultis Prælatis permutationes admitti, in Curia præſertim his exiſtentibus, qui de permutatione conuenerant, nouiſque ad Præbendas permutatas præſentationis litteris expeditis. Quidquid enim de hoc ſit, ad quod ſe poteſt in Indiis priuilegium Regij Patronatus extendere, & tradita pro Indiis à Sede Apoſtolica cura peculiaris: cùm aliàs perſpicui iuris ſit non valere renuntiationem cauſſâ permutationis factam corâm Patrono laico, vel Eccleſiaſtico, vt tradunt Doctores, quos adducit Dom. Solorzanus *ſuprà*. P. Sancius etiam *ſuprà Cap. 2. Dub. 29. num. 1. & 2.* Et plures alij apud P. Suarium *Lib.4. citato Cap.32.n.10. & ſeqq.* quatenus neceſſarium iudicant auctoritatem Epiſcopi, aut Epiſcopalem iuriſdictionem habentis interponi. Et *n.* 12. id tantùm P. Suarez Patrono concedit, vt eius ſit conſenſus requirendus. Videantur Cap. *Præterea*. Et Cap. *Illud*, de Iure patronatus, ibi: *Tum quia laicus ſine auctoritate Epiſcopi nemini poteſt Eccleſias dare, licet Religioſo loco ius patronatus conferendi liberam habeat facultatem.* Cap. 1. *de Capellis*, vbi ſic Vrbanus Tertius: *Capellanus, qui populum regat, ab Epiſcopo per conſilium Monachorum inſtituatur: ita vt ex ſolius Epiſcopi arbitrio, tam Ordinatio eius quàm depoſitio, & totius vitæ pendeat conuerſatio.* Et plura alia apud P. Bauny in Praxi Beneficiorum. *Diſputat.* 9. *Quæſt.* 5. P. Palaum *Tomo* 3. *Diſput vlt. Puncto* 17. *num.* 10. Et quidem P. Bauny de praxi Galliæ circa hoc loquens. §. *Decimoquartò, & Decimoquintò*: quòd in Regno illo Rex Chriſtianiſſimus reſignationes conditionales admittat ex aperta Regalia, non niſi priuilegio eſſe adſcribendum affirmat, quia Iuri communi oppoſitum, & contra communem Doctorum ſenſum.

Quid circa alia in Curia practicatum.

Coràm Patrono renuntiatio fieri nequit.

Cap. Illud, de Iure patron.

Cap. 1. de Capellis.

Quid circa Galliæ viſum.

Circa Epiſcopatus nihil tale confingi poſſe.

45 Quidquid inquam de hoc ſit, pro Epiſcopalibus nihil poteſt tale confingi, qui tantùm auctoritate poſſunt Beneficia reſignari, eo quòd ſolus queat Pontifex vinculum connubiale diſſoluere inter Epiſcopum & Eccleſiam Apoſtolicâ etiam auctoritate firmatum, de quo dictum aliàs, & pro quo eſt manifeſta deciſio in Cap. *Quantò* de tranſlat. Epiſcopi. Eſt autem ad permutationem faciendam in illis medium reſignationis in Regiis manibus minimè neceſſarium, quandoquidem ſine illo poteſt permutatio perfici: ſi videlicet Rex conuenientiam pro eo Pontifici repræſentet, quam non eſt credendum ab ipſo reſpuendam, qui nihil magis debet pro Eccleſiæ bono, nouioris præſertim qualis eſt Indica, nihilque ardentiùs accurare. Neque licet Regi, conuenientiâ inſpectâ, ſic permutare volentes ad Eccleſias præſentare, per quod videtur inconueniens vitari admiſſæ ab ipſo renuntiationis. Quia Beneficium, quod nondum vacauit, nequit prouideri, & ita neque præſentari pro illo. Sic Cap. *Qui in viuorum* 1. de Conceſſione Præbendæ, vbi ſic dicitur: *Qui in viuorum Sacerdotum locis ponuntur, hoc ipſo ſunt ab Eccleſiaſtica communione repellendi. &c.* Ad hoc autem vt permutatio fieri poſſit, debet reſignatio Beneficiorum mutua præcedere, vt ſtatuitur in Cap. *Vnico, de rerum permutat.* in 6. vbi ſic Bonifacius Octauus: *Illis autem qui ſecundùm formam iuris, ſua Beneficia in eadem diœceſi ad tuam Collationem ſpectantia, permutare volentes, liberè, ac ſine fraude in manibus tuis ipſa reſignant.* Sic ille. Pro quo Barboſa *Allegat.* 69. *n.* 11. Vt ergo præſentatio pro Epiſcopatibus permutandis locum habere poſſit, debet reſignatio eorum præcedere: cumque illam ſolus poſſit admittere Pontifex, nequit prouiſio à præſentatione Regis inchoari.

Neque Regi licere præſentationem.

Cap. Qui in viuorum, de conceſſ. Præbendæ.

Cap Vnicum, de rerum permut.

Factum Prælati cuiuſdam non legitimum.

46 Ex quibus fit Dominum illum Epiſcopum non ritè in illo negotio ſe geſſiſſe, ſi præſentationem ante admiſſam à Pontifice reſignationem ad id putabat momentum aliquod habituram. Si autem viam ſibi aliam expeditiorem ob cognatorum illuſtrium fauorem promittebat, res erat ſecundùm nudam conſiderationem, remotis circumſtantiis, talis, vt ſine graui peccato poſſet attentari. Sed illud neſcio quomodo potuit in mentem homini docto venire, Epiſcopum ſcilicet expectaturum ibidem negotij illius ardui expeditionem, & Eccleſiam Cuſcenſem interdum ſuo Paſtore priuandam. Si dicatur Bullas nondum acceptas, neque gubernationem à Capitulo aſſumptam, neque obligatum eſſe Epiſcopum ad illam aſſumendam, dum Confirmationis authenticum teſtimonium non extat. Contra hoc eſt, quòd ſi ea ratio quidquam valeret, Iucatanenſis Eccleſia iniuſtè detrimentum abſentiæ pateretur: deſerta ſiquidem fuerat ante Confirmationis authenticum teſtimonium, vt Cuſcenſi conſuleretur, ex præſumptâ Pontificis voluntate, vt *ſuperiùs* vidimus, & manifeſtâ Regis. Quòd ſi hæc non vigent, à ſuo non poterit ſponſo, coniugio durante, derelinqui. Cùm ergo derelictio iſta ex inſpectione commodi reſpectu Cuſcenſis ſolùm iuſtificari potuerit, dum ex voluntario alio reſpectu mora nectitur diuturna, iniuſtitia in eo indubitabilis reperitur. Eſt autem à veritate alienum non teneri Epiſcopum, qui Eccleſiam priorem deſeruit, gubernationem alterius aſſumere, quia alio modo nequit eidem eſſe vtilis; cùm tamen eiuſdem vtilitas vnicum fuerit deſertionis prioris Eccleſiæ motiuum. Quod nimiſquantùm videtur exploratum.

Pecuniam ab illo offerri non potuiſſe.

47. Quòd autem ſummam illam ingentem pecuniæ offerebat, non erat cur doleret, permutatione, quam deſiderabat, obtentâ, ob illam amittendam: nam Epiſcopus, qui oblatam reſpuit, nonaginta mille Octiregales obuenientes ſibi ex vacatione

Digitized by Google

vacatione ante ipſum in ſuam diœceſim ingreſſum numerauit. Vnde & gratitudinem ſuam erga Regem noſtrum teſtari contributione luculentâ potuit, de quo & dixi *Titul.2.num.31.* An autem tutâ conſcientiâ id fieri potuerit videtur affirmandum; quia id ſimoniæ labem non habuit, quandoquidem non vt pretium, ſed vt compenſatio quædam ingenua emolumentorum pio eſt auctori ipſorum oblatum.

Præbenda pro Præbendâ vt queat commutari.

Et quòd Præbenda pro Præbendâ quoad id quod dicit ſecluſo titulo, redditus inquam congruæ ſuſtentationi, aut aliàs reſpondentes, commutari poſſint propriâ auctoritate, benè explicat P.Suarez *citato Cap.32. in fine*, ſententiam Cardinalis, & Imolæ ſic exponens & amplians, qui dixerunt Præbendas eiuſdem rationis in eadem Eccleſiâ poſſe propriâ auctoritate commutari. Iuxta prædictam ſiquidem explicationem, non ſolùm in eadem Eccleſiâ, ſed in diuerſis fieri commutatio poteſt, non quoad radices, ſed quoad redditus, & alia emolumenta.

Difficultas circa oblationem pecuniæ dictam.

Nihilominùs oblatio talis non caret difficultate, ſi propria auctoritate fieret conceſſâ à Pontifice permutatione, non factâ pecuniæ mentione: quia id non erat redditus pro redditibus commutare, ſed recollectam iam pecuniam tradere animo alliciendi Epiſcopum ad permutationem, quę ſub eo erat pacto celebranda. Et communis quidem ſententia eſt ſimoniam committi in permutatione,

Pactio de expenſis ſimoniaca.

ſi in pactum deducatur vt alter ſoluat expenſas in Beneficij acquiſitione factas, aut in illius conſecutione faciendas, vt videri poteſt apud P. Palaum *Tomo 3. Diſput. vlt. Puncto 17. numer. 10.* qui id ex Patribus Suario & Leſſio deducit, atque ex Flaminio, quem illi citant. Et licet illi de expenſis tantùm loquantur, quæ in obtinendo litigioſo Beneficio factæ ſunt, eorum ratio etiam ad faciendas extenditur; quia, ſcilicet omnis pactio rei pretio æſtimabilis pro Beneficio eſt ſimoniaca. Quia verò aliqui apud P.Leſſium de expenſis factis aliter ſentiant, non eſt illud penitus improbandum. Videndus ille etiam *in Reſolutionibus poſthumis.* verb. *Reſtitutio Caſu 3.& 4.* Pro faciendis autem maior ratio eſt: pro quo videri poteſt P. Suarius *Cap. 34. in fine.* P. Thomas Sancius *Lib. 2. Conſil. Cap. 2. Dub.25. numer. 11.* vbi docet pactum in permutatione vt alter ſoluat expenſas pro Bullis faciendas, eſſe ſimoniacum, quod ex Nauarri doctrina deducit, Felinique, atque aliorum aſſerit eſſe Iuniorum P. Palaus *Puncto 16. num.5.* Diana *Parte 11. Tractat. 6. Reſolut. 7.* ex Ioanne Pontio *in Curſu Theologico, Diſp. 56. n. 33.* Pro quo hæc ſatis.

Aſſertio 4. neceſſitas & in permutatione iudicio prudentis relinquenda. Et quomodo non Epiſcopo, & tractatus qualiter faciendus.

48 Dico quartò. Neceſſitas & vtilitas permutationis prudentis eſt arbitrio remittenda. Id probo. Quia neceſſitas & vtilitas latiſſimè patent, vnde nequit certus aliquis gradus earum deſignari. Non dico remittendum iudicio Epiſcopi, vt ait P.Bauny *Quæſt. 4.* qui ante illud poſſunt permutare volentes de ipsâ permutatione tractare, & inter ſe veluti contractum facere, cum mutua obligatione; ſub conditione tamen approbationis Prælati; vt docent P. Suarius *citato Cap.33. num. 7.* P. Sancius *Dub. 39.* P. Palaus *Puncto 15. num. 2.* P. Bauny *Quæſt. 3. §. Tractare, & ſeqq.* qui alios adducunt, & præſertim P. Sancius, qui *num.5.* cùm aliquibus, quos citat, affirmat à tali pacto non poſſe penitus reſilire, quia ex parte ipſorum omnino perfectum eſt. Ideò ergo dixi negotium hoc non poſſe iudicio Prælati remitti, quia permutare volentium debet deliberatio præcedere, qui grauiter peccabunt, ſi ex leui tantùm cauſſa paciſcantur: cùm poſſit contingere vt Prælatus minùs circa illam attentus, permutationi conſentiat, per quod eorum conſcientiæ non debent ſecuræ remanere. Quæ autem cauſſæ ſufficientes eſſe poſſint tractant inter alios Dom. Barboſa *Allegat.69. citatâ, num.31. & ſeqq.* P. Sancius *Dub.38. numer.14.* P. Palaus *Tomo 2. Tractat. 13. Diſput.4. Puncto 3. § 1.* P. Filliucius *Tractat.41. Cap.10. num.24.* P. Bauny *Quæſt. 4. citatâ*, Sylveſter verb. *Renuntiatione, 2. Quæſt. 12.* P. Azor *Tomo 2. Lib.7. Cap.30. Quæſt.4.*

Fauorabilis pro cauſſâ doctrina

Ex quorum doctrina id poteſt deduci, quod magis eſt fauorabile; ne multos parùm ad ſpirituales reſpectus attentos in permutationibus condemnemus.

Sylueſter.

Sylueſter ſic ait: *Et generaliter credo ita eſſe de omni cauſſa, quæ non reſoluitur in pecuniam, vel aliquid menſurabile pecuniâ.* Quod quidem videtur probare P. Sancius, dum citat, nec reiicit. Iuxta hæc ergo permutatio, quæ ſimoniaca non eſt, licèt reſpectum temporalem ſpectet, licita erit.

Aliquæ in Indijs permutationes vnde iuſtificari queant.

49 Ex quo iuſtificari poterunt frequentes permutationes in Beneficiis Indiarum, quia in illis qui ſpiritualem vtilitatem attendat, rarus erit.

P.Filliuc.

Circa hoc tamen ita ſcribit P.Filliucius *ſuprà, num. 25. Si ſola intercedat commoditas temporalis abſque vllo reſpectu ad diuinum cultum, Primò, peccatum eſſet ſuo genere graue; non tamen ſimonia, niſi latè ſumpta. Secundò, probabile eſt fore nullam coràm Ordinarijs; quia diſpenſatio in Iure communi abſque iuſta cauſſa, nulla exiſtimatur, præſertim accedente Bulla Pij V. 58. verſ. Ad hæc, vbi ſolùm conceditur Ordinarijs admittere permutationes, quæ Canonicis ſanctionibus permittuntur, cum Decreto irritanti, ſi ſecus.* Sic ille ex Nicalao Garcia *Parte 11. Cap.4. numer.49.* Iuxta quæ væ Indiarum Parochis, væ & Prælatis.

Perſonalis commoditas, an poſſit attendi.

Sed poteſt ex iis, quæ Auctor ex Nicolao etiam Garcia præmiſerat, talis doctrina molliri: ſic enim ibi: *Sufficit etiam vtilitas perſonarum, & quòd ſic ijs expediat: hæc enim redundat in augmentum diuini cultus, & vt meliùs Deo ſeruiatur.* Hæc ille.

Cap. Vniuerſorum, de rerum permutat.

Quæ quidem firmari ex Gloſſâ poſſunt, in Cap. *Cùm vniuerſorum, de rerum permutat.* in quo cùm de duobus, qui permutare Præbendas voluerunt, ſic habeatur: *De permutatione Præbendarum ſuarum inter ſe tractare cœpiſſent, quam vtilitati vtriuſque imminere credebant, &c.* ſic explicat verb. *Vtriuſque: Quia altera alteri magis vicina erat, aut alia conueniens cauſſa.*

Gloſſa.

Sic Gloſſa. Commoditas ergo illa maioris vicinitatis ſufficiens iudicatur, etſi temporalis, quia in eo reſpectus poteſt ſpiritualis admiſceri; ſic enim Deo meliùs ſeruiri poteſt.

Reſpectus exercendorum contractuū abijciendus.

Quid ergo de eo, qui propterea permutat, quia Beneficium alterius maiorem habet commoditatem ad contractus exercendos? Periculoſæ profectò plenum opus aleæ, cùm ex eo nequeat ſperari quòd Deo ſit meliùs, ſed deteriùs, ſeruiendum, dum auaritiæ quæ iuxta Apoſtolum, eſt Idolorum ſeruitus, ex toto corde, ex tota mente, ex totis viribus, ex tota virtute ſeruitur. Quod ergo ex Sylueſtro poſitum, vt probabile ſit, ita eſt accipiendum, vt tunc permutatio liceat, quando ſimoniaca non eſt; quia cum reſpectu alio temporali poteſt commoditas aliqua ſpiritualis intendi, quæ tunc ſtabit facilè,

ciſè, cùm Eccleſiæ detrimentum ex fine intento circa temporalia non ſequetur, in cuius commodum poteſt Beneficiarij temporalis commoditas redundare; quatenùs commodiùs poteſt, animo alacriori iam reddito, miniſteria ſibi credita exercere.

Ob fauorē perſonæ an Epiſcopus permutare poſſit.

50 P. Azor loco citato ſic ſcribit: *Sed numquid ſolùm ob perſonæ fauorem, nulla habitâ ratione vtilitatis Eccleſiæ, licitè Epiſcopus Beneficia permutet? Ægidius* (ſcilicet Bellamera) *p. 6. q. 2. ex ſententiâ Hoſtienſis, & Ioannis Andreæ contendit Epiſcopum id facere iure non poſſe; ſi tamen fecerit, ratum eſſe & firmum, quod fecit. Sed primum eſt dicendum.* Sic ille: qui dum breuis eſſe laborat, obſcurus factus. Primum ait dicendum. Sed quod eſt illud primum? Nam & eſt primum in *Quæſito illo*, quòd ſcilicet ex ſolâ neceſſitate, vel vtilitate Eccleſiæ permutatio fieri poſſit, & quoties priuata Beneficiati commoditas in bonum Eccleſiæ redundat: & eſt item primum in ſpeciali illâ difficultate, quòd videlicet Epiſcopus iure facere nequeat, vt ob fauorem perſonæ permutatio fiat. Et quia primum ad clauſulam potiùs poſteriorem videtur referendum; ſi ita eſt, vltimum illud, quòd ſcilicet rata & firma permutatio ſit, indeciſum relinquitur. Niſi dicas ex affirmatione vnius, & non alterius, huius colligi negationem. Sed certè id non ſemper accidit, & ſuas patitur limitationes; quod quidem vitari potuit, propriam ampliùs ſententiam explicando. Ex eo autem quòd illam, quæ Epiſcopis id tribuit, quod vidimus, non penitus probet, eiuſdem probabilitas non tollitur: & cùm ſtare poſſit, vt ob fauorem perſonæ facta permutatio ſit firma & rata, facilè eſt Epiſcopis ita rem diſponere vt & licita ſit, quocumque bono reſpectu, qui ſpirituale bonum attingat; & ille ſatis obuius eſt, quod permutans in loco ſibi gratiore conſiſtens lætior, & ſic promptior munus ſibi creditum adimplebit.

P. Azor obſcura doctrina circa illud.

Pro praxi notandum.

Vtilis pro eodem doctrina ex bonis Auctoribus.

51 Ex Nicolao Garcia *ſuprà, numer.* 49. ſic habet P.Palaus §. 1. *citato num.* 4. *Adde, vtilitatem vnius ex compermutantibus in Eccleſiæ vtilitatem cedentem, præſtare ſufficientem cauſſam permutationis; dummodo ex parte alterius damnoſa Eccleſiæ permutatio non ſit. Quia abſolutè illa permutatio in vtilitatem Eccleſiæ cedit.* Sic ille. Quod quidem ad præſentem cauſſam non parum momenti habet. Raro enim accidet vt ex permutationibus alter rationem aliquam conuenientiæ in permutatione non habeat. Ab illo ergo cùm tractatus incipiat, ſi aliter ingenuè fateatur ſe cauſſam ſufficientem habere, quam Prælato aperiet, poterit hic eidem credere, & ſic de permutatione paciſci, licèt ipſe cauſſam nullam habeat permutandi. Quoad damnum verò Eccleſiæ, illud certè debet Prælato exponi, ſi veroſimile ſit, quando Epiſcopo ipſi aliàs perſpectum non habetur: vt ſi viribus integris ſit, & linguæ Indicæ peritus; cùm alius his ſit qualitatibus deſtitutus. Poteſt autem tunc conſiderari an damnum tale maius futurum ſit, quàm bonum, quod Eccleſiæ alteri ex illius curâ proueniet. Si enim bonum præponderaret, illud poſſet iure præferri: & etiam ſi æquale. Nam cùm dicatur ex parte vnius eſſe cauſſam in bonum Eccleſiæ cedentem; ille equidem vtilior erit Eccleſiæ, ad quam transfertur, quàm priori. Qui autem ſine ſpeciali cauſſa permutat, tam erit vtilis vni quàm alteri; & ita generaliter loquendo maius erit Eccleſiæ bonum; ſicut cùm tranſlatio Epiſcoporum fit, ex quo Eccleſia, quæ deſeritur, damnum aliquod patitur, ſed quia alia ad quam fit tranſlatio, commodum ex eâ reportat, abſolutè illa in bonum dicitur Eccleſiæ redundare.

P. Palaus.

Circa damnum Eccleſiæ ex permutatione imminens.

§. III.

Frequentes in Indijs caſus circa Permutationes: & quid Iuris interni circa illos.

Admittendi præſentationem ad Præbendā; an poſſit Beneficiū Curatum permutare; & ſic de aliis.

52 CVm aliquis ex benignitate Regiâ, Beneficium Curatum habens, ad Præbendam in Cathedrali aliqua Eccleſia præſentatur, accidere ſolet vt amicum, aut aliàs coniunctum, promouere deſiderans, qui non ita pingue Beneficium habeat, cum eo permutationem intentet, & multoties conſequatur. Voluntatem enim admittendæ Præbendæ diſſimulat, vt nihil inde ſibi poſſit opponi, vel fortè hoc fine diſſimulatione peragitur, quia non obſtante huiuſmodi voluntate, de bono exitu minimè deſperatur. Idem videre licet in aliis, qui propterea quòd in Hiſpaniam benè nummati redire volunt, vel ad honoratiora Beneficia obtinenda contendere, permutationem inſtituunt: quod equidem vacante Sede ſolet euenire, quia tunc iſta faciliùs obtinentur. Videtur autem in illis poſſe ſine graui conſcientiæ reatu procedi, quia dum non vacat Beneficium, poſſidentis eſt: ergo & poteſt de illo iuxta id, quod permittunt Canones Sacri, diſponere, in quibus caſus iſti non inueniuntur excepti. Et quòd ad vtilitatem Eccleſiæ attinet, quam illi in permutatione requirunt, poteſt in caſibus dictis locum habere, ſi is, cum quo Permutatio inſtituitur, aptus Beneficio ſit, & hilariùs ac promptiùs in eo credatur ſeruiturus, iuxta nuper dicta. Quòd verò vacatio breui futura non obſtet, ex eo probari poteſt, quod graues ſcriptores admittunt, eum ſcilicet, qui ſe priuandum Beneficio ſcit, poſſe illud in fauorem reſignare. Pro quo P. Thomas Sancius *Lib.* 2. *Conſil. Cap.* 2. *Dub.* 14. *num.* 7. Quod verum putant etiam cum priuatio futura eſt ob irregularitatem ex homicidio, aut crimine alio contractam. Et ita expreſsè tenet P.Bauny *in Praxi Beneficiorum, Diſput.* 11. *Quæſt.* 34. *Dicto* 1. *ac* 2. & P.Sancius *Lib.* 7. *de Matrim. Diſput.* 42. *numer.* 2. Ex eo autem quòd accepturus Beneficium, non multò poſt illud ſit repoſiturus, non videtur grauiter delinquere: nam & accipere Beneficium poteſt quis animo dimittendi illud poſt breue ſpatium temporis, ſi occaſio alterius commodioris incidat, vel ſi permutatio occurrat, vel pro quo faciat oppoſitionem, vt cum multis tenet etiam P. Sancius *Libr.* 7. *citato, Diſput.* 45. *n.* 12. vbi Nauarrum laudat aſſerentem non poſſe eum, qui Beneficium Parochiale recipit animo inſeruiendi illi, donec permutet cum alio, etſi proponat vnico ſolo die tenere illud; dummodo eo die impleat, quod tenetur. Pro quo videri etiam poteſt P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 34. *num.* 136. vbi mortiferum negat in eo eſſe peccatum. Pater Laymam *Libr.* 4. *Tractat.* 2. *Cap.* 14. *numer.* 9. Pater Bauny *in Praxi Beneficiorum*, *Di-*

Pro parte affirmatiua quid faciat.

Vacationē inſtantem non obſtare ex receptâ doctrinâ de priuando Beneficio.

Neque voluntatem renuntiandi, ex aliâ etiam recepta.

ſputat.

Digitized by Google

*ſput.*6. *Quaſt.*2. Baſſæus verb. *Beneficium* 3.*n.*13. & alij.

Aſſertio 1. *non videri mortale.*

53 Dico primò. Permutatio dicta non videtur vt mortifera penitus improbanda, ſi nihil, quod aliàs ſit damnabile, eidem admiſceatur. Hoc probant fundamenta adducta. Neque eſt ſimilis omnino caſus, de quo diximus §. 1. quia vt ibidem dictum *numer.* 37. in permutatione ratio eſt aliqua magis ſpecialis, propter quam licere poteſt, quod in caſu dicto non debet licitum reputari. Quòd verò ibi etiam dictum de imperfecto poſſeſſorio in reſignante, hìc etiam locum videtur habere: propter quod P. Sancius *ſuprà*, *Cap.* 3. *Dub.* 37. *num.* 12. ſtatuit eum, qui intra certum tempus tenetur dimittere Beneficium, non poſſe illud permutare, quia non eſt omnino ſuum; & etiam quia ſi permutaret, non cenſeretur dimittere: vt ſi Papa diſpenſet cum aliquo ad duo Beneficia curata; modò intra annum dimittat alterum: in eo enim euentu, ſi permutaret, non cenſeretur dimittere. Pro quo Rebuffum, & Rotam ab eodem relatum, adducit. Hoc tamen in caſu noſtro non videtur vrgere, ſicut in alio: quia reſignationis in fauorem, & permutationis, etiam vbi Beneficium iuris patronatus non eſt, diuerſa eſt ratio, iuxta mentem Pontificum: Pius ſiquidem Quintus, qui circa reſignationes ſpeciales cautiones adhibuit, circa permutationes nihil innouandum cenſuit, ſed vt illæ, ſicut Canonicus Sanctionibus conſtitutum habetur, agerentur. In illis ergo prædicta ratio locum habet, quòd ſcilicet cùm quis determinatum habet dimittendi tempus, reſignare nequeat; quia quod ſic habet, nequit abſolutè dicere quòd ſit omnino ſuum. In permutatione autem, licèt idem videatur accidere quantùm ad imperfectam poſſeſſionem, ſuppoſitâ acceptatione præſentationis, in quâ tempus poſtulandæ præſcribitur Collationis, nequit Eccleſia ſummo iure vti; cùm aliàs in iis, quæ iuris patronatûs ſunt, vt ea, de quibus agimus, Ordinarij & Patroni debeat prouidentia verſari, & conuenientiam mutuæ tranſlationis inſpicere.

Imperfecta poſſeſſio vt vt videatur obſtare.

Cui occurritur inſtantia.

P. Bauny pugnantia videri tradidiſſe, circa conſenſū Patroni.

54 In quo quidem videtur P. Bauny ſecum pugnantia tradidiſſe. Nam *Diſputat.* 10. *Quaſt.* 4. §. *Quamquam*, cùm ſententiam Rebuffi referat dicentis, cùm de permutatione agitur, vocandos ab Epiſcopo Patronos, & eorum ſententiam requirendam, quia eorum intereſt quis huic Eccleſiæ, quis alteri præfici expediat, obſeruare: id ipſe negat, eâ redditâ ratione, quia ab Epiſcopo alienum eſt laicorum ſubeſſe iudicio in regendâ Dei Eccleſiâ. Quod & proſequitur §. *ſequenti.* In vltimo autem neceſſarium eſſe ait Patronorum conſenſum his verbis: *Idem dicendum de Patroni conſenſu: quod etſi Staphylæus apud Zerolam neget in Praxi.* Verb. *Ius Patronatus ad* 6. *dummodò fiat hæc permutatio auctoritate Epiſcopi; huic tamen eius opinioni præponderat communis, quam conſuetudo confirmat, Rebuffo teſte in Practica Beneficiorum, Titulo de Permutatione, n.*43. Rodoano *Conſ.* 5. Aluino *de poteſt. Abbat. Cap.* 10. *num.* 10. Hæc ille; quæ non videntur facilè poſſe componi. Quidquid autem de hoc ſit, id quod de neceſſitate circa reſignationes dicebamus §. 1. ob cuius defectum non erat locus illi in caſu dicto, non debet ad caſum præſentem trahi, ſicut de imperfecta poſſeſſione dicebamus, quia minori rigore agendum eſt circa permutationem. Hinc eſt vt Regula Cancellariæ circa reſignantis vitam per 20. dies poſt factam reſignationem, non ita locum habeat, vt multoties, etiamſi non ſuperuiuat, firma & rata eſſe non poſſit, vt videri poteſt apud citatum Auctorem *Quaſt.* 12. ex Rebuffo, Gomecio, & Petro Gregorio, quæ ſicut & alia dicta ſufficere videntur ad fundandam aliqualem probabilitatem: quam & in caſu, de quo §. 1. erit fortè qui eſſe contendat: quandoquidem id, quod maximè obſtare poſſet, Patroni ſcilicet deeſſe conſenſum, ex ſententiâ Staphylæi, de quâ nuper, poſſit aliquatenus elidi. Quod tamen ego in Indiis arbitror minimè poſſe ſuſtineri, cùm Prælati inſuper iuramentum circa obſeruantiam Regij Patronatus emittant, vnde & debent illum iuxta praxim receptiſſimam, qualis illa eſt, de quâ loquimur, obſeruare.

Circa permutationē minori rigore agendum, quàm circa reſignationē.

Quid pro Indijs irrefragabile.

Aſſertio 2. *oppoſitum Aſſert.* 1 *eſſe verius & practicandum.*

55 Dico ſecundò. Licèt id, quod *Aſſertione præcedenti* probauimus, aliqualem probabilitatem habeat, oppoſitum tamen verius eſt, & regulariter practicandum tum ob rationes §. 1. adductas, tum quia fraus in re magni momenti committitur, dum Præſentatus ad Præbendam animum illius aſſumendæ diſſimulat. Pro quo facit Regula Cancellariæ, de quâ nuper: ſi enim quis per viginti dies non ſuperuiuat à reſignatione factâ, nullius eſt roboris, quia eſt præſumptio fraudis, quam eleganter explicat P. Bauny *Quaſt.* 12. *citatâ.* §. *Docent*, etiam in permutatione, ex eo quòd cùm reſignatarius *compermutantem morbo viderit afflictum, propèque iam extinctum, ei ſuum de manibus Beneficium, non ſine Ordinarij, ac expectantium detrimento, quà prece, quà veteris inter eos amicitiæ recordatione, violentus extorſerit.* Sic ille ex Rebeffo. Si ergo fraudis præſumptio irritam permutationem reddit; vbi illa manifeſta eſt, ſuum electo ad præbendam animum occultante, magis profectò debet obſtare. Pro quo videri poteſt Nauarrus *Conſilio* 75. *de ſimoniâ.* §. *Tertiò, quòd,* & *ſequenti*, vbi probat mendacium in talibus eſſe peccatum mortale. Tum etiam, quia ordinariè permutationes iſtæ in gratiam eorum fiunt, qui examen in oppoſitione refugiunt; ex quo fit vt multi benemeriti ſuâ expectatione fruſtrantur. Tum item, quia multoties permutatio ita fit, vt lucroſa ſit pingue Beneficium dimittenti: nolunt enim gratis dimittere, ſed conſiderabile aliquid pro expenſis in itinere faciendis elicere, & aliquid amplius. Quod cùm non ſit facilè diſcernere, licèt aliqui ab eâ immunes labe reperiantur, pro communi eſt lege ſtatuendum. Horum enim & non aliorum permutationes admittere ob præſumptionis defectum, vel vehementiam, non ſine graui ſtare multorum iniuriâ poterit. Vbi autem communis eſt lex, nemo habet vnde querelam poſſit efformare. Quod autem de Præſentato ad Præbendam dictum, de aliis eſt etiam aſſerendum, de quibus *num.* 52. animum recedendi celare ſolitis; vel alia occurrunt, quæ aliunde vrgent, & ſunt paullò ſuperiùs explicati; illud præſertim, pro quo

Fraudis in eo [atis] fundata præſumptio.

P. Bauny.

Rationes aliæ.

§. IV.

§. IV.

An in Permutatione exceſſus Beneficialium obuentionum poſſit pecuniâ, aut re alia pretio æſtimabili compenſari.

56 PEriculoſus hic ſcopulus, ad quem ſolent conſcientiæ multorum allidi. Vt ergo vitari id poſſit, cùm ſit aliàs difficile omnem temporalem reſpectum pecuniæ, aut rei pecuniâ æſtimabilis in permutatione reſpuere, aliqua à Doctoribus benignè iuxta ipſorum mentem excogitata traduntur, circa quæ iudicium noſtrum ſequentibus Aſſertionibus expromemus. Itaque

Aſſertio 1. Compenſationem pecuniariam fieri poſſe qui ſentiunt.

Dico primò. Sententia eſt aliquorum, cùm permutatio inter Beneficia inæqualia quoad emolumenta fit, poſſe aliquid dicti generis accipi. Pro eo ita ſcribit P. Sa. verb. *ſimonia numer.* 2. *Non eſt ſimonia &c. Nec videtur in permutationibus pecunia ad recompenſationem fructuum paucorum, aut nullorum.* Sic ille: quod eſt iuxta ea, quæ habet Silueſter verb. *Permutatio* 2. *num.* 6. vbi ita ſcribit: *Secundò quæritur vtrum ſit ſimonia, ſi in permutatione detur pecunia in ſupplementum maioris Beneficij? & dicit Panormitanus in* Cap. *Quæſtiones. eo. tit. quòd ſic, ſi detur occaſione ſpiritualium iurium, de quibus plus habet Eccleſia vna, quàm alia: puta quia habet maiorem auctoritatem in adminiſtratione ſpiritualium, quàm alia. Et intellige ſecundùm Archidiaconum, etiamſi fiat auctoritate Superioris: ſecus ſi detur in recompenſationem prouentuum temporalium.* Hæc ille. Ad quæ videtur alludere P. Thomas Sancius *Libr.* 2. *Conſil. Cap.* 3. *Dub.* 42. *num.* 6. dum ſic ait: *Licet ſub iudice ſit, an quando duo permutant Beneficia inæqualium redditunm, ſicut licet auctoritate Papæ illum exceſſum recompenſare penſione, ita etiam liceat datâ pecuniâ: multi enim & grauiſſimi Doctores tenent licere, & eſt probabile: at verius eſt non licere.* Sic ille. Vbi non videtur loqui de data pecunia, ſi Papæ interueniat auctoritas, quia de eo dubitatio eſſe nequit, vt ait P. Palaus *Tomo* 3. *Diſputat. vlt. Puncto* 16. *num.* 1. Cùm nun ſit pretium rei ſpiritualis, quod dari & admitti contra ius diuinum eſt; ſed compenſatio quædam pro inæqualitate prouentuum, in qua eſt contractus alterius generis in Iure probatus, vt conſtat ex Cap. *Ad quæſtiones*, de rerum permutat. in quo ſic Clemens Tertius: *Reſpondemus, quòd cùm de dictis Parœcialibus Eccleſiis per ſe queat permutatio celebrari, & in permutatione poſſeſſionum per ſe non ſit inhibitum, ſi altera ratione poſſeſſionum alteri præponderet, pecuniam poſſe refundi, de ipſarum poſſeſſionibus ad inuicem, prout viſum fuerit expedire, refuſâ certâ pecuniæ quantitate, poterit contractus permutationis iniri; ſic tamen quod illi contractus nequaquam ſibi inuicem miſceantur.* Sic Pontifex: vbi vel abſolutam facultatem concedit, vt omnes ita facere poſſint, ſicut præfati cenſuerunt; & præterea P. Becanus *quæſt.* 13. *de Simonia num.* 3. vel eam neceſſariam ſupponit: pro quo ſic P. Bauny in *Praxi Beneficiorum Diſputat.* 10. *Quæſt.* 6. §. In hac tamen: *& quod ad pecuniam ſpectat, quam inæqualitatis tollendæ cauſſa inter fructus prædictorum dari poſſe Pontifex ait: id ſine facultate Pontificis tentandum non eſſe cenſeo.* Sic ille. Quod verò aliqui dicunt poſſeſſiones illas, de quibus loquitur Pontifex, titulo tantùm temporali habitas, non eſt vnde colligere poſſint, licet Gloſſa id videatur indicare verb. *Prouentuum.* Sed reuera id non dicit, cùm conſtet prouentus eſſe temporales, etiamſi ius ad illos ſpirituale ſit. Nequit ergo de poteſtate Pontificis circa hoc vllatenus dubitari.

P. Sa.

Silueſter.

P. Thomas Sancius.

Cap. Ad queſtiones, de rerum permutat.

P. Bauny.

Eorum ſententiam non eſſe improbabilem.

57 Cùm ergo, qui hoc propriâ auctoritate fieri poſſe contendunt, tantæ auctoritatis ſint, non videtur eorum ſententia vt penitus improbabilis refutanda. Cui citata Clementis Pontificis auctoritas non parum videtur ſuffragari. Neque enim dici poteſt conceſſionem illam fuiſſe particularem, aliàs non debuiſſet Corpori Iuris inſerta proponi, in quo leges tantùm Canonicæ proponuntur, cùm ſint reſcripta Pontificum facientia ius. Neque ius tale in eo eſſe poteſt, vt ex eo pro certo tantùm habeatur Pontificem circa id poſſe diſpenſare, & ita ad eumdem in permutationibus huiuſmodi recurrendum. Nam de tali recurſu mentio nulla; & de permutatione vti de re aliàs licitâ ille loquitur, tum quoad Eccleſias, ibi: *Per ſe queat permutatio celebrari.* tum circa compenſationem fructuum, dum ſubdit: *& in permutationibus poſſeſſionum per ſe non ſit inhibitum.* Eſt autem eadem ratio, etiamſi poſſeſſionum permutatio non ſit, quando aliunde inæqualitas in prouentibus reperitur, quia in vtroque pecunia refunditur: vnde aut vtrumque licet, aut vtrumque eſt vt ſimoniacum reprobandum. Et quidem probabiliſſima ſententia eſt poſſe permutationem fieri cum onere penſionis, ſic Epiſcopo concedente: ita enim tenent Auctores, quos adducit & ſequitur P. Sancius *ſuprà num.* 5. P. Leſſius in Reſolutionibus poſthumis. Verb. *Beneficium* Caſu 12. Nihil ergo in eo contra ius diuinum eſt. Quòd autem onus penſionis poſſit pecuniâ refuſâ tolli, ſatis veroſimile apparet: & poſſe ſolutione anticipatâ redimi tenet P. Becanus *quæſt.* 18. *de ſimonia* & P. Palaus *Tomo* 2. *Tract.* 1. *Diſput.* 1. *Puncto* 11. §. 10. *num.* 12. eſtque communis reſolutio, pro qua citatus Auctor *Tomo* 3. *Diſput. vlt. Puncto* 13. *numer.* 10. adducit Cardinales Caietanum & Toletum, P. Suarium, P. Valentiam, & P. Leſſium, qui propria auctoritate id fieri poſſe concedunt, etiamſi penſio auctoritate ſit Pontificis conſtituta. Quidquid ſecus alij ſentiant, ex quibus P. Bauny *ſuprà Diſput.* 11. *Quæſt.* 10. *Aſſert.* 1. Iam ergo Decretalis illa non vrget in ordine ad Pontificem, à quo tantùm poſſit talis licentia præſtari. Atqui pro licentia Epiſcopi requirendâ nullum in ea verbum: ergo probabile eſt illam non eſſe neceſſariam. Quòd ſi ſtylus habeat eam peti, id erit circa hoc dicendum, quod circa redemptionem penſionis citati Auctores affirmant, peti ſcilicet non vt neceſſariam, ſed ad maiorem ſecuritatem.

Permutationem fieri poſſe cum onere penſionis, pecuniâ redemibilis.

Non eſſe Epiſcopi licentiam neceſſariâ.

Aſſertio 2. Sententiâ oppoſita præfertur. Et quid iuxta illam ſtante bona fide.

58 Dico ſecundò. Etiamſi oppoſita ſententia vt communis, & Doctorum auctoritate firmata tenenda ſit; ſi tamen circa hoc bonâ procedatur fide, quod eâ durante acceptum eſt, poteſt licitè retineri. Et quidem bonam fidem obſtare quo minùs ſimonia in permutatione committatur, videtur indubitabile, & pro eo videri poteſt Zerola. *Parte* 2. §. 9. Quòd verò retineri poſſit

ita acceptum, ex eo oſtenditur, quia ſponte datum eſt, & nullum extat caput vnde traditio poſſit irritari. Si qua ergo lex pœnalis eſt circa ſimoniam, præſertim confidentialem, hic locum non habet, cum nequeat eſſe pœna, vbi culpa non eſt. Cap. *Sine culpa*, de regulis iuris *num. 6.* quod Nauarrus præſenti materiæ applicat *Concilio 33. de ſimonia.* Et facit pro inſtituto præſenti caſus, quem Zerola *ibidem* proponit de eo, qui permutauit Beneficium cum alio, quod permutans aſſerebat valere in fructibus viginti aureos: & affictauit illi fructus annuos pro illis viginti; cùm tamen realiter illud Beneficium non valeret viginti, quos ille ignorans percipit. In quo reſoluit, ſimoniam à recipiente annuos redditus non committi; ignorantiâ autem ceſſante ſufficere quòd fiat compenſatio pro rata, niſi ſit modicum, iuxta Nauarrum *Conſilio 13. de Reſcriptis.* Vbi planè ſupponit ſic eſſe permutationem factam, vt pro viginti aureis, quos valere in fructibus permutans aſſerebat, compenſatio æquiualens fieret: & ſimiliter quòd valore tali deficiente, minùs reſignanti tribueretur.

Caſus ſpecialis pro intento ex Zerola.

Aſſertio 3. Permutantem ſe indemnem ſeruare poſſe ex caſus alterius deciſione oſtenditur.

59 Dico tertiò. Ex prædicta nuper ratione, quòd ſcilicet permutans ſe indemnem ſeruare poſſit, veroſimile argumentum poteſt in cauſſa præſenti inſtitui, iuxta id, quod habet Nauarrus *Conſilio 75. de ſimonia*, vbi caſum huiuſmodi ad quæſtionem adducit. Reſignans & Reſignatarius conuenientes vt exprimatur valorem Beneficij eſſe 160. ducatorum, cùm non ſit niſi 100. vt penſio ſexaginta ducatorum conſtituatur à Papa: quia ſi centum tantùm eſſe dicatur, non poterit penſio obtineri, eo quòd oporteat vt reſignanti remaneant centum: Sicut cogitauerant, conſecuti ſunt, & Reſignatarius vt haberet 40. non dubitauit 60. reſignanti condonare, cùm tamen ſimonia in eo eſſe videatur. Quam caſus ſpeciem cùm præmiſiſſet, ita ſubdit: *Quæſtio profectò quotidiana, & difficilis eſt: nam pro parte negante facit, quod in caſu propoſito videtur dari pro temporali, neque contra: ergo non committitur ſimonia.* Quod confirmat *numer.* 8. ex eo quòd animus & intentio præfatorum non facit vendere aliquid, vel emere, neque dare vel recipere temporale pro ſpirituali, vel è contra. *Et actus agentium non operantur vltra intentionem eorum. l. Non omnia D. Si certum petatur. Et l. Si quis nec cauſſam D. de rebus creditis.* Addit autem *numer.* 18. præfatum mendacium non videri fuiſſe cauſſam acquiſitionis Beneficij principalem & immediatam, ſed impellentem & remotam; cauſſa enim principalis fuit, ne tantam iacturam reſignans ex ſua reſignatione acciperet, & quædam ſuſtentatio ei remaneret. Sic pro parte negante; cùm tamen affirmantem tandem ampléctatur, eò quòd promiſſio præceſſerit, quæ ſimoniacam reſignationem efficit. Cap. *Quam piè 1. Quæſt.* 2. & Cap. *Finali*, de Pactis. Sed certè cùm difficilem adeò quæſtionem dicat, & pro negante non leuia argumenta conficiat, ſuamque reſolutionem non pleno aſſenſu, ſed cum quadam trepidatione proponat, dum ſic ait: *Non auderem excuſare illum à ſimoniæ labe, ob argumenta pro parte affirmante formata*: videtur ſanè in oppoſita ſuum probabilitatis pondus excitare, vt non debeat ſimoniaca reſignatio cenſeri, neque lethali culpæ obnoxia reputari. Vbi illud ſpecialiter aduertendum, quod de iactura dicitur: videtur enim res dura, vt permutare quis nequeat ſe indemnem ſeruans, ſed quòd neceſſariò iacturam ſit conſiderabilem in permutatione alteri commodâ ſubiturus.

Nauarrus.

Idem.

Caſus alius de obligatione emendi ſupellectilem.

69 Sed difficultas ſpecialis occurrit, de qua in caſus contingentia dubitatum. Quidam Indorum Parochus cum alio tractatum permutationis inſtituit, & quia illius erat locupletius Beneficium, aliquid ſibi ſuperaddendum voluit, & prætereà vt compermutans ſe obligaret ad emendam, quam habebat, ſupellectilem, menſas, inquam, lectum, ſellas, imagines, & vtenſilia alia: In quo quidem ob conſcientiæ negotium non fuit, qui hæreret, ſi pretia aliàs eſſent moderata. Idque ita factum, eo quòd valde difficile eſſet præfata in alium locum aſportari. Et iuxta communem Doctorum ſententiam dicendum id minimè licere, & eſſe ſimoniacam pactionem. Pro quo eſt auctoritas Innocentij Tertij in Cap. *Vt noſtrum*, Vnico, *vt Eccleſiaſtica Beneficia &c.* vbi ſic ait: *Non licuit ex pactione, vel conuentione quacumque, ſub modo vel tenore præſcripto concedere nudum officium, & tibi retinere prouentus: cùm in Lateranenſi Concilio prohibitum ſit, ne quis conferendo Eccleſiaſticum Beneficium partem prouentuum ſuis vſibus retinere præſumat; & alibi cautum reperiatur in Canone quòd Eccleſiaſtica Beneficia ſine diminutione debeant conferri.* Sic ille. Canon autem, quem citat, habetur in Cap. *Si quis Præbendas 1. Quæſt. 3.* Et eſt Innocentij Secundi, ſicque habet: *Si quis Præbendas, vel Prioratum, ſeu Decanatum, aut honorem, vel promotionem aliquam Eccleſiaſticam, ſeu quodlibet Sacramentum Eccleſiaſticum, vt putà Chriſma, vel Oleum ſanctum, & conſecrationes altarium vel Eccleſiarum, interueniente execrabili ardore auaritiæ, per pecuniam acquiſiuit; honore male acquiſito careat, & emptor atque venditor, & interuentor notâ infamiæ percellantur: & nec pro paſtu, nec obtentu alicuius conſuetudinis, ante, vel poſt, aliquid exigatur, vel ipſe dare præſumat; quoniam ſimoniacum eſt; liberè abſque diminutione aliqua, collata ſibi dignitate atque Beneficio perfruatur.* Sic Canon: pro quo & eſt alius Alexandri Tertij in Cap. *de Maioribus*, de Præbendis. Et Gregorij item Noni in Cap. *Cùm cauſſam, eod. tit.* Et alius *ibidem* eiuſdem Innocentij in Cap. *Vacante.* ſunt etiam & Conſtitutiones Pij Quarti, & Pij Quinti ſpecialiùs de reſignatione loquentes, de quibus paſſim Auctores, ac præſertim Nauarrus in Conſiliis de ſimonia.

Cap. Vt noſtrum, vt Eccleſiaſtica &c.

Cap. Si quis Præbendas, 1. q. 3.

Alij Canones pro eodem.

Circa emptionem ſupellectilis reſolutio ex probabili doctrina iam poſita.

61 Quia verò, cùm Beneficium eſt pinguius, aliquid poſſe refundi non ſit improbabile iuxta dicta: in obligatione prædicta emendi ſupellectilem non videtur eſſe maior difficultas; ſed certè minor apparet, quia nulla ſpecies emptionis & venditionis reſpectu ipſius Beneficij diſpicitur. Et quidem adducti Canones circa hoc non videntur vrgere, quia cum Epiſcopis loquuntur, ne ſcilicet Beneficia cum diminutione conferant, & ne accipientes quidquam pro collatione retribuant: quorum nihil in caſu, de quo agimus, reperitur. Conſtitutiones autem Pij Quarti, & Pij Quinti damnare tantùm & punire pactiones, quæ ante illas editas erant illicitæ, tradit Nauarrus *Conſilio 33. de Simonia*, ad ea ſe referens, quæ habet in *Manuali Cap. 23. num.* 109. Et idem videtur dicendum de qualibet alia obligatione rei pretio æſtimabilis

Conſtitutiones Pij IV. & Pij V. nouam non inducere obligationem.

æſtimabilis conferendæ: ſtare enim poteſt, ſi Beneficium, quod permutatur, ita abundans ſit, vt iactura, quam commutans patitur, aliqualiter eo pacto videatur compenſari. Quod autem de titulo ſuſtentationis ex Nauarro dicebatur, in permutatione non videtur habere locum, quia cùm reſignans ſuum Beneficium, aliud accipiat, non poteſt prouentibus alterius ad ſuſtentationem indigere. Quod in Beneficiis Indiarum maximè habet verum: ſatis enim per Regiam prouidentiam omnibus Beneficiariis, in ordine ad prædictum effectum, qui primus dicitur, prouidetur. Pro quibus non plura.

CAPVT VI.

Circa Diſpenſationes quid Capitulum vacante Sede poſſit in Indiis, & quæ inde pericula Conſcientiis Capitularium immineant.

Generalis Aſſertio circa Capituli poteſtatem, quæ & generalis.

62 Circa poteſtatem diſpenſandi, an & quomodo Capitulo conuenire poſſit in iis, quæ Epiſcopis abſolutè licent, variæ moueri poſſunt quæſtiones, de quibus Diana *Parte* 8. *Tract.* 4. Et nulla certè extat, in qua probabiliter non concedatur illi, quod ad Epiſcopi ſpectat poteſtatem, etiamſi vt Delegato Sedis Apoſtolicæ tribuantur: vt paucis reſoluit Dom. Machadus *Tomo* 2. *pag.* 159. *num.* 3. *&* 4. Licent ergo illi omnia, quæ expreſsè prohibita non inueniuntur: vnde & Capitulum Sede vacante in Indiis eodem poterit iure gaudere: & illo ſpecialiter vt poſſit diſpenſare in caſibus Pontificiis, quando non eſt facilis recurſus ad Pontificem: in Indiis enim numquàm facilis eſt recurſus, vt manifeſtè conſtat; etiam vbi littora propinquiora: ſemper enim nauigationes incertæ; & vt abire ſit facile, redire difficile eſt; vel è contra: & non ſunt Chriſtianæ conſcientiæ inter grauiorum periculorum fluctus relinquendæ. Videatur citatus Auctor *Reſolut.* 9. qui ita aſſerit poſt Merollam.

Quid in Indiis ſpeciale.

Circa diſpenſationes Epiſcopo directas varia ſententia.

63 Poteſt tamen vlteriùs inquiri, an Capitulum poſſit exequi diſpenſationes, quæ à Sede Apoſtolica ad Epiſcopum diriguntur, ſicut & alia reſcripta. Quam difficultatem ex profeſſo non tractauit præfatus Auctor, licet aliam ipſi congruam diſcuſſerit *Reſolut.* 66. an ſcilicet Vicarius Capituli, Sede vacante, poſſit exequi diſpenſationes directas Vicario generali Epiſcopi: & in fine illius tandem attigit illam, reſpondens negatiuè cum Nicolao Garcia *Parte* 6. *Cap.* 2. *num.* 46. & circa hoc quidem maior videtur eſſe Doctorum conſenſus, quàm circa difficultatem priorem, in qua multi Doctores ſunt, qui pro Vicariis Capituli ſtent, vt non minùs quoad hoc poſſint, quàm Vicarij Epiſcoporum, vt videri apud eumdem Auctorem poteſt, & eos, quos ille adducit: quibus addendi Ochagauia, Baſilius Legionenſis, & alij, quos idem adducit *Parte* 5. *Tract.* 14. *Reſolut.* 29. Pro Capitulo autem, vt expedire poſſit reſcripta Epiſcopo directa, ſtare videtur Naldus in *Decretales. Cap. Ad abolendam, de hæreticis,* quatenus id tribuit Vicario Capituli, pro quo & citat Garciam *ſuprà*: cuius opinionem improbabilem eſſe cenſet Diana *Reſolut.* 66. *citata.* §. *Vltimo* & probat, nam cauſſæ delegatæ, Epiſcopo mortuo, non poſſunt expediri per ipſum Capitulum; quia non ſuccedit in iuriſdictione Epiſcopali delegatâ, ſed tantùm in ordinariâ, quod à ſe probatum ait *ſuprà*; videlicet *Reſolut.* 2. ergo neque poterunt expediri per Vicarium Capitularem, quia in hunc non tranſit maior poteſtas, quàm ſit in ipſo Capitulo.

Non poſſe à Vicario Capituli, & oppoſitum improbabile cenſet Diana.

Sed ex eiuſdem doctrina contrarium eruitur.

64 Sed miror Auctorem dictum ita ſentire, ſi ad Capitulum id velit extendere. Nam ipſe *citata Reſolut.* 2. Auctores adducit, qui iuriſdictionem delegatam in Capitulum tranſire cenſent, ex quibus Machadus non ſolùm id probabilius reputat, ſed ex generali regulâ de tranſlatâ Ordinariâ iuriſdictione in Capitulum per certam conſequentiam deduci. Et Diana ipſe cùm vtramque ſententiam referat, nihil circa quæſtionem determinat. Ex eo ergo fundamento, quòd ſcilicet iuriſdictio delegata nõ tranſeat, nequit improbabilitas Aſſertionis contrariæ fundari: cùm & ipſa probabilis ſit, & id, de quo diſſerimus, vnum generalis illius iuriſdictionis membrum ſit; iuriſdictio inquam delegata in ordine ad particularem effectum. Itaque cùm pro fundamento conſtituatur id, quod ſub opinione eſt; id quod ex contraria opinione colligitur, vt pars in toto contenta, nequit vt improbabile conclamari. Et ita quod à prædicto Auctore dictum, non eſt in ſenſu iſto accipiendum, ſed iuxta Naldi philoſophandi modum: qui cùm teneat reſcripta ad Vicarium abſolutè dictum directa, ſine expreſſione Epiſcopi, ſed ſolùm diœceſis, vt ſi dicatur *Officiali, ſeu Vicario Segouienſi*, non poſſe per Vicarium Capituli, Sede vacante, expediri; ait tamen, quæ diriguntur Epiſcopo mortuo, à prædicto expediri poſſe: ſic enim fiet vt maior in eo poteſtas ſit, quàm in Capitulo ipſo, cui talis non competit iuriſdictio. Sed neque hoc modò improbabilis ea ſententia dici poteſt: quia dum conceditur à Vicario fieri talem executionem poſſe, non negatur etiam id Capitulo conuenire, quòd ſaltem ante Vicarij electionem exequi talia reſcripta potuit: tranſmiſſâ autem in Vicarium iuriſdictione, non debet maior illius poteſtas dici, quandoquidem dependenter ab illo habet, qui & amoueri ob iuſtas cauſſas poteſt. Præterquam quòd non eſt improbabile, totam Capituli auctoritatem ita tranſire in Vicarium, vt in eo tantum reſideat: pro quo videndus Idem. *Reſolut.* 63. vbi Doctores adducit aſſerentes iuriſdictionem Vicarij non haberi à Capitulo eam tradente, ſed à lege, mediâ electione: & ita omnem Capituli auctoritatem in Vicarium tranſire, nullâ ei parte ſpecialiter reſeruatâ, ſunt qui teneant; vt videri apud eumdem poteſt *Reſolut.* 64.

Naldi philoſophandi modus improbatur.

Sed non probabilis.

Sicut niſi improbabile eſt totam Capituli auctoritatem in Vicarium tranſire, & haberi à lege.

65 Cùm ergo probabile ſit, quod de Capitulo diximus, id in Indiis maximè locum habet, & maiori in illis cum probabilitate procedit: quia ſi fortè Epiſcopus mortuus ſit, executio per longum tempus extraheretur; quod equidem ſine graui inconuenienti ſtare nequit, vt eſt compertum. Poterit ergo in hoc ſine ſcrupulo procedi: immò conuenientia executionis Litterarum Apoſtolicarum talis eſſe poteſt, vt graue in non exequendo eſſe peccatum poſſit, cùm ſecurâ queant conſcientiâ damna vitari, quibus negli-

In Indiis maximè locum habere reſolutionem de Capitulo propoſitam.

Ex ſtylo Curiæ difficultas, cui ſit ſatis.

gitur contrairi. Quod autem de ſtylo Curiæ dicitur, iuxta quem reſcripta numquam remittuntur Vicario Capituli, eò quòd eidem non fidatur, ſed aut Epiſcopo viciniori, aut eius Vicario; non debet reſolutioni propoſitæ vllatenus obſtare, quia commiſſiones illæ non remittuntur, niſi à quibus facilè poſſunt expediri; cùm tamen in Indiis peculiaris ratio occurrat, de quâ dictum. Præterquàm quòd ſtylus non videtur penitus obligare, vnde ex opinione aliàs probabili contra illum iri poteſt: vt circa genus quoddam diſpenſationis graues Doctores tradunt, qui videri poſſunt apud Dianam *Parte* 1. *Tractat*. 10. *Reſol.* 39. & generaliter apud eumdem *Parte* 11. *Tractat.* 5. *Reſolut*. 1. §. *Vnde ego*, quamplures Auctores affirmant ſtylum Romanæ Curiæ tantùm obligare in foro interiori, & in ſententiæ, quam ſequitur, probabilitatem alterius. Videatur etiam *Tractat*. 6. *Reſolut*. 44. vbi plures alios citat: & Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib*. 4. *Cap*. 5. *num*. 21. dum de ſtylo Cancellariæ agit, qui antiquus ſit, benè ait non eſſe ab eo temerè recedendum, quod & alij citati ab eodem aduertunt, quando autem ratio magni momenti eſt, qualis ea, de quâ dictum, non eſt vlla in eo non obſeruato temeritas; cùm iuxta æquitatis, immò & iuſtitiæ, ad quam ſpectat multoties diſpenſatio, regulas procedatur. His præiactis, circa alia

Vt ille obliget.

D. Solorz.

Aſſertio 1. poſſe Capitulum in Indiis diſpenſare quoad Ordines & Beneficia, ſicut Epiſcopi poſſunt.

66 Dico primò. Quidquid circa diſpenſationes pro Ordinibus ſuſcipiendis, & Beneficiis, Epiſcopi Indiarum poſſunt, Capitulo, Sede vacante, licet. Talia ſunt diſpenſatio circa Interſtitia, & cum illegitimis quoad Ordines minores, & Beneficium ſimplex. Sic Dom. Solorzanus *Lib*. 3. *Cap*. 13. *num*. 12. & 13. & in Politicâ *Lib*. 4. *Cap*. 13. *Pag*. 602. *Col*. 1. cum Dom. Feliciano à Vega *in Cap*. 4. *de Indiciis*. §. *de adulteriis*, *num*. 52. & 53. ex quibus Diana *Parte* 8. *Tractat*. 4. *Reſolut*. 5. & 6. & iuxta Dom. Solorzanum *numer*. 14. & 15. & in Politicâ *Col*. 2. alioſque, dipenſatio quoad interſtitia nequit intra annum à die vacantis Sedis concedi: quia cùm conceſſio Dimiſſoriarum ſit à Concilio Tridentino prohibita *Seſſione* 7. *Cap*. 23. *de Reformat*. etiam illa, quæ ſunt præparationes ad Ordines debent prohibita cenſeri. Quæ tamen ratio non vrget: nam ad præparatoria, quæ coniuncta ſunt cum ipſa Ordinũ executione benè quidem argui poſſet ex Ordinum prohibitione: ad illa verò, quæ præcedere diu poſſunt non eſt legitimum argumentum. Et huiuſmodi ſunt diſpenſationes Interſtitiorum, quæ concedi poſſunt vt apto tempore deſeruiant. Et quidem cùm lex odioſa & pœnalis ſit, ad ea, quæ in ipſâ non exprimuntur, minimè debet extendi, iuxta ſæpiùs dicta. Præterquàm quòd Capitulum vacantis Sedis poteſt Dimiſſorias concedere electis & præſentatis ad Beneficia Curata, vt generaliter in Indiis accidit, ſicut aliis ad Ordinum ſuſceptionem arctatis, vt Declarauit Sacra Concilij Congregatio circa *Cap*. 10. *Seſſione* 7. in quo id expreſſum. Et videri etiam poteſt Diana *Reſolut*. 41. Tunc ergo licebit diſpenſatio Interſtitiorum. Et idem eſt dicendum de diſpenſatione cum illegitimis. Vbi & illud eſt ſpeciale, ex Declaratione eiuſdem Sacræ Congregationis ſemel & iterùm haberi, Decretum dictum non eſſe de primâ Tonſurâ intelligendum. Cui Diana contrarium ſentiens *Reſolut*. 43. §. *Ad Declarationem*, ex Nicolao Garcia reſpondet id intelligi quoad pœnas in eo contentas. Quæ reſponſio non ſatisfacit, nam Declaratio ſic habet: *Congregatio cenſuit Textum hunc non comprehendere primam Tonſuram*. Cùm ergo hoc probabile ſit, poterit Capitulum cum illegitimis intra annum diſpenſare ad Beneficium ſimplex, cùm Tonſurâ pariter conferendum. An autem illa Ordo ſit, quod *citato loco* Diana tractat, à me eſt *Tomo* 2. *Theologicorum Problematum diſputatum*.

Et quoad Interſtitia intra annum.

Decretum Concilij nõ procedere de primâ Tonſurâ.

Declaratio Cap. ſim.

Poſſe etiam ad Ordines Sacros & Beneficia Curata Indorum Capitulum diſpenſare.

67 Poteſt etiam Capitulum cum illegitimis in Indiis ad Ordines Sacros, & Beneficia Curata Indorum diſpenſare, iuxta id, quod in Bullis Pij V. & Gregorij XIII. conceditur; quarum tenorem videre eſt apud Dom. Solorzanum *ſuprà*, *Cap*. 20. *num*. 27. & 31. qui *num*. 39. id quod Epiſcopis conceſſum eſt, ad Capitula extendendum tradit, ſicut & in Politicâ *Lib*. 4. *Cap*. 20. §. *Y aun aſ*: ex eâ ratione quòd Epiſcopis ſuccedant in omnibus, quæ ipſorum iuriſdictionem concernunt, pro quo Auctores adducit in terminis propriis loquentes, & ad ea ſe refert, quæ circa hoc dixerat, ſcilicet *Lib*. 3. *Cap*. 13. *num*. 4. & *ſeqq*. & *Lib*. 4. *Politicæ*, *Cap*. 13. vbi de iuriſdictione delegatâ id negauerat, & ea tantùm conceſſerat, quæ ex Iure communi competunt, & ſunt in eorum officio radicata. Licèt autem ea, de quâ agimus, ex Communi iure non deſcendat, in eorum tamen officio radicata dici poteſt, quia cum officio venit, neque pro illâ ſpecialis eſt alia commiſſio neceſſaria. Ex quo colligunt Doctores, quos adducit Diana *Reſolut*. 18. Capitulum ſuccedere in iuriſdictione, quæ habetur ex conſuetudine, quia eſt acceſſoria ordinariæ: & acceſſorium ex conſuetudine comparatum, qualitatem ac naturam ſortitur principalis. Cùm ergo iuriſdictio ex priuilegio perpetuo veniens, acceſſoria ſit, vt naturam principalis ſortita, in Capitulum transfertur.

Sicut in iis, quæ ex conſuetudine habentur.

Bullis Pij V. & Greg. XIII. an locus iam ſit.

68 Quamuis autem prædictæ Bullæ extent, circa diſpenſationes virtute earum videtur D. Solorz. aliquantulũ hærere, eò quòd ſine earum notitiâ multi ordinati ſunt, & Beneficia parochialia conſecuti. Et quia illas non extendi ad irregularitates alias, præter illas, quæ ex delicto proueniunt, viri docti arbitrantur, ex quibus Dom. Felicianus à Vega *ſuprà*, *num*. 109. Quod & tenet Dom. Villaroël *Quæſt*. 9. *Artic*. 5. *numer*. 44. Sed certè quod ad Bullam Gregorij attinet, manifeſtum eſt de illegitimis loqui, cùm id verbis expreſſis habeatur reſpondentibus poſtulato. Vnde ex eâ parte nihil eſt, in quo, ſi loquamur de Ordinibus, hærere debeamus. Aliunde autem difficultas eſſe poteſt; ex eo ſcilicet quòd penuria Miniſtrorum idioma Indicum callentium, tanta aſſeratur, vt illis communiter verbum Dei per interpretes annuntietur, nec poſſint ſuis Parochis Indi confiteri. Quod equidem aliquando ſic accidit, ſed iam Miniſtrorum copia eſt Indici idiomatis peritorum. Et illorum copiam non poſt multos extitiſſe annos ab expeditis præfatis Bullis, agnoſcit Concilium Limenſe tertium *Act*. 2. *Cap*. 33. Anno videlicet 1583. Quòd ſi in nouis aliquibus conuerſionibus nouum idioma reperiatur, illius profectò nullus eſt peritus ex iis, qui nati in Indiis, vnde & omnibus eſt pro illo addiſcendo pariter

Ex copia iam Miniſtrorum difficultas.

Digitized by Google

Qua depellitur.

pariter laborandum. Sed hoc non videtur vrgere. Nam Pontificia gratia non ſolùm pro tempore illo extraordinariæ penuriæ poſtulata eſt,ſed pro temporibus etiam futuris, in quibus perſpicuum erat copiam Miniſtrorum futuram: numquam tamen tantam, vt prædicti non poſſent, ſi Ordines & Beneficia ſuſciperent, maximum adiumentum ad Indorum conuerſionem, & promotionem in fide, ac Chriſtianis moribus exhibere. Conſtat hoc ibi: *Nunc, & pro tempore exiſtentibus,* & ibi; *Verbum ipſum maximum ſuſciperet incrementum, ac ſaluti animarum Indorum prædictorum plurimùm conſultum foret.* Ex quibus apparet finalem cauſſam conceſſionis nunc etiam locum habere, & futuris ſemper temporibus habituram. Cùm tamen vt priuilegium valeat, ſufficiens ſit cauſſam motiuam aliqualiter perſeuerare, vt eſt grauium ſcriptorum ſententia, pro quâ videri poſſunt P. Thomas Sancius *Lib.*8. *de Matrimon. Diſputat.*30. *numer.*8. vbi cum aliis reliquias cauſſæ permanere ſufficiens eſſe ait P.Palaus *Tomo* 1. *Tractat.*3. *Diſp.* 4. *Puncto* 15. *num.*7. Vbi congruum exemplum apponit in Religione, cui ob Regularem obſeruantiam, & fructum in proximos, conceſſum eſt priuilegium non decimandi: eo enim gaudet, etiamſi ab illa perfectione deſciuerit ob reliquias remanentes. Et exemplum hoc deductum eſt ex P. Suario *Libr.* 8. *de Legibus, Cap.* 30. circa quod philoſophatur P. Arriaga *Tomo* 2. *in* 1. 2. *Diſput.* 34. *num.* 10. *& ſeqq.* vbi & alia adducit, benè concludens non penitus ceſſare in illis cauſſam finalem. P. Sà verb. *Gratia, num.*24. & alij, quos refert & ſequitur Dom. Felicianus *ſuprà, num.*127. & viſus poſt hæc ſcripta Dom. Reyna *Tomo* 1. *de Perfecto Prælato, Lib.*6.*Tract.*2.*Cap.*8.

Sufficere finalem cauſâ aliqualiter extare, vt priuilegium locũ habeat.

Congruum exemplum.

In vſu Priuilegij vt peccari grauiter poſſit, Meſtizos præſertim promouendo ad Sacros Ordines, &c.

69 Poteſt autem in Priuilegij prædicti vſu grauiter peccari, & id Sede vacante, frequentiùs euenire, ex eo quòd in ſuâ Bullâ Gregorius exigit, dum ſic ait: *Si aliàs idonei, & iuxta Decreta Concilij Tridentini qualificati fuerint, & dictum Idiomo loqui & intelligere ſciuerint; ſuper quibus conſcientiam veſtram oneramus.* Sic ille. Pro quo videnda, quæ diximus *Titulo* 13. *num.*65. & quidem ſi de iis loquamur, qui ex Indis & Europæis mixtim progeniti ſunt, quos vulgo *Meſtizos* dicimus, pauciſſimi hucuſque inuenti ſunt, qui eâ morum maturitate, & vitæ candore præfulſerint, vt iis valuerit tutò miniſterium Parochiale committi: maternus enim ſanguis ad vitia pronus, & paternus incontinentiâ originis vitiatus, quid niſi vitioſam referant pronitatem, vt meritò de Zoilis iſtis dicere poſſimus, quod aliàs Martialis, rem magnam facturos, ſi boni ſint. Et verò homines iſti per leges Regias ab officiis Tabellionum, & publicis aliis arcentur; nec niſi ſpeciali diſpenſatione ad eadem admittuntur,vt videri poteſt apud Dom.Solorzanum *Lib.*1.*Cap.*28. *num.*36.*&* 37. & in Politicâ *Lib.*2. *Cap.*30. *Pag.* 247. *in principio.* Quomodo ergo ad ſacros Ordines, & Paſtoralem curam, omnium diuinorum diuiniſſimam, iuxta D. Dionyſij vulgatiſſimum effatum, ſine aliquo diuinæ gratiæ miraculo,quod quidem debeat ab iis, ad quos id ſpectat, diligenti explorari examine, idonei eſſe poſſint, coram Deo & hominibus bona ſuo genuina muneri prouidentes? Iuxta quod Regij etiam Concilij Indiarum prouidentia aduigilauit, dum per plures Schedulas,

Per leges Regias à publicis muneribus arcentur.

quæ extant *Tomo* 1. *impreſſarum, Pag.* 172. *& ſequentib. & Tomo* 4. *Pag.* 344. cauetur ne tales ad Sacros admittantur Ordines, & ne promotis Beneficia Curata, etiam Indorum, conferri poſſint; pro quibus & Dom. Solorzanus *Libr.*3.*Cap.*20. *num.*4. *& ſeqq.* & in Politicâ *Lib.*4.*Cap.*20. Illud ergo præclarum monitum Concilij Limenſis tertij *Act.*2.*Cap.*33. præ oculis habendum: ne Prælati *eo prætextu quòd Eccleſiæ laborant inopiâ Miniſtrorum, indignos ad ſacras functiones vocent: quia longè certe melius Dei Eccleſiæ & ſaluti Neophytorum conſulitur paucitate electorum Sacerdotum, quàm multitudine imperitorum.*

Concilij Limenſis monitum ſalutare.

De Priuilegio quoad Curata, vnde difficultas vt iam non valeat.

70 Iam de Priuilegio ad Beneficia Curata loquendo, eſt quidem aliquod dubitandi fundamentum: nam Gregorius in ſuâ Bullâ id expreſsè non concedit, & Pius de irregularitatibus ex delicto prouenientibus loquitur, vt ex tenore conſtat,ibi: *Quaſcumque perſonas à delictis,per quæ irregularitas contrahitur, homicidio voluntario extra Bellum commiſſo, ac ſimoniæ labe dumtaxat exceptâ, &c. ad obtinenda & obtenta Beneficia Eccleſiaſtica, & officia quæcumque, &c.* Sed certè fundamentum hoc non eſt ſufficiens, vt ampliſſimum priuilegium reſtringere debeamus. Et Gregorius quidem id non obſcurè ſuâ in conceſſione ſignificat, ex cuius tenore conſtat motum ad illam,ex eo quòd penuriâ ſacerdotum exiſtente,fieret ex eo *communiter verbum Dei cum interpretibus ipſis Indis annuntiandum eſſe, at Indi peccata ſua confiteri non valent.* Atqui Parochorum hoc proprium officium eſt, etſi deficiant Parochi ad prædicta idonei, non eſt Indorum ſaluti conſultum, etiamſi ſacerdotes alij ſint cum idoneitate prædicta, quia non ſunt cogendi Indi ad illos extra ſua oppida conquirendos: & ſi vocentur à Parochis vt coadiutores adſtent,omnia inconuenientia,quæ ex Parochiali curâ in illis timeri poſſunt,ex tali cohabitatione ſequuntur: vnde ſicut ab illa arcentur, ab iſta debent pariter arceri: ex quo fit Indos ſine remedio conuenienti remanere,& ita conceſſionem Pontificiam eſſe inutilem: quod conſtat dici non poſſe. Quæ inutilitas aliunde etiam colligi poteſt; ex eo ſcilicet quòd ſi malè nati prædicti ad Titulum Indorum ordinari non poſſunt, alij tituli difficilè in illis inuenientur, cùm & Beneficiis ſimplicibus & patrimonio careant; vnde eorum raritate in ſtatu ſacerdotali inductâ, exiguum inde adiutorium poteſt Indis egentiſſimis expectari.

Pius V.

Submouetur illa ſpecies amplitudine demonſtrata.

Greg. XIII.

De Bullâ Pij V. cuius etiam oſtenditur amplitudo.

71 De Bullâ autem Pij V. loqui eodem modo poſſumus, quia magnum in illâ apparet veritatis propoſitæ fundamentum, quamuis D. Felicianus illud conetur infirmare, contrà obnitente Dom. Reyna *ſuprà.* In illâ enim Pontifex teſtatur à ſe conceſſam facultatem Fratribus Ordinum Mendicantium in Indiis degentibus, vt in certis caſibus cum perſonis, quæ tam ex delicto, quàm ex non delicto irregularitatem contraxiſſent, in eadem diſpenſarent. Ad quid autem hoc ſi Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis ſimilem erat gratiam negaturus? Videretur equidem plus ſe Fratribus Ordinum dictorum fidere, quàm iis, qui ſupremis illis dignitatibus eminentes, maiorem debent erga Fideles ſolicitudinem exhibere. Cùm aliàs ſententia grauium Doctorum ſit, poſſe prædictos cum illegitimis ſine ſpe-

Digitized by Google

ciali licentia Pontificis diſpenſare, quoties id Eccleſiæ neceſſitas poſtulauerit, vt poſtulare in Indiis ob rationem dictam, & longam diſtantiam, videtur manifeſtum. Videantur illi apud Dom. Solorzanum *citato, Cap.* 20. *num.* 38. & in Politicâ *Lib.* 4. *Cap.* 20. *Pag.* 674. §. *Y aun ay.* Vnde non audiendus Ferdinandus Zurita *in Enchiridio Indico, Quæſt.* 2. vbi ait Epiſcopum non poſſe cum bigamo aut homicida diſpenſare, *qui Indicam gentem vniuerſam conuerſuri viderentur.* Quis enim hoc credat? Ideò P. Amicus *Tomo* 8. *Diſput.* 25. *num.* 39. omnino veram exiſtimat eſſe contrariam poſitionem. Concedit tamen diſpenſandi facultatem in caſibus frequenter occurrentibus, ſed hoc peculiare pro Indiis non eſt, & ita de Ieiuniis, & Feſtis tradunt communiter Doctores: plus ergo aliquid illis indulgendum. Deinde etſi Pontifex de irregularitatibus ex delicto contractis loquatur, eius tamen animus maioribus fauoribus præſtandis ſe promptum oſtendit, ex quibus poſſit animarum ſalus in regionibus iſtis promoueri: ex eoque affirmat ſe ad conceſſionem præfatam reſpectu Fratrum Mendicantium fuiſſe permotum: quæ quidem non tantùm ad irregularitatem ex delicto, ſed ad alias ſe conſtat extendiſſe. *Decens & debitum arbitramur, vt in iis, quæ animarum ſalutem, tranquillumque ſtatum reſpiciunt, ſimus fauorabiles & benigni. Hac igitur conſideratione ducti, aliàs dilectis filiis Fratribus Ordinum Mendicantium, &c.* Cùm ergo talis Pontificis animus ſit, conſtetque diſpenſationem cum illegitimis ad ſalutẽ animarum conducere, & conſequenter ad tranquillum ſtatum, quia tranquillus Indiarum ſtatus ex Indorum conuerſione, & exactâ in rebus fidei inſtructione dependet; ſi verba eiuſdem talem conceſſionem ſonant, etſi non ita expreſsè, non debet de illâ vllatenus dubitari. Prætereà, commoditati degentium in his partibus conſulere ſe velle Pontifex aſſeuerat; & ideò irregularitate non obſtante promotos, & ad Beneficia Eccleſiaſtica electos, ac in eorum exercitio verſatos, rehabilitari concedit, vt in miniſterio altaris ſeruire queant, & officia Beneficialia pariter exercere. Atqui id, quod in hoc genere maximè neceſſarium erat, irregularitatem ob natalium defectum concernebat, quia plurimi erant illum patientes ad Ordines & Beneficia promoti: ergo huic maximè incommodo ſtudet Pontifex prouidere; aliàs id, quod maximè intendit, ſine remedio permanebit. Quibus addendum, poſt fauorem Mendicantium Ordinum commemoratum, Pontificem adiicere ſe velle præfatos Eccleſiæ Principes gratioſo fauore proſequi: nihil ergo minùs fuit, quod ipſis præſtitit.

Sine priuilegio ſpeciali quid poſſint Epiſcopi. — *Ferdinandus Zurita.* — *Ex animo Pontificis ſatis inſinuato arguitur.* — *Illius verba.* — *Aliud eiuſdem argumentum.*

72 Iam quòd verba ipſa magis in ſpeciali id indicant, ex illis patet: *Ac cum eiſdem omnibus & ſingulis, nunc & pro tempore in partibus Indiarum exiſtentibus perſonis, quæ irregularitatem ex aliis, quam ex cauſſis prædictis contraxerint, ſuper irregularitate huiuſmodi, ex quibuſcumque cauſſis, præterquàm homicidii & occaſione ſimoniæ contracta, vt præfertur, eadem auctoritate Apoſtolicâ diſpenſandi, & illos ad obtinenda & obtenta Beneficia Eccleſiaſtica, & officia quæcumque, & ad altaris miniſterium rehabilitandi, reſtituendi, & reponendi, plenam & amplam licentiam & facultatem auctoritate prædictâ perpetuò per præſentes concedimus, & elargimur.* Sic ille: qui præter duas illas irregularitates homicidii & ſimoniæ, ceteras diſpoſitioni ſubiicit Prælatorum: neque obſtare debet quòd Ablatiuum *Eiſdem* relatos referat ſecundùm omnes eorum qualitates, & in præſenti illorum tantùm præceſſerat mentio, qui propter delicta irregularitatem contraxerant, ibi: *Quaſcumque perſonas à delictis, per quæ irregularitas contrahitur, &c.* Id enim conceditur. Sed quid inde? An non pro eiſdem aliquid aliud concedi poteſt? Pro quo obſeruandum, non eodem modo locutum Pontificem vtrobique: Priùs enim ait: *Quaſcumque perſonas.* Deinde, *cùm eiſdem omnibus & ſingulis*, vt plenior inde appareat conceſſio, qualem ipſe in fine pronuntiat, *Amplam licentiam & facultatem.* Et quidem euidenter conſtat non eſſe illam ad irregularitatem pro delictis contractam, arctandam: quia dum Pontifex homicidii cauſſâ contractum excipit, ſic habet: *Homicidio voluntario extra bellum commiſſo.* Ergo commiſſum in bello diſpenſari nequit, quod autem extra bellum poteſt diſpenſari. Et tamen hoc ſine peccato poteſt contingere: non igitur ad irregularitates ex delicto conceſſio debet, immò nec poteſt, arctari.

Expreſſior verborum tenor. — *Obſeruatio peculiaris.*

73 Vbi non eſt vis aliqua facienda in eo, quòd irregularitates, quarum abſolutio & diſpenſatio conceditur, dicantur contrahi, quod ad eas, quæ per actus proprios accidunt, videtur poſſe tantùm applicari: & ita irregularitas ex defectu natalium non dicitur contrahi, ſicut neque illa, quæ ex defectu aliquo naturali, vt cœcitate, & ſimilibus. Ad hoc enim facilè reſponderi poteſt etiam prædictam irregularitatem dici poſſe contrahi, quatenus cum origine trahitur, ad eum modum, quo peccatum originale contrahi dicitur, & alii naturæ defectus ex peccato prouenientes, vt benè explicat D. Thomas 3. *p. quæſt.* 14. *articul.* 3. qui proptereà eos Chriſtum non contraxiſſe docet, quia in illo peccatum non fuit, cum quo trahi illi potuerint, vt effectus cum cauſſa: *& ideò Chriſtus non contraxit huiuſmodi defectus, ſicut alii.* Sic ille claudit Articulum. Quia ergo vitiatæ origini irregularitas adnexa eſt, meritò contracta dici poteſt, quia illius cauſſa motiua peccatum eſt, quod cùm in parentibus fuerit, in filiis vindicatur. Et vt demus non ita propriè dici quòd talis irregularitas, ſicut & aliæ ex naturæ defectibus, contrahantur; cùm tamen priuilegium apertè fauorabile ſit, vt Pontifex atteſtatur, amplè explicandum eſt, etiamſi voces à ſua magis propria ſignificatione extrahi videantur, iuxta dicta *Titulo* 12. *num.* 18. & 29. Sic enim eſt modus vnus amplæ interpretationis ſeruatâ verborum proprietate: quia in aliquo proprio ſenſu verificantur, & effectus eſt illis adæquatus, vt cum Doctoribus, quos pro eo laudat, docet P. Suarius *Lib* 8. *de Legibus, Cap.* 28. *num.* 17. Pro fundamento autem ſpeciali, quod ad Indica priuilegia ſpectat, videnda quæ diximus *Titul.* 12. *Cap.* 2.

Omnes irregularitates dici poſſunt contrahi. Vnde occurritur obiectioni. — *D. Thom.* — *Chriſtus cur non dicatur contraxiſſe naturæ humanæ defectus.* — *Quia fauorabile priuilegium, generalior redditur ratio.*

74 Neque vlteriùs obſtare debet obiectio ex eo quòd Pontifex concedat facultatem ad rehabilitandos, reſtituendos, & reponendos malè promotos ad altaris miniſterium, & ad obtinenda atque obtenta Eccleſiaſtica Beneficia. Per hoc enim ſupponitur eos aliquando habiles fuiſſe, & ita in eum ſtatum beneficio Apoſtolicæ gratiæ redire: qui enim numquam habilis fuit, ſi reddatur habilis, habilitari, & non rehabilitari dicitur:

Quòd facultas ad rehabilitandum tribuatur, non obſtare.

Digitized by Google

dicitur: neque reſtitui, qui numquàm in poſſeſſione fuit: neque reponi, qui poſitus anteà non fuerat, vt videtur extra controuerſiam. At hoc dici de patientibus natalium defectum nequit, quia iſti numquàm habiles ad prædicta fuerunt, quandoquidem cum originali irregularitate concepti & nati, iuxta nuper dicta. Et ita ſolùm de prioribus illis eſt accipiendum, qui irregularitatem ob delicta contraxerunt. Non inquam debet obſtare, quia licet totum id, quod aſſumitur, verum ſit; rehabilitatio, reſtitutio, & repoſitio, ad eos referendæ ſunt, quibus poſſunt conuenire. Itaque ſenſus eſt, rehabilitandos, reſtituendos, & reponendos, qui tali aliquo deprehenſi fuerint indigere. Quemadmodum in Cap. *Omnis vtriuſque ſexus*, de Pœnit. & remiſſ. præcipitur. *Vt omnis vtriuſque ſexus fidelis, poſtquàm ad annos diſcretionis peruenerint, omnia ſua ſolus peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti.* Quod intelligendum eſt de iis, qui habuerint, quæ debeant neceſſariò confiteri. Vt enim Gloſſa ibi, verb. *Omnia ſua peccata*, de venialibus non eſt obligatio: *Non tamen venialia* (verba illius ſunt) *quia illa tolluntur per Orationem Dominicam, vel per aquam benedictam. De Pœnit. diſt. 3. Cap. De quotidianis. Et Diſt. 7. Cap. Qui vult.* Sic Gloſſa. Et eodem modo reſpondendum eſt obiectioni ex eo petitæ, quòd Pontifex præcipit vt abſoluti Pœnitentias à Confeſſoribus impoſitas teneantur adimplere: de illis enim exponendum, qui irregularitatem ob delicta contraxerunt. Quibus addere poſſumus ſententiam eſſe aliquorum inter irregularitates ex delicto numerandam illam, quæ ob defectum natalium venit, cuius cauſſa delicta parentum extiterunt. Et ita quando occulta eſt, ab Epiſcopis poſſe diſpenſari, graues Scriptores tenent, apud Dianam *Parte 4. Tract. 2. Reſolut. 64.* Et *Parte 10. Tract. 11. Reſolut. 24.* apud quem etiam *Tract. 13. Reſolut. 30.* aliqui tenent per defectum talem non incurri irregularitatem, aut ſaltem id eſſe probabile. Sicut ergo cùm de irregularitatibus agitur in foro occulto, quæ ex defectu natalium oritur, eo nomine comprehenditur, ita & in foro externo quando pro illo facultas conceditur ad diſpenſationem: quia vtrobique eadem eſt ratio: quòd ſcilicet illa ex delicto parentum trahat originem, quod Eccleſia vult in filiis caſtigare.

Congrua explicatio.

Ex Cap Omnis vtriuſque ſexus, roboratur.

Gloſſa.

Irregularitatem ex defectu natalium, ex delicto dici poſſe in Ordine ad diſpenſationem, ſententia aliquorum.

Circa diſpenſationem in homicidio an quidquam ſpeciale in Indiis.

Affirmatiua reſponſio.

75 Reſpondeo affirmatiuè, & in primis generaliter id ſtatuo iuxta dicta, poſſe ſcilicet Capitulum, quidquid Epiſcopi circa illud, in quo diuerſæ ſententiæ Doctorum extant. Eſt autem ſpecialis difficultas circa homicidium in bello, cuius diſpenſatio à Pontifice conceditur, vt vidimus *num. 70.* Et quando bellum iuſtum eſt, irregularitatem ex defectu lenitatis prouenientem, ſicut & aliam quamcumque eiuſdem generis, poſſe diſpenſari ab eo, cui ampla facultas conceditur, excepto homicidio voluntario & bigamia, tenent Doctores, quos adducit & ſequitur Diana *Parte 4. Tract. 2. Reſolut. 69. §. Quid ego.* Et idem eſt quando homicidium, aut alia ſpecialis irregularitas excipitur, vt in Bulla prædicta excipitur ſimonia. Vnde licet ſint Doctores, qui apud eumdem *ibidem.* & etiam *Reſolut. ſequenti* cenſeant Epiſcopos non poſſe in irregularitate ex defectu lenitatis diſpenſare, quorum ſententiam ipſe probabilem reputat: in caſu autem noſtro nequit de facultate dictâ dubitari ob ſpecialem conceſſionem. Sed quia in bello poteſt etiam iniuſtum homicidium committi, videndum an illud ſit diſpenſabile virtute dicti priuilegij. Et quidem quando bellum eſt apertè iniuſtum, non videtur eſſe poſſe dubium, quia malitia talis homicidij ex nullo poteſt capite excuſari; immò grauior multò apparet, cùm ad occiſionem immanem quàm plurium extendatur. Pro quo P. Præpoſitus *3. p. q. 5. de Irregularitate num. 93.* Quando autem bellum iuſtum eſt, & in eo moderamen non ſeruatur, quia is, qui ſeruari poterat, occiſus eſt, vel circa quem, vt quis ſe defenderet, ſatis erat vulneratio non lethalis, videtur dicendum poſſe cum eo diſpenſari, quia Pontifex de homicidio tantùm extra bellum facto exceptionem apponit: poteſt ergo intra bellum factum diſpenſari. Si dicas: Ergo & in bello iniuſto. Id negatur: quia bellum iniuſtum non erat cur exciperetur, quandoquidem homicidium in eo factum nullam habet ſpecialem rationem vnde minui eius malitia poſſit. Cùm ergo de iuſto ſermo ſit, & homicidium in eo factum generaliter excipiatur, ſitque priuilegium amplè explicandum iuxta dicta, ſupra illud cadere diſpenſatio poteſt.

De homicidio in bello oſtenditur.

Sed dubiũ quando eſt illud iniuſtum.

76 Caſum autem proponit Diana, in quo etiamſi bellum ſit iniuſtum, non incurratur irregularitas; quando ſcilicet aliquis inuaſus non poſſit ſibi aliter conſulere, ſeruato moderamine inculpatę tutelæ. Quod non vt certum, ſed vt non improbabile proponit. Cui tamen non aſſentitur Petrus Cornejo *3. p. Tract. 5. de Irregularitate Diſput. 11. Dub. 2. Quæſt. 3.* Sicut nec Cardinal. Lugo *Lib. 4. Reſponſorum moral. Cap. 17. num. 5.* Licet autem probabile non ſit, videtur tamen diſpenſabile virtute dicti priuilegij & ratio pro illo, ſicut & pro alio, de quo prius, illa eſt, quòd neutrum eſt plenè voluntarium. Quando enim in bello iuſto aggreſſiuo, (in defenſiuo enim communis ſententia eſt non incurri irregularitatem, pro quo videndi Auctores apud Dianam *citato Tractatu 2. Reſolut. 29.*) occiditur aliquis non ſeruato moderamine, aliqua in eo neceſſitas inculpata eſt, propter quam bellum aſſumitur. Et prætereà difficile eſt in conflictu moderationem ſeruare, & ita eſt ex ea parte modus aliquis neceſſitatis. In bello item iniuſto, etſi neceſſitas nulla antecedenter fuerit, in flagranti tamen fuit illa conflictu; neque enim debet quis ſe occidi permittere, præſertim cùm alius moderatâ eſſe poterat defenſione contentus.

Caſus pro bello iniuſto, in quo irregularitas non incurritur, aut poteſt diſpenſari.

Circa Bigamiam an etiam ſpeciale quidquam.

77 Scio pro illa à Capitulo diſpenſationem aliquando præſtitam, cui tamen Epiſcopus deferre noluit, Minorum tantùm Ordinum collatione contentus, quia ad hoc diſpenſare ſine

Quid ſenſi priuilegio circa illam poſſit.

Digitized by Google

priuilegio Capitulum potuit, ſicut & Epiſcopus, vt plures Doctores tenent apud Dianam *Reſolut.* 62. Quidquid P. Amicus reluctetur *Tomo* 8. *Diſputat.* 25. *num.* 35. Et quidem ſi Epiſcopi poſſunt ad Maiores, de Capitulo non eſt dubitandum. Et in primis ſi illa ex peccato veniat, diſpenſabilem eſſe ab Epiſcopo, Doctores non pauci tradunt apud Diana *Reſolut.* 61. Quod & tenet P. Amicus *num.* 38. ſicut & à Commiſſario S. Cruciatæ: pro quo videri etiam poſſunt P. Palaus *Tomo* 4. *Tract.* 25. *Puncto* 11. *num.* 5. Et P. Mendus *in eamdem Bullam Diſput.* 37. *num.* 62. Quia verò ſunt, qui & Epiſcopis & Commiſſario id negent, ad firmiorem diſpenſationis ſtatum rectè poteſt priuilegij ſuffragium aduocari. De propriâ autem bigamiâ aut interpretatiuâ, quæ ex delicto non oritur, loquendo, negari nequit eſſe probabile, quia excepta non eſt, ſicut alibi ſæpiùs excipi ſolet, ex communibus regulis, quòd exceptio firmat regulam in contrarium; quòd interpretatio contra eum facienda eſt, qui rem dicere clariùs potuit; quòd non ſit præſumendus velle, quod ſi voluiſſet, expreſſiſſet, de quibus non ſemel & eſt Textus ſatis vulgatus in Cap. *Ad Audientiam, de decimis*, & alij de regulis iuris *in* 6. Et ita de bigamia ob ſimilem rationem, de Religioſis loquentes, tenent apud Dianam *Reſolut.* 63. docti Scriptores, quia videlicet excepta non eſt.

Probabile eſſe propriam, & non ex delicto, eſſe diſpenſabilem.

Generalem regulam de conceſſione generali non vrgere.

78 Quòd verò ex vulgata etiam regula dici poteſt, in generali conceſſione non venire ea, quæ quis non eſſet in ſpecie veroſimiliter conceſſurus. Cap. *In generali*, ſuprà; non vrget, quia conceſſio priuilegij præfati non eſt generalis, quandoquidem in illa irregularitates aliquæ excipiantur. Prætereà non eſt veroſimile Pontificem huiuſmodi facultatem non fuiſſe conceſſurum; quia vt eam concederet ſingularis ratio extitit, qualis forſan maior nulla multis retrò actis ſæculis; conuerſio inquam Noui mundi, & pro tantæ molis negotio neceſſitas Miniſtrorum. Vnde & inter facultates Archiepiſcopo Limenſi, quæ & aliis concedi Epiſcopis ſolent, ea inuenitur, *vt in bigamia vera diſpenſare poſſit, ſi neceſſitas operariorum fuerit.* Vbi cùm veram concedat, pro aliis extare videtur ſupponere facultatem.

Quid ſi occulta.

79 Si autem occulta bigamia ſit, quod in interpretatiuâ poteſt frequenter accidere, ſine vllo ſcrupulo procedendum: quia & in illa poſſe diſpenſare Epiſcopum probabile eſt, iuxta opinionem eorum, qui cenſent Epiſcopum poſſe diſpenſare in homicidio occulto, vt videri poteſt apud Dianam *Parte* 6. *Tract.* 6. *Reſolut.* 51. Cùm ergo pariter prohibeantur homicidium & bigamia; ſicut illud quando eſt occultum, diſpenſari ab Epiſcopo poteſt, ſic & iſta. Neque obſtare debet ratio ſignificationis, quia & illa etiam extat in bigamia ex delicto proueniente, quo non obſtante eſt diſpenſabilis, vt iam vidimus.

Circa Diſpenſationes Matrimoniales.

Aſſertio 2. Capitulum poſſe circa illas quid.

80 Dico ſecundò. Capitulum, Sede vacante, circa illas poteſt quidquid Epiſcopi poſſunt. Conſtat ex fundamentis adductis. Et de Matrimoniorum contractu loquendo, Concilium Limenſe Tertium nonnulla tradit *Act.* 2. *Cap.* 34. ſcilicet quòd ignoti & exteri, aut vagantes, nullo modo ad coniugium admittantur, niſi informationem prius Prælatus ipſe & viderit & probauerit. Quo non obſtante, id fieri à Capitulo poterit, & etiam ab eius Vicario ex ipſius commiſſione. Id probo. Nam licet Concilium Tridentinum *Seſſione* 24. *Cap.* 20. *de Reformat.* præcipiat, vt Epiſcopi per ſeipſos tantùm cauſſas Matrimoniales cognoſcant, graues Auctores affirmant ad Capitulum eam poteſtatem tranſire, vt videri poteſt apud Dianam *Parte* 8. *Tract.* 4. *Reſolut.* 22. quia Concilium tantùm excluſit à cognitione talium cauſſarum Prælatos inferiores; Capitulum autem inferius non eſt, ſed par. Quoad Vicarios autem ſimiliter philoſophandum; nam Vicarij Epiſcoporum poſſunt cauſſas prædictas tractare, vt quamplures Doctores docent, quos adducit & ſequitur Dom. Barboſa *Allegat.* 54. *numer.* 99. ergo & Vicarij Sede vacante, ſi eidem committantur. In caſu igitur noſtro non eſt de poteſtate dictâ dubitandum. Additur *ibidem* ne Ordinarij *in diſpenſatione Denuntiationum faciles ſe exhibeant, niſi cùm valde probabile eſt impedimentum malitioſum Matrimonio obſuturum.* In quo quidem Capitulum non ſe intromittere ſolet, totum illud Vicario relinquendo. Qui ſæpiùs, ſicut & Vicarius Epiſcopi, circa hoc minùs videntur ordinatè procedere. Eſt enim hoc Indiarum malum, vt interceſſionibus pleraque confundantur. Vnde ſatis prouidè à Concilio id præmonitum, quod vidimus, vtpotè quod incommodum iſtud Eccleſiaſticæ gubernationis altè percallebat.

quid Epiſcopi. Et quid de Vicarijs.

Concilium Trid.

Circa Denuntiationes praxis non probanda.

81 Licet autem non vtatur verbis præceptum indicantibus, ſed tantùm illis: *Animaduertant quoque Ordinarij*: mortale tamen peccatum eſt in Denuntiationibus ſine iuſtis cauſſis diſpenſare, vt cum aliis tradit Dom. Barboſa. *Allegat.* 32. *numer.* 50. Et ratio eſt clara: quia generaliter loquendo graue peccatum eſt diſpenſare in lege Superioris grauem continente materiam ſine iuſta cauſſa. Quia verò Concilium cum Ordinariis loquitur, exiſtimare quiſpiam poſſit, Vicariis, qui Ordinarij nomine veniunt, conceſſam diſpenſandi facultatem, etiamſi neque à Capitulo, & idem eſt de Epiſcopo, conceſſa non ſit. Sic enim circa Decretum Concilij *Seſſione* 24. *Cap.* 1. de Reformatione Matrimonij ſentiunt plures apud eumdem *Allegat.* 32. *citata numer.* 28. & 29. qui ſpecialiter de Vicario Epiſcopi loquuntur, & conſequenter debent idem de Vicario Capituli confiteri. Sed alij apud ipſum contrarium tenent, licet pauciores, fortiori tamen fundamento innixi; quòd ſcilicet poteſtas diſpenſandi in generali conceſſione non concedatur. Et addendum, cùm præſertim diſpenſatio in cauſſa magni momenti verſatur. Pro quo videri poteſt P. Henriquez *Lib.* 11. *Cap.* 13. *num.* 5. Quia enim grauiſſima eſt, diſpenſatio ſine iuſtâ cauſſa peccatum mortale ſecum portat & ſententiam æternæ damnationis. Propter quod etiam Concilium Tridentinum diſpoſuit, vt cauſſæ Matrimoniales per ſeipſos ab Epiſcopis tractigantur.

In quo ſit mortale peccatum.

Vicarij poſſunt ſine commiſſione ſpeciali diſpenſare.

82 Similiter de diuortij cauſſis aſſerendum, de quibus fit in citato Concilio Limenſi *Act.* 2. *Cap.* 35. *Diuortij cauſſam ſolus Epiſcopus per ſe cognoſcat,*

De diuortij cauſſis: apud Concilium Limenſe 3.

Digitized by Google

ſcit & finiat : poterit tamen eius Generalis Vicarius proceſſum vſque ad diffinitiuam excluſiuè formare : ſed niſi cauſſæ prorſus graues, ac perſpicuè probatæ interceſſerint, non ſunt Matrimonia, quæ Deus ipſe coniunxit, ſeparanda. Hæc Concilium. Quæ quidem de diuortio per ſententiam nullitatis, quæ prætenditur, intelligenda videntur, aut de ſeparatione perpetuâ : nam ſeparatio temporalis quoad torum non eſt tanti momenti, vt non poſſit illius cauſſæ cognitio & terminatio committi Vicario, ſicut & quoad cohabitationem, de qua loquitur Concilium Tridentinum *Seſſione citata Canone* 8.

Licet grauiſſima, non eſt graue peccatum eas committi.

83 Et quidem cauſſam Matrimonialem grauem eſſe & arduam Doctores tradunt, vt videri poteſt apud Dom. Barboſam *Allegat.* 84. *num.* 8. *& ſeqq.* Inter omnes autem Matrimoniales illa eſt præcipua, cùm de diſſoluendo Matrimonio agitur, & ita per Epiſcopum debet terminari. Sed non videtur pro hoc talis eſſe obligatio, vt abſolutè loquendo graue ſit peccatum eam commiſiſſe Vicario, qui ita doctus ſit, aut talem habeat Aſſeſſorem, cui non minùs quàm ſibi fidere poſſit Epiſcopus. Quod ex citato Scriptore colligitur, & ex aliis ab eo adductis *n.* 15. Vbi ait cauſſas Matrimoniales, quæ ad Epiſcopum ſpectant iure Ordinario, poſſe illum committere diſcutiendas & decidendas Doctoribus, qui eius Vicarij non ſunt. Vbi ſupponit Vicariis committi poſſe non ſolùm diſcutiendas, ſed etiam decidendas. Neque Concilium Limenſe grauius videtur onus imponere, ſed obligationem generalem Epiſcopis repræſentat, & quid eos facere oporteat iuxta Tridentini Concilij Decretum, quod in margine citatur, nec ampliùs quàm vidimus, iuxta receptam Scriptorum doctrinam videtur obligare.

Damna ex non bene inſpectis illis, vnde Matrimoniorum frequens diſſolutio.

84 Id autem quod de exacta probatione cauſſarum dicitur, grauiſſimam obligationem non tam inducit, quàm oſtendit, & ſupponit; ob cuius minùs perſpicacem animaduerſionem Matrimonia videmus paſſim diſſolui : circa quod nihil eſt quod addamus, cùm conſtat in eo graue committi peccatum, inde præſertim emergens quod teſtes leuiter examinantur; cùm circa hoc exactiſſima debeat cautela, & induſtriæ acumen adhiberi. Pro quo eſt Cap. *Cùm cauſſam*, de Teſtibus & ibi : *At eos diligenter examinare procures, & de ſingulis circumſtantiis prudenter inquirens, de cauſſis videlicet, perſonis, locis, tempore, viſu, auditu, ſcientia, credulitate, fama, & certitudine, cuncta plenè conſcribas.* Sic Innocentius Tertius. De quo *Tit.* 15. *num.* 30.

Circa examen teſtiũ.

Cap. Cùm cauſſam, *de teſtib.*

De diſpenſationibus per priuilegia Indiarum.

85 Circa diſpenſationes peculiares, quæ per priuilegia Indiarum concedi poſſunt, idem eſt quod de aliis præfatis aſſerendum : poſſe ſcilicet Capitulum circa illas quod & Epiſcopi. Quia verò in illis Ordinariorum tantùm mentio fit, vt videri poteſt *Titulo* 12. *num.* 392. *&* 408. dubitari poteſt an independenter à Capitulo id Vicario competat, qui Ordinarij nomine venit. Pro quo Bonacina *Tomo* 1. *Tractatu de Clauſura. Quæſt.* 1. *Puncto* 8. *num.* 3. & P. Thomas Sancius *in Opere morali Lib.* 6. *Cap.* 15. *numer.* 30. Et eſt ſanè probabile Vicarium eo nomine comprehendi, de quo & dictum *numer.* 81. quia tamen incertum, vt ibidem vidimus, vnde & multi, quos adducit Dom. Barboſa etiam *Allegat.* 54. *num.* 121. id negant generali illa aſſertione, quòd ſcilicet poteſtas diſpenſandi non veniat generali Vicariatus mandato : Epiſcopi per ſe ipſos ſolent diſpenſationes huiuſmodi aſſidentibus ſibi Societatis Patribus expedire. Quod Illuſtriſſimus Limanæ huius Metropolis Archiepiſcopus Dom. D. Petrus à Villagomez ita obſeruat, vt abſens etiam id reſeruet ſibi ; Patres per litteras conſulendo. Id ergo & Capitulum ſatis poſſet conuenienter præſtare : ſed faciliori expeditioni conuenientius apparet, vt illud Vicario committat : cùm aliàs eidem probabilis ſententia pro independentiâ circa effectum huiuſmodi ſuffragetur.

De peculiaribus quibuſdam Facultatibus Indiarum Epiſcopis conceſſis.

86 Dico tertiò. Facultates, quæ Epiſcopis Indiarum per quindennium conceduntur ad diſpenſandum in multis, Capitulo, Sede vacante, non competunt. Conſtat ex 28. in qua ſic dicitur : *Prædictas facultates communicandi, non tamen illas, quæ requirunt Ordinem Epiſcopalem, vel non ſine ſacrorum Oleorum vſu exercentur, Sacerdotibus idoneis, qui in eius Diœceſi laborabunt, & præſertim tempore ſui obitus, vt Sede vacante ſit qui poſſit ſupplere, donec Sedes Apoſtolica certior facta (quod quàm primùm fieri debebit) per delegatos, vel per vnum ex eis, alio modo prouideat : quibus delegatis auctoritate Apoſtolicâ facultas conceditur, Sede vacante, in caſu neceſſitatis conſecrandi Calices, Patenas, & Altaria portatilia, ſacris Oleis; ab Epiſcopo tamen benedictis.* Sic Pontifices. Vbi cum ab Epiſcopo deſignandum dicant eum, qui Sede vacante ſupplere poſſit, manifeſtè indicat facultates dictas ad Capitulum non tranſire. Quia verò dicitur *Sacerdotibus idoneis* eas poſſe committi, poterit Capitulo illas Epiſcopus delegare, & aliquibus ex ipſo, quæ ſacris ſunt Oleis conſecranda. Neque obſtare videtur quod additur : *Qui in eius Diœceſi laborabunt.* Tantùm enim per id exigitur, vt Sacerdotes tales curam ſuam ad totam Diœceſim extendant, & pro illius vtilitate laborent executione traditarum ſibi facultatum. Si enim impenſum aliàs laborem pro Diœceſis vtilitate Põtifices ad talem delegationem vellent, non equidem *qui laborabunt*, *ſed qui laborauerint*, edixiſſent. Animaduertat autem Capitulum ſibi curam à Pontifice iniungi, vt mortuo Epiſcopo ad Sedem Apoſtolicam pro facultatum confirmatione recurrant; quod neſcio an ita fiat. Ex huius autem diligentiæ neglectu non leue conſcientiæ grauamen incurritur, quia ad vſum licitum facultatum hoc onus imponitur : & Eccleſia earum fructu quoad conſecrationes eorum, quæ delegatis ante Epiſcoporum committuntur aduentum, ſatis ingenti priuatur : cùm præſertim in Indiis longiſſimæ eſſe ſoleant vacationes.

Aſſertio 31 Facultates quindennales Epiſcoporum Capitulo non competere.

Cui tamen poſſunt delegari.

87 Si roges an ab Epiſcopo morti proximo poſſint facultates dictæ Vicario à Capitulo eligendo committi. Reſpondeo negatiuè : quia cùm commiſſio talis *Sacerdotibus idoneis facienda ſit*, de illorum idoneitate debet Epiſcopo conſtare : quod tamen haberi nequit, cùm eligendus ignoretur. In hoc enim maximè verum habet ea committi

Non tamẽ Vicario à Capitulo, Sede vacante, eligendo.

Digitized by Google

mitti aliis non poſſe, quæ induſtriæ Epiſcopi concreduntur; quod & de aliis communis ſcriptorum doctrina Iuris diſpoſitioni innixa, reſoluit. Et facit præſertim Cap. *Quoniam, de officio & poteſt. iud. deleg.* ibi: *Cùm in his omnibus caſibus induſtriam & fidem perſonæ, cui talia committimus, eligere videamur.* Sic Gregorius IX. qui ſtatim quædam enumerat, in quibus non licet id, quod eſt commiſſum, alteri delegare, ſic inquiens: *Nulli cui commiſſum fuerit prædicare Crucem, vel excommunicare, vel abſoluere aliquos, diſpenſare cum irregularibus, vel iniungere Pœnitentias; liceat hæc de cetero alijs demandare, quia non ſibi iuriſdictio, ſed certum miniſterium potiùs committitur in hac parte.* Hæc ille. Simile autem in caſu præſenti accidit; nam electio idoneorum Sacerdotum ad functiones prædictas, non iuriſdictionis actus, ſed purum miniſterium eſt. Et cum Epiſcopis Pontifex loquebatur, vt ex Textu liquet, ex quibus ad alios Conſtitutio prorogatur. Pro quo videri poteſt Barboſa *in Collectaneis ad citatum Caput.* Vbi iuxta probatos Auctores multa adducit, ex quibus colligi poteſt perſonaliſſimam eſſe commiſſionem. Neque dici poteſt per ſe ipſum perſonam deſignare. Sed electam ab aliis: quia hoc perinde eſt ac ſi aliis deſignationem committeret, quandoquidem ipſi non poteſt de idoneitate conſtare, & ita idoneitas aliorum iudicio & electioni committitur. Et quidem quod maximè attendendum iniungitur, idoneitas eſt: cùm ergo hæc per deſignationem modo dicto factam nequeat agnoſci, nihil releuat quod hoc vnâ vel aliâ ratione Pontificis contrariâ peragatur.

Cap. Quoniam, de offic. & pot. iud. deleg.

In quibus non liceat commiſſio actus delegati.

CAPVT VII.

Nonnulla circa Capitulum, Sede vacante, in Indiis percurruntur.

Aſſertio 1. Capitulum poſſe vnire Beneficia.

88 DIco primò. Capitulum poteſt vnire Beneficia. Sic abſolutè loquendo tenent plures, quos adducit, & ſequi videtur Diana *Parte* 8. *Tractat.* 4. *Reſolut.* 31. licèt nonnulli apud eumdem contradicant. Ratio eſt quæ pro aliis remanet inculcata, quòd ſcilicet in ordinariâ iuriſdictione Epiſcopo ſuccedat, neque hoc in Sacris Canonibus exceptum reperiatur. Et pro exercitio huiuſmodi poteſtatis poſſunt in Indiis frequentes occaſiones occurrere; quia Indorum populis ad raritatem adductis, neceſſariũ, aut valde vtile eſt eos ſub vnius Parochi curâ conſtitui. Tunc ergo vnũ ex iis Beneficium vacans vniri alteri non vacanti poterit: aut ſi vtrumque vacet, vnum ex vtroque conflari. Hoc autem ſine conſenſu Patroni fieri nequit, quia Eccleſiæ omnes ſub illius curâ ſunt, & non debet in eis Paſtor, eo non annuente, collocari.

Aſſertio 2. Capitulum circa Clauſuram Monialiũ idem poſſe quod Epiſcopus.

89 Dico ſecundò. Valde probabile eſt Capitulum Sede vacante, in Indiis poſſe circa Moniales exemptas id, quod Epiſcopus in ordine ad Clauſuram, iuxta facultatem, quæ illi à Concilio Tridentino conceditur *Seſſione* 25. *Cap.* 5. *de Regularibus.* Vbi de exemptis eſſe ſermonem, quæcumque illæ ſint, etiamſi Prælatis Religionis ſubiectæ, communis ſententia eſt, pro quâ videri poteſt P. Palat *Tomo* 3. *Tractat.* 16. *Diſput.* 4. *Puncto* 9. *numer.* 7. & 8. Id probo. Nam ſi aliquid obſtaret, id certè eſſet, quòd in Concilio *ibidem* habetur illis verbis: *In Monaſterijs ſibi ſubiectis Ordinariæ; in alijs verò Sedis Apoſtolicæ auctoritate, &c.* Ea enim quæ ſub huiuſmodi qualitate conceduntur Epiſcopis, in Capitulum non tranſeunt, vt tenent Doctores in ſimili loquentes de Monaſteriis Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectis, quæ ab Epiſcopis vt delegatis Sedis eiuſdem gubernantur, de quibus *Cap.* 9. *eiuſdem Seſſionis*, & videri poſſunt apud Dianam *ſuprà*, *Reſolut.* 14. quos & ſequitur. Atqui probabiliſſima etiam ſententia eſt, quæ contrarium ſtatuit, & pro eâ ſunt multi grauesque ſcriptores, vt videri apud eumdem poteſt *citato nuper loco* & etiam *Reſolut.* 2. de quo & nos diximus *num.* 67. In Indiis autem probabilitas eſt maior; & talis quidem, vt videatur certitudinem exæquare. Nam Auctores contrariæ ſententiæ affirmant in caſu vrgentis neceſſitatis poſſe Capitulum viſitare, idque poteſtate ordinariâ, quando Moniales non ſunt immediatè Apoſtolicæ Sedi ſubiectæ: vnde & ſimiliter videntur in caſu, de quo loquimur, vbi minor eſt exemptio, conceſſuri. Tunc ſic. Si neceſſitas in Indiis occurrat, quia Prælati Regulares admoniti de remedio efficaci non curant, vrgens illa ferè ſemper eſt, quia vacationes Epiſcopalis Sedis ſolent eſſe prolixæ, & à Sede Apoſtolicâ nimis ſerò poteſt remedium expectari. Siue ergo delegata, ſiue ordinaria poteſtas ſit, illa eſt Capitulo tribuenda.

Conc. Trid.

In Indijs probabilitatem eſſe maiorem.

Ex doctrinâ P. Bauny roboratur.

90 Et quidem P. Bauny *Tomo* 1. *Tractat.* 11. *de Abbatibus, &c. Quæſt.* 24. *de Canonicis*, vbi ſententiam Dianæ, aliorùmque vt probabilem defendit, & in quam ſe trahi fatetur. §. *Deinde eſt*, cùm anteà ſic obieciſſet: *Si viſitare Capitulum non poteſt, quòd illis fiet? Si inſtitutum, itaque domus ac Ordinis peſſumdabunt? &c.* ita ſubdit: *Eſt quod reſpondeam, eſſe ſcilicet admonendum à Capituli Vicario Papam de re integra, ac ſi à ſemeſtri à litteris ad eum datis, malo non occurrat, tum videri honeſtam rationem habere Capitulum animaduertendi in ſontes.* Sic ille. Cùm ergo neque à ſemeſtri, neque ab anno integro, à litteris ad Pontificem datis, haberi reſponſum in Indiis poſſit, ſatis ex eo veroſimile apparet poſſe Capitulum circa huiuſmodi prouidere. Addit autem præfatus Auctot in hunc modum: *Quòd ſi (quod exiſtimo verius) facere id non poteſt, res videtur committenda Deo eſſe, aut ad noui Epiſcopi aduentum remittenda.* Sic ille. Atqui nouus Epiſcopus in Indiis nimis ſerò veniet: non eſt ergo inde ſatis neceſſitati prouiſum. Ad Deum autem negotium totum remitti, non videtur iuxta humanæ prudentiæ leges, quas Deus vult in gubernatione hominum obſeruari, vt vulgatum Prouerbium habet: *Deum rogando, & percutiendo malleo.* Vbi non prætereundum Auctorem dictum §. *Vltimo* aſſerere Capitulum, Sede vacante, poſſe Monialibus exemptis ac immediatè ſubiectis Papæ, dare licentiam ad egreſſum è Clauſtro in cauſis à Concilio *citat. Cap.* Epiſcoporum iudicio remiſſis, & à Pio V. ſpecialiter deſignatis. Quod probat quia ſuccedit in iuriſdictione Epiſcopo mortuo: licèt fateatur Epiſcopum id poſſe facere ex iuriſdictione delegatâ. Quod equidem non video quomodo ab illo conſequenter dici poſſit, qui priorem ſuam Aſſertionem de poteſtatis defectu

Quoddam illius non admiſſum effatum.

Aliud circa egreſſum Monialiũ minùs conſequens.

Digitized by Google

fectu in Capitulo ad viſitationem probat ex eo quòd illa ſit in Epiſcopo delegata, & ita non tranſmiſſibilis in Capitulum. In quo & Diana

Circa quod & Diana inconſequentia notatur.

videtur conſequentiæ defectu laborare, qui P. Bauny ſententia circa licentiam egreſſus propoſita *Reſolut.* 39. ſic concludit: *Sed hæc opinio non eſt admittenda ſtantibus Declarationibus Sacræ Congregationis, de quibus alibi dicendum erit.* Sic ille. Qui tamen *Reſolut.* 14. *citatâ*, ſic dixerat: *Ex quo etiam fit poſſe Capitulum, Sede vacante, concedere licentiam Monialibus immediatè ſubiectis Sedi Apoſtolicæ egrediendi à Monaſterio in caſibus permiſſis in Bullâ Pij V. quæ incipit.* Decori, & honeſtatis, *quamuis id pertineat ad Epiſcopum tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegatum, &c.*

Si licentia egreſſus ad Epiſcopum pertinet, poſſe etiam à Capitulo concedi.

91 Quidquid de hoc ſit, ſi licentia ad egreſſum in Monialibus exemptis, quamuis Prælatos Religioſos habeant, ad Epiſcopos etiam pertinet, quod Concilium ſignificat, & plures Auctores tenent, vt videri poteſt apud P. Thomam Sancium *in Opere Morali, Lib.6. Cap.*15. *numer.*26. P. Palaum *ſuprà, numer.*9. & Bonacinam *Tractatu de Clauſurâ, Quæſt.* 1. *Puncto* 8. *num.* 1. Si inquam neceſſaria eſt, eam poſſe Capitulum concedere, vt citati docent P.Sancius *num.*30. P.Palaus *num.* 10. & Bonacina *n.*3. qui Vicario Capituli idem

Quid de illius Vicario.

competere ait, ſicut & Vicario Epiſcopi, niſi ſpecialis prohibitio, aut verbo, aut vſu habeatur. Sed citati Patres id negant, ſpecialem conceſſionem eſſe neceſſariam affirmantes. Vtrumque probabile. Quia verò quod ad viſitationem ratione Clauſuræ attinet, ſi Epiſcopi id attentent, grauibus eſt obnoxium incommodis, vt experientia

Quâ procedendū cautela in negotio Clauſuræ.

comprobauit, videtur magis è re futurum, ſi remedium aliter accurent, Religioſos admonendo Prælatos; & ſi id non ſufficiat, Proregem, & Præſides exhortando, vt ipſi apud Prælatos inſtent, proteſtando etiam ſe rem ad Regium Indiarum Conſilium delaturos; id quod proderit aliquando ſic feciſſe. Quæ ſi eorum intentum non promoueant, & ſcandala manifeſta ſint, ſuâ illi vtantur poteſtate. Pro quo videri poteſt Zerola verb. *Moniales. Ad quartum, & ad octauum.* §. 4. Qui

Licentia vt neceſſaria, & cuius Prælati.

tamen licentiam à Prælato Religionis habendam cenſet; ſed immeritò: quia in iis, quæ Epiſcopis ſuo iure, aut delegatione Pontificiâ competunt, non eſt alterius, qui eorum Superior non ſit, licentia neceſſaria; immò etiam ſi Superior, eo non expreſſo. Illud certius, petitam & non obtentam ſufficere; aliàs ſine remedio deberent iſta relinqui, ſi Prælati licentiam concedere recuſarent.

Aſſertio 3. non poſſe licentias ab Epiſcopo cōceſſas ad audiendas Confeſſiones ſuſpendere.

92 Dico tertiò. Capitulum, Sede vacante, in Indiis non poteſt licentias ad audiendas Confeſſiones ab Epiſcopo Religioſis conceſſas, ſuſpendere, & ad nouum examen vocare. Probari id poteſt in primis, quia generaliter id non poteſt, vt probant Doctores, quos adducit & ſequitur Diana *Parte* 3. *Tract.*2. *Reſol.*27. §. *vlt.* & *Parte* 8. *Tract.* 4. *Reſol.*48. P. Palaus *Tomo* 4. *Tract.*23. *Diſp. vnica, Puncto* 17. §. *Anno* 1265. P. Pellizarius *Tract.*8. *Cap.*3. *n.*44. P. Martinon *Tom.*5. *Diſp.*53. *n.*74. P. Fagundez *de Præceptis Eccleſiæ, Parte* 2. *Lib.*7. *Cap.* 2. *n.*28. & *alij*. Et ratio eſt: Quia pro illis extat priuilegium à Clemente IV. conceſſum: quod licet

Priuilegiū Clem. IV.

PP. Dominicanis & Franciſcanis indultum fuerit, in illo tamen communicarit, qui communicationis gratiâ fruuntur, vt ſunt ferè omnes. Neque reuocatum illud à Concilio Tridentino, aut ab aliis Pontificibus, quæ ad approbationem attinent, reſpectu Regularium ad Epiſcoporum inſtantias reſtrinxerunt. Neque de tali priuilegio dubitari poteſt, cùm habeatur authenticum in Conuentu S. Franciſci Salmanticæ, vt teſtatur Emmanuel Rodericus *in Bullario, Tomo* 2. *Fol.* 36. cuius vltima

Illius tenor.

clauſula hæc eſt: *Veſtris igitur ſupplicationibus inclinati, præſentium vobis auctoritate concedimus, vt in huiuſmodi caſu poſitis vti tamdiu liberè prædictâ licentiâ, donec viduatis Eccleſiis prouiſum fuerit de Paſtore.* Sic Pontifex. Quòd ſi Capitulum licentias poſſet ſuſpendere, non poſſent Religioſi illis vacante Sede potiri. Licentiæ autem illæ non ſolùm pro audiendis Confeſſionibus, ſed pro prædicatione etiam erant, vt conſtat ex tenore conceſſionis, *nec non prædicandi*, ſicut & pro commutatione votorum aliquorum: vnde & de Prædicatione idem aſſerendum, etſi qua alia gratia in ordine ad votorum commutationem; circa quod Religioſi ampliſſimis priuilegijs perfruuntur. Iam pro Indijs ſpecialior eſt ratio, juxta dicta *Titul.* 12. *n.* 349. Et

Suſpenſionē Capituli futurā inutilem.

verò cùm Religioſi circa hoc probabiliſſimâ opinione procedant, & ſuſpenſione licentiarum à Capitulo propoſitâ, nihilominùs poſſint functiones prædictas ſine aliquo ſcrupulo conſcientiarū obire, quod benè obſeruauit P. Fagundez *ſuprà, n.* 29. & poſt eum alij; ſatis inconſideratè videtur ſuſpenſio publicari, ex quâ nullus ſperari fructus poteſt, ſed grauia incommoda ſuboriri. Quod non tollit quo minùs in caſu aliquo, vt notabilia inconuenientia vitentur, poſſit Capitulum licentias dictas, & præſertim ad prædicandum reuocare. Quod & factum à Capitulo Argyropolitano cum quodam, cui à Prouinciali Concilio licentia prædicandi fuerat attributa, quia eâ cum offenſione multorum, & non tolerabili ampliatione, licèt bonum præſeferret zelum, vtebatur. Dixi autem circa Prædicationem hoc ſpecialiter faciendum, quia in eâ poſſunt inconuenientia eſſe perſpicua, non ita in ijs quæ ad forum Pœnitentiæ ſpectant. In quo tamen talis eſſe inordinatio poteſt, vt inconuenientia ſe prodeant, vnde & ad vitanda illa poteſt ſe Capituli auctoritas interponere. Neque enim ſe priuilegio tueri poteſt, qui illo abutitur, cùm ſit conſtans doctrina indulgentiam & liberalitatem Eccleſiæ in priuilegiorum conceſſione patrocinium exceſſibus non præbere. Nec *Papa præſumitur concedere exorbitantia.* P. Sà verb. *Gratia, n.* 12. & *alij*. Et de Capitulo hæc ſit ſatis Capitula tetigiſſe.

APPENDIX AD TITVLVM XVI.

DE CLERICIS INDIARVM.

Multa quæ ad Clericos Indiarum ſpectant noſtro in hoc opere ſparſa ſuccurrent, nunc aliqua tantùm, quæ deſiderari poſſunt, præſtat delibaſſe. Ex quibus ſit

Suſpendia accepta pro Miſſis in Indijs an remitti in Hiſpaniam poſſint vt plures dicantur, ampliori quantitate mittenti reſeruata.

1 PRimum. (& eſt illud Parochis etiam Religioſiſque commune) An qui Eleëmoſynas pro Miſſis accipiunt, adeò multas, vt ſatisfacere per ſe ipſos nequeant, poſſint ſummam aliquam pecuniæ in Hiſpaniam tranſmittere, in quâ eleëmoſynæ aut ſtipendia minori quantitate conſtant, vt quatuor, vel ſex, aut octo, & vero etiam plures, diuiſis Indici ſtipendij, pro vnâ dari ſoliti, portionibus, iuxta regionum diuerſa ſtatuta, dicantur. Vbi diſtinguendum eſt, an ſcilicet is, quis debet, habeat vnde ſatisfacere per alios poſſit, iuſto ſtipendio in Indiis attributo: an verò ſoluendo debito non ſit. Et in priori caſu res videtur certa, teneri ad illas per alios in Indiis dicendas. Ratio eſt aperta: quia tenetur non differre ampliùs earum celebrationem, cùm iam ſat longum tempus effluxerit, vt arguit debiti magnitudo. Quæ eſt communis doctrina ſcriptorum, pro quâ Bonacina *Tomo* 1. *Diſput.* 4. *de Sacramentis*, *Quæſt. vlt. Puncto* 7. §. 5. *num.* 2. Villalobos *Parte* 1. *Tractat.* 8. *Difficult.* 18. *numer.* 2. Diana *Parte* 2. *Tractat.* 14. *Reſolut.* 25. Ludouicus à S. Ioanne, Alfonſus à Leone, Marchinus, P. Fagundez, P. Reginaldus, quòs adducit Hieronymus Garcia *in ſummâ Morali de ſacerdotio, Tractat.* 3. *Difficult.* 10. *Dub.* 8. *num.* 1. Victorellus *ad Cap.* 8. *Lib.* 2. Cardinalis Toleti §. *vltimo.* vbi alios refert. P. Palaus *Tomo* 4. *Tract.* 22. *Puncto* 14. *in fine.* P. Dicaſtillus *Tractat.* 5. *Diſputat.* 4. *numer.* 399. *& ſeqq.* Thomas Hurtadus *Tractat.* 2. *numer.* 195. *&* 196. multis adductis. Cùm ergo non poſſit per ſe illas dicere, tenetur per alios, qui earum celebrationem ſtatim exequantur.

Non poſſe, ſi obligatus ad illas habeat copiã pecuniæ ſufficientẽ, quia differri nequeũt.

Et Satisfacere per alios debet.

2 Quòd autem hoc modo ſatisfaciendum obligationi tali ſit, affirmant communiter Doctores, vt videri poteſt apud Baſſæum *in Floribus Theologicis.* verb. *Miſſa* 7. *n.* 3. Quamuis in hoc accuratâ diſtinctione vtatur Fraxinellus, & Alfonſus à Leone, quos pro eo laudat Hier. Garcia *ſuprà, dub.* 1. *n.* 12. Dicunt enim quòd ſi Miſſę erant dicendæ pro Defunctis, aut pro viuis in particulari, reſtitutio eſt facienda modo dicto, faciendo ſcilicet vt per alios dicantur. Si verò pro bono populi, aut Eccleſiæ cultu, ſummam illam pecuniæ poſſe in iis, quæ ad ſpiritualе bonum eiuſdem populi conferre poſſunt, & in ornatu Eccleſiæ. Si autem dicendæ erant ad aliquod beneficium à Deo impetrandum, cuius iam præteriuit occaſio, vt ſi pro ſalute eius, qui iam mortuus eſt, reſtitutio facienda ei, qui ſtipendium contulit. Aduertunt tamen præfati, quod ſi Miſſæ dicendæ erant pro bono populi aut Communitatis, iuxta Teſtatoris voluntatem, & ſacerdos eam velit Sacriſtiæ aut Eccleſiæ ſummam, quam debet, applicare, debet id auctoritate Epiſcopi interueniente præſtare. Iuxta hæc ergo, ſi reſtitutio ei, qui ſtipendium contulit, facienda ſit, ſatis apparet perſpicuum non poſſe in Hiſpaniam pro multiplicandâ ſacrificiorum celebratione tranſmitti. Sed neque ex aliis motiuis acceptum, quia cùm poſſit modò fieri reſtitutio, differri nequit, ſicut differri non potuit vſque ad præſentem articulum.

Sed diſtinctione vtẽdum.

Iuxta quã reſolutio.

3 Prætereà, aut tot Miſſæ in Hiſpaniâ dicendæ ſunt, ſtipendio iuxta morem regionum exhibito, quot ij, qui ſtipendium dedêre, dicendas voluerunt, eo, quod ſupereſt, ſacerdoti, qui accepit, reſeruato: aut totum, quod eſt acceptum, in eis eſt expenđendum. Primum ſtare nequit, quia dilatio noua interuenit ſine adiectione fructus alicuius, quem poſſit is, pro quo erant Miſſæ dicendæ, percipere, quæ ſanè mortifera eſt, iuxta Auctores dictos & alios communiter, ex quibus laxiùs loquentes dilationem vltra duos menſes eſſe mortalem affirmant, cùm alij, in quibus eſt P. Palaus, talem cenſeant, quæ menſem prætergreſſa. Poſt hæc autem ſcripta, ad manus venit *Tomus* 7. P. Arriagæ, qui *Diſput.* 56. *num.* 15. *in fine*, ſic ait: *Ego autem non eſſem ita ſcrupuloſus, ſed putarem medium annum poſſe concedi, quia etiam artificibus laborantibus in aliquo opere magni momenti ſolet anticipatò dari pars pecuniæ pro opere, quod non niſi ad quinque vel ſex menſes perfici poteſt.* Sic ille, qui pro inaudita laxitate exemplum enerue prorſus adducit, & ex quo contrarium poteſt apertè demonſtrari. Datur enim anticipatò pars pecuniæ, quia opus perfici nequit ante tempus illud, ne artifex diu ſine præmio laboret, quod citò perfici non poteſt. Atqui recipiens ſtipendium pro Miſſis, circa illas non laborat lato illo ſpatio: ergo diuerſa eſt in ea ratio. Præterea contra citatum Auctorem facit id, quod ipſe habet in fine diſputationis, vbi de infirmitate Capellani agens, & quærens quænam ſit talis, vt ea durante ad celebrandum per alium non teneatur, ſic ait: *Ego ſanè, quando vltra*

Vrgetur, ex dilatione, & qualis ſit mortalis.

P. Palaus.

P. Arriaga nimiam concedit laxitatem.

Exemplum ab eo adductum retorquetur.

menſem

Digitized by Google

Et doctrina alia priori contraria.

menſem protrahitur morbus, non dubito debere indicari longam. Et ſanè vix poſſumus præſumere Fundatorem conſenſiſſe in tam longam carentiam ſacrificiorum. Sic ille, priori dictæ doctrinæ penitus contradicens. Sed vt hoc demus, in noſtro caſu parum releuat iſta dilatio, vt conſtat; cum dilatione autem eſt inſuper retentio partis maximæ ſtipendij, pro qua titulus nullus eſt. Et licet non defuerint, qui id poſſe fieri tradiderint, eo quòd id, quod retinetur, velut fructus diligentiæ eſt: iam tamen ſententia illa iudicio Sedis Apoſtolicæ exauthorata eſt, vt non poſſit ſuſtineri.

Decreto Vrbani VIII. vt nihil poſſit, qui Miſſam per alium dicit, ſibi retinere, cum Cardinalium Declarationibus.

4 Eſt autem pro eo Decretum Quartum, & Declaratio authentica Sacræ Congregationis Cardinalium, quæ eſt in ordine ſeptima, pro quarum inuiolabili auctoritate videndus Hieron. Garcia *ſuprà Dub. 2. num.* 15. Cùm enim dubium circa præfatum Decretum in hunc modum fuiſſet propoſitum: *Quæritur an permittendum ſit Adminiſtratoribus Eccleſiarum, vt retineant aliquam Eleemoſynarum portionem pro expenſis manutentionis Eccleſiæ, Altarium, Inſeruientium, paramentorum, luminum, vini, Hoſtiæ, & ſimilium*, ſic reſponderunt: *Reſpondit permittendum non eſſe, vt Eccleſiæ, aut loca pia, ſeu illorum Adminiſtratores, ex Eleemoſynis Miſſarum celebrandarum vllam vtcumque minimam portionem retineant, ratione expenſarum, quas ſubeunt in Miſſarum celebratione: niſi cùm Eccleſiæ, & loca pia aliàs non habent redditus, quos in vſum earumdem expenſarum erogare licitè poſſint. &c.* Addenda etiam nona reſponſio, quæ in terminis reſoluit quæſtionem, ſic: *Ad Nonum, debere abſolutè integram Eleemoſynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec vllam illius partem ſibi retinere poſſe.* Hæc ibi. Licet autem ſint apud Thomam Hurtadum *ſuprà num.* 164. qui cenſeant Decretum dictum non eſſe receptum; ipſe tamen ei ſtandum cenſet, dum contrarium non conſtat: & meritò, quia poſſeſſio pro lege ſtat, iuxta recepta principia. Et iuxta hoc loquitur Ioannes Poncius in *Caſu Theol. Diſput.* 44. *num.* 130. Et D. Machadus *Tom.* 2. *pag.* 79. *fin.*

Plurium Miſſarum dicendarū intuitu non poſſe pecuniam tranſmitti.

5 Si autem dicatur ſecundum, neque illud ſtare poteſt: quia is, qui ſtipendium contulit, benè viderat ſummam illam in Hiſpaniam tranſmiſſam pro Miſſis pluribus ſuffecturam; & tamen id ita diſponere noluit, breuitatem temporis in eo & certitudinem, ſpei illi maioris cōmodi præferens: ergo aliter agens, contra illius agit voluntatem, & quidem rationabilem. Et quemadmodum ſi quis certam ſummam alio titulo debeat, non poteſt eam in Hiſpaniam tranſmittere, vt emptione & venditione mercium Creditoris vtilitas augeatur; ita etiam eſt in caſu præſenti dicendum, in quo ratio eſt eadem.

Qui ſoluendo non eſt, ad trāſmiſsionem non teneri.

6 Iam, ſi Sacerdos aliquis integrè ſoluendo non ſit, video in vſu haberi tranſmiſſionem pecuniæ talem, & à viris piis, & non indoctis probari. Circa quod in primis dicendum videtur id non eſſe in conſcientiæ foro neceſſarium, quia non eſt ſolidum pro obligatione huiuſmodi fundamentum. Hoc in loco contraxit, neque obligatio reſtitutionis pro alio eſſe poteſt, niſi is, qui debet, aliò ſe conferat, & ſit obligatio perſonalis: vnde ſi in Hiſpaniam iret Sacerdos tali obligatione grauatus, ibi ſatisfacere eidem poſſet. Et hoc quidem iuxta communem doctrinam eſt in materia reſtitutionis, ex qua habetur reſtitutionem, cuius obligatio ex contractu deſcendit, in quo pro re acceptâ eſt reddenda alia, ibi faciendam, vbi res, pro quâ datur, eſt accepta, niſi aliter ſit conuentum: pro quo Nauarrus, Bonacina, Sylvius, P. Vazquez, P. Leſſius, P. Filliucius, quos adducit & ſequitur Baſſæus verb. *Reſtitutio* 4. §. *num.* 11. P. Molina *Diſput.* 752. Conctus 2. P. Gaſpar Hurtadus *Tractatu de Iuſt. & Iure Diſput.* 8. *de Reſtitutione, Difficult.* 3. & alij paſſim. Ex eo autem quòd debitum deterioratum ſit, & integrè non poſſit eidem ſatisfieri, non oritur noua obligatio extraordinariæ illius diligentiæ; quâ etiam poſitâ incertum eſt an ſit modus ille conuenientior, ob incertitudinem aut dilationem.

Reſtitutiō vbi facienda.

Tranſmiſſionem non eſſe licitam oſtenditur.

7 Propter quam rationem ſatis eſt veroſimile neque id fieri poſſe: licet Thomas Hurtadus *ſuprà num.* 168. non ita damnandum dicat, vt putat Vega, ſi ob dilationem aliqua compenſatio fiat. Sed hoc non obſtante id fieri non poſſe ait, iuxta Decretum Vrbani VIII. quando quis partem ſtipendij ſibi reſeruat. Ego inſuper arguo: qui enim ſtipendium contulit, ſtatim obligationi ſatisfaciendum voluit: quod cùm ſecus factum ſit, quamprimùm debet ſatisfieri iuxta dicta: quod ſi integrè non poſſit, iuxta poſſibilitatem tamen. Neque dici poteſt dilationem vtilitate maiori ex ſacrificiorum æquato numero compenſari: quia cùm ſit hoc incertum ob nauigationum pericula, mari & hoſtibus infeſtis, non eſt congruus reſtitutionis modus. Vt verò debitoris conſcientia ſecura ſit & quieta, neque tranſuerſa illa torqueatur ſpina de non dictis tot Miſſis, quot fieri debuiſſent; ſi doctus eſt, habet quomodo id aſſequi valeat, ijs, quæ diximus, neutiquam ignoratis: ſi autem non doctus, iudicio ſe Confeſſarij docti ſubmittat, & vt animabus in Purgatorio detentis, quas ſacrificij ſubuentione fruſtrauit, non ex integro iniurioſus appareat, plenarias pro eis Indulgentias ſtudeat lucrari, aut beneficio Bullæ Cruciatæ, aut frequentium aliarum largitionum. Sic enim accidere poteſt vt Indulgentia vtilior animæ ſit, quàm ſacrificium; licet hoc in ordine ad Dei gloriam, & fructus alios, ſummæ ſit æſtimationis. Quia verò obligatio dicta maior eſſe & frequentior in Parochis Indiarum ſolet, ſi plenæ ſatisfactioni impares ſint, Bullas defunctorum ſumere pro eiſdem expediet, pro quibus debuerant celebrare. Quia verò tranſmiſſio dicta aliquibus non iniuſta apparet, in quibus eſt Vega verb. *Miſſa, Caſu* 5. generaliter loquens, cùm omnes, pro quibus eſt obligatio, dici non poſſunt, in ſuo illi cenſu poterunt abundare; & erit tolerabile, dummodo mare ſecurum ab hoſtibus ſit, & negotium perſonis in Hiſpania ſecuriſſimis committatur, quorum manibus non adhæreat: & de hoc poſſunt cum Beato Iob, ſed in Domino, gloriari.

Animabus in Purgatorio vt fieri poſſit ſatisfactiō.

Secundum quod inquiri erga Indicos Clericos poteſt, illud eſt, An qui ad Oratorium priuatum, vt Miſſam ibi dicant, vocantur, maius ſtipendium exigere poſſint.

Non poſſe maius petī ſtatuitur.

8 Scio petitum aliquando duplicatum ab eo, qui per ipſam tranſibat domum, in quâ rogatus eſt vt Miſſam celebraret: Sed eſt abuſus neutiquam tolerandus, quia neque vnum vltra taxam

currentem exigere obolum poteſt; cùm nihil in eo ſpecialis laboris ſupra ordinarium eundi in Eccleſiam ad ſacrificium offerendum reperiatur.

Quando id liceat exemplis declaratur.

Quando enim ſpecialis aliquis labor eſt, qui ſecundùm communem æſtimationem pretio ſit compenſabilis, & à Sacerdote adhibetur, recepta ſententia eſt plus aliquid prudentis eſſe arbitrio tribuendum, de quo poſt alios P. Dicaſtillus *Tomo* 1. *de Sacramentis Tract.* 5. *Diſput.* 4. *num.* 322. vbi exempla apponit eius qui obligatus ad iter vnius leucæ ob dicendam Miſſam, vel ad miniſtrandum Sacramentum, vel ad dicendas Miſſas certis horis, & non aliis, ſicut & certis locis, ad celebrandum ſub dio, vel loco malè ſano, vel ad expectandum quotidie vnam vel duas horas ad dicendam Miſſam. Pro quo & Cardin. Lugo in *Reſponſis moral. Lib.* 5. *Dub.* 18. *num.* 3. Atqui in caſu noſtro nihil horum, nec ſimile quidquam interuenit, vt eſt compertum, & ita eſt exceſſus manifeſtus.

Nihil tale exigi poſſe ob certi loci obligationem

9 Si dicas obligari ad celebrandum in tali loco; id non ſatisfacit: quia pro tali obligatione tunc accipi aliquid poteſt, quando ex eo ſpecialis labor accreſcit, & priuatio libertatis non connexa generali obligationi, iuxta id quod eſt vſu receptum, & Prælatorum ſtatuta præſcribunt. Vnde ſi quis Sacerdoti exiſtenti in Eccleſia offerat commune ſtipendium, vt in eadem Eccleſia, atque in altari determinato Miſſam faciat: non poteſt aliquid ſupra commune ab eodem exigere: & ita ſi Prælati exigentem ſcirent, non ſinerent impunitum. Et tamen priuatur libertate dicendi alibi, & aliquod fortè incommodum patitur; ſed ex iis, quæ communiter recurrunt, & ita pretio peculiari non debent æſtimari. Quemadmodum ſi ſpecialis Miſſa ab eo petatur, per quod libertate priuetur dicendi aliam. Et vt demus in caſu, de quo agimus, plus aliquid exigi potuiſſe; non tamen duplum; immò nec medietatem; quia labor ille valde tenuis eſt. Quod ex eo deduci clarè etiam poteſt, nam ei, qui vt Diaconus, aut Subdiaconus in Miſſâ ſolemni miniſtrat, medietas ſtipendij datur pro Miſſa dari ſoliti; vbi certe labor eſt maior, & prolixior occupatio. Eſt autem caſus communis, ſed quia in Indiis plus fortè aliquid ſibi Sacerdotes circa hoc arrogant, & valde eſt frequens in Oratoriis, aut Cameris etiam ſæcularium, Miſſarum celebratio, vt Indiarum debuit proprius pertractari.

Exemplis eruncitur.

In ſtipendio inueniri iuſti pretij varietatem.

10 Pro quo addo ſententiam eſſe quorumdam Doctorum in ſtipendio Miſſæ inueniri varietatem iuſti pretij, quam communiter Doctores admittunt, vt videri poteſt apud P. Suarium *Tomo* 3. *in* 3. *p. Diſput.* 86. *Sect.* 2. §. *Dico Secundo.* Et apud Hieron. Garciam *ſuprà Dub.* 4. *n.* 7. vbi ait cum aliis, in Caſtella morem vigere, vt ſtipendium Miſſæ ſit Regalis argenteus, & Regalis cum Quartello, & etiam Regalis cum dimidio. Regalis ergo cum dimidio eſt pretium ſummum, Regalis cum Quartello medium, & Regalis ſolus infimum, infra quod non licet ſæculari ſummam ſtipendij præſtare. Hoc autem in Indiis non facile accommodari poteſt, quia per legem eſt ſtipendij quantitas conſtituta, licet pro regionum varietate, maior aut minor ſit: ſemper tamen pro illis præfinita. Nihilominus non videtur doctrina prædicta penitus improbanda; quia non eſt vnde conſtet cum tanto rigore ſtipendium conſtitutum vt ei debeat inuiolabiliter inhæreri. Pretium ergo Octiregalis argentei, quod communius eſt, ſummum eſſe videtur, quia ſic receptum apparet, vt nihil vltra exigatur: tribuitur etiam communiter, quia homines circa hoc liberales ſe ſtudent exhibere. Sed ſi quis minus aliquid dare velit, Regalem videlicet, & ita cum Sacerdote paciſcatur, non eſt talis pactio reprobanda. Et erit fortè, qui ad Regalem cum dimidio, aut duos etiam extendat: quod minus certè eſt, proportione ſeruatâ, quam pro Caſtella citati Auctores allegant. Ex quo infero quòd ſi dicturo Miſſam leuis aliquis labor accedat, non ideò debet ſtipendium augeri, quandoquidem plus datur, quàm pro illo generaliter debeatur.

Quomodo id locum habere in Indijs poſſit.

Poſſe contrahi pro maiori ſtipendio ſententia aliquorum, & ſatis probabilis.

11 Poſſet autem aliquis in caſu, de quo loquimur, Doctorum quorumdam ſe doctrinâ tueri apud citatum Garciam *num.* 9. iuxta quam Sacerdos poteſt cum eo, qui dici Miſſam exoptat, de maiori ſtipendio paciſci, quàm ſit commune, dummodò hic voluntariè id præſtet, *quia contractus ex conuentione legem accipere dignoſcuntur*, vt eſt regula iuris notiſſima. Non enim Epiſcoporum leges mutuam liberalitatem paciſcentium prohibere poſſunt, vt vnus petere minus nequeat, & alius dare non poſſit ampliùs, vt cum Patribus Suario & Vazquez obſeruat P. Dicaſtillus *ſuprà num.* 367. Et tenet etiam P. Azor *Tomo* 3. *Lib.* 12. *Cap.* 6. §. *vltimo.* Et Cardin. Lugo *ſuprà num.* 5. Vnde & ſacra Congregatio Cardinalium *ſuperiùs* adducta determinat, ab eo, qui ſtipendia pro Miſſis accipit, tot eſſe dicendas, quot illa fuerint, *quantumcumque incongrua & exigua* illa eſſe contigerit: cuius Decreti violationem declarat eſſe peccatū mortale, & cum obligatione reſtitutionis. ſic §. *Deinde die* 1. *Iunij* 1625. Quod equidem non poſſet ſtare, ſi minus quàm taxâ eſt communi firmatum accipi non poſſet: quia ergo ex voluntaria pactione acceptum, obligatio dicta conſurgit. Vnde non videtur generaliter admittendum, quod ait P. Granadus *Tomo* 2. *in* 3. *p. pag.* 107. *à n.* 8. de ſtipendiis non integris.

Pro ſtipendio accepto, etſi exiguo dicendi Miſſam obligationem conſurgere.

Sententiam dictam non ſuffragari in caſu, de quo agitur, ob neceſſitatem, ex qua contrahitur.

12 Quæ licet ita ſint, non tamen, vt dixi, in caſu, de quo agimus, & ſimilibus, tueri huiuſmodi doctrinâ ſe quiſquam poteſt, quia in eo ſtipendium conferens non eſt voluntarius, ex neceſſitate enim, vt infirmi aliqui aut impediti Miſſam in die feſto audiant, & ex eo generaliter fine, propter quem indulto Oratorij gaudet, ad curandum, vt dicatur Miſſa, progreditur, conſolationi ſuæ & multorum conſulens: quando autem neceſſitas eſt, ibi voluntarium perfectum eſſe non poteſt, qua ratione vſurarius à reatu immunis non euadit, ex eo quòd alius voluntariè lucrum offerre videatur, quia ſcilicet voluntarium illud perfectum non eſt, cùm oblatio talis ex imperio neceſſitatis oriatur. Nequit ergo generaliter loquendo Sacerdos plus petere quàm taxa recepta fuerat: ſi autem offeratur à ſciente & volente, admitti poteſt, & ſic pactio celebrari.

Obligationem reſtitutionis eſſe qui negent.

13 Sed circa obligationem reſtitutionis ſunt qui cenſeant illam non oriri ex huiuſmodi iniquâ pactione: ſic enim tenet Alfonſus à Leone *de officio Capellani, Quæſt.* 1. *Sect.* 9. *num.* 83. ex eo quòd non videatur obligatio eſſe iuſtitiæ commutatiuæ, quia ſacerdos abſolutè non eſt obligatus ad dicendam

Digitized by Google

cendam Miſſam: ex eo autem quòd illam velit dicere accepto ſtipendio, non ſequitur quòd plus aliquid petere nequeat ex obligatione eadem, quia ſolùm interuenit iuſtitia legalis ex ſtatuto Epiſcopi; cùm iuſtitia commutatiua ad id tantùm obliget vt accipi non poſſit ſupra id, quod ſuſtentationi vnius diei ſufficit. Quòd ſi quid taxę Epiſcopali ex neceſſario ad dictam ſuſtentationem ſubtrahitur, non videtur in illius tranſgreſſione contra iuſtitiam commutatiuam delinqui. Pręterquàm quòd qui aliquid quod excederet vltra cōmunem taxam petens, non compellit vt detur; quandoquidem qui Miſſas dici cupit, alios poteſt Sacerdotes adire, qui communi taxâ acceptâ eius deſiderio ſatisfacient. Iuxta quod etiam loquitur P. Reginaldus *Lib.* 23. *numer.* 232. dicens quòd ſi quis taxam ignorans plus dederit, non poteſt à Sacerdote recipi, niſi quantitatem ſufficientem ad diariam ſuſtentationem non excedat.

Et nō obligare taxā, qua ad diariam ſuſtētationem neceſſariā ſubtrahit.

Obligatio ex iuſtitiâ & reſtitutionis ſtatuitur vt certa.

14 Verùm doctrina hæc non eſt admittenda, quam communiter Auctores explodunt, obligationem reſtitutionis vt certiſſimam agnoſcentes. Pro quo præſertim P. Suarez *Tomo* 1. *de Religione, Lib.* 4. *Cap* 59. *num.* 20. vbi ſine dubio iniuſtitiam in hoc reperiri pronuntiat, dum ſic ait: *Et hoc etiam confirmari poteſt ex vſu Eccleſiæ: nam ſine dubio iniuſtus cenſeretur Sacerdos, qui ad ſuum arbitrium peteret exceſſiuum ſtipendium pro vnâ Miſsâ, vel pro vno Baptiſmo, vel ſimili, fortaſſe propter inopiam ſacerdotum, vel aliam ſimilem cauſſam, cenſereturque vexationem iniuſtam facere: ergo multò magis ſi vltra ſtipendium peteret pretium.* Sic ille, qui bonis id confirmat exemplis. Cardinal. Lugo *numer.* 4. cum P. Pellizario. Videndus etiam Bonacina *Tomo* 1. *Diſput.* 4. *de Sacramentis, Quæſt. vlt. Puncto* 8. *num.* 11. vbi plures adducit. Sed in eo non plena fide, quòd in eo caſu loquatur, cùm ſacerdos importunè exigit vltra taxam ab inuitis, & iuxta eum ſenſum Auctores inducat; cùm tamen illi generaliter loquantur, quando ſcilicet maius ſtipendium petitur, etiamſi importuni non ſint, vt videri poteſt apud P. Azor *ſuprà*, P. Suarium *Tomo* 3. *in* 3. *p. Diſput.* 86. *Sect.* 2. P. Coninck *de Sacramentis, Quæſt.* 83. *num.* 192. §. *vbi nota.* Vbi ſic habet: *Quamuis ſacerdos poſſit plus accipere à ſponte offerentibus; neminem tamen poteſt cogere, aut fraude inducere, vt plus det.* Sic ille. Qui ſolùm à ſponte offerentibus plus accipi poſſe fatetur: non ergo iuxta eum plus poteſt peti, in quo ordinariè aliqua eſſe coactio aut deceptio ſolet, ideoque de illis ſpecialiter Corduba *Lib.* 1. *Quæſtionarij, Quæſt.* 4. §. *Igitur quod amplius*, de ſimplici acceptione locutus, vt alios omittam. Et ratio eſt; quia cùm rei alicuius pretium taxatur, nequit exceſſus peti, quando enim petitur, non intelligitur donatio liberalis peti, aut eleēmoſyna, ſed pretium reuerà tale: atqui reſpectu miniſterij circa Miſſam impenſi taxa impoſita eſt, quæ pretij legitimi, & non voluntarij rationem habet: vel ſi vulgare pretium aſſerendum ſit, plus petitur, quàm pretium ſummum ſit, iuxta dicta *num.* 119. Ergo in eo iuſtitiæ violatio manifeſta interuenit.

P. Suarez.

Bonacina.

P. Coninck.

Corduba.

Sententia oppoſita leuiſſimum fundamentum. Et obligatio

15 Ex quo apparet leuiſſimo fundamento ſententiam illam Leonis inniti; quia ex eo quòd ab Epiſcopo taxa ſtipendij ſtatuatur, non debet tantùm iuſtitia in eo legalis agnoſci; quamuis dici fortè poſſit actum ab eodem iuſtitiæ legalis circa determinationem talem exerceri: quatenus ad iuſtitiam legalem ſpectat pretium rebus aſſignare: eo autem aſſignato, iuſtitiæ commutatiuæ iam partes aguntur, vt determinationi tali debeat iuxta illam ſtari: quæ eſt communiſſima Theologorum & Iuriſperitorum doctrina in materiâ de Contractibus. Licèt autem ſacerdos non teneatur ex iuſtitiâ, dùm ſtipendium non accipit, Miſſam facere; eo tamen accepto, legem taxæ debet ex iuſtitiæ obligatione ſeruare. Sicut non tenetur quis ex iuſtitiâ rem ſuam vendere; ſi autem vendere velit, ex iuſtitiâ tenetur non excedere legitimum pretium aut vulgare, cum obligatione reſtitutionis, ſi contigerit exceſſiſſe.

iuſtitiâ oſtenſa.

Stipendiū non debere diariæ ſuſtentationi ſufficere.

16 Diſcrimen autem illud de ſtipendio ſufficienti aut non ſufficienti pro diariâ ſuſtentatione, omnino eſt reprobandum, tum ex vrgentiſſimâ ratione, quòd ſtipendium non debeat diariæ ſuſtentationi reſpondere, cùm breuiſſimi ſpatij laborem non excedat, vt citati expendunt, & præſertim P. Suarius, P. Azor, & Corduba; atque etiam Diana viſus poſt hæc ſcripta *Parte* 11. *Tractat.* 1. *Reſolut.* 24. ex P. Dicaſtillo *ſuprà, num.* 339. *& ſeqq.* Tum etiam ex Decretis Sacræ Congregationis iam citatis, & præſertim *numer.* 11. vbi obligatio reſtitutionis imponitur, aut potiùs illam eſſe declaratur, ſicut & peccatum mortale, cùm accepto minori ſtipendio Miſſæ non dicuntur iuxta eorum numerum: in quo certè minor eſt ratio, quàm cùm exceſſiua ſtipendia poſtulantur, quia id magis contrarium eſt puritati intentionis, quâ debet res iſta, omnium diuiniſſima, tractari, vt in auaritiæ occaſionem & fomentum neutiquam conuertatur: & conſequenter intentioni Eccleſiæ, ipſius legibus circa hoc manifeſtiſſimè declaratæ. Pro quo ſunt verba illa. §. 5. *Ac ſimiliter, omne damnabile lucrum ab Eccleſia remouere volens.* Et alia etiam Concilij Tridentini *Seſſione* 22. *in Decreto de obſeruandis & vitandis, &c.* ex quibus illud: *Nec non importunas atque illiberales eleēmoſynarum exactiones potiùs quàm poſtulationes, aliaque huiuſmodi, quæ à ſimoniaca labe, vel certè à turpi quæſtu non longè abſunt, omnino prohibeant.* Sic Concilium.

Decretum Congreg. Card.

Conc. Trid.

Declarat. Card.

17 Circa quæ Declaratio Cardinalium ſic habet: *Non enim eſt obligationis: poterit tamen accipi eleēmoſyna inter partes ſtabilita pro Miſſis celebrandis: & promittens ſoluere, poteſt conueniri.* Caietanus *in ſumma. v. Simonia.* Sic ibi. Non ergo eſt obligationis, quòd, cùm non debeatur, ſponte & liberaliter aliquis pollicetur. Circa promiſſum autem dicto modo poteſt cadere obligatio, & in hunc modum pactio firmari: ſacrum facias, & dabo tibi duodecim, aut ſexdecim Regales (cùm communis taxa, vt dixi, octo Regalium ſit) Annuenti tunc Clerico, & Sacrum facienti; quidquid eſt promiſſum debetur, quia contractus ex conuentione legem accipiunt. Vel ſi offerenti communem taxam dicat ſacerdos: da plus aliquid, licet non debeat, quia pluribus indigeo, vel quia diues aut nobilis es. Tunc ſi promittat, obligatio erit; quia etſi gratis promiſerit, promiſſio videtur in pactum oneroſum tranſiiſſe; nec remanere intra limites puræ promiſſionis, & ſaltem eſt promiſſio acceptata, quæ iuxta communem ſententiam obligationem in conſcientiâ inducit. Et quidquid de obligationis qualitate ſit, ſi dede-

ſi dederit, accipi poterit; ſicut & peti, ſi ſcandalum non adſit, quod dationem non reddet inualidam, cùm à voluntate gratuita oriatur. Et hæc circa caſum prædictum, in quo, ſicut & ſimilibus, ſcandalum ſemper admiſcetur: obligatio autem reſtitutionis tunc erit ſub mortali, quando quantitas exceſſiùs talis eſt, vt aliàs vſurpata ad mortale ſufficeret, juxta communem ſententiam Theologorum.

Tertium circa Indiarum Clericos obſeruandum quod ad domicilium ſpectat ordinandorum.

Ordinantium & ordinandorum circa domicilium peccata.

18 Et non poſſe illos ordinari vbi domicilium vſque ad Ordinum ſuſceptionem non habuerunt, ex eo quòd ante illam jurent ſe in diœceſi eius Epiſcopi, à quo illos ſunt accepturi, permanſuros, cùm tamen animum non habeant ibidem permanendi, vt certum ſtatuendum eſt, & de periurij peccato res eſt clara, quando reuerà talis animus non habetur, ſicut & de graui ordinantium peccato, quando, licet jurent, ſatis veroſimiliter poſſunt præſumere eos, animo non implendi quod jurant, juramenti verba pronuntiare: ſunt autem pro eo validæ paſſim coniecturæ. Neque ſic jurantes ex eo à reatu immunes cenſeri debent, quòd reuerà animum permanendi habeant, ſi Epiſcopus ordinans, aut Capitulum ſuccedens, vel Epiſcopus ſucceſſor, abeundi noluerint licentiam indulgere; certus tamen ſe illam adepturum, & animo eam diligentiſſimè procurandi: ſic enim reuerà animus permanendi non eſt, & Epiſcopo illuditur, qui licentiam eſt, velit nolit, conceſſurus. Vt ſi quis Religionem ingrederetur animo ſtatim egrediendi, eò quòd ingreſſus ad peculiare aliquod intentum vtilis illi eſſet, vt ad deſtinandam ſæcularem iuriſdictionem. Et de hac quidem materiâ ſatis eruditum opuſculum edidit P. Stephanus de Auila in Limanâ Academiâ Primarius Theologiæ Profeſſor, vir ſanè doctiſſimus, ad inſtantiam Illuſtriſſimi Dom. P. Ildefonſi Ramirez de Vergara Argyropolitani Antiſtitis, qui abuſum prædictum cùm experimentis noſſet, ſtuduit re penitus introſpectâ iudicio viri tanti remouere.

Iurantes vt peccent, dum deeſt animus permanendi.

Concilij Limenſis 3. pro eo Decretum.

19 Pro quo & Concilium Limenſe tertium iam anteà in hunc ſtatuerat modum *Act. 2. Cap. 30.* quod valde oporteret vt in promptu Epiſcopi omnes Indiarum haberent: *Quoniam verò abuſus quidam iam pridem inoleuit, vt per domicilia quædam iurata, quæ verbalia & commentitia plerumque ſunt, in fraudem Eccleſiæ, & Sacrorum Canonum contemptum, ad Ordines indigni irrepant; declarat hæc ſancta Synodus neminem ſub prætextu domicilij eſſe ordinandum, niſi illud legitimè, quemadmodum Ius ſtatuit, contractum fuerit.* Hæc Concilium. Quid autem Ius ſtatuat vt domicilium legitimè contractum debeat reputari, ſi de Ciuili loquamur, habetur *l. 1. & l. Aſſumptio. §. Iuris prudentibus. D. Ad municip.* vbi ſcribentes, & præ aliis Bartholus, alibique. Iuxta quarum legum diſpoſitionem, tunc contrahitur, cùm quis ſe transfert ad habitandum in aliquo loco, & expreſsè declarat ſe habere animum ibi domicilium contrahendi: vnde communiter definitur ſic: *Eſt habitatio animi deſtinatione perpetua, in quâ ſic ſtatuens rerum ſuarum magnam ſummam conſtituit.* Videatur Gloſſa in Cap. *Cum nullus.* v. *Domicilium.* Dom. Barboſa *de Poteſtat. Epiſcop. Allegat. 4. num. 22. & ſeqq.* & Diana *Parte* 8. *Tract. 2. Reſolut. 15.* Si autem de Canonico, nihil ſpeciale in eo habetur, ſed domicilij ritè contracti neceſſitas ſtatuitur ad Ordines ſuſcipiendos, quando neque originarius quis eſt eius diœceſis, in quâ Ordines vult accipere, neque in eâ poſſidet Beneficium. Sic enim ſtatuitur in citat. Cap. *Cùm nullus.*

Quid Ius ad domicilium contrahendum ſtatuat.

Illius definitio.

Quæ iurata domicilia damnat Concilium.

20 Concilium ergo Limenſe, cùm iurata damnat, & legitimè contracta probat, nihil repugnans decernit, quatenus per iuramentum poteſt domicilium acquiri, accedente habitatione, quæ quantumuis modica ſit, ſufficiens eſt, dummodò animus permanendi adſit, nec poteſt ille meliùs quàm iuramento comprobari. Pro quo Nauarrus *Conſil. 2. de Temporibus ordinat. & Conſilio 3. & 4. de Conſtitut.* Zerola *in Praxi.* verb. *Dimiſſoriæ. Ad Primum, in fine,* & alij. Illa ergo iurata tantùm remouenda ſtatuit, quæ verbalia & commentitia plerumque ſunt, quod, vt dixi, ex coniecturis æſtimandum, aliàs quomodo poterit id, quod latet in animo, deprehendi? vnde agnoſci quòd verbalia tantùm & commentitia ſint? quandoquidem quæ vera ſunt, non debent reiici, ſi apparet conuenientia in promotione. In diœceſi, vbi Beneficia tenuia, vbi longè à patria, & cognatis, qui ordinationem enixè cognati deſiderant, vt ſibi ſubſidia Beneficio conferat circa temporalia laborantibus in diœceſi originaria, vbi Beneficia pinguia, quis credat domicilium animo ſincero & veraci iurare?

Coniecturæ vnde agnoſci alia poſſunt.

Decretum Limenſis Conc. de litteris teſtimonialibus.

21 Additur deinde in Concilio ſic: *Atque inſuper, ſi alibi cœperint ad ordines promoueri, ſui Prælati litteras teſtimoniales oſtendant.* Sic ibi. Quod quidem Decreto eſt Concilij Trident. conforme *Seſſione 23. Cap. 8. & 16.* vbi ſic dicitur: *Nullus inpoſterùm ordinetur, qui illi Eccleſiæ, aut pio loco, pro cuius neceſſitate aut vtilitate aſſumitur, non adſcribatur, vbi ſuis fungatur muneribus, nec incertis vagetur Sedibus. Quòd ſi locum inconſulto Epiſcopo deſeruerit, ei ſacrorum exercitium interdicatur.* Hæc Concilium. Iuxta quæ planum eſt non poſſe ſine teſtimonialibus litteris ordinari.

Conc. Trid.

An inconſulto Epiſcopo mutare domicilium poſſit Clericus.

22 Vbi tamen dubium eſt an inconſulto Epiſcopo mutare domicilium poſſit. Et ſunt qui affirment, pro quo Barboſa adducit Piaſecium & Zerolam *Allegat. citat. num. 41.* ſed Zerola id non dicit *in loco ab eo citato,* & à nobis *numer. 20.* Ipſe autem Barboſa cum alijs contrarium ſentit, & eſt valde probabile, licèt id non probet, niſi ex Cap. *Significauit,* finali, de Parochijs, &c. ex quo tamen nihil habetur: quia licet ex eo habeatur Parochianos poſſe domicilium transferre: de Clericis autem non eſt ſermo, pro quibus tamen videtur Concilij Tridentini Decretum vrgere. Nihilominus quia ius transferendi domicilij commune eſt, & *in citato loco* Concilium id expreſsè non negat, ſed tantùm caueat ne inconſulto Epiſcopo locus mutetur, non eſt id liberalitati hominum ſubtrahendum. Poteſt itaque Clericus cum teſtimonialibus litteris, nihil de mutatione domicilij exprimens, aliò ſe conferre, & ibi domicilium figere, ſicque ad Ordines promoueri. Nullam autem Concilium Limenſe pœnam aſſignat eis, qui ſine teſtimonialibus litteris alibi Ordines ſuſcipiunt: cùm tamen Concilium Tridentinum *Cap. 8. citat.* ſic habeat: *Eius probitas ac mores Ordinarij ſuo teſtimonio commendentur. Si ſecus fiat, ordinans*

Pœna ſine dictis litteris ordinatis & ordinanti.

Conc. Trid.

Digitized by Google

nans à collatione Ordinum per annum, & ordinatus à ſuſceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio ordinario videbitur expedire, ſit ſuſpenſus. Sic Concilium.

Specialis difficultas circa Ordinarium ſuſpenſionis arbitrum, cùm mutatur domicilium.

23. Vbi peculiaris difficultas occurrit, ſi ordinatus mutauit domicilium, per quod ordinarius eius eſſe deſinit, qui eum cœperat promouere. Videtur equidem quoad hoc Ordinarij authoritas permanere, aliàs delictum manebit impunitum, quod horrent Iura. Id quod etiam probare poſſumus ex Declaratione Cardinalium circa citatum Cap. 8. in quâ ſic dicitur: *Abſoluere à ſuſpenſione eos, qui nullius diœceſis exiſtentes ſine litteris dimiſſorijs ordinati fuerunt, ſpectat ad Epiſcopum, ad quem ex Concilio pertinebat dimiſſorias concedere. Proprius autem Epiſcopus ad hoc vt poſſit dimiſſorias concedere, dicitur ille, in cuius diœceſi ordinandus Beneficium habet. Et ita fuit iudicatum in vnâ Leodienſium, ſi rectè conſideretur ſuprà, Seſſione 23. Cap. 4. Fratres.* Sic Congregatio. Sicut ergo is, qui nullius diœceſis cùm ſit, ſine dimiſſoriis ordinatur, quoad abſolutionem ſubiectus manet illi, ad quem eas concedere pertinebat; ita in noſtro eſt caſu rationem ob ſimilem aſſerendum.

Declaratio Cardin.

Pœna Ordinatorum ad titulum iurati domicilij ex Conc. Lim.

24 Circa iurata autem domicilia ſic addit Limenſe Concilium: *Si quis ad titulum Beneficij iurati, antequam domicilium ipſum legitimè contraxerit, ordinabitur, ſit ab ordinum executione ipſo facto ſuſpenſus, & cuiuſcumque Beneficij aut Parœciæ Indorum incapax per triennium.* Sic illud. Ratio decidendi eſt clara; quia domicilium animo & facto contrahitur: quorum neutrum ſufficit, vt Doctores communiter explicant, & videri poſſunt, quos adducit Barboſa *ſuprà, num.* 23. Licèt ergo quis iuret, dum non habitat in loco, cui ſe deſtinat, non eſt domicilium acquiſitum, & ita neque ille ſubiectus Epiſcopo, à quo ordinatur, ſed ſub alterius iuriſdictione. Meritò ergo ſic ordinato pœna præfata potuit imponi. Et quidem furtiuè ordinatum irregularitatem incurrere, & eum qui ſine dimiſſoriis ordinatur, furtiuè ordinatum debere dici, multi Doctores affirmant, vt videri poteſt apud Hieronymum Garciam *Tractat.* 1. *Difficult.* 1. *Dub.* 13. *Puncto* 4. Sic enim accipiunt Decretalem Alexandri III. Cap. *Veniens*, de eo, qui furtiuè Ordines ſuſcepit. Pro quo & eſt Conſtitutio Pij V. quæ incipit, *Cùm ſacrorum.* Propter quam ſunt qui cenſeant ſuſpenſionem Pontifici reſeruari. Et Declaratio Cardinalium circa *citat. Caput.* 8. concludit tutiùs eſſe ab eodem peti diſpenſationem; ſi videlicet occulta non ſit: nam pro occultis habent Epiſcopi ampliſſimam conceſſionem, ſicut habetur etiam virtute Bullæ, & priuilegiorum, quibus fruuntur Regulares. Cùm ergo hæc ita ſe habeant, non eſt mirum à Concilio Limenſi pœnam, quam diximus, irrogari,

Quod dicitur furtiuè ordinatus; qui ſine dimiſſorijs.

Caſus ſpecialis.

Ordinati cum iurato domicilio, habentis tamen dimiſſorias proprij Epiſcopi.

25 DE eo ſcilicet, qui cum dimiſſoriis proprij Epiſcopi ad alium accedit celebrantem Ordines extra propriam diœceſim cum licentiâ diœceſani. Si is ſcilicet iuret domiciliū pro diœceſi Ordinantis, an pœnas incurrat à Concilio impoſitas. Et videtur ita dicendū, quia reuerà ordinatur ad titulum domicilij non contracti legitimè, cùm deſit commoratio in loco ad contrahendum neceſſaria, iuxta nuper dicta. Deinde. Si talis ordinatur ad titulum domicilij, nequit virtute dimiſſoriarum ordinari; illæ enim eatenus dantur, quatenus quis ad diœceſim eius pertinet qui eas dedit, quando nullius diœceſis non eſt, vt in caſu, de quo nuper, in quo etiam velut proprius Epiſcopus reputatur. Ex quo fit ſine dimiſſoriis ordinari, quia illæ, quæ tales non ſunt, vt earum virtute fieri ordinatio poſſit, perinde ſunt, ac ſi non eſſent. Sunt autem illæ omnino neceſſariæ, quia domicilium contractum non eſt. Præterquàm quòd tale iuramentum deſeruire poteſt vt Epiſcopus faciliùs ad conferendos Ordines moueatur, & circa aliqua, quæ animaduerſione digna eſſent, eâ non adhibitâ, ſe gerat; vnde adeptis Ordinibus poterit curare reditum ad propria, qui ſic fuerit ordinatus. Cùm ergo Concilium hæc & ſimilia inconuenientia vitanda ſuo Decreto voluerit, non eſt dicendum in illo caſum non fuiſſe huiuſmodi comprehenſum.

Pro parte fauorabili quæ faciat.

26 Nihilominùs erit fortè qui cenſeat oppoſitum ex eo quòd talis Concilij prohibitio eò tendat, ne indigni & incapaces ad Ordines obrepant: quod tunc accidere poteſt, quando ſine ſufficienti notitiâ ipſorum ordinantur: taliſque defectus tunc adeſt, cùm domicilium iuratur: id enim ab iis fit, qui, cùm in loco, vbi domicilium habent, Ordines conſequi nequeunt, aliò commigrant, vt non probè cogniti id, quod deſiderant, aſſequantur. Cùm ergo in caſu, de quo agimus, ſufficiens ordinandi notitia ſit per dimiſſorias habita, non videtur menti Concilij in hoc penitus contrairi. Propterea licet peccatum non appareat excuſabile, quia non adeò graue, nec quale Concilium punire intendit, non eſt pœna ab eodem impoſita penitus infligenda, cùm expreſſa continentia non ſit, iuxta communem ſcriptorum doctrinam, & Honorij III. præclariſſimam cautionem in Cap. *Ex parte*, finali de Tranſactionibus, vbi ita loquitur: *In his verò, ſuper quibus ius non inuenitur expreſſum, procedas (æquitate ſeruatâ) ſemper in humaniorem partem inclinando, ſecundùm quod perſonas, & cauſſas, loca, tempora videris poſtulare.* Hæc ille. Circa quæ Gloſſa verb. *Cauſas*, benè quatuor illa à Pontifice adducta perpendit.

Pro pœnis notanda doctrina.

Cap. Ex parte, de tranſactionib.

27 *Quartum ad decorum & honeſtatem Clericorum ſpectans à Limenſi Concilio ſanctiſſimè conſtitutum.*

Decretum Concilij Limenſis circa comitatum fœminarum.

Habetur illud *Act.* 3. *Cap.* 18. in quo ſic dicitur: *Nullus in ſacris conſtitutus, fœminis familiare miniſterium exhibeat, ita vt equitando à tergo, aut ambulando manu teneat, aut comitetur, niſi ſoror, vel mater ſit; alioqui & Clericus & fœmina contrà agentes arbitrio Epiſcopi puniantur.* Sic Concilium. In cuius præcepti tranſgreſſione graue peccatum interuenit, quia negari nequit in eo notabilem indecentiam contra ſacerrimi ſtatûs celſitudinem reperiri. Et erit illud etiamſi mater aut ſoror ſint, ſi tales non eſſe conſtiterit, & ſic videntium offenſio non vitetur, & ſimiliter dicendum de ſacerdote fœminam ſellâ honorariâ ductam comitante, famulorum more, eò quòd Capellanus ſit, vt aliquoties vidi. Immò & de quolibet alio in ſacris conſtituto, iuxta mentem Concilij, & rationem. Pergit illud

Graue in tranſgreſſione peccatum.

Digitized by Google

Aliud eiuſdem circa famulitium

ſic dicens: *Eidem quoque ſententiæ ſubiaceat Clericus, ſi laico alicuiſamulum ſe exhibuerit, & œconomi, aut alicuius alterius officij genere inſeruierit. Qui & gradum ſuum, & noſtrum Decretum contemnens, quiduis horum fecerit, arbitrio Prælati puniatur. Valde enim abſurdum eſt, vt qui ad Altiſſimi miniſterium conſecrati ſunt, hi ſe laicorum & maximè fœminarum famulos patiantur.* Hæc illud. Iuxta quæ ſi Clericus in ſacris villicum agat, qui in Indiis œconomi ſolet nomine compellari, vulgò *Maior domo*, pœnæ ſubiacet declaratæ, ab Epiſcopis infligendæ. In officio enim tali multa exercentur indigna, propter quæ tales Indis & mancipiis in prædiis laborantibus exoſi habentùr: quod abſurdiſſimum in regionibus iſtis apparet, vbi Miniſtri ſacri paternam erga prædictos, vt eos in fide, & Chriſtiana inſtitutione promoueant, gerere ſolicitudinem debent, iuxta dicta ſæpiùs, & ſæpiùs etiam repetenda; & opportunè, vt arbitror, quando & importunitas, iuxta Apoſtolum, debet in ſimilibus adhiberi.

28 *Quintum circa obligationem recitandi diuinum officium, dum Clerici iterfaciunt.*

Certam eſſe obligationem generaliter loquendo.

Eſt illa certa generaliter loquendo, quia neque ratio, neque auctoritas ad immunitatem ab illâ ſuffragantur, cùm potiùs videantur refragari. Ratio equidem, quia obligatio recitationis eſt certa, & cauſſa, quæ hic & nunc obſtare poſſet, eſt penitus inſufficiens: onus enim eſt horæ vnius, aut parum plus, quod vt leue fiat, in partes poteſt plures diuidi, & earum plures in ipſa equitatione percurri. Neque eſt eadem ratio de ieiunio, à quo ſunt qui itinerantem excuſent; quia continua illa corporis iactatio, dum iumento vehitur, & diei integri ſpatium ex æquans, aliaque itinerantium incommoda, pondus diei & æſtus portantium, vitales exhauriunt ſpiritus, & defatigationem non leuem adducunt. Pro quo videri poſſunt qui ita philoſophantur apud Dianam *Parte* 11. *Tract.* 2. *Reſolut.* 57. Eſt enim recitationis labor minimè comparandus, ex quo non ſequitur defatigatio illa, & ſpirituum vitalium exhauſtio, quæ debeat per ceſſationem ab ipſo reparari. Et quidem in Cap. *Clericus* 91. *diſt.* ſic habetur: *Clericus, qui abſque corpuſculi ſui inæqualitate vigiliis deeſt, ſtipendio priuatus excommunicatur.* Sic ex Carthaginenſi Concilio 4. *Cap.* 49. Vbi vigiliarum nomine diuini officij recitatio venit, pro quo non impleto excuſatio admittitur ratione inæqualitatis corpuſculi, infirmitatis inquam, quæ ex humorem ſolet inæqualitate procedere. Et id Doctores aliqui ad debilitatem extendunt, etiam non grauem, quia Textus non grauem, ſed leuem potiùs videtur indicare: ſed certè, quæ cum morbo coniuncta ſit; cùm tamen alij plus exigant: talem ſcilicet, cui recitatio ſit notabiliter nocitura, vt videri poteſt apud P. Thomam Sancium *Lib.* 7. *Conſil. moral. Cap.* 2. *Dub.* 45. Vide Thomam à Iesv in *Expoſit. Regulæ Carmelit. P.* 3. *Cap.* 8. *Dub.* 4. Vbi diſcrimen infirmitatis & debilitatis exponit. Et *Cap.* 12. *Dub.* 3.

Diuerſam eſſe rationem in ieiunio.

Cap. Clericus 91. diſt.

Quæ debilitas excuſet.

Non quælibet defatigationem ſufficere.

29 Quòd verò defatigatio ex corporali labore pro excuſatione admittenda non ſit, conſtat ex eodem Capite, in quo ſic dicitur: *Clericus victum, & veſtitum ſibi artificiolo, vel agriculturâ, abſque Officij ſui dumtaxat detrimento paret.* Sic ibi. Ex quo Gloſſa ſic infert: *Ergo Clericus non poteſt operas ſuas per totam diem locare, cùm non debeat officio deeſſe vt* 54. *diſt. Seruus.* Hæc Gloſſa. Ex cuius illatione nos etiam ſic inferre poſſumus: Ergo Clericus poteſt operas ſuas per diem ita locare, vt non debeat propterea officio deeſſe. Tunc ſic. Ex tali operarum locatione neceſſariò ſequitur labor & defatigatio; & nihilominus non ideo eſt Clericus ab officij diuini obligatione excuſandus, quia non quæuis, ſed notabilis & inſolita ad hoc à Concilio neceſſaria indicatur.

Cap. idem.

Gloſſa.

30 Ex quo & pars altera probationis elucet, quod ſcilicet abuſui prædicto conſtans ſcriptorum auctoritas refragetur: nullus ſiquidem inuenietur, qui aut in particulari, vel generali aliquâ doctrinâ, ei patrocinium præſtet: cùm tamen omnes iuxta *citatum Caput* ſuas conforment Aſſertiones. Videantur quotquot de Horis Canonicis agunt, ſcilicet Summiſtæ omnes & præterea Nauarrus, Zerola, Bonacina, Diana, Hieronymus Garcia, Baſſæus, & ex Societatis Auctoribus argumentum, ac præſertim P. Suarius, & elucidator P. Vincentius Tancredi, Cardinalis Toletus, P. Azor, P. Palaus, P. Bauny, P. Reginaldus, P. Filliucius, P. Valentia, P. Laymam, P. Eſcobar de Mendoza, P. Buſembaum, P. Thomas Sancius, P. Leſſius, qui *Lib.* 2. *Cap.* 37. *num.* 54. expreſsè iterfacientis meminit, & tamquàm certum ſtatuit obligari, Nauarrum adducens. P. Sa, & complures alij, quorum illa eſt communis vox, quæ apud Cardinalem Toletum extat *Lib.* 2. *Cap.* 14. *num.* 2. dum ſic ait: *Officium enim, cùm ſit maximè proprium Clerico, non eſt prætermittendum, niſi graui vrgente neceſſitate, vt aliud fieri non poſſit.* Sic ille.

Abuſui non recitandi Scriptores omnes refragari.

Illorum communis vox.

Card. Toletus.

31 Circa infirmos tamen maior eſſe indulgentia ſolet: pro quo P. Sancius *ſuprà*, & alij apud ipſum. Sicut & in Opere morali *Libr.* 1. *Cap.* 19. Quo non obſtante tanta poteſt eſſe debilitas, vt pro excuſatione ſufficiat: nam & debilitatem ab infirmitate circa hoc Auctores diſcernunt, vt videri poteſt apud Baſſæum verb. *Hora Canonica* 6. *numer.* 5. vbi cum P. Leſſio locutus. Et obligationem talem ſunt qui agnoſcant: ſed vident meliora, probantque; cùm tamen deteriora ſequantur. Ex quibus erat ille Indorum Parochus, qui cùm iterfaciens ab alio fuiſſet domi, Parocho etiam Indorum, exceptus, & de onere recitationis inter cœnandum ageretur, dixit, me audiente, ſe numquam, dum in itinere verſaretur, recitare ſolitum, quia pro hoc habebat priuilegium. Et de illo interrogatus, ſubdidit, ſe, finito itinere, Confeſſario ſuum defectum aperire, & ab eo abſolutionem accipere conſueuiſſe. Quâ ratione etiam dicere poterat habere ſe priuilegium ad totum Decalogum, & Dei, atque Eccleſiæ præcepta omnia non implenda, quia eorum poterat poſt tranſgreſſionem à Confeſſario abſolutionem ſimiliter accepiſſe. Sed credo neque hoc illi potuiſſe priuilegium prodeſſe: Confeſſio enim cum vero dolore, & emendationis debet eſſe propoſito, vt abſolutionem, qui eam facit, conſequatur. Vt eſt dogma Catholicum. Qui autem propoſitum non recitandi, quoties iterfeciſſet, habebat, ſuo illo priuilegio contentus, quomodo dolere poterat, & proponere, atque adeò inter ſe contrarias componere voluntates? Nugę ſunt iſtæ; ſed pernicioſæ,

Quid de infirmitate, & debilitate notabili.

Cuiuſdam praxis infanda.

Digitized by Google

pernicioſæ, ſed lethales, ſed indignæ vſque ad honorem in iis, quos aliqua ſalutis animæ ſuæ cura remordet. Et qui erga ſe talis, erga alios qualem credamus? Quales & ſimiles? Timendum ſanè ne & ſimilibus erga illos priuilegiis abutantur. Sed iam ad alios.

APPENDIX AD TITVLVM XVII.

DE RELIGIOSIS INDIARVM.

Quam plura de illis ſparſim dicta, quæ dabit Index; nunc adiicienda aliqua, quibus Tractatio de re adeò eximiâ, & in qua tantùm eſt Indicæ cauſſæ momentum conſtitutum, noſtro pro modulo compleatur. De illis ergo inquirendum diſcuſſione perbreui.

1 PRimò, *An compellare poſſint Nouitios, vt legitimam Conuentui, in quo ſunt profeſſuri, relinquant, aliàs eos ad Profeſſiones non admittendo.*

Reſolutio negatiua.

Reſolutio videtur clara, & indubitabilis; quia diſpoſitio bonorum libera debet eſſe Nouitio: & ſicut ante ingreſſum renuntiare in fauorem aliorum potuit, nec propterea debuit à Religione repelli, ita & poſt ingreſſum, quia non minùs liber tunc eſt, quàm anteà fuerat. Vnde à Concilio Tridentino prouidentiſſimè cautum, vt renuntiationes maximâ cum libertate fierent, & interuentione Epiſcopi, aut eius Vicarij, cum aliis de quibus *Seſſione* 25. *Cap.* 16. *de Regularibus.* Quia enim coactio aliqua timeri poterat, res hæc non eſt Nouitiorum voluntati; & Prælatorum Regularium directioni relicta, ſed Epiſcopi aut Vicarij aſſiſtentiam voluit Concilium intra præfixum terminum expectari. In quo habet noſtra Societas, cur grates ſummas Concilij Patribus & Sedi Apoſtolicæ reddat: quia circa hoc in Decreto prædicto, ſicut & in aliis, minimè voluit comprehenſam. Et potuit quidem iure optimo eidem in hac parte fidere, quia in ordine ad libertatem renuntiantium leges habet quamplures pietate & ſapientiâ plenas. Et cùm liberrimos renuntiantes velit; eos maximè, qui aliquid volunt eidem Societati donare: vnde pro illis maiores adhibet cautiones, & ampliora temporis ſpatia pro admiſſione deſignat, ne vnquam dicere renuntians poſſit, minùs ſe liberum in tali diſpoſitione fuiſſe.

Libertas renunciantibus ſumma futura ex Tridentino.

Societati quantùm ab illo delatum, & quàm meritò

Titulum ſuſtentationis non ſuffragari.

2 De caſu ergo propoſito loquendo, vt iuſtificari talis compulſio poſſit, duæ rationes occurrent. Prima ex titulo ſuſtentationis, ratione cuius in Monialibus dotes admittuntur; immò & exiguntur, quibus non datis, Profeſſio inculpabiliter denegatur. Sed hæc admitti nequit; quia Religiones redditus habent vnde alere alumnos poſſint, & ita ab ingredientibus non eſt generalis pro ſuſtentatione petitio. Et ita tenent plures, quos adducit & ſequitur P. Oñate *Diſputat.* 82. *num.* 227. & P. Leſſius in Reſolutionibus v. *ſimonia* à *Caſu* 10. Hoc autem ſtante, non eſt obligatio in renuntiantibus aliquid relinquendi monaſterio, vt cum aliis probat P. Thomas Sancius *in Opere morali Lib.* 7. *Cap.* 3. *num.* 8. Hinc quæſtio ſuborta an Religioſis interdictum ſit inducere Nouitios vt aliquid Monaſterio relinquant. Ad quam citatus Auctor *num.* 15. reſpondet Emmanuelem Rodericum *Tomo* 2. *Summæ Cap.* 7. *num.* 11. Et P. Suarium *Tomo* 5. *in* 3. *p. Diſputat.* 22. *Sect.* 5. *numer.* 5. cum aliis, quos ipſi adducunt, multis, oſtendere licitum eſſe inducere Nouitios vt donent ſeu relinquant ſua bona Monaſteriis. Ex eo autem quod addunt clariſſimè apparet quid ſit in præſenti caſu dicendum. Cùm enim dicant id fieri poſſe, cautionem adiiciunt, *dummodò id fiat bono fine, & ita moderatè, vt relinquatur* Nouitiis *libertas ad diſponendum de ſuis bonis.* Quæ quidem reſolutio communiſſima eſt; quamuis P. Suarez *citato loco* nihil pro ea ſpeciali difficultate habeat, ſicut neque in tota illa Sectione: in quâ quidem ſolidiſſimè probat, licet non ſit damnabile aliquid pro ſuſtentatione exigere, quando pro illâ non habent Conuentus redditus neceſſarios, vel licet pro aliis habeant, non tamen pro eo, qui recipi deſiderat: rarum tamen eſſe inuſitatumque quoad Religiones virorum, vt ex pacto tacito vel expreſſo ita petatur aliquid in ſuſtentationem, vel ſubſidium Religionis, vt aliter habitus, vel Profeſſio denegetur: pro quo ſpecialiter *num.* 12. Quod verò P. Sancius ibidem amplectitur, non eſt conforme ſententiæ, quam poſteà docuit *Lib.* 1. *Conſil. moral. Cap.* 2. *Dub.* 23. *num.* 1. vbi ait etiamſi Monaſterium ſit diues, poſſe ab ingrediente aliquid pro ſuſtentatione requirere, ſicut etiamſi aliquis ſit ditiſſimus, poteſt dotem ab vxore exigere. Si enim res ita ſe habet, iam non relinquitur libertas Nouitio ad diſponendum de ſuis bonis, quam conſtat illæſam penitus remanſuram. Et ſententiam P. Sancij tenent alij, in quibus eſt Bonacina *Tomo* 3. *Diſputat.* 2. *Quæſt.* 3. *Puncto* 29. P. Palaus *Tomo* 3. *Tract.* 17. *Diſput.* 3. *Puncto* 9. P. Valentia *Tomo etiam* 3. *Diſputat.* 6.

An Nouitij induci poſſint, vt ſua bona Religioni donent.

Peti pro ſuſtentatione aliquid inuſitatum affirmat P. Suarez.

P. Sancij doctrina non conſtans, cum Monaſterium eſt diues.

Digitized by Google

Quæſt. 16. *Puncto* 3. §. *Multò verò.* Quod & probabile reputat P. Vincentius Tancredi *de Religione, Tractat.* 2. *Lib.* 4. *Diſput.* 12. *num.* 8. licèt ipſe cum P. Suario contrarium teneat, quæ eſt etiam communiſſima ſententia Sacris Canonibus & rationi prorſus conſonans, pro quâ ſpecialiter P. Suarius conſulendus, qui alios adducit, ſicut & P. Tancredi *num.* 5. & P. Becanus *quæſt.* 9. *de ſimonia, num.* 2.

Non poſſe exigi plus quàm neceſſarium eſt pro alimentis.

3 Ne autem Religioſi, de quibus loquimur, præfatæ ſententiæ ſe poſſint authoritate tueri, addendum eſt, vt ab eis res peragitur, omni videri probabilitate carere: quia Auctores, eam tenentes, id addunt, quod ab eiſdem non ſeruatur. Dicunt enim non poſſe pro ſuſtentatione plus exigi, quàm reuerà neceſſarium ſit. Bonacina *numer.* 4. §. *Hæc tamen ſententia.* P. Sancius *numer.* 7. & alij, qui ſolùm id, quod pro alimentis neceſſarium eſt, exigi poſſe permittunt. Quod quidem in viris iuxta id regulandum eſt, quod ſolet pro Monialibus aſſignari. Cùm quo quidem non ſtat integram legitimam, quæ copioſa ſit, aut maiorem eius partem poſtulari, negatâ aliàs Profeſſione. In quo quidem peccatum videtur manifeſtæ iniuſtitiæ committi: qui enim ingreſſus eſt, ius habet ad Profeſſionem, ſi aptus fuerit deprehenſus; ad hoc enim Apoſtolicâ auctoritate Religio confirmata eſt, & ad hoc etiam Fideles bona ſua, dum Monaſteria fundarunt, liberaliter contulerunt. Atqui ex eo quòd quis nolit bona ſua Religioni donare, non eſt ineptus, quia in hoc liber eſt, & liberum prorſus eſſe voluêre Pontifices, vt vidimus; & ſpecialiter obſeruanda verba Vrbani IV. in Cap. *Sanè, Extra, de ſimonia*, vbi poſt alia ſic concludit: *Illa dumtaxat, quæ perſonæ ipſæ ingredientes, purè & ſpontè, & plena libertate, omnique pactione ceſſante, dare vel offerre Eccleſijs, Monaſterijs, Prioribus, domibus, & locis huiuſmodi voluerint, cum gratiarum actione licitè recepturi.* Sic ille. Ergo ſi negetur Profeſſio, iniuria fit manifeſta; vnde & peccatum iniuſtitiæ grauiſſimum in hoc agnoſcunt graues ſcriptores apud Baſſæum verb. *Simonia* 3. *num.* 9.

Cap. Sanè, Extrau. de ſimonia.

Negare Religioni bona, vt argumentum parui amoris, an ſufficiens cauſſa non admiſſionis.

4 Secunda ratio, propter quam alicui forſan videbitur poſſe iuſtificari præfatam Religioſorum praxim, illa eſt, quòd ita erga Religionem affectus, vt legitimam illi neget ſuam aut aliàs obuenientia bona, ad illam aptus non appareat: eam enim non diligit, ſiquidem amare eſt velle bonum: non ergo amat, qui bona negat: ſine amore autem nihil ſperari de illo poteſt, in eius commodum recurſurum. Sed hæc quidem ratio nullius momenti eſt: ſatis enim amare Religionem conuincitur, qui ſe ipſum illi donat, & inter eius vult membra numerari. Vt autem bona ſua non tribuat, ſubeſſe aliquæ rationabiles cauſſæ poſſunt: vnde & experientia docuit eos, qui bona ſua Religioni donarunt, non fuiſſe ſemper eidem meliores, quia obſeruantiam non ita vt cenſum prouexerunt, & vt D. Bernardus dixit, vel quiſquis eſt Auctor ſermonis de decem Virginibus, *Mirabilem fecerunt conuerſionem, ſed non conuerſationem.* Præterea; ſi ratio dicta conſiderationis alicuius eſſet, immeritò Sacri Canones prohibuiſſent neceſſarias iſtas donationes, quandoquidem non dantes eo ipſo inepti ad Religionem habendi ſunt; & dantes, tali amoris ſignificatione ſufficientiam talenti ad vocationis ſuæ effectum complent. Immò quemadmodum Religionibus, paucis exceptis, in quibus eſt noſtra Societas, ab Apoſtolicâ Sede indultum eſt, vt in iure Religioſi Profeſſi ſuccedant, & ſic legitima Monaſterio obueniat: ita & conſequenter videbatur ſtatuendum, vt Religioſus legitimam ſuam Monaſterio ſecum afferret, ſicque & ſe & ſua pariter daret, atque eo pacto filialem affectum erga futuram matrem teſtaretur.

Negatur, & clarè demonſtratur.

D. Bern.

Aliquarū Religionū praxim eſſe illam.

P. Suarez.

5 Habent autem Religioſi Indiarum ſic facientes aliorum conſuetudinem ſuffragantem, de quâ P. Suarius *citatâ, Sect.* 5. *numer.* 5. ita ſcribit: *Quin etiam aliquando in Religionibus virorum, præſertim quando egeſtate premuntur, ſolet aliquid ab ingredientibus ad eorum ſuſtentationem poſtulari: vel ſi bona temporalia habent, ſolet ab eis ante Profeſſionem exigi, vt vel ea Monaſterio donent, vel ſaltem de eis non teſtentur in fauorem aliorum, vt ius hæreditandi per profeſſionem eorum in Monaſterium transferatur: quod ſi hoc facere recuſent, ad Profeſſionem non admittuntur, ſed potiùs expelluntur.* Sic ille: qui dum conſuetudinem prædictam præſertim eſſe ait, cùm Religiones egeſtate premuntur, id egeſtate non extante etiam accidere, non obſcurè ſignificat. Quid autem ad hoc reſpondeat, videri apud ipſum poteſt *citat. numer.* 12. vbi ait ex ſingularibus aliquarum perſonarum factis non debere argumentum ſumi, & bonæ id fidei tribuendum, ſi exceſſus appareat ex opinione probabili practicè non benè applicatâ. Vnde etiam alia, propter quæ titulus ſuſtentationis fundari poſſit, ita ſubdens: *Quapropter quando multò plus exigitur, quàm ad vnius perſonæ in tali ſtatu conſtitutæ ſuſtentationem commodè ſufficit, non video quâ ratione aut titulo id honeſtari poſſit.* Hæc ille. In quibus notandum illud: *Quando multò plus exigitur:* ſi enim non ſit notabilis exceſſus, excuſari exactio poterit; cùm ſit etiam certum rerum pretia temporum lapſu ſuccreſcere, & ita plus ad ſuſtentationem requiri quàm fuerit retroactis temporibus requiſitum. Et videri pro eo poteſt Garcilaſſus Inga de la Vega *in Hiſtoriâ generali Peruuij, Lib.* 1. *Cap.* 6. vbi aliqua ſcitu digna congerit. Sic tandem concludit P. Suarius: *Vltimò verò addo, ſi quid minùs rectum fiat bono zelo, & ex ignorantiâ etiam culpabili, id ſatis eſſe ad excuſandam Cenſuram huius Extrauagantis* (citatæ inquam Vrbani IV.) *vt Caietanus, & ferè omnes notant, ex proprietate illius verbi Præſumant, ſæpè à nobis ponderatâ.* Sic Doctor Eximius. Videatur Baſſæus verb. *Simonia* 3. *num.* 9. §. *Aliquid:* qui cum aliis ſatis ſolidè contra huiuſmodi pugnat exactiones, in quibus ſimoniam probat eſſe palliatam, & quæſtio quidem communis eſt: ſed pro Indiis debuit ſpecialiter agitari, quia multa in illis licere contenditur, quæ reuerà non licent, cùm debeant iuxta Iuris Canonici Oracula, & probatas Doctorum ſententias regulari. De quo hæc ſatis.

Vnde illam excuſet.

Et quo pacto penitus reprobat.

Quid ex eius doctrina fauorabile Religioſis.

6 *Secundò inquiri pro Religioſis Indiarum poteſt: An licitè circa gubernationem alternatiuis vti queant inter natos in illis, & in Hiſpaniâ.*

Et eſt illud in vſu non apud omnes, neque apud plures, & per Pontificias Bullas, ita conſtitutum, vt non videatur de conuenientia poſſe dubitari. Sed certè, quod ad Bullas attinet, non multùm videtur vrgere: Pontifices ſiquidem multa

Vſus alternationum, ex Bullis Pontificijs non planè

Digitized by Google

conueniens comprobari.

multa concedunt inuiti, & iuxta ſupplicantium narrationes, quæ non ſunt ſemper conſonæ veritati. Pro quo Ioannes XXII. in celebri Extrauag. *Execrabilis* ita loquitur: *Execrabilis quorumdam, tam Religioſorum quàm Sæcularium ambitio, quæ ſemper plus ambiens, eò magis inſatiabilis creditur, quò ſibi amplius indulgetur: & improbitas importuna petentium, à Nobis, & Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, non tam obtinuiſſe, quàm extorſiſſe plerumque noſcuntur. &c.* Pro eodem eſt Cap. *Quia per ambitioſam*, de Reſcriptis in 6. ibi: *Quia per ambitioſam importunitatem petentium, tam Nos, quàm nonnulli Prædicatores noſtri Romani Pontifices, Indulgentias perpetuas multis conceſſimus. &c.* Hinc mutationes frequentes circa diſpoſita à Romanâ Sede, pro quâ Bonifacius Octauus, qui & in nuper citato Capite locutus, ſic ait: *Statutum, quod circa iudices à Sede Apoſtolica deputandos nuper edidimus; cùm quædam contenta in eo, quæ pro communi vtilitate credebantur inducta, ſicut experientia docuit, tendere dignoſcantur ad noxam: Sanctione præſenti, quam irrefragabiliter obſeruari mandamus, ſuadente vtilitate, in meliùs duximus reformandam.* Sic ille. Iuxta quæ non obſtante Apoſtolicâ conceſſione, alternatiuæ dictæ poſſunt eſſe nociuæ, vnde & ſuperſedere ipſis illi poſſunt, ad quorum ſunt inſtantiam impetratæ. Pro quo Dom. Solorzanus *Tomo 2. Lib. 3. Cap. 26. n. 106.*

Extrauag. Execrabilis.

Cap. Per ambitioſam, *de Reſcrip. in 6.*

Cap. Statutum, *ibidem.*

Contentio circa prædicta quam præiudicialis.

7 Et quidem contentio circa materiam prædictam, non poteſt nō præiudicialis cœtibus Religioſis haberi, cùm tempeſtas ſit, quâ Regularis tranquillitas perturbatur. Pro quo ita ſcribit Mag. Grijalua in Chronico Auguſtinienſi Prouinciarum Nouæ-Hiſpaniæ fol. 168. Col. 4. *Y porque no quede nada por decir, de la tormenta, que pudecio eſta Edad, de que tratamos, digo que no ſolo pudecíamos eſtos cuydados, que nos veniam de fuera, ſino que dentro de la Orden ſe empezaron à mouer platicas de nation: Los quales, aunque no llegaron à turbar la paz, cauſaban empero algunos diſguſtos, que hacen deſabrida la vida Religioſa.* Hæc ille & alia. Et quidem tunc ad turbandam pacem tempeſtas illa non valuit, quia magnorum eſt virorum prudentiâ propulſata ſed vt reualeſceret neſcio quando actum, quandoquidem ad alternatiuarum fuit remedium tandem prouocatum. Id quod Vrbani Octaui teſtimonio conſtat in Bulla pro alternatiua, quam adducit Dom. Solorzanus *ſuprà num. 96.* qui & *numer. 102. & ſeqq.* impetrationem dictæ Bullæ ex non ſatis certâ narratione Pontifici factâ, proceſſiſſe non dubitet affirmare: neque paci per eam conſultum, ſed nouis diſſenſionibus, rixis, & partialitatibus materiam miniſtratam.

Mag. Grijalua.

Damna factionum Religioſarum à Girago recenſentur notandis Aſſertionibus.

8 Quod equidem non ſine grauiſſimo Religionum diſpendio ſtare poteſt, ex iis, quæ diſputat Fr. Ioannes Franciſcus Giragus in *Centuria Dubiorum Regularium Parte 1. Dubio præſertim 1. & quatuor ſeqq.* in quibus hæc ſtatuit. *Primum*, Prouinciam, in qua radicatæ ſunt factiones in electionibus cenſendam eſſe prorſus deformatam. *Secundum*, Peccatum eſſe mortale inducere aliquos vt Religioſi fiant in tali Prouinciâ, & eoſdem admittere. *Tertium*, Profeſſionem talium per ignorantiam factionum talium celebratam, eſſe irritam, ſi vitium dictum per totam ſit Religionem diſperſum. *Quartum*, Ignorantiam dictam ita validitati Profeſſionis obſtare, vt poſt quemcumque temporis lapſum, & habitus geſtationem, neutiquam validetur; niſi Profeſſus notitiâ habitâ de nullitate Profeſſionis, habitum Profeſſorum per triduum portauerit, aut ſe actibus ſtatim Profeſſorum ingeſſerit. *Quintum*, Profeſſum dictum poſt notitiam nullitatis Profeſſionis, non teneri ex vi voti eam ratificare, ſed ratione magni ſcandali in Eccleſiâ, vnde ad id poteſt à Religione compelli. Sic ille ſtatuit: circa quod eruditè philoſophatur, neque ſingulari iudicio innixus, ſed grauium Scriptorum auctoritate munitus.

Indijs ægrè applicari doctrinam de valore Profeſſionis.

9 Illud autem quod habet *num. 74.* quòd ſcilicet ſi factionum peſtis totum Religionis corpus non peruadit, Profeſſio valida eſt; ægrè poteſt Indiarum Prouinciis adaptari. Eſt quidem Profeſſio valida, quia, vt ille ait, contractus celebratus à Nouitio in Profeſſione non initur cum tali Prouincia vt ſic, ſed cum tali Religione: corpus autem Religionis à tali morbo ſanum extat, vnde voluntarium in Nouitio, quod ad valorem Profeſſionis neceſſarium eſt, deceptione non tollitur, cùm poſſit alibi quod promiſit adimplere. *Debent tamen illi*, vt Auctor ait, *ſibi prouidere, & ſe à tanto periculo liberare.* Atqui hoc in Indiis valde difficile eſt, vt quis nouas Prouincias in Europa quærat, qui de obligatione tali, cùm Profeſſionem emiſit, neutiquam cogitauit: ignorantia enim inuoluntariam reddidit Profeſſionem, ſi conſequenter loquendum eſt: nam quod eſt valde difficile, & à vouente non præuiſum, valori Profeſſionis obſtat, ſicut obſtaret ignorantia in ordine ad ſubſtantialia. Pro quo faciunt quæ Scriptor idem habet. *numer. 71.* vbi ſic ait: *Quæ autem cenſeantur ſubſtantialia, vel quæ reuocentur ad ea, ita vt error ſeu deceptio circa ipſa, Profeſſionem inualidet. Conſule Doctores relatos* (ſcilicet Ledeſmam, Victoriam, Cardinalem Toletum, P. Sancium, & P. Suarium) *Ad rem tamen noſtram eſt, quando ingredientis & vouentis variatur in re notabili propria exiſtimatio, quâ variatione cognitâ non vouiſſet Nouitius; tunc error ſeu dolus inualidat Profeſſionem. Ita Eminentiſſ. Lugo de iuſtitia, Diſput. 22. Sect. 7. n. 94. referens Sanchez. Idem dicit Suarez vbi ſuprà &c.* Adducit deinde ex Claui Regia doctrinæ prædictæ confirmationem, dum ait Profeſſionem fore nullam, ſi quis aliquem deciperet, affirmans in tali Religione non ſeruari ciborum delectum; nec ieiunium, aut quidplam aliud difficile; quod ſi prænoſſet, neutiquam vouiſſet. Tunc ſic, ſi Profeſſionem emittens cum ignorantiâ factionum, ſciret ſe obligatum remanere ad mutandam Prouinciam, & per mare, per terras, nouam ſibi eſſe Prouinciam conquirendam, non vouiſſet; quandoquidem minori impenſâ & periculo elicere aliam poſſet ex iis, quæ in Indiis ſunt, in quâ animæ ſuæ ſaluti conſultum iri, poſſet ſibi non ægrè perſuadere. Quis enim non videat rem eſſe difficillimam cœlum adeò diuerſum petere, nauigationis ſubire pericula, & nouos hominum mores experiri? Id quod ex aliis, quæ *ibidem* citatus Auctor tradit ex bonis & cum bonis Scriptoribus, ſatis poteſt efficaciter comprobari.

Error quādo inualidet Profeſſionem.

Giragus.

Pro Indijs applicata doctrina.

Ex citato Auctore difficultas enodata.

10 Ex iis autem, quæ *Dub. 23. 24. & 25.* diſſerit, difficultas præſens videtur poſſe magis in propriis terminis enodari. Ait ergo *Dub. 23.* vbi

factiones

Digitized by Google

factiones radicatæ ſunt, poſſe pro bono pacis ac quietis duos definitores ex vtraque factione eligi, ac Prouinciales alternatim. Et ad id obligationem eſſe ſub reatu culpæ lethalis. *Cap.* 24. addit poſſe condi ſtatutum ne extendatur ad plures duobus electio; Priores, aut Guardianos, & ſimiliter Definitores, ex vnâ natione: & ſine ſtatuto id ſtare meliùs poſſe, etiam in ordine ad alternatiuam Prouincialium. *Cap.* 25. ſtatuit eos, qui ſunt diuerſæ nationis, præſeferentes ſpecialem ac naturalem æmulationem, vt ſunt Hiſpani, Galli, & Germani, in muneribus Religioſis debere exæquari, ne ſit reſpectu illorum acceptatio perſonarum. Cùm verò factiones radicatæ non ſunt, ſed Prouincia incipit eâ peſte conflictari in aliis ob diuerſas rationes æmulationem præſeferentibus, non eſſe alternationum remedio vtendum; quia non tam remedium, quàm fomentum factionum erunt, & qui diuiſionem facere moliuntur ratione ſitus, amicitiarum, conciuium &c. lethaliter peccare, dum in id tendunt, vt ſuffragiorum fauor in electionibus ad ſuos tantùm inclinetur. Iuxta hæc ergo videant Religioſi Indiarum quid ſibi ſit iuxta Auctoris dicti diſcurſum faciendum. Alternatiuam enim tantùm concedit, quando factiones ſunt radicatæ, & conſequenter Religiones deformatæ, vnde damna illa ſequuntur, de quibus *n.* 8. Si autem radicatæ nō ſunt, ſed iam pullulare incipiunt, alternatiua non debet admitti, quia per illā fauentur factiones, cùm ſit manifeſta diuiſio.

Condeſcendendū naturali æmulationi inter Indicos, & Hiſpanos, ex Scripturâ vt poſſit oſtendi.

11 Dici poteſt in Indiis locum habere quod de diuerſitate nationum dicitur, quatenus in Hiſpaniâ & in Indiis nati, è patriis ſedibus diuerſum quoque ingenium trahunt, vnde æmulatio etiam ſpecialis & naturalis ſi fuerit, non debet videri mirum, ſed condeſcendum ipſi, ſicut & aliis apertiùs oppoſitis citatus Auctor conniuendum in electionibus arbitratur. Pro quo facit id, quod *Act.* 6. *v.* 1. legimus, vbi ſic ſcriptum: *In diebus autem illis, creſcente numero diſcipulorum, factum eſt murmur Græcorum aduerſus Hebræos, eò quòd deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum.* Græci namque, quorum factum murmur, non genere tales erant, ſed Hebræi in Græciâ nati, vt videri poteſt apud Patres Gaſparem Sancium, Cornelium, & alios: ex quibus ille diuerſitatem nationum in hoc ipſo recognoſcit. Et hinc factum vt murmuris occaſio non leuis acceſſerit, *eò quòd deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum*: circa quod idem ſic habet: *Origo ergo murmuris videtur fuiſſe hæc, quòd viduæ Hebrææ, eò quòd Hebrææ eſſent, arrogarent ſibi honoratiora & locupletiora miniſteria, præſertim diſtribuendi cibos & veſtes; viliora verò & tenuiora relegarent ad Græcas. Rurſum quòd in diſtributione ciborum & veſtium magis fauere, pluſque dare viderentur Hebræis, quàm Græcis.* Sic doctus Pater, & eſt illud ipſum quod in Indiis nati ſecum agi conqueruntur: quòd ſcilicet nati in Hiſpaniâ honoratiora ſibi officia, & locupletiora arrogent, vilioribus pro iis relictis, qui nati in Indiis, quibus & minus liberaliter prouidetur. Meritò ergo eorum murmur ad Pontificum potuit aures adduci, & ab illis alternatiuarum remedium adhiberi.

Act 6.v.1.

P. Gaſpar Sancius.

Sed rem aliter ſe habere in Indiis apertè monſtratur.

12 Sed certè non ita in Indiis res ſe habent, vt remedio tali ſit opus in eiſdem natos ſe tueri. In Hiſpaniâ nati, & nati in Indiis, diuerſæ nationis non ſunt, neque Giraco tale quid in mentem venit. Omnium color idem, habitudo corporum, lingua, veſtitus, vt multo externo ſigno diſparitas poſſit originis deprehendi. Quod & in moribus eſt cernere, paribus aut virtutibus, aut vitiis, acſi omnes idem natale ſolum habuiſſent. Quòd ſi quidquam è cœli, aut educationis conditione diuersâ contingat, id equidem inter nationes omnes videmus accidere: nulla enim eſt, in quâ non occurrant natiuæ diſparitatis argumenta, vnde & æmulationes; neque illæ circa chariſmata meliora. Immò in ciuitate eadem natos ſcindi in contraria notiſſimum: interque ipſos Indianos, vt vulgò vocantur, ſeu Criollos, magna diuerſitas eſt, pro diuerſo in quo nati loco, quod & ingeniorum diuerſitas manifeſtat. Sicut ergo pro quacumque diſcrepantiâ aut æmulatione non debent alternatiuæ permitti, ita neque pro illâ, de quâ agimus, ſed vnuſquiſque ſuis pro meritis honorandus.

Apoſtolorū ſanctiſſimā diſpoſitionem pro contraria praxi ſtare.

13 Quòd quidem ab Apoſtolico ſanctiſſimè & prudentiſſimè diſpoſitum in exemplum poſterorum. Septem elegerunt Diaconos, qui omnes ex iis erant, qui nati in Græcia, vt citati probant, quia inter illos inuenire potuêre digniſſimos, & præ aliis Stephanum eminentiſſimæ & Apoſtolicæ ſanctitatis, alternatiua non vſi, vt tot ex Hebræis, tot ex Græcis, cum ſucceſſione mutuâ miniſtrarent, ſed ex Græcis omnes, quia ſic expedire iudicarunt. In quo & offenſioni eorumdem occurſum, vt adnotat P. Sancius ita ſcribens: *Fecerunt autem prudenter Apoſtoli, vt Græcorum offenſioni ac diſſenſioni occurrerent, qui Diaconos ex Græcis ipſis elegerunt, &c.* Sic enim & in Religionibus agendum, vt offenſioni, quando non leue fundamentum habet, prudenter, ſed ſine alternatiuis, occurratur.

P. Gaſper Sancius.

Non electos, in quibus murmur.

14 Vbi & obſeruandum, non eos electos, à quibus murmur profectum, ſed eos, in quibus dotes eximiæ, quas quærendas ſibi ſtatuerant, inuenerunt. *Viros ex vobis boni teſtimonij ſeptem, plenos ſpiritu ſancto & ſapientiâ. v.* 3. Non ergo murmur in illis, quocum Spiritus ſanctus nullum poteſt habere commercium. Vnde *Sapient.* 1. *v.* 5. ſic habetur: *Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum.* Et cùm alia de linguæ moderatione ſubiiciat, ſic Spiritus ipſe ſanctus hortatur: *Cuſtodite ergo vos à murmuratione, quæ nihil prodeſt, & à detractione parcite linguæ, &c.* Neque ego de alternatiuis plus addiderim, Religioſos Patres monuiſſe contentus, vt Dei & Religionis cauſſam, non ſuam & ſuorum agant, ne ſe & illos periculo damnationis exponant. Tremendum profectò illud, quod Giracus non veretur affirmare, dum ſic alloquitur Factionarios *num.* 127. *Vultis Factionarij deſtruere factiones linguâ, & non votis ac moribus, iniuſto modo ſolito per tot annos maculando conſcientiam, & implendo infernum animabus ſanguine Chriſti redemptis.* Hæc ille, & alia. Mihi autem Deo gratiæ animitus agendæ, qui *in loco paſcuæ ibi me collocauit. Pſalm.* 22. *v.* 1. tamquàm ouem ſcilicet, quam ipſe vt Paſtor regit, ad quam nulla de electionibus ſpectat cura, ſed de obedientiâ proprio adhibendâ Paſtori. Et dum proprijs exulto, aliena non carpo. Videant alij quid ſibi plus placeat; dummodò & Deo placere poſſit. Væ autem ſi, iuxta nuper dicta, contigerit diſplicere.

Act.6.v.3.

Sap.1.v.5.

Giraci tremenda ſententia in Factionarios.

Pſal.22.v.1.

15 Ter-

Digitized by Google

15 *Tertium: An viſitatores, Vicarij Generales, & alij, qui Superiori cum poteſtate mittuntur, ingentem poſſint ſummam pecuniæ colligere, & eam ſecum in Hiſpaniam aſportare.*

Damna collectionis prædictæ recenſentur.

Circa quod (quidquid re ipſa acciderit, de quo Dom. Solorzanus *Tomo 2. Lib. 3. Cap. 26. numer. 38.*) negari nequit rem eſſe periculo plenam, & in eâ ſcandalum ſaltem ineuitabile reperiri. Vnde ij, qui aliquid dederunt, ſi minùs officioſos accipientes experiantur, eos ſunt ſoliti vocare raptores, & pyratas; neque doloris acerbitas intra domeſticos tantùm pariates taliâ patitur inhoneſtamenta iactari. Aliunde etiam graue paupertati præiudicium generatur, ſi ita accipientium adeò peculium accreſcat, vt inter populares, aut Eccleſiaſticos diuites poſſint numerari, iuxta dicta *Titulo 17. num. 59.* ſicut & Religioſæ gubernationi: dum enim officia muneribus diſtribuuntur acceptis, attentio ad merita eſſe nequit, & ita adminiſtratio præpoſtera ſubſequetur. Sic ergo diſtributiuæ iuſtitiæ negatur locus, & commutatiuę etiam ex eo leges violari noſcuntur, quod ingens ſumma illa pecuniæ Indicis Prouinciis eripitur ad quas ſpectat, cùm ad earum ſpectet Religioſos, quarum neceſſitatibus applicari debuit, ab eiſdem cum querelis ad Regium datis Senatum identidem deploratis. Vnde & charitas violata, iuxta quam proximioribus debet præ aliis ſubueniri, quando cetera ſunt paria. Pro quo D. Thomas 2.2. *quæſt. 32. art 9.* & ibidem Interpretes, atque alij communiter, ex quibus videri poſſunt Cardinalis Toletus, *Lib. 8. Cap. 39.* & alij, quos *ibidem* adducit Victorellus. Et Baſſæus verb. *Eleëmoſyna, num. 16.*

Scandali. *Violata paupertatis.* *Gubernationis præpoſtera.* *Violata iuſtitia.* *Et charitatis.*

Certa eſſe omnia illa.

16 Et hæc quidem adeò certa videntur, vt dubitatio circa illa eſſe nequeat, niſi apud eos, qui claudere ſibi oculos voluerint, vt non adſpiciant meridianam lucem veritatis. Quibus aliud irrefragabilis roboris argumentũ accedit. Rogo enim vnde habeant pecunias iſtas, quas Religioſi tribuunt? Si intra Conuentus habitant, quæ adquirunt, illorum ſunt, neque poſſunt adquiſito iure à Prælatis ſpoliari. Si extra Conuentus, & per loca vagantes, in quibus auri & argenti ſunt fodinæ, ad aliquem ſolent Conuentum pertinere; vnde eadem de illis, quæ de prædictis ratio eſt. Si ad nullum: filiationem tamen in Prouincia habent, vnde Prouinciæ adquirunt, pro quo apud eas ſpecialia erant ſtatuta. Aut doctrinarij ſunt; & tunc quidem ſicut applicari Conuentui poſſunt, quæ ſuperſunt, iuxta dicta *Titulo 17. num. 57. & 58.* ita & offerri Prælato. Sed ille ſic oblata religioſè debet expendere, neque applicare ſibi, ſed neceſſitatibus Prouinciæ ſubleuandis, quia earum eſt Caput, & illum non debet neceſſarium influxum denegare. Neque excuſationi locus ex eo quòd in Hiſpaniâ etiam neceſſitates ſunt, & quidem magnæ, quibus vt ſubueniatur, cùm idem corpus Religionis ſit, videtur charitas imperare. Nam cùm neceſſitates Indicarum Prouinciarum de proximo vrgeant, illis debet potiùs ab iis conſuli, qui earum gubernationem pro bono ipſarum ſolummodò ſuſceperunt. Pro quo videri poteſt Baſſæus verb. *Paupert.as Religroſa, num. 13.* vbi alios adducit. Contra quam obligationem non erit ſi aliquando ſubſidium nonnullum in Europam tranſmittatur, pro neceſſitate aliqua Conuentus Ordinis non vulgari, ſiue virorum ſit, ſiue fœminarum; qualis illa, de quâ ante annos non plures Regiâ eſt auctoritate conſcriptum, vt Monialibus Tereſianis Conuentus Culagurritani eleëmoſyna in Peruuio quæreretur, quarum tanta erat indigentia, vt pro emendo oleo, quo lampas ante altare maius arderet, copia non ſuppeteret.

Irrefragabile aliud argumentum. *Quid poſſit tutò fieri.*

17 *Quartum*, circa Prælatos dictos id pro certo ſtatuendum, quod neque ipſi poſſunt ignorare, in electionibus ſcilicet Religioſis non eſſe adimendam libertatem; pro quo Iura clamant: vnde non ſuſtinendum, vt audita non rarò illa inualeſcat vox in Capitulis, vnum tantùm eſſe ſuffragium. Quid alibi accidat; neſcio; in Indiis Prælati dicti ampliſſimâ gaudent poteſtate, vt Virgilianum illud pro illorum quolibet poſſit aſſumi. *6. Æneid.*

Prælatos in electionibus ſuffragantium non debere obſiſtere libertati.

Nonnulli quiſquam ſe impunè tuliſſet
Obuius armato.

Circa quod multa dici poſſent, quæ apud Auctores occurrunt, de electionibus præſertim Religioſis agentes, in quibus Ragpius de Regimine Regularium *Pag. 522. n. 1. & ſeqq.* & præ aliis apud Caſtellinum, qui integro opere huiuſmodi exequitur tractationẽ. Illud tantùm expendam, quod pro caſu præſenti ſpecialiùs videtur vrgere, ex Cap. *Cùm terra*, de Electione, vbi Cœleſtinus III. ita loquitur: *Sicut ex quarumdam litterarum tenore accepimus, quidam in electionibus prauæ conſuetudinis morbus irrepſit; vt cùm alicuius Prælati electio debet celebrari, Conuentus, ad quem pertinere dignoſcitur, duas perſonas nominet latenter, auribus Patriarchę vel Principis exprimendas, vt ſic alterius eligendæ, vel totius electionis penitus irritandæ idem Patriarcha vel Princeps plenariã habet facultatem. Quia igitur hoc redundat in grauem perniciem Eccleſiaſticæ libertatis, præſcriptam conſuetudinis prauitatem ſancimus penitus abolendam. Statuentes vt forma electionis Canonicæ in omnibus Conuentualibus Eccleſiis obſeruetur, &c.* Circa quam Conſtitutionem ſic infert Gloſſa §. *Cùm terra. Non valet conſuetudo, per quam Collegium ad alterius voluntatem tenetur ſibi eligere Prælatum.* Sic ille.

Cap. Cùm terra, de Electione. *Gloſſa.*

18 Ratio deciſionis eſt clara in ipſo Textu, quia ſcilicet dicta conſuetudo *redundat in graue præiudicium Eccleſiaſticæ libertatis.* Quod non eſt propterea dictum, quia ſæcularis poteſtas ſe Eccleſiaſticis rebus immiſceat; ſic enim de Principe tantùm deberet diſpoſitio procedere, & non de Patriarcha, quem conſtat Eccleſiaſticâ poteſtate omnium poſt Papalem ſupremâ gaudere. Neque copulatiua deciſio eſt, vt ſcilicet tunc electio damnanda ſit, quando Patriarchæ & Principis voluntas interuenit; ſed diſiunctiua, vt conſtat ibi: *Patriarchæ, vel Principis.* & iterùm: *Idem Patriarcha, vel Princeps.* Eccleſiaſticæ ergo libertatis nomine illa debet intelligi, quæ in electionibus eſt Eccleſiaſticis obſeruanda, in quâ nec Princeps, Patronus ſcilicet, de eo enim prædicta diſpoſitio procedit, vt cum aliis docet P. Suarez *Tom. 4. de Religione, tract. 8. lib. 2. cap. 6. n. 19.* neque Prælatus, quantalibet polleat dignitate, libertatem poſſunt eligentium conquaſſare.

Ratio deciſionis, & illius explicatio.

19 Grauis autem pernicies in eo eſt ſatis manifeſta, quod ex Miranda Giraeus expendit *Parte 1. numer. 139. quia videtur fere impoſſibile, quòd ſubditi ſic coarctati diligant & ament Prælatos electos*

Grauis pernicies ex violatione libertatis expenditur.

Digitized by Google

Giracus.

lectos, & è contra. *Quos autem ſubditos amore non proſequantur Prælati, quonam pacto eos regere ac gubernare rectè poterunt: cùm amor ſit, atque eſſe debeat totius boni regiminis, & rectæ gubernationis exordium, vice etiam verſa, quos ſubditi non amant, nullo pacto reuereri, debitamque obedientiam illis præſtare poterunt.* Sic illi, & quidem veriſſimè, philoſophantur. Neque Prælati dicti cauſſam ſuam iuſtificare pergant, ex eo quòd electores ſponte ſe offerunt, ſuffragaturi iuxta eorumdem voluntatem. Hoc enim etſi ſponte videatur fieri, reuera non fit, ſed ex humano timore, quia ſi ita non fecerint, in eorum indignationem incurrere pertimeſcunt. Non debent ergo voluntatem ſuam reddere manifeſtam, ſed vnicuique ſecum iudicium relinquere, vt id, quod ſibi melius coràm Deo viſum fuerit, exequatur. Niſi fortè talis perſona inter eligendos occurrat, per cuius electionem bonum Religionis ſperetur ſingulariter promouendum, vt aliquot ante menſes in hac Limana vidimus ciuitate, dum omnium ſuffragiis in voluntatem Generalis Vicarij remiſſis, eius ſibi electionem in Prouincialem placere dixit, qui nihil de illa cogitabat, ſed paulò antè renuntiationem Magiſterij, & conſequenter vocis in Capitulo, ab eodem Vicario ſcripto ſinceriſſimo & veraciſſimo pij, humilis, & penitus Religioſi affectus indice, poſtularet. Quod felix fauſtumque fuiſſe, gubernationis, vt credo, progreſſus manifeſtant.

Quid non damnandum in hoc genere.

20 *Quintum*, Conſideratione digna occurrit obligatio, quam ſubeunt ij, qui Regijs expenſis in Indias tendunt, ad Indorum curandam conuerſionem, & negotium fidei promouendum: de quo Dom. Solorzanus *citat. Cap. 26. num. 93. & 94.* Vbi ex Miranda ait grauiter eos peccare, & ad expenſas in viatico factas Regi teneri, ſi in Hiſpaniam eo inconſulto redierint, vel in aliis Prouinciis remanſerint, ad quas non ſunt deſtinati. Pro quo Regia reſcripta extant, & Bulla etiam Pontificia cum grauibus Cenſuris & pœnis, cuius mentio habetur in Regia Schedula *An. 1611. die 7. Septembris,* contra eos, qui in Hiſpaniam reuertuntur, ſi præſertim in Philippinas Indias Regiâ ſe directione contuliſſent. *Quod tamen parum, (heu dolor) in multis eorum ſeruatur,* (citati Scriptoris verba ſunt) *qui frequenter appetunt Prouincias magis pingues, & deliciis ac Monaſteriis affluentes, & parùm de Indorum conuerſionibus, Miſſionibuſque, ad quas conducuntur, curantes, omne ſuum ſtudium collocant vt in dictis Monaſteriis Priores, Guardiani, Diffinitores, ac Prouinciales creentur. &c.*

Regiis expenſis in Indias venientes qualem ſubeant obligationem.

Dom. Solorzanus.

21 Quæ quidem iuxta regulas iuſtitiæ procedunt, ſi res ita eueniant: reſtitutionis inquam onus tranſgreſſoribus pacti initi ab eiſdem incumbere, ſicut de obligatione dicendi Miſſam, in eo, qui ſtipendium accepit, communiter ſentiunt Doctores, iuxta dicta in *Appendice præced. circa Primum & ſecundum.* Pro quo & Caramuel in *Theologia fundamentali, Fundam. 13. quæſt. 2. num. 345.* Ex quo infert, quòd ſi ſtipendium reſtituat Sacerdos, non tenetur, qui dedit, recipere, ſed poſſe eum vrgere vt ſtet contractui; niſi fortè grauis cauſſa inopinata emerſerit; tunc enim videtur debere pretium recipere, Sacerdotemque à celebrandi onere liberari. Iuxta quam doctrinam dici etiam poteſt, quòd ſi cauſſa inopinata emerſerit, propter quam Religioſus debeat in Hiſpaniam remigrare, liberum ab obligatione contractâ remanere. Sed addendum, ad reſtitutionem non teneri; quia bonâ fide, quod eſt pro viatico datum, inſumpſit, & non eſt inde factus locupletior, iuxta communes regulas in materia reſtitutionis. Neque eſt idem de Clerico, qui ſtipendium accepit, quia per ſe loquendo ditior inde factus eſt. Aut enim inſumpſit ſtipendium pro ſuſtentatione, vel non. Si Primum: id plus habet ex propriis bonis, quod reuera inſumpſiſſet. Si ſecundum: manifeſtius eſt ditiorem factum, cùm id habeat, quod aliàs non haberet. Religioſo autem cùm ſit debita ſuſtentatio à Religione tribuenda, ex dato pro alimentis à Rege nihil accreſcit: id enim habet, quod eſſet alias habiturus. Neque Conuentus, à quo egreſſus, ditior factus ob ceſſationem impenſæ in eius ſuſtentationem, quia loco eius alium recipere debet, & maiora forſitan paſſus detrimenta, ſi Religioſus bonis erat talentis præditus, quales eos decet eſſe, qui ad Apoſtolica munia deliguntur. Præterquàm quòd de Regia liberalitate non eſt tale aliquid præſumendum.

Ad reſtitutionem vt teneantur, exemplo accipientium ſtipendia pro Miſſis dicendis.

Caramuel.

Sed notanda exceptio, & doctrina pro ſtipendio.

Conuentũ ad illam non teneri.

22 Alia autem quæ prædicti Auctores adducunt de non mutandis Prouinciis, iuxta Pontificia & Regia Decreta, ſatis veroſimilia ſunt. Nam Euangelici Miniſtri mittuntur ſecùndùm notitiam, quæ habetur, neceſſitatum in diuerſis locis. Cùm ergo & iuſſio prædicta vrgeat, & neceſſitas exigat, pro illiuſque ſubuentione impenſæ factæ ſint non modicæ: circa hæc ſine vrgenti cauſſa deficere, ſatis apparet defectum eſſe grauiſſimum, & ita non leue in eo tantummodò peccatum inueniri. Quia verò multoties, quæ à poſtulantibus aſſerta fuerunt, non ita eſſe deprehenduntur, eò quòd & ipſi à referentibus decepti, poterunt tunc Euangelici Miniſtri ibi zelum exercere ſuum, vbi albæ regiones fuerint ad meſſem, vel vt tandem aliquando albeſcant, ſementem Euangelicam inchoare. Cùm autem qui mittuntur, Prælatis Indiarum debeant eſſe ſubiecti, ſuæ ſatisfacient conſcientiæ, ſi eorum ſe moderationi permittant, ſignificatâ promptâ ad ſalutem Indorum diligenter curandam voluntate. Neque Prælati peccabunt, ſi eos quandoque miniſteriis aliis pro bono Religionis applicauerint, quia ad illa, quæ ab ipſis præſtari poſſunt, alios applicant, qui ad ipſa minimè tenebantur. Et cùm Indorum bonum ex Religioſis familiis ritè conſtantibus magnâ ex parte dependeat, eorum profectò res agitur, cùm earum ſtatui meliori conſulitur, Magiſtris, & Prælatis conuenientibus deſignatis. Abſit ergo genij indulgentia, auaritiæ peſtis, & ambitionis tempeſtas & quidquid prętereà bono fuerit zelo peractum, & Pontifici, & Regi, non terreno ſolùm, ſed ſæculorum, immortali, & inuiſibili, non dubitent placiturum.

De obligatione non mutandi Prouincias & occupationes, ad quas ſunt deſtinati.

Notanda doctrina.

Nec de Religioſis plura, quos obligationum ſuarum ſatis futuros conſcios reputamus, à quibus ſi deſciuiſſe contingat, non ignorantiæ, ſed præualidi alicuius affectûs eſt immoderantiæ tribuendum, pro quibus medicinam opportunam miniſtrabunt alij, & præ aliis elegans & ſolidus, ac neruoſus ſemper P. Carolus Scribanus in ſuo *Medico Religioſo.*

TITVLVS

Digitized by Google

TITVLVS XX.

DE APOSTOLICORVM INQVISITORVM IN REGNIS INDIARVM OBLIGATIONIBVS.

Inquiſitorum obligationes ſat plures ſunt, de quibus etiam plures ſcripſère Doctores, & magnis voluminibus ſunt eaſdem proſecuti. Mihi pro Indicis nonnulla tantùm addenda ad doctrinæ complementum; cùm ſciam aliàs ipſos probè inſtructos, & adimplendo omnium præſtantiſſimo miniſterio ſedulam operam exhibere. Sit ergo

CAPVT I.

Indicis Inquiſitoribus quale circa munerum receptionem conſcientiæ onus incumbat.

Clement. II. ſtatutum circa munerum receptionem,

1 Circa hoc in *Clement.* 2. de hæreticis, ſic habetur: *& tam ipſorum* (ſcilicet Inquiſitorũ) *quàm Epiſcoporum, ſeu Capitulorum, Sede vacante, ſuper hoc deputatis Commiſſariis quibuſcumque, diſtrictiùs iniungentes, ne prætextu officij Inquiſitionis, quibuſuis modis illicitis ab aliquibus pecuniam extorqueant: nec ſcienter attentant Eccleſiarum bona ob Clericorum delictum, prædicti occaſione officij, Fiſco etiam Eccleſiæ applicare. Quòd ſi ſecus in his vel eorum altero fecerint, excommunicationis ſententiæ eos ſubiacere decernimus ipſo facto. A quâ non poſſint abſolui, præterquàm in mortis articulo, donec illis, à quibus extorſerint, plenè ſatisfecerint, de pecuniâ ſic extortâ.* Sic Clemens V. in Concilio Viennenſi. Pro Inquiſitoribus autem Hiſpaniæ, & conſequenter Indiarum, ſtatuitur in *Hiſpalenſi Inſtructione.* 1. *Cap.* 25. *& in* 2. *Cap.* 1. *& in* 4. *Cap.* 15. quæ apud me eſt Abulenſis vt Inquiſitores dona non recipiant, etiam ab Officialibus, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ. Quibus præiactis

Pro quo & Inſtructiones Hiſpalenſes.

Aſſertio 1. *Clementinæ pœnam non incurri gratuita munerum largione.*

2 Dico primò. Per gratuitam munerum collationem non incurritur pœna Clementinæ. Id clarum: quia ibi extorſio non eſt. P. Suarez *Tomo* 5. *in* 3. *p. Diſput.* 23. *Sect.* 5. *numer.* 25. Bonacina *Tomo* 3. *Diſputat.* 2. *Quæſt.* 10. *Puncto* 10. *num.* 2. qui id ſtatuunt, etiamſi aduertant dari ob officium S. Inquiſitionis, qui ea accipiunt. Vt tenent etiam P. Thomas Sancius *in Opere morali Lib.* 2. *Cap.* 20. *num.* 7. P. Fragoſus *Tomo* 2. *pag.* 517. §. *Dictum.* & Diana *Parte* 4. *Tractatu* 8. *Reſolutione* 28.

Aſſertio 2. *Quæ actio vim extorſionis habeat.*

3 Dico ſecundò. Quæcumque actio, aut actionis omiſſio, quæ in cauſſa ſit vt pecuniæ ab inuitis conferantur, extorſio eſt, & pœnis Clementinæ ſubiecta. Id etiam conſtat: quia vbi inuitus quis eſt, violentia interuenit, quam nomen indicat extorſionis, non phyſicam, ſed moralem, quia libertatem abſolutè non tollit, ſed talem vim inducit, vt iuxta humanam inter mortales neceſſitatem, ſine graui ei nequeat damno, aut illius ſuſpicione probabili, repugnari. Videatur D. Thomas 12. *quæſt.* 6. *art.* 5. *&* 6. & Interpretes ibi.

Aſſertio 3. *Nõ quamcumque inuitis donationem pœnæ ſubiacere.*

4 Dico tertiò. Si abſolutè quis inuitus non donet, ſed tantùm aliqualiter, non eſt extorſio, quę veniat Clemẽtinæ pœnâ plectẽda. Probatur. Quia quod ſic datur, abſolutè non extorquetur; quandoquidem tantùm intercedit vis aliqualis, quæ ſecundùm quid talis ſit: cùm autem actus aliquis pœnâ impoſitâ prohibetur, non qualiſcumque, ſed abſolutè talis debet intelligi, iuxta receptam Scriptorum doctrinam, de qua aliàs, & pro qua videri poteſt P. Suarius *Tomo* 5. *citato Diſputat.* 4. *Sect.* 3. *& Tomo* 1. *de Religione Libr.* 4. *Cap.* 55. *num.* 14. *& Cap.* 56. *num.* 33. & P. Thomas Sancius *Lib.* 10. *de Matrim. Diſput.* 4. *n.* 12. *& Lib.* 2. *Conſil. mor. Cap.* 3. *Dub.* 106. *numer.* 4. & quamplures apud Dianam *Parte* 5. *Tract.* 9. *Reſolut.* 48. Vnde etiamſi quis inuitus ſit, & ſolùm ob vitandam vexationem, & rigorem Inquiſitionis offerat, non incurri ab accipiente excommunicationem, quia crimen ibi concuſſionis non eſt, docent cum aliis P. Sancius, & P. Fragoſus. Quod tunc videtur intelligendum, quando vexatio & rigor non eò tendunt, vt pecuniæ extorqueantur; aliàs ſtat reſolutio *Aſſertionis præcedentis.*

Aſſertio 4. *Pœnam circa pecuniarum tantum receptionem verſari, probabile.*

5 Dico quartò. Probabile eſt id, quod de pecunia dicitur non eſſe ad alias pretio æſtimabiles extendendum. Sic indicat Bonacina *ſuprà num.* 3. quia verba formaliter, & in ſignificatione propriâ ſumenda ſunt; præſertim cùm ſumus in

in materia pœnali. Contrarium tamem tenent communiter ſcribentes , vt videri poteſt apud eumdem Auctorem , & apud P. Suarium ; qui id tamquàm certum videtur affirmare, P. Sancium *num.* 9. P. Fragoſum §. *eodem* P. Palaum *Tomo* 1. *Tract.* 4. *Diſputat.* 8. *Puncto* 13. §. 2. *num.* 21. Vt verò probabilitas poſſit prædicta fundari, ea ratio afferri poteſt, quòd in pecunia ſit facilis & magis vſitata receptio, quàm in aliis, in quibus illa vix poteſt occultari. Vt ſi frumentum, vinum, & ſimilia recipiantur. Hæc ergo non erat opus ſub pœna adeò graui prohiberi, ſed communi iuris diuini diſpoſitioni relinqui. Sed certè communior ſententia videtur mihi certiſſima ; ſi de iis agamus, in quibus eadem, quæ in pecunia, ratio eſſe videtur, & multoties maior. Quis enim non videat ineptiſſimum apparere, vt Inquiſitor æream pecuniam accipiens, excommunicationem incurrat, ſi verò vas aureum, vel argenteum, aut annulum cùm pretioſa gemma, vel torquem auream ; ab excommunicatione eximius habeatur? Licet ergo in eſculentis aut poculentis etiam magni pretij, alia ratio ſit, in iis, quæ materiæ eiuſdem cum pecunia pretioſa ſunt, vel ad eius ſolent pretium augendum adnecti, vt pretioſæ gemmæ, eadem prorſus eſſe videtur.

Oppoſitum videri certiſſimum.

Licet in lex pœnalis, extendi ob doctrinam receptam circa illam.

6 Licet autem multorum Doctorum ſententia ſit, in pœnalibus, etiamſi maior ratio ſit, non debere fieri extenſionem, de quo nos ſæpiùs: id tamen fallit quando aliàs lex inutilis redderetur, & imprudentia argui in legiſlatore poſſet, qui bono publico non ſtuduit ſuâ diſpoſitione conſulere, viam relinquens apertam impendenti malo, quam occludere eadem diſpoſitio conatur. Videatur Pater Palaus *Tomo* 1. *Tract.* 3. *Diſputat.* 5. *Puncto* 3. §. 4. *numer.* 8. Quod equidem in caſu noſtro contingeret, ſi verbis Clementinæ hærendum foret, cuius illud exordium : *Nolentes ſplendorem ſolitum negotij fidei per actus indiſcretos & improbos quorumuis Inquiſitorum hæreticæ prauitatis quaſi tenebroſi fumi caligine obfuſcari.* Sic Concilium : quod ea de cauſſa pecuniam prohibet extorqueri, quia videlicet extorſione tali, quaſi tenebroſo fumo, negotij fidei ſplendor obfuſcatur. Atqui quòd pecunia, aut ſimilis pretij, ſeu maioris donarium ſit, eiuſdem tenebroſi fumi conditionem habet ad ſplendorem dictum obfuſcandum ; ergo pariter excluſum debet iudicari. Quod auem inutilis diſpoſitio eſſet, & ſic non prudenter impoſita, ſi ad pecuniam arctaretur, conſtat. Quia cùm quiſpiam pecuniam offerret, poſſet Inquiſitor dicere eam ſe non poſſe recipere, & ita re alia compenſandam pretij eiuſdem, paruâ mole æſtimationem non paruam continente. Et quidem ea quæ talia ſunt, minus indecorè petuntur, dum erga illa ſuum quis declarat affectum ; quod circa pecunias indecens & indignum reputatur.

Clementinæ exordium.

Aſſertio 5. In Indijs vix illud eſſe probabile, quod vt tale propoſitum.

7 Dico quintò. In Indiis vix eſt probabile, quod *Aſſertione præcedenti* tale eſſe poſuimus. Ratio eſt : quia in illis vſus auri & argenti non ſignati valde communis eſt, & per illud ſolent frequentes contractus celebrari. Vnde circa negotium præſens, ſi pecunia ſit prohibita, vt ei ſoli debeat ſtatuta pœna rependi, nihil actum eſt conſtitutione prædictâ, cùm verborum tenore ſeruato, negotij fidei poſſit ſplendor per receptiones æquè æſtimabiles obfuſcari. Ergò hic, ſi vſpiam alibi, manifeſtum eſt in legem delinquere, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem. Quæ eſt *Regula vlt. Iuris in* 6. deſumpta ex *l. Fraus. Et l. Non dubium C. de legibus.* Pro quo & eſt alia *ibidem*, ſcilicet 84. tenoris ſequentis : *Cùm quis vna via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.* Iuxta quam procedit Decretalis Bonifacij Octaui in Cap. *Vnico, de Clericis coniugatis in* 6. vbi ſtatuit Clericos, qui trahi ad iudicium nequeunt, ſecundùm antiquam Innocentij Secundi Conſtitutionem, ſiue criminaliter, ſiue ciuiliter ; non poſſe etiam perſonaliter, aut pecuniariter vllatenus condemnari, videlicet etiamſi non trahantur ad iudicium. Et rationem ſic reddit : *Ne per vnam viam concedatur eiſdem iudicibus, quod per aliam denegatur.* Sic ille. Vbi certè non eſt tenori verborum inhærendum : quia qui perſonaliter aut pecuniariter condemnatur, ad iudicium non trahitur : & tamen Pontifex ſic intelligendum ſtatuit ; quia non eſſet ſatis Eccleſiaſticæ immunitati prouiſum, nec prædictorum Clericorum cauſſa ſufficienter propugnata, ſi tractio tantùm eſſet prohibita, cùm ſine tractione ſimilis poſſet moleſtia eiſdem importari. Id quod in caſu noſtro ſimiliter dicendum, in quo eadem ratio occurrit.

Regula Iuris ad intentum.

Cap. Vnicum de Clericis coniug. in 6.

Aſſertio 6. Per mutui extorſionem non incurri pœnam.

8 Dico ſextò. Si Inquiſitor pecuniam extorqueam non dandam, ſed mutuandam, non incurrit in pœnam Clementinæ. Et idem eſt de aliis in eadē contentis. Sic P. Suarius *ſuprà*, P. Sancius *n.* 10. P. Fragoſus §. *Item, non.* Diana *ſuprà*, & Bonacina *num.* 4. Ratio eſt. Quia cùm pecuniam reſtituturus ſit, eam abſolutè non dicitur extorquere : extorſio enim ſignificat omnimodam oblationem. Currit ergo doctrina *Aſſertionis Tertiæ.* Sed quid ſi non reſtituat, P. Suarez ait incurrere excommunicationem, ex quo idem ſtatuunt P. Sancius, & P. Fragoſus : quod negat Bonacina, & probat : quia non reſtituendo, non dicitur extorquere, ſed non reſtituere : excommunicatio autem lata ob actionem, non incurritur propter omiſſionem actionis. Circa hoc inprimis eſt certum, quod ſi extorquet prætextu officij ex titulo mutui, ſed cum animo non ſoluendi, extorſio conſummata eſt, & pœnæ excommunicationis obnoxia. Deinde, Bonacinæ ſententia nō videtur ab eodē ſolido fundamento probari, quia omiſſio reſtitutionis non eſt omiſſio actionis, propter quam eſt impoſita excommunicatio: hæc enim non imponitur abſolutè vt quis reſtituat, ſed vt non extorqueat ; vnde non rectè philoſophatur. Et ita ſi Inquiſitor pecuniā abſolutè extorſit, excommunicationem incurrit, etiamſi poſteà, mutatâ voluntate retinendi, reſtituat. In caſu ergo dicto idem videtur dicendum ; non ex eo quòd præcisè non reſtituat, ad quod obligatus eſt lege diuinâ, ſed quia conſummatur extorſio, vbi primum quis de non reſtituendo deliberat. Extorſit ſiquidem pecuniam, cùm mutuam accepit ; ſed extorſione imperfecta, quia animo reſtituendi : mutato ergo animo, & reſtitutione negatâ, extorſio conſummatur, quia ab omnino inuito iam eam habet Inquiſitor : ſicut in ſimonia conuentionali accidit, ratione cuius non incurruntur pœnæ ſimoniacis impoſitæ, etiamſi pretium datū ſit, donec res ſpiritualis tradatur,

Quid ſi non reſtituat.

Incurri probatur.

Exemplum ſimoniæ conuentionalis.

Digitized by Google

datur, iuxta communem Doctorum ſententiam: immò etiamſi res ſpiritualis tradita ſit, non tamen pretium acceptum: quod cum aliis tenet P. Thomas Sancius *tit. Dub.* 106 *num.* 4.

Aſſertio 7. Incurri etiam ab exigente plus quam res vendita valeat. Vbi & ſpecialis quaſtio de vendente ſummo pretio.

9 Dico ſeptimò. Prædicta pœna incurritur ſi Inquiſitor cogat aliquem, vt aliquid à ſe emat, & prætextu officij plus exigat, quàm res valeat. Sic Bonacina. §. *Hinc patet.* Ratio eſt: quia rerum à pecunia extorquetur; modus autem, extorſionis valde materialiter ſe habet. Sed quid ſi ſummo pretio vendat, quod aliàs eo non erat empturus. Idem ſanè videtur dicendum, quia extorſio pecuniæ abſolutè eſt, cùm emens ſit prorſus inuitus. Vnde & obligatio reſtitutionis eſt non ſolùm exceſſus pretij ſecundùm communem æſtimationem; ſed amplioris ſummæ, quia merces vltroneæ vileſcunt: & vbi coactio aliqua interuenit, multò eſt vilius earum pretium. Et hoc intelligendum, ſi iam locus diſtractui non ſit, eò quòd res vendita non extet: aut qui emit, velit ſtare contractui; aliàs enim contractus reſcindẽdus eſt, quia inuoluntarius ex parte ementis, cùm tamen de ratione illius ſit vt abſolutè voluntarius celebretur.

Aſſertio 8. In caſibus dictis peccari mortaliter.

10 Dico octauò. In caſibus prædictis, in quibus extorſio abſolutè talis eſt, licet non incurratur pœna, eſt tamen peccatum mortale. Ratio eſt clara ob manifeſtam iniuſtitiam, ratione cuius in quolibet alio idem deberet affirmari.

Aſſertio 9. Non incurri pœnam, dum non agitur prætextu officij.

Dico nonò. Etiamſi quis pecuniam extorqueat, dummodò non ſit prætextu officij Inquiſitorum, non incurrit excommunicationem. Sic colligitur ex dictis Auctoribus, dum pro conditione addunt vt ſit prætextu S. Officij. Et pro eo ſpecialiter P. Sancius plures Doctores adducit *num.* 8. ex quo P. Fragoſus, & P. Palaus *ſuprà.* Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Cap.* 24. *num.* 20. citatis nonnullis, Diana *Reſolut.* 28. *citata.* Cæſar Carena *Parte* 1. *Titulo* 1. *num.* 84. quod item Clementinæ verba iam adducta deſignant. Itaque qui apud S. Tribunal cauſſam pendentem non habet, ſi inuitus pecuniam tradat, non eſt in eo extorſio à Clementinâ damnata: ſicut eſſet, ſi cognatum, aut aliàs ſibi coniunctum haberet, & ab eo extorqueretur pecunia, ſpe data cauſſam fauorabiliter expediendi. Neque obſtat Inquiſitorem ad extorſionem dictam non futurum potentem, ſi Inquiſitor non eſſet; quia enim talis eſt, formidabilis habetur, neque eſt qui audeat repugnare. Nam reuera ibi prætextus officij non eſt, licet illius auctoritas arma præſtet extorturo: neque ex eo dici poteſt ſplendorem negotij fidei obfuſcari, ſi quando illud occurrit, lauare inter innocentes manus ſuas poteſt Inquiſitor. Et iuxta hoc accipienda quæ habet Diana *Parte* 4. *Titulo* 8. *Reſolut.* 8.

Aſſertio 10. Non eſſe obligationem quadrupli.

11 Dico Decimò. Officialis S. Inquiſitionis non tenetur ad reſtitutionem quadrupli, ſi extorſio ab eo eſt facta. Eſt contra Gloſſam Clementinæ verb. *Officij* vt eam Nauarrus intelligit dicto *Titulo* 15. *num.* 12. licet reuera non ita ſtatuat; quidquid de pœnâ concuſſionis ſit, in Iure ciuili, & Decreto propoſita, pro quo citato loco. Sufficiet ergo ſimpli reſtitutio. P. Sancius *num.* 20.

Aſſertio 11. Non poſſe accipere munera ſub pœnâ excommunicationis.

Dico vndecimò. Inquiſitores ſub pœnâ excommunicationis latæ ſententiæ, munera accipere nequeunt. Sic P. Thomas Sancius *Lib.* 3. *Conſil. moral. Dub.* 4. *num.* 6. P. Dicaſtillus *de Iuſtitia & Iure Lib.* 2. *Tract.* 2. *Diſput.* 6. *num.* 95. Simancas *Lib. Inſtitut. Titulo* 34. *num.* 46. Carena *Parte* 1. *Titulo* 6. *num.* 110. vbi alios adducit, & præ aliis Paramus de *Origine Inquiſitionis Lib.* 3. *Quæſt.* 2. *numer.* 66. *& ſeqq.* Probatur ex Inſtructionibus adductis *num.* 1.

Aſſertio 12. Accipiendum iuxta Aſſert. 9.

12 Dico duodecimò. Aſſertio præcedens intelligenda eſt iuxta ſenſum Nonæ; quando ſcilicet numera accipiuntur prætextu Officij S. Inquiſitionis. Probatur. Quia pœna grauiſſima eſt, & ita non eſt credendum diuerſo ſenſu procedere ab eo, quem Apoſtolica Sedes in ſimilibus diſpoſitionibus ſpectat, vt ſcilicet ſplendor negotij ſancti non obfuſcetur turpis quæſtûs interuentu. Et ita expreſsè ſignificatur *Cap.* 26. apud me *Inſtructionis* 1. *Hiſpalenſis.* Iuxta quam aliæ regulandæ.

Aſſertio 13. Et non, ſi agatur ciuiliter.

Dico decimotertiò. Quando ciuiliter agitur aliquid apud Tribunal S. Inquiſitionis, licet extorqueatur quidpiam illo prætextu, non incurritur dicta pœna. Id probo. Nam illud non eſt negotium fidei abſolutè loquendo, licet ab eo aliquomodo trahat originem: Clementina autem de negotio fidei loquitur, vt vidimus. *Nolentes ſplendorem ſolitum negotij fidei &c.* Et cùm pœnalis Conſtitutio ſit, benigna debet interpretatio fieri, non obſtante quòd in fauorem fidei eſſe videatur: quia hoc non tollit rationem pœnalitatis & odij, vt in caſu eiuſdem Clementinæ loquitur Bonacina, tum iuxta probabilem ſententiam, de qua *num.* 3. §. *Reſpondendum.*

Aſſertio 14. Excommunicationem non reſeruari factâ reſtitutione.

13 Dico decimoquartò. Excommunicatio dicta non eſt Pontifici reſeruata poſt ſatisfactionem datam ſimpli reſtitutione. Conſtat ex tenore Clementinæ, pro quo P. Suarius *num.* 27. ex quo Carena *n.* 86. & Doctor quidem Eximius benè explicat, quomodo, ſi reſtitutio nõ fiat, reſeruata ſit, niſi pro mortis articulo. Sed difficilè ſatis apparet quod ſtante impotentiâ reſtituendi talis non poſſit abſolui, quod illa affirmat, quia ſolus eſt mortis exceptus articulus. Vnde videtur veroſimiliter dici poſſe circa hoc idem obſeruandum, quod circa percuſſorem Clerici Doctores tradunt, iuxta Canonici iuris indulgentiam, & videri poteſt apud Dianam *Parte* 9. *Tract.* 4. *Reſolut.* 59. *& ſeqq.*

Et non facta, ſi impotentia ſit ad illam.

Eadem enim in hoc ratio eſſe videtur, ne ſcilicet periculum animabus inde ingens generetur. Et ita tenet P. Sancius *n.* 19. ſatis ſolidè id probans, & illuſtrans, ac pro eo alios referens; ſicut & P. Fragoſus *Tomo* 2. *pag.* 528. §. *Porrò, ſi.* & Carena. *Parte* 1. *Titulo* 5. *n.* 86. §. *Secundò, in eo.* Eſt prætereà ad Bullam Cruciatæ, & ad Religioſorum priuilegia recurſus, & in Indiis etiam ad Epiſcopos ratione difficilis ad Apoſtolicam Sedem acceſſus, iuxta doctrinam quamplurium Scriptorum, de qua aliàs, & pro qua ſtat, nonnullis citatis, Diana *Parte* 9. *Tractatu* 3. *Reſolut.* 71.

Et quid pro Indi[illegible].

Aſſertio 15. Qua regula pro acceptione Inquiſitoribus ſeruanda.

14 Dico decimoquintò. Quandoquidem excommunicatio non comprehendit Inquiſitores, niſi quando prætextu Officij munera accipiunt, iuxta 12. *Aſſertionem*; ſi ex aliis titulis accipiant, acceptio regulanda eſt iuxta probatas regulas de iudicibus Eccleſiaſticis in ordine ad munerum acceptionem; cùm conſtet Inquiſitores

Digitized by Google

tores iudices eſſe, licèt ſententia cum diuerſitas ſit, an ordinariâ, vel purè delegatâ iuriſdictione potiantur. Pro quo videri poſſunt Magiſt. Soſa in *Aphoniſmis Inquiſitorum. Libr. 1. Cap. 2.* Diana *Parte 4. Tractatu 8. Reſolut. 1.* Pater Palaus *Tomo 1. Tractat. 4. Diſputat. 8. Puncto 13. §. 2. numer. 2.* Pater Molina *Tractatu 5. de Iuriſdictione, Diſputat. 29. §. Illa verò ratione.* Pater Azor *Tomo 1. Libr. 8. Cap. 18. Rubrica de Inquiſitoribus, Quæſt. 6.* Pater Fragoſus *Tomo 2. Libr. 5. Diſputat. 13. numer. 61.* Cæſar Carena *Tractatu de Officio S. Inquiſitionis, Parte 1. Titulo 5. numer. 60.* Cuius reſolutio ſatis eſt veroſimilis, dum aît iuriſdictionem Inquiſitoris eſſe delegatam: habere tamen omnia priuilegia & prærogatiuas (deductis omnibus imperfectionibus) iuriſdictionis ordinariæ. Iuxta hæc ergo non ſolùm accipere eſculenta & poculenta poſſunt à Iure permiſſa, de quo Pater Thomas Sancius *Libr. 3. Conſilior. Moral. Cap. vnico, Dub. 2.* & nos *ſuprà*. ſed quidquid liberaliter titulo conſanguinitatis, amicitiæ, & ſimilium fuerit liberaliter impoſitum; reſpectu enim donationum huiuſmodi officium Inquiſitorum materialiter ſe habet. Pro quo videnda, quæ diximus *Titulo 3. numer. 31. & Titulo 4. numer. 12.* vbi de laicis iudicibus, quibus non minùs ſtrictæ leges circa munerum acceptiones impoſitæ reperiuntur.

Eorum iuriſdictio qualiter Delegata.

15 Et quidem ſi vt iudices delegati conſiderentur, diſpoſitio Iuris de illis non agit, niſi quando in negotiis inter partes iuriſdictionem exercent, vt conſtat ex Cap. *Statutum*, de Reſcriptis *in 6.* vbi ſic dicitur: *Inſuper, vt gratis, & cum omni puritate, iudicium coràm ipſo procedat; nullum munus, vel quidquid aliud, niſi forſan eſculentum, vel poculentum, mera liberalitate oblatum, quod paucis conſumi poſſit diebus, vel niſi cùm ipſum propter cauſſam ſibi commiſſam contigerit extra ſuum domicilium proficiſci, moderatas expenſas recipere ab eiſdem partibus qualitercumque præſumat.* Sic ibi. Quod quidem ſatis alienum eſt ab Inquiſitorum officio, quibus commiſſio illa temporalis non ſit, ſed perpetua ex vi officij, & iuriſdictionem inter partes non exercent. Quòd autem ad caſum attinet, in quo ſumus, cùm de muneribus agamus, quæ ab iis, qui cauſſam non habent pendentem, ſed liberaliter conferuntur, ſatis ex prædicta deciſione, quod aſſerimus, comprobatur.

Vt Delegatis quid prohibit i ex generali ſtatuto.

Cap. Statutum, de Reſcriptis in 6.

16 Si verò de Ordinariis iudicibus ſermó ſit, pro illis Conſtitutio Iuris ſpecialis non habetur, ſed Doctores ex diſpoſitis circa Delegatos, idem eſſe dicendum arguunt, quia in Ordinariis maior videtur eſſe ratio, vt videri poteſt apud P. Sancium *ſuprà, numer. 5.* Non ergo aliter philoſophandum de illis in eo, de quo agimus, & ita quando negotium pendens non habetur, nec de proximo habendum præſumitur, idem dicendum eſt, & conſequenter de Inquiſitoribus, quatenus eorum iuriſdictio ordinaria eſt. Facit autem pro huiuſmodi poſitione id, quod ex Syluestro, & Gloſſa ſtatuit P. Sancius *num. 2.* quod & ipſe amplectitur, ſcilicet ex merâ liberalitate donata cenſeri, quæ non ſunt exacta aut petita directè vel indirectè. Quæ regula ſatis eſt iudicibus fauorabilis, & iuuare poteſt ne ad reſtitutionem à Confeſſariis compellantur, quando illa ægrè fieri poteſt. Et in diſcurſu Capitis, de Inquiſitoribus locuti ſumus pro certo habentes in Clementinâ dicta comprehendi, quod receptiſſima ſententia tenet: cùm tamen ſint qui contrarium cenſeant, & ex tenore illius id conentur deducere, vt videri poteſt apud Dianam *citat. Reſol. 28.* qui & id non videtur improbabile reputare.

Quid vt ordinarijs.

Notanda regula circa obligationem reſtitutionis non vrgendam.

Et notanda quorumdã ſententia.

De eo autem, quod in eadem Clementinâ circà confiſcationem bonorum Eccleſiæ diſponitur, nihil dicam, quia caſus rarus eſt, etſi acciderit aliquando: videri pro eo poterunt Bonacina, Carena, P. Suarius, P. Fragoſus, P. Sancius, & alij, quos ipſi adducunt.

CAPVT II.

De Inquiſitorum culpa, dum ex immoderantia affectuum, poteſtatem exercent aut ſuſpendunt.

17 IDem qui ſuprà Pontifex, grauia ex abuſu Inquiſitoriæ poteſtatis damna, ſi, quod abſit, contingeret, recognoſcens, ita ſtatuit *Clement. 1. de hæreticis. §. Verùm quia,* poſt alia nonnulla: *Epiſcopo, & Inquiſitori prædictis, ac alijs, ad dicti executionem officij ſubſtituendis ab eis, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione maledictionis æternæ præcipimus, vt ſic diſcretè & promptè contra ſuſpectos vel diffamatos, de huiuſmodi prauitate procedant, quòd malitiosè aut fraudulenter tantam labem, ſeu quod ipſos in officio ſanctæ Inquiſitionis impediat, falsò alicui non imponant. Quòd ſi odij, gratiæ, vel amoris, lucri aut commodi temporalis obtentu, contra iuſtitiam & conſcientiam ſuam omiſerint contra quemque procedere, vbi fuerit procedendum ſuper huiuſmodi prauitate: aut obtentu eodem prauitatem ipſam, vel impedimentum officij ſui alicui imponendo, eum ſuper hoc præſumpſerint quoquo modo vexare: præter alias culpas pro qualitate culpæ imponendas eiſdem, Epiſcopus, aut Superior ſuſpenſionis ab officio per triennium; alij verò excommunicationis ſententiam eo ipſo incurrant. A quâ quidem excommunicationis ſententiâ, qui eamdem incurrerint, niſi per Romanum Pontificem nequeant, præterquàm in mortis articulo, & tunc ſatisfactione præmiſſâ, abſolutionis beneficium obtinere.* Hæc ille. Cuius diſpoſitio, licèt generalis ſit, pro Indiis catenus exponendam aſſumimus, quatenus priuati affectus in ills magis videntur preualere. Et quia quod de reſeruatione excommunicationis dicitur, ſpecialem in illis difficultatem habet ob diſtantiam ſingularem. Circa illam ergo

Clement 1. de hæreticis, ſtatutum circa prædicta.

18 Dico primò. Pœna impoſita in prædicta Clementina ſolùm habere locum poteſt, quandò affectus interior exteriori opere, quod graue peccatum aliàs ſit, ſufficienter redditur manifeſtus; ex eo principio quòd actus merè interni iudicio Eccleſiæ non ſubiacent. Pro quo faciunt quæ adducit Gloſſa verb. *Eo ipſo incurrant*; licèt *ibidem* cum nonnullis Doctoribus contrarium amplectatur; quod & tenent plures alij apud P. Suarium *Diſput. 21. de Fide, Sect. 2.* & P. Thomam Sancium *in Opere morali, Lib. 2. Cap. 8. num. 1.* qui tamen pro Aſſertione ſtant. Prior quidem *num. 12.* & alter *numer. 7.* quos ſequuntur P. Palaus *Tomo 1. Tractat. 4. Diſputat. 3. Puncto 3. numer. 7.*

Aſſertio 1. actum merè internũ ad incurrẽdam pœnam non ſufficere.

P. A-

P. Amicus *Diſput.* 5. *de Iuſtitiâ, Sect.* 5. & ſpecialiter pro caſu noſtro *num.* 140. Diana *Parte* 5. *Tractat.* 5. *num.* 32. vbi adducit P. Petrum Hurtadum de Mendoza, & *Tractat.* 9. *Reſolut.* 41. vbi multò plures, & in iis P. Vaſquez, P. Gaſparem Hurtadum, qui in caſus noſtri ſpecie loquuntur, & *Reſolut.* 41. vbi P. Suarium quaſi contrarium inducit ob ea, quæ habet *Tomo* 5. *in* 3. *p. Diſput.* 4. *Sect.* 2. *num.* 18. Sed quidquid de P. Suarij aſſerto ſit, in adducto à nobis loco, qui curæ poſterioris eſt, ſatis illius mens habetur comperta, iuxta quam prius illud eſt explicandum, vt ceſſet digladiatio P. Turriani *Lib.* 1. *de Cenſuris, Diſputat.* 4. *Dub.* 2. Tenet etiam Bonacina *Tomo* 1. *Diſput.* 1. *Quæſt.* 1. *Puncto* 3. *numer.* 7. iunctis iis, quæ habet *numer.* 4. vbi caſus noſtri meminit, & alij quamplures.

Circa P. Suarij ſententiam.

Aſſert. 2. clementinã nõ eſſe multùm formidabilem, ob duo tãtùm cõmiſſionis peccata, propter quę excommunicatio.

19 Dico ſecundò. Licèt prædicta Clementina formidabilis appareat, reuerà non eſt cur multùm illa ab Inquiſitoribus timeatur. Ratio eſt: quia quod ad commiſſionis peccatum pertinet, duo in illâ tantùm excommunicationis reſeruatæ fulmine feriuntur. *Primò*, impoſuiſſe alicui hæreſim ob prauum Inquiſitoris affectum: de hæreticâ ſiquidem prauitate Clementina procedit, vt ex illius tenore habetur expreſſum. *Secundò*, impoſuiſſe aliquid, per quod in executione officij S. Inquiſitionis aliquis impediatur. Talia autem ſunt, quæ obſtant quo minùs officium tale poſſit haberi, vt ſi opponatur eſſe ex impuro ſanguine, aut defectus alij. Quis autem non videat primum illud eſſe rariſſimum & vix auditum? Quidquid illorum temporum malignitas tulerit, in quo Clemens Pontifex taliter decernebat. Secundum autem non ita verum eſſe poteſt, ex eo quòd inter Miniſtros S. Tribunalis oriri aliquæ ſimultates poſſunt, & ita periculum infamationis ipſorum. Sed quidem cùm ad certas perſonas determinata Cenſura ſit, ex eâ parte non eſt materia timoris magni: cùm aliunde vt quis ad officia S. Inquiſitionis admittatur, exacta præcedere probatio ſoleat, quam non facilè fuerit Inquiſitori conuellere, niſi fortè falſorum teſtium inductione: quod cùm perditiſſimorum hominum ſit, vix poteſt eſſe credibile à tantæ dignitatis hominibus attentandum. Clementis verò temporibus quia non ita exactæ requirebantur probationes, periculum circa prædicta timeri potuit, quod illi viſum eſt Conſtitutione prouidiſſimâ ſubmouere.

Aſſert. 3. omiſſionis peccatũ circa hæreſim tantùm verſari, quod pœna ſubijcitur.

20 Dico tertiò. Quod ad peccatum omiſſionis pertinet, illud tantum excommunicationi reſpectu Inquiſitorum in prædictâ Clementinâ ſubiicitur, quod ad cauſſam hæreſis ſpectat. Id videtur clarum ex illius tenore, dum ſic dicitur: *Si omiſerint contra quemquam procedere, vbi fuerit procedendum ſuper huiuſmodi prauitate.* Peccabunt equidem grauiter, ſi omittere contingat in cauſſis aliis grauibus ad S. Tribunal ſpectantibus proceſſum neceſſarium, ſed excommunicationi minimè ſubiacebunt. Immò ſi ex negligentia aut tædio quodam cauſſarum huiuſmodi ita ſe geſſerint, non videntur Cenſuræ ſubiecti, quia in illâ ij tantùm comprehenſi, *qui odij, gratiæ, vel amoris, lucri, aut commodi temporalis obtentu*; procedere omiſerint. Et cùm lex pœnalis ſit, ad deſignatos debet arctari terminos, iuxta dicta *num.* 12. & tenet in terminis P. Suarez *Tomo* 5. *in* 3. *p. Diſputat.* 31. *Sect.* 5. *num.* 16. alios adducens. Neque enim dici poteſt Inquiſitorem, qui ob vitandum laborem id, quod ſui eſt muneris, omittit, obtentu commodi temporalis moueri; quia de alio temporali commodo ſermo eſt, iuxta vſitatum in Iure loquendi modum & Doctorum ſtylum. Et in caſu noſtro in commodum potiùs vitari intenditur, quàm nouum aliquod commodum comparari. Idem de metu dicendum eſt cum eodem & aliis apud ipſum.

Aſſert. 4. excommunicatio à quo tolli poſſit.

21 Dico quartò. Circa abſolutionem ab excommunicatione id dicendum, quod circa aliam ſimilem à nobis dictum *numer.* 13. Circa id verò quod additur in articulo mortis abſolutionem conferendam, *& tunc ſatisfactione præmiſſa*, benè aduertit P. Suarius *Tomo* 5. *citato, Diſput.* 22. *Sect.* 4. *numer.* 1. intelligendum, *quantum fieri poſſit, nam in eo articulo non eſt abſolutio neganda propter illam impotentiam.* Circa abſolutionem autem à ſuſpenſione, quam Epiſcopi contrahunt, dicturum ſe ait *Diſput. vltima, de ſuſpenſione, Sectione* 6. vbi tamen de illa non agit, ſed de aliâ ex Concilio Tridentino. *In ſecunda autem Rubrica* 2. eam Textu inducto proponit; ſed nihil addens circa illius abſolutionem. Dici autem poteſt circa illam id, quod circa abſolutionem ab Interdicto diximus *Titulo* 13. *numer.* 22. ſatisfactâ inquam parte, abſolui poſſe virtute Bullæ Cruciatæ, & Priuilegiorum Regularium. Iuxta ea, quæ tradunt circa Bullam P. Auila *de Cenſuris, Diſputat.* 6. *Dub.* 2. P. Laymam *Tractat.* 5. *Parte* 3. *Cap.* 4. P. Mendus *in Bullam Cruciata, Diſput.* 25. *numer.* 30. & circa Priuilegia Baſſæus. verb. *Suſpenſio* 3. *n.* 4. Quamquàm videri alicui poſſet abſolutionem cuicumque ordinario Confeſſori competere, cùm reſeruata non ſit: ordinario inquam, qui ratione officij talis ſit, vt Parochus, vel Pœnitentiarius; vel etiamſi ex officio non ſit talis, habeat tamen ad id ſpecialem facultatem, dum ea illi, quæ Ordinariis Confeſſariis concedi ſunt ſolita, conceduntur. Quod quidem eſt probabile iuxta ſenſum Auctorum, qui de Parocho & ordinario Confeſſario loquuntur, vnde neque ſpecialem conceſſionem videntur exigere in eo, qui Parochus non eſt, ſed generalem habet approbationem vt à Parocho ei committi iuriſdictio poſſit, vel ſi licentiam etiam habet, ab Ordinario. Pro quo Vualdus, P. Filliucius, P. Præpoſitus apud Dianam *Parte* 5. *Tractat.* 10. *Reſolut.* 23. Communior autem ſententia id tribuit Ordinario ipſi, quam apud eumdem amplectuntur P. Laymam, Henriquez, Auila, & Gaſpar Hurtadus, & valde eſt veroſimilis, ſi de aliis loquamur, qui ſuſpenſionem contraxerunt, non verò de Ordinario ipſo, quia nugatoriæ eſſent ſuſpenſiones, ſi à quolibet ab ipſo electo abſolui poſſet, vt benè arguit P. Mendus *citat. num.* 95. Quamuis ſi occulta ſit, Epiſcopus erga ſe ipſum vti facultate poſſit, quam pro aliis concedit Concilium Tridentinum *Seſſione* 24. *Cap.* 6. *de Reformat.* eam ſcilicet Confeſſario concedens vt ſe abſoluat: quod tenet P. Suarez *Tomo* 5. *citato, Diſput.* 41. *num.* 9. & alij, quos adducit & ſequitur Dom. Barboſa *de Poteſt. Epiſcop. Allegat.* 39. *num.* 15.

Circa ſuſpenſionem diuerſitas ſententiarum.

Communior circa Confeſſarium ordinarium.

Quo ſenſu Auctores locuti de

22 Dixi autem ſententiam priorem eſſe probabilem iuxta ſenſum Auctorum, quia illi de ſuſpenſione, quæ eſt Cenſura, loquuntur, quando videlicet

ſuſpenſione. Et quòd de eâ, quæ eſt Cenſura, loquantur, alia enim Pontifici reſeruatur.

videlicet ad contumaciam imponitur, non autem de illâ, quæ pura eſt pœna, vt contingit in caſu noſtro, & ſimilibus; quando ſcilicet imponitur ob delictum præteritum, & ad certum tempus: tunc enim communiſſima ſententia eſt ſoli Pontifici reſeruari, quia eſt genus quoddam diſpenſationis imponenti reſeruatæ. Pontifex enim Ius viuum eſt, &, ſi diſpenſari ab Epiſcopo poſſet vtente diſpenſatione erga ſeipſum, inutilis prorſus eſſet, vt nuper argumentabamur: vnde in ſuſpenſione ab eodem incurſâ id videtur certiſſimum, quod etiam de aliis communiſſima, vt dixi, ſententia tradit; pro quâ videri poteſt P. Suarius *Diſput.* 29. *Sect.* 1. *num.* 16. Cardin. Toletus *Lib.* 1. *Cap.* 46. *num.* 2. P. Gaſpar Hurtadus *Diſput.* 12 *de Cenſuris, numer.* 32. P. Martinon *Tomo* 5. *Diſput.* 60. Baſſæus *citato num.* 4. & idem ſupponit Diana *citat. Reſolut.* 23. & ab eodem adducti Doctores, dum de ſuſpenſione tantùm, quæ eſt Cenſura, loquuntur, vt quamplures alios omittam. Quod adeò verum putat P. Suarius ex fundamento Gloſſæ, quia ſcilicet ſuſpenſiones contemnerentur, nec delicta poſſent pro dignitate puniri, vt ſic addat: *Quam adeò efficacem eſſe cenſeo, vt propter illam exiſtimem neque ipſum ſummum Pontificem, ſeu Auctores Canonis, debere facilè à tali ſuſpenſione abſoluere: neque id licitè facere poſſe abſque rationabili cauſſa; ſicut dici ſolet de diſpenſatione in ſuis legibus, quia eadem eſt vtriuſque ratio, & quia ad bonum commune id maximè expedit.* Sic ille. Cuius grauiſſimæ ſententiæ vis in multis ſuſpenſionibus euidenter infringitur; quales eſſe ſolent illæ, de quibus agimus, & in quibus idem Pater diſpenſationem admittit per generalem doctrinam nuper adductam. Si enim ſuſpenſio Cenſura ſit, abſolui ab eâ poteſt, qui illam incurrit, ab electo ad illud: ſi pœna, diſpenſari, vt ibidem aſſerit. Addendum tamen ad diſpenſationem dictam debere ſufficientem cauſſam iudicari eam, quæ Pontificem mouet ad concedendam Bullam Cruciatæ: cuius facultas maior eſt facultate Epiſcopali: vnde abſolui à Confeſſario poteſt, etiam in foro exteriori, vt ex P. Henriquez docet Diana *Tractat.* 10. *citato, Reſolut.* 53. licèt alij ſecùs iudicent. Eſt ergo multiplex Epiſcopis eâ in afflictione refugium, ſicut & Inquiſitoribus.

Neque ipſū Pontificem poſſe in illâ ſemper diſpenſare.

P. Suarez.

Quæ ſufficiens cauſſa diſpenſationis circa illam.

CAPVT III.

Inquiſitores Indicos qualiter peccare poſſit accidere, cauſſarum expeditione protractâ, etiam vbi ciuiliter agitur.

Quid circa factum in Indijs.

23 Difficultas videtur eſſe communis, ſed ad Indicos Inquiſitores eatenus applicatur, quòd illo maiorem videantur habere licentiam, quia non eſt, à quo ad celerem cauſſarum poſſint concluſionem vrgeri, vnde circa hoc non raræ eſſe querelæ ſolent, & alij in alios morarum ſoliti reiicere rationes, quas non debemus ſecretiſſimi fori inſcij paſſim culpabiles reputare. Quia verò homines ſunt, & in officio ſuo grauiter poſſe delinquere, Sedes Apoſtolica & Concilium generale iudicarunt, vt ex Clementinis compertum habetur, de quibus *in Capitibus præcedentibus*, addemus hîc aliqua, quibus eorum ſolicitudo, quam eximiam arbitror, acuatur. Et ita

Aſſertio 1. grauiter peccari ex tardatione, vbi grauamen eſt notabile.

Dico primò. Quæuis mora non neceſſaria, ex quâ is, de cuius delicto agitur, graue detrimentum ſuſtinet, lethalis eſt in iudicibus, de quibus agimus. Ratio eſt clara. Quia in eo iniuſtitia eſt manifeſta, cauſſæ enim S. Officij, cùm iuxta iuris peculiaris regulas, ſubſidio iuris communis, & diuini ac naturalis, tranſigi debeant, ſuos habent terminos, quos vltra citraque nequit conſiſtere rectum Tribunalis ſancti iudicium, in quo debent ſummæ æquitatis exemplaria reſplendere. Vnde Inſtructio Hiſpalenſis Anno 1494. ſic ſtatuit: *Item acordaron y ordenaron, que los que fueren preſos por eſte delito, que no ſean fatigados en las carceles en la dilacion del tiempo: que luego ſe haga el proceſo con ellos, porque no aya lugar de quejarſe. Y no ſe detengan à cauſa de no auer entera probança; pueſque es cauſa, que quando ſobreuiene probança ſe puede de nueuo agitar, no obſtante la ſentencia que fuere dada.* Sic Inſtructio. Quæ licet ſic appelletur, ſtatuta continet fundamentalia pro regimine S. Tribunalis: ad hoc enim viri doctiſſimi Hiſpalim conuocati, ſic curantibus Catholicis Regibus Ferdinando & Iſabellâ, & præſidentibus Illuſtriſſim. Dom. D. Petro Gonzalez de Mendoza Archiepiſcopo Hiſpalenſi, & Reuerend. P. Fr. Thoma de Torquemada, primo Generali in Hiſpaniâ Inquiſitore. Pro quo Paramus *de Origine S. Officij, Titulo* 2. *Cap.* 2. *numer.* 26. ex quo P. Fragoſus *Tomo* 2. *Pag.* 513. *num.* 46.

Inſtructio Hiſpalenſis.

Quam habeat vim.

Aſſert. 2. Minuendā pœnam iuxta carcerationis dilationem.

24 Dico ſecundò. Si quis fuerit in carceribus plus iuſto detentus, pœna ei debet, ſub reatu grauis culpæ, in ſententiâ diffinitiuâ, proportione ſeruatâ, remitti. Id videtur ex ſe ſatis veroſimile; & eſt iuxta certiſſima Iuris vtriuſque principia, iuxta quæ habetur, quòd pœna eſt commenſuranda delicto, ex adductis à Mario Antonino *Lib.* 3. *variar. Reſolut.* 39. *num.* 36. *& Reſolut.* 45. *numer.* 14. & à Cæſare Carena *Parte* 3. *Titulo* 13. *num.* 93. Atqui ſi poſt pœnam carceris non debitam integra infligatur pœna, non ſeruatur commenſuratio: ergo graue eſt in eo peccatum. Quod quidem in ſancto hoc Tribunali ſpecialiter locum habere debet, miſericordiâ & clementiâ ſemper vti ſolito, iuxta notata à Simancas *de Catholicis Inſtitut. Titulo* 47. *num.* 79. *& ſeqq.* & tradita à Carena *ſuprà Titulo* 3. *num.* 39. vbi illud: *Y ſu cauſa ſerà deſpachada con toda la breuedad y miſericordia, que vbiere lugar.* Sic ſtatuta. Ex quo principio firmatur ſententia illa, quam cum Souſa, & P. Palao tenet Diana *Parte* 4. *Titulo* 7. *Reſolut.* 35. iuxta quam condemnatus propter hæreſim, aut illius ſuſpicionem, pœna arbitraria ob defectum probationis, ſi plena probatio ſuperueniat & pœna adimpleta ſit, compenſatur in ſecundâ, vt non debeat eſſe ordinaria, niſi ſit capitalis, ſed detrahendum ex illâ quantùm prior alia importat, ne ſcilicet pœna ſit delicto improportionata, & quod ante ſententiam paſſus reus ſupra delicti meritum, in partem ſatisfactionis non accipiatur. Immò circa pœnam capitalem multoties Inquiſitorum arbitrio locum eſſe, probant ea quæ citatus Carena habet *Pag.* 392. §. 69.

S. Tribunalis propria clementia.

Statutum pro illo.

Notanda ſententia pro Aſſertionis comprobatione.

Aſſertio 3.

25 Dico tertiò. Si ex occupationibus eius, qui

Digitized by Google

Quid faciendū ne impedimētis occurrentibus negotiorum curſus retardetur.

qui loco Ordinarij aſſiſtit, aut Conſultorum, inexcuſabilibus, & paſſim occurrentibus, retardatio expeditionis proueniat, id debet ita moderari Tribunal, vt alia forma in habendis conſultationibus ſumatur, ad quod eſt grauis in conſcientiâ obligatio. E. g. Aliqui ex illis in Tribunali S. Cruciatæ binis diebus per hebdomadas ſingulas aſſiſtunt, per quod fit, vt aſſiſtere in Tribunali S. Officij nequeant, & ita cauſſas ad illud ſpectantes nimiumquantùm prorogari. Curandum ergo vt diebus aliis labor conſultationis accreſcat, vel quòd deputentur alij minùs occupati. Quod quidem ſatis compertum apparet & conſideratione digniſſimum, vt à ſupremo Inquiſitionis Præſide, pro ſuo zelo & poteſtate ampliſſimâ circa illud debeat prouideri. Audiui Dominum Inquiſitorem ſuper hoc dolentem, & miſerorum in carceribus iam diu latitantium anguſtias miſerantem, & ſe, licèt Tribunalis moderatorem, eam prorogatæ plus quàm deberet pœnalitatis excuſationem adhibentem, cum nonnullis aliis, quæ ob infirmitates Iudicum ſacrorum occurrunt, & quæ generis huius ſunt, cùm euitari nequeant, ſi cum aliis ſtabilibus, & ferè quotidianis concurrant, cauſſas faciunt perennare. Nuper cauſſa extitit perſonę cuiuſdam ſacrę ferè per ſexennium agitata, cum recluſione illius, licèt domeſticâ. Cuius licet felix fuerit exitus; dolendum tamen eum, qui per ſententiam ab inſtantiâ eſt abſolutus, probroſâ adeò & prolixâ fuiſſe recluſionis pœnâ vexatum. Quod quidem ad has debet morarum cauſſas referri. Si autem ex parte aliquorum alia minùs iuſtificata ſubſit, leuis certè eſſe non poteſt, vbi adeò graue reis detrimentum infertur. Et quod ad ægritudines attinet, ſi illæ vitalitiæ ſint, ex quibus creberrima accidit interruptio negotiorum, quis non videat huic occurrendum incommodo, & talibus honore officij & ſalario reſeruatis, concedendam vacationem, deſignatis aliis, qui poſſint onus tantum ſuſtinere. Pro quo Carena *Parte* 1. *Titulo* 5. *numer.* 107. & P. Palaus *Tomo* 1. *Tract.* 4. *Diſput.* 8. *Puncto* 13. §. 2. *num.* 21.

Aſſert. 4. circa ciuiles cauſſas etiam grauiter poſſe peccari.

26 Dico quartò. Circa ciuiles cauſſas etiam peccari grauiter poteſt, dum illarum expeditio ſine legitimo titulo retardatur. Ratio in promptu eſt, quia ex retardatione grauia detrimenta intereſſatis, vt vulgò dicitur, importantur. Vnde & frequentes oriuntur querelæ, in quibus & Inquiſitores ipſi aliquando conueniunt, ſed aliis, non ſibi, retardationis cauſſas tribuentes. Mirabile ſanè eſt ad tradendum flammis hominem de Iudaiſmo conuictum, vnum vel alterum annum poſt carcerationem ſufficere; & ad reddendam dotam vxori multò plures non eſſe ſufficientes, & ſic de aliis, quibus bona debent ſine excuſſione confiſcata reſtitui. Quod quidem in eos refundi ſolet, qui rationibus & computationibus adſcribuntur. Sed certè vrgendi illi, & pro neceſſitate cauſſarum multiplicandi, non parcendo moderatis ſumptibus, cùm illi ad intereſſatos ſpectent, qui damnum inde proueniens breuitatis beneficio compenſabunt. Videatur Bonacina *Tomo* 2. *Diſput.* 20. *Quæſt.* 2. *Puncto* 3. *num.* 4. vbi ex Syluestro, Sayro, Nauarro, & aliis ita ſcribit: *Iudex tenetur cauſſas iudicare, & celeriter expedire.* L. Properandum. C. de iudiciis. *Ratio eſt, quia iudici ex officio cura & onus incumbit iudicandi, & tribuendi cuique ſuum: non tribuit autem cuique ſuum, dum ſententiam ſine iuſta cauſſa differt. Quamobrem iudex mortaliter peccat contra proprium officium cauſſarum expeditionem notabiliter differendo: immò tenetur parti læſæ damna & expenſas, quarum cauſſa eſt, reſtituere; quia cauſſa iniuſta damni ad illius reſtitutionem obligatur.* Sic ille: cuius reſolutionem eiſdem ferè verbis proponit Eligius Baſſæus verb. *Iudex n.* 11. & eſt apud alios communis.

Iudicem mortaliter peccare eū tenere reſtituendi

cauſſas protrahendo.

Bonacina.

CAPVT IV.

De nonnullis aliis Inquiſitorum Indicorum obligationibus in conſcientiæ foro.

Aſſertio 1. de obligatione circa cuſtodes reorum.

27 DIco primò. Inquiſitores Indici peccare grauiter poſſunt reorum cuſtodiam hominibus committentes, qui perſpectæ fidei non ſint. Cùm enim ad Indias diuerſi homines conuolent, non eſt obuium moribus integros inuenire; vnde examine opus eſt nec breui, nec leui, vt ei officio fiat ſatis, & id impleri abſolutè poſſit, quod Clemens V. in priori de Hæreticis Clementinâ requirit, §. *Sanè*, vbi ſic ait: *Quia circa cuſtodiam carcerum hæreticalium multas fraudes dudum intelleximus perpetratas: Nos volentes ſuper hoc prouidere, ſtatuimus vt quilibet talis carcer duos Cuſtodes habeat principales, diſcretos, induſtrios, & fideles, &c.* Et fraudes ſimiles etiam in Indiis perpetratæ ſunt, vt meritò debeat circa hoc DD. Inquiſitorum prouidentia indefeſsè vigilare.

Aſſert. 2. & ne incarcerati liberè inter ſe agant.

28 Dico ſecundò. Peccari etiam non leuiter poteſt, ſi carcerati permittantur liberiùs inter ſe agere. Circa quod quia non accuratè prouiſum, grauiſſima ſunt damna ſubſecuta annis non pridem elapſis: ſic enim peſtilentes homines ex Iudæorum fæce concilium fecerunt in vnum perdendi multos, & falſa ſunt teſtimonia meditati, quibus & vſi: vnde & horrenda confuſio quamplurium depoſitionibus retractatis. Damnum autem huiuſmodi cùm præuidiſſet Viennenſe Concilium, ſic in citatâ Clementinâ. §. *Porrò*, diſpoſuit: *& quòd alicui incarcerato nihil vnus in ſecreto loquatur, quin hoc audiat alter Cuſtos.* Sic iurare illos iubet: ſi ergo Cuſtos vnius incarceratorum neminem alloqui ſine teſte poteſt; neque etiam poterunt incarcerati ipſi ſine teſtibus inter ſe miſcere colloquia, in quo malus conſtat periculum inueniri. Neque enim credendum eſt ad hoc ſe Concilij prouidentiam non extendiſſe, cuius ore Eccleſia loquebatur, cùm illa eiuſdem vox ſit in Concilio Lugdunenſi: *Vbi periculum maius intenditur, ibi procuIdubio eſt plenius conſulendum.* Sic *Cap.* 3. *de Electione in* 6. Circa prædictam autem Conſtitutionem ſic ſcribit Gloſſa: *Nec ſumitur tam amarè hoc verbum, quin alter Cuſtos in abſentiâ alterius, captiuum alloqui poſſit de non ſecretis ipſis incarceratis.* Sic illa: quibus addi poteſt, etiam de ſecretis alloqui poſſe, quæ ad eorum cauſſam non ſpectant, neque facere aut officere poſſunt, vt de obitu aliquorum, de bonis nuntijs circa res Chriſtianas, & ſimilibus. Et quidem

Clem. II. de hæreticis.

Cap. 3. de Elect. in 6.

Gloſſa Clement.

 quod

Digitized by Google

quod de allocutione ſine cuſtodis præſentia *in citato Capite* diſponitur, tunc procedit, cùm carcer Epiſcopo eſt & Inquiſitori communis, & vterque ſuum habet à ſe cuſtodem deſignatum: vnde cùm carcer non eſt communis, non videtur eſſe obligatio duos deſignandi. Immò neque certum eſt, etiam cùm carcer eſt communis, duos debere deſignari, ex iis, quæ affert Gloſſa §. *Sanè*, citato v. *Duos*. Conſtitutionem inquam duos deſignandos ſtatuere, *niſi de vno Epiſcopus & Inquiſitor concordarent: in caſu enim diſcordiæ manaſſe videtur hæc prouiſio.* Pro quo adducitur Cap. *Cùm ſpeciali*, de Apellationibus, in quo tamen pro caſu præſenti nihil ex quo poſſit talis ſententia fundari, quæ non improbabilis; minùs tamen veroſimilis eſt: vnde Gloſſa ipſa duos neceſſariò deſignandos probat. Sed in caſu loquitur, de quo & Clementina, licèt probatio plus intendere videatur. Ad tollendos autem ſcrupulos, eiuſdem Gloſſæ doctrina ſuccurrit circa citatum §. *Porrò*, verb. *Pro dicto crimine.* vbi ſic ait: *De incarcerandis etiam pro alijs criminibus non iurant Inquiſitori.* Sic Gloſſa verbis præfatis innixa. Diſpoſitio ergo Clementinæ de incarceratis pro crimine hæreſis procedit, & de iis, quæ hæreticæ prauitatis nomine cōprehenduntur; non ſic de aliis; licèt quod ad qualitates cuſtodum ſpectat, generaliter debeat obſeruari, vt ſcilicet tales ſint, quales Pontifex delineauit.

Notanda eiuſdem ſententia.

Et quid pro tollendis ſcrupulis opportunum.

Aſſert. 3. Qualificatores in Indijs qualiter eligendi. Et quod titulus iſte non videantur ineptis pro exercitio conferendus.

Dico tertiò. In Indiis curare ſpeciali animaduerſione Inquiſitores debent, vt idoneos Qualificatores eligant: eſt enim pro electione iſta ſpecialis ambitio, & periculum eſt ne fauore potiùs, quàm ſufficientiæ reſpectu illa fiat. Video facilem excuſationem occurrere; quòd ſcilicet munus hoc ad honorem magis quàm ad exercitium talibus minùs dignis conferatur. Id quod etiam ſupremi Tribunalis praxis videtur comprobare. Sed certè, quidquid de ſupremo Tribunali ſit, cuius actiones diſcutiendæ non ſunt, ſed reuerenter ſuſpiciendæ; in aliis inferioribus non videtur idem poſſe conuenienter exerceri, cùm in eo deformitas ſpecialis appareat, quæ in quocumque alio Tribunali minimè ſuſtinenda videretur. Quòd ſcilicet ad officium aliquod eligatur, qui pro illo ineptus eſt; vt honorem tantùm officij habeat, non exercitium: quandoquidem officia ipſa propter exercitium inſtituta ſunt, & propterea honore digna, iis dari ſolito, qui exercere illa pro dignitate poſſunt. Et in officio etiam S. Inquiſitionis non ſunt Inquiſitores, Conſultores, Secretarij, Aduocati, Receptores, de ſolo titulo: ſicut neque in Vniuerſitatibus Doctores, Magiſtri, aut Licentiati honorarij; niſi penitus in illis leges ſint Pontificiæ & Regiæ relaxatæ. Quia verò puritas ſanguinis ex admiſſione ad officia Tribunalis ſancti redditur manifeſta; ſi quis ad illa ob talem finem adſpiret, admittatur vtique, ſed ad miniſterium aliud, Familiarium, Honeſtorum, aut ſimilium. Nec pro ſufficientià ſolum Theologiæ ſtudium aut profeſſio ſuffragatur, ſi maturitas iudicij deſit, & præceps in abſurdas opiniones ingenium ſit repetitis actibus deprehenſum. Tunc maximè cùm ex illis aliquæ ad Tribunal ſunt delatæ potiùs quàm probatæ, ſine maturitatis ſpe, vt ſtat illud: *Naturam expellas, furca tamen ipſa recurret.* Pro prædictis autem eſt Inſtructio Toletana 1. *Ann.* 1561. in quâ poſt alia ſic habetur: *Debeſe conſultar con Theologos de letras, y conciencia, en quien concurran las calidades, que para eſto ſe requieren.* Sic ibi.

Qualis ſufficientia in illis requiratur.

Inſtructio Toletana.

29 Facit etiam pro eodem, quòd licet Qualificatores non ſint iudices abſolutè loquendo, virtualiter tamen tales ſint, quia ab eorum non eſt aſſertionibus recedendum, & iuxta eas eſt iudicandum, ſicut tradit Ioannes Rojas *de hæreticis*, *Parte* 1. *num.* 384. ſic locutus: *vſu & conſuetudine iam diu receptâ, indiſtinctè & abſolutè cuiuſuis propoſitionis declaratio ad Theologos ſpectat, & attinet; & ab eorum aſſertionibus in cauſis fidei iudicandis minimè eſt recedendum, vt per prudentiſſimos Conſiliarios ſupremi Concilij generalis Inquiſitionis plenius decretum eſt.* Sic ille. Cùm ergo iudices virtualiter ſint, circa id quod iudicant inſtructiſſimos eſſe oportet & competenti doctrinâ præditos, ſicut de iudicibus communis ſcribentium conſenſus firmat, vt videri poteſt apud Bonacinam *Tomo* 2. *Diſput.* 10. *Quæſt.* 2. *Puncto* 3. *num.* 1. vbi citatis multis ſtatuit in hunc modum: *In iudice neceſſaria eſt ſcientia, quâ rectè ſciat ſuo munere fungi. Ita communiter Doctores. Ratio eſt. Quia quilibet ſcire tenetur, quæ pertinent ad proprium officium, ſine quorum cognitione ſuum munus & officium exercere non poteſt. Quamobrem Inſtit. de Obligationibus, quæ ex quaſi delicto naſcuntur, obligatur iudex ex imperitiâ malè iudicandi ad intereſſe parti læſæ, & ad expenſas litis. Addo huiuſmodi iudicem non debere abſolui, niſi factâ officij renuntiatione, aut niſi firmum habeat propoſitum renuntiandi. Ita S. Thomas* 2.2. *quæſt* 76. *art* 2. *Caietanus, &c.* Et pro Inquiſitoribus id ſpecialiter tradunt, qui de iis agunt, vt videri poteſt apud Carenam *Parte* 1. *Titulo* 5. *num.* 20. vnde eſt notanda doctrina, quam ex Pegnâ, Rojas, & Farinacio proponit idem *Titulo* 8. *num.* 57. dicentibus Conſultorum conſilia, ſi mala ſint, non excuſare Inquiſitorem à culpa. Ex eo vtique, quia iudex eſt, & non debet cæcorum more ab aliis manuduci. Ex quibus ſatis apparet quid debeat de Qualificatorum peritia cenſeri, cùm ſint iudices virtuales: pro quo etiam videri poteſt Diana *Parte* 4. *Tractat.* 8. *Reſolut.* 84. & 106.

Roboratur, ex eo quòd ſint aliquo modo iudices, quia ab eorum non eſt aſſertionibus recedendum.

Ioan. Rojas

Quanta in iudice ſcientia neceſſaria.

Bonacina.

Notanda ſententia circa Conſultores.

30 Dico quartò. Inquiſitores Indici grauiter delinquere poſſunt, ſi circa contractus, etiam ratione officij celebratos, aliquid agant quod alijs non liceret. E. g. ſi res velint minori pretio ſibi vendi, & ſine aſſignatione pretij recepti, minus ſoluant, quàm communiter, aut ſecundum vendentis vſum licitum æſtimantur. Ratio eſt obuia. Quia auctoritas officij nihil ad rem, de quâ agitur. Vnde neque Rex ipſe, cùm emit aliquid, quidquam de iuſto ſolet pretio detrahere. Et eſt recepta doctrina, quod Fiſcus faciens aliquem actum, ligatur legibus de illo actu loquentibus, vt ex Petro Sardo *Deciſione* 13. *num.* 5. tradit Petrus de Luna *Conſilio* 18. *in Additio. num.* 1. Eſt autem Conſilium dictum Octauij Corſetti. Neque obſtat res paullò antè celebratum contractum minori pretio vendi ſolitas; ſi quidpiam poſteà accidit, ex quo pretium iuſtè potuit augeri: cùm receptiſſima apud ſcribentes doctrina ſit rerum pretia ex accidentibus variari. Et quidem ſi res paullò antè magno haberentur in pretio, & propter ſuperuenientem cauſſam, minori in æſtimatione eſſe debeant, priùs illud pretium à ſe exigi non paterentur

Aſſert. 4. In contractibus debere pretium commune ſeruare.

Fiſcus contrahens legibus ligatur pro contractu lato.

Digitized by Google

paterentur emptores, qui eas pretio non conuento recepiſſent: ex quo fit ſimiliter eſſe contrario in euentu dicendum. Sed de hoc iterum *num.* 39. & 40.

Aſſertio 5. Exceſſus vendentiũ non eſſe more aliorum puniendos.

31 Dico quintò. Si in huiuſmodi emptionibus aliquis ex parte vendentium interueniat exceſſus, circa quem oporteat correptione vti, grauiter peccare Inquiſitores poſſunt, ſi tales ad Tribunal iubeant adduci more eorum, qui ob cauſſas ad illud cum infamiæ notâ ſpectantes adducuntur. Poſſunt quidem Inquiſitores punire illos, qui factis aut verbis iniuriam ipſis irrogarunt, vt citatis aliis firmat Diana *Tract.* 4. *citato Reſolut.* 91. & P. Fragoſus *Tomo* 2. *pag.* 531. *num.* 9. Sed eorum pœnæ iuxta delicti ſunt moderandæ qualitatem; & pœnæ non leuis pars aduocatio eſt ad Tribunal, ex cuius modo nota ſolet non leuis incurri, vt experientiâ eſt notum.

Ad Tribunal quinam ex leui cauſſa non trahendi.

Quod eſt ſpeciali conſideratione digniſſimum, cum is, qui aduocatur, honeſta perſona eſt, quæ ex leui ſuſpicione, etiam in cauſſa hæreſis, trahi ad iudicium non debet, per adducta à Dom. Solorzano *Tomo* 2. *Lib.* 3. *Cap.* 4. *num.* 58. vel Religioſus, qui rebus, quæ ad Religionem ſpectant, vendendis eſt præpoſitus, aliquid forſan minùs conſideratè protulit, dum à miniſtris Tribunalis ſancti pluſquàm deceret, vrgetur. Et quod ad ad pœnas attinet delictis eſſe commenſurandas jam vidimus *num.* 24. In actionibus autem iniuriarum, cùm illæ excuſari variis modis poſſint, & debeant multoties excuſationes admitti, vt cum multis oſtendit eruditus Doctor Dom. Petrus Marin de Rodezno, Inquiſitor Granatenſis in Deciſione quam adducit Cæſar Carena *pag.* 375. *num.* 83. non debet ſtatim gladius vtraque parte acutus diſtringi, acſi de iniuria prorſus qualificatâ conſtaret; cùm ex miniſtrorum relatione id tantùm habeatur, qui fortè in eo culpabiliores extiterunt: & vbi iniuria occaſionem iniuriæ dedit, ſic rependens non eſt ſtatutâ pœnâ tribunali in quolibet feriendus. Stat enim præclara Diui Hieronymi ſententia & habetur in Cap. *Eſto ſubiectus* 95. *diſt.* ſic dicentis: *Epiſcopi honorent Clericos quaſi Clericos, vt ipſis Epiſcopis à Clericis, quaſi Epiſcopis honor deferatur. Scitum eſt illud Oratoris Domitij: Cur ego (inquit) te habeam vt Principem cùm tu me non habeas vt Senatorem?* Sic ille in Epiſtola ad Nepotianum. Pro quo & alia eruditè congerit Tiraquellus *de legibus Connubialibus, Gloſſa* 1. *Parte* 15. *numer.* 41. Sic, cùm inter Commiſſarium S. Inquiſitionis, & Vicarium generalem in quadam Indiarum ciuitate grauis fuiſſet verborum rixa, & Commiſſarius apud S. Tribunal grauiter conqueſtus fuiſſet, Vicarius fortiter obſtitit ſe defendens ex eo quòd Commiſſarius auctoritate officij, peculiarem aliquam ad inferendas iniurias minimè recepiſſet.

Excuſationes debere admittere iniuriarũ; præſertim ex eo quòd cauſſa illis data à Miniſtris.

D. Hieronymus.

Et paternum eius futurum procedendi modum.

Et quòd, cùm Tribunal illud ſanctiſſimum omni ſit veneratione dignum, eam non iniuſtis terroribus, ſed paternâ quadam debeat grauitate tueri. Pro quo ſic citatus Granatenſis Inquiſitor *n.* 103. *Et quia hoc ſanctum ac venerandum Tribunal præcipuè Patris officium exercet, ſtudioſius emendationem atque correctionem delinquentis, quàm iudicis ſeueritatem affectans; habens æquitatem ante oculos,* inquit *l. Quòd ſi Epheſi in fine ff. de eo, quod certo loco.* Sic ille. Præfatis accedit iniuriam non factam in odium ſeu contemptum Tribunalis mitiùs eſſe iudicandam; & tales ſunt quæ frequentiùs accidunt. Pro quo P. Fragoſus *ſuprà*.

Deciſio Granatenſis Tribunalis.

Aſſertio 6. Scripta pernicioſa debere prohiberi.

32 Dico ſextò. Inquiſitores Indici, ſi ſciant etiam extraiudicialiter Scriptum aliquod pernicioſum circumferri, cuius materia ad S. Tribunal ſpectet, qualia ſolent multa ex Europâ deferri, tenentur ex officio illud prohibere. Dixi *ſi ſciant*; quia non ex notitia qualibet moueri debent ad edictum publicandum, ſed ex certo fundamento. Quia verò vbi rumor aliquis extitit, nec vanus, nec leuis, præcaueri extraiudicialiter poteſt ne damnum ſerpat, quod cautione non adhibitâ difficilè poterit reparari, ad diligentias accommodatas tenentur. *Fidei enim muros tutantur; eiuſdemque fidei indagatores & exploratores ſunt*, vt ſcribit Petrus Gregorius *Lib.* 47. *Syntagm. Iuris Cap.* 36 *num.* 6. Qui autem tutantur muros, non debent hoſtium ingreſſum permittere, & ingreſſos expellere; ſed ne ingrediantur omnimodis impedire. Sic enim ſcriptum à Senecâ memini, arcendos hoſtes à muris, nam ægrè excluduntur admiſſi. Cuius & illa præclara ſententia eſt. Epiſt. 85. *Quomodo ad id finiendum ſatis valeo, ad quod prohibendum parum valui? Cùm facilius ſit excludere, quàm admiſſa comprimere.* Sic ille.

Inquiſitores quales in curia futuri.

Seneca.

Aſſertio 7. Supra Cõmiſſarios vigilandũ ex graui obligatione.

33 Dico ſeptimò. Præfati Domini graui obligatione tenentur circa Commiſſariorum agendi modum vigilare, de quorum qualitatibus videndus P. Fragoſus *Tomo* 2. *pag.* 519. §. 71. vbi cum aliis, quos citat, eaſdem ait debere eſſe, quæ pro Inquiſitoribus exiguntur. Solent enim graues exceſſus in ſui muneris adminiſtratione committere, Vnde Tribunal ſanctum odioſum redditur; cùm omnino curandum ſit vt Fideles non ſolùm veneratione illud, ſed & amore proſequantur. Hac de cauſſa Clement. 1. de hæreticis prodiit, vt ex illius conſtat exordio, dum ſic ibi: *Multorum querela Sedis Apoſtolicæ pulſauit auditum, quòd nonnulli Inquiſitores per Sedem eamdem contra prauitatem hæreticam deputati, metas ſibi traditas excedentes, ſic interdum extendunt ſuæ poteſtatis officium, vt quod in augmentum fidei per circumſpectam eiuſdem Sedis vigilantiam ſalubriter eſt prouiſum, dum ſub pietatis ſpecie grauantur innoxij, cedat in fidelium detrimentum.* Sic cum Concilio generali Pontifex. Quod equidem non tam ad Inquiſitores, quàm ad illorum Commiſſarios referendum, qui metas excedere ſoliti, vt non dubitauerit Dom. Villaroël aſſerere Commiſſarios aliquos reſpirationem ipſam; nobis *El reſollar*, negotium Inquiſitionis eſſe velle. Quæ exaggeratio pro multorum indole declarandâ deſeruit. Et tales amouendi profectò ſunt; nihil enim magis Apoſtolicæ Sedis menti contrarium: vel, ſi ſpes emendationis ſit, ſeueriùs admonendi, cum læſorum ſatisfactione: læſa enim iuſtitia ſatisfactione eſt congruâ reparãda, ex iuris diuini irrefragili præſcripto, quod in omni debet tribunali Deo militante ſeruari. *Diligite iuſtitiam qui iudicatis terram.* Vox eſt Iudicis omnium iudicantium. *Sap.* 1, *v.* 1. & illa Sapientiæ Librum auſpicatur, vt iuſtitiam ad ſupremos iudices præ aliis omnibus doceat pertinere.

Vide infra n. 52.

Clement. 1. de hæreticis.

Sap. 1. v. 1.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT V.

De obligatione peculiari Indicorum Inquiſitorum circa Concordata, quibus & Regiæ iuſtitiæ, & illorum poteſtatis ſunt limites deſignati.

Obligationem ſeruandi Concordata eſſe ſub reatu culpæ grauis.

34 SVnt illa poſt maturam deliberationem inter ſupremi Tribunalis S. Inquiſitionis Conſiliarios, & ſupremi etiam Caſtellæ Conſilij Senatores, & re ad clariſſimæ memoriæ Reges noſtros Philippos Secundum & Tertium delatâ, huius auctoritate, & Supremi pariter Conſilij S. Inquiſitionis ad Indias tranſmiſſâ, diſtinctis expreſſa Capitibus, quorum tenorem videre licet apud Dom. Solorzanum *Tomo 2. Lib. 3. Cap. 24.* & in Politica *pag.* 708. *& ſeqq.* Circa quorum obſeruantiam obligatio eſt grauis in foro animæ, quia & Regis, & Supremi S. Officij, ſic Rege ipſo diſponente, Conſilij, circa hoc vrgentes ſunt litteræ ad cuncta Indiarum Tribunalia tranſmiſſæ: & cùm ille Proregibus omnimodam obſeruantiam grauiſſimis verbis iniungat, poſt illa ſic ſubdit: *Y à los Tribunales, y Miniſtros del Santo Oficio ſe ordena lo miſmo por el Conſejo de la Santa y General Inquiſicion, por los deſpachos, que de la miſma fecha de eſta ſe enuian por aquel Conſejo, paraque por ſus partes, y lo que les toca, aſi lo cumplan puntual y preciſamente.* Sic ille.

Philippi III. verba ad Proreges.

Illius eximia religio & pietas.

In quibus mira eius religio, & pietas elucet: neque enim circa Tribunalia S. Inquiſitionis quidquam agi ſuo nomine voluit, neque cum eis aliquatenus locutus, auctoritatem ſic loquendi ſupremo illius Conſilio reſeruando. Vnde & in more apud Tribunalia habetur, vt licet Regiæ Schedulæ circa aliquid, quod ea concernat, expediantur, ab executione abſtineant ſi pro eodem non ſint Supremi ſui Conſilij litteræ pariter expeditæ. Et ita cùm circa præcedentiam in concurſu, qui aliquando neceſſarius eſt ad competentiam aliquam pro iuriſdictione exortam, decidendam, Regium fuiſſet reſcriptum deſtinatum, Inquiſitores Limani & Mexicani ei acquieſcere noluerunt, eò quòd Supremi Inquiſitionis Conſilij mandatum non haberent: vt teſtatur Dom. Solorzanus *citat. Cap. 24. num.* 73. qui licet ibi controuerſiam huiuſmodi de præcedentiâ nondum terminatam dixerit: in Politicâ tamen *pag.* 712. *§. Pero parece*, concluſionem eius in fauorem S. Inquiſitionis apponit cum commendatione reuerentiæ, quam eidem oportet exibere. Iam ergo ad Capitula prædicta.

Tribunalis praxis circa Regia reſcripta.

Circa Primum Concordatorum Capitulum.

Circa locationem & conductionem Regiorum iurium prohibitio.

35 ESt illud vt ſequitur: *Que los Inquiſidores del Peru, Nueua Eſpaña, y Cartagena, tacito ni expreſſamente, no ſe entremetan por ſi, ni por terceras perſonas, en beneficio ſuyo, ni de ſus deudos, ni amigos, à arrendar rentas Reales, ni à prohibir que con libertad ſe arrienden en la perſona, que mas por ellas diere, ſo pena de perder ſus Oficios.* Circa hoc, quod ad ipſos Inquiſitores attinet, nullum videtur eſſe periculum: quia cum locatio Regiorum iurium ab Officialibus Regiis facienda ſit, nullus erit, qui eam Inquiſitori facere ſit auſurus, neque Inquiſitor, qui tale aliquid attentarit. Quòd ſi portentum tale aliquando occurrerit, de mortali non poterit crimine excuſari, cùm rem adeò ſuo officio incongruam, & inconuenientibus magnis obnoxiam moliatur: & valde quidem probabile eſt contractum dictum eſſe nullum, quia deeſt voluntas vnius ex contrahentibus, Regis ſcilicet, quidquid de Officiali illius ſit, qui contra legis ac Regis contrahit voluntatem, vnde cenſendus eſt vt ille, qui formam mandati tranſgreditur, cuius acta nulla eſſe Ius vtrumque ſtatuit, & communiter Doctores affirmant. Sed vt demus validum eſſe, quia verbum in lege non additur quo videatur irritari, & ita in foro conſcientiæ ſubſiſtere; cùm probabiliſſima ſententia ſit contractus huiuſmodi generaliter tales eſſe, vnde aliqui in ſolo Matrimonio, cuius impedimenta à Concilio Tridentino; & in donatione pupilli, quæ in Iure Cæſareo & Municipalibus, proponuntur, omnimodam agnoſcunt nullitatem, vt videri poteſt apud P. Bauny *Tomo 3. Lib. 1. Tract. 1. Quæſt. 6. Aſſertione 2.* In foro tamen externo reſcindendus eſt, quia indignum eſt vt lex contractui aſſiſtat, cui apertè reſiſtit: quod ſi aliàs verum, in contractu eſt præſenti veriſſimum, vnde omni debet effectu priuari, peræquè acſi numquàm fuiſſet celebratus. Pro quo citatus Auctor cum aliis.

In eo mortaliter peccari. Et quid de valore contractus.

Quid de talibus ſentiant generaliter aliqui.

P. Bauny.

Per alios quomodo contractus poſſit celebrari.

36 Quoad id verò, quòd de contractu dicto neque per alium ineundo additur, in beneficium Inquiſitorum, cognatorum, & amicorum, maior eſt difficultas, an ſcilicet grauè peccatum ſit. Et videtur tale non eſſe, ſi ita ſecretè fiat, vt qui conducere velint, non ſciant in eò rem Inquiſitionis agi. Quòd enim ratione contractus, abſolutè loquendo, id non ſit illicitum, probabilis ſententia eſt: de qua *ſuprà, Tit. 3. num. 15. & 16. & Tit. 9. numer. 147. & 148.* Cùm autem ſecretè fit, vitatur inconueniens, quod lex vitare contendit, vt conſtat ex allatis verbis, *que con libertad no ſe arrienden.* Pro quo videnda quæ diximus *Titulo 4. num. 44.* Et de ceſſante fine legis, *locis aliis.* Quam reſolutionem vt probabilem tantùm proponimus, quia pro oppoſito non leuia fundamenta ſuccurrunt.

Circa Secundum.

Mercimonia prohibentur, pro Fiſcalibus etiam, & Officialibus aliis.

37 SIc illud habet: *Que los dichos Inquiſidores y Fiſcales, y los otros Oficiales ſalariados, no traten en mercaderias, ni arrendamientos, por ſi, ni por interpoſitas perſonas, ſo pena de pedimiento de ſus Oficios, y de lo que trataren y contrataren.* In hoc prioris extenſio eſt, in quo de Inquiſitoribus tantùm diſpoſitio proceſſerat: quod ergo de illis dictum circa Regiorum iurium conductionem, ad Fiſcales, & alios præfatos extenditur. Et prætereà ne mercatores ſint, neque conductores per ſe, aut per alios; & aggrauatur pœna, quia non ſolùm amiſſionis officij comminatio fit, ſed eorum etiam, quæ contractationi fuerint expoſita, & circa quæ illa verſatur. Sed quia non eſt credibile per leges dictas earum auctores plùs grauare

Digitized by Google

Circa interpoſitas perſonas difficultas modata.

grauare officiales velle, quàm Inquiſitores ipſos, in quibus maior eſt obligatio ſeruandæ in officio puritatis: dicendum videtur id, quod de mercimoniis & conductionibus dicitur, ſimiliter intelligendum, vt ſcilicet quòd tunc debeant certò prohibita cenſeri, quando conductiones proprio nomine fiunt, vel ſi alieno, taliter, vt facilè agnoſci poſſit cuius in eo negotium agatur, ob ſimilem rationem. Mercimonia autem ſimiliter debent cenſeri prohibita, quia grauioribus verbis prohibitio talis in Sacris Canonibus circa Eccleſiaſticos extat; & tamen exceptionem dictam de interpoſitis perſonis Doctores admittunt, vt vidimus *Titulo 9. num.* 33. 147. *& ſeqq.* & licet in Inquiſitoribus & Fiſcalibus, qui iam Inquiſitorum quoad honorem, & ſalarium prærogatiuâ fruuntur, quod non ita erat eo tempore, quo præfata ſunt conſtituta Capitula, ſpecialem id habere indecentiam videatur; in aliis non ita euenit, neque cum rigore indicato videtur fuiſſe receptum.

Cur conductiones iurium Regiorum expreſſa.

38. Cùm verò ſecundum hoc Capitulum conductiones abſolutè prohibeat, & pariter mercimonia; quod de conductione iurium Regiorum diſponit, videtur eſſe ſuperfluum. Quod cùm dici non debeat, affirmandum eſt propterea ſic diſpoſitum, vt rei momentum eo pacto exprimeretur. Priuatio autem officiorum, & amiſſio mercium, quæ pro pœnâ aſſignantur, ſi Inquiſitores & Fiſcales delinquentes ſint, à ſolo eſt ſupremo S. Inquiſitionis Conſilio, vel Viſitatore ab illo deſignato, ipſis infligenda. Inferioribus autem infligi ab eodem Tribunali poteſt, ad quod officia ſpectant, ex adductis à Cæſare Carena *Parte* 1. *Titulo* 14. *numer.* 16. & P. Fragoſo *Pag.* 531. *num.* 9. Sed ſi à ſupremi Conſilij Præſide ſint electi, appellare ad ſupremum Concilium poterunt, vel potiùs ad Generalem Inquiſitorem, ex ſpeciali pro Hiſpaniâ conceſſione Clementis VII. de quâ Paramus *Lib.* 3. *Quæſt.* 4. *à num.* 102. ſic enim videtur accipiendum quod Auctores tradunt à P. Fragoſo citati *Tomo* 2. *Pag.* 516. *num.* 55. ad ſupremum inquam Conſilium pertinere Miniſtros caſtigare, eos inquam, qui ab eodem Conſilio, vel eius Præſide, ſunt electi: ſi videlicet de cauſſis benè informati ſint, nullâ etiam præcedente ſententiâ; vel ſi præceſſerit, & appellationi delatum fuerit, eam confirmando, aut etiam aggrauando. Quòd autem Fiſcales iudicari ab Inquiſitoribus nequeant, ex eo oſtenditur, quòd pares ferè in dignitate ſint & officiales Pontificij, contra quos procedere Inquiſitores nequeunt, iuxta ea, quæ Doctores tradunt, quos adducunt Diana *Parte* 4. *Tractat.* 8. *Reſolut.* 24. & P. Fragoſus *Pag.* 526. §. *Secunda reſolutio. & Pag.* 528. §. 104. qui tamen in ſpeciali de Fiſcalibus non loquuntur, quia tunc illi ad tantam non fuerant dignitatem euecti: ex eorum tamen doctrina circa Officiales Apoſtolicos poſitio noſtra non obſcurè deriuatur.

Inquiſitores & Fiſcales à ſolo Conſilio ſupremo, aut eius Præſide puniuntur.

Circa Fiſcales id firmatur.

Circa Tertium.

Retractum vt liceat, & qualis circa id timor, vt nõ ſit locus excuſationi.

39 PRohibentur in illo Inquiſitores, & Miniſtri S. Officij, id quod alicui eſt venditum pro tanto, retrahere, niſi quando id iure permittitur, ſi videlicet retractu ſanguinis id liceat, aut iure alio, quod ſecluſo officio conueniret. Vbi clarum apparet id non poſſe officio iudicis implorato, cùm ius nullum ad huiuſmodi implorationem ſit: vnde videntur modi alij prohibiti, quibus id obtineatur: preces inquam vrgentes, aut minæ, quæ in talibus ſemper formidabiles ſunt, formidine in virum conſtantem cadente. Et rarò continget vt annuens non ſit prorſus inuitus: quòd ſi tantùm ſecundùm quid, in eo eſt philoſophandum ſicut *Cap.* 1. *dicto* 3. Poſt hæc ſic additur: *Y que no puedan tomar coſa alguna de mercaderias à otras perſones contra ſu voluntad, aunque ſea pagandola à taſacion, ſi no fuere en caſo de grande neceſidad, para los preſos, ò obras de la caſa de la Inquiſition, y no para las ſuyas, y ſus perſonas, y familias.* Sanctiſſimè hæc omnia conſtituta ſunt, circa quæ dictum *numer.* 30. quæ & credo etiam ſanctiſſimè obſeruari: ſed ſunt illa maximè præ oculis habenda, ne quidpiam ex minori animaduerſione ſubrepat. Et quod ad inuitos attinet, ſimiliter eſt ac in retractu dicendum. Cumque extorqueri quidquam nequeat, etiam pretio iuxta taxam receptam conſtituto; multò eſt illud verius, quando minori pretio rem contigerit extorqueri.

Nihil ſumere poſſe contra vendentis voluntatem, & quid in caſu neceſſitatis.

40 Vnus neceſſitatis, ſed non cuiuſuis magnæ tamen, caſus excipitur, circa incarceratos, & domum ipſam Inquiſitionis, qualem vidimus hîc Limæ *Anno* 1655. cùm *die* 13. *Nouembris*, terræmotu horribili ædificia ſunt ferè omnia conquaſſata, & in illis domus Inquiſitionis, ac aulæ & cameræ Audientiæ, & Secreto deſtinatæ. Tunc ergo pro reparatione, calcis & laterum procuratâ copiâ; & quia communis neceſſitas reparationis copiam eſſe vetabat, quamplurimis ad officinas materialium dictorum concurrentibus, vi aliquâ opus fuit. Pretium autem, quod maius emptorum copia fecit, iuxta communes Doctorum regulas de contractibus agentium, ſecum ſeruandũ DD. Inquiſitores noluerunt, quorum ea eſſe ratio potuit, quòd in præfato Capitulo prohibentur aliquid contra voluntatem dominorum ſumere, *Aunque ſea pagandola à taſacion.* Et ſtatim additur exceptio neceſſitatis, in quâ cùm dicatur ſumi poſſe, intelligitur cum adiuncta qualitate, ſcilicet *à taſacion*, iuxta communem doctrinam, quòd *omnes qualitates influunt, & repetitæ cenſentur, quæ in lege additæ*, pro quo Doctores adducit Marius Antoninus *Lib.* 3. *Variar. Reſolut.* 23. *num.* 2. Taxatio autem non videtur facienda à vendente, ſed à tertio, ne quid nimis ille petat: & iuxta hæc potuit diſpoſitio illa procedere. Sed certè non videtur illa æquitati conformis, quia taxationi à tertio faciendæ tunc ſtandum, cùm pretium determinatum non eſt, ſiue per legem, ſiue per communem æſtimationem: in caſu autem, de quo loquimur, poſteriori erat modo determinatum, & illi ſe emptores omnes conformabant, in quibus & Prorex ipſe, vbi Regium negotium agebatur. Ex quo fit à tertio non potuiſſe taxationem aliam fieri, quia tertius negotio ambiguo tantùm adhibetur.

In illa pretium communiter receptum exſoluendum.

Qualis Lima ex terræmotu.

Et quid circa pretiũ factũ. quod non probatur.

Qualitates quomodo repetitæ cenſeantur in lege.

Circa Quartum.

41 QVe los Negros de los Inquiſidores anden ſin eſpadas y otras armas, y ſi las traxeren, ſino fuere acompañando à ſus Amos, las Iuſticias Reales los puedan caſtigar, guardando en eſto el orden, que eſtà dado

Serui vt arma deferre poſſint, & Inquiſitoret

familiam armatam habere. *dado con los Oydores*. Circa quod certum eſt Inquiſitorem poſſe familiam armatam habere: ſic enim conceditur in *Clement*. 1. *de hæreticis*. §. *finali*, alibique,& tradunt ac explicant Doctores,quos adducunt P.Fragoſus *Tomo* 2. *Pag*. 521. *num*. 80. & 81. & *Pag*. 531. *num*. 10. Diana *Parte* 1. *Tractat*. 2. *Reſolut. vlt*. & *Parte* 4. *Tractat*. 8. *Reſolut*. 31. Cæſar Carena *Parte* 1. *Titulo* 14. §. 1. qui multos citans ait omnes penè Doctores quotquot de hac materiâ pertractarunt, vno id ore concludere. *Non derogari priuilegio per prohibitionem huius Capituli.* Ex eo autem quòd mancipiis Æthiopicis, quando ſuos non comitantur dominos,armorum portatio prohibeatur, non eſt credendum eorum priuilegio quidpiam derogatum: quia & ſic Tribunal ſupremum cenſuit conuenire; & aliunde ſatis veroſimile eſt hoc abſolutè in priuilegio Pontificio minimè contineri. Nam arma familiæ conceduntur in ordine ad defenſionem DD. Inquiſitorum, qui propter officium viris ſceleſtis valde odioſum,multos habere inimicos ſolent; & etiam vt exequi illud poſſint vim aduerſariam repellendo, vt videri poteſt apud citatos, & præſertim apud P.Fragoſum, & Carenam *num*. 12. Atqui ad neutrum ex dictis finem deſeruire armorum geſtatio poteſt in mancipijs Æthiopicis, quando ſuos non comitantur dominos, vt eſt manifeſtum: ergo pro illis non videtur Pontificium priuilegium ſuffragari.

Abuſus à Pontifice & Concilio diſtrictè coërcitus. 42. His addendum à Pontifice & Concilio §. *citato*, abuſum circa portationem dictam plus quàm diſtrictè coërceri verbis illis: *Porrò Inquiſitoribus ipſis diſtrictiùs inhibemus,vt nec abutantur quomodolibet conceſſione portationis armorum: nec Officiales,niſi ſibi neceſſarios habeant, tales, qui ſe conferant ad ſua cum Inquiſitoribus ipſis officia exequenda*. Sic ibi. Vbi quod de Officialibus dicitur, conſequenter ad priorem clauſulam ſe habet: volunt ſiquidem Concilium & Pontifex, vt Officialium numerus exceſſiuus non ſit, ne ex armorum portatione inconuenientia ſatis obuia ſubſequantur. Nolunt prætereà iis, qui in officiis non deſeruiunt, conceſſionem dictam auxiliari. Quam diſpoſitionis præfatæ conſequentiam ex aliis collectam proponit P. Fragoſus *citat. numer*. 81. & in hoc abuſum portationis armorum conſiſtere; ſi videlicet contra ſic diſpoſita contingat agere eos, quibuſcum loquitur Clementina. Tunc ſic. In eo quòd mancipia dicta arma portent, cùm dominos non comitantur, ſimilis abuſus, immò & maior,ſequitur: ergo non eſt illis in Priuilegio Pontificio portationis huiuſmodi facta conceſſio. Aſſumptum oſtenditur: nam ex portatione grauia ſequi inconuenientia poſſunt, cùm ſint barbari iſti communiter loquendo iuxta rationis ductum non agentes, & feroces impetu; vnde maximâ curâ conantur iuſtitiæ miniſtri eis genus omne armorum auferre;quòd ſi reperta apud eos fuerint, in carcerem detruduntur.

Rationes aliæ pro eodem. 43 Quæ inconuenientia ex eo creſcunt, quod ebrietati dediti ſint, & *gladius in manu furioſi*, prouerbium eſt. Prætereà, ij non habent officium, ad quod cum Inquiſitoribus exequendum ſe debeant conferre: ergo ſimilis abuſus in portatione committitur, dum ſcilicet dominos non comitantur ſuos: tunc enim ratione ſecuritatis portatio licet: & vt ſecuritas plena ſit,qualis ordinariè in ciuitatibus Indiarum habetur, ratione auctoritatis tantopere DD. Inquiſitoribus debitæ, hoc illis meritiſſimè indulgetur. Quo tamen video illos parcè vti, ſicut in aliis, ad ſe dignum moderationis exemplum. Quia verò prohibitio circa Nigros habetur, alij, qui ex Europæis ac Nigris progeniti ſunt, non debent cenſeri prohibiti in præfato Capitulo. An autem ex ratione alia,iuxta nuper dicta deducendum,quod ipſi Domini accurratè perpendent,

46 Modus autem puniendi cùm ſit à Rege præſcriptus, videant iudices quomodo ſit in eo ipſis procedendum. Ego conuenientiſſimum arbitror vt ſic deprehenſus à Magiſtratu cum ſatellitibus ad D. Inquiſitorem tranſmittatur, vt ipſe de punitione prouideat: ex incarceratione enim turbæ excitari ſolent, & non leues ſimultates. In eo autem quòd modus punitionis à Rege præſcriptus ſeruetur,nullum eſt violatæ Eccleſiaſticæ periculum libertatis, aut prærogatiuæ ſanctiſſimi Tribunalis: quandoquidem id, quod Rex præcipit, à Conſilio etiam ſupremo S. Inquiſitionis iniungitur, iuxta dicta *num*. 34. Debent autem præfati Domini circa hoc iuſtitiæ zelum oſtendere,exiſtimantes Regi, ſupremo Conſilio, & etiam obſequium ſe præſtare Deo, dum partes iuſtitiæ tuentur: neque auctoritati ſuæ quidquam ex eo derogari, quod præfatis placet, neque ſupremum Conſilium ſuis Miniſtris incongruum arbitratur. Ab illis honor, ab illis auctoritas, à quibus & officij tanti dignitas attributa, & ampliorem velle, quàm velint ipſi, impoſitas eſt rationis metas tranſilire. Auctoritas ab officio veniens, in illius eſt adminiſtrationis modo legitimo conſtituta: quod multò me meliùs ipſi ſciunt, vnde ad alia tranſeundum. *Circa praxim in modo puniendi.* *Peroratio ad DD. Inquiſitores.*

Circa Quintum.

47 QVod ſic procedit: *Que los Comiſarios y Familiares de las dichas Inquiſiciones, que fueren Mercaderes, Tratantes, ò Encomenderos, no ſean exentos de pagar los derechos Reales. Y las Iuſticias Reales los compelan à ello, y les puedan reconocer ſus caſas, ò mercaderias; y hallando auer cometido algunas fraudes en los regiſtros, caſtigarles conforme à las leyes y Ordenanças Reales, y los Inquiſidores contra eſto no los amparen y defiendan*. Primò hîc certum videtur præter Commiſſarios & Familiares, alios prohibitione dictâ non comprehenſos: quod equidem eatenus verùm eſt, quatenus ſupponitur alios, qui officium cum ſalario habent, neque Mercatores, neque Contractantes, neque Commendatarios, ſeu Factores eſſe poſſe. Commiſſarij autem & Familiares officium cum ſalario non habent, & ita illis ex vi officij non prohibetur contractatio, licèt aliàs prohibita eſſe poſſit ratione Clericatus. Quicumque ergo ex Inquiſitionis Miniſtris mercimonio vacant, à præſtatione Regalium iurium immunes non ſunt; non tamen Regiis Officialibus ideò permittitur domos eorum ingredi, & merces excutere; ſed tunc ſanctum debet adiri Tribunal, vt ſatisfactionem Regi præſtari compellat. Quod ſi non fecerit, de eo certiores poterunt Regium Concilium admonere, ſi priùs ab eiſdem vrbanè & grauiter admoniti, Regiis partibus non ſe exhibuerint æquiores. *Circa Officiales contractantes, pro eorum obligationibus.* *Qui nam hoc Capitulo comprehenſi.*

48 Certum

Digitized by Google

Qui veniant nomine Mercatorum &c.

48 Certum ſecundò, contractationem aliquoties exercuiſſe, non eſſe ſatis vt Mercator quis dici poſſit; quod etiam eſt de Commentario aut Factore dicendum; niſi ſit reſpectu eorum, qui mercaturæ inſiſtunt; horum enim merces excuti apud eos poſſunt, etiamſi factoriã aut commendaturam ſemel tantùm exercuerint. Quòd autem aliquoties exercuiſſe mercimonium non ſit ſatis vt quis Mercator dici poſſit, manifeſtum eſt ex communi vocis acceptione, quæ officium mercium tractandarum deſignat, & ex iis, quæ tradunt Scriptores circa *Cap. Finale*; de vita & honeſtate Clericorum, vbi Clerici negotiatores dicuntur amittere priuilegium Clericale, ſi ter admoniti non deſiſtant: *Si negotiationibus inſtiterint ſupradictis.* Non enim dicitur inſiſtere, qui id frequenter non agitat, & tamquàm ex officio.

Cap. Finale, de vita & honeſt. Clericor.

Executionem circa Eccleſiaſticos fieri in caſu præſenti poſſe, & quo fundamento.

49 Tertiò, licet ſententia valde probabilis ſit Clericum negotiatorem non poſſe à laico iudice compelli ad vectigalis ſolutionem, ſed id debere auctoritate iudicis Eccleſiaſtici fieri, pro quo Diana plures adducit *Parte 2. Tract. 1. Reſolut.* 44. In caſu tamen noſtro id fieri poteſt, quia id laicà auctoritate abſolutè non fit, ſed Eccleſiaſticâ, quatenus ſupremum S. Inquiſitionis Concilium in prædictam compulſionem influit, vnde non obſtat exceptio Clericatûs. Quia verò obiici poteſt Concilium non poſſe circa priuilegium Clericale diſponere, cuius iuriſdictio ad fidei cauſſas ſe tantùm extendit; vnde diſpenſationes, quæ Pontifici aut Ordinariis propriæ, ad illud non ſpectant. Reſponderi poteſt in Supremo Conſilio id omne debere præſumi, quod neceſſarium eſt, vt ab eo Concordata debeant legitima reputari, & ita Pontificiam circa illa auctoritatem habere. Quod in caſu noſtro minùs habet difficultatis, cùm ſit multorum ſententia executionem dictam, & ſimiles, fieri à iudice laico poſſe, vt videre licet apud Dianam *ſuprà. Et Parte 1. Tract. 2. Reſolut.* 47. *Et Tractatu citato Reſolut.* 4. Et P. Fragoſum *Tomo 1. pag.* 152. *num* 330. *&* 131. qui idem tenet cum pluribus, quos allegat.

Circa Sextum.

Depoſitarium Familiarem ad reddendam rationem poſſe à iudice laico compelli.

50 IN quo ſic: *Que nombrando la Iuſticia Real Seglar por Depoſitaria de algunos bienes à algun Familiar, ſe pueda competer à que dè quenta de los tales bienes, y caſtigarle ſiendo inobediente.* Cùm compellere iudex ſæcularis Familiarem Depoſitarium poſſit ad reddendam rationem, ſatis ex eo apparet poſſe omnia facere, quæ ad effectum dictum fuerint neceſſaria, acſi Familiaris non eſſet: quod ampliùs declaratur, cùm additur, eum poſſe, ſi inobediens fuerit, caſtigare. Si verò obediens rationem reddiderit; ſed non bonam, in caſtigatione procedi non debet, quia facultas pro eo non conceditur, & vltra conceſſa præſumptio non debet extendi, & limitata conceſſio limitatum habet effectum, de quo aliàs. Debet ergo talis coram Tribunalis ſancti iudicibus conueniri, qui iuſtitiam, poſtpoſito omni humano reſpectu, erga læſam partem exequentur.

Circa Septimum.

Feudatarios defenſioni adſcendos.

51 ITa habens: *Que los Familiares de la Inquiſicion, que tubieren repartimientos, ò feudos Reales, quando vinieren enemigos à los coſtas, vayan à guardarlas à las partes y lugares, que el Virrey, y Capitan general les ordenare, y hagan las otras coſas, que tienen obligacion, conforme à ſus feudos.* Sed quid ſi non fecerint? Si res magnoperè vrgeat, à Prorege, & Generalibus Ducibus compellendi, quia neceſſitas facit licitum, quod aliàs non liceret, ex *regula iuris 3. Lib.* 5. Si autem res non ita vrgeat, & adiri S. Tribunal poſſit, ſic procul dubio faciendum, quia in præſenti Capitulo facultas amplior non conceditur. Quòd ſi Rex & Conſilium aliud voluiſſent, expreſſiſſent, vt eſt ſæpiùs dictum, iuxta axiomata Iuris vtriuſque notiſſima. Neque credibile eſt DD. Inquiſitores obligationi ſuæ erga Regem & Regnum tali in articulo defuturos. Vna tantùm eſſe exceptio poteſt, ſi Inquiſitores ipſi ad defenſionem ſuam aſſiſtentiã Familiarium indigerent, cum quo ſit fidei cauſſa coniuncta: non enim de piiſſima ac religioſiſſima Regum noſtrorum voluntate præſumendum eſt id ſibi placitum non futurum, qui, ſi opus eſſet, per ſe ipſos defenſioni S. Tribunalis adſtarent. Pro quo videnda quæ adducit Doctor D. Franciſcus Marin, de Rodezno, Inquiſitor Granatenſis in *Deciſione apud Cæſarem Carenam pag.* 376. *num.* 7.

Circa Octauum.

Commiſſarij poteſtas limitata.

52 QVe los Comiſarios de la Inquiſicion (verba illius ſunt) *no den mandamientos contra las Iuſticias, ni otras perſonas, ſino fuere por cauſas de la Fe en los caſos, que les es permitido, todo conforme à ſus Titulos, ò por Comiſion eſpecial de los Inquiſidores.* Prudentiſſimè hoc cautum ob dicta de illis *n.* 33. Nec grauabor hic addere, quod Cæſar Carena, vir in rebus iſtis experientiſſimus habet *Parte 1. Titulo 11. numer. 1. & ſeqq.* Vbi ita ſcribit: *Solent Inquiſitores eligere in Diœceſi ſibi demandatâ aliquos Eccleſiarum Rectores doctos & pios, & eos ſuos Vicarios foraneos (ad differentiam Vicarij ſui Generalis) creare. Zanardus in Summa 1. p. Cap. 6. quæſt. 44. verſ.* Circa hoc. *Hi Vicarij foranei nullam habent præeminentiam dignitatis, prout nec Vicarij foranei Epiſcoporum, vt notat Barboſa in Summa Bullarij in verb.* Vicarius Foraneus, *& in ſuo Tractatu de Officio Epiſcopi p. 3. Allegat.* 54. *num.* 140. *In Vicarios foraneos eligendi debent eſſe fidei zelatores, ac probi viri, ac in materiis S. Officij verſati. Et ego, ſi eſſem Inquiſitor, ne mihi vnquam aliquid in iſtorum electione poſſet imputari, ſemper ad hoc munus deputarem Vicarios foraneos Epiſcoporum, niſi aliud in contrarium adeſſet. Quoad numerum autem horum Vicariorum ego cenſeo nunquàm excedendum numerum ab Epiſcopis in ſua Diœceſi deputatum, quia ſi prudenter Epiſcopus arbitratus fuit pro recto regimine ſuæ Diœceſis ſufficere decem Vicarios foraneos: multò magis idem numerum arit ſufficiens quoad S. Officium: ex quo ſine vllo dubio, multò maior ſolet eſſe numerus cauſſarum ad Tribunal Epiſcopi ſpectantium, quàm quoad Officium S. Inquiſitionis attinentium.* Hæc ille pro DD. Inquiſitorum commodo ſic exhibita. Si ergo Commiſſarij

Quales futuri.

Cæſar Carena.

miſſarij ſeu Vicarij tales fuerint, nihil erit ex eorum præcipitatione timendum. Quia verò eſſe Generales Vicarij poſſunt, licet in Indiis illi non videantur eſſe in vſu; ſi fortè contingat, cum illis Capitulum præſens non loquitur, dum ſupponitur eos, de quibus procedit, non habere facultatem ad mandata, vt dicitur, libranda; quod ſecus in Generalibus aſſerendum. Sed ab omnibus Inſtructio ad vnguem obſeruanda.

Circa Nonum.

Priuilegiũ fori iis, qui poſt delictum Officium ſuſceperunt, non ſuffragari.

Pro parte oppoſita arguitur ex Clericatu.

53 SEquentis tenoris: *Que los Oficiales, Comiſarios, y Familiares de la Inquiſicion, nogocen del Fuero de la Inquiſicion en los delitos que vbieren cometido antes de ſer admitidos por Oficiales, Comiſarios, y Familiares.* Vbi inquiri non immeritò poteſt an hoc ita ſit generaliter accipiendum, vt nulla admittatur exceptio; ſicut plures Doctores admittunt in Clerico, qui ante Clericatum delictum commiſit: dicunt enim gaudere, quando ſine fraude illum ſuſcepit, aut dolo. Sic Couarrubias *Practicarum Quæſt. Cap.* 32. *num.* 4. §. *Secunda concluſio*, cum aliis, quos citat. *Sequenti* autem §. tunc fraudem præſumi ait, cùm quis poſt delictum commiſſum, & ante ſuſceptum Ordinem, fuerit accuſatus, vel denuntiatus, aut ſanè infamatus. Et reſponderi poteſt ita etiam pro caſu præſenti veroſimile apparere, quia Capituli hujus diſpoſitio in præſumptione fundatur, vnde indicia ad fundandam illam inquiruntur, ſicut in aſſumente Ordinem Clericalem, de quibus P. Suarez *Libro* 4. *contra Regem Angliæ Cap.* 15. *n.* 18. Atqui in iſto ſola aſſumptio ad fundandam præſumptionem non ſufficit: ergo neque in iis, de quibus agimus, arguendo ſatis veroſimiliter à ſimili in genere immunitatis: & ſimilium eadem ratio eſt, vt ſatis notum ex *Cap. Inter corporalia* de tranſlat. Epiſcopi. Licet enim argumentum hoc in priuilegiis non valeat generaliter loquendo: benè tamen quando de fauore fidei & religionis agitur, vt ſæpiùs dictum. Cùm ſit etiam probabile quomodocumque Ordinatum priuilegio fori gaudere, vt videri poteſt apud P. Dicaſtillum *Lib.* 2. *de Iuſtitia Tract.* 2. *Diſputat.* 4. *num.* 185. Nihilominùs ſine ſcrupulo poterunt iudices abſolutè contra dictos procedere, quia Capitulum ſine diſtinctione loquitur, & ſententia eſt quamplurium ex ſolâ Clericatus ſuſceptione fraudem præſumi, ex quibus Baldus à Couarrubia adductus, & alij apud Dianam *Parte* 1. *Tract.* 2. *Reſolut.* 27. Quibus addendus Petrus Nuñez de Auendaño *de exequendis mandatis Cap.* 22. *numer.* 7. quem doctiſſimum ſemel & iterùm vocat Couarrubias *ſuprà num.* 4. §. *Sed & tertio.*

Circa præſumi ſecuri vt ſint iudices

Circa Decimum.

Ne curſus tabellariorum impediantur.

54 SIc procedens: *Que los Inquiſidores no detengan los Corſos y Claſques, y alcen la prohibicion, que contra eſto tienen hecha, porque el Correo mayor les darà auiſo quando partieren los tales Correos, como mando lo haga y cumpla.* Ratio huius diſpoſitionis ſatis eſt comperta, ne ſcilicet communis regni correſponſio ob libitum ſic prohibentium cum generali iacturâ & moleſtiâ retardetur. Quod non tollit quominùs in caſu aliquo peculiari id facere poſſint: quia generalis diſpoſitio peculiarem contingentiam, in re præſertim momenti tanti, non excludit. Maior autem Tabellarius, is ſcilicet, qui in ciuitatibus eo munere fungitur, qui talis dicitur comparatione Curſorum, eadem obligatione tenetur, quando in ea DD. Inquiſitores aſſiſtunt: licet reuera Regis ad eos dirigi minimè videatur imperium, ſed ad Prototabellarium, qui in vrbe primariâ reſidet, vt ex tenore adducto conſtat: nam in illis eadem ratio eſt, & lex iſta non eſt pœnalis, vt debeat tantùm ad expreſſos arctari iuxta dicta *num.* 12. *Aſſert.* 13. quia nullam pœnam imponit: ſed fauorabilis potiùs, vnde extendenda. Sed non ita vt Inquiſitorum nomine debeant Commiſſarij intelligi: & ſic à Tabellario maiori ciuitatis de diſceſſu curſoris admoneri debeãt, & ad eius nutum miſſionem huiuſmodi moderari. Quia Rex apertiſſimè cum Inquiſitoribus loquitur, in quibus eſt diuerſa ratio, & nulli debet onus imponi ſine apertâ pro eo ratione, vt dictum *ſuprà*. Caſus autem ſingularis neceſſitatis excipitur: ſicut enim licet nequeant illi carceribus quempiam mancipare, niſi re cum DD. Inquiſitoribus participatâ; ſi tamen ineuitabilis adeſſet neceſſitas, id facere poſſent, vt tradit Cæſar Carena *Parte* 1. *Titulo* 11. *num.* 6. & 7. ita etiam in caſu dicendum, de quo eſt ſermo. Expediet autem tunc ad vitandas controuerſias Magiſtratum vrbanè facere certiorem: nullus enim erit, qui non promptè & libenter obſequatur.

Qui in caſu ſpeciali.

Qualis extenſio ſit probanda.

Ad Commiſſarios non extendi.

Niſi in caſu ſpeciali.

Circa Vndecimum.

De modo procedendi contra Regios Alguacellos.

55 CVius hic eſt tenor: *Que los Inquiſidores de aqui adelante tengan mucha conſideracion en proceder contra los Alguaciles Reales, y no los prendan, ſino ex caſos raros y notorios, en que vbieren excedido contra el Sancto Officio.* Poſſunt ergo iuxta hæc DD. Inquiſitores Alguacellos Regios incarcerare: quod quidem non procedit tantùm in caſibus ad Tribunal ſanctum pertinentibus, in quibus generaliter omnes in carcerem coniici poſſunt; de hoc ſiquidem dubium eſſe non poterat: ſed ratione violati fori, quod ab iſtis fieri paſſim poteſt, dum Officialibus S. Officij vexationem inferunt, in carcerem trahentes, aut indebitis modis aliis moleſtantes. Tunc ergo vt incarcerari poſſint, duo pariter requiruntur, quòd ſcilicet id raro fiat, & in exceſſu notorio: non ergo paſſim, etiamſi exceſſus notorij ſint, in carcerem detrudendi. Ratio autem moderationis huiuſmodi habendæ ex eo deſumitur, quòd Inquiſitionis carcer notam ſpecialem infamiæ affert, quando non diſcernitur ex quo id delicto contingat: tum etiam quia Alguacelli officium timidè, & cum detrimento boni communis obibunt, dum incidere in aliquem timent, qui priuilegio fori S. Officij potiatur. Licèt ergo exceſſus notorij aliquo modo ſint; non eſt carceratio ſtatim infligenda, ſed pœnis vtendum aliis, quas æquitas prudentiæ ſemper aſſocianda dictabit: quæ valde Inquiſitoribus neceſſaria eſt, vt eruditè perſequitur, aliis citatis, Carena *Parte* 1. *Titulo* 5. §. 23. & *ſeqq.*

Quid rarum in præſenti caſu.

56 Quid rarum ſit, ſatis eſt notum, ſcilicet quod infrequens, quod vix aliquando accidit, iuxta

Digitized by Google

iuxta illud, *Rara auis in terris, nigroque ſimillima Cygno.* Iuxta quod etiam à Tullio dictum in Libro *de Amicitia*, *Omnia præclara rara.* Quod autem ſit notorium, & ipſum notiſſimum, & apud Doctores obuium, pro quo eſt expreſſa deciſio in Cap. *Quæſitum*, finali, *de Cohabitation. Clericor.* vbi ſic dicitur: *Niſi peccatum huiuſmodi ſit notorium, per ſententiam, aut confeſſionem factam in iure, aut per euidentiam rei, quæ tergiuerſatione aliqua celari non poſſit.* Sic Gregorius IX. Ex quibus notorietatis modis tertius propoſito deſeruit. Tunc autem nullâ tergiuerſatione celari poteſt, quando per idoneos poteſt probari teſtes, & planè probatum eſt, iuxta id, quod tradit Couarruuias *Libr. 3. Variar. Cap. 3. numer. 4. & 5.* Vnde neceſſarius non eſt ille notorietatis modus, quem ex aliis proponit P. Leſſius *Libr. 2. Cap. 11. num. 3.* vbi ait notorium facti eſſe quod eſt in multorum præſentiâ perpetratum, vt in aliquo Conuentu, vel in loco publico, vt in foro, vel celebri plateâ, eo tempore, quo multis innoteſcere potuit: vel quod maiori parti viciniæ paſſim ob oculos verſatur. Licèt enim in ordine ad effectus alios id debeat obſeruari, vt in diſpenſatione, detractione, &c. quando tamen de punitione ob bonum commune agitur, id ſufficit, quod eſt dictum, & Pontificia declaratione firmatum. Alguacellorum autem nomine vulgares veniunt, non Maiores: ij enim inter eos computandi, qui incarcerari inconſulto Conſilio nequeunt, niſi fortè domi ſuæ, aut loco alio decenti, vt videri poteſt apud D. Solorz. *cit. Cap. 24. n. 57.* & in Politicâ *Lib. 4. Cap. 24. pag. 706. Col. 1.* ex quo Dom. Villaroel *Parte 2. Quæſt. 14. art. 5. n. 144. & ſeqq.* Eſt enim officium illud valde honorificum, vnde & inter notabiles & honeſtas perſonas eo præditi numerantur.

Quid notorium.

Cap. Quæſitum. de cohabit. Cler.

Alguacellos maiores non comprehenſos.

Circa Duodecimum.

57 QVod in hunc procedit modum: *Que los inquiſidores alcen la prohibicion, que tienen hecha, de que ningun nauio ſalga del Puerto, ni perſona ninguna parta del Reyno ſin licencia ſuya.* Huius diſpoſitionis conuenientia ſatis eſt comperta: non enim debet generale commercium ab Inquiſitorum arbitrio dependere: neque eſt cur licentiam abeundi quis petat ab illis, apud quos cauſam pendentem non habet. In aliquo tamen caſu aliter contingere poteſt ob ſpecialem rationem occurrentem: id quod ex tenore Capituli non obſcurè colligitur: ſolùm enim iubetur vt generalis prohibitio tollatur: ergo de ſpeciali ratio eſt alia: ſicut Doctores tradunt circa prohibitionem generalem in Conc. Trident. *Seſſ. 4. Cap. 6. de Reformat.* ne Vicarij generales Epiſcoporum ab hæreſi occultâ abſoluere poſſint, ſicut poſſunt Epiſcopi: dicunt enim generaliter non poſſe, benè tamen ex ſpeciali commiſſione, cùm caſus occurrerit; iuxta multorum ſententiam, qui facultatem dictam exiſtimant non eſſe per Bullam Cœnæ reuocatam, de quo aliàs. In his tamen caſibus oportebit vt DD. Inquiſitores de potentiâ abſolutâ non procedant, ſed Magiſtratus admoneant vt id boni conſulant, & gratum habeant, eò quòd diuini ſeruitij cauſſa ſpecialis agatur.

Circa prohibitionem pro nauigijs, & recedentibus à Regno.

Circa Decimum tertium.

58 CVius hæc verba: *Que ſuſediendo algun Inquiſidor, ò Miniſtro de la Inquiſicion en algunos bienes litigioſos por teſtamento, ò otro titulo, no ſe traygan los pleytos, que ſobre ello vbiere, à la Inquiſicion, ſinò que ſe determinen y acaben, donde fueren començados, ò vbieren de ir en grado de apelacion.* Iuxta hoc ergo, ſi Inquiſitor reus, vel actor ſit, & quilibet alius S. Officij Miniſter, coràm iis debet litigare iudicibus, coràm quibus, ſi officio non eſſet tali præditus, litigare debuiſſet. Et cùm eſt actor, valde eſt id iuri conforme, quia actor ſequitur forum rei. Cùm verò reus, conforme eſt etiam æquitati; quia apud Inquiſitorem ipſum colligantem nequit actor cauſſam agere, cùm ſit pars. Apud Tribunal autẽ nimis onerofum eſt, tum ob dilationes inexcuſabiles, eò quòd illud erga cauſas ſuo officio proprias occupatum ſit; & quia multoties continget, vt vnus tantùm Inquiſitor ſit, cum quo litigium habetur: tum etiam quòd minori cum libertate agendum eſt, ob peculiarem reuerentiam S. Tribunali debitam. Quibus accedit, ſi appellandum ſit, moram eſſe immodicam ſuſtinendam, cùm ad ſupremum ſit illa Conſilium deducenda. Quæ rationes, licèt magni momenti ſint, & propter eas meritò ſit lex huiuſmodi ſtabilita: quia tamen ad bona tantùm, in quibus Miniſtri officij ſancti ſuccedunt, limitata eſt; in aliis debent obortæ moleſtiæ deuorari. In illis enim Inquiſitionis Miniſtri ad Tribunal ſanctum poſſunt cauſſas auocare, & actores apud illud debent reos conuenire.

Circa litigia pro bonis, in quibus ſuccedunt Inquiſitores, quod tendum forũ.

Circa alia non habere locum adductas pro illis rationes.

59 Quod quidem ſpecialem difficultatem habet quando reus eſt Inquiſitor, quia Inquiſitor contra Inquiſitorem agere nequit, vt cum aliis probat Carena *Parte 1. Titulo 5. §. 77.* Quid ergo faciat, qui ciuilem contra eum poteſt actionem intentare? Id tantùm vt eum vrbanè adeat, & iuſtitiam proponat ſuam, vel per alios moueat. Quo annuente, debebunt in conſcientiâ arbitri deſignari: renuente autem, ſupremum Conſilium adeundum, & Euangelicum illud retinendum: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* An autem Familiares Miniſtrorum nomine intelligantur, dubitari poteſt, quia in Hiſpaniâ id non videtur generaliter admiſſum, & pro ſpeciali prærogatiuâ regni Valentiæ refertur Familiares de foro eſſe Inquiſitionis, vt latè proſequitur Don Hieronymus Leo *in Deciſionibus Regni Valentiæ, in 2. per totam.* Sed quidem cùm pro Indiis id ſit diſpoſitum, quod vidimus, non erit id ſingulare Regni prædicti, cum habeatur exemplum, & pro illis eſſe poſſit ratio ſpecialis. Quo obſtante vſus conſulendus, qui in Peruuio pro Miniſtris ſtat.

Quid cùm Inquiſitor eſt in illis pars litigans.

Familiares Miniſtrorum an gaudeant eorum priuilegio.

Circa Decimum-quartum.

60 SCilicet: *Que eſtando preſos en la Inquiſicion alguno, ò algunas perſonas, por algun delito, aunque ſea de la Fe, los Inquiſidores no den mandamientos contra las Iuſticias paraque ſobre ſean, ò* parem

Cauſſas pendentes reorum non auocandas.

Digitized by Google

paren en los pleitos, que los tales preſos tubieren ante las tales Iuſticias. Ratio eſt, ne pars, cum qua litigium agitur, huiuſmodi fori mutatione moleſtiam patiatur. Eſt autem illud Iuri communi conforme. Canonico in Cap. *Propoſuiſti*, de foro competenti. Ciuili. *L. Si quis poſteà, de Iudic. & L. Vbi cæptum eſt. D. de Iuriſdiction. omn. iudic.* Quibus non obſtantibus in fauorem fidei potuit aliter diſponi: ſicut priuilegia alia ſunt S. Officio conceſſa, & præſertim pro Indiis. Sed prudenter non factum, quia vt talis exceptio fieret non occurrit ſpecialis conuenientiæ ratio, & generaliter conueniens eſt ne alij aliorum odio prægrauentur, vt habet notiſſima Regula. In hoc autem, ſicut in multis aliis, exceptio ſingularis casûs facienda eſt: talis enim poteſt occurrere, vt auocatio talis expediat: vnde præſumendum non eſt id eſſe Inquiſitorum detractum penitus poteſtati, quibus ampliora alia conceſſa reperiuntur. Et Capituli præſentis tenor talis eſt, vt exceptionem huiuſmodi patiatur.

Iuxta commune Ius.

Iudices an poſſint vltro cauſſas ad Inquiſitionem remittere.

61 Sed cùm prohibitio in id tantùm tendat, vt mandata pro iuriſdictione non dentur, dubitari poteſt an iudices ſine mandato poſſint cauſſas pendentes ad Inquiſitores remittere, qui id ſibi placitum indicarint? Et reſpondendum videtur abſolutè non poſſe, quia eſt in partium præiudicium, iuxta dicta: ex conſenſu autem eorum, quorum intereſt, id fieri poterit; quia incarceratus de foro Inquiſitionis eſt; vnde non eſt incompetentia reſpectu illius. Licèt autem nullus contra voluntatem iudicis, ad cuius ſpectat forum, alium poſſit eligere, vt circa laicos diſponit Ius Ciuile. *L. In criminali. C. De Iuriſdiction. omn. iudic.* & circa Clericos, tum reſpectu laicorum, tum etiam Eccleſiaſticorum iudicum. Cap. *Si diligenti.* & Cap. *Significaſti, de foro Compet:* vbi Innocentius tertius, & Gregorius nonus. Primum in criminalibus tantùm procedit: cùm in Ciuilibus contrarium habeatur *L. 1. & 2. D. de Iudic.* Secundum autem quando iudex non eſt Eccleſiaſtica perſona: ſi autem ſit, benè id ſtare poterit, conſentiente Ordinario. Sic enim in Cap. *Significaſti* citato, ibi: *Clerici tamen in iudicem non ſuum (niſi fortè ſit perſona Eccleſiaſtica, & Epiſcopi Diœceſani voluntas accedat) conſentire non poſſunt.* Sic ibi: ſi ergo incarceratus, de quo loquimur, laicus ſit, Ius illius collitigatori fauet, ſi ſit actor. Quòd ſi incarceratus ipſe actor ſit, & coràm iudice laico res agatur, & reus in iudicem Inquiſitorem conſentiat, idem ius currit, priori iudice præſertim annuente. Si autem incarceratus ſit Clericus, cùm voluntas Ordinarij accedat, factum Canonici Iuris auctoritate firmatur. Eſt ergo valida & licita ſic facta remiſſio.

Partes quando poſſint in iudicem conſentire.

Cap. Significaſti, de foro compet.

Circa Decimum-quintum.

Circa qualitates Familiarium, & Miniſtrorum.

62 ILlud nempe: *Que los Inquiſidores tengan mucho cuydado de nombrar por Familiares y Miniſtros de la Inquiſicion perſonas quietas, de buena vida, y exemplo.* Cuius ratio in promptu eſt, & id iam pridem prouiderat Ioannes XXII. in quadam Conſtitutione, quæ incipit: *Exigit ordinis*, & extat poſt Directorium Inquiſitorum: ſic enim ibi: *Diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus neminem Familiarem, niſi eiuſdem Eccleſiæ fidelem ac deuotum & laudabilis conuerſationis & vitæ habere quomodolibet præſumatis.* Addit Simancas *Titulo* 41. *num.* 15. eligendos viros bonos & pacificos, & in Hiſpaniâ, iuxtà quamdam ſupremi Senatûs Epiſtolam, vxoratos: hoc tamen vltimum in Indiis non ſeruatur generaliter. Non item alienigenas futuros addunt alij apud Carenam *Parte* 1. *Titulo* 14. *numer.* 3. & hunc eſſe vnum ex caſibus, in quibus Inquiſitor diceretur abuti facultate conceſſionis armorum, ex qualitate perſonarum. Quod pro Indiis præcipuè eſt animaduerſione digniſſimum, in quas alienigenæ confluere ſolent.

Ioannis XXII.

Quinam extranei cenſendi.

63 Quinam autem extranei cenſeantur, ſatis ex legibus Hiſpaniæ notum, dum per eas ſolùm ad Caſtellæ & Legionis regna pertinentes, cenſentur naturales, quibus addendi Nauarrenſes, quia eiſdem vtuntur legibus. Vnde his diebus pro magno habitum naturalitatis priuilegium, Dertuſenſi Ciuitati conceſſum, quod adducit Don Ambroſius Ros in ſuo eleganti & erudito Monitorio ad ſuos Catalannienſes. Carpit autem incuriam noſtram Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 2. *Cap.* 5. *numer.* 54. propter quam plures alienigenas, quàm naturales in illis verſari conſpicimus, & diteſcere. Addit autem in Politicâ *Libr.* 3. *Cap.* 6. *Col.* 2. §. *Al qual derecho, Pag.* 283. id quod in cauſſam præſentem facit, dum ait: *Las quales pro nueſtro gran deſcuydo, pueblan y desfrutan por mayor parte gentes eſtrañas de todas naciones, y entre ellas (loque es de mayor ſentimiento) de las reueldes à Dios, y à ſu Rey.* Hæc ille. Iuxta quæ ſatis apparet quàm debeat circa hoc, de quo agimus, DD. Inquiſitorum circumſpectio vigilare.

Dom. Solorzanus.

Circa Decimum ſextum.

Tollendos Alguacillos S. Officij vno excepto.

64 CVius illa ſunt verba: *Que en la Vera-Cruz por ſer puerto principal, y eſcala del Reyno de la Nueua-Eſpaña, aya vn Alguaſil de la Inquiſicion, el qual goçe del fuero della como Familiar: y los Alguaciles que vbiere nombrados en las otras Ciudades, Villas, y lugares de eſos Reynos de las Indias, ſe quiten luego.* Huius Capituli conuenientia iuxta priorem illius partem in eodem redditur, non ita poſterioris: ea autem eſſe videtur ne multitudo Miniſtrorum extet, quorum exemptio circa forum præiudicialis eſſe poteſt: vnde & circa hoc etiam Sacri Canones prouiderunt: & eſt præſertim pro eo Clementina II. de hæreticis. §. *Finali*, ibi: *Nec Officiales niſi ſibi neceſſarios habeant.* Quod benè admonet Carena *Parte* 1. *Tit.* 11. *n.* 4. & ante illum Simancas *Titul.* 41. *n.* 17. Addit autē idem Carena *Titulo* 16. §. *vnic. birruariorum* (ſic Itali miniſtros iuſtitiæ vocant, quos nos Alguacellos) plura eſſe, nec leuia delicta, vt ea oſtendunt, quæ Farinacius circa ea tractat *Quæſt.* 32. *de Carceribus, & Carceratis.* Quod licet verum ſit de vulgaribus & infimæ ſortis hominibus, vbi eorum eſt copia neceſſaria; non ita apud nos ſolet accidere: qui

Clem. II. de hæret.

Digitized by Google

qui enim Maiores Alguacelli dicuntur, viri honeſti ſunt; & alij cùm Inquiſitoribus aſſiſtant, & in ætate competenti ſint, nihil indecorum moliuntur.

Cur non executioni mandatū, & de Maioris Alguacelli conuenientia.

65 Hac fortaſsè de causâ Capitulum dictum quoad remouendos, & penitus tollendos Alguacelios non eſt executioni mandatum; & Maiores S. Tribunalis Alguacelli à Generali Dom. Inquiſitore eliguntur, quibus & congruum ſalarium aſſignatur. Licèt autem per Familiares poſſet, quod ad comprehenſionem hæreticorum, & aliorum delinquentium attinet, exerceri; ad hoc enim eorum eſt officium inſtitutum, vt ex Eymerico, Salcedo & Bernardo Diaz probat citatus ſcriptor *Tit.* 11. *n.* 12. Pro Inquiſitionis tamen S. Tribunalis decoro & maieſtate congruentiſſimum eſt, vt Miniſtros peculiares habeat, qui virgâ Regali ſimili, ei ſcilicet, quâ Regij Miniſtri vtuntur, & verò etiam Regali ipſâ, cùm in eâ Regis etiam auctoritas ſuam pariter poteſtatem tribuentis, eluceat, inſignes habeantur. Hac enim ratione etiā armatos ſeruos in comitatu habere poſſe diximus *n.* 43.

Circa Decimum-ſeptimum.

Circa qualificatores Religioſos ex Hiſpaniā tranſeuntes.

66 His clauſum verbis: *Que los dichos Inquiſidores no nombren por Caliſicadores del Santo Oficio à ningun Religioſo, que no aya paſado à aquellos Reynos con licencia nua y de ſu Prelado.* Neſcio an hoc penitus obſeruetur. Et in primis videri alicui poſſet ſenſum prædictorū verborum eſſe vt nulli alij Religioſi in Qualificatores aſſumantur, niſi qui ex Hiſpaniâ cum Regis & Prælatorū tranſierint facultate. Sed hoc ſuſtineri nequit, quia ex eo duo ſatis intolerāda ſequuntur. Primum, in Indiis natos Qualificatores eſſe non poſſe; cùm tamen ſint multi eo honore digniſſimi, ſiue puritatē ſanguinis, ſiue probitatem morum, ſiue doctrinæ ornamenta conquiramus. Secundum, eos, qui in Hiſpaniâ nati, Religioſum habitum in Indiis ſuſceperunt, non poſſe Qualificatores deſignari. Quod ſi ſtaret, in eorum numerum non fuiſſem adlectus, nec tali me fuiſſent humaniſſimi Domini honorificâ, & penitus vltroneâ aſſumptione dignati. Non ergo talis Capituli ſenſus, ſed genuinus ille & certus, nullum Religioſum ex Hiſpaniâ in regiones iſtas appulſum, Qualificatorē eligendum, qui ſine geminâ illâ licentiâ deuenerit; quia vtraque, aut alterutrâ deſtitutus, non bonam de ſe exhibet ſuſpicionē. Et eſt circa hoc valde notabile id, quod ex Ioannis XXII. Extrauagante proponit Cæſar Carena *Part.* 2. *Titul.* 17. *n.* 26. ſcilicet inter caſus vehementis ſuſpicionis hæreſis; non infimum locum tenere illum, cùm Regulares ſine licentiâ vltra mare proficiſcuntur. Sic ille in Indice abſolutè affirmat, verb. *Regulares:* ſed attendenda alia, de quibus *ibidem.*

Qualis de illis ſuſpicio qui ſine licentia id faciunt.

Recedentis ſine licentia, quæ pœna.

67 Deinde, licèt tranſiens ſine Superiorum licentiâ nullatenus ad honorem præfatum debeat admitti, quia neque ad alia, ſed potiùs ob receſſum talem puniri, vt diſponit Concilium Tridentinum *Seſſione* 25. *Cap.* 4. *de Regularibus*, dum ſic ait: *Nec liceat Regularibus à ſuis Conuentibus recedere, etiam prætextu ad Superiores ſuos accedendi, niſi ab eiſdem miſſi, aut vocati fuerint. Qui verò ſine prædicto mandato, in ſcriptis obtento, repertus fuerit, ab Ordinarijs locorum tamquam deſertor ſui Inſtituti puniatur.* Sic Concilium. Licèt etiam Pontificia prohibitio ſit, eaque ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœnâ, ne quis ſine Regis licentia in Indias tranſgrediatur: ſi tamen Religioſus in ſuo Conuentu diu vixit, & ſuæ Religionis muneribus eſt perfunctus, non eſt de prædictâ licentia ſcrupuloſiùs inquirendum, quia præſumi meritò poteſt. Sicut enim in aliis ex huiuſmodi actionibus præſumptio firmatur, vt ex geſtatione habitus Profeſſorū, & exercitio eorum, quæ talibus propria eſſe ſolent animus profitendi, ſicut & admittendi illum, & diligentiæ adhibitæ ad ea, quæ pro valore Profeſſionis neceſſaria ſunt, iuxta communem ſcribentium doctrinam, & ſic in aliis; ita & in præſenti licentia præſumi poteſt. Et quod ad licentiam Regis attinet, prohibitionem Pontificiam non eſſe vſu receptam iam vidimus cum bonæ fidei ſcriptoribus *Titulo* 12. *num.* 131. Cùm autem Capitulum de ſolis Qualificatoribus loquatur, circa Miniſtros alios prohibitio non procedit, ſi accuratum pro eorum ſufficientiâ examen accedat. Sic Commiſſarios Religioſos vidimus non Hiſpanos, qui magnâ cum ſatisfactione Tribunalis ſancti proceſſerunt. Vnde & Miniſtri alij aſſumi poterunt, qui ad miniſterium non ita honorificum, & confidentiæ tantæ deliguntur.

Conc. Trid.

Vnde illa præſumi poſſit.

De Miniſtris alijs nō procedere Capitulū.

Circa Decimum-octauum.

Qualificatores Religioſos poſſe à Prælatis mutari.

68 Qvod etiam circa Qualificatores procedit, & ſic habet: *Que ſiendo Caliſicador de la Inquiſicion algun Religioſo, ſi à ſu Prelado ſe pareciere mudarte à otra parte por algunas conſideraciones, los Inquiſidores no ſelo impidan.* Sunt & pro hoc priuilegia aliqua id generaliter continentia, vt ſcilicet mutatio Religioſorum prohiberi à nullo queat, quicumque ille fuerit, cùm illa ad Religionis bonum viſa fuerit expedire. Et Societas noſtra illud ſpeciale, de quo *in Compendio communi.* verb. *Exemptio.* §. 3. in quo de Inquiſitoribus fit mentio ſpecialis, quatenus nequeunt *ad quoduis munus, officium, vel exercitium, etiam in defectum aliorum, abſque expreſſo ſui ſuperioris conſenſu, ac etiam mandato, adigi, vel cogi.* Quod quidem aliæ multæ participant Religiones. Sed Societas illi renuntiauit quod à Gregorio XIII. fuerat non multò antè conceſſum, in Congregatione Generali quintâ, vt conſtat ex illius *Decreto* 21. quia ita ſibi gratum fore, ab affectum ſingularem in S. Inquiſitionis Tribunal, eidem Congregationi ſignificauerat glorioſiſſimæ memoriæ Rex noſter Philippus II. Poſſunt ergo in Hiſpaniâ DD. Inquiſitores quoduis officium, munus, aut exercitium Religioſis Societatis committere, quod eorum congruat Profeſſioni. Poſſunt & alijs: quia licet communis ſententia ſit amiſſo priuilegij vſu ab eo, cui fuit conceſſum, non amitti reſpectu eius, qui communicationis prærogatiuâ perfruitur, vt videri poteſt apud Emmanuelem Rodericum *Tomo* 1. *qq. regul. quæſt.* 55. *artic.* 19. quem plures alij ſequuntur. In noſtro tamen caſu aliter res habet, quia non eſt credibile contra voluntatem Regis Catholici velle Summum Pontificem priuilegium per communicationem haberi à Religioſis omnibus, cui Societas renuntiauit. Et Regis quidem talem voluntatem fuiſſe, indu-

Speciale priuilegiū Societatis, cui & ab ipſa renuntiatum.

Quid inde Inquiſitores poſſint.

Religionibus alijs obſtat pro vſu dicta renuntiatio.

in Relectionibus Canonicis Cap. 4. 5. *De adulteriis n.* 97. *de Iudiciis.* Et alij. Licet autem Concilium Tridentinum *Seſsione* 24. *Cap.* 12. *de Reformat.* Præbendam à Portione videatur diſtinguere, ibi: *Prætereà obtinentibus in eiſdem Cathedralibus aut Collegiatis Dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut Portiones &c.* id non vrget: Nam eâ ratione neque Dignitates, neque Canonicatus eſſent Præbendæ, quod conſtat dici non poſſe: Præbendæ ergo ibi miniſteriũ aliquod indicat Portione ſuperius, ſecundùm diuerſas Eccleſiarum conſuetudines. Ex his autem, quæ ſtatim addit, clarè poſitio noſtra colligitur, dum ſic ait: *Alioquin primo anno priuetur vnuſquiſque dimidiâ parte fructuum, quos ratione etiam Præbendæ ac reſidentiæ fecit ſuos &c.* Vbi de iis agit, quos antecedenter expreſſerat verbis allatis. Non ergo videtur de hoc poſſe dubitari. Et ita alij tali nomine non comprehenſi, Inquiſitorum cenſuræ penitus ſubiacebunt. Et quod ad limitatam illam Præbendariorum ſubiectionem attinet reſpectu Epiſcoporum, tantùm euincunt, quæ congerit Dom. Villaroël *Parte* 1. *Pacificæ gubernat. Quæſt.* 5. *Art.* 5. Et ita in fine Capitulum prædictum adducit, vtpote quod cum adductis à ſe videatur concordare.

Portionem eſſe Præbendam.

Conc. Trid.

D. Villaroël.

74 Circa delinquentes autem in officiis ac miniſteriis Parochialibus obſeruandum eſt, non ſolos Parochos, ſed quotquot in officiis ac miniſteriis Parochialibus delinquunt, puniri ab Ordinariis poſſe, vt ex tenore Capituli conſtat, vnde Parochorum Vicarij ſeu Coadiutores ab Epiſcopo dati, aut ab eiſdem electi, ſimiliter puniri ab illis poſſunt propter eamdem rationem, niſi ſint Religioſi. Licet enim Curati iuridictioni Epiſcoporum quoad concernentia officium Parochiale ſubiaceant, iuxta dicta *Titulo* 17. *Cap.* 7. pro quo etiam Diana *Parte* 11 *Tract.* 2. *Reſolut.* 15. quam plures Doctores congerit, & videri etiam poteſt P. Pellizarius *Tract.* 8. *Cap.* 6. *numer.* 52. ij autem qui apud illos in miniſterio Parochiali aſſiſtunt, puniri nequeunt, quia de illis Bullæ Pontificiæ, & Regia reſcripta non loquuntur: & cùm odioſa diſpoſitio ſit, & exemptioni contraria, non debet vltra terminos expreſſos ampliari. Niſi fortè Vicarij ſint auctoritate Prælatorum in eorum abſentiâ conſtituti, ij enim Parochi temporales ſunt, & eorum ac aliorum ratio eſt eadem.

In Parochialibus Officiys delinquentes qui intelligendi.

Quid ſi Religioſi.

75 Et quidem de Parochis loquendo poſſet aliquis contendere viſitationi Epiſcoporum nullatenus ſubiacere, ex iis, quæ adducit P. Brunus Chaſſaing. Minorita de *Priuilegiis Regularium Parte* 1. *Tract.* 1. *Cap.* 3. *Propoſ.* 3. Vbi probat ex multis priuilegiis Regularem Parochum vel Vicarium in Eccleſiis exemptis ſeruientem, non poſſe ab Epiſcopo viſitari. Sed præterquam quòd ſententia illa parum veroſimilis eſt, contra quam communis Doctorum ſenſus militat; in propoſito nihil iuuat, quia de Eccleſiis exemptis procedit, quales Indicæ non ſunt. Et prætereà ſub eo pacto à Rege noſtro, tamquàm Patrono, & Epiſcopis, traduntur, vt horum viſitationi debeant eorum Rectores ſubiacere: in quo quidem ſuo renuntiare priuilegio poſſunt, quando id Apoſtolicâ diſpenſatione præſtatur.

Sententiâ Bauni pro Parochis Indicis nihil iuuare.

Circa Vigeſimum.

76 QVe eſtando amancebados (ſic illud ait) *algunos Familiares de la Inquiſicion, y procediendo mis Iuſticias, ò las Eccleſiaſticas por el dicho amancebamiento contra ellos, los Inquiſidores no les amparen, ni defiendan, auiendo las dichas Iuſticias preuenido la cauſa.* Regulare eſt hoc iuxta Iuris diſpoſitionem in delictis, quæ ſunt mixti fori, cuius ratio præcipua eſt, ne quis coram duobus iudicibus in eadem cauſſâ vexetur; vt benè obſeruat Boſſius in *Tract. Crimin. Titulo de foro compet. num.* 108. Circa quod multæ agitari ſolent quæſtiones, pro quibus videri poteſt P. Fragoſus *Tomo* 1. *pag.* 507. *num.* 32. *& ſeqq.* In caſu autem noſtro id diſponi debuit, quia non conſtabat delictum eſſe mixti fori. Cùm enim Familiares de foro Inquiſitionis ſint; factâ nondum declaratione; cauſſa ad Tribunal, quacumque non obſtante præuentione, traheretur. Licèt autem tunc coram duobus iudicibus vexaretur delinquens, id non obſtaret, quia vexatio iudicis incompetentis fuiſſet iniuſta, & ita contra eum agere ſic vexatus poſſet actione iniuriarum, & ad damna compenſanda officium Superioris iudicis implorare; ſicut in alio quocumque tribunali contingeret, ſi iudex incompetens cauſſam vſurparet. Cur autem in delicto concubinatus potiùs quàm in alio ita diſpoſitum ſit, ratio eſſe poteſt huius frequentia delicti, cui oporteat remedium opportunum adhiberi: ſi enim luxuria laxis ſinatur habenis decurrere, non ſunt matrimonia ſecura, vnde grauiſſima damna in diuitiis, honore, vitâ, & animâ ſubſequuntur. Quæ quidem vtinam, vt veriſſima ſunt, ita & iudicum animos, ad quos pertinent iſta, pulſarent! Sed neſcio an ita accidat: dum enim pellicatus annexi & publici in oculos multorum, & in quamplurium notitiam incurrunt, eorum deſidiam videntur arguere, qui, cùm vigilare deberent, vt in matutino interficerent peccatores terræ, etiam ſub ipſâ meridianâ luce videntur dormitare.

In Familiarium concubinatu tractatur locus præuentionis.

Cur ille ſpecialiter expreſſus.

77 Cùm autem Capitulum præſens de ſolis Familiaribus procedat, ad alios S. Inquiſitionis Miniſtros non debet extendi; quia odium continet, & odioſæ diſpoſitiones ſtrictè accipiendæ ſunt, etiamſi in aliis, qui non exprimuntur, ſimilis ratio ſit, vt *ſuperius* dictum *num.* 70. *&* 71. & alibi ſæpius. Et videri pro eo poſſunt Emmanuel Rodericus *Tomo* 1. *qq. regul. quæſt.* 11. *art.* 9. P. Suarez *de legibus Lib.* 8. *Cap.* 28. *num.* 11. & P. Salas etiam *de legibus Quæſt.* 96. *Tract.* 14. *Diſputat.* 17. *Sect.* 8. *num.* 43. qui plures alios adducit. Negari tamen nequit contrarium in caſu noſtro eſſe probabile, quia non tam ſimilitudo, quàm rationis identitas inuenitur, vt conſideranti conſtabit: vbi autem rationis identitas eſt, illam debere verbis præualere multi Doctores tradunt, etiam cùm diſpoſitio odioſa eſt; vt videri poteſt apud Ioannem Gutierrez in *Practicis Quæſt. ciuil. Lib.* 3. *Cap.* 17. *&* 118. *numer.* 113. Tiraquellum *in l. Si vnquam verb. Libert. à numer.* 45. *vſque ad* 56. Ioannem Garciam *de Hiſpanorum nobilitate, in diuiſione num.* 46. 61. *&* 62. Menochium *Tomo* 1. *Conſiliorum, Conſ.* 11. *num.* 16. & moderniores alios.

Non extendendum ad alios præter Familiares.

Contrariū probabile, ob rationis identitatē.

78 Vnde Domini Inquiſitores diſſimulare

Praxis pro DD. Inquiſitoribus.

aliquando poterunt, cùm ſciant iudices non temerè ſe in huiuſmodi cauſſarum cognitionem ingerere; præſertim ſi Eccleſiaſtici ſint, quibus multò eſt ampliùs deferendum: neque penitus illæ à foro Inquiſitionis extrahuntur; quandoquidem Epiſcopi Ordinarij Inquiſitores ſunt, vt eſt notiſſimum. Videndus Farinacius *de hæreſibus, Quæſt.* 166. Mag. Souſa in *Aphoriſmis Inquiſitorum Lib.* 1. *Cap.* 3. P. Molina *Tomo* 6. *Tract.* 5. *Diſputat.* 28. *num.* 18. Carena *Parte* 1. *Titulo* 4. §. 1. & Dom. Barboſa *de Poteſt. Epiſc. Allegat.* 40. *numer.* 39. Quòd etiam Capitulo, Sede vacante, & illius Vicario competere, communis ſententia eſt, pro qua P. Molina *ſuprà numer.* 11. P. Palaus *Tomo* 1. *Tract.* 4. *Diſput.* 8. *Puncto* 12. §. 1. *num.* 5. Diana *Parte* 4. *Tract.* 8. *Reſolut.* 33. Souſa *ſuprà* §. 20. Carena *Titulo* 8. §. 3. & alij.

Epiſcopos eſſe Ordinarios Inquiſitores.

De Capitulo & eius Vicario.

Circa Vigeſimumprimum.

Circa gradus in Academiis non poſſe mandata expedire.

79 **V**Erba illius ſunt: *Que los Inquiſidores no den mandamiento contrahas Vniuerſidades, en que manden que ſe gradue algun Dotor por Clauſtro contra los Eſtatutos, y Conſtituciones dellas, ni ſe entremetan en coſas ſemejantes, ni en negocios de gobierno, que no tocan à ſu miniſterio.* Omnia hæc ſanctè & prudenter conſtituta. Et quod ad mandatum conferendi Gradum per Clauſtrum, per ſuffragia inquam Doctorum, non præcedentibus examinibus requiſitis, non audiui vnquam tale per præfatos Dominos attentatum. Quia verò diſpoſitio præſens non ſine fundamento aliquo emanauit, meritò timeri poteſt, ne quod aliquando contigit, aliquando etiam repetatur. Erit autem peccatum illud non ſolùm commune duorũ, ſed plurimorum, tum mandantium, tum mandato deferentium, cùm conſtet illud eſſe iniquum; ſi præſertim ſufficientia in laureando deſit, vt videtur defutura: ſufficientes enim examinum periculum minimè reformidant.

Quod in eo peccatum.

Quid cùm ſufficientia eſt notoria.

80 Si autem ſufficientia eſſet notoria, dubitari poteſt an grauiter peccarent Gradum huiuſmodi decernentes & conferentes. Et videtur negatiuè reſpondendum iuxta Doctores quos adducit P. Thomas Sancius *Lib.* 2. *Conſil. moral. Cap.* 1. *Dub.* 57. & etiam ſequitur dicentes peccatum mortale eſſe gradum Doctoratus conferre notabiliter inſufficienti, ſicut & illum recipere: & idem aſſerit de gradu Licentiati, quia eum adeptus ſine nouo examine poteſt ad gradum aſcendere Doctoratus. Quando autem inſufficientia notabilis non eſt, ſeu, quod in idem redit, eſt mediocris ſufficientia, id non aſſerunt, etiamſi ſciant ſtatuta Vniuerſitatum id expreſsè prohibere. In quorum quidem tranſgreſſione aliquale peccatum erit; quod tamen & tunc vitari poterit, quando ratio aliqua conuenientiæ occurrerit. Talis autem videtur, cùm Inquiſitor circa hoc auctoritatem ſuam interponit: in quo graue erit peccatum, ſi mandato id extorquere velit, vt in Capitulo præſenti dicitur, quia illi Euangelicum illud dici iure poterit: *In qua poteſtate hæc facis?* Inquiſitores enim tali ſunt facultate penitus deſtituti, quia neque à iure, neque à conſuetudine, aut priuilegio aliquo, fundamentum illius vel leuiſſimum apparet; neque ad ipſorum officium eſt vllatenus neceſſaria.

Quid cùm mediocris.

Quid de Gradibus aliis præter Doctoratum.

81 Quia verò Capitulum præſens Doctoratûs tantum meminit, videtur circa Gradus alios ſecus eſſe dicendum. Sed non eſt reuera fundamentum pro eiuſmodi aſſertione: quia quod ad gradum Licentiati attinet, eiuſdem rationis eſt cum Doctoratu, vt iam vidimus: & vt non ſit, de illo atque aliis adducta procedit ratio; quòd ſcilicet Inquiſitores non habent iuriſdictionem aliquam circa iſta, vnde mandatum dare nequeunt. Et ita non videtur excuſationi locus, etiam cum Gradus inferiores ſunt, & in quorum collatione non eſt peccatum mortale, etiamſi requiſita ſufficientia deſit; quia eſt vſurpatio iuriſdictionis, & violentia circa eos, ad quos ſpectat libera diſpoſitio. Capitulum autem præſens Doctoratûs meminit, quia in eo eſſe ſpecialis difficultas ſolet, tali mandato vincenda; vel quia de eo ſpecialiter querela ad Regem delata, quia ſic factum fuerat, & in eo ſe magis grauatas Vniuerſitates querebantur.

Vnde talis obligatio proueniat.

81 Neque Rex, & Supremum S. Inquiſitionis Conſilium, ſpecialem circa hoc legem ſtatuunt; ſed extantem declarant; nec ſpecialem etiam illam ex Iure Canonico aut Ciuili, ſed naturali, in vtroque ſæpiùs inculcato, quòd ſcilicet nullus non ſubditis imperare poteſt, neque contra Iura & leges quidquam eorum diſponere, quę ad ipſum non ſpectant; & generaliter id veriſſimum, quod habet *Regula* 19. *Iuris in* 6. *Non eſt ſine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, ſe immiſcet.* Pro iudice autem eſt *Regula* 26. ibidem, in qua dicitur: *Ea, quæ fiunt à iudice, ſi ad eius non ſpectant officium, viribus non ſubſiſtunt.* Et peccatum graue in hoc inuenire communiter Doctores affirmant: pro quo videri poteſt Eligius Baſſæus Verb. *Iudex num.* 3. vbi alios adducit:

Reg. 19. Iur. in 6.

Et 26. ibidem.

Excurſio breuis Circa Indicas Vniuerſitates.

82 **S**Vnt in illis aliquæ; & quidem Europæis plurimis ob præſtantiam ingeniorum, & doctrinæ ſupellectilem, exæquandæ; pro quibus occaſione præcedentis Capituli nonnihil hoc loco inſeruiſſe commodum iudicaui. Et pro quibus etiam videnda, quæ diximus *Titulo* 4. *Cap.* 14. circa Regios Auditores, & alia eorum occaſione. Ergo vt breuitati conſulam,

Illarum laus.

Dico primò. Præſentatis à Rege noſtro ad Epiſcopatus, nequeunt in Vniuerſitatibus Indicis ij conferri Gradus, qui pro eâ requiruntur dignitate, ſi de eorum ſufficientiâ non ſit ſaltem probabilis certitudo. Hoc quidem generale eſt pro Vniuerſitatibus cunctis, ſed neſcio an alibi tale quid accidere poſſit, cùm de electis notitia plenior ob diſtantiam non ita ingentem habeatur: licet monſtra huius generis vbique ſoleant inueniri: vnde in *Cap. Quamuis, de ætate & qualit. in ord. præficiend.* mentio Epiſcopi inducitur, qui nihil de Grammatica didiciſſet. Verùm notitia maior communiter habetur, quæ tamen pro exiſtentibus in Indiis deeſt, vnde poſt Præſentationem ad Vniuerſitates confugitur, vt Gradus neceſſarius habeatur. Vbi quidem inprimis non vacat ſcrupulo quod ad Præſentationem attinet, an ſcilicet valida ſit reſpectu eius, qui Gradu

Aſſertio 1. Præſentatis ad Epiſcopatum non poſſe Gradus conferri ſine requiſitis, ſi de eorum ſufficientia non conſtet.

Cap. Quamuis, de ætate &c.

Præſentati ſine Gradu an valida Præſentatio.

Digitized by Google

du neceſſario caret. Non enim voluntatis Regiæ eſſe videtur, vt non habens neceſſaria requiſita, in quibus ille diſpenſare nequit, Præſentationis beneficium conſequatur: talia enim ſupponuntur; &, ſi non ſubſiſtant, eorum ignoratio facit inuoluntarium: ſicut ſcientiæ ſufficientia ſupponitur, ſine quâ, qui acceptat, mortaliter peccat, vt benè obſeruat Dom. Villaroël *Parte 1. Quæſt. 7. Artic. 7.* Pro quo eſt Cap. *Eam te*, eod. tit. Ibi: *Nec aliqua occaſione, vel etiam Litterarum noſtrarum obtentu, inſtitui patiaris, quæ ſcientiâ, moribus, & ætate, Concilij* (Lateranenſis) *non congruant inſtitutis.* Sic Alexander Tertius; vbi Gloſſa verb. *Litterarum* concludit non eſſe mandatum Pontificis, quando ignoranter mandat. Reſcriptum etiam Regium contra Ius, & publicam vtilitatem non valet. *l. Reſcripta C. de prec. Imper. Offer.* Vbi Doctores. Et pro Pontificio etiam eſt Cap. *Ex parte 1.* de reſcriptis ſatis celebre in hac materia, ob illam eiuſdem Pontificis regulam: *& in huiuſmodi Litteris intelligenda eſt hæc conditio, etiamſi non apponatur, ſi preces veritate nitantur.* Sic ibi. Deinde, quod ad caſum ſpectat, in quo ſumus, videtur certiſſimum id fieri non poſſe: cùm enim generaliter fieri nequeat, ob rationes, quas P. Thomas Sancius adducit *Tomo 1. Conſil. Libr. 2. Cap. 1. Dub. 57.* in Epiſcopis præſertim vrget, quia eorum approbatio, ſi inſufficientes eſſe contingat, in maius Eccleſiæ vergit præiudicium, vt eſt planum.

Cap. Eam te. eod. tit.

Gloſſa notanda.

Cap. Ex parte 1. de reſcriptis.

83 Dico ſecundò. Si de ſufficientiâ Præſentati probabilis notitia ſit, non orta nuper ex dictis aliquorum, ſed per experientiam habita, aut ex præcedenti fama, non eſt improbabile poſſe talem per Clauſtrum ad Doctoratum ſuſcipiendum approbari. Probatur ex dictis *n. 79.* Et quia iſte non abuſus poteſtatis, ſed diſpenſatio quædam eſt, pro quâ ratio non leuis occurrit: ſi enim Præſentatus ad Gradum non admittatur, conſecrari non poterit, ex quo fiet vacationem longiſſimam futuram: quod quàm ſit exitioſum, ſæpiùs eſt à nobis dictum, & ex ſe res ipſa eſt oculos habentibus manifeſta. Vt verò Gradus conferri nequeat, communis ſententia vrget in ordine ad prædictum effectum: iuxta quam Gradus acceptus non factâ profeſſione fidei ſecundùm Conſtitutionem Pij Quarti, aut contra Academiæ ſtatuta vel conſuetudines, vt quia quis falsò probauit curſus neceſſarios, vel deſcriptionem in matricula, aut non fuit in examine forma præſcripta ſeruata, ſeu aliàs: non ſufficit ad teſtimonium ſufficientiæ, quod in Epiſcopis ſacri Canones requirunt, & præſertim Concilium Tridentinum *Seſſione 22. Cap. 2. de Reformat.* Sic Nicolaus Garcia *Parte 7. Cap. 7. in Additionibus numer. 51.* Dom. Barboſa *de Poteſt. Epiſc. ex eodem Allegat. 55. num. 6.* & alij. Nihilominùs probabilitas contrariæ ſententiæ negari nequit: eam enim tenet P. Henriquez *Lib. 10. Cap. 33. n. 2.* vbi ait *quod ſi eum Gradum habeat tantùm in Iure Ciuili (cui qui incumbunt, ſolent etiam ſtudere ſacris Canonibus, & de vtroque Iure examinantur) aut ſi nullum Gradum ſcientiæ habeat; ſatis eſſet vt ab aliqua probata Academia impetret teſtimonium approbatorium ſuæ ſcientiæ, (vt diſponit idem Concilium) quod facilè concedi ſolet, quando eius ſcientia multis ſapientibus nota eſt.* Sic ille: qui cùm pro ſe adducat Vniuerſitatum vſum, in quibus tot viri ſapientes concurrunt, ad ſententiæ huius probabilitatem adſtruendam momenti non parum accedit.

Aſſertio 2. Illum conferri poſſe cum probabili ſufficientiæ notitia, probabile eſſe.

Contraria fundamenta.

Priori vt faueat P. Henriquez, & alij.

84 Quòd verò notitia ſcientiæ mediocris ſatis ſit, ex eo conſtat, quia adhibito etiam examine, qui mediocris deprehenditur, debet approbari, iuxta Conſtitutiones Vniuerſitatum vſu roboratas. Vnde P. Gerunda, quem adducit Diana *Parte 12. Tract. 1. Reſolut. 71* de Epiſcoporum neceſſariâ doctrinæ ſufficientiâ loquens, poſt enumerata alia in particulari, ſic concludit: *Ac ſi quæ ſunt alia prudentis iudicio ad Epiſcopale munus pro mediocritate ſcitu digna* &c. Pro quo & videnda illa, quæ ex Petro Marchantio *ibidem* exſcribit. Id quod iam pridem ſtabilitum *l. 22. Tit. 5. Part. 1.* vbi poſt alia illud: *Letrado Comunalmente.* Neque contra hoc vrget, quod ex Conſtitutione Gregorij Decimiquarti, quæ incipit, *Onus Apoſtolicæ*, habet Quaranta Verb. *Electio.* Atque ex eodem P. Fragoſus *Tomo 2. pag. 603. numer. 10.* ſcilicet non ſufficere priuilegium Doctoris, ſeu Licentiati, ſed debere fieri de doctrinâ promouendi diligentem inquiſitionem, niſi aliunde conſtet ex aliqua publica functione. Non inquam vrget, quia cum diligenti illâ inquiſitione ſtat doctrinam eſſe mediocrem: diligentia enim inquiſitionis ad explorandam ſufficientiam neceſſariam adhibetur. Immò ex prædictâ Conſtitutione videtur deduci Gradum ſolum attendendum non eſſe: id enim tantùm ſignificatur, cùm dicitur non ſufficere priuilegium Doctoris aut Licentiati, id eſt, priuilegium, quod per Gradus illos confertur, aſcendendi inquam Cathedras, & Principes facultatum interpretari, fruendique gratiis aliis, quæ à Pontifice, & Chriſtianis Principibus conceduntur. Cùm ergo Gradui non ita fidendum ſit, pro quo & facit Epiſcopos Romæ coràm Pontifice à viris doctiſſimis examinari, vt videri poteſt apud Dianam *Parte 11. Tract. 8. Reſolut. 26.* Barboſam in Collectaneis circa Cap. *Cùm in cunctis num. 20.* vbi Clem. VIII. Decretum adducit, & eſt generale Cardin. Lugo *in Reſponſis moral. libr. 5. Dub. 15. num. 6.* & Thomam Hurtadum *Tract. 12. Reſolutione 32.* etiamſi aliàs Gradum requiſitum habeant: inde fit in conferendâ approbatione per Clauſtrum minus ſcrupuli ſupereſſe; mediocritas enim probatur: ſi autem plus aliquid velint ij, ad quos prouiſio ſpectat, ipſi viderint, quia ab Vniuerſitate tale iudicium minimè poſtulatur.

Scientiam mediocrem nuntiam ſufficere.

P. Gerunda.

Non obſtare Conſtitutionem Gregorij XIV.

Non eſſe ſolum attendendum Gradum.

85 Vnde quod ait P. Henriquez, ſufficere ſcilicet quòd *ab aliqua probata Academia impetret teſtimonium approbatorium*, non de approbatione ad Epiſcopatum eſt accipiendum, ſed de approbatorio mediocris ſufficientiæ; quod tantùm ab illâ petitur. Qui enim ſic de approbatione ſolicitum promouendum volunt, & præſentant, Vniuerſitatem circa ſufficientiam non conſiſtunt, minimè præſentaturi eum, ſi ſcirent Gradu neceſſario carere, pro quo ſaltem eſt vehemens coniectura *vt numer.* 82. dicebamus. Ipſe autem Præſentatus Gradum petit, & publicum ſufficientiæ teſtimonium, quæ ad illum requiritur, & nihil ampliùs, vt Concilij Tridentini Decreto fiat ſatis: in quo ſic videtur expreſſum, cùm dicitur: *Ideoque anteà in Vniuerſitate ſtudiorum, Magiſter,*

Vniuerſitatum teſtimonium quale futurum.

Concilium Trident.

ſiue Doctor, aut Licentiatus in ſacra Theologia, vel Iure Canonico, meritò ſit promotus; aut publico Academiæ teſtimonio idoneus ad alios docendos oſtendatur. Sic Concilium, tantummodò exigens teſtimonium ſufficientiæ publicum ad alios docendos, non verò ad id, de quo agitur, ſcilicet ad Epiſcopatum.

En quo probatio. 86 Vt verò id, quod diximus *numer.* 82. de non conferendo Gradu ei, de cuius ſufficientia non conſtat, ampliùs roboretur, animaduertendum id, quod Concilium ad hoc declarandum addidit, dum dixit: *Meritò ſit promotus.* Non ergo promotio ad Gradum ſufficit, niſi quæ *meritò* fit: id eſt cum notitiâ ſufficienti meritorum. Quàm autem hoc obligatorium ſit, ſatis ex iis apparet, *Et obligationis grauitas.* quæ à Concilio ſubiiciuntur, dum ſic concludit: *Prædicti autem omnes, vnde inſtructio ſeu teſtificatio erit ſumenda, hæc fideliter & gratis referre teneantur: alioquin eorum conſcientias grauiter oneratas eſſe ſciant; at Deum, & Superiores ſuos habebunt vltores.* Sic illud. Licet autem cùm Præſentatus Gra- *Qualem approbationem Præſentatus petat.* dum petit, approbationem ad Epiſcopatum non petat, vt diximus, id de approbatione totali eſt accipiendum, non verò de approbatione, quam Gradus per ſe importat; de illâ enim agitur in ordine ad effectum, pro quo petitur ſine ſolemnitatibus ſolitis adhiberi: quæ etſi non ſufficiat, iuuat tamen: & ſic ſub reatu peccati mortalis fidelitas in eo debet obſeruari.

Aſſertio 3. De approbatione Vniuerſitatum, in quibus Iuris Profeſſores non ſunt. 87 Dico tertiò. Si à promouendis ad Epiſcopatum approbatio petatur Indicarum Vniuerſitatum, in quibus Ius Canonicum non legitur, quod illi ſunt profeſſi, nequit ab eiſdem conferri. Sunt namque in Indiis Vniuerſitates aliquæ ſub curâ Societatis, & in eius ſtudiis, in quibus Philoſophia & Theologia prælegitur, & à Pontifice ac Rege facultas conceſſa eſt, vt qui eaſdem per deſignatos curſus audierint, ad omnes, qui in Vniuerſitatibus aliis, conferri Gradus ſolent, poſſint, Epiſcopis illos conferentibus, promoueri. Et tales poſſe Vniuerſitates dici auctoritate Supremi Indiarum Senatûs habetur, dum per vltimam ſententiam in iudicio contradictorio decreuit vt in Ciuitate Platenſi, ſeu Cinquiſacenſi, *Tit. 18. n. 50.* Vniuerſitas permaneret, de quo dixi aliàs. Non defuerunt autem qui ad Epiſcopatus præſentati, cùm Gradu maiori in Iure, quod profeſſi fuerant, carerent, inde ſupplementum defectûs quæritarent. Quod tamen illis negatum eſt, quia non approbationem, ſed Gradum exigebant, quem conferri non poſſe, certius eſt quàm vt egeat probatione. Quòd ſi approbationem peterent, eadem ratio eſſe videtur: quia cùm in Vniuerſitatibus dictis non habeatur Canonici Iuris exacta notitia, nequit de ſufficientiâ in ipſa teſtimonium fidele perhiberi.

Probabile eſſe poſſe approbationem ab illis conferri. 88 Licet autem hoc certius ſit, non videtur tamen oppoſitum probabilitate omnimodâ deſtitutum: quia de peritiâ in Iure Canonico iudicare Theologi ſufficienter poſſunt. Vnde & in Vniuerſitatibus Doctores Theologi in oppoſitione ad Cathedras Iuris vtriuſque ſuffragari poſſunt, & è contra: ſicut & Canonici in concurſu ad Canonicatus. Quod in caſu noſtro veroſimilius apparet, vbi de præiudicio tertij periculum nullum, & de mediocritate promouendi agitur, cuius notitia non eſt difficilis; ea enim ſe prodit experimentis & famâ: quis enim mediocritate ſaltem non præditus eam aſſequatur? Quòd autem ex hoc argui ad Gradûs collationem nequeat, ex eo conſtat, quia pro eo non eſt à Pontifice & Rege facultas attributa; cùm tamen pro approbatione negata non inueniatur.

Aſſertio 4. Mortale eſſe Gradū quemcumque indignis conferri. Vbi circa hoc diuerſæ opiniones. 89 Dico quartò. Peccatum lethale eſt Gradum quemlibet in quacumque facultate penitus indignis conferri. De Gradu Bacchalaureatûs in Theologia & Iure negat Palacius, & alij, quos ſequitur P. Thomas Sancius *Lib. 2. Conſiliorum Cap. 1. Dub. 57. num. 5.* quia parum damni infertur: Gradus enim iſte parui penditur, nec ratione illius alicui fiditur. De Gradu in Artibus, quicumque ille ſit, idem tenet citatus Pater *n. 6.* qui ſic tenere doctos Recentiores affirmat, & videri etiam ſic tenere Caietanum, ſiquidem de Doctoratu in Iure dubitat. Sed Nauarrus & Alcacer apud eumdem nobiſcum ſentiunt, & videtur pro eo ratio euidens militare: nam Gradûs cuiuſlibet collatio eſt teſtimonium falſum publicâ auctoritate firmatum in re non leuis momenti: ergo in eius falſitate pluſquàm leuiter peccatur. Aſſumptum eſt clarum, & Conſequentia probatur: quia teſtimonium falſum publicâ auctoritate firmatum, eſt contra fidem publicam: hac enim ratione Tabelliones grauiter peccant, dum auctorizent mendacia, vnde & redduntur indigni, quibus in aliis fides adhibeatur. Quomodo ergo graue peccatum non ſit Vniuerſitatem falſum teſtimonium in publicâ formâ proferre, & ſcripto etiam ad perpetuam rei memoriam confirmare?

Probatio ex rei grauitate. 90 Quòd verò res leuis non ſit, ex eo probo, quia laureatis in quocumque Gradu ius ſuffragij, & non vnius, ſed multiplicis, in ordine ad Cathedras tribuitur: vnde vnus ex iſtis ſufficit, vt aliquis Cathedram poſſit comparare. Item, in oppoſitione ad beneficia Gradus iſti in conſideratione ſunt, & ratione eorum ſolent alij aliis anteferri. Et ita Rota in vna Calagumitana *An.* 1652. *die* 15. *Ianuarij* apud Dianam *Parte* 11. ſic *Deciſio Rotæ.* ait: *Hic dignior, & præferendus viſus eſt, tum ob gradum Bacchalaureatus, quo caret Stephanus, quemque Rota in his terminis ſemper magni fecit, &c.* Videantur etiam alia pro eodem *die* 13. *Maij. Anni eiuſdem.* Fiunt etiam aliquando Vicarij generales Epiſcoporum.

De Magiſterij gradu in Philoſophia, & rationes alia. 91 Quod verò ad gradum Magiſterij in Philoſophia attinet, quis non videat rem ſcandalo eſſe pleniſſimam videre per vias publicas Magiſtrum talem cum Magiſterij inſignibus, & illuſtri Doctorum ac Magiſtrorum comitatu equeſtri, ſuis etiam inſignibus præfulgentium; qui tamen indignus tali honore communiter habeatur? Sciunt enim multi, & dum ſic laureati inſcitiam rident, feſtum cum aliis agunt diem, & ſic illius inſcitia fit apud vulgus nota, ſicut & teſtimonij falſitas, quod Vniuerſitas tubis & tympanis clangentibus perhibens, id facit, vt & contemptus ſequatur, & exempli mali ad fidem publicam adulterandam certiſſimum documentum. Quid quòd Gradus pro inſigni ſufficientia merentes, dum eo inſigniuntur honore, in eâ non ſunt æſtimatione, quæ illis debita eſt, eò quòd ſimilis honor ineptis exhibitus in cauſſa eſt, vt cùm confertur dignis, infirmus adueniat, debilitatus ſcilicet

ſcilicet immerentium communione: quandoquidem qui ſpectant, aut audiunt, ex eo nihil plus, quàm pro alio præfatis attributo, habent cur debeant æſtimare. Si equeſtrium Ordinum inſignia vilibus tribuantur hominibus, quid nobilibus inde honoris accreſcat? Si titulus Dominationis priuatis nobilibus ſit communis, quis propter illum magni faciat Titulatos?

Aſſert. 5. In Actibus qui lucrari nequeant.

92 Dico quintò. Cùm habentur Actus lucratiui, in quibus ſcilicet diſtribuuntur aſſiſtentibus pecuniæ, ſi quis ad finem eorum veniat, vt ſcilicet diſtributionem accipiat, nequit eam tutâ conſcientiâ recipere. Patet, quia eſt aſſiſtentiæ præmium; non dicitur autem aſſiſtere qui ad finem actionis venit, pro quâ auctorizandâ fit diſtributio. Id quod ex communi Doctorum ſententiâ roboratur circa diſtributiones quotidianas, quæ aſſiſtentibus in Choro dari ſolent, ad quarum licitam acceptionem neceſſarium eſt vt aſſiſtentia ſit talis, quæ dici abſolutè aſſiſtentia poſſit, reſpectu ſcilicet maioris partis Horæ Canonicæ, iuxta dicta *Titulo* 18. *num.* 29. & quidem eo aſſiſtendi modo finis diſtributionum talium fraudatur: ſic enim ſtatutum à legiſlatoribus, vt Litterarij actus concurſo Doctorum ac Magiſtrorum ſplendidi & honorabiles redderentur: ſicque & Magiſtri & diſcipuli ad ſtudia euaderent promptiores. Quis autem non videat ſuo illo aduentu finem talem non obtineri, vacuis ſubſelliis toto ferè diſputationis tempore, & dolentibus, qui & defendunt & præſident; ſtudia ſua nihili pendi, & ſolàm oſtiregalis cupidinem ad leuem ac breuem illam aſſiſtentiæ particulam permouere?

Conſuetudinem non poſſe allegari, quia irrationalis.

93 Si autem allegetur conſuetudo, irrationabilis illa eſt, vnde nec vim habet, iuxta Iuris vtriuſque notiſſimas ſanctiones, de quibus dictum aliàs: ſicut de ſimili etiam conſuetudine circa aſſiſtentiam in diuinis officiis dicunt Doctores, vt videri poteſt apud P. Thomam Sancium *Lib.* 2. *Conſil. Cap.* 2. *Dub.* 102. *num.* 4. Eſt ergo reſtitutionis obligatio,

De obligatione reſtitutionis.

quæ facienda eſt, non Doctoribus aſſiſtentibus, quia hoc in vſu non eſt; abſentium enim præmia aſſiſtentibus non accreſcunt; ſed arcæ Vniuerſitatis ad communes expenſas. Erit autem commoda reſtituendi ratio, ſi quis poſteà aſſiſtens ſtipendium non accipiat, & vt notam euitet, paullò antè diſtributionem exeat, exitûs cauſſâ non detectâ.

Circa Subornationem obſeruanda, & notabilis Reſolutio.

Aſſert. 6. ſubornationem iuſtificari non poſſe.

94 Dico ſextò. Subornatio in oppoſitione ad Cathedras nullo modo iuſtificari poteſt. Hoc quidem, ſicut nonnulla alia ex dictis, commune eſt Vniuerſatibus cunctis, ſed pro Indicis vrgeri debuit, quia in illis malum hoc percrebuiſſe dolemus, ob maiorem pecuniæ copiam, vnde monſtra non ſemel intoleranda naſcuntur. Id probo. Nam ſubornatus cùm ad ſuffragandum accedet, ſe ſubornatum non fuiſſe iuraturus eſt; ſed falsò, ad quod periurium is, qui ſubornat, cooperatur.

Euaſio 1. ex parato

95 Dices primò non peccare Subornantem, quia alius paratus eſt ad ſubornationem & periurium: quando autem hoc accidit, non eſt graue peccatum materiam pro illo miniſtrare. Sed hoc vix eſt probabile; de quo dictum *Titulo* 1. *num.* 146. & alibi. Deinde: licèt illud generaliter loquendo ſuſtineri poſſet, non tamen vbi lex ſpecialis eſt id prohibens. Sciebant ſiquidem Conſtitutionem pro Vniuerſitatibus conditores futuros multos, qui ſe offerent ſubornationi paratos, & horum voluerunt infamem agendi modum extirpare ſtatutis & pœnis contra eoſdem ſtabilitis: quorum obligatio ſub mortali eſt; quia ſi non eſſet talis, inutilis redderetur, ob materiæ grauitatem: quis enim in negotio iſto, vbi ardentiſſimè flagrat ambitio, veniale obſtaculum vereatur? Videantur dicta *Titul.* 2. *n.* 3.

ad ſubornationem præcluſa.

Obligatio ſtatutorū ſub mortali.

Secunda item ex redemptione vexationis.

96 Dices ſecundò ſubornatione vexationem redimi, quam patiuntur oppoſitores: cùm enim quis eorum, aut etiam aliqui, pecunias profundant, ſi ipſe nihil tale faciat, de Cathedræ poteſt adeptione penitus deſperare. Quòd autem pro redimendâ vexatione pretium dari poſſit etiam iudicibus, etiam cùm de rebus ſacris agitur, communis Doctorum ſententia eſt, pro quâ videri poteſt P. Thomas Sancius *Lib.* 2. *Conſil. Cap.* 2. *Dub.* 8. & 9. & alij paſſim. Sed contrà eſt, quia vexatio hæc non infertur ab eo, qui subornatur: ergo doctrina illa non eſt ad rem; quæ tunc procedit, cùm aliquid datur iniuſto vexatori, vt videri apud ſcribentes poteſt, & ſpecialiter apud Bonacinam, qui multos congerit *Tomo* 1. *Tractatione de ſimoniâ, Quæſt.* 6. *Puncto* 5. Prætereà, ſubornatio nequit ſubornatione conuelli, vt optimè Philoſophatur P. Suarius *Tomo* 1. *de Religion. Lib.* 4. *Cap.* 50. *numer.* 26. ex quo citatus ſcriptor *numer.* 15. & P. Palaus *Tomo* 3. *Diſput. vlt. Puncto* 29. *numer.* 6. qui de oppoſitione circa Beneficia agunt. Ratio autem, quam adducit P. Suarius, & ex eo alij, generalis eſt; quòd ſcilicet non ſunt facienda mala vt bona habeant; cumque ſubornatio ex ſe iniqua ſit reſpectu eius, qui vim non facit, nequit ratione prædicti reſpectûs admitti.

Quando procedat doctrina de vexatione.

Nec ſubornatio ſubornatione conuelli poteſt.

P. Palai doctrina circa ſubornationem ab eodem conuulſa, circa Beneficia.

97 Addit autem P. Palaus in rigore loquendo licere electoribus iam ſubornatis pecuniam dare; non eâ intentione vt ſpecialiter ſic danti faueant, ſed vt deponant animum & affectum propenſum, quem habent erga competitorem propter pecuniam ab illo acceptam: in hoc enim caſu non paratur via ad Beneficium magis quàm eſſet parata ante ſubornationem iniurioſam, & in odium eius factam, qui damnum pecuniâ conatur remouere. Poſt doctrinam autem dictam ſic ſubdit: *Video tamen hoc maximo ſubijci periculo incidendi in ſimoniam, & in foro hoc externo ita præſumitur.* Hæc ille; quibus id, quod præmiſerat, penitus demolitur: nam graue peccatum eſt id facere, per quod graui ſe periculo quis exponit incidendi in illud, vt eſt communis Doctorum ſenſus. Quidquid autem de prædicto caſu ſit, ei, de quo agimus, nequit applicari, in quo qui ſubornatum iam priùs ſubornat, non tantùm intendit illum in ſtatum reducere, quem ante ſubornationem habebat, ſed ad ſe penitus inclinare, vnde plus offert quàm dederit alius; vel ſi idem, id certè cum nouo aliquo titulo, vt ad ſe potiùs inclinetur, vnde non relinquit eum in ſtatu, quem habuerat ante ſubornationem.

98 Quia

Digitized by Google

Reciproca ſubornatio licita non eſt; caſus tamen admittitur, in quo liceat à Legionenſi.

98 Quia verò de Beneficiis ad Cathedras non videtur argumentum vrgere, eò quòd materia in iſtis ſacra non ſit ex iis, quæ ſimoniacæ ſunt obnoxia prauitati, ſecundùm Eccleſiæ diſpoſitionem; videndum an reſpectu illarum locus ſit reciprocæ ſubornationi. Circa quod Baſilius Legionenſis *Libr. 5. de Matrimonij impedimentis, Cap. 14. §. 6. numer. 44. in fine:* affirmat licitum eſſe dare pecuniam in oppoſitione ad Cathedram, quando duo ſunt oppoſitores, neque exceſſus clarè apparet, ſi de facto Scholaſticus, qui ſuffragium debet ferre, ſua ſponte poſtulauerit, vel indicauerit: non tamen eſſe licitum illam offerre. Iuxta hanc ergo ſententiam licebit ſubornato maius offerre pretium, quia cùm illud ab alio acceperit, ſatis indicat ſe ab alio maius accepturum. Quòd autem licitum eſſe neget offerre non poſtulanti, aut voluntatem indicanti, ex eo prouenire poteſt, quia cùm ille ſit iam ad peccandum propenſus, non eſt cauſſa illius qui pretium confert, iuxta ſententiam illam, de quâ *num. 95.* & facit pro eâ P. Dicaſtillus *de Iuſtitiâ & Iure, Lib. 2. Tractat. 2. Diſput. 6. numer. 46.* vbi cum aliis ait in oblatione munerum illis factâ, qui recipere licitè nequeunt, non eſſe graue peccatum, quia ſic paratus non inducitur, ſed offerens illius peccato vtitur in ſuum commodum.

Sed non placet P. Palao.

99 Sed Legionenſis ſententia non placet P. Palao *ſuprà*, quia talis doctrina pluribus iniuſtitiis & peccatis viam aperit. Quod enim elector poſtulet pecuniam, non poteſt honeſtare illius receptionem, neque largitionem, quia eſt poſtulatio iniqua: ergo ſi ſeclusâ poſtulatione non licet in illo caſu electoribus pecuniam offerre, neque etiam petitam largiri licebit. Quod equidem benè dictum, ex eoque redargui ſententia illius poteſt, de quâ *num. 97.* cùm fateatur ipſe eam eſſe maximo ſubiectam periculo, propter quam rationem cenſet iſtam, de quâ agimus, reiiciendam. Deinde. Quia ſeclusâ poſtulatione nequit offerri pretium, eâ etiam poſitâ, non licet, quia per illam non honeſtatur. Tunc ſic: ſeclusâ ſubornatione præcedenti, non licet pretium offerre: ergo neque ſtante illâ. Conſequentia eſt euidens arguendo vt ipſe arguit, quia ratione præcedentis ſubornationis nequit honeſtari, quæ ex ſe inhoneſta eſt, ſed quia ob auctoritatem Baſilij Legionenſis, abuſum, de quo agimus, poteſt quiſpiam non lethaliter malum iudicare, addo ex ipſius doctrina illum non reddi tolerabilem. Nam in primis ille loquitur quando exceſſus clarè non apparet; iſti autem ſuffragiorum nundinatores nihil de exceſſu curant, ſed plus danti ſuffragia pollicentur.

Sed ex eo redarguitur illius ſententia.

Neque Legionenſis apertè ſenſet ſubornationem, in caſu de quo agitur.

100 Præterea, citatus Auctor in ſpecie caſus noſtri non loquitur, neque ex eo, quod aſſerit, argui poteſt. Licèt enim iam ſubornatus recepturum ſe plus pretij ſatis videatur indicare; id tamen certum non eſt, quia priori fidem ſuam adſtrixit, & aliqui in eo conſtantes eſſe ſolent; quòd ſi maius vellet pretium, id oppoſitoribus indicaſſet omnibus, aut eorum proxenetis, vt plus danti ſe obligarent: dum autem dubia voluntas eſt, nequit ad certum peccatum induci. Item. Etiamſi poſtulet; id fieri nequit, quia cooperatio ad tale peccatum grauiſſimis circumſtantiis conneſtitum, ſolùm ratione commodi honeſtari poteſt, ſaltem non eſſe lethalis: atqui commodi talis intuitus hoc non præſtat: ergo illius malitia perſeuerat. Maior eſt iuxta aduerſantium doctrinam, & Minor oſtenditur; quia etiam poſt oblatam pecuniam valde incertum eſt, an talis ſit id, quod promiſerat, impleturus, cùm ſciamus multos ex iſtis nec Deo nec hominibus ſeruare fidē, vnde oppoſitores & cathedris & pecuniis vacui relinquuntur. Nullum ergo abuſus iſte in ſententiâ dictâ firmum poteſt habere præſidium. Ideò

Tertia ſuaſio ex probabili ſententia circa iudices, cū pro vtraq; parte eſt ſententia probabilis.

101 Dices tertiò probabile eſſe eum, qui ius ſuffragij in oppoſitione Cathedræ habet, aliquid poſſe pro ſuffragationis voluntariâ obligatione recipere: aut enim inter oppoſitores non eſt conſiderabilis exceſſus, & tunc pro quolibet ſuffragium dare poteſt: obligare autem ſe ad vnum potiùs quàm alium ſuo ſuffragio iuuandum, pretio æſtimabile eſt: vnde & in iudicibus, vbi pro quolibet ex litigantibus probabilis eſt opinio, gratiam illam eſſe vendibilem, ſunt qui ſentiant, quibuſcum P. Fagundez *de Iuſtitiâ & Iure, Libr. 5. Cap. 18. num. 5.* Licèt autem, cùm ad ſe ſuffragandum accedit, iuret ſe nihil ab oppoſitoribus accepiſſe, id ſtare ſine periurio poteſt ſecundùm doctrinam P. Thomæ Sancij *Lib. 2. Conſil. Moral. Cap. 1. Dub. 53. numer. 5.* vbi ait quòd licet iuxta ſtatuta Vniuerſitatis Salmanticenſis & aliarum ſubornato pœna priuationis ſuffragij imponatur, de quo ipſe *Cap. præced. numer. 1.* id tantùm habet locum in foro externo, vnde ſuffragium eius in foro conſcientiæ & licitum, & validum eſt, de quo etiam *anteced. Cap. num. 11.* Poteſt ergo verbis æquiuocis in iuramento vti, quia ſuum non debet defectum aperire. Niſi fortè iudex interroget præcedente infamiâ, vel indiciis probatis, aut cum ſemiplena probatione; tunc enim ad mentem interrogantis reſpondere debet. Ex quo fit ceſſare rationem à nobis adductam de cooperatione ad periurium, quandoquidem ſine illo ſtare poteſt teſtimonium ſuffragantis. Si autem vnius ex oppoſitoribus notabilis exceſſus ſit, tunc etiam doctrinæ eſt prædictæ locus, tum ex eo quòd tenet Nauarrus in Manuali *Cap. 25. num. 57.* ſcilicet ſecluſo iuramento non eſſe mortale eligere minùs dignum ad Cathedram, quæ per oppoſitionem datur. Tum etiam quia is, qui ius ſuffragij habet, non tenetur abſolutè ad ſuffragandum neque pro vno, neque pro alio, vnde poteſt ſine graui culpa à ſuffragatione abſtinere, quòd autem ſe ad ſuffragandum obliget, pretio æſtimabile eſt. Ratione autem iuramenti non eſſe obſtaculum, ex adducto iam fundamento firmatur.

Iurare vt poſſit ſubornatus ſine periurio.

Etiamſi exceſſus in oppoſitore, ſit ex duplici capite.

Contra illam arguitur ex recepta doctrina.

102 Sed contra hoc eſt doctrinam præfatam tunc tantùm currere, cùm iam eſt peccatum acceptionis pretij commiſſum; tunc enim non tenetur quis à ſuffragando abſtinere, & æquiuocatione poteſt ſuum delictum occultare. Quòd verò ſine peccato acceptio ſtare poſſit, prædicta non probant, quandoquidem procedunt iure tantùm naturali attento, iuxta quod probabiliter aſſeritur non eſſe peccatum mortale. Pro quo & faciunt quæ docent P. Layman *Lib. 3. Sect. 5. Tract. 4. Cap. 4. num. 9.* & P. Leſſius *Lib. 2. Cap. 14. num. 64.* qui ſic concludit: *Hæc argumenta, ſi ſolum ius naturæ ſpectetur, faciunt hanc ſententiam ſatis probabilem. Nihilominus legibus id vetitum eſt,*

P. Leſſius.

quæ

Digitized by Google

quæ etiam poſſunt ad reſtitutionem obligare; immò & incapaces reddere dominij rei hoc titulo datæ adquirendi. Sic ille. Neque aliter loquitur P. Laymam, aut alia eſt P. Fagundi mens, vt videri apud eumdem poteſt *Tomo 2. in Decalogum Libr.* 8. *Cap.* 26. *num.* 34. ſicut & Dianæ *Parte* 3. *Tract.* 5. *Reſolut.* 55. vbi de eo clariſſimè. Quòd autem lex, de qua agimus, Academicos ſub lethali vrgeat, iam habetur ex dictis *num.* 95. Deinde. Etiamſi ſubtilitas illa pro modo æquiuocè iurandi ob auctoritatem ſic dicentium reprobari penitus nequeat; communiter tamen illa non attenditur, neque qui ſubornant aut ſubornantur, de illo ſunt iurandi modo ſoliciti, ſed periurij malum auaritiæ & ambitionis fame inſatiabili deuoratur. Vnde in ordine ad communem praxim doctrina prædicta non ſeruit, ex quo habetur id, quod Aſſertione noſtrâ contendimus, ſubornationem ſcilicet iuſtificari nullatenus poſſe.

Et ex praxi periculoſa.

Non poſſe quem à ſuffragando abſtinere pretio accepto.

103 In quo genere illud videtur minùs abſurdi continere, ſi quis pretium accipiat, non vt ſuffragio aſſiſtat, ſed vt pro Oppoſitore neutiquam ſuffragetur. Quod fieri ſolet, vel ad ſuffragiorum locum non accedendo, vel ſi quis accedat, & ſchedulas accipiat, ita eas in vrnam mittat, vt nullius momenti ſuffragium ſit, pro quo varij eſſe modi poſſunt, ſecreti iure ſeruato. Sed neque hoc licet, quia reuerà ſubornatio eſt, & ſub generali prohibitione contenta. Et quidem meritò, vtpotè abſurditatem viris litteratis indigniſſimam præſeferens: cùm reuera dici poſſit eum, qui hoc modo victoriam conſequitur, non meritis, ſed pecuniis Cathedram conſecutum.

Circa obligationem reſtitutionis, quæ probabiliter negatur.

104 Circa obligationem autem reſtitutionis, ſecundùm probabilem ſententiam dicendum eſt illam non vrgere, ſi quis promiſſis ſtet, quia lex Academica tranſlationem dominij non inducit, cùm de eo non diſponat: pro quo videndus P. Leſſius *ſuprà Dub.* 8. & alij paſſim, & ſit etiam probabile id, quod pro opere prauo datur, non eſſe obnoxium reſtitutioni. Et quia in caſu, de quo agimus, ſtare poteſt vt quis pro digniore ſuffragium ferat, in quo opus virtutis exercet, pro eo etiam datum non debere reſtitui, multorum ſententia eſt, de qua poſt alios P. Dicaſtillus *Diſput.* 6. *citata num.* 59. vbi pro ea adducit Nauarrum, Sotum, Ledeſmam, Bañez, & Patres Vazquez, Valentiam, Azor, & Rebellum, & vt probabilem amplectens, licet contrariam vt veriorem tueatur, quando actio aut illius omiſſio in dantis commodum poſtulantur. Poſſet autem & Dianam adducere *Reſolut.* 55. *citata* cum P. Tannero, & aliis eam vt probabiliorem amplectentem.

Pro quo alia fauorabilia.

105 Et cùm probabilis talis ſententia ſit, qui in caſu noſtro delinquerint, non ſunt ad reſtitutionem vrgendi, quia huiuſmodi homines difficilè ad illam induci poterunt, & ita benigniore iſto ſentiendi modo illorum eſt ſecuritati conſcientiæ conſulendum. Cùm aliàs, licet actio iſta honeſta ſit, & ex charitate ſaltem debita, iuxta quam tenetur qui ſuffragij ius habet, cauſſam benemeriti promouere: in executione autem prauũ aliquid admiſcetur, ob nuper dicta circa iuramentum, vnde operi prauo pretium datur, quia malum ex quocumque defectu: quo euentu non eſſe obligationem reſtitutionis communior iam inter Scribentes ſententia tenet, pro quo P. Leſſius *ſuprà.* & plures alij apud P. Dicaſtillum *Diſput. citat. Dub.* 3. P. Fagundez *ſuprà*, quos & ſequitur *numer.* 34. Eligium Baſſæum *Verb. Reſtitutio* 4. §. 3. & obuios alios. Si verò ex iniqua ſuffragatione Cathedram is amiſerit, cui ex iuſtitiâ debebatur, quia oppoſitores alij indigni erant, aut ſingularis in eorum aliquo exceſſus cernebatur, obligatio reſtitutionis erit iuxta damni dati æſtimationem.

Pro opere prauo pretium poſſe accipi

Circa praxim reſtitutionis reſpectu Cathedras amittentium.

106 Sed quis damnum tantum valeat ex tali hominum genere compenſare? Satisfacere ergo aliqualiter poterit in oppoſitione alia pro illo ſuffragando, vel per Confeſſarium remiſſionem debiti poſtulando. Raró autem Oppoſitores manifeſtè indigni ſunt, vnde ſententiâ ſe poterit Nauarri tueri, de qua *num.* 101. Sicut enim non accepto pretio potuit ſuffragari pro digno, omiſſo digniore; ita & illa accepto, quia ex acceptione non eſt nouus iuſtitiæ titulus in iſto vt illi plus aliquid debeatur. Et quidem Nauarri ſententia parum veroſimilis eſt, & ita communiter à Doctoribus reprobatur: ſed minùs veroſimile eſt eos, de quibus loquimur, reſtitutionis curam condignam habituros. Accedit etiam dictis eum, qui, cùm minùs dignus ſit, Cathedram eſt aſſecutus, id non niſi multorum ſuffragiis obtinuiſſe; ex quo fit ſingulos non eſſe cauſſam totalem damni, & ita neque ad reſtitutionem integram obligatos; immò neque ad partialem, ſi ex vltimis in ſuffragatione fuerunt, & ſine quorum ſuffragiis minùs dignus victor in oppoſitione fuiſſet, quando vno conſilio omnes in actionem huiuſmodi minimè confluxerunt, iuxta communem doctrinam de teſtibus, pro qua videri poſſunt P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 30. *num.* 52. §. *Aduerte tamen.* P. Fagundez *Tomo* 2. *in Decalogum Lib.* 8. *Cap.* 42. *n.* 3. & alij paſſim: ſuffragium enim pro minus digno eſt falſum teſtimonium de maiore illius dignitate practicum & reale, vim electionis habens.

Cum multis damnificent, ad quod teneatur.

Cathedras iniquè adepti vt teneantur.

107 Maior circa eos, qui per modum iſtum damnabilem Cathedras obtinuerunt, eſt difficultas, quia non apparet veroſimile aliquod fundamentum, vt illas poſſint retinere, quas nec reſtituere poſſunt, quandòquidem in eorum non eſt id poſitum poteſtate, quia earum prouiſio concurſum exigit, & à multorum voluntate dependet. Compenſatio autem valde eſt difficilis, ſi ad pecuniam reducenda ſit: quia honor non eſt pecuniâ compenſandus, & intereſſe ſalarij non debetur non ſeruienti. Nihilominùs obligationem reſtitutionis Doctores agnoſcunt, de Cathedrâ agentes, & de aliis, quæ per ſententiam iniquam reipſa, licet ſecundùm allegata & probata iuſtam, adiudicaretur alicui, quando ipſe auctor iniquæ adiudicationis eſt falſo illius fundamento cooperans. Licet enim probabilis ſententia ſit, quam multi Doctores, præſertim Iuriſperiti, tenent apud P. Fagundez *ſuprà Cap.* 32. *num.* 7. aſſerentes eum, qui ſcit iniquam eſſe ſententiam re ipſa, iuſtam autem ſecundùm allegata & probata, poſſe Cathedram retinere, quod & amplectitur P. Leſſius *Lib.* 2. *Cap.* 31. *numer.* 28. Id tamen ita intelligendum vt diximus, quando ſcilicet iniqua oppoſitio non fuit reſpectu eius, cui Cathedra, aut Beneficium, vel officium quodcumque confertur,

Communis ſententia obligationem agnoſcit.

Ex iniqua ſententia quæ obligatio, ſi ſecundùm allegata & probata.

fertur, vt benè notat P. Fagundez *ſuprà* §. 8. ex P. Leſſio illud deducens cum ea limitatione locuto verbis illis: *quia cauſſa non eſt cur alter iniuſtè ſit priuatus: vnde iuſtè quæri non poteſt ſibi ab eo fieri iniuriam.* Hæc ille. Si ergo in oppoſitore iniquum fundamentum pro adiudicatione fuit, non iudicat probabile P. Fagundez poſſe Cathedram retinere: qui, etiam vbi talis iniqua oppoſitio deeſt, ſi ſententia ſecundùm ſe iniqua ſit, iudicat Cathedram retineri non poſſe ab eo, qui iniquam eſſe cognoſcit, quam ait communiter tenere Theologos, vt videri poteſt *n.* 9. *P. Leſſius.*

108 Sed non videtur reſolutio oppoſita probabilitate penitus deſtituta. Tum quia Auctores, quos pro ſententiâ ſuâ contrariâ adducit P. Fagundez, limitationem illam vniuerſaliter non habent, quam ipſe ex P. Leſſio; & rationem etiam addunt, quæ vniuerſaliter currit, licet à P. Leſſio non probetur, ſcilicet eo ipſo quòd Cathedra, Beneficio, aut officio priuatus non appellauit, acquieuiſſe ſententiæ, & etiam tranſiſſe in rem iudicatam: iuxta *Cap. Quod ad conſultationem,* de ſent. & re iudic. 15. & Cap. *Cùm dilectus,* de Electione 32. Tum etiam, quia multorum ſententia eſt, quos adducit & ſequitur Diana *Parte* 3. *Tract.* 6. *Reſolut.* 34. eum, qui ſine vi & fraude, ſed ſuaſione & precibus impedit ne Cathedra conferatur digniori, ſicut & Beneficium & officium quodlibet, non teneri ad reſtitutionem. Quòd autem munerum collatio vis rationem non habeat aut fraudis, perſpicuè tradit idem *Reſolut.* 33. §. *Verùm non grauabor*, cuius illa ſunt verba: *Quòd ſi impediatur ne omnia ſupradicta bona aliquis aſſequatur, non vi, fraude, mendaciis &c. ſed precibus, blanditiis, muneribus &c.* Vbi manifeſtè munera vi & fraudi contraponit. *Et inferius* ita ſcribit: *Igitur cùm preces, munera, blanditiæ, non repugnent libertati; nullo modo infert alicui iniuriam.* Sic ille. Iuxta quæ habetur per munera ſuffragatoribus collata eorum non ſublatam libertatem, & ita iis non obſtantibus in caſu noſtro validam eſſe electionem, cui ſola vis & fraus incommodare, quo minùs talis eſſet, potuiſſent. Tum item, quia pro hoc eadem militat ratio, quæ pro valore ſuffragiorum, vt ſuffragatores non teneantur ad reſtitutionem: ſi enim illi non tenentur, neque etiam qui Cathedram aſſecuti, quandoquidem actus validus fuit. *Oppoſitam probabilitate non deſtitutam.* *Munera vis nomine non venire.* *Diana.*

109 Et quidem in Beneficiis collatio eſt valida, facta minùs digno; cùm tamen ſacri Canones clament dignioribus eſſe conferenda, vnde reſpectu illorum maior videtur eſſe ratio, quàm reſpectu aliorum ſæculariorum, aut etiam Eccleſiaſticorum officiorum: ergo idem non improbabiliter dici poterit. Licet enim non deſint Doctores, qui in hoc diſcrimen agnoſcant, eò quòd Beneficia non ſunt inſtituta vt præmia, ſed pro bono Eccleſiæ, cui ſit ſatis digni miniſtri prouiſione; cùm tamen Cathedræ vt pręmia litterarum inſtituta ſint. Re tamen vera diſcrimen dictum non videtur ſufficiens, ad diuerſam de eo, circà quod agimus, aſſertionem: quia vniuerſitates primariò inſtitutæ non ſunt ad præmiandum litteratos, ſed pro communi vtilitate, vt ſcilicet Doctores & Magiſtri in Eccleſia eſſe poſſint à quibus alij doceantur, & Eccleſia ipſe ab infeſtis impugnatoribus defendatur: pro quo viſum eſt commodiſſimum, vt honoribus & ſtipendiis Profeſſores donarentur. Quod cùm certiſſimum ſit, non videtur negari poſſe ſatis probabiliter argui ex vno ad aliud; vt ſcilicet quod in Beneficiis eſt ſufficiens vt valida collatio ſit, non obſtante oppoſitione, in Cathedris etiam poſſit admitti. *Ex collatione valida, facta minus digno, arguitur, in Beneficiis.*

110 Pro quo etiam facit, vt quis ſe ad reſtituendam Cathedram obligatum exiſtimet, debere minùs dignum ſe etiam reputare: quod quidem vix erit qui ſibi perſuaſerit, iuxta Martialis illud: *Rationes aliæ pro eodem.*

Aurum, & opes, & rura frequens donauit amicus:
Qui velit ingenio cedere, rarus erit. *Martialis.*

Si ergo comparatione amici hoc accidit, quid aduerſarij comparatione? Quando etiam dignitas non ex ingenio ſolùm, ſed ex pluribus aliis coaleſcit. Iam ergo circa exceſſum, vt ille retentioni Cathedræ obſtet, non vertitur quæſtio, ſed, an exceſſu etiam non exiſtente, iniqua illa ſit ob iniquum acquiſitionis modum. Et vt non ſit talis, qui ad reſtitutionem obliget, adducta probabiliter oſtendunt: ſicut & id, quod ex P. Thoma Sancio adduximus *numer.* 101. ſcilicet ſubornatum validè ſuffragari, dum per ſententiam iure ſuffragij non priuatur, & ita validam eſſe electionem reſpectu eius, pro quo ſuffragium fertur, omnino eſt conſequens, quia neque ille eſt voce paſſiua priuatus. Hæc vt talium conſcientiis conſulatur.

De Vniuerſitatibus Societatis IESV.

111 DIco ſeptimò. Qui in Vniuerſitatibus Societatis Gradum accipiunt, in omnibus debent Vniuerſitatibus recipi, & admitti ſicut alij, qui in Europæ Vniuerſitatibus Gradum aſſequentur. Id conſtat ex tenore Bullæ Vrbani Octaui, cuius conceſſio perpetua eſt, & in Regio Indiarum Conſilio regiſtrata. In ea enim dicitur vt Gradus tales in omnibus & vbique ſuffragentur, ſicut alibi recepti. Prætereà, Non ſine iniuria dictarum Vniuerſitatum videtur talis repulſa fieri, cùm admittantur alij, in quibus Gradus exiguæ litteraturæ argumenta communiter reputantur. Is qui Abulæ Doctoralem gradum oſtendit, ad incorporationem admittitur, cùm tamen nullum experimentum ſufficientiæ præceſſerit, vel omnia ſuperficialiter ſint peracta. Ille autem repellitur, qui poſt experimenta omnia exactiſſimè decurſa, Gradum eſt conſecutus. Quis hanc non videat & miretur iniuriam? Ad quid Rex noſter conceſſionem prædictam à Pontifice poſtulauit, ſi ita illa parui facienda eſt, vt Doctores pro non Doctoribus habeantur? Non ſic certè Regium Indiarum Conſilium, in quo Gradus dicti magni fiunt, & eorum merito Doctores huiuſmodi præferuntur. Si quis ergo humanus reſpectus ad hanc obſiſtentiam permouet, non eſt à reatu culpæ liber, quidquid de bonâ fide ſit, quæ in multis non damnabilem illam reddet, vt eſt æquũ de probitate ipſorum ſuſpicari. Vide Thomam Hurtadum *Tract.* 12. *num.* 1620. pro Vniuerſitate S. Thomæ Hiſpalenſi decertante; quæ enim adducit Indicis noſtris poſſunt applicari. *Aſſertio 7. Gradum in Societatis Vniuerſitatibus receptum, in aliis acceptandum.*

112 Dico octauò, Epiſcopi Indiarum nequeunt *Aſſertio 8.*

Indiarum Epiſcopos non poſſe Gradus curſibus non peractis conferre.

queunt Gradus conferre iis, qui in Vniuerſitatibus Societatis ordinarios minimè curſus peregerunt, qui à Pontifice pro ipſis exiguntur. Res videtur clara, quia facultas ſub illa ipſis conditione defertur: vt ex tenore conceſſionis apparet. Et formâ non ſeruatâ corruit actus, vt dictum aliàs, & eſt apud Scriptores obuium. Videndi Cardinalis Tuſcus *Litt. F.* verb. *Forma.* Marius Antoninus *Lib. 1. Variarum Reſolut. 26. numer. 3. & Lib. 2. Reſolut. 11. numer. 4. & 5. & Reſolut. 48. num. 17. & Reſolut. 92. num. 4.* Petrus de Luna *Conſilio 34. num. 18.* Dom. Solorzanus *Tomo 2. Lib. 2. Cap. 7. num. 19. & 20.* Vbi quòd in dubio intelligitur eſſe ſubſtantialis, ita vt eius omiſſio actum vitiet, præſertim cùm lex ex tali formâ prætendit aliquem certum finem, ſeu effectum, qui, ſi ea omittatur, non poteſt obtineri. Et quòd forma attenditur magis quàm ratio. *Et Cap. 26. numer. 40.* Vbi quòd formæ defectus maior ſit quàm ſubſtantiæ, & quòd à lege requiſita non poteſt per æquipollens adimpleri, & quòd debet attendi magis quàm ratio, & quòd ex minimo eius defectu actus reſcindatur, ſeu reſoluatur: vbi de conceſſione Principis agit, & omnia prædicta multis Textibus & Auctoribus illuſtrat & roborat, ſicut & alij paſſim. Videndus etiam in Politica *Lib. 3. Cap. 28. pag. 448. Col. 1.*

Forma quanta vis.

Specialis applicatio ad præſentem caſũ.

113 Id autem, quod de fine obtinendo per formæ obſeruantiam dicit, in rem præſentem apprimè cadit: Pontifex ſiquidem dum præcipit vt laureandi in Scholis ſtuduerint Societatis, finem aliquem peculiarem intendit, ſicut & Rex noſter, qui vt ita fieret, poſtulauit; ſicut & Societas ipſa. Non eſt autem difficile intellectu, quinam ille fuerit: vt ſcilicet ſtudentes, non ſolùm in litteris, ſed etiam in virtutibus inſtruantur. Quibus accedit à Pontifice etiam exigi, vt ſtudentes talem Gradum accepturi, à Magiſtro ſtudiorum Societatis approbationem habeant; vnde negotium iſtud arbitrio Epiſcoporum non relinquitur. Et ita Romæ, & Matriti viſum, indeque reſcriptum, Regio Indiarum Conſilio id penitus prohibente.

Non benè arguitur valida collatione per ſufficientiam, ſine curſibus.

114 Neque opponi poteſt id, quod à nobis dictum paullò ſuperius, de recipiente Gradum ſine curſibus neceſſariis: nam aliud eſt talem Gradum eſſe validum in foro conſcientiæ, aliud autem in exteriori foro poſſe concedi: hoc enim Auctores non dicunt, ſed abſolutè negant. Et licet aliqui de gradibus Bacchalaureatus, & aliis in Artibus, dicant non eſſe mortale illos inſufficientibus conferre; de aliis ſecus affirmant, & aliquod ſaltem peccatum in omnibus recognoſcunt, iuxta dicta *numer. 89. & 90.* Præterquam quòd aliud eſt non habere ſufficientiam neceſſariam, aliud ordinarios curſus non habere: cum defectu enim iſto nullus admitti poteſt, quia de hoc debet certificatio Magiſtrorum, & informatio præcedere. Debet item examinatorum approbatio, licet illi in eo minùs fideles habeantur, eum, quæ eſt inſufficiens, approbando.

Non poſſe in hoc diſpenſari.

115 Quòd ſi Epiſcopi dicant ſe in hoc poſſe diſpenſare, id quidem tolerabile eſſet in aliquo caſu, vbi merita promouendi poſtularent: velle autem pro libitu id paſſim facere, omnino alienum à ratione & iure apparet. Diſpenſatio enim vulnus legis eſt, vt dicunt Doctores, & paſſim vulnerare illam quis non videat omni eſſe contrarium æquitati? Sed certè neque pro caſu aliquo apparet modus, quo id poſſit ſeruatâ æquitate præſtari. Rogo enim cùm Epiſcopus diſpenſat, & Gradum confert ei, qui nihil præter ſufficientiam habet, in quâ poteſtate hæc faciat? Si virtute Bullæ, ergo ſeruari debent ſaltem ea, quæ vt ſubſtantialia in illâ requiruntur. Illatio eſt euidens. Rogo iterùm quænam hæc ſubſtantialia ſint? Si dicatur eſſe ſolam ſufficientiam, id ſanè ſtare nequit, quia in nullâ Vniuerſitate ſolius ſufficientiæ ratio habetur ad Gradus conferendos, ſic enim earum frequentia tolleretur, cùm poſſent Scholaſtici ſuis in domibus, vel priuatis aliis diſcere, & ſic ad Gradus properare. Aliquid ergo vlteriùs neceſſarium eſt: nec videtur quid illud eſſe queat, niſi curſus & approbatio, iuxta formam in Bulla deſignatam. Præterquam quòd ſi ſola ſufficientia ad ſubſtantiam pertinet; ergo & eâ ſtante, etiam ſine Bullâ poterit Epiſcopus conferre Gradum, quia ſimiliter poterit in eo diſpenſare; cùm ſit eadem ratio: quod tamen dici nequit, & de quo *num. 117.*

Poteſtatem Epiſcopi ad id ſuam amplitudinem non extendere, præſertim in Indijs.

116 Vnde & altera, quæ adhiberi poteſt, reſponſio conuellenda, ſi videlicet dicatur Gradum conferri, non virtute Bullæ, ſed ſuæ ampliſſimæ poteſtatis. Poteſtas ſiquidem Epiſcoporum ad conferendos Gradus non præualet, quia id ſolius eſt Pontificiâ auctoritate roboratũ, cùm Sedes Apoſtolica eam ſibi facultatem reſeruarit. Eſt inſuper, pro Indiis præſertim, Regia facultas neceſſaria: quæ neceſſitas ita vſu comprobata eſt, vt etiam facultates Pontificiæ, quæ pro conferendis Gradibus à Sede Apoſtolicâ emanarunt, quatum plures extant in Bullis authenticis Societatis, ſine Regis conſenſu minimè executioni tradantur. Et quidem cùm Rex ipſe pro facultate ad conferendos Gradus Pontifici ſupplicarit, idque ex Conſilio Supremi Indiarum Senatûs; ſatis apertè ſignificat non eſſe in Epiſcopis Indiarum huiuſmodi poteſtatem. Eſt inſuper pro diſpenſatione in lege Superioris cauſſa neceſſaria ad illius valorem, vt eſt communis Doctorum ſenſus, qui videri poſſunt apud Dianam *Parte 8. Tract. 3. Reſolut. 19.* P. Azorium *Tomo 1. Libr. 7. Cap. 18. Quæſt. 6.* dicentem eſſe omnium Iuriſperitorum, & apud Dom. Barboſam circa *Cap. 8. Seſſion. 25. Concilij Trid. de Reformat.* vbi pro eo habetur expreſſa deciſio, dum ſic dicitur: *Quòd ſi vrgens, iuſtaque ratio, & maior quandoque vtilitas poſtulauerint cum aliquibus diſpenſandum eſſe, id cauſſâ cognitâ, ac ſumma maturitate, atque gratis, à quibuſcumque, ad quos diſpenſatio pertinebit, erit præſtandum; aliterque facta diſpenſatio ſurreptitia cenſeatur.* Tunc ſic. Ad diſpenſandum in caſu noſtro nulla eſt vrgens iuſtaque ratio, aut notabilis vtilitas: non ergo diſpenſatio valida eſt. Maior quàm ſit certa iam conſtat. Minor oſtenditur: quia ij, qui Ordinarij auditores in ſcholis Societatis non fuerunt, nihil vrget vt Gradus conſequantur, neque in eo eſt notabilis vtilitas reſpectu Eccleſiæ Dei: quidquid enim poſt Gradum facere poſſunt, etiam poterunt ſine illo. Quòd verò ad prætenſiones ſuas id deſit, nullius conſiderationis eſt ad formam à Pontifice præſcriptam violandam. Non enim vtilitas perſonalis attenditur, ſed Eccleſiæ, niſi in iis, quæ ad animæ ſalutem ſpectant,

Ex defectu cauſſæ etiã futuram nullam diſpenſationem.

Concilium Tridem.

Perſonalis vtilitas non attenditur.

ſpectant, iuxta communem Doctorum intellectum apud Barboſam *de Poteſt. Epiſc. Allegat.* 57. *num.* 8. Pro quo & P. Thomas Sancius *de Matrimonio Lib.* 8. *Diſput.* 18. *num.* 8. *&* *Diſputat.* 19. *num.* 35.

Pro Epiſcopis an faciat ipſorũ ſententia, & doctrina de diſpenſationis valore bonâ fide facta.

117 Illud tamen pro ſe Epiſcopi videntur habere, quòd ſcilicet ipſi iudicant id fieri poſſe, ſuntque viri docti, & alios habent ſecum ſentientes: quando autem bonâ fide Prælati iudicant ſibi licere diſpenſationem, valere illam, licet reuerà cauſſa ſufficiens non ſit, tenent P. Azor *ſuprà.* & cum eo P. Sancius *Lib. citato, Diſputat.* 17. *numer.* 8. qui eum ſic citat. *Lib.* 7. *Inſtitut. mor. Cap.* 29. *quæſt.* 6. cumque Tomum aut Partem non indicet, laborabit equidem lector omnes euoluens, & non inueniet, cùm & aliàs falſa citatio ſit. Loco ergo à nobis indicato (quem neque curæ fuit P. Palao reſpicere, ſed vt inuenit, protulit *Tomo* 1. *Tract.* 3. *Diſput.* 8. *Puncto* 8, §. 2. *numer.* 5.) §. 1. ita ſcribit: *Si Prælatus bona fide aliquem lege ieiunij ſoluit, putans iuſtam cauſſam ſubeſſe ad id faciendum, non peccat, & relaxatio prodeſt, quia facta eſt bonâ fide.* Sic ille. Quod & tenent P. Reginaldus, Merolla, & Villalobos apud Dianam *ſuprà Reſolut.* 2. Sed cùm Regium Conſilium ſecus iudicet, & ita de Regis conſtet voluntate, ac conſequenter Pontificis, qui conceſſionem ſuam iuxta Regiam ſupplicationem exhibuit, non videtur quomodo bona eſſe fides poſſit, & probabile pro eo fundamentum. Quod ſi nihilominùs inſtent, quid ſit è re natâ faciendum Superiores Societatis indicabunt. Nec damnandi, ſi ad vitandas ſimultates, & indignationem Epiſcoporum declinandam, aliquando conniueant, & examini expoſitos, ſi inuenti fuerint ſufficientes, approbent, vrbanâ cautione præmiſſâ, in quo non magnum videtur eſſe periculum, cùm forma dicta Sacramentalis non ſit, à quâ Character pendeat, aut alterius ſubſtantia Sacramenti. Cùm etiam ſententia Bordoni ſit, quam Diana probabilem affirmat, duos alios pro eadem Auctores adducens *Parte* 12. *Tract.* 1. *Reſolut.* 95. qui dicũt Epiſcopos pro ſuis Epiſcopatibus poſſe creare Doctores. Vbi quod Diana ait, ſcilicet opinionem dictam non eſſe intra Italiam practicabilem, Indiis poteſt adaptari.

P. Azor.

Quid pro praxi à Religioſis Societatis praſtandũ

Circa Religioſos Reſolutio poſtrema.

Aſſertio vlt. Religioſos ſuffragari poſſe pro oppoſitoribus ſua Religionis. Et quàm illarum litteratura vtilis Eccleſia ſit.

118 DIco Tandem Religioſi ius ſuffragij in oppoſitione ad Cathedras habentes tutâ conſcientiâ poſſunt pro oppoſitoribus ſuæ Religionis ſuffragari. Id probo. Quia generaliter loquendo tales ſunt digni, & ita currit ſuperior doctrina *numer.* 106. *&* 109. quam Religioſi vt probabilem ſequi poſſunt. Supra generalem autem rationem illam eſt aliquid, per quod veroſimilior comprobetur; quòd ſcilicet cum dignitate concurrat reſpectus Religionis, qui locum aliquem debet in iſtis habere; dubitari enim nequit ad commune bonum conferre vt Religiones viris litteratis abundent, in quibus Philoſophiæ ac Theologiæ ſtudia præſertim florent, ad fidelium ſalutem multipliciter opportuna. *Qui cùm docti fuerint in Dei Eccleſia velut ſplendor fulgeant firmamenti, ex quibus poſtmodum copia poſſit haberi Doctorum, qui velut ſtellæ in perpetuas æternitates manſuri, ad iuſtitiam valeant plurimos erudire.* Quæ ſunt verba Honorij Tertij in Concilio Generali, & habentur in Cap. *Super ſpecula*, quod eſt finale *de Magiſtris*, de quo & dictum aliàs. Hunc ergo ſplendorem ſi Religioſi accurent, honeſta debet talis haberi cura, ſi circa Cathedrarum aſſecutionem modis debitis, & Religioſâ circumſpectione dignis applicetur. Sicut ergo qui dignum ſe reputat ex illis, annuentibus Prælatis, oppoſitionem facere poteſt, aliorum oppoſitorum merita ſcrupuloſiùs non diſcernendo, iuxta dicta *n.* 110. ita & conreligioſi eodem modo ſe gerere poſſunt, quia omnes vnum corpus efficiunt, & cor vnum atque anima vna eſſe debent, iuxta ſui ſtatûs perfectionem. Quæ quidem id in eis exigit, quod ſi deſit, non ſine grauiſſimis ſcandalis ſtare poterit. Cùm ergo reſpectus dictus aliquid operari poſſit, ſuppoſitâ aliàs oppoſitoris dignitate, ex hoc illa accreſcit, vnde vota in eum poſſunt ſine ſcrupulo conuenire.

Cap. Super ſpecula, de Magiſtris.

Contra iuſtitiam nihil peragendum, oſtenditur.

119 Erit autem minimè tolerandum, ſi contra iuſtitiam aliquid peragatur. E. g. ſi negotiatione pecuniaria, aut aliàs obtineatur, vt non matriculati, neque curſus neceſſarios ad gradum Bacchalaureatus habentes, & penitus in facultate Cathedræ, de quâ agitur, inſufficientes, prædictum recipiant Gradum, ſi ſe fingant aliqui Sacerdotes ad qualitatem addendum, ſi bis ſuffragentur, ſi alij pro aliis ſupponantur, ſi ſit elapſum tempus, pro quo Gradus dictus ſuffragandi ius tribuit, & alia, quæ ignorare nequeunt, qui mediocrem legis diuinæ notitiam nacti; quantò id potiùs, qui inter primarios recenſeri geſtiunt litteratos? Videndus P. Thomas Sancius *Lib.* 2. *Conſil. mor. Cap.* 1. *Dub.* 52. *n.* 5. *& ſeqq.*

De ijs, qui ante edicta non extiterunt in ciuitate.

120 Circa eos verò, qui ante Edictorum affixionem in Ciuitate non extiterunt, non ita videtur certum: quia Conſtitutio, etſi id prohibeat, non videtur actum inualidare: neque circumſtantia illa tanti momenti apparet, vt ad forum etiam conſcientiæ pertingere debeat, vt certum affirmari. Illud eſt tamen probabile, quòd ſi alicui ſine requiſitis per Conſtitutiones Gradus conferatur, qui tamen ſufficiens ad illum ſit, ſuffragari poteſt, & iurare verbis æquiuocis, ſicut de ſubornatis diximus *numer.* 101. Id quod ex P. Sancio colligo, qui *Dubio citato num.* 9. ait eum, qui eſt Auditor ordinarius, licet alia requiſita non habeat, ſuffragium præſtare poſſe, quia habet quod eſt ſubſtantiale. Atqui in caſu noſtro etiam habet quod ſubſtantiale eſt: poteſt ergo votum præſtare,

Et de non habentibus omnia requiſita ad Gradum.

Non eſſe idem de eo, qui ordinarius auditor non eſt, licet ſufficiens.

121 Verum quidem eſt eumdem Patrem cum aliis, quos citat *num.* 5. docere eum, qui cùm non ſit Auditor ordinarius talis facultatis, ſcilicet per maiorem anni partem, furtim ſe ingerit ad ſuffragandum, & ſic eſt cauſſa vt aliquis amittat Cathedram, teneri reſtituere. Quod quidem videtur intelligendum, etiamſi ſufficiens ſit, ob rationem inſinuatam ab illo, quia aliter quàm per ordinarios curſus non fit quis pars huius Vniuerſitatis: ſin minus quilibet prætergradiens, ſi ſufficientiam habeat, votum præbere poterit, ſi ſe furtim ingerat: quod conſtat dici non poſſe. Sed hoc non obſtat, quia ille, qui ordinarius Auditor non eſt, ſuffragari nequit, etiamſi ſufficiens, quia membrum Vniuerſitatis non eſt: Atqui is,

quà

Digitized by Google

qui Gradum cum ſufficientiâ ſuſcepit, & ſi ordinarius auditor non fuerit, membrum eſt Vniuerſitatis; poteſt igitur ſuffragari. Eſt autem pro eo manifeſta mens eiuſdem Patris *ſuprà Dub.* 57. *num.* 14. & 15. Vbi reſoluit contra aliquos eum, qui Gradum recipit non habens curſus neceſſarios, validè eum recipere, nec peccare mortaliter, ſecluſo iuramento, ſi aliàs ſufficientiam neceſſariam habeat. De quo etiam diximus *numer.* 89. id quod huic poteſt intento deſeruire. Et hæc occaſione vigeſimi primi Concordiæ Capituli ſint ſatis circa Indicas Vniuerſitates, vt filum iam abruptum connectamus.

Circa Vigeſimum primum Concordatorum Capitulum alia item nonnulla.

Intromiſſio in negotia prohibetur. Vbi de patrocinio oppoſitorum ad Cathedras.

122 SIc in illo poſt expoſita circa prohibitionem de Gradibus Vniuerſitatum: *Ni ſe entremetan en coſas ſemejantes, ni en negocio de gobierno, que no tocan à ſu miniſterio.* Quæ ſint hæc ſimilia, in primis dicere poſſumus talia eſſe, ſi quando oppoſitiones ad Cathedras contingunt, patrocinium alicuius ex oppoſitoribus ſuſcipiant, vocantes eos, qui ius ſuffragij habent, & vrgendo precibus, quæ in perſonis talibus non poſſunt non vim ſpecialem habere ob metum reuerentialem. Licet enim plures Doctores dicant preces, vt vim habeant incutiendi metum cadentem in virum conſtantem, debere eſſe vehementer importunas, & ſæpiùs repetitas, vt videre eſt apud Bonacinam *Tomo* 1. *Quæſt.* 3. *de impedimentis Matrimonij, Puncto* 8. *numer.* 6. §. *Addo cum aliquibus.* Vbi præſertim P. Leſſium ſuis ferè verbis loquentem inducit *Libr.* 7. *Cap.* 17. *Dub.* 6. §. 1. Si tamen preces, qualeſcumque ſint, eumdem habent effectum, de illis eſt ſimiliter vis eadem præſumenda. Cùm ergo timor malæ tractationis, & diuturnæ offenſionis, cum aſperitate vultus & verborum, pro ſigno metùs cadentis in virum conſtantem apponatur, & hic accidere poſſit, ſi precibus etiam non repetitis obſequatur quis, idem eſt de illis penitus aſſerendum. Inter communes autem reuerentiales metus, ille, qui reſpectu Inquiſitorum accidit, non infimum locum tenet, & fortè inter primarios computandus, multùm circa hoc influente verâ aut falſâ hominum exiſtimatione, à qua non poſſunt facilè reuocari. Siue enim ex vero fundamento, ſiue ex qualitate perſonæ ſit, tenaciter apprehendentis, malum cōſiderabile timeatur, eadem eſt ratio in ordine ad intentum, de quo agimus, vt benè P. Leſſius *ſuprà* §. *Reſpectiuè gratis*, ex quo & aliis Bonacina §. *citato* eam regulam ſtatuentibus, metum non eſſe metiendum ex cauſſa, à qua oritur, aut ex natura rei, ſed potiùs ex perſona, cui incutitur, de quo etiam dictum aliàs, & pro quo item videndus P. Ægidius *de Sacramentis, Diſput.* 28. *Dub.* 2. P. Dicaſtillus *Lib.* 2. *Tract.* 3. *numer.* 116. & *ſeqq.* vbi de metu reuerentiali reſpectu cuiuſcumque auctoritatem & poteſtatem habentis, P. Bauny *Tomo* 1. *Tract.* 12. *Quæſt.* 20. vbi de metu graui ob apprehenſum malum loquitur: qui & videndus poſt principium. §. *Tertiò eſt neceſſe*, vbi benè cum Nauarro ſtatuit, non alterius eſſe, quàm viri ſapientis de natura ac qualitate metus iudicare: Confeſſarij iniquàm in foro conſcientiæ; & iudicis in externo, quia omnino à circumſtantiis pendet. Et Deciſio Rotæ apud Dianam *Parte* 11. *fol.* 610. & *ſeqq.* vbi Profeſſio annullatur ob metum reuerentialem nepotis reſpectu patrui, & Doctores in patrocinium plurimi congeruntur. Et obſeruandum Doctores, qui preces vehementes & repetitas ad metum dictum requirunt, de illis loqui, quando præter earum moleſtiam nihil prætereà timetur: vbi autem alterius damni timor accedit, repetitio illa & vehementia neceſſaria non eſt, ob rationem dictam; ſufficit enim ſeria poſtulatio, quam homines graues adhibere ſemel tantùm ſolent, quia contra eorum auctoritatem eſſe videtur iterata. Videatur Baſilius Legionenſis *Lib.* 4. *de impedim. Matrim. Cap.* 5. & Dom. Villaroël *Parte* 1. *Pacificæ gubernat. Quæſt.* 3. *Artic.* 5. *numer.* 20. vbi ſic loquitur: *Es ſaber poco de Clerigos y Obiſpos, querer que ſe repitan los ruegos.* Sic ille. Quod caſui noſtro venit omninodis applicandum.

Preces pro vi quandò habeantur.

Reſpectu Inquiſitorum metus eſt cadens in conſtantem virum ratione illarum.

Vnde illius ratio ſumatur.

Dom. Villaroël.

De patrocinio Commendatariorum.

123 Deinde. Similia, quibus ſe immiſcere Inquiſitores prohibentur, ſunt patrocinia Commendatariorum, eorum ſcilicet, qui acceptâ à Mercatoribus pecuniâ, in Hiſpaniam ſe conferunt, empturi merces, & negotia alia tractaturi. Mercatores enim poſſunt aliquando minùs quàm vrgere, vt huic ſibi familiari ob amicitiam, vel alium reſpectum, copiam auri & argenti committant: ſicut & alios, qui pro diuerſis cauſſis copiam etiam ingentem tranſmittunt, ad quod ſæpiùs Religioſi tenentur, ob varias pietatis & iuſtitiæ rationes. Quod quidem negotium valde periculoſum eſt, quia Commendatarij parum ſe fideles exhibent, & cùm ſubodorari hoc Mercatores non ægrè poſſint, dum ad commendationem talem compelluntur, grauibus ſe iacturis exponunt, quod non ſemel experientia comprobauit. Non audent tamen Inquiſitorum petitioni reſiſtere, quia id timent, quod de ſuffragatoribus pro Cathedris nuper dicebamus. Et hic quidem maior eſſe timor debet propter reſtitutionis obligationem, ad quam in Cathedris non teneri probabile eſt ob fundamenta, de quibus *n.* 108. & *ſeqq.* In caſu autem præſenti tale aliquid non apparet, quia ſunt cauſſa damni abſolutè, quod nullo modo rationabiliter debebat pati, qui in illud conſentit, cùm nulla ſit inter eum & alium comparatio, ſicut inter dignum & digniorem; vnde currit communis regula in materiâ reſtitutionis, & lex Aquilia de damno dato. Videatur P. Palaus de Iuſtitia & Iure *Diſput.* 4. *de Commutatiua, Puncto* 15. *num.* 10. Vbi obligationem reſtitutionis ex vi & metu quomodocumque contingant, benè oſtendit.

Obligatio reſtitutionis.

A qua excuſantur multiplici ex capite.

124 Nihilominùs excuſari ab illa poſſunt. *Primò* ex bona fide, quam eſt credibile habere viros tantos, dum hæc gerunt. *Secundò.* Quia hoc non omnino inuiti faciunt Commendantes, dum ſic gaudent Inquiſitores ſibi beneuolos reddere, vt ipſis in eodem genere aut alio fautores mereantur. *Tertiò*, Quia nullus voluntati Inquiſitoris obſequitur animo ipſum ad compenſationem damnorum obligandi. *Quartò.* Quia reſtitutio talis non eſt in vſu, neque quiſquam de illa cogitat. *Tandem*, Quia aliquomodo ſuſtineri poteſt preces non inducere metum cadentem in con-

Digitized by Google

Preces non importunas non inducere metum cadentem in conſtantem viſum, qui cenſeant.

ſtantem virum, cùm importunæ non ſunt, iuxta P. Leſſium *ſuprà*. & P. Ægidium, qui eum citat & ſequitur *numer*. 35. vbi & rationem reddit illis verbis: *Cùm grauiſſimum ſit diuturnas ac continuas preces Superioris ſemper reijcere, cùm hoc non fiat ſine periculo grauiſſimæ offenſionis. Aliàs etſi hæ ſolitariè ſumpta aliquomodo duantur cogere, non tamen virum conſtantem.* Hæc ille: quibus non obſtantibus, videant D D. Inquiſitores ſe ſuis precibus ad damna prædicta inferenda exponi, vnde eſt abſtinendi obligatio manifeſta, quæ vt grauior ſit, lex facit Capitulo præſenti contenta.

P. Ægidius.

Quæ negotia aliena à munere Inquiſitorum.

125 Sed quid illud, *Ni en negocios de gobierno, que no tocan à ſu miniſterio*? Non equidem operoſa eſt intelligentia, quando ea; quæ propria miniſterij ſunt, adeò habentur perſpecta. *Propugnatores fidei ſunt*. Sic eos Eccleſia vocat in Oratione Secreta Miſſæ S. Petri Martyris, Propugnatorum omnium Choriphæi, Exemplaris, Protectoris. Militant ergo Deo: *& nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſecularibus, vt ei placeat, cui ſe probauit*, clamat Apoſtolus 2. *Tim*. 2. v. 4. Non igitur placebunt, ſi ſe negotiis ſæcularibus implicarint. Si Proregum palatia frequentent, vt conſultationibus, quæ Auditorum, ac Regalium Officialium ſunt propriæ, interſint; aut etiam non vocati, quæ huiuſmodi ſunt, domi agitent, & ſcripta conficiant, in quibus ſua proponant arbitria circa ea, quæ ad miniſterium ſuum nullam habent relationem. Quia verò Capitulum intromiſſionem tantùm vetat, *Ni ſe entremetan*, non erit contra illius diſpoſitionem, ſi à Proregibus aliquando conſulti de re aliqua ad cōmune regni bonū ſingulariter pertinēte, aut verbo aut ſcripto reſpondeant, quia hæc intromiſſio non eſt, neque Apoſtolico edicto repugnat, cùm tantùm prohibeat huiuſmodi negotiis ſe implicare, propriæ ſcilicet impetu voluntatis. *Implicat ſe*. Quod non accidit, quando ab alio, Regis nomine, eorum induſtria in caſu non frequenti prouocatur. Partes enim Reipublicæ ſunt, & illius quaſi membra, vnde & in corporis iſtius bonum operam debent conferre ſuam, quando illa neceſſaria, aut valde expediens contigerit reputari.

2. Tim. 2. v. 4.

Intromiſſio vetita non conſultatio.

Teſtamentorum executores vt eſſe poſſint.

126 Ad hoc etiam videtur ſpectare ne ſint executores teſtamentorum. Et quidem quando teſtamenta prophanas tantùm, aut principali ex parte diſpoſitiones tales continent, id videtur valde diſſonans, & quod meritò intelligi poteſt prohibitum in præſenti Capitulo; niſi fortè pietatis lege ad id viderentur induci, quia teſtatores eorum propinqui, neque habentes alios, quibus ea poſſit cura confidenter demandari. Si autem pias, id non ita diſſonat, quia & Epiſcopi ex officio habent pias omnes exequi voluntates, ſicut & Religioſi & Clerici ex teſtatoris deſignatione: iuxta Cap. *Tua nobis*, de Teſtamentis. Pro quo Dom. Barboſa *de Poteſtate Epiſcopi Allegat*. 82. *num*. 2. Sunt autem Epiſcopi Ordinarij Inquiſitores vt diximus *num*. 78. Et habetur expreſsè in *Clementina* 1. *de hæreticis* Quia verò diſpoſitiones tales poſſunt aliquando multùm ſolicitudinis & occupationis offerre, illæ etiam ſunt reiiciendæ iuxta Regis mentem & Concilij ſupremi.

Et Tutores ac Curatores.

127 Iuxta quam etiam videtur eſſe, vt Tutores, vel Curatores eſſe nequeant. Et quidem Teſtamentarij ac Datiui non ſolùm Clerici in ſacris conſtituti, ac Religioſi; ſed neque Epiſcopi eſſe poſſunt, per Textus, quos adducit P. Molina *Diſputat*. 221. §. *Religioſus*, *& ſeqq*. quamuis Epiſcopis id liceat reſpectu miſerabilium perſonarum, ſicut & Clericis dictis, ſi non Teſtamentarij & Datiui, ſed Legitimi ſint, quando ſcilicet proximiores in gradu pupillo ſunt. Quia verò ad id non tenentur, ea eſt cura ab Inquiſitoribus etiam reſpuenda, niſi grauis aliqua cauſſa faciendum aliter perſuadeat, in quâ pietas ſine notabili diſtractionis periculo miſceatur; in quo eadem quæ pro Executoris Teſtamentarij munere videtur ratio militare. Quod etiam de Tutoris ac Curatoris munere reſpectu miſerabilium perſonarū de Epiſcopis dictum, ad D.D. poteſt Inquiſitores extendi, vbi id officij Epiſcopi non præſtarent miſeris; cùm ſit illud ad Chriſtianam fidem ſpectans, vt meritò clamet Apoſtolus: *Si quis autem ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior*. 1. *Tim*. 5. *verſ*. 8. Huic ergo numeri *Propugnatores fidei* non immerito ſuam poſſunt vigilantiam applicare: ne & ipſi infidelitatis notam illam, quam D. Paulus miſeros non curantibus impingit; aliquatenus incurrere videantur: tunc præcipuè, cùm non quorumcumque, ſed *ſuorum* neceſſitatem id conſtat implorare.

Quinam tales eſſe poſſint.

Quorum ſpecialiter Inquiſitores.

1. Tim. 5. v. 8.

Circa Vigeſimum ſecundum.

Circa prohibitionem geſtandi arma in die Actus fidei. Pro quo rationes.

128 Qvod in hunc procedit modum: *Que el dia, que ſe vbiere de celebrar Auto de la Fe, los Inquiſidores de aqui adelante no prohiban tener armas, picas ſi conuiene que no ſe traigan el Virrey lo mandarà proueer aſſi.* Ratio cur prohibitio portandi arma in die Actus fidei ab Inquiſitoribus fieret, ea eſſe poterat, ne aliqui pro reorum defenſione tumultum in populo facerent, qui ignoti cùm eſſent, non poterat ipſos ſpecialiter prohibitio coërcere. Poterat etiam, ne occaſione concurſus, in quo circa loca rixæ oriri ſolent, ſanguis fidelium funderetur; cùm in Actibus huiuſmodi ſingularis debeat ſeruari modeſtia, & pacis cura præferri; ne ſcandalis occaſione exaltandæ fidei exortis, infidelium lancinentur conſcientiæ, & in ſuis erroribus computreſcant. Alia etiam eſſe ratio poſſet, vt ſcilicet ſingulare priuilegium Miniſtrorum S. Officij tunc eluceret, portandi ſcilicet arma, de qua dictum *numer*. 41. *& ſeqq*. Prior autem videtur genuina, & præcipua, ob rationem redditam, quod ſcilicet, ſi expedierit, id Prorex prohibebit: duæ enim poſteriores, cùm negotium ſacrum concernant, ad Proregem non videntur pertinere.

Quæ videatur genuina.

Meritò ablatam dictam conſuetudinem.

129 Quæcumquæ autem illa ſit, maximè conueniens fuit morem talem prohiberi, quia res moleſtiſſima eſſet reſpectu honorabilium perſonarum; diſcrimen autem inter populares conſtituere, res odio pleniſſima futura, & prætereà valde difficilis: neque inſuper neceſſaria: qui enim tumultuari poſſent, pauci eſſent, comparatione fidelis multitudinis, in quâ fidei zelus exardeſcit, vnde facilè tumultuantes, armati licet, ab armatis cōmprimi & opprimi poſſunt: quare nihil ab illis videtur timendum, qui multùm habent cur timeant, & diebus talibus in illis ſolet magis timor excitari, iuxta prouerbium noſtrum: *Cùm*

barbam

Digitized by Google

barbam vicini abradi videris, tuam laua. Quod & Latinum habet vulgari carmine: *Tunc tua res agitur, paries cùm proximus ardet.* Nihilominùs quia iuxta occurrentes circumſtantias expedire poſſet vt armorum depoſitio iniungeretur, id à Prorege præſtari poterit: circa quod admonitio ad Inquiſitores ſpectabit, ſed ille quod ſibi benè viſum fuerit, circa rem ipſam, & modum, adhibitâ conſultatione, præſtabit. In quocumque autem euentu cuſtodiæ ſuæ militiam armatam habebit; neque aliud ipſi licet, cùm perſonalis ea prærogatiua non ſit, ſed iuxta eius, quam repræſentat, dignitatem. Vt poſſit dicere, quod olim Iob: *Cumque ſederem, quaſi rex, circumſtante exercitu, eram tamen mærentium conſolator. Iob. 29. v. 25.*

Proregis ſemper armatum militiam futuram.

Iob. 29. v. 25.

Circa Vigeſimum-tertium.

Circa modum ſedendi in Eccleſiis. Vbi quòd intra Presbyterium non videatur licere.

130 IN quo vt ſequitur: *Que quando los Inquiſidores fueren à alguna Igleſia à publicar el Edicto de la Fe, ò à hacer otro acto de Iuridicion, ſe ſentaran en la Capilla maior en ſillas, teniendo delante vna alfombra, y almohudas, y los Oficiales vn banco cubierto con vna alfombra.* Ex cuius tenore inferre aliquis poterit *Primò* non licere DD. Inquiſitoribus in Presbyterio apparatum dicti conceſsûs habere, quia Presbyterium locus eſt in Eccleſia à maiori Capella diuerſus: quod aliunde ex eo colligitur, quòd pro conſeſſu dictorum Dominorum, & Officialium locus idem deſignatur, vt conſtat: Officiales autem intra Presbyterium non eſſe ſeſſuros, certius eſt quàm quod certiſſimum, vnde circa illud eſſe dubitatio nequit. Deinde, locus ille videtur Epiſcopo Diœceſano proprius, vt Pontificium Rituale diſponit: neque id, quod Epiſcopis proprium eſt, præfatis D. D. fieri commune poteſt: vnde neque ante ſe ſolium, ſeu Sitiale habere poſſunt, neque cum celebrante ante altare dicere Confeſſionem, benedicere incenſum, & benedictionem Diacono ante decantationem Euangelij, aut Concionatori præbere, & ſic alia. *Secundò*, apparatum illum pro iis tantùm concedi diebus, in quibus Actus fidei, publicationis Edicti, aut alij ad iuriſdictionem Tribunalis propriam pertinentes exercentur. Si ergo pro ſua deuotione in Feſtis aſſiſtant, aut ſponte aut inuitati, aliter dicendum videtur, iuxta propoſitum aliàs Iuris axiomà, quòd *limitata diſpoſitio limitatum producit effectum*, vltra quem nequit extendi.

Sed contrarium ſtatuitur.

131 Et ita quidem dicendum videtur attentâ verborum formâ; ſed eâ non obſtante aliter pronuntiandum. Poſſunt ergo intra Presbyterium ſedere, quia ſic eſt vſu receptum, neque locus ille minùs conueniens reſpectu illorum iudicandus eſt, cùm ſint Pontificis Delegati, qui in eiſdem honoratur, cui dignitati debet locus reſpondere. Pro quo videnda quæ habet Cæſar Carena *Lib. 1. Titulo 5. §. 6. & 7.* & pro eodem facit argumentum, quod pro ſimilitudine honorifici tituli conficit Paramus *Lib. 3. Quæſt. 9. numer. 23. & 24.* arguit enim in hunc modum: *Titulus Reuerendiſſimatus de iure eſt debitus Epiſcopis, vt in l. In contractibus §. In omni verò tempore. C. de non numerata pecunia, ibi: Per virum Reuerendiſſimum Epiſcopum. Igitur idem Titulus erit debitus Inquiſitoribus, qui in cauſſa fidei à Summo Pontifice Delegati videntur aſſumpti quoad iuriſdictionem ad præcipuam partem muneris Epiſcopalis.* Sic ille. Quod ſe citatus Carena probaſſe ait in *Adnotationibus ad Quæſtionem Tertiam Guidonis Fulcodij Cardinalis*, qui poſteà fuit Pontifex Clemens Quartus *numer.* 8. Incipiunt autem Quæſtiones ad calcem operis *pag.* 469. quæ per errorem eſt 169. In citato autem loco nihil habet. Poteſt autem videri in *Adnotationibus ad Quæſtionem Quartam*; vbi benè oſtendit Inquiſitores eſſe Pontificis Delegatos. Et etiam *Quæſt. 8. numer. 8.* vbi probat Epiſcopum in cauſſis fidei eſſe inferiorem Inquiſitore. *Et Quæſt. Prima num. 16.* ad quam ſe refert.

In Titulo honorifico Epiſcopis ſimiles.

Paramus.

Alia pro ipſis.

Eorum ſuperioritatem non eſſe tantùm ſecundùm quid.

132 Plus autem eſt quod affirmat & probat *citato §. 7. num. 64. & ſeqq.* Superioritatem ſcilicet Inquiſitorum non ſolùm eſſe ſecundùm quid, ſed abſolute: quia non ſunt delegati ad vnam cauſſam, ſed ad vniuerſalitatem cauſſarum in negotio fidei contra omnes & quaſcumque perſonas. Ex quo deducit Inquiſitorem in ſeſſione debere præcedere Vicarium generalem Epiſcopi, etiam in actibus indifferentibus, quando ſcilicet non exercent ſuam iuriſdictionem. Ex quibus id deduci poteſt, quod ad caſum præſentem ſpectat, poſſe videlicet intra Presbyterium ſedere, vt ſicut in Titulo æquiparantur Epiſcopis, ita & in loco; licet in aliis, quæ ad ritus ſacros pertinent, non debeant exæquari, quia propria reſpectu Pontificiæ dignitatis ſunt, vt ea, de quibus *numer.* 130. Neque hoc negatur in præſenti Capitulo, ſed id ſtatuitur, quod frequentiùs accidit, vt ſcilicet DD. Inquiſitores cum Officialibus aſſiſtant: & quia iſti in Capellà maiori etiam ſeſſuri, locus ſeſſionis communi nomine deſignatur. Præterquàm quòd Presbyterium pars maioris Capellæ dici poteſt in aliqua non impropriâ ſignificatione: & quia fauorabilis eſt diſpoſitio, ad illud extendi, iuxta communem de priuilegiis doctrinam, pro qua ſæpiùs. Quòd autem id ſeruandum ſemper ſit, ſatis videtur rationi conforme, ne illorum vileſcat auctoritas. Et quia, vt in ſimili arguit Carena *ſuprà numer.* 62. Cùm in quocumque loco interueniant, ſemper ſint cum qualitate iuriſdictionis dictâ, tamquam Apoſtolici inquam Delegati, eumdem debent tenere auctoritatis apparatum; id quod in Epiſcopis etiam obſeruatur.

Quid inde pro honoribus, & præſertim circa ſeſſionem in Presbyterio.

Titulum Dominationis, ſeu Señoria, poſſe illis attribui.

133 Occaſione autem dictorum quæri poteſt an Inquiſitoribus attribui poſſit Titulus *Dominationis*, vulgò *Señoria*. Et cùm pro Tribunali ſedent, nulla eſt dubitatio, ſic enim eſt vſu receptum, quocumque etiam modo in Tribunali adſtent, nec ſolùm omnibus pariter, ſed etiam ſingulis: vnde difficultas tantùm eſt de vulgari aut ordinariâ allocutione, ſiue verbali, ſiue per ſcripta. Et ita quidem paucis abhinc annis cœptum introduci, ſed renuentibus eorum primariis, etiam in Epiſcopatibus præſentatis, quia Epiſcopatus admittere renuerunt: quod & aliqui recentiùs admiſſi ſequuntur, quorum eſt modeſtia meritò collaudanda; ſine vituperatione autem aliorum, qui dum permittunt, ſuæ illud dignitati non indignum arbitrantur. Et ita quidem dici poteſt, non obſtante Pragmaticâ, quæ vix eſt vnquam obſeruata: arguique poteſt ex Titulo *Reuerendiſſimatus*: ſicut enim quia ille E-

piſcopis proprius eſt, attribui etiam Inquiſitoribus poteſt ob præſtantiam dignitatis, iuxta dicta, *numer.* 131. ita & de Titulo *Dominationis* conſequenter videtur aſſerendum, qui Epiſcopis attribuitur iuxta *l.* 18. *Tit.* 1. *Lib.* 4. pro quo Auctores adducit Dom. Villaroël *Parte* 1. *Quæſtio.* 1. *Art.* 3. *num.* 15.

Ex titulo Dominationis arguitur.

134 Pro quo & facit receptiſſimus vſus, iuxta quem Inquiſitores *Domini* vocari ſolent, & ita non nudè Inquiſitores, ſed DD. Inquiſitores, cùm de illis agitur, compellari, vulgo *Señores*, vnde abſtractum nomen *Señoria*, ſicut *Dominatio* comparatione *Domini*. Quemadmodum enim *Sanctiſſimi*, & *Beatiſſimi* Tituli Summo Pontifici proprij ſunt, & proptereà cùm eum Titulis *Sanctitatis*, & *Beatitudinis* compellamus; ita & in propoſito dici poteſt. Quod quidem cùm in nullius præiudicium cedat, & ad æſtimationem muneris tanti videatur conferre, non eſt cur pro eo litem Dominis intendamus. Facit item pro eodem, iudicibus Conſeruatoribus Titulum præfatum attribui ſolitum, eò quòd ſint Sedis Apoſtolicæ Delegati: quod multò excellentiùs in D D. Inquiſitoribus cernitur, quandoquidem ad cauſſas maiores eis Apoſtolica iuriſdictio, & vniuerſalius delegatur. Vbi argumentari etiam poſſumus ſicut Carena *ſuprà* §. 55. circa Titulum *Reuerendiſſimatus*; ſic enim ille: *& cùm hic Titulus nunc indiſtinctè tribuatur Vicariis Epiſcoporum, qui longè inferiores ſunt Inquiſitoribus in cauſſis ad S. Tribunal ſpectantibus; maximum eſſet abſurdum eum denegare Inquiſitoribus* Sic ille; quod ex Conſeruatoribus, & aliis arguendo, ſimiliter applicandum.

Et ex iudicibus Conſeruatoribus.

Et ex aliis cum Carena.

Circa Vigeſimum-quartum.

Contra Proregem per Cenſuras non procedendum. Et quid circa competentias iuriſdictionis.

135 IN quo ſequentia: *Que los Inquiſidores no procedan con Cenſuras contra el Virey en ningun caſo de competencia de Iuridicion. Y el Virrey no aduocarà ninguna cauſſa, ni delito de Familiares, ò Miniſtros de la Inquiſicion, en que ouiere, ò ſe eſperare auer competencia de Iuriſdicion: antes lo dexarà las Audiencias y Iuſticias Ordinarias, paraque con ella los dichos Inquiſidores puedan formar la dicha competencia, ſi la vbiere de auer.* Sic ibi. Vbi limitatio circa excommunicandum Proregem omnimoda non eſt, ſed circa materiam competentiæ in iuriſdictione: circa alia ergo eorum brachium non eſt alligatum: cohibendum tamen, & poteſtate ſibi à Sede Apoſtolicâ traditâ, annuente Rege, non niſi in caſu rariſſimo vtendum, quia aliàs turbamenta poſſunt periculoſiſſima pertimeſci. Pro quo videnda quæ diximus *Titulo* 3. *Cap.* 15. & iis addendum, vbi fundamentum competentiæ ex parte Proregum apertè iniuſtum eſt, ratione cuius ille in excommunicationem incurrerit, non prohiberi D D. Inquiſitoribus eos incurſos denūtiatione publicâ declarare, ſeruatis Iuris diſpoſitionibus. Sed quia in hoc ſcandala poſſunt timeri ſimilia, ad illud non eſt niſi ex cauſſis vrgentiſſimis veniendum.

Prorex quas cauſſas ad ſe auocare poſſit.

136 Quoad id verò de non auocandis cauſſis, ea excipienda ſunt, in quibus Prorex iudex Ordinarius eſt, ita vt iudex alius Ordinarius non ſit, ſed tantùm delegati: quia Capitulum de cauſſis tantùm procedit, quæ ad Audientias, & iudices Ordinarios ſpectant; vt dici cauſſæ militum poſſunt: non enim conſtat Auditorem militiæ Ordinarium iudicem eſſe per ea, quæ adducit Couarrubias *Practicarum Cap.* 4. *numer.* 8. & ſpecialiter in fine de Præfecto Prætorij, cui ſimilem eſſe Proregem affirmant ij, quos adducit Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 4. *Cap.* 9. *numer.* 9. vnde non facit delegatus iudex vnum cum eo tribunal, quandoquidem ad ipſum appellari poteſt. Videatur idem Dom. Solorzanus circa iudicialem Proregum poteſtatem vt Generales Duces ſunt etiam *Lib.* 2. *Cap.* 31. *n.* 7. *& ſeqq. & Lib.* 4. *Cap.* 10. *à numer* 34. & præſertim in Politica *Lib.* 5. *Cap.* 18. *pag.* 919.

Circa Vigeſimum-quintum.

Circa formam in competentiis erga iuriſdictionem ſeruandam.

137 DE modo decidendi difficultates circa iuriſdictionem, cùm caſus competentiæ occurrerit, in eo agitur, & concludendum ſtatuitur concurrente antiquiore ex Regiis Auditoribus cum antiquiore Inquiſitorum: & quid faciendum cùm inter eos non fuerit concordatum. Sed quia vbi eſſet talis faciendus concurſus non expreſſum, & quis ſeruandus præcedentiæ modus, dum Auditores Regij ſuæ ſtudent auctoritati conſulere, & ſuæ item Inquiſitores, executio prædictæ Concordiæ nimiſquantùm retardata, & licet ſuper eo Regia reſcripta prodierint, nihil ampliùs, nouis ſuperſedendi executioni adductis rationibus, eſt progreſſum, de quo dictum *numer.* 34. Iuuat autem verba Dom. Solorzani ex Politica *pag.* 712. *Col.* 2. hic apponere, qui poſt declaratam grauiſſimorum Senatorum conſultationem, qui ad id fuerant ex diuerſis Regiis Conſiliis aduocati, inter quos & ipſe, ita ſcribit: *Y finalmente ſe reſolvio por mayor parte, que el Oydor mas antiguo vbieſe de ir, y fueſe al Tribunal de la Inquiſicion, à ver y determinar las cauſas de eſtas competencias, en el qual precedieſe y preſidieſe el Inquiſidor, como ſe decia auerſe hecho por lo paſado. La qual coſtumbre, y lo que ſiempre ſe ha deſeado, y es Iuſto que ſe procure fauorecer y autorizar todo lo que tocare à la ſanta Inquiſicion, motiuo mucho à ſeguir eſte parecer à los graues y doctos Miniſtros, que interin ſeran en eſta junta, conque queda ya corriente la forma, que para lo de adelante ſe ha de tener en las Indias en determinar eſtas competencias.* Sic ille. Licet autem ipſi ſic viſum fuerit, non tamen video negotium iſtud penitus abſolutum, & vnde hoc proueniat, neſcio: cùm tamen ſciam illud non abſolui, ſine grauibus detrimentis non ſtare, de quibus Dom. Solorzanus in Politica *pag.* 711. *Col.* 1. *& Tomo* 2. *Lib.* 4. *Cap.* 4. *num.* 64. Cumque in iis non dubitem ſupremum S. Inquiſitionis Tribunal ſufficienter certioratum, quidquid agitur, aut toleratur, non ſine magno conſilio fieri, & ita non eſſe damnandum, nequit dubitari.

Finalis circa eam reſolutio.

Dom. Solorzanus.

De cuius omnimoda executione non conſtat.

Quid expedire videatur auctori.

138 Et vt id, quod pro mea tenuitate aſſequor, dicam in hac parte, dum competentiæ futuræ ſunt, & iudices vtrimque deſignandi, nihil poteſt, quod deſiderio communi ſatisfaciat, ex tali concurſus diſpoſitione ſperari, quem & illi refugiunt, aut eò ſuccedente non conuenient, & diſcordiæ ex diſcordiis ortæ vix finem accipient, quia & recuſationes eſſe poterunt, & non leuium

occaſiones

Digitized by Google

occaſiones emergent ſimultatum. Res ergo hæc Tribunalis ſancti arbitrio relinquenda, aggrauatis pœnis, etiam per Cenſuras, vt Concordiæ Capitula ad vnguem ſeruentur, Prorege admonito, vt eos ſui officij in caſuum contingentiâ curet admoneri, & ſi quem exceſſum deprehenderit, Supremum Indiarum Conſilium admoneat, vt de remedio, Rege conſulto, & Supremo S. Inquiſitionis Præſide, faciat prouideri. Minus enim inconuenientiæ habet, vt aliquis quandoque eueniat exceſſus, quàm vt cauſſa publica paſſim grauia incommoda patiatur. Illis equidem, quibus data eſt poteſtas reos læſæ Maieſtatis diuinæ repertos Curiæ ſeculari tradendi, flammis acribus addicendos, minora alia meritò poſſunt in gratiam officij ſancti, & tuendæ publicæ pacis reſpectu permitti. Errare quidem aliquandò poterunt, fateor. Sed quis ſcit Auditore adiuncto, errori locum non futurum? Neque enim Auditor ad corrigendos errores datur. Quòd ſi ſuo conſilio iuuet, magni, vtpotè litterati viri, faciendo; plures ſunt equidem homines litterati, & doctiores, quos Inquiſitores conſulere poſſunt; vel ſi non conſulant, aduocati tamen eſſe poterunt, vnde & lucem illis ad deciſionem emergentis controuerſiæ præbere. Hæc ſi non placeant, opportuniora alia conquirantur, & vtinam Deus votis communibus acquieſcat.

Adiunctus Auditor momenti quanti.

Circa Vigeſimum-ſextum.

139 Verſatur illud circa Proreges, quibus præſcribitur in Actibus fidei ſeruandus. Debet enim eo die cum Regio Senatu, & comitatu Nobilium in domum primariam S. Officij ſe conferre, & medius inter duos Inquiſitores vſque ad locum pro iudicio deſignatum incedere, eumque in conceſſu tenere ordinem, quem in progreſſu tenuerunt: & Actu peracto ad domum S. Inquiſitionis ſimiliter redituri. Quòd ſi vnus tantùm Inquiſitor ſit, ad ſiniſtram Proregis ibit, & ſedebit, & ſuam in domum reuertetur. Quæ omnia Catholicam, & Hiſpaniæ maximè propriam redolent pietatem. Non videtur autem actioni iſti vndequaque prouiſum. Quid enim ſi plures duobus Inquiſitores ſint? Tunc ſiquidem ſi Prorex medius inter duos futurus, aliis non aſſignatur locus, & poteſt circa hoc grauis controuerſia inter illos & Proregem excitari. Quòd enim minùs antiqui anteire debeant more Regiorum Auditorum, id ipſi fortè non patientur; eò quòd notabilis ea differentia appareat, & quia in conſeſſu non eſt talis ordo ſeruandus, ſed omnes vno conſeſſuri gradu: ſi verò omnes in eadem lineâ incedere velint, tunc medius non erit Prorex, cùm impares fuerint, inter tres enim medius eſſe nequit, etiamſi ad vtrumque latus eos habeat; quia eo modo Inquiſitorum antiquior medius pariter ibit; quod præeminentiæ loci, Proregi ſingulariter debitæ, videtur obuiare.

Modus Proregibus in Actibus fidei tenendus.

Specialis difficultas.

140 Verùm circa hoc peculiaris nequit inſtructio deeſſe, & iuxta eam conſultatio debet matura præcedere, ne in ipſo concurſûs & comitatûs articulo contentio cum indebitis & valde importunis pro occaſione illâ clamoribus, oriatur. Illud autem, dum aliud non eſt à Supremo Conſilio diſpoſitum, videtur expediens, vt ſi Inquiſitores ſint pares, medium Proregem habeant; ſi tres, (plures enim quàm quatuor numquàm erunt) minùs ex illis antiquior proximus antiquiori ad eius dexteram procedat, ſed non in eadem penitus lineâ, aut alâ, iuxta modum loquendi, quem ſequitur Rota in vna apud Dianam *Parte 9. fol. 603. §. Primus modus*, ita vt aliquantulùm antecedat, ad eum modum, quo Auditorum antiquior ad Proregis latus ire debet in actibus publicis, in quibus cum Audientia aſſiſtit, iuxta Schedulam Regiam, cuius tenorem adducit Dom. Solorzanus *Tomo 2. Libro 3. Cap. 3. numer. 42.* & in Politica *pag. 769. Col. 1.* Quòd ſi Proreges in non ſeruato ſcrupuloſiùs hoc ordine aliquando diſſimulent, id quidem eorum auctoritati nequaquàm officiet, quando res, quæ agitur, adeò ſublimis eſt, & ad Religionis Catholicæ integritatem ſeruandam tantoperè neceſſaria, vt quidquid pro eo confert, ad ipſorum gloriæ cumulum conferre meritiſſimò debeat reputari. De quibus hæc ſatis ſit, ſicut etiam de aliis, pro noſtra tenuitate proluſiſſe.

Pro qua aliqualis emendatio.

Circa Proreges religioſa praxis.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX

EORVM QVÆ IN HOC SECVNDO THESAVRI INDICI TOMO CONTINENTVR.

Prior numerus Titulum indicat, Poſterior marginalem, niſi aliud notetur.

A

Abſens.

ABſentes quando pro præſentibus habeantur in ordine ad emolumenta Eccleſiaſtica. T. 18. Cap.7.

Abſolutio.

Indos abſoluendi ampliſſima facultas. T.12. 293. & ſeqq. vbi notanda multa.

Religioſi an poſſint quod Epiſcopi in ordine ad illud. 295. & 296.

Omnes Indiarum incolas poſſe abſolui à Religioſis in caſibus Bullæ Cœnæ per ſua priuilegia. 300

Excepta hæreſi, vbi eſt Inquiſitio. 301. vbi quòd nec virtute Cruciatæ.

Secus vbi non eſt Inquiſitio. 302. vbi quando dicatur non eſſe. 304

Licere abſolutè virtute priuilegij Pauli videntur probare adducta à docto Magiſtro. 305. & ſeqq.

Sed non id generaliter admittendum. 308. & 309

Societas IESV an tali priuilegio renuntiarit. 310. & ſeqq.

Priuilegij dicti vſus vt queat ſtare modo dicto, etiamſi adſit Commiſſarius, aut Vicarius Epiſcopi. 315

Quid de Capitulo. 316. & ſeqq.

Abiuratio vt requiratur. 322

Nullus ſe manifeſtare tenetur, vt abſoluatur ab Inquiſitoribus. Ibid.

Religioſi vt poſſint abſolui in Indijs. 323. & 324 vbi de hæreſi.

An ex eo quòd Prælati Regulares eadem qua Epiſcopi gaudent facultate, id præſtari queat. 325. & ſeqq.

In Indijs ſpecialem eſſe rationem ob diſtantiam & caſum non eſſe Papalem, ac Religioſis competere. 328

Academia.

Quale peccatum ſit Gradum ſine examine ſufficienti conferre. T.20. 80

Præſentatis ad Epiſcopatus non poſſe Gradus conferri, ſi de eorum ſufficientia non conſtet. 82. & 86.

Si probabilis notitia, eſſe probabile. 83. quale teſtimonium futurum. 85

An illud exhiberi poſſit pro ijs, qui Iura profeſſi ab Vniuerſitatibus, in quibus illorum non ſunt Prælectores. 87. & 88. vbi illud eſſe probabile.

Collationem cuiuſcumque Gradus eſſe mortalem, ſi indignus ſit. 89. & ſeqq.

In lucratiuis Actibus ſerò venientes non lucrari. 92. & 93. vbi de obligatiòne reſtitutionis.

Circa ſubornationem notanda doctrina. 94. & ſeqq.

Gradum in Academijs Societatis acceptum ab alijs debere recipi. 111

Ab Epiſcopis non poſſe conferri, niſi ſeruata forma conceſſionis. 112. & ſeqq. & in eo non poſſe diſpenſare. 115. & 116.

Religioſos poſſe tutò ſuffragari pro oppoſitoribus ſuæ Religionis. 118. vbi quod illorum litteratura Eccleſiæ ſit vtiliſſima. Alia num. ſequenti.

Qui non eſt ordinarius auditor an queat ſuffragari. 120. & 121.

Vide Reſtitutio.

Actus.

Committenti, & non exequenti vt tribuendus. T.12. 100

Interpretatiò facienda vt actus valeat. 169

Actus agentium non operantur vltra eorum intentionem. T.19. 59.

Pœna non cadit ſupra actum imperfectum. T.20. 3

Actum merè internum ab Eccleſia non poſſe puniri. 18

Æthiopes.

Indorum priuilegijs gaudere. T.12. 442

Quæ obligationes Parochorum circa illos. T.16. 21

Non teneri heros licentiam ad coniugium illis concedere, neque beneplacitum oſtendere. Ibid. Vbi & quod circa Indos ſtatutum, ne quidquam petatur à Parochis, pro illis ſuffragari.

Quæ conſuetudines laudabiles circa prædictos ſint. Ibid.

Altare.

Pro Portatili priuilegium Societatis communicant Religioſi alij, ſed ſi Miſſiones faciant. T.12. 227

Non poſſe ab Ordinarijs aut Delegatis impediri. 228 vbi de Commiſſario Cruciatæ, & quòd neceſſaria pro Miſſionarijs ſit licentia Superioris.

Ampliora alia priuilegia. 228. & ſeqq.

Specialis difficultas ob verba Pontificum circa loca, in quibus licet. 229. & 230

Quando ſine priuilegio liceat vſus. 231. vbi quod liceat in publico.

An Epiſcopi compellere Religioſos poſſint vt illo non vtantur. 233. vbi generalior quæſtio.

Appellatio.

A Gubernatore Epiſcopi ad ipſum appellari vt poſſit. T.19. 11. vbi doctrina peculiaris.

Archiepiſcopus.

Diuiſa Prouincia an nouus Archiepiſcopus ſubiectus maneat legibus Concilij Prouincialis ante diuiſionem celebrati. T. 12. 431. vbi quid de ſubditis. 432

Eorum dignitas de iure diuino non eſt. T.13. 26

Non accepto Pallio an poſſit aliquando Chriſma conficere. 49. & 50. & ordines conferre. Ibid. & 52

Chriſmatis prohibitione non venire oleum infirmorum. 51.

An

Digitized by Google

An Epiſcopos conſecrare. 53
Non poſſe conuocare Concilium, & conſecrare Eccleſias. 54
Neque benedicere Abbates, aut Virgines ritu ſolemni, neque deponere reali depoſitione. 55. *vbi quòd ſufficiat verbalis.*
Quid faciendum, cùm Pallium collaturus diſtat, &c. 56
De iuramento, & profeſſione fidei ſimilis reſolutio. 57
Pallium ab alio accipiendum, etſi Procuratori Romæ traditum. 58
Circa ſuffraganeos debere Indicos vigilare, licèt viſitare nequeat. 59. *vbi de modo à Iure diſpoſito circa curam.*
Teneri ad conuocanda Concilia, & quæ pro Indijs impedimenta. 60
A viſitatione Prouinciæ generaliter excuſari. Et quid pro caſu ſpeciali. 61
Circa appellationes quanta obligatio. 62. *vbi de cura etiam circa notoria.*
Viſitatorem vt dare queat, ſuffraganeo Capitulo negligente. T.19.23.

Auaritia.

Quando mortalis. T.13, 15. *vbi & de ambitione &* 74
Mentes obnubilare. T.15.2

B

Baptiſmus.

QV*æ neceſſitas ſufficiat ad baptizandos Indos ſine ſolemnitate.* T.12.193. *& ſeqq.*
An eo modo baptizare eos poſſint qui Parochi non ſunt. 197. *& ſeqq. vbi præſertim de Religioſis. De ſæcularibus.* 200
Mortale eſſe ſine neceſſitate modo præfato baptizare. 198
Quid ſpeciale circa infideles. 199
Si non integra ſolemnitas eſſe poſſit, adhibendam poſſibilem. 200
Pro filijs Regulorum an extet aliquod priuilegium. 201. *& ſeqq. vbi de priuilegio circa filios Principum vt baptizari extra Eccleſiam poſſint. cùm generalis lex obliget ſub mortali Indorum infantibus quando conferri poſſit etiam à non Parochis.* T.16.59
Baptizari in abſentiâ Parochorum quâ id linguâ facturi. 62
Ab Indijs collatus ſub conditione iterandus. 63
Circa vnum teſtem doctrina vtilis, & alia ſcitu digna. Ibidem.
Stare iterationem, etiamſi rationem reddant recta adminiſtrationis, contra aliquos. 64
Baptiſmi in re, aut in voto abſoluta neceſſitas ad ſalutem. 65
In contritione illud & amore ſuper omnia contineri, & ſic duo caſus in Decretalibus extantes declarati. 66
Ex Pontificum deciſionibus videri probabile ſufficere attritionem cum affectu erga Baptiſmum. 67
Infantes ſine illo mortuos à regno excludi, nec votum parentum ſufficere. 68. *vbi pro oppoſita ſententia cenſuræ.*
Sententia alia de ſupplente Deo defectum in adminiſtratione, reiecta. 69
Ebrietates in diebus Baptiſmorum debere Parochos propulſare. 70

Beneficium Eccleſiaſticum.

Nequit pro eo conſequendo promitti pecunia pio operi applicanda. T.13. *& ſeqq.*
Dari poteſt donatiuum, & quomodo. 10
Promiſſio an liceat ſine animo ſoluendi. 11
Non deberi quidquam pro labore impenſo. Ibid.
Opinio quorumdam de pacto circa ea, quæ reipſa dari poſſunt. 12
Non benè applicari, nec ſuſtinendam generaliter, & quomodo compenſatio laboris fieri poſſit. 13
Renuntians ſine Superioris licentiâ nequit ad Beneficium reuerti, licèt poſſit compelli. 43
Præſentatione nõ contrahi matrimonium de futuro. 44 *vbi quòd non retrotrahitur renuntiatio.*
Nec ſolùm per eam vinculum, ſed in pœnam ſtatu priuationem. Ibid
Si tenue Beneficium ſit, non eſſe obligationem reſtitutionis ob defectum recitationis Officij. T.16.15. *&* 16
Attendenda miniſteria alia præter recitationem. Ibid. *&* 17.
Quintam partem in Parocho & Epiſcopo ſufficere, ex aliquorum ſententia. 16
Beneficium quid ſit. T.17.16
Perpetuitatem aliquam eſſe pro eo neceſſariam. Ibid. *&* 18. *ac ſeqq. vbi de Manualibus, & Indicis Religioſorum.*
Illiterati incapaces Beneficij qui dicantur. T.18.46
An illicita collatio. Ibid
Bacchalaureum ceteris paribus præferendum in prouiſione. T.20.90
Vide Parochus Religioſus.

Bigamia.

Vide Capitulum Cathedrale.

Bona Eccleſiæ vacantis.

Vide Quarta.

Bona Inteſtatorum.

Ex illis non eſt obligatio applicandi quintam partem pro eorum animabus. T.16.88

Bulla.

Pauli V. pro Societate quid ſpeciale circa priuilegia contineat. T.12. Cap.3
Quinque aliæ pro eiſdem. 31
Vt debeat earum tempus computari. 37. *& ſeqq.*
Bulla Innocentij X. circa gubernationem Societatis. 39 *circa quam Excurſio à num.*40. Ibi Index.
Bulla Pij V. circa Confeſſarios pro Indijs, quando locum habeat. 181. *& circa alia.*
Bulla Vrbani VIII. circa tempus implendi præceptum annuæ Confeſſionis & Communionis in Indijs. 430
Ex Bullis non ſemper argui poſſe, quia iuxta narratiuas non veras emanarunt, aut precibus importunis. In Appendice ad T.17. *poſt* T.19.*num.*6. *Aliæ multæ Bullæ per opus diſperſæ. Vide præſertim.* V. Capitulum.

Bulla Cœnæ.

Conceſſione caſuum illius venire hæreſim iuxta praxim Pœnitentiariæ. T.12.312
Circa armorum venditionem quid liceat. 477. *&* 478
An delatio prohibita tantùm, & non venditio. 479 *vbi quid pro Indijs.*
Sola in illâ damnata præſumptio. T.13.30

Bulla S. Cruciatæ.

Indi an illâ indigeant ad lucrandas Indulgentias, quæ extra Bullam conceduntur. 484. *& ſeqq.*
Ad diſpenſationes pro Matrimonio non indigere. 486
Pro eadem alibi.

Bulla Compoſitionis.

Vide Compoſitio, *vt neceſſaria non ſit.*

Canonicus.

Digitized by Google

C

Canonicus.

Religioſos non poſſe eſſe Canonicos. T.18.14 & 15

Vide Præbendarius.

Cantus.

Qualiter eo D. Auguſtinus in Eccleſiâ ſe experiretur affectum. T.16.116. vbi qualis ab illis arcendus.

Ad illum obligati Præbendarij. T.18.71

Matutini cantum non omittendum. 74. vbi præſertim de Indijs.

Capitulum Cathedrale.

Sede vacante non obligari ad eligendum Vicarium intra octo dies. T.12.317

Apud illud juriſdictionem reſidere. 318

Non poſſe licentias ab Epiſcopis Religioſis datas reuocare. 339

Capituli definitio. T.18.13

Circa bona Menſæ vt queat diſponere. Ibid. vbi quòd in vno ius Capituli conſeruari poteſt.

Sede plena quæ illius obligationes. T.19.1. & ſeqq.

In receptione Epiſcopi quomodo graue peccatum poſſit contingere. 2

Sicut ſi renuat comitari Epiſcopum, & quid circa praxim obedientiæ. 3

Capitulum vnde dictum. Ibid

Peccat item grauiter ſalaria Miniſtris competentia denegando. 4

Et in decimarum adminiſtratione cum onere reſtitutionis. 5

Eccleſia quando dicatur vacare, vt Capituli incipiat juriſdictio. 6. & ſeqq.

Dum non recedit à diœceſi, poſſe Epiſcopum gubernare, ſecus ſi recedat, quia eſt tacita renuntiatio. 8

Stare expreſſam intra diœceſim poſſe. 9. vbi notanda doctrina pro Indijs.

Capitulum non debere reſiſtere, ſi probabiliter procedat Epiſcopus. 10

Sola præſentatione non induci vacationem, niſi Epiſcopus longam profectionem aſſumat. 11

Nec poſſe tunc Gubernatorem relinquere. 12

Spirituale coniugium quomodo tunc ſola præſentatione ſoluatur. 13

Diſpoſitio Concilij Trident. circa electionem Vicarij an tantùm locum habeat, cùm Eccleſia vacat per mortem Prælati. 14

Teneri ad electionem intra octiduum. 15. vbi quod ſub mortali; (etſi ſecus aliqui T.12.317.) ſicut & ad doctum eligendum, licèt non eminentem. 16

Quid de Vicario Collegiatæ. Ibid

Gradum in Iure Canonico habiturus, & ſecus eligentes vt peccent. 17

An ex gremio Capituli. 18

Peritum in Ciuili, ceteris paribus, ſub graui obligatione præferendum. 19

Et peritum in Canonico, laureato in vtroque, ſed minùs in illo peritus, licèt in Ciuili emineat. 20

Ceteris paribus, Theologum præferendum. Ibi. Aſſert. 3. & 21. cum Theologiæ commendatione.

Indiarum Capitulum ſicut alia poſſe eligere, cum obſeruanda doctrina. 22

Capitulum poſſe viſitare, quia ſuccedit in juriſdictione neceſſaria. 23. & 24. vbi obſeruandæ limitationes.

In Indijs poſſe Capitulum viſitationem omittere. 25

De pactione ſimoniaca, quæ eſſe poteſt, Capitularium cum viſitatoribus. 26. & ſeqq.

Non poſſe illos eſſe viſitatores, etſi viſitent, diſtributiones vt queant lucrari. 30

Circa Beneficia in Indijs, quæ Regij Patronatus ſunt, idem poſſe quæ Epiſcopi. 31. & circa alia. 32.

Reſignationem in fauorem an poſſit admittere. 33. & ſeqq. vbi diuerſæ pro eo ſententiæ.

In Indijs non licere, ob ius Patroni, quidquid de alijs. 56. & 57.

Circa diſpenſationes poſſe quidquid Epiſcopi. 62

Circa directas Epiſcopo variæ ſententiæ. 64

Affirmatiua pro Indijs præfertur. 65. vbi quòd obligatoria eſſe poteſt, & de obligatione circa ſtylum Curiæ & Cancellariæ.

Poſſe diſpenſare cum illegitimis in Indijs quoad Ordines Minores, & Beneficia ſimplicia, & quoad interſtitia intra primum annum generaliter. 66

Ad Ordines etiam ſacros, & Beneficia Curata Indorum. 67. vbi quod ſuccedat in juriſdictione ex conſuetudine.

Bullas Pij V. & Gregor. XIII. quoad Ordines vim etiam nunc habere. 68. vbi circa Meſtizos peculiaris animaduerſio, & ſalutare monitum Concilij Limenſis tertij. 69

Bullam Gregorij circa Beneficia vim habere, & Bullam Pij non de ſolis irregularitatibus ex delicto procedere. 70. & 71. & ſeqq. vbi quòd ſine priuilegio diſpenſari in Indijs poſſit, juxta aliquorum ſententiam.

Pro homicidio in bello diſpenſari poſſe. Et quid ſpecialiter, ſi iniuſtè factum. 75

Caſus aliquis diſpenſabilis in bello iniuſto. 76

Diſpenſare circa bigamiam poſſe ad Ordines minores, & Beneficium ſimplex. Et probabiliter circa Maiores, quando eſt ex delicto: quod certum juxta priuilegium dictum. 77

Probabile etiam de eâ, quæ ex delicto non oritur. Ibid & 78.

Quid ſi occulta. Id poſſe fieri. 79

Quod etiam de homicidio juxta aliquos. Ibid

Diſpenſationes Matrimoniales ad ipſum ſicut ad Epiſcopum pertinere, & eius Vicarium poſſe cauſſas huiuſmodi tractare. 80. vbi quid circa denuntiationes. Et quod ſine iuſta cauſſa diſpenſare in illis ſit mortale. 81. & an poteſtas diſpenſandi vicario competat ſine ſpeciali conceſſione.

Circa cauſſas diuortij quid ex Concilio Limenſi. 82

Poſſe committi vicarijs. 83

Diſpenſationes per priuilegia Indiarum Capitulo competere. 85. vbi an Vicario independenter Capitulo, eo quòd Ordinarius.

De peculiaribus facultatibus Indiarum Epiſcopis concedi ſolitis. 86. & 87. vbi quod Capitulo non competant, & alia.

Poſſe vnire Beneficia. 88

Et circa clauſuram Monialium idem quod Epiſcopus. 89 Id quod in Indijs probabilius. Ibid. & 90

Circa egreſſum earum idem pariter. 91. vbi quantâ cautelâ in negotio clauſuræ procedendum.

Non poſſe licentias ab Epiſcopo conceſſas Religioſis ad audiendas Confeſſiones, & prædicandum ſuſpendere. &c. 92

Cardinalis.

Eorum teſtimonijs quæ fides adhibenda ſit. T.13.36 & ſeqq.

Vide Declaratio.

Digitized by Google

Caſus reſeruati.
An facultatem pro illis habeant Miniſtri Societatis, & Vicarij, in abſentia, & morte Superiorum. T.12 87. & 88
Indos ab omnibus abſolui poſſe à quolibet pro illis approbato Sacerdote. 295. & 299
De priuilegijs Societatis circa illud. 293. & *ſeqq.*
Conceſsio illorum per Concilium Limenſe, an valeat diuiſa iam Prouincia, & Archiepiſcopo alio conſtituto. 431. & 432
Petitio debiti reſpectu impediti eſt caſus reſeruatus Epiſcopo, & Religioſis competens diſpenſatio. 474
An tales Canonico Pœnitentiario competant. T.18. 85.

Cenſura.
Cenſuras validè imponi Prælatus Ordinarius, etiamſi prohibitus à Superiori. T.12.71
An Epiſcopi poſsint Cenſuris compellere Religioſos, ne Altari portatili vtantur, vbi de generali poteſtate. 233. & T.17.50. & *ſeqq.*
Ignorantiam obſtare incurſioni Cenſuræ. T.12.483
Ignorantia craſſa quæ dicatur. Ibid.
Indos inde ab excommunicatione excuſari, quia talis in ipſis non eſt. Ibid.

Charitas.
Obligatio ratione illius quando contingat. T.16.47
Notanda regula pro illius obligatione. T.17.4
Ex actu charitatis poteſt obligatio iuſtitię reſultare, Confeſsionis exemplo. 9
Notanda circa idem doctrina. 10. *in fine.*
Iuxta illam proximioribus præ alijs ſubueniendum. In Appendice ad T. 17. *poſt* T. 19. *n.*15. & 16.

Clauſula.
Antecedens quando ad ſequentia trahatur. T.12.80
Quando ad omnia referatur poſita in vnâ parte diſpoſitionis. 229. & 497. *Quando non ita.* 343
De clauſula, cum libera. T.16.46

Clericus.
De habitu decenti Clericorum ſpecialis in Indijs Conſtitutio. T.14.22. & *ſeqq.*
Quando ſit obligatio ſub mortali. 25
De itinerantibus. 26
An temeritas, contemptus, & contumacia ad graue peccatum debeant concurrere, & quomodo. 27
Vt peccent ludendo, & in Indijs quam ſummam nequeant excedere. 29
Specialis quæſtio circa illam. 30. & 31
Circa cohabitationem fœminarum Canonicæ prohibitiones. T.16.52
Temperata vſu, ſed non circa Indias. Ibid.
Comitari fœminas vt prohibeantur in Concilio Lim. 3. *In appendice ad* T.16. *poſt* T.19. *n.*27.
Sicut & familitium exercere. Ibid
Ratione itineris non excuſari à recitatione Officij, neque eamdem eſſe rationem ieiunij. 28. *vbi quæ debilitas excuſet.*
Non quamlibet defatigationem ſufficere. 29
Abuſui non recitandi ſcriptores omnes refragari, & quæ eorum communis vox. 30
Circa debilitatem, quando non parua, quid dicendum. 31 *vbi quòd ab infirmitate diſcernitur in Iure.*
Qui Clerici dicantur negotiatores. T.20.48

Communio.
Paſchalis an liceat in Eccleſijs Religioſis. T.12. 221 & 222.
Intra Miſſam facienda ex Eccleſiæ vſu. 265
Quæ pro eo obligatio. 267
Poſt Miſſam inceptam non danda. 268
Indis vt tribui debeat. 269. & *ſeqq.*
In neceſsitate poſſe generaliter tribui ſine licentia Parochi. 271
Circa illius præceptum poſſe per conſuetudinem ſpatium annuo longius introduci. Idem de Confeſsione. 429
Bulla pro Indijs circa illud. 430
An neganda occulto peccatori à Parocho quando adimplendum præceptum poſtulatur. 434
Non emendatis quomodo tribuenda. 435
Obligatio Confeſsionis pro illa, cur non eodem modo Sacerdotibus & alijs à Concilio Tridenti imponatur. T.16.103.

Compoſitio.
An valida contra formam conceſsionis in Confeſſario Societatis. T.12.177
Vt fieri à Religioſis Societatis queat. 479
Indis vt applicari poſsint ea, quæ debent. 480. *vbi ſententia deobligans debitores ad incerta, non ex delicto.*

Concionator.
Circa modum. T.18.81

Concuſſio.
Quid in Iure. T.15.12. & T.16.20

Concubinarius.
Quis propriè dicatur talis, & ſolus ille Decreto Concil. Trid. comprehenſus. T.14.15

Confeſſarius.
An neceſſaria ſit approbatio Epiſcopi pro Confeſſarijs Indorum. T.12. 180. & 181
Reuerſus ad diœceſim, pro quâ approbatus, non indiget noua approbatione, etiamſi mortuus ſit Epiſcopus, qui approbauit, iuxta ſententiam probabilem. 337
Succeſſorem non poſſe, aut excommunicare; niſi in certis caſibus. Ibid
Licentiam poſſe per epiſtolam peti, & quid priuilegio, in quo hoc extat, concedatur. 340
Semel approbatum poſſe vbique Confeſsiones audire, grauium ſcriptorum ſententia, quæ præcipuè Religioſis fauet. Ibid
Et pro Indijs id ſpeciale iuxta doctos Magiſtros. 341
Sed contrarium penitus ſentiendum, & practicandum. 342
Prohibitiones Pontificum pro foro tantùm externo procedere, non improbabilis ſententia. 344
Epiſcopos non poſſe Religioſos cum limitationibus approbare. Ibid
Cum illis approbatum eſſe eligibilem per Bullam, & Iubilæum. Ibid
Confeſſarius Pœnitentiam Parocho impoſitam ab alio vt queat mutare. T.16.18
Confeſſarij qualitates. 77
Non approbato neque Epiſcopum poſſe confiteri. 91
Parochum tantùm poſſe Parocho diœceſis alterius confiteri. Ibid. *vbi quid de ſimplici Sacerdote.*
Confeſſarius non ordinarius an abſoluere à ſuſpenſione non reſeruatâ poſsit. T.20.21
Prælatum eâ ligatum non poſſe facultatem Confeſſario conferre vt ſe abſoluat, quando tantùm eſt pœna, & non Cenſura. 22

Confeſſio.
Eius confeſsio, quæ cum Confeſſario rem habuit, an licita. T.16. 57. *vbi an peccatum cum filia Confeſsionis ſit circumſtantia mutans ſpeciem, aut notabiliter aggrauans.*

Alia pro Confeſſione diuerſis in verbis, vt abſolutio caſus reſeruati, Clericus, Communio, & præſertim Priuilegium, circa Sacramentum Pœnitentiæ.

Confirmatio.

In forma communi quid valeat, & quid aliæ ſpeciales habentes clauſulas. T.12.13

Confirmatio Sacramentum.

Ex diſpenſatione Apoſtolicâ non Epiſcopus poteſt illius eſſe miniſter. T.12.205

Id non eſſe de fide, ſed ita certum, vt oppoſitum ſit temerarium. Ibid

Balſamum Indicum eſſe materiam ſufficientem. 212. & ſeqq. vbi circa vſum Palæſtini notanda doctrina.

In oleo cur non admittatur diſtinctio. 214

Chriſma cur quotannis renouandum. 216

Epiſcopos ſine priuilegio poſſe Chriſmate & oleo veteri vti, ſi aliud non ſit. 217

Obligatio Indicorum Epiſcoporum circa adminiſtrationem ex Concilio Limenſi, vbi ſpecialia quædam. 218

Quomodo ad illud Indi diſponendi. T.16.80

Conſuetudo.

In fauorabilibus nomine priuilegij venit. T.12.199 vbi quod per eam optimè interpretatur priuilegium, & alia circa ipſam, & præſertim de conſenſu neceſſario legiſlatoris.

Quæ non admittenda. 449

Ex actibus ſpontaneis orta non ligat. 459

Pro lege habenda, & de illius vi. T.13.71

Quæ ſit rationabilis; pro quo commoda explicatio. T.16 24

Vi introducta non valet, ſicut ex actibus factis ſine animo ſe obligandi. 26

Circa praxim quomodo procedendum. 27

Contractus.

Quando perfectus cenſeatur, vt ab eo incipiat obligatio legalis. T.12.52

Quinam validi, etiamſi contra legem facti. T.20.35

Contritio.

Vide Baptiſmus, & Indulgentia.

Conuerſio.

Conuertens aliquem ex infidelitate plenariam Indulgentiam lucratur. 487. & 488

An labor ſufficiat non ſecuta conuerſione, & alia pro eodem. 489

Culpa.

De illis paſſim toto opere, vide Peccatum.

D

Damnum.

Ex damnis à Religioſis illatis, qui impediunt Clericos ad Doctrinas prouideri meliùs adminiſtraturos, quæ reſultet. T.17.9. & 15

Vide Reſtitutio.

Debitum.

Vide Compoſitio,

Decimæ.

De iure diuino vt dici queant, & vnde obligatio earum oriatur. T.12.447

Circa illas attendendam conſuetudinem: ſed non cum Indis. 449

Pauperes ad illas non teneri. 450

Neque generaliter ad id, quod eſt irrationabile, etiamſi conſuetum. 451. & 452. vbi quod ex vno decima pars non debeatur.

A nouiter conuerſis non exigendas. 453

Circa tempus exactionis quod tenendum. Vbi quomodo Indi ſic conuerſi non peccent, ſi non ſoluant. 454

Poſſe fidem recipi ſine decimarum obligatione. 455. vbi quod circa Miniſtrorum ſuſtentationem.

Indi cur nulla ſpecialia priuilegia circa decimas habeant, & quid à Rege præſtandum. 456

Decimæ vt differant à primitijs & qualis circa iſtas obligatio. 457

Declaratio.

Declarationes Oraculo factas non expiraſſe oraculis abrogatis. T.12.129. & 294

Cardinalium quam habeant auctoritatem. T.18.54 & 66.

Deus.

Quomodo obedientia magis illi placeat, quàm Sacrificium. T.12.291

Vnde aliquid illi gratius. 292. vbi notanda doctrina.

Pro eo paſſim alia.

Dictio.

Dictio ſimilis, & ſimiliter, quid importet. T.12.16

A & Ab eſſe excluſiuas termini à quo. 53

Dictionis Huiuſmodi vis. 55

Dictio Et. 74. & 392

Dictio Seu. 76

Dictio Nullatenus. 84

Dictio Prout. 340

Dictio Etiam. 373

Dictio Tantum. 418

Dictio Saltem. 435

Dictio Idem. 503

Dictio Præſertim. 505

Diœta.

Quomodo computanda. T.12.386. & 394

Diſpenſatio.

Non ceſſat ceſſante cauſſa, quando effectus commodè diuidi nequit. T.12 108

Diſpenſatus ab Epiſcopo, poteſt extra territorium vti diſpenſatione. Ibid

Diſpenſationis & priuilegij diſcrimen. 109

Diſpenſatio in voto caſtitatis non eſt nulla ex defectu admonitionis, quæ iniungitur diſpenſanti. 178

Aliquando circa illud eſſe ſubſtantialem. 179

Prælatos poſſe ſecum diſpenſare. 189

Diſpenſatio in voto caſtitatis vt liceat in Indijs Religioſis Societatis. 460. vbi an perpetuò.

Sine priuilegio videri licitam circa Indos, ob Doctorum ſententias circa iſta & an virtute Cruciatæ? 461

Poſſe etiam Religioſos. Ibid. & ſeqq.

Facultatem diſpenſandi amplè interpretandam. 462

Valere in illis extenſionem ad non expreſſa in fauorabilibus, ſtante eadem ratione. 465

Sine cauſſa in lege Superioris eſt nulla. T.20.116

Perſonalem vtilitatem non attendendam, ſed Eccleſiæ. Ibid.

Valere ab Epiſcopo bona fide datam, licèt cauſſa ſufficiens non ſit. 117

Vide Capitulum Cathedrale.

Diſtributiones.

Lucrari eas Vicarium generalem Officio vacantem. T.14.11. vbi quid ſi Profeſſor publicus ſimul ſit, & de Pœnitentiario dum audit Confeſſiones, alijſque officio incumbentes ſuo.

Officium debere eſſe ex neceſſitate ſuſceptum, excepta Cathedra. 12

Illius labor commendatus. Ibid

Lucratur eas impeditus morbo, cui cauſſam dedit. T.18.4.

Quo-

Digitized by Google

Quomodo ſint ſtipendium diurnum labori reſpondens. 7. & 22.
Earum differentia quædam, cùm ſpeciali circa ipſas doctrina. 9. & 10
Quæ roboratur, vt paucis præſentibus non omnes debeantur. 11
Cur ab Eccleſia diſpoſitæ. 12
Eadem obligatio ex illis conſurgit, quando tota Præbenda in eiſdem conſiſtit, quoad ſuperflua largienda. 20. *& ſeqq. & idem de quotidianis.* 22.
Dominium accipienti poſse onus charitatis imponi. 23
Quomodo abſentibus pro ſtudio debeantur. 41
Et pro cauſſâ publicâ. 56. *vbi quòd debeantur quando non ſtat per aliquem vt non reſideat.*
De commeantibus in Hiſpaniam cùm Procuratorum titulo. 57
Quid circa colluſionem & condonationem. 59. *& ſeqq.*
Vide Præbendarius.
Vacationis permiſſæ tempore deberi, etiamſi diſtinctæ ſint, vt probabile proponitur. 65
Statuta vt fieri queant non conformia Concil. Trident. *circa illas.* Ibid
Declarationes Cardinalium concordatæ. 66
In Indijs integrè deberi. 67. *& ſeqq.*
Circa conſuetudines ſententiæ quædam. Ibid. *& ſequenti. vbi de die pro barbæ tonſione.*
Nonnullæ aliæ tolerabiles, ex quibus indulgentia pro dicta actione roboratur. 69
Pro eodem. 70. *vbi quæſtiones aliæ circa res vſuales.*
Diſtributionum medietatem amittere qui non canit. 72 *vbi difficultas ſpecialis circa Indicos Præbendarios.*
Circa Antiphonam Salue Regina *quid ſtatuere Epiſcopus poſſit ad diſtributiones ſpectans.* 75
Circa illas nihil poſſe Capitulum Sede plena ſine Epiſcopi auctoritate. T.19.1. *vbi exceptio quædam.*
Præbendarios viſitantes ſine neceſſitate non lucrari. 30

Doctrina Chriſtiana.

Pro illam docentibus Indulgentia. T.12.499
Vide Parochus.

Doctrinæ Indorum.

Vide Beneficium, Epiſcopus, Parochus, Parochi Regulares, Vicarius Generalis.

Domicilium.

Iurans illud pro Ordinibus, ſed animo non permanendi, ordinari nequit, ſi animi appareant coniecturæ. In Appendice ad T.16. *poſt* T.19. *numer.* 18. *&* 20. *vbi Decretum Concilij Limenſ. circa illud, & quid ius ſtatuat erga domicilij acquiſitionem.*
Eiuſdem Concilij aliud circa litteras teſtimoniales. 21
Inconſulto Epiſcopo poſſe domicilium mutari. 22
Pœna ſine litteris ordinantis, & ordinati. Ibid.
Etiam mutato domicilio eam ordinatus incurrit, & à quo abſoluendus. 23
Pœna ordinatorum ad titulum malè iurati domicilij, quia non acquiſiti. 24. *vbi an furtiuè ordinatus dici queat, & à quo abſoluendus.*
Caſus ſpecialis ordinati cum iurato domicilio, ſed cum dimiſſorijs proprij Epiſcopi. 25. *&* 26. *vbi quòd pœnam ſtatutam non incurrat.*

Donatio.

Etiam in exceſſiuis non eſſe peccatum mortale. T.15.26. *vbi quomodo occaſionem earum præbens peccet grauiter contra charitatem.*

Dubium.

In dubio circa iuriſdictionem, pro Inquiſitione iudicandum. T.20.12

E

Eccleſia.

N*On conſecrata à quolibet Sacerdote reconciliari poteſt aquâ communi benedictâ.* T.12.262
Eccleſia inter pauperes maximè computanda, ſi egeat. T.15.32
Quando dicatur vacare. T.19.6. *& ſeqq.*
Vide Parochus, Parochus Regularis, Viſitator.

Eccleſiaſtici.

Pœnis illos frænari oportet. T.15.28
Vide Clericus.

Epikeia.

Quando locum habeat, & de legiſlatorum coniecturanda voluntate. T.12.175

Epiſcopus.

Quomodo ſint Eccleſiæ Doctores, vt probabiles reddere ſententias ſingulares poſſint. T.12.288
Sententiam de poteſtate illorum in ſuis diœceſibus, ſicut Papæ in Eccleſiâ, plenam eſſe periculo. 290
An modo habeant facultatem abſoluendi ab hæreſi. 226 *&* 227
Viſitare qualiter teneantur. 437
Ratione diſtantiæ aut periculi poſſe in voto caſtitatis, &c. diſpenſare, & ita in Indijs, & cum Indis maximè, & poteſtatem talem eſſe ordinariam. 461. *&* 475
Eorum onera periculoſa, & ingreſſum non per oſtium, duplici narratione monſtratum. T.13.1
Eorum obligationes, quia debent eſſe Apoſtolici. 2
Inſtructionem non faſtidiendam ab ipſis; qui ſpeculum habent Euangelium. 3
Quatuor illis neceſſaria, Indicis præſertim. 4. *vbi quid ſit per oſtium intrare.*
De ingreſſu per munera. 5. *& ſeqq.*
Religioſis Indicis prætenſoribus non poſſe dignitatem talem ſine graui peccato conferri: & quale in ambientibus. Duo caſus excepti. 14
Card. Caietani doctrinam non ſuffragari. 15. *&* 16
Debere linguam Indorum callere, & tales præferendos. 17. *vbi de doctrina ſupellectili requiſita, & alia.*
Quantâ id curâ prouidendum, & quomodo ex eo honeſtari prætenſio queat, mente concepta. 18
Obligatio Litterarum Apoſtolicarum pro Indijs detrimentoſa retardatio. 19
Præſentatos à Rege debere ſtatim ad Eccleſias ſe conferre. 20. *&* 47.
Quid, quando nulla aut modica eſt Eccleſiæ vtilitas. Ibid.
Reſidentiam eſſe de iure diuino. Ibid.
Quando Bullæ poſſint expectari: pro quo tres cauſſæ abſentiæ ex Tridentino applicatæ. 21
Circa trimeſtre benignæ opiniones vt faueant. 22
Authentico Confirmationis teſtimonio poſſe ſumi poſſeſſionem. 23. *vbi quòd minor etiam pro foro conſcientiæ notitia ſufficiat.*
Probabilitatem poſitionis dictæ ſufficere, vbi ex mutatione habitus arguitur. 25
Sine Litteris dictis non poſſe conſecrari, eſt probabile. 26
Tres Epiſcopos ad conſecrationem abſolutè requiri. Ibid. *&* 27
Sententia multorum, Papam non poſſe diſpenſare: ſed contraria vſu Eccleſiæ recepta. 28
Priorem eſſe improbabilem. 33. *& ſeqq.*

Traſumpta Bullarum an ſufficiant. 36. *& ſeqq.*
Epiſcopus cum ſola præſentatione vt queat ad Eccleſiam ſe conferre. 40. *& ſeqq.*
Maiorem vtilitatem in tranſlatione penſandam. 42 *&* 47.
Tranſlationem ſoli Pontifici reſeruatam. 43
Sola præſentatione gubernationem accipiens, an delegatus, vel ordinarius ſit. 46
Indiarum Epiſcopos in quibus grauiter peccare contingat. 63. *& ſeqq.*
Regium item Patronatum non ſeruantes. 70. *&* 71. *vbi alia vtilia.*
Peccare pecunias in Hiſpaniam deſtinantes. 72
Circa congruam ſuſtentationem. Ibid. *& ſeqq.*
Notanda pro reſolutione doctrina in fauorem Prælatorum. 83
In Quartæ exactione quomodo peccare poſſint. 84
Non poſſe officia miniſterialia vendere. 85. *Neque partem emolumentorum exigere, ſibi aut alijs applicandam.* 86. *& ſeqq.*
Non eſſe dominos officiorum. 88
Poſſe onus eleemoſynæ imponere ex gratitudine conferendæ, & non conferenti officium auferre. 89. *vbi probabiles quædam ſententiæ ſuffragantes.*
Circa Notarios vtilis doctrina. 91. *&* 92
Quomodo debeant ſubditos defendere, ſi opprimi contingat. 93
Illuſtre D. Ambroſij Epiſcopi patrocinantis exemplum. 94
Reſidentia neceſſaria. T.14.4. *vbi de alijs Curatis.*
Suis ſumptibus debent diœceſim obire Confirmationis conferendæ gratia. T.15.23
Quàm illos dedeceat cupiditas litigiorum origo. T.16 40
Ad ipſos ſpectare conſuetudines corrigere circa aſſiſtentiã Præbendariorum. 36. *vbi de duobus ex illis ad conſilium adhibendis, circa quos notanda quædam.*
Non omnem conſuetudinem poſſe abrogare, & quid circa eorum poteſtatem. 37
Adiri poſſe per viam querelæ. T.19.12
Quanta in illis doctrinæ ſuppellex requiſita. 16
Mediocrem ſufficere. T.20.84

Euchariſtia.

Vinum pro illâ poteſt eſſe diuerſæ ſpeciei, vt & triticum. T.12.214
Quomodo deferenda periclitanti in Seminario Societatis. 356
De Seminarijs Indorum. 357
Eccleſiam potuiſſe vſum Calicis prohibere, etſi per illius ſumptionem diſtincta gratia conferatur. 361
Panis eſt non dandus canibus, & quomodo id intelligatur. 438. *vbi de ſchedulâ dandâ ab Indis, & Nigris.*
De Viatico ipſis dando. 439. *& ſeqq.*
In extremis poſitis minor eſt diſpoſitio requirenda. 440
Tabachum ante illam quomodo non ſumere liceat, vide Tabachus.
Abſtinentia poſt ipſam à D. Clemente præceptam. T.16 95
Quid poſſit ante illam ſumi. 97. *&* 100
Quomodo intelligendum Per modum ſaliuæ. Ibid.
Vide Communio, Priuilegium.

Examen.

Non repetendum in Beneficiorum concurſu. T.16. 45
Habilitas inſpicienda de tempore primi examinis. 48
Vide Patronus, Parochus, & Parochus Religioſus.

Excommunicatio.

Quæ in tranſeuntes ad Indias ſine Regis licentiã ab Alexand. VI. impoſita, non ligare, cuius rationes redditæ. T.12.132
Vide Bulla Cœnæ, Cenſura, Viſitator, *& alibi.*

Exemplum.

Exemplum non arctare diſpoſitionem. T.12.333
Nec benè allegari in cauſis Eccleſiaſticis à laicis tractatis. T.16.46.
Exempla quoad mores, vide Clericus, Epiſcopus, Parochus.

Extrema vnctio.

Simplex ſacerdos an poſſit oleum benedicere, aut non benedictio in neceſſitate vngere. T.12.345
Circa Indos peccari mortaliter per omiſſionem. Ibid.
Qualis obligatio generaliter. Ibid.
De priuilegio circa adminiſtrationem pro familiaribus & externis. 346. *& ſeqq.*
In Seminarijs alumnorum locum habere. 363. *& ſeqq.*
Quæ partes vngendæ maximè in fœminis. 358. *& ſeqq.*
Circa Sacramenti effectum variæ ſententiæ, & an omnes vnctiones illum conferant. 359. *&* 360
Quale præceptum circa illas ex Rituali Romano. 361
Vnde non omnes eſſe neceſſarias colligere Eccleſia potuit. 362
Circa praxim quid tenendum. 363
Caſus ſpecialis de omiſſis verbis illis Per locutionem. 364. *& ſeqq.*
Non eſſe neceſſarium exprimi ſenſum, aut partem, in quâ ſit vnctio, ſententia aliquorum. 365
Variæ aliæ ſententiæ circa adminiſtrationis modum. 366. *&* 367.
Modus ſupplendi defectum. Ibid
Quæ obligatio illam conferendi. T.16.82
Subito morbo correptis eſſe conferendam, & ſenſibus deſtitutis, & pro eo illam extare. Ibid.

F

Fabrica.

Vide Viſitator.

Facultas.

Vide Abſolutio, Bulla, Confeſſarius, Priuilegium, *& alia.*

Fama.

Illi bonum animæ præferendum: quod ex præcepto correctionis oſtenditur: propter vitandum aliorum damnum non curandum, vnde & occultum delictum detegendum. T.14.18

Famula.

An dimittenda ab infirmo indigente illâ, quæ tamen occaſio illi peccandi eſt. T.16.53. *& ſeqq.*

Fœmina.

Quare ad teſtificandum aliquoties admittatur. T.15 31.
Vide Clericus.

Feſtum.

Feſtorum celebratio pro vno Hiſpaniæ regno conceſſa an pro alijs ſuffragetur. T.12.147. *&* 148
Ad quæ Feſta Indi teneantur. 147
An ad in dictâ generaliter poſt priuilegium Pauli III. 418
De Feſtis SS. Innocentij & S. Syluestri an generaliter obligent. 420
Conſuetudo circa Feſta ex ignorantiâ non inducit obligationem. 416

Fides.

Digitized by Google

Fides.

Negotium fidei quod dicatur pro lucrandâ Indulgentiâ Plenariâ ab iys, qui in itinere moriuntur. T.12 494.

Pro eodem Indulgentia aliâ. 501

Fiſcus.

Fiſcus contrahens ligatur legibus pro contractu latis. T.20.30

Forma.

Quando ſubſtantialis cenſendâ. T.12.319. 320. & 321.

Eâ non ſeruatâ corruere actum. T.20.112. *vbi alia pro amplificatione.*

Fructus.

Vide Beneficium, Epiſcopus, Parochus, Præbendarius.

G

Grammatica.

I*Llius commendatio.* T. 18. 46. 53. & 54. *vbi alia circa ipſam.*

Gratia.

Iuxta poſtulationem, illius eſt conceſsio regulanda. T.12 390

Vide Priuilegium.

Gratitudo.

Vide Officium.

Gubernator.

Vide Appellatio, & Epiſcopus.

Gula.

Quando peccatum mortale. T.16.106

H

Habitus.

D*E habitu decenti Clericorum vide* Clericus.

Hæreſis.

Vide Abſolutio.

Vide Capitulum Cathedrale.

Horæ Canonicæ.

Quæ Officij pars omiſſa mortalem tranſgreſsionem inducat. T.18.29

Vide Beneficium, Parochus, Præbendarius.

Hoſpitale.

Pro inuiſentibus illa Indulgentiæ. T.12.506

I

Ieiunium.

Q*Vando illius præcisè incipiat obligatio.* T.12. 59

De culpabiliter defatigato. 397

Parochos poſſe in illo diſpenſare. 444. *vbi an Vicary.*

In dubio poſſe diſpenſari. 445

Vide Priuilegium, *vbi multa circa illud.*

Ignorantia.

Vide Cenſura.

Illegitimi.

Vide Capitulum.

Illitterati.

Quando irregulares. T.18.46

Indi.

De illorum priuilegijs toto Titulo 12. Vide Priuilegium.

An capaces Ordinis Clericalis. T.12.368

Non poſſunt cogi ad laborandum in Feſtis, pro quibus habent priuilegium, & in eo peccari mortaliter. 421 422. *Etiamſi ſerui, ſicut nec Æthiopes.* 423

Ad Miſſam audiendam in illis non teneri. 425

Puerorum more tractandi circa præceptorum laborem. 429

Ebrietas in illis vt obſtet Communioni. 433. & 434

Indi & Neophyti quomodo vt diſtincti proponuntur in Bullâ Pontificiâ. 440

Qualis imbecillitas eorum ſit. 446

An poſsint excommunicari. 487. & ſeqq.

Nihil ab illis exigi poſſe ob adminiſtrationem Sacramentorum. T.13.68

Qualiter eorum teſtimonium admittendum, & an ſemper ſex vnum conficiant teſtem. T.15.29. & ſeqq.

Benignè tractandos. T.7.6. T.11.2. & T.16.51

Quantum in illis hortamenta continentiæ valeant, exemplo duorum coniugum declaratum. 85

Indiæ.

Inter illas communicatio priuilegiorum. T.12.491

Vide Priuilegium, *pro quibus & alia paſſim.*

Indulgentia.

Quomodo illas lucrari liceat in Eccleſijs Religioſorum. T.12.139. & ſeqq. *vbi & de Iubilæis.*

Confeſsionem pro obtinenda ſufficere, cum contritio petitur. 488

Variæ Indulgentiæ pro Indijs. 491. & ſeqq. Ibi Index marginalis.

Non eſſe generali reuocatione ſublatas. 484. & 493

Latè interpretandæ, quia gratiæ. 494

Catechumenos eas poſſe lucrari. 508

Priuilegium peculiare pro Indijs circa impeditos etiam culpabiliter. Ibid.

Vt conueniat Cathecumenis. Ibid.

Infidelis.

Vide Conuerſio, Decimæ, Matrimonium.

Infirmus.

Vide Indulgentiam, *pro viſitantibus ipſos.* T.12. 505

Inquiſitio, Inquiſitor.

Delictum dicentis duas Miſſas eodem die ad illam ſpectare. T.12.289. *vbi doctrina complectens alia.*

Munera accipere prohibentur. T.20.n.1

Clementinæ pœnam non incurri ex gratuitâ largitione. 2

Quæ actio vim extorſionis habeat. 3

Per aliqualem vim non incurri, ſi tribuens abſolutè non ſit inuitus. 4. *vbi quid cum datur aliquid ad redimendam vexationem.*

Circa pecuniæ tantum receptionem verſari, probabile. Contrarium tamen videri certiſsimum, maximè in Indijs, quando eſt eadem ratio, quæ in pecunia. 5. 6. & 7. *vbi notanda doctrina.*

Per violentiam circa mutuum non incurri, niſi non reſtituat. 8

Incurri ab exigente plus quàm valeat res ab eo vendita. Vbi de vendente ſummo pretio ſpeciali quæſtio. 9. & *in caſibus dictis peccari mortaliter.*

Non incurri, dum non agitur prætextu officij. 10

Sufficere reſtitutionem ſimpli. 11

De pœnâ excommunicationis, & qualiter exponenda. Ibid. & 12

Digitized by Google

Facta reſtitutione ceſſare reſeruationem. 13
Si ob impotentiam non fiat, poſſe abſolui Inquiſitorem, & non tantùm in caſu mortis, & à quibus. Ibid
Quæ regulæ illis circa acceptionem ſeruandæ. 14
Vt delegatis quid generaliter prohibitum. 15
Quid vt Ordinarijs. 16
Notanda regula pro obligatione reſtitutionis non ſtringenda. Ibid
Pœna non procedentis ritè in officio. 17
Actum merè internum in illo non puniri. 18
Duo tantùm peccata commiſſionis vix jam credibilia in Clementinâ percelli. 19
Omiſſionis tantùm peccatum pœnâ affici, & id circa hæreſim. 20. vbi quod ex negligentiâ, aut metu non procedens minimè incurrit.
Excommunicatio à quo tolli poſſit. 21
Circa ſuſpenſionem diuerſitas ſententiarum: & communior circa Confeſſarium Ordinarium. Secus, ſi Ordinarius ipſe incurrerit, & tunc quid præſtandum. Ibid. & 22
In protractione cauſſarum vt peccari contingat, & quando graue ſit peccatum. 23
Minuendam pœnam iuxta carcerationis durationem. 24
S. Tribunali propria clementia. Ibid
Ex quorumdam Doctorum ſententia in caſu alia præcedens poſitio roborata. Ibid.
Quid pro praxi. 25
Circa ciuiles cauſſas etiam grauiter poſſe peccari. 26
De obligatione circa Cuſtodes. 27
Et ad curandum ne incarcerati inter ſe colloquantur. Vbi de quibus agere cum illis Cuſtodes poſſint. Et quòd Clementina de incarceratis tantùm pro hæreſi procedat, & quòd vnus ſufficiat Cuſtos.
Circa Qualificatorum electionem ſpecialem in Indijs curam adhibendam. 28. & 29. vbi qualis ſufficientia in illis requiratur, ob munus, cuius proprietas explicata. Pro illis etiam. 66. & ſeqq.
In contractibus debere pretium commune ſeruare. 30
Exceſſus vendentium non eſſe more alio non puniendos. 31. vbi notata nonnulla.
Ad Tribunal qui non ſint ex leui cauſſa trahendi, & admittendas excuſationes quando iniurijs cauſſam dedere miniſtri, at paternum deberi modum agendi ſeruari.
Pernicioſa ſcripta vt debeant prohibere, & quales in cura futuri. 32
Supra Commiſſarios vigilandum ex graui obligatione. 33. vbi quod oporteat eſſe tales, vt S.Tribunal non reddant odioſum.
Circa Concordata grauis obligatio. 34
Eorum Capitula percurruntur additis Commentariolis. 35. & ſeqq.
Vbi aliqua peculiaria, & notatu digna, vſque ad finem operis. Ibi Index.

Inſtructiones.

Quam habeant obligandi vim. T.14.7

Interdictum.

Impoſitum donec aliquid fiat, eo facto, ceſſat ſine abſolutione ab homine, ſed non à iure. T.15.22
Priuilegium pro illo Societatis. T.12.502

Irregularitas.

Non contrahitur ex actibus charitatis, & exhortatione ad illos, ex quo aliqui excuſantur. T.16.76
Quæ propriè contrahi dicatur. T.19.73
Quæ ex defectu natalium an dici poſſit ex delicto. 74
Ex defectu lenitatis an poſſit ab Epiſcopo diſpenſari. 75 vbi de homicidio in bello quid pro Indijs, & in defenſiuo non incurri. 76. vbi caſus ſpecialis.

Iubilæum.

Vide Indulgentia.

Iudex.

Vt peccet, & ad reſtitutionem teneatur cauſſarum deciſionem protrahens. T.20.26
Quæ ſcientia neceſſaria in illo. 29
An aliquid accipere poſſit ob ſententiam probabiliter pronuntiatam, cùm potuerit ſequi contrariam. 101
Vide Munera.

Iudicium.

Iuxta ordinariè eſt accidentia formandum. T.12.68

Iuramentum.

Epiſcoporum circa Patronatum Regium vt obliget. T.13 70. & 71
Iurare vt poſſit ſubornatus pro Cathedrâ ſe nihil accepiſſe. T.20.101
Quid de alijs requiſita omnia non habentibus, licèt habeant ſubſtantialia. 120. & 121

Iuriſdictio.

Correctio probat iuriſdictionem. T.12.71
Quæ ſit verè & propriè talis, & quotuplex. 72. vbi an Rectores Seminariorum Superiores ſint, de quibus Bulla Innocent. X. Ibid. & ſeqq.
Delegata quæ propriè ſit. T.13.45
Et quòd non obſtet ordinariæ. Ibid. vbi de Prorege, Vicarijs Capituli, & Alcaldijs.

Iuſtitia.

Ad ſupremos judices præcipuè ſpectat. T.20.33
Vide Charitas, Parochus, Religioſus, Reſtitutio.

L

Labor.

VNde æſtimandus. T.13.88
Vide Beneficium, Præbendarius, Quarta.

Lex.

Quando fauorabilis, aut odioſa cenſenda. T.12.46. & ſeqq.
Ex illius ratione coniicienda obligatio, quæ intentionem legiſlatoris oſtendit. 60
Legum Pontificiarum obligatio grauis vnde colligatur. 285.
Cùm lex contra præſumentes loquitur, vt ſit explicanda præſumptio. 286
Verbum Oportet aliquando grauem in conſcientiâ obligationem indicat. T.16.19
Lex pœnalis quando extendatur propter identitatem rationis. T.20.77
Quando ſecus, etiamſi in fauorem fidei. 12

Libri.

Eſſe filios, & pro eorum editione poſſe Epiſcopos expenſas facere nihil congruæ ſubtrahentes. T.13.82
Ad libros pro Quarta poſſe Parochos per excommunicationem compelli. T.16.29. Pro alijs. n.6.

Libertas Eccleſiaſtica.

Praxis quædam circa obligationem Concordati non Inquiſitionis, an ſit contra illam.

Licentia.

Regis Catholici an ſufficiat vt Religioſus ad Indias tranſiens gaudeat priuilegijs Religionis, præſertim Indicis. T.12.135
Vide Priuilegium, & Religioſi.

Lis.

Digitized by Google

Lis.

Vide Iudex.

Litteræ Apoſtolicæ.

Qualiter neceſſariæ ad Epiſcoporum conſecrationem, &c. T.13.19.22. *& ſeqq.*

Litterati.

Quantoperè ſint in Eccleſiâ neceſſarij. T.18.42

Ludus.

Circa illum aliqua ad Clericos ſpectantia. T.14.29 *& ſeqq.*

Alia magis generalia. 31. *&* 32. *vbi & de Epiſcopis.*

M

Mandatum.

N*On eſſe mandatum Pontificis, quod ab eo ignorante prodit.* T.20.82

Maria Virgo.

Illius excellentia conceſſione Indulgentiæ ſpecialis pro Imagine in Eccleſiâ Limanâ Societatis exiſtente, Romã miſſa, ſingulariter commendata. T. 12. 506.

Matrimonium.

Quæ facultas diſpenſandi circa illud Religioſis Societatis ſit ſine communicatione Generalis. T.12.183

Circa gradus iure naturæ non prohibitos, probabiles opiniones, pro coniugijs Indorum, & aliorum conuerſorum, non diſſoluendis. 378. *& ſeqq.*

Quomodo Eccleſia in eo dici poſſit diſpenſare. 381

Polygamia an licita apud Infideles. Ibid.

In cognatione ſpirituali an diſpenſatio eſſe poſſit, & pro illa extet priuilegium. 384. *&* 385

Caſus ſpecialis de contrahentibus inualidè, vt ſit impetrans diſpenſationem. 397

Matrimonia Gentilium Baptiſmo non ſolui. 399. *vbi quomodo cum eo ſtet baptizatum poſſe cum alia contrahere ſi vxor conuerti nequeat, aut è contra.*

Doctrina D. Pauli circa illud quatenùs ab Eccleſia recepta. 400. *& ſeqq.*

Vt ſtare queat cum præcepto Chriſti non dimittendi vxorem. 401

Peculiaris pro eo doctrina. 402. *vbi quomodo dici poſſit Chriſtum in eo diſpenſare, & quòd matrimonium ex naturâ ſuâ non ſit indiſſolubile.*

Priuilegia circa prædicta quid conferant, cùm ex Iure videantur haberi. 403. *&* 404

Diſſolutio matrimonij in dicto caſu an ex diſpoſitione Chriſti, an ex Eccleſiæ poteſtate contingat, & an ſtet ipſo facto, vel Eccleſiæ ſententiam requirat, Ibid

Concilia Limenſia quid circa prædicta diſponant. 405

Quæ ſpes conuerſionis in coniuge non conuerſo ſufficiat. 406

Conuerſus an poſſit cohabitare cum infideli. Id aliquos negare. 407

Contrarium ſtatuitur. 408. *& ſeqq. vbi quòd Apoſtolus non Conſilio tantùm, ſed præcepto vſus.*

Semeſtris à Concilijs prædictis deſignati non eſſe obligationem iuxta priuilegia. 411

An currat in fauorem coniugis infidelis. 412. *vbi quòd coniux ſine culpa poteſt coniugij iure priuari.*

Quòd ſcandalum charitatis, propter quod ſtare diſſolutio poteſt. 413. *vbi an cohabitatio vltra ſemeſtre conſuli aut præcipi poſſit.*

Circa conuerſum plures vxores habentem, vt cum qualibet ex conuerſis contrahere poſſit, deciſio Pij V. 414 *& ſeqq.*

Apud Indos non videri vera matrimonia fuiſſe. 415

vbi quid in more apud Mexicanos. 415

In dubio an in fauorem matrimonij inclinandum. 416

Quando impedimentum petendi debitum oritur ex inceſtu, potens diſpenſare in matrimonio, poteſt etiam in illo, ſine nouo priuilegio. 476

Ex copulâ cum conſanguinea vltra ſecundum gradum non oriri impedimentum dictum. Ibid

An ex inceſtu occulto. Quod Indis præſertim fauet. Ibidem.

Cauſſas Matrimoniales debent Epiſcopi per ſe tractare, & præſertim diuortij. 80. *& ſeqq.*

Quantâ diligentiâ poſtremæ iſtæ diſcutiendæ. 84

Meſtizi.

Ad Sacros Ordines & Beneficia rarò admittendos. T. 19.69.

Per leges Regias à publicis muneribus arcentur. Ibid. *vbi & ſalutare monitum Concilij tertij Limenſis circa illos.*

Metus.

Qualis debeat cenſeri grauis, & cadens in conſtantem virum. T.20. 122. *vbi & de precibus, de quibus &* 124.

Miſſa.

Pro illâ decentior locus publicus, quàm domus priuata. 232

Quo tempore dici queat, & quid per priuilegia habeatur. 237. *& ſeqq. vbi notanda multa.* Ibi Index marginalis.

Particulæ an ſumi poſt purificationem poſſint. 163. *&* 243. *ac ſeqq. vbi multa ſcitu digna.* Ibi Index.

Duas dicturus Miſſas an poſſit purificationem in priori ſumere. 250. *&* 251

De obligatione non ſumendi illam in Miſſis Natalis D. Ibid.

Quando ſine priuilegio plures dici queant. 275. *vbi de gradu neceſſitatis plura.*

Pro Indijs prædicta militare. 276. *vbi & pro alijs doctrina.*

Contra nuperum abuſum in Indijs dicendi duas Miſſas. 280. *& ſeqq.*

Quomodo obedientia circa non dicendam Miſſam gratior Deo ſit quàm illa. 291. *&* 292. *cum notanda doctrina.*

Quo tempore celebrari ſine priuilegio poſſit ad dandum viaticum. 441

Pro applicatione fructus Sacerdoti reſpondentis non poſſe accipi ſpeciale ſtipendium. Nec pro Miſſâ nuptiali. T.16.7. *vbi an Miſſæ poſſint à Concilio antecedenter applicari.*

Miſſarum à Teſtatoribus relictarum non poſſe ſtipendium augeri. 23. *vbi & alia, ac de Collectore.*

De ſumptione Tabachi ante Miſſam prohibita, vide Tabachus, *&* 92. *ac ſeqq.*

Decretum Pij V. de obſeruandis in illa, & circa Pacem quid ex Concilio Limenſi, & Rubricis Miſſalis. 206 *&* 207. *vbi quòd obligatio ſit ſub mortali.*

Circa obſeruantiam Rubricarum idem ſtatuitur. 100. *&* 111. *vbi circa Dianæ Aſſertiones quædam adnotata.*

Vſum Patenæ contra prohibitionem eſſe mortalem, ſicut ſine conſecratione. 112

Pacem fœminis per Miniſtrum deferri ſimiliter. 113. *vbi quando Rubrica videatur grauiter obligatoria, & quòd nequeant in Miſſis miniſtrare.*

Quæ obligatio in Religioſis circa Pacem per Miniſtrum factum. 115

Digitized by Google

Puellas cantatrices in Choro nequeunt Parochi ſuſtinere ſub reatu graui. 116. *vbi quòd Epiſcopi id debent prohibere.*
Vide Sacerdos, *vbi plura circa ſtipendium.*

Monialis.

Frui priuilegiis virorum. T.12.138. *vbi de Indicis.*
A ſuo degenerare nomine colloquiis ſecularium aſſiſtentes. T.14.28. *vbi de indecenti concentu.*
Circa earum clauſuram & egreſſum quid poſſint Epiſcopi & Vicarij, ac Capitulum Sede Vacante. T.19. 89. *& ſeqq.*

Mors.

Poſt mortem Prælatorum quæ poteſtas Vicariis, & Miniſtris. T.12.87. & 88

Mortuus.

Vide Parochus.

Munera.

Quæ poſſint iudices Eccleſiaſtici accipere. T.14.33
De obligatione reſtitutionis. 34. *vbi notanda regula ad agnoſcendam gratuitam donationem.*
Pro eodem plura. T.20.15. & 16
Ad redimendam vexationem, vt dari poſſint. T.20.96 *vbi quando hæc doctrina procedat.*
Subornationem non poſſe ſubornatione depelli in Beneficiorum oppoſitione. Ibid.
Munerum nomine vim & fraudem non venire. 108

N

Negotiatio.

Q*Vi dicantur, ſicut & Mercatores.* T.20.48

Neophytus.

Qui tales dicantur. T. 12. 443. & 461. *vbi quomodo ab Indis, & reductis diſtinguuntur, de quo* & 476.

Notarius.

Epiſcoporum Notarij an laici eſſe debeant. T.19.90
An ſi tales, puniri à laicis iudicibus poſſint in officio delinquentes. Ibid.
Praxim id Prætoriorum amplecti. 91
Vide Officium.

Notorium.

Notorietas criminis vt neceſſaria ad procedendum contra Clericum. T.14.16. *& ſeqq.*

O

Obedientia.

V*Ide* Miſſa, & Parochus Religioſus.

Oblationes.

Ad illas non teneri Indos, neque alios generaliter loquendo. T.12.458
Neque ratione conſuetudinis. 459
Parochus ad reſtitutionem teneri. Ibid.
De intolerando circa hoc quorumdam abuſu. Ibid.
De illis vt poſſint Epiſcopi diſponere. T.19.79

Occaſio.

Peccati occaſio quando non ſit graue peccatum. T. 16. 55.
Præcidendas illas etiam cum gemitu ex dolore. 59

Officium.

Officia Notarij, Fiſcalis, & alia miniſterij ſui, non poſſe ab Epiſcopis vendi. T.13.86. & 87
Non eſſe eorum dominos. 88. *vbi de obligatione reſtitutionis.*

Onus Eleemoſynæ ex gratitudine imponi poſſe. 89. *vbi doctrina ex probabilibus opinionibus circa gratitudinem.*

Officium diuinum.

Vide Horæ Canonicæ.

Opinio.

Probabili in vſu Sacramentorum quando vti non liceat. T.13.30.
Non eſſe probabilem, quæ tenet Pontificem non poſſe circa tres Epiſcopos pro Conſecratione neceſſarios diſpenſare. 33. *& ſeqq.*
Opinionem aliquando probabilem poſſe improbabilem reddi, auctoritate Pontificis accedente.
Vide Capitulum, Matrimonium, *& alibi.*

Oracula viuæ vocis.

Vide Viuæ vocis oracula.

Oratorium.

Priuilegium circa benedictionem. T.12.261

Ordo ſacer.

Ætas pro illo quomodo computanda. T.12.59
Indis an poſſit conferri. 368
Pro diſpenſatione ad illos, vide Diſpenſatio, & Capitulum.
Prima Tonſura an ſit Ordo. T.19.66

P

Papa.

E*X falſis informationibus aliquando minùs conuenientia conſtituit.* T.12.40
Studioſus conſeruandi aliorum iuriſdictiones. 290
Vide Bullas, Capitulum, Epiſcopus, Lex, Opinio, Priuilegium, *& ſæpè alibi.*

Parochus.

Dimiſſo officio poſſe vt approbatum ſe gerere, probabilis opinio. T.12.190
Quo priuilegio generaliter gaudent omnes Indorum Parochi. 195
Sine priuilegio duas Miſſas celebrare vt poſſint. 275
Parochi Indorum ad manifeſtanda Indis priuilegia circa Feſta. 426. & 427
Quam graue peccatorum pondus ſuper ſe tollant, communionem, Indis præſertim, denegantes. 436. & T.16.51. & 78.
Ex doctrina defectu quæ obligatio reſtitutionis. T. 12 459
De obligatione reſidendi. T.14.4
De peculiari Indiarum. 5
Etiamſi vicarium habeant, per ſe in multis debere adminiſtrare. 6. & 7. *vbi notanda aliqua.*
Quomodo diuino cultui animarum ſit cura præferenda. 10.
Ad ornatum Eccleſiæ teneri. T.15. 32. *vbi de Indicis ſpecialiter.*
Parochos Hiſpanorum & Indicorum pariter horum linguam ſcire debere. T.16.1. *& id ſub mortali.*
Euaſionem ex defectu per alios ſupplendo non valere. 2
Requiri peritiam pro Confeſſarij munere, & prædicatione. 3. *& ſeqq. vbi de prædicatione an præſtari per alios poſſit.*
Hiſpanorum Parochos ad omnia teneri, quæ generaliter pro Parochis ſunt ſtatuta, & id præ aliis. 6. *Illa percurruntur.* Ibid. *vbi quod ad Miſſas dicendas etiam diebus non feſtiuis.* 5. 11.
Debere illas pro Parochianis dicere. 7. *vbi ſpecialia quædam.*

Con-

Digitized by Google

Confeſſiones quando audire teneantur, & Euchariſtiam miniſtrare. 8
Turpia in ſonis & actionibus, ac comeſſationibus ab Eccleſia arcere. 9. *vbi quid circa comeſſionem liceat.*
Lectioni inſiſtere etiam obligati. Ibid.
An plures Parochi eſſe eiuſdem Parochiæ queant. 10 *& ſeqq.*
Vſus Galliæ. 11
An Parochi ſint ſponſi. 13
An teneantur ad reſtitutionem non recitantes officium ſacrum. 15. *& ſeqq.*
Quo Rituali vtendum. 19
Peccari grauiter in altercationibus cum Religioſis circa funeralia. 20
Et iniuria erga Æthiopes, circa quos quæ præſtanda. 21. *&* 22.
Circa Miſſas à Teſtatoribus relictas notanda doctrina. 23. 32. *& ſeqq.*
Circa oblationes. 41. *&* 42
Parochi Indorum vt ſcire eorum linguam teneantur. 43
Speciale dubium circa caſum peculiarem, non annuente Prorege iudicio Capituli circa illam, & ad examen in Curia nominatos compellente. Ibid. *& ſeqq.*
Prædicandum Indis. 49
Non extorquendas oblationes. Ibid.
Ad reſtitutionem ob non recitatum officium quæ obligatio. Ibid. *vbi & quid circa contrectationem.*
Ad omnia teneri Parochis communia. 50. *vbi quid ad vſum Ritualis Romani, & quid ſi deſit, & de habitus decentia, ac vitæ exemplo.*
Circa cohabitationem fœminarum. 52. *& ſeqq.*
Circa Baptiſmum infantium obligatio. 59. *& ſeqq.*
Teneri Indos audire confiteri volentes etiam extra tempus præcepti. 71
Ad infirmos tendere, etiam cum notabili detrimento. 72 *&* 73. *vbi variæ ſententiæ circa alios, & de generali obligatione circa ruſticos, etiam cum vitæ periculo.*
Subleuationem debere eſſe cum certa ſpe. 74. *Quod ex doctrinâ Card. Toleti confirmatum.* 75
Non teneri ad recedentes pro libitu, & quid cum talibus faciendum. 76
Qualiter ſe gerere debeant Confeſſiones Indorum audientes. 77
Circa Euchariſtiam obligationes. 78. *&* 79
Circa diſpoſitionem pro Confirmatione. 80. *vbi notandum circa cognationem ſpiritualem.*
Teneri ad conferendam Extremam vnctionem, circa quod aliqua. 81. *&* 82
Pro adminiſtratione Matrimonij & benedictionibus, nihil accipi poſſe, 83. *vbi fauorabilis limitatio.*
Rituale Romanum circa ritus nuptiales obſeruandum. 84. *vbi quòd quædam ex Rituali Toletano contraria poſſunt ſuſtineri, ſcilicet priùs ſponſam interrogandam, & circa iungendas manus.*
Nuptias ebrietatibus non inceſtandas, pro quo Parochorum obligatio. 85. *vbi an timore fauentium excuſandi, & quòd in Indis exhortationes ad continentiam valeant, pro quo exemplum.*
Quid circa permiſſionem quamdam Parochi, & benedictionem menſæ crapularis. Ibid
Debere aſſiſtere morituris, etiam cum graui incommodo. 86.
Et Indulgentias applicare, præſertim Cruciatæ, idque ex charitate & iuſtitiâ. 87
Ex Indorum obeuntium bonis nihil vſurpandum, neque quintam partem pro eis applicandam, ad quod neque heredes tenentur. 88. *vbi aliqua pro eo Indicarum Synodorum ſanctiones, & pro reſtitutione doctrina.*
Grauiter peccare ad expugnationes obeuntes. 89. *vbi & pœna excommunicationis cum notanda limitatione.*
In Miſſæ celebratione debere ritus in Miſſali contentos penitus obſeruare. 107

Parochus Religioſus.

Generaliter loquendo conueniens eſſe vt Religioſi Parochi Indorum ſint. T. 17. 1
Præſertim recens conuerſorum ab ipſis. 2
Et etiamſi ſtabilita jam fide meliùs ſit per illos promouenda. 3
Si ſecus, ab eo eſſe cauendum miniſterio. 4
Et ſic ſtatuentibus non poſſe Religioſos reluctari. 5
Patrum Mexicanorum ſententiâ comprobatum. 5. *&* 6
Quid de Societate Iesv. 7. *&* 8
An ex charitate, vel ex iuſtitiâ adminiſtrent. 9
Cum diſtinctione reſponſio. *In ſeqq.*
Si ex charitate, non teneri ad damna ex defectu aliorum, à quibus euitarentur, vt probabile proponitur. 11
Quomodo à Regibus imponi obligatio iuſtitiæ poſſit. 13 *&* 14. *vbi Pij V. verba declarata.*
Ex obligatione tali quæ in ſpeciali ſequantur. 15
Eſſe propriè Beneficia, quæ illis deferuntur. 18. *& ſeqq.*
Quomodo perpetua. 20. *&* 21. *vbi quod & illorum habeant proprietatem, & non tantùm precariò.*
Praxis Canonicæ Inſtitutionis, cui ſe Societas Iesv *ſubmiſit, ſic Regia vrgente juſſione.* 22
Iuxta Pontificia decreta Religioſi nequeunt curam animarum gerere independenter ab Ordinarijs. 23
Non repugnare inſtitutionem, qualiacumque ſint Beneficia dicta, quia dantur in Titulum. 24
Probabilis reſolutio in fauorem Religioſorum. 25
Examen pro illis non eſſe neceſſarium, ſed notitiam ſufficientiæ ſufficere. 26
Peccare grauiter ſine approbatione Epiſcopi, Parochialem curam ſuſcipientes. 27. *vbi qualis obligatio reſtitutionis.*
Pro nouâ Parochiâ quando repetendum examen. 28
Quid in eodem Epiſcopatu, quando diuerſa eſt lingua. 29
Defectum ſufficientiæ non eſſe neceſſarium plenè probari. 30
Supplentes non indigere ſpeciali approbatione. Vbi quod vacationum tempus non ſit prorogandum, & quantum eſſe poſſit: quidue ex Tridentino. 31
An Prælati debeant eligere meliores. 32. *& ſeqq.*
Quid circa praxim ad vitandos ſcrupulos, cum doctrina ſcitu digna. 35
Abuſum nominandi imperitos idiomatis, & ſocium peritum aſſignandi, eſſe damnabilem. 36. *vbi notatu digna.*
Religioſus an poſſit ad Curata dicta compelli. 33. *& ſeqq.*
Societatis poſſe, ob ampliſſimam, quam profitetur, obedientiam. 41. *&* 42. *vbi quod & ad Indias mitti.*
Ad viſitationem qualiter teneantur. 43. *& ſeqq. &* T. 20. 75
Adnotatio peculiaris circa crimina perſonalia, & etiam ad officium ſpectantia. T. 17. 45
Non peccare grauiter viſitantes, ſi circa mores aliqualiter inquirant, vt admoneant Prælatos. 46. *vbi quomodo id ſecretò faciendum.*

Delin-

Digitized by Google

Delinquens grauiter, priuatione doctrinæ puniendus. 47. *vbi aliqua digna.*

Regia ſchedula vt Religioſi ab alijs tantum ſuæ Religionis viſitentur, Epiſcopis impeditis. 48

Vim non habere, & videri illi renuntiatum 49. *vbi quid circa impedimentum Epiſcoporum.*

An Cenſuris percelli ab Ordinarijs poſſint. 50. *& ſeqq.*

Quid pro praxi. 53

Pro Parochis reſeruationem peccatorum non ceſſare, & qualiter illa currat, cum notanda doctrina. 54. *vbi quòd amotis ab officio non ceſſet approbatio.*

Non comparare dominium redditnum, aut aliorum. 55

Etiam eos, qui in Societate vota tantùm poſt biennium emiſerunt. 56

Priuilegio Iuris communis Societatem renuntiaſſe. 57

Religioſis aliorum Ordinum quid liceat circa dicta. 58

Quæ afferunt poſt officium, ad Monaſterium pertinere. Ibidem.

Cùm Prælatus ignorat, & Religioſus non applicat, quid dicendum. 59. *vbi quid non poſſint eam cum licentia ingentem pecuniæ ſummam retinere, & pro eo Tridentini Decretum, cum eiuſdem declaratione.*

De acquiſitis intuitu Eccleſiæ non poſſe diſponere. 60. *vbi quod non ſemper acquiratur Eccleſiæ, & peculiaris doctrina pro Indicis.*

Peccare grauiter profanè expendentem, etiam cum licentia, & accipientem ad reſtitutionem teneri. 61. *vbi quid ludo poſſit exponere.*

Circa votum obedientiæ quæ obligationes. 62. *&* 63. *vbi quid Prælato iubenti circa Parochialia an ex voto obedientiæ ſit præſtanda.*

De obligatione habendi ſocium. 64. *& ſeqq.*

In Parochis Indicis obligationem ceſſare 65. *vbi explicatum Cap.* Monachi, *de ſtatu Monachorum, ſecus ſi populus ſit numeroſus.* 66. *vbi de numero ad Parochiam conſtituendam ſufficienti, & notanda alia circa eoſdem.* 67.

Parochos in officio adiuuantes non poſſe ab Epiſcopis puniri ratione officij, niſi Vicarij ſint. T.20.74

Vide Religioſus.

Patriarcha Indiarum.

De eo vide Appendicem poſt Titulum. 13.

Patrinus.

Eorum obligationem communiter non vrgere. T.16 61

De Patrinis Indorum. 60. *& ſeqq.*

Patronus.

Illius Poteſtas circa ſolam præſentationem. T.16.43 *vbi quòd circa examen nihil: de quo &* 44. *ac* 45

Quod tempus habeant pro præſentatione, & negligentium pœna. T.18.2

Plus aliquando vltra præſentationem poſſe competere. T.19.10

Vide Capitulum, Epiſcopus, Permutatio, Præſentatio, *& alibi.*

Pauper.

Ob paupertatem rigor legum temperatur. T.16.22

Vide Præbendarius, *ex* T.18. *n.*24. *& alij. Et V.* Quarta, *atque alia.*

Peccatum.

Mortale quando ſit vana gloria. T.12.285

Circa peccandi occaſiones vide Occaſio.

Ob violatas obligationes paſſim occurret.

Periculum.

Vide Occaſio.

Permutatio.

A Capitulo an queat fieri. T.19.38. *& ſeqq. vbi affirmatur contra aliquos.*

Pro illâ non currere Semeſtre ad collationem conceſſum. 42

Cauſſam non leuem requiri. 43. *vbi qualis neceſſitas.*

Inter Epiſcopos an eſſe queat. 44. *vbi quod non valeat renuntiatio coram Patrono.*

Regem non poſſe præſentare. 45. *vbi quòd debet reſignatio mutua præcedere.*

Factum Epiſcopi cuiuſdam non probatum. 46

Præbenda pro Præbendâ vt poſſit permutari. 47. *vbi pactio pro expenſis quando ſimoniaca.*

Neceſſitas & vtilitas qualiter inſpicienda. 48. *vbi quòd ante Epiſcopi conſenſum poteſt pactio fieri & fauorabilis pro cauſsâ doctrina.*

In Indijs vt queant permutationes iuſtificari, & quid non tolerandum. 49

Ob fauorem perſonæ an Epiſcopus permutationem perficere poſſit. 50. *vbi notandum pro praxi.*

Vtilis pro eodem doctrina ex bonis auctoribus. 51

Poſſe præſentatum ad Præbendam, & quoſdam alios breui dimiſſuros, permutare, vt probabile proponitur. 52. *& ſeqq.*

Oppoſitum tertius. 53

Patroni conſenſum neceſſarium. 54

Regula Cancellariæ de viginti diebus vitæ poſt reſignationem, expenditur. 55

Inæqualitatem emolumentorum poſſe pecuniâ probabiliter compenſari. 56. *&* 57

Fieri poſſe cum onere penſionis ab Epiſcopo impoſitæ, & eam poſſe pecuniâ redimi, etiamſi auctoritate Papæ ſit conſtituta. Ibid.

Compenſationem non licere certius eſſe & communius, & iuxta id, quid ſit faciendum ſtante bonâ fide. 28 *vbi caſus ſpecialis.*

Permutantem poſſe ſe indemnem ſeruare ex caſus alterius poſitione oſtenditur. 59

Caſus alius de obligatione emendi ſupellectilem. 60 *&* 61

Pœna.

Sine ſententia ſaltem declaratoria criminis non incurritur. T.12.97

Et vbi actus perfectus non eſt. 98

Prohibitio petendi debitum eſt pœna, & non incurritur ab ignorante illam. 474

Aliquando non eſſe talem. 475

Præbenda, Præbendarius.

Præbenda an diuidi poſſit. T.16.12

Prouiſi an debeant ſtatim ad ſeruiendum ſe conferre. T.18.1. *& ſeqq.*

Aſſiſtendi in Choro obligationem, etiamſi nihil recipiant eſſe ſub mortali. 2

Pauci vt poſſint multorum emolumenta lucrari. 7 *& ſeqq.*

Præbendario vicem duorum gerenti non deberi duplex ſtipendium. 8

Quid ſi ad vnum Capitulum redigatur. 13

De ſupplendo notabili eorum defectu nominatione aliorum. 14. *& ſeqq.*

Religioſum non poſſe Canonicum fieri. Ibid.

Si fiat, non poſſe grauiter peccantem ab Epiſcopo puniri. 17

Subrogatorum obligationes. 18. *vbi de congrua ſpecialiter.*

Præbendariorum obligatio circa ſuperfluorum largitionem,

Digitized by Google

nem, etiamſi Præbendæ ſint in diſtributionibus conſtitutæ. 19. & ſeqq.
Quid circa congruam obſeruare teneantur. 24. & ſeqq.
De ſumptibus vanis, qui recenſentur. 25. vbi Indiarum abuſus.
Plus aliquid ſplendoris apud illas liceret; ſed morum ſplendoribus cumulandi. 26
Opera pia an in loco Beneficij facienda, 27
Circa aſſiſtentiam quæ obligationes. 28. & ſeqq. vbi quòd ſtatuta ſeruanda, & quid de Concilij Baſilienſis Decreto.
Ex defectu non regulandam diuini officij generalem obligationem. 29
Pœnam ex omiſſione non incurri ante ſententiam, & pro omiſſione veniali non vrgere. 30
Quid circa Miſſam. Ibid. & 31
Statuto indulgenti vt defectus pro vnâ Horâ poſſit per aliam ſuppleri, poſſunt ſe Præbendarij conformare. 32. vbi quæ poſſint conſuetudine introduci circa aſſiſtentiam.
De notabili quadam Eccleſiarum Gallicarum, quæ vt contraria Sacris Canonibus improbatur. 33. & 34. vbi quædam Pontificum conceſſiones.
Condonationem & remiſſionem non licere, nec eſſe validam. 35
Licere in Indijs abſentiam ratione ſtudiorum, & maximè Theologiæ. 38
Et etiam Iuris Canonici. 39. vbi quod temporis ſpatium concedendum.
Eugeniana quomodo communis pro Indijs. Et qualiter Carolus V. concedere abſolutè priuilegia pro Vniuerſitatibus potuit. 40
Difficultas peculiaris vt in Indijs nequeat practicari. 41
Licentiam Prælati requiri, & in Indijs poſſe illam negare. 42
Si appelletur, quid ab appellationis iudice faciendum. 43. vbi de cautione Epiſcoporum circa diſpenſationem.
Magiſterium in Indijs non excuſare à reſidentia, ex quo pro ſtudio arguitur. Ibid.
Parochis licentiam denegandam. 44
Neque appellare poſſe. Ibid.
Pro Iure Ciuili in Indijs priuilegium minimè ſuffragari. 45
Pro Grammaticâ licentiam concedendam, & quid de humanioribus litteris. 46
Quid de Philoſophiâ. 47. vbi pro Indijs negatur.
De Medicinâ item. 48. & 49
Theologiæ ſtudium ante alia optant Pontifices ampliari. Ibid.
In Scholis Societatis locum habere conceſſionem. 50
Profeſſores Theologiæ, & Iuris Canonici qualiter priuilegiati in Indijs. 51. cum notanda doctrina.
Quod & circa Ius Ciuile, & Medicinam. 52. vbi notanda expoſitio Cap. Non magnoperè.
Religioſis non prohiberi Iuris Ciuilis magiſterium. Ibidem.
Grammaticæ item Prælectores. 53
Sed vbi de Societatis Scholæ non ſunt. Vbi & de Parochis negatur. Ibid. & 54. Niſi in loco Beneficij legant.
Elegans Grammaticæ commendatio. Ibid.
Cauſſa quæſtus abeſſe, à Concilio Limenſi reprobatum. 55. vbi nonnulla alia probata, cum notanda doctrina.
Quid de Præbendario à Prorege aſterſito. 56. vbi ſaubrabilis reſolutio.
Menſis vnius vacatio Indicis Præbendarijs indulta, & id non eſſe Concilij Tridentini diſpoſitioni contrarium. 58. vbi computationem non eſſe per horas faciendam.
Collaſio & Condonatio à Concilijs reprobata: quod & ſtabilitur & obligatio reſtitutionis Eccleſiæ, aut pijs operibus facienda. 60. & 61
Poſſe ſtare remiſſionem. 61. & 62
Quædam diſtinctio circa diſtributiones amiſſas & amittendas improbata. 63
Canere in Choro debent. 71. & ſeqq.
Non videri rationabile vt Matutinum in Eccleſijs Indicis non canatur. Ibid
De obligatione circa Salue Regina. 75
Lucrari qui Curatus eſt, dum adminiſtrat. 76
Quamlibet iuſtam cauſſam ad lucrum integrum in Indicis ſufficere. 77
De abſente ob concurſum ad Præbendam in aliâ Eccleſiâ, cum peculiari doctrina. Ibid.
Non lucrari dicentem Miſſam ex deuotione. Ibid
Diœceſim viſitantes lucrari. 78
Non obſtare Regiam prohibitionem, vbi quid Epiſcopi circa illam. Ibid
De Canonico aſſiſtente Epiſcopo. 79. vbi quid circa Indicos.
De Canonico Magiſtrali. 80. vbi de formâ prouiſionis eiuſdem, & aliorum per concurſum, obligatione Secreti.
Obligatio concionandi qualis. 81. vbi circa modum, cum notando exemplo, & qualis neceſſitas talium prædicationum.
Quot dies tribuendi pro concione. 82. vbi an pro illis ſumere alios queat.
Bona fides vt faueat, ſi in dies concioni proximos labor ſit conficiendæ concionis reſeruatus.
De Doctorali. 83. vbi ſpecialiter de obligatione reſtitutionis ob neglectam officij curam.
De Scripturario. 84. vbi quid faciendum, ſi auditores deſint.
De Pœnitentiario. 85. vbi ratione officij eſſe approbatum ad Confeſſiones, & probabile habere caſus Epiſcopo reſeruatos, & promotum manere approbatum, ſed ſine iuriſdictione.
Circa diſtributionum lucrum adnotantur aliqua. 86
Quid pro Indijs ſpeciale circa Indorum linguam, quod etiam ad Magiſtralem ſpectat. Ibid
De Scholiarcha, & Cantore. 87. vbi Decretum pro illis Concilij Lim. 3. & Tridentini pro priori.
Scholiarcha an Gradum Litterarium maiorem habere debeat. 88
Concilij Decretum quos non comprehendat. Ibid. vbi quòd cùm Gradus confert, pro præſenti habendus.
Archicantoris obligationes. 89
De obligatione reſtitutionis. Ibid.
De Portionarijs. 90. vbi de obligatione aſſiſtentiæ, etiamſi dimidiam tantum habeant Portionem.
Eſſe Præbendarios. T.20.73
De Capellanis Chori. T.18.91. vbi cui reſtitutio facienda ex eorum defectu.
An ſint Beneficiati, vt gaudere trimeſtri queant. 92
Vide Diſtributiones.

Præceptum.

Non obligat, cum ratio communis boni aliud poſtulat. T.12.61.

Quæ

Digitized by Google

Quæ dicantur eſſe de præcepto diuino, quæ de Eccleſiaſtico. 402

Eſſe illud, quomodocumque ſubdito de voluntate Superioris conſtet, ex D.Thoma. T.16.19

Vide Parochus Religioſus.

Prædicatio.

Vide Parochus. *Et circa modum, V.* Concionator. *&* T. 18.80. *& ſeqq. circa Canonicum Magiſtralem.*

Prælatus.

Prælatos in Indijs debere non admittere Religioſos fugitiuos ad Miſſam celebrandam. T.12.136. *vbi an excommunicati.*

Prælato an conceſſa intelligantur, quæ ad conuenientem adminiſtrationem ſpectant, & fuerant anteceſſori conceſſa. 176. *vbi de facultate ad benedictiones.*

An poſſint ſibi concedere facultates, quæ alijs, & ſecum diſpenſare. 189

Præſentatio.

Circa illam quid facturus Prorex, cùm de inſufficientiâ nominati illi conſtat. T.16.48. *poſt alia circa examen à num.*43.

Præſentati ad Epiſcopatum ſine Gradu neceſſariò an valida præſentatio. T.20.82

Vide Beneficium, Capitulum, Epiſcopus, Parochus, Parochus Religioſus, Præbendarius, *& alia.*

Præſumptio.

Cùm lex contra præſumentes loquitur, vt ſit explicanda præſumptio. T.12.286

Si abſit, non incurri cenſuras. In Appendice ad T.17. *poſt* T.19.*n.*5.

Ex clericatu poſt delictum aſſumpto an præſumptio ſumi queat, vt non liceat priuilegio fori vti. T.20 53

Princeps.

Vide Baptiſmus.

Priuilegium.

Quanta à Regibus Catholicis Indis conceſſa. T.12.1

Quæ pro illorum bono ſunt conceſſa alijs, eorum propria ſunt dicenda, & ita latè interpretanda. 2. *& ſeqq. vbi aliqua ſcitu digna.*

Ampliationem dictam ſtare, etiamſi contra ius commune ſint, quia in fauorem Religionis, & cauſſæ piæ. 6 *& ſeqq.*

Id ſtare reſpectu etiam Miniſtrorum. 9. 10. *Et quia Regibus conceſſa dici poſſunt.* Ibid.

An ſint perpetua quæ ad tempus conceſſa. 11. *& ſeqq.*

Stare conceſſionem eſſe perpetuam, licèt ab eodem Pontifice aliquid poſteà ad tempus concedatur. 15. *Et potiùs cùm à diuerſis.* 388. *&* 389

In cauſſâ piâ vt ampliari ſignificatio verborum poſſit. 18 *&* 29

Quid circa probabilitatem perpetuitatis. 30

Priuilegium per teſtes probari poſſe. 104

Quæ notitia ſufficiat ad obligationem pro foro conſcientiæ. 105

Priuilegium perſonale ad aliam perſonam non extendi. 112

Limitatio quædam. 117

Priuilegia vni Prouinciæ Indicæ conceſſa, an ſint alijs communia. Ibid. *& ſeqq.*

Eſſe etiam communia Indis, quæ Europæis conceſſa. 116

Et quæ omnibus alijs extra Indias. 117. *& ſeqq.* Non *è contra.* 119. *contra nouam quorumdam opinionem.*

Inter Indos & Æthiopes eſſe communicationem. 129

Et inter Indos & Neophytos *omnium tranſmarinarum regionum.* 130

Inter Religioſos quæ communicatio in Indijs. 131. *& ſeqq.* Ibi Index.

De communicatione quando adeſt particula taxatiua. 149. *& ſeqq.*

Priuilegia vni Religioni cum limitatione quoad vſum conceſſa, an ſine illa ab alijs poſſint practicari. 153 *& ſeqq. Reſolutio negatiua.* 155. *& ſeqq.*

Pro Indijs ſpecialiter. 162

Communicationem ad Nouitios *extendi.* 163. *&* 164

Aliqua ad tollendos ſcrupulos concedi, pro quo exemplum. Ibid.

Limitari à Prælatis poſſe, etiam localibus. 164

Quæ priuilegia ſine ſpeciali conceſſione Generalis ſubditis conceſſa cenſeantur. Vbi ſpecialiter de Societate. 165. *& ſeqq.*

Quæ in Bullis extant, & non in Compendijs, etiam poſſe limitari. 187. *Circa quod alia,* num. præced.

Superiores finito officio an poſſint habere vſum facultatum. 188. *& ſeqq.*

De Priuilegijs circa Baptiſmum. 193. *& ſeqq.*

Priuilegia contra ius commune generaliter loquendo, non eſſe latè interpretanda, niſi cauſſa religionis, &c. 302

De priuilegijs circa Confirmationem. 205. *& ſeqq.*

De priuilegijs circa Euchariſtiam. 220. *& ſeqq.*

De priuilegijs circa ſacrorum benedictionem. 252. *& ſeqq. vbi ſcitu digna.*

De priuilegijs circa benedictionem Eccleſiarum, &c. 261 *& ſeqq.*

De priuilegijs circa duas Miſſas. 274. *& ſeqq.*

De priuilegijs circa Sacramentum Pœnitentiæ. 293. *& ſeqq.* Ibi Index marginalis.

De priuilegijs circa approbationem. 239. *& ſeqq.*

Circa Extremam vnctionem. 345. *& ſeqq.*

Circa Ordinem ſacrum. 368. *& ſeqq.*

Circa matrimonium. 375. *& ſeqq.*

Non vſus priuilegij in Religione, cui eſt conceſſum, non impedit communicationem alterius. 396

De priuilegijs circa Feſtorum obſeruationem, 417 *& ſeqq.*

Circa Confeſſionem. 428. *& ſeqq.*

Circa Communionem. 433. *& ſeqq.*

Circa Ieiunium. 442. *& ſeqq.*

Circa Decimas. 447. *& ſeqq.*

Circa diſpenſationes in votis. 461. *& ſeqq.*

Circa petitionem debiti. 466. *& ſeqq.*

Circa communicationem cum infidelibus, etiam armis venditis. 477. *& ſeqq.*

Circa compoſitionem pro malè acquiſitis. 479. *&* 480

Circa Cenſuras, vbi an Indi poſſint excommunicari. 481 *& ſeqq.*

De Indulgentijs pro illis & alijs Indiarum incolis. 484 *& ſeqq.*

Priuilegia Indica non reuocari generali reuocatione in Tridentino, aut aliàs. 484. *vbi de quodam priuilegio* PP. *Auguſtinianis conceſſo ad diſpenſandum in primo affinitatis gradu.*

Vt priuilegium perſtet, ſufficit cauſſa motiuæ reliquias remanere. T.19.68

Amiſſo priuilegio per non vſum ab eo, cui ſit conceſſum, non amittitur ab eo, qui habet communicationem. T.20.68

Proceſſio.

Digitized by Google

Proceſſio.

Indulgentiæ pro ipſis, & qualiter facienda. T.12.499 & 500

Prorex.

Proregum poteſtas quos habeat limites. T.16.46. & 47

Circa examen pro Beneficijs difficultas ſpecialis. 43 & ſeqq.

Debere ſemper armatam habere cuſtodiam. T.20.129

Vt nequeant ab Inquiſitoribus excommunicari. 135

Quas cauſſas ad ſe auocare poſſint. 136

Vide Epiſcopus, Patronus, Parochus, Regularis, & *alia.*

Q

Quarta.

Circa illius exactionem vt contingat Epiſcopos peccare. T.13.84

Standum conſuetudini. T.16.24

Quæ rationabilis. Ibid. & 25

Quid cauendum Epiſcopis circa conſuetudinem. 25. & *notanda pro illa.* 26

Quid circa praxim obſeruandum. 27

Aſſertiones plures circa illam pro Indijs. 28. & ſeqq

Speciale dubium circa Capitulares aſſociantes funera. 31

De relictis pro Miſſis. 32. & 33

Ex quibus manifeſtè non debeantur iuxta Iuris diſpoſitiones. 34. & 35

Circa illam Sede vacante dubia quæſtio, de quâ. 36 & *ſeqq.*

Triplex titulus ſolutionis abſolutè ſumptæ. 37

Ex oblationibus, quæ cauſſa mortis tantùm fiunt, illam deberi. 41. & 42

R

Religio, Religioſus.

Fugitiuus an gaudeat priuilegijs Religionis, & ſpecialiter Indicis. T.12.134. *vbi an ſine licentia Prælati approbatus illis vti queat.*

De Religioſis B. Ioannis Dei. 137

De Sacerdotibus Equeſtrium Ordinum. Ibid

Religioſi an communicent in Indulgentijs. 139. & *ſeqq.*

Religionem PP. Mercenariorum parem communicationem habere. 152

Religionum Mendicantium dignitas ſupra Monachales. 257

Poſſe Aras & Calices conſecrare illis etiam conceſſum. Ibid.

Ad prædicandum quâ licentiâ aut approbatione egeant. 331

Pro Indijs quod priuilegium, & qualiter explicandum. 329. & 332.

Ad prædicandum in plateis an neceſſaria licentia. 333

Inuitis Parochis an liceat. 335

Non teneri à Vicario licentiam petere, ſi Epiſcopus, qui dederat, moriatur, neque ad Confeſſiones. 339

In Indijs an gaudeant facultatibus conceſſis Epiſcopis ad tempus. 465

Poſſe extra Confeſſionem diſpenſare. 473

Ratione ſcandali ad ieiunia non generalia teneri. T.16. 99

Poſſunt illis Vicariæ temporales attribui. T.18.14

Sed nequeunt eſſe Canonici. Ibid. & 15. *vbi quid neque Curati ſine neceſſitate abſque Pontificis facultate.*

Nec Epiſcopos in eo poſſe diſpenſare, ſicut neque ad ſimplex Beneficium.

Ratio diſcriminis inter illud & Curatum, quod ex neceſſitate licet. 16

Prælati nequeunt profeſſurum obligare vt legitimam Conuentui donet, aliàs non admiſſum. In Appendice ad T.17. *poſt* T.19.n.1. & *ſeqq.*

Titulum ſuſtentationis non ſuffragari. 2

Non poſſe exigi vltra neceſſaria, fauorabili aliquorum ſententiâ ſtante. 3

Graue iniuſtitiæ peccatum ſecus facientium. Ibid. & *quòd ob defectum amoris ergà Religionem id fieri nequeat.* 4

Circa aliquarum Religionum praxim quid dicendum. 5

Alternatiuis in Indijs an conuenienter vtantur. 6 & *ſeqq.*

Quis error circa Profeſſionem inualidet ipſam. 9. *vbi pro Indijs ſpeciale aliquid.*

Apoſtolorum diſpoſitio in electione ſeptem Diaconorum circa caſum prædictum ſingulariter illuſtrata. 11 & *ſeqq.*

Prælati ex Hiſpaniâ venientes an pecuniarum copiam colligere poſſint. 15. & 16

Electionum libertas nequit à Prælatis coarctari. 17 & 18

Quàm grauia ex contrario damna. 19

Regijs expenſis in Indias venientes, qualem ſubeant obligationem. 20

Non extare illam pro reſtitutione Regi faciendâ. 21

De obligatione non mutandi Prouincias, ad quas ſunt deſtinati, cum notanda doctrina. 22

Sine licentia Prælati in tranſmarina tendentium quæ ſuſpicio. T.20.66

Quando illa ceſſet. 67

Vide Priuilegium.

Renuntiatio.

Poteſt quis Beneficium prætendere animo renuntiandi poſt breue ſpatium. T.19.52

Renuntiationes Nouitiorum liberas eſſe debere. In Appendice ad T.17. *poſt* T.19. n.1. *vbi quòd id in Societate ſummâ curâ ſeruatur.*

Vide V. Sequenti.

Reſignatio.

In fauorem an liceat. T.19.33. & ſeqq.

Morti proximum non poſſe taliter reſignare; benè tamen ob crimen priuandum, vbi ſpecialis caſus. 37

Et etiamſi priuatio ſit futura propter irregularitatem ex homicidio. 52

Reſtitutio.

Facienda ab Epiſcopis pro exceſſu Quartæ. T.13.84

Et pro venditione officiorum. 88

Vbi facienda. In Appendice ad T.16. *poſt.* T.19. num.6.

Subornatus pro Cathedrâ an teneatur. T.20.104. & 105.

Pro opere bono aut prauo acceptis obligationem non eſſe. Ibid.

Quid ſi ob ſuffragium indignus Cathedram adeptus. Ibid. & 106.

Cum multis damnificans ad quid teneatur. Ibid.

Cathedram per ſubornationem adeptus an debeat eam reſtituere. 107. & 108

Ex iniquâ ſententiâ quæ obligatio, ſi ſecundùm allegata & probata. Ibid.

Digitized by Google

Ex collatione Beneficij factâ minùs digno non oriri obligationem ad illam. 109

Vide Beneficium, Epiſcopus, Parochus, Præbendarius, Viſitator, *& alia.*

Rex.

Reges Catholici an poſſint in Indijs conſtituere Parochos independenter ab Epiſcopis, aut ſpiritualem aliam concedere facultatem. T.12.272. & 273

Eorum obligatio circa tuendam obſeruantiam Religioſi ſtatus, maximè in Indijs. T.17.4

Vide Epiſcopus, Licentia, Patronus, Præſentatio, *& ſæpè alibi.*

Rituale.

Romani Pauli V. auctoritas propugnatur. T.16.19

Vide Parochus.

S

Sacerdos.

Bono illius nominis quomodo conſulendum, ſi delictum publicum ſit. T.14.18

Sacris veſtibus indutum non debere confiteri. T.16.90 *vbi de Concilij Limenſis circa hoc Decreto.*

Quale peccatum in eo ſit. 91. *vbi quid de Religioſis.*

Non poſſe alteri non approbato confiteri. Ibid.

Qui ſtipendia pro Miſſis in Indijs accipit, an curare poſſit vt in Hiſpaniâ dicantur minori quantitate. In Appendice 1. *poſt* T.19. *num.* 1. *& ſeqq. vbi multiplex & obſeruatione digna doctrina.*

Pro dicendâ Miſſâ in Oratorio inuitatum non poſſe maius ſtipendium exigere. 8. *& ſeqq.*

Vbi quod cùm ſpecialis labor, generaliter id licet.

Quid circa locum. 9

In ſtipendio eſſe juſti pretij varietatem, & quomodo id habere locum in Indijs poſſit. 10

Maius & minus ſtipendium dari poſſe ex voluntariâ pactione. 11

Sed non in caſu Oratorij, neque generaliter. 12

Plus petentem & accipientem non obligari ad reſtitutionem, ſententia aliquorum. 13

Neutiquam admittendam. 14

Et id eſſe contra juſtitiam commutatiuam, & non tantùm legalem. 15

Stipendium non deberi pro diariâ ſuſtentatione. 16

Promittens plus aliquid, tenetur adimplere. 17

Miſſam promittens accepto ſtipendio non ſatisfacit eo reddito, ſed poteſt ad dicendam obligari. In Appendice 2. 21

Sacramentum.

Circa materias Sacramentorum non habere Eccleſiam mutandi facultatem, & quomodo hoc explicandum. T.12.212.

Obſeruanda doctrina circa Sacramentorum valorem, ſtante probabili opinione. T.17.25

Secretum.

Illius violatio mortalis in electionibus Eccleſiaſticis. T.18.80.

Vide Parochus Religioſus, Vicarius Generalis.

Sepultura.

Vide Parochus.

Simonia.

Eſſe illam, cum promittitur pecunia pro Beneficio applicanda operi pio. T.13.5. *& ſeqq.*

Et in pactione Capitularium cum Viſitatoribus. T.19 26. *& ſeqq.*

Pactio pro expenſis quando ſimoniaca. 47

Bona fides vt obſtet ſimoniæ. 68. *vbi caſus ſpecialis.*

Non incurritur pœna per conuentionem, ſine perfectâ traditione. T.20.8

Societas IESV.

Poteſtas Generalis in illâ. T.12.20. *&* 21. *vbi ſpecialia circa vſum priuilegiorum.*

Eius gubernationis modo à multis oblatratum, ſed à Pontificibus propugnatus. Ibid. *& ſeqq. vbi de Conſtitutione Innocent. X. circa illam.* Ibi Index.

Credendum P. Generali de diſpenſatione teſtanti. 104 *& ſeqq.*

Sine illius communicatione ſpeciali omnes vti priuilegijs poſſunt ad tollendos ſcrupulos conceſſis. 165

Eidem conceſſorum vſus inualidus ſine illa. 166. *&* 167

Idem de alijs. 168. *vbi ſententia quorumdam expunctâ de illicito actu, ſed non inualido, de quo &* 169 *&* 184

Etiam in Indijs id tenendum. 171

Ratione diſtantiæ an aliquid liceat. 172. *&* 173

De caſu ſpeciali. 174. *&* 175

Variæ formulæ conceſſionis priuilegiorum in Compendijs. 176. *& ſeqq.* Ibi Index.

Quæ Generali committuntur, ab eo poſſunt alijs committi. 182

Priuilegium circa ætatem pro Ordinibus an alijs commune. 374

An expediat ipſi Indorum habere Parochias. T.17.7 *&* 8.

Præclarum eiuſdem elogium ex Religioſo Scriptore. 12

Priuilegijs circa Inquiſitionem renunciauis, & quid inde Inquiſitoribus liceat. T.20.68. *&* 69

Vide Indulgentia, Parochus Regularis, Priuilegium, *& alia.*

Statutum.

Vide Capitulum, Concilium, Epiſcopus, Lex, Præbendarius, *& alia.*

Superior.

Duo Superiores quomodo ſuper eamdem materiam eſſe poſſint. T.17.63

Vide Prælatus.

Stylus.

Curiæ, & Cancellariæ vt obliget. T.19.65

T

Tabachus.

Ante Miſſam prohibitus in Concilio Limenſi. T.16 92

Et ante Communionem in Mexicano. 93

In Synodo Canarienſi. 95. *& ab Vrbano VIII.*

Inepta explicatio diſiecta. 92. *& ſeqq. & obligationem eſſe ſub mortali.*

Etiamſi in ſtomachum non traiiciatur. 96

Religioſi an teneantur. 97. *& negatur ex vi legis Conciliaris.*

Quid ratione jeiunij naturalis. Ibid. *&* 98

Teneri ratione ſcandali. 99

Folium poſſe ſumi, ſi non traiiciatur. 100

De ſumptione in luto. 101

Epiſcopi an teneantur. 102. *vbi quòd tantùm ratione ſcandali, iuxta cōmunes doctrinas circa illos, & alios.*

An obligatio ad omnes communicantes extendatur. 103 *&* 104. *vbi notanda quædam circa Confeſſarios.*

De Sayri, & pulueribus alijs. 105. *vbi quòd vitium hoc fundamentum præbet non benè de vitioſis talibus ſentiendi, & quòd in Beneficijs poſtponendi.*

Et

Digitized by Google

Ei deditos eſſe in ſtatu peccati mortalis ſeptem rationibus comprobatur. 106

Tempus.

Quomodo computandum in priuilegijs. T.12. Cap. 4. *vbi an à die ſcientiæ.*

Computationem faciendam ab actu perfecto. 92. *vbi & ſeqq. de computatione circa nouennium Congregationis in Societate.*

Tempus à lege præſcriptum debere eſſe continuatum; licèt oppoſitum teneant aliqui. 93

Modicum tempus quod dicatur, & quando debeat impleri de momento ad momentum. 94

Temporis præfixio quando ad ſubſtantiam non ſpectet. 319

Non currit impedito. T.18.3

Terminus.

Diem termini non computari in termino. T.12.32

Terminus in prouiſione Beneficij aſſignatus, etſi elapſus ſit, non officio collationi, pro quâ nullus à iure deſignatus. T.18.4

Triennij lapſus non inducit tacitam renuntiationem, ſtante contraria voluntate. 6

Teſtamentum.

Illius executorem quidquam immutantem poſſe recuſari, & à munere remoueri. T.16.23

Ex relictis Parocho, non vt Parocho, quartam non deberi. 30

Vide Miſſa, Quarta.

Teſtis.

Vt poſſit teſti fide digno pro foro conſcientiæ credi. T.12 16

Vbi quòd & priuilegiario aſſerenti, qui & vti priuilegijs poteſt, vndecumque notitia habita. Quod ſpecialiter vrgetur in P. Generali Societatis.

Credendum ipſi de diſpenſatione teſtanti. 104. & *ſeqq. Vbi vni teſti quando credatur.*

Epiſcopo teſtanti in titulo Ordinum vt credatur. 107

Quantâ diligentiâ examinandi. T.15.30

Non idonei quando admittantur. 31

Vide Fœmina.

Circa Indos. Ibid. & *ſeqq.*

V

Vacatio Eccleſiarum.

V*ide* Capitulum, & Eccleſia.

Verbum.

Verba æquipollentia & ſpecifica, quomodo eumdem effectum habeant. T.12.127

Vide Lex, Priuilegium.

Vicarius Generalis.

Vicarium Gener. Epiſcopi gaudere ordinariâ auctoritate. T.12.315. & T.14.1. *Aliquando delegatâ.* T.12. Ibid. *vbi contrarium eſſe probabile, & tutum in praxi ac ſequendum.*

Non eſſe in eo totam juriſdictionem, ſed in Capitulo reſidere. 318

Non poſſe licentias datas Regularibus ab Epiſcopo reuocare. 339

Vicarij Gener. Epiſcoporum litterati eſſe debent, & graue in electione non talium eſſe peccatum. T.14.1

Idem de morum probitate. 2. *vbi de ætate neceſſaria, & an ordinem ſacrum habere debeant.*

Ad Indorum curam grauiter obligatos. 3

An Parochi eſſe poſſint. 4. & *ſeqq.*

An Præbendarij. 9. & *ſeqq.*

Vltra tempus officij abſentes non lucrari. 11

An Vicarij eſſe queant ex Hiſpaniâ dudum appulſi. 13 & *ſeqq.*

Illius quales futuræ dotes. Ibid.

Diui Caroli circa id notanda diſpoſitio. 14

Peccare grauiter inhoneſtos Parochos tolerantes. 15

Quæ notorietas ad procedendum contra illos ſufficiat, & qualiter procedendum. 16. & 17

Peccare item cùm denuntiantes repellunt, quia probare non poſſunt in edicto contenta, &c. 19. & 20

Vbi vtilis doctrina.

Correctionem fraternam non eſſe neceſſariò præmittendam. 21. *vbi de illius obligatione.*

Circa decentem habitum Clericorum non aduigilantem, grauiter delinquere. 22. & *ſeqq. vbi multa ſcitu digna.*

Grauiſſimum etiam eorum peccatum, ſi circa Moniales negligenter ſe habeant. 28

Sicut & circa ludos Clericorum. 29

Quid circa munerum acceptionem. 33. & *ſeqq.*

Vnum cum Epiſcopo habere tribunale. T.19.11

Indici charitate debent eminere. 27

Diſpenſandi facultatem non habent, niſi ſpecialiter committatur. 81

Diuortij cauſſas poſſe illi committi. 82. & 83

An poſſint Monialibus licentiam dare ad permiſſum illis egreſſum ſine ſpeciali commiſſione. 91

Circa Vicarium Capituli, S.V. vide V. Capitulum.

Viſitator.

Viſitationum ſcopus ex Tridentino. T.15.1

Auaritia vt illi obſiſtat. 2

Viſitatores futuros ſoles. Ibid.

Salarium in Indijs aſſignandum ipſis ex obligatione juſtitiæ. 3

Neque ex pœnis Cancta, & quid ſi juſta. Ibid.

An poſſint illud non conſentientes petere. 4. *vbi doctrina pro alijs.*

Quid quando emolumenta ſtipendium æquant. 5. *vbi notatu digna.*

De Officialibus pariter deciſum. 6

Circa tempus quid à Limenſi Concilio ſtatutum, & obligatio reſtituendi. Ibid. 5. 2

Difficultas circa excommunicationem. Ibid.

De obligatione circa Inſtructiones. 7

Obligatio reſtituendi duplum vltra Procurationem acceptorum ex Concilijs. 8. *vbi quid recipi juxta nonnullos poſſit.*

In foro conſcientiæ eſſe illam, juxta plures. 9. & 11. *vbi quàm vniuerſalis ſit.*

Remiſſioni locum non eſſe, quia Eccleſiæ facienda reſtitutio, & quid nomine Eccleſiæ intelligatur. 10

Aliorum ſententia de obligatione tantùm ſimpli. 12 & 13

Præfertur prior, & aliam eſſe probabilem. 14

Sicut & non eſſe obligationem reddendi ſimpli gratis accepti. 15

Eccleſiæ faciendam reſtitutionem ſupra ſimplum accepti. 16

Quid de accepto aliàs. Ibid. & 17

Quid de datis à Parocho ſuo nomine. 17

Quod reſtituitur, an poſſit redonari. 18

Circa abſolutionem à pœna; ſuſpenſionis ſcilicet & interdicti, cum vtili doctrina. 19. & *ſeqq.*

Epiſcopi per diœceſim diſcurrentes an rectè faciant ſecum ducentes Viſitatores. 23. & *ſeqq.*

Digitized by Google

Viſitationis tempore præſentem Parochum non futurum. & quid de emolumentis, ſi viſitator adminiſtret, aut alius. 27
Pœna iniquè cauſſas tranſigentis. 28
Indorum teſtimonio qualiter vſuri. 29. *& ſeqq.*
De viſitatione fabricæ, & ornamentorum. 32. *vbi notanda quædam.*

Viuæ vocis Oracula.

Quæ ad Religioſos ſpectant eſſe confirmata non obſtantibus Bullis reuocationis, qui cenſeant. T.12 219
Quid de teſtificatis per Cardinales, qui poſteà fuêre Pontifices. 220
Non reuocari ſpecialia quædam, in quibus Cardinalium auctoritas peculiaris interuenit.

Votum.

Quale caſtitatis non ſit reſeruatum. T.12.461
Pœnale non eſſe, etiam impletâ conditione. 464
Neque ex leuitate emiſſū. Ibid. *vbi à quibus diſpenſari poſſint: pro quo &* 462. *&* 463.
Ex communi coniugum conſenſu factum eſſe reſeruatum. 468. *vbi quid contrarium ſit probabile, & quod in ordine ad petitionem debiti, eo ſtante.*

F I N I S.



ADDI.

Digitized by Google

ADDITIONES AD TOMVM POSTERIOREM THESAVRI INDICI.

AD TITVLVM XII.

Circa Caput IV. num. 37.

Vbi de computatione temporis in Bullis ad viginti annos Priuilegia continentibus.

1 VT quod ibi dictum eſt de non curanda Bulla Gregorij XIV. firmetur ampliùs, facit tenor conceſſionis Pauli V. in vtraque, de qua *ibidem*. Declarat enim Conceſſiones prædictas à die Datæ computandas, nullam aliam eſſe ſupponens ad effectus tales opportunam. Aut ergo conceſſio Gregorij vim non habuit, vel Societas eâ vti noluit, vnde & pro conceſſione alia inſtanter egit, vt ex tenore Bullæ vtriuſque conſtat, & in noua Priuilegiorum editione ſuppreſſa *Anno* 1615. quando iuxta computationem P. Quintanæ vigebat vſque ad *Annum* 23. duratura. Vel ſi vim certè habuit, computatio conceſſionum Pauli non eſt à fine viginti illorum annorum conceſſionis Gregorij facienda; quia Pontifex expreſsè decernit faciendam à die Datæ. Currentibus ergo pariter vtriuſque Pontificis conceſſionibus, & finitâ conceſſione Gregorij *Anno* 23. nihil inde haberi poteſt emolumento futurum, cùm ad prorogationem conceſſionis Pauli nihil conducat, iam antè à die Datæ currentis, & expleto deſignato termino finiendæ acſi cum Gregorij conceſſione minimè decurriſſet.

2 Neque enim dici poteſt non obſtante deſignatione illâ temporis ad inchoationem poſſe poſt finem conceſſionis Gregorij inchoatam affirmari, eò quòd, ſi pariter currerent, poſterior conceſſio nullius eſſet vtilitatis toto illo ſpatio, in quo prior vim haberet. Cum tamen priuilegia ita debeant conceſſa cenſeri, vt ſpeciale aliquid operentur, iuxta Cap. *In his*, de priuilegiis, ex quo ſic communiter Doctores. Et ita ſexennium Bullæ Cruciatæ poſt finitas incipit eiuſdem, aut aliorum Pontificum conceſſiones. Non inquam dici poteſt, quia vbi Pontificis expreſſa mens habetur, omnis cum illa non compatibilis intelligentia ceſſat. Cùm ergo verba illa *A die Datæ*, ſeu *A Data præſentium*, verificari nequeant, niſi ſeruato tali termino, omnis alius philoſophandi modus ſolido caret fundamento. Neque inutilis conceſſio eſt, quandoquidem ratione illius id liceet, quod ſecluſa conceſſione abſolutè non liceret, quamuis per accidens alia extet conceſſio vi cuius idem habetur, & allegari poteſt vt ſucceſſor Pontifex ſimilem liberalitatem exerceat, vt videmus ab iis factum, de quorum Bullis diſputamus. Et quidem confirmatio in forma communi nullum ius confert nouum, vt communiter tradunt Doctores apud P. Suarium *Lib.* 8. *de legibus Cap.* 18. & tamen inutilis non eſt, vt idem expendit *numer.* 10. *&* 11. quia plurium perſonarum conſenſus & auctoritas confert vt plus timeatur, & ſecuriorem reddit priuilegiatum de non reuocando priuilegio, ſed conſeruando ac defendendo tamquã proprio, cùm reuera tale ſit. Hæc autem potiori ratione locum habent in caſu noſtro, vt conſtat. Neque eſt ſimile in Cruciatæ conceſſione, quia in illa non dicitur *A die Datæ*; & iuxta mentem ſupplicantis conceditur à talibus limitationibus alienam. Cùm è contrario Societas IESV ita priuilegia à Paulo V. poſtulauerit, vt à die Datæ ſemper cœperit computare. Quæ eſt noua ratio, & ſatis vrgens prò intento.

Circa Digreſſionem eiuſdem Capitis n. 45. & ſeqq.

Vbi quæ ſit odioſa Conſtitutio.

3 PRo reſolutione noſtra faciunt quæ habet Angelus Boſius *Tomo* 2. *Titulo* 2. *num.* 35. *& ſeqq.* qui videndus. Et quæ ex Carolo de Bauſio tradit Diana *Parte* 10. *Tract.* 14. *Reſolut.* 9. ad intelligendum quæ ſit odioſa conſtitutio. Et licet in applicatione doctrinæ non aſſentiatur ipſi, volenti nomine Clericorum non venire Religioſos, quando in Concilio Conſtantienſi ſtatuitur vitandos notorios percuſſores Clericorum; id quidem generali doctrinæ non obſtat, quam neque ipſe negat. Citat autem Bauſius P. Suarium *Diſput.* 9. *de Cenſuris Sect.* 2. *num.* 11. vti qui aduertat Concilium Conſtantienſe loqui de percuſſoribus Clericorum, non autem de gaudentibus priuilegio Canonis: quod quidem immeritò ab eo aſſertum, vt legenti conſtabit. Melius videtur id poſſe deduci ex iis, quæ habet *numer.* 14. vbi ait in huiuſmodi poſitiuis legibus proprietati verborum ſtandum eſſe; & quatenus fauorem continent, amplianda; vt verò odium & rigorem, reſtringenda, quantumcumque poteſt vtrumque cadere ſub verbi proprietate. Sed ille philoſophatur de prædicto Concilij Decreto locutus. Cùm ergo Clerici nomen Religioſum non ſignificet, & in odioſis verſemur, videtur

de Bauny ſententia comprobari. Sed de hoc aliàs, & Dianæ ſententia valde eſt probabilis. Pro reſolutione autem noſtrâ circa Conſtitutionem ex directo militat Carena *Parte 2. Titulo 6.* omnino videndus, & de Conſtitutione agit contra Solicitantes in Confeſſione, quam ſtrictiſſimè intelligendam aſſerit.

Ibidem Circa num. 59.

Ubi de computatione triennij pro Superioribus Societatis.

4 VT non debeat computatio fieri de momento ad momentum, iuuat quod ait Bonacina *Tomo 1. Diſput. 1.* de Suſpenſione, *Puncto 3. num. 3.* poſtremum ſcilicet diem debere eſſe completum: ergo id potiùs in fauorabilibus. Sed in contrarium videtur ſtare declaratio R. P. Goluini in litteris ad Prouinciam Peruuianam *die 30. Ianuarij 1659.* vbi ſic ait. *Ni vn dia, ni vna hora mas puede gobernar el que acabò ſu trienio.* Sic ille. Qui tamen poterit iuxta dictam computationem explicari, vt finito triennio in termino diei completi, nihil liceat vlteriùs. Vide Boſſium *ſuprà num. 55.*

Ibidem Circa num. 60.

Ubi de ſubita & improuiſa Superiorum vacatione.

5 PRo illius inconuenientibus facit id, quod habet Fr. Ludouicus de Miranda in *Manuali Prælatorum Tomo 1. Tractatu de ſacris Monialibus.* Vbi adducit Conſtitutionem Sixti V. pro Monialibus, ſubiectis Fratribus Minoribus, vt earum Abbatiſſæ finito triennio vacent, neque aliquam poſſint prælationem exercere niſi alio triennio elapſo à die finiti officij numerando. Et poſt eam adductam, nihilominùs reſoluit Abbatiſſas prædictas finito triennio poſſe Præſidentes conſtitui pro paruo aliquo tempore, donec aliæ Abbatiſſæ eligantur, ob grauiſſima inconuenientia, quæ in aliarum deſignatione recenſet: cùm tamen verba Pontificis adeò videantur vrgere, poteſtatem omnem & auctoritatem vlteriùs prohibentis: non enim credendus eſt id, quod pro bono Religionis diſpoſuit, in eiuſdem detrimentum cedere voluiſſe. Et cum Miranda ſentit Diana *Parte 7. Tract. 12. Reſolut. 17.* vbi etiam adducit Santonum, ſic dicens: *Tamen hoc non obſtante, exiſtimo poſſe per illos dies, in quibus noua electio efficitur, cogere Monaſterium ſub aliquo titulo ſeu nomine.* Sic ille.

Ibidem circa num. 85. & ſeqq.

Ubi de paucitate dierum in delegata iuriſdictione.

6 FAcit pro ibi dictis Nauarrus *Lib. 1. Conſil. Titulo de Electione, Conſ. 9.* in priori editione, vbi aſſerit Generalem Minimorum, cùm prohibeatur eſſe Vicarius, finito termino ordinariæ gubernationis, poſſe tamen conſtitui ad aliquot dies, ſeu breue tempus, ſed non ſimpliciter. Facit etiam quod habet ibidem *Tit. de ætate & qualit. Ordin. Conſ. 7.* vbi in ſimili loquens, de prælaturâ ait defectum 25. dierum in duodennio eſſe paruitatem materiæ: vnde ſex dierum defectus in triennio paruitas etiam dicenda videtur. Nauarri autem ſententiam adducit, & probat Fr. Emmanuel *Tom. 2. qq. regul. quæſt. 53. artic. 12.* Pro quo & ſtat Lezana *Tom. 3. v. Annus, num. 9.* vbi ex Cornejo ponit in fauorabilibus annum expletum dici, etiamſi deficiant duo vel tres dies. Et Paſqualigus *Deciſ. 473.* vbi tres dies ſupra menſes vacationis, à Tridentino Parochis conceſſos, ait eſſe paruitatem materiæ: apud quem Vincentius Vinyals, etiam quindecim in Epiſcopis. Hoc præſertim pro *num. 89.*

Ibidem circa num. 91. & 92.

Ubi de interuallis gubernationis, an ſeſquianum vacui complere poſſint.

7 PRo ibi dictis adſtipulatur Nauarrus Cõſilio nuper adducto, vbi oſtendit tempus requiſitum ad aliquid per æquipollens poſſe compleri.

Ibidem circa num 94.

Ubi de ſeſquiani computatione.

QVæ dicta ibi, iuxta ea, quæ diximus circa *num. 89.* regulanda ſunt.

Ibidem circa num. 97.

Ubi de neceſſitate ſententiæ declaratoriæ ad pœnam incurrendam.

8 DOctrinam à Nobis ibi propoſitam amplectitur P. Bardi in *Selectis Lib. 7. Quæſt. 5. num. 8.* cum aliis, etiam quando pœnæ in priuatione conſiſtunt, & non requirunt actionem. Pro quo & Lezana *Tom. 1. Cap. 8. numer. 30. & 31.* vbi iuxta aliquos quid etiam ſi dicatur, *Ante declarationem.* Contrarium abſolutè tenet cum multis, quos citat, Leander *Parte 4. Tract. 2. Diſputat 9. Quæſt. 28.* in priuatione Beneficiorum, ob excommunicationem, & ob ſuſpenſionem *Tract. 4. Diſput. 3. Quæſt. 28.* etiamſi officium præſtet: immò etſi egeat, & ſit contumax, de quo *Quæſt. 29.* ſed *Parte 5. Tract. 1. Diſput. 3. Quæſt. 13.* contrarium ſentit de pœnâ irregularitatis, de quo & *Quæſtio 16.* & abſolutè Boſſius *Tomo 2. Tit. 12. num. 162. & 163. & ſeqq. & Tomo 3. Titulo 18. num. 564. & Tit. 23. num. 33.* vbi addit poſt declarationem retineri poſſe vſque ad executionem, pro quo alios adducit. Sed *num. 36.* conſonat Leandro, etiam quoad cenſuras, & pœnas alias in priuatione conſiſtentes. Vide autem *numer. ſequenti.* & ſpecialiùs *Parte 1. Tractatu de Matrimonio. Cap. 5. num. 31. & ſeqq.* vbi latiſſimè materiam hanc diſcutit, & fauorabiliter. Pro caſu autem noſtro *num. 124. & 129.* multis adductis.

Circa

Digitized by Google

Circa Caput V.

De diuerſis Bullis Pontificum, de quibus *num.* 116. *&* 139.

LIcet Conceſſio Leonis X. priori loco ſit poſita, non ideo abſolutè cenſenda prior, cùm Leo Iulio ſucceſſerit.

Circa num. 137.

Ubi de communicatione priuilegiorum in Fratribus B. Ioan. Dei.

EXtare pro illa Bullam Vrbani Octaui vide apud P. Quintanad. *Tomo* 1. *pag.* 320.

Circa extenſionem Priuilegij ob rationis identitatem.

9 HAbet pro hoc commodam Diana Doctrinam *Par.* 1. *Tract.* 13. *Reſolut.* 4. ex communi Doctorum placito, iuxta quam valet argumentum ab identitate in æquiparatis à Iure, circa materias, ſi perſonæ ſint, vel in materiis ipſis quando in illis eadem videtur eſſe ratio, pro quibus bona apud eumdem exempla. Et cùm fidei cauſſa adeò in Iure fauorabilis ſit, quãdo circa illam conſtiterit eamdem eſſe rationem, & nullum appareat inconueniens, poterit præfata doctrina vtiliter applicari. Vnde non eſt neceſſarium quòd æquiparatio ſit facta à Iure per modum regulæ, in quo vix eſſe dubitatio poteſt, ſed ſufficit eamdem eſſe rationem, & quòd fauorabili in materiâ verſemur, vt fidei, religionis, & pietatis: vnde habetur, vt diſpoſitio circa Clericos fauorem continens, ad Religioſos extendatur, de quo Auctor idem *Tract.* 14. *Reſol.* 9. & Lezana verb. *Priuilegium num.* 9. citatis aliis.

Circa Caput VII.

Quòd Moniales gaudeant Priuilegiis Virorum, de quo *num.* 138.

10 GAudere etiamſi Ordinariis ſubiectæ ſint, cum onere tamen ſeruandi ſtatuta generalia Ordinis, quorum habuerint notitiam, & caſuum reſeruationem, habet Lezana *Tomo* 5. *in Mari magno Carmelitarum, numer.* 385. *&* 386. Iuxta quod videtur ſtare communicatio priuilegij, de quo *Titulo* 5. *num.* 306. *& ſeqq.* pro Miſſâ in cameris: quod tamen negat Paſqualigus *Deciſ.* 176. *&* 178. quando ſubiectæ Regularibus non ſunt. Quamuis aliunde non videatur neceſſarium: cùm enim ad ingreſſum Sacerdotis neceſſaria ſit Epiſcopi licentia, ille poteſt ad id ſuo iure vti, vnde & negare illam: quia, vt diximus, per priuilegium ſubordinatio religioſa neutiquam remouetur. Circa communicationem in temporalibus, diximus in Additionibus ad priorem Tomum *numer.* 104.

De communicatione quoad Indulgentias, de qua num. 144.

11 APud Dianam *Parte* 6. *Tract.* 7. *Reſolut.* 39. ſunt qui illam concedant, qui tamen cum aliis negat, & ſpecialiter de Altari priuilegiato, quod & de Eccleſiis eiuſdem Religionis negant aliqui. Et Lezana de Altari negans *Tomo* 3. *v. Altare num.* 19. de Indulgentiis concedit *V. Indulgentia num.* 8. ob Conceſſiones Prædicatorum & Carmelitarum.

De communicatione in Feſtis de qua num. 146.

12 NEgat illam Bordonus apud Dianam *Par.* 6. *Tract.* 8. *Reſolut.* 14. niſi cùm Feſta de Sanctis non propriis Religionum ſunt, & de Myſteriis Chriſti, aut B. Virginis. Sed tenet Lezana *Tomo* 2. *Cap.* 1. *num.* 55. Quod cogitandum Diana relinquit. Et quod ibi de Octauis Beatificatorum dictum, iam eſt SS. D. Alexandri VII. Decreto ſublatum, ſicut electio in Patronos, & alia. Videndus Lezana circa communicationem in conceſſis priuatis Monaſteriis & perſonis *num.* 52. *& ſeqq. & Tomo* 5. *in Mari magno Auguſtinianorum num.* 10. vbi illam quoad perſonas negat, concedit quoad loca, in quibus eſt ratio ſimilis.

De Indiis an veniant Regnorum Hiſpaniæ nomine, de quo n. 147. *&* 148.

13 VIderi pro eo poſſunt duæ Rotæ Deciſiones apud Dianam *Parte* 8. Prima 9. *Iulij* 1645. Secunda 26. *Februarij* 1646. in quibus negatur ius Canonicatûs Barchinonenſis, quia Catalonia non eſt Regnorum Hiſpaniæ nomine comprehenſa. Sed P. Tamburinus *in Decalogum Lib.* 2. *Cap.* 5. §. 2. *num.* 6. pro Siciliâ militat in Sanctorum celebratione.

De Parocho dimiſſo officio, de quo num. 190.

14 MAnere approbatum pro Confeſſionibus, tenet cum aliis P. Mendus *Diſput.* 22. *à num.* 34. & *Tractatu appendice Diſput.* 2. *Cap.* 24. & ante illum Peyrinus apud Lezanam *v. Parochus num.* 6. & Leander *Tomo* 1. *Tract.* 5. *Diſput.* 11. *Quæſt.* 65. cum aliis quos citat.

Circa Caput VIII. num. 199.

Ubi de neceſſario Principis conſenſu ad vim conſuetudinis.

15 SVfficere conſenſum lege ipſâ expreſſum, neque requiri ſpecialem, tenet P. Bardi in *Selectis Lib.* 8. *Quæſt.* 2. *num.* 16. & quando inducat obligationem præmiſerat *num.* 9. Videatur, iam à me alibi commendatus.

Vide *infra* circa Baptiſmum. *num.* 260.

Digitized by Google

Circa Caput IX. num. 212. & ſeqq.

Vbi circa poteſtatem Eccleſiæ in materiis & formis Sacramentorum. Et Balſamo Indico.

16 AGit de hoc Diana *Parte* 10. *Tract.* 11. *Reſolut.* 65. & in Additionibus poſt *Tractatum* 16. vbi citatur *Tractatus* 2. per errorem Matritenſis impreſſionis, & firmat bonorum Auctorum ſententia id quod à nobis citato loco dictum, & alibi etiam comprobatum. Iuxta hæc cenſeo, poſſe ab Eccleſia declarari quando in Ordinatione imprimatur Character, de quo eſt varietas ſententiarum: nam cùm hoc pendeat ex applicatione formæ & materiæ, & talis applicatio & deſignatio illius ſit determinationi commiſſa, conſequens eſt vt declarare poſſit qualis ſit materia & forma ſecundùm illius determinationem. Vnde ſi in Pontificiali poneretur in ſingulorum Ordinum ritu, *Hic imprimitur Character*, optimè id ſtare poſſet, & aliquando poterit illud fortè expediens iudicari. Neque obſtat iuxta ritum ab Eccleſia iam pridem inſtitutum id non conſtare: nam cùm Eccleſia modò eadem ſit, & ſimilis omnino Pontificis auctoritas, determinare id poteſt quod aliàs determinatum non erat, nec conſtat ſemper obſeruatum. Vnde ſi manus impoſitio in Diaconatu, aut traditio libri Epiſtolarum in Subdiaconatu, ad ſubſtantiam Ordinum talium pertinent, iuxta ritum iam pridem vſitatum, declarare Eccleſia poteſt non pertinere, quia ita poteſt diſponere, vt vnica tantùm ſit materia, etiam ritu veteri obſeruato, & ſic in Presbyteratu quo ad ea, in quibus ſunt opiniones. Videatur etiam Diana *Parte* 6. *Tract.* 8. *Reſolut.* 18. & Leander *Tomo* 1. *Tract.* 1. *Diſput.* 1. *Quæſtio* 11. citatus quidem à Diana, ſed dicta confirmans in noua editione.

17 Circa Balſamum autem explodenda Doctoris Lagunæ ſententia, iuxta quam loquitur Fr. Didacus Ximenez Arias in Lexico Eccleſiaſtico V. *Balſamum*, vbi ait Balſamum Indiarum noſtrarum nihil eſſe aliud quàm oleum puriſſimum ſtactis, vulgo *Eſtoraque*: id enim ſtare nequit, cùm aliàs iuxta ipſum ſtacte non ſit naturalis liquor, ſed artificialis ex craſſiore myrrha expreſſus, additâ aquâ aut vino ad expreſſionem, vt videri poteſt V. *Stacte*.

Circa Caput X. num. 219.

Vbi de Communione Paſchali an ſumi apud Religioſos poſſit.

18 OPinionem affirmantem poſſe apud illos impleri præceptum probabilem eſſe ſpeculatiuè tenet P. Tamburinus Opuſculo de Euchariſtia *Cap.* 4. §. 4. *numer.* 53. ſed non practicè ob Prælatorum & Parochorum querelas. Vbi ergo nullæ tales, licebit & practicè iuxta ipſum. Et id quidem ſtare multoties poterit, vt ſententia dicta non debeat ſpeculatiuè tantùm probabilis reputari, quando & praxis eſſe non rara poteſt, probabilitate potiori ſtabilita. Ego à litibus & offenſionibus ſtudeo ſemper abſtinere. Et Auctor quidem dictus non videtur nactus Epiſtolam ad Neapolitanum Archiepiſcopum ſcriptam à Sacra Congregatione Cardinalium, quam adducit Diana *Parte* 6. *Tract.* 7. *Reſolut.* 58. cuius nec meminit. Et dici ad eam poteſt tantùm prohiberi communionem ipſe die Paſchali, ſic enim ibi: *In die Paſchatis.* Et iuxta id exponendum quod ſubditur, *Tempore Paſchali.* Negat id tamen P. Gabriel de Henao *Diſput.* 15. *de Euchariſtia num.* 54. 55. *&* 56. adducto priuilegio Guadalupenſi, quod pro Societate non communicatum à P. Generali, cùm ſit aliàs dubium, ex Card. Lugo. Neque vim Decreti Innocentij X. perpendens, cuius tenorem adducit. Id tantùm obſeruant, communionem ex deuotione neque in die Paſchatis eſſe prohibitam, vt ex vſu conſtat: licet poſſit prohiberi iuxta præfatum Decretum. Negat etiam Leander *Tomo* 2. *Tractatu* 7. *Diſputat.* 3. *Quæſt.* 19. ſed contrariam ſententiam ait eſſe probabilem, & communem.

Ibidem circa num. 227. & ſeqq.

De Priuilegiis ad celebrandum in Cameris ſæcularium, de quo & *Tit.* 5. *à num.* 306.

Vide Additiones *ibi, num.* 116.

19 LIcere id Religioſis Societatis per priuilegium Gregorij XIII. dum verſantur in Miſſionibus, tenet P. Tamburinus *Lib.* 1. *de Sacrificio Miſſæ. Cap.* 4. §. 3. *numer.* 4. ob verba illa: *Vbique fuerint:* ſicut per priuilegium Pauli Tertij pro Societate. Non enim ſunt reuocata, dum Epiſcopi ſe non opponunt, de quo *num.* 9. & requiri communicationem R. P. Generalis *num.* 13. Stat nihilominùs quod à nobis ſpecialiter dictum *num.* 310. *&* 311. Decentia enim loci generalibus illis loquendi formulis non excluſa: vnde qui in Miſſionibus verſantur, non poſſunt in cubiculis, in quibus dormiunt, celebrare, niſi fortè eorum aliquis in lecto iaceat, & Socius celebret iuxta aliud priuilegium, de quo citatò *num.* 310. In iure tamen nonnulla aliquando facit licere neceſſitas, quæ non ſunt ad communes regulas exigenda.

Ibidem circa num. 233. *&* *ſequentes.*

Vbi an Religioſi ab Eccleſiaſticis Prælatis compelli per Cenſuras poſſint in iis, circa quæ ſubſunt.

20 VIdendus pro eo omnino Diana *Parte* 7. *Tract.* 12. *Reſolut.* 27. apud quem alij, benè & negantes & probantes. Vtinam hæc & alia ipſis ad defenſionem ſatis, ne ab iis, quorum ſpontanei & vtiliſſimi adiutores ſunt, alienorum more, & aduerſantium ritu tractentur. Benè verum eſt Verricelli *Tomo* 1. excipere adminiſtrantes Sacramentum Pœnitentiæ ex Decreto Greg. XV. *Tract.* 8. *Quæſt.* 48. *in fine.*

Ibidem

Digitized by Google

Ibidem circa num. 237. & ſeqq.

Ubi de tempore celebrationis Miſſæ.

21 IVxta P. Tamburinum *Lib.* 1. *de Sacrificio Miſſæ Cap.* 6. §. 4. *numer.* 2. Miſſa poteſt inchoari duabus horis plus minuſue ante auroram, & in Natali Domini poſt mediam noctem, de quo *num.* 3. ſicut ad communicandum infirmum *num.* 4. & vbi conſuetudo, ac etiam quando ſol tardiùs oritur, maior anticipatio licet, *Ibidem* cum P. Layman, Religioſos autem immediatè poſt mediam noctem ex priuilegio Leonis X. *num.* 13. *& ſeqq.* Sed in Societate neceſſariam eſſe priuilegij communicationem *num.* 18. Vſque ad horam Nonam poſſe differri Miſſam ex cauſſa Viatici, *num.* 21. & rationabili aliâ in Feſto *num.* 20. & Mendicantes ob priuilegium Eugenij Quarti *num.* 24. ſunt & quidam apud Dianam *Parte* 10. *Tract.* 12. *Reſolut.* 21. ex quibus & Leander *Tomo* 2. *Tract.* 8. *Diſput.* 6. *Quæſtio* 11. qui & de Viatico vt nuper, *Quæſt.* 34. qui cenſent Miſſam ſine vllo ſcrupulo inchoari poſſe elapſâ vnâ poſt meridiem, immò & maiori ſpatio ſine notabili cauſſa; quæ autem ſint notabiles, videri apud ipſum poteſt. Videri etiam poteſt P. Buſembaum in *Medulla Lib.* 6. *Tractat.* 3. *Cap.* 3. *Dub.* 3. vbi varias Auctorum ſententias proponit, & quòd poſt tres horas à Meridie id liceat Religioſis, quod diximus videndum apud eumdem, & Leandrum *ſuprà Quæſt.* 10.

Ibidem, de particulis poſt abſolutionem, ad num. 247.

22 POſſe ſumi, quæ ex alia Miſſa ſunt relictæ, tenet etiam Marchinus *Tract.* 3. *de Sacramento Ordinis Parte* 3. *Cap.* 3. *numer.* 19. qui & de laicis communicantibus idem aſſerit: ſed contradicit Diana *Parte* 6. *Tract.* 6. *Reſolut.* 23. vbi alios adducit. Pro quo & Leander *ſuprà Diſput.* 4. *Quæſt.* 21. & Angelus Boſſius *Tomo* 3. *Tit.* 22. *num.* 101. *&* 103.

De ſumptione earumdem in Sacriſtia ad num. 249.

23 QVod ibi dictum docent alij apud Dianam *ſuprà Reſolut.* 17. qui in fine ait nullum inter magnas & paruas habendum eſſe diſcrimen. Pro quo & Boſſius *numer.* 100.

De benedictione ac conſecratione ornamentorum ac vaſorum, ad num. 252. & ſeqq.

24 P. Tamburinus *Libr.* 1. *de Sacrificio Miſſæ Cap.* 1. §. 2. affirmat per priuilegium Societatis poſſe ab eiuſdem Religioſis conſecrari Calices, (& idem eſſe de Patenis) & in eo communicare alios, ſed cum limitationibus in eodem priuilegio additis: & ita qui Prælati non ſunt, conceſſione indigere, de quo *numer.* 7. & hoc in Indiis. Item ex priuilegio Leonis X. & Adriani VI. quando in Prouincia Epiſcopi non exiſtunt, cum Emmanuele & Portel. *num.* 9. De aliorum benedictione ſecus exiſtimat cum Portel; vnde etiam iis, qui Prælati non ſunt, videtur licere. Clarius aliud Sixti IV. pro paramentis altarium, & indumentis Sacerdotalibus, exceptis Corporalibus, quod etiam non Prælatis ſuffragatur. *Cap.* 3. §. 2. *num.* 6. ex Portel apud Minores limitatum, non ita apud Dominicanos. *Ibidem.* Vndecumque afferantur, licere Superioribus Societatis, ex eodem priuilegio, & alio Innocentij VIII. *num.* 5. *&* 7. de quo Boſſius *Tomo* 2. *Tit.* 6. illud cum aliis negans. P. Buſembaum quoad benedictionem veſtium videndum conſulit P. Tamburinum, videndus ipſe *Libr.* 6. *Tract.* 3. *Cap.* 3. *Dub.* 5. *num.* 3. Lezana *Tomo* 1. *Cap.* 18. *num.* 57. & Leander *ſuprà Diſput.* 7. *Quæſt.* 16.

De reconciliatione Eccleſiæ, ad n. 262.

25 POſſe illam à ſimplici Sacerdote fieri aquâ per ipſum benedictâ tenet Marchinus *Tract.* 3. *citato, Parte* 3. *Cap.* 11. *num.* 14. Lezana *Tomo* 3. Verb. *Eccleſia num.* 15. alios adducens. *Et Cap.* 18. *citato numer.* 58. & Diana *Parte* 6. *Tract.* 6. *Reſolut.* 22. vbi & priuilegium Leonis X. cum aliis defendit, & quid ſit Diœceſa benè explicat, ſicut & Leander *Parte* 5. *Tract.* 5. *Diſput.* 3. *Quæſt.* 4. *&* 5.

De duabus Miſſis eodem die, de quo num. 274. & ſeqq.

26 LIcere plures duabus, quando pro pluribus eſt eadem ratio, tradit P. Tamburinus *citato Opuſculo Lib.* 1. *de Sacrificio Miſſæ Cap.* 1. §. 3. *num.* 1. qui *numer.* 3. præmiſerat tamquam probabile, non ieiunum, eo quod in Miſſa purificationem & abſolutionem ſumpſit, poſſe celebrare ad communicandum moriturum. Sed quid de tertia Miſſa, ſi occurrat ſimilis neceſſitàs? Videtur equidem concedendum etiam licere, ſi conſequenter ſit loquendum. Erit illud rarum. Sed pro raris etiam doctrina eſt probabilis ſtatuenda. At credo non eſſe obligationem, niſi ex eo videretur ſalus alicuius æterna pendere, eo quòd iuxta ſententiam D. Thomæ, & quamplurium grauium Scriptorum Euchariſtia vim habeat conferendi primam gratiam in aliquo caſu.

Circa Caput XI.

De abſolutione ab hæreſi pro perpetuò impeditis, de quo num. 301. & ſeqq.

27 HAbentes quodlibet impedimentum perpetuum quo minùs poſſint adire Pontificem, poſſe abſolui à Confeſſario quocumque, tenet P. Palaus *Tomo* 1. *Tract.* 4. *Diſputat.* 4. *Puncto* 3. §. 5. *num.* 5. neque neceſſarium illi per litteras aut procuratorem agere, vel ad Inquiſitores ſe conferre. Et contrariam ſententiam ait ſolâ auctoritate eam tenentium probabilem

Digitized by Google

bilem reputari. Adducit illos Diana *Parte* 8. *Tractat.* 7. *Reſolut.* 15. ſicut & P. Palaum ſuis verbis loquentem: nec quidquam de ſuo addit, vnde ſententiam iſtam non videtur improbare: quæ & aliorum eſt, vt videri poteſt apud P. Thomam Sancium in *Opere morali Lib.* 2. *Cap.* 13. *num.* 36. & apud eumdem Dianam *Parte* 12. *Tractatu* 2. *Reſolut.* 24. & 25. & probabilem, licet ſub correctione, iudicat Angelus Boſſius *Tomo* 2. *Tit.* 4. *num.* 71. poſt citatos pro ea *num.* 70. Alterio, & P. Palao, quando non eſt recurſus ad Epiſcopum, qui abſoluere poteſt ratione difficilis recurſus ad Pontificem. Exiſtentes autem in Indiis vt incolæ, perpetuò impediti ſunt ob diſtantiæ immenſitatem. Vnde in illis, vt ſatis probabile affirmat P. Suarius, vſum priuilegij Pauli III. licere, quod negat aliàs conceſſis caſibus Bullæ Cœnæ *Tomo* 4. *de Relig. Tract.* 10. *Lib.* 9. *Cap.* 2. *num.* 16. & 17. Et comprehenditur hoc impedimentum ſub generali illâ clauſulâ, quam Doctores adiiciunt poſt ſpecialia impedimenta numerata: *& denique quodlibet impedimentum, quod arbitrio viri prudentis iudicabitur legitimum.* Vt videri poteſt apud Dianam *Parte* 9. *Tractat.* 4. *Reſolut.* 62. verſ. *Igitur breuiter.* Bonacinam *Tomo* 3. *Diſput.* 2. *Quæſt.* 3. *Puncto* 6. *Sect.* 5. *numer.* 10. Leandrum *Parte* 4. *Tract.* 2. *Diſput.* 17. *Quæſt.* 59. Boſſium *ſuprà num.* 77. & alios. Quis autem vir prudens ita non cenſeat, quando minora alia incommoda legitima reputantur? Et hæc quidem pro ſententia P. Palai, in Sacro Inquiſitionis Tribunali Qualificatoris. Sed cùm Pontifices in Indiis recurſum ad illud habendum eſſe ſignificent, iuxta dicta procedendum.

28 Neque obſtat poteſtatem DD. Inquiſitorum tantùm eſſe pro foro externo, vt probat P. Thomas Sancius cum aliis *ſuprà*, & vti probabilius amplectitur *Cap.* 12. *num.* 3. nam contrarium eſt probabile iuxta eumdem, & alios, de quibus *numer.* 1. quibus addendi Diana *Parte* 4. *Tract.* 4. *Reſolut.* 242. Ignatius Lupus *in Edictum S. Inquiſitionis Lib.* 1c. *Diſt.* 9. *Artic.* 3. *Difficult.* 2. de quo & dixerat magis ex profeſſo *Lib.* 2. *Diſt.* 2. *Art* 1. *Difficult.* 1. & *Art.* 2. *Difficult.* 1. & *Lib.* 7. *Diſt.* 3. *Artic.* 1. *Difficult.* 4. P. Granadus *loco ſtatim citando.* Et P. Tamburinus *in Decalogum Lib.* 2. *Cap.* 1. §. 8. *numer.* 11. Et vt probabile pro aliis partibus non ſit, in Indis pro certo videtur habendum, quandoquidem Pontifices recurſum eſſe determinant, dum limitationem illam addunt: *Vbi non eſt Inquiſitio*, & diſtantiam deſignant, quæ ad vſum priuilegij ſufficiat. Nec enim credendi ſunt obligare criminoſos tales vt ſe S. Tribunali in exteriori foro manifeſtent pro accipiendâ abſolutione: quod & generaliter negant plures, quibuſcum Diana *Parte* 1. *Tract.* 3. *Reſolut.* 2. & 3. & ita Doctores aſſerentes impeditos abſolui non poſſe iuxta ſententiam P. Palai, concludunt illis nullum ſupereſſe remedium, niſi vt ad DD. Inquiſitores accurrant, vel ad Pontificem per procuratorem, aut litteras, tacito nomine, vt videri poteſt apud P. Sancium *Cap.* 13. *citato in fine.* Patrem Granadum 2. 2. *Controuerſia* 1. *Tract.* 15. *Diſput.* 16. *num.* 18. Carenam *Parte* 2. *Tit.* 2. *num.* 63. & Dianam *ſuprà*. Illud enim, *Tacito nomine* ad omnes de quibus ſermo præceſſerat, videtur referendum.

29 Sed certè non omnes ita intelligunt, cùm ſint qui recurſum talem ad DD. Inquiſitores exigant, vt licet ſecretus, iudicialis tamen ſit, comparente reo, & Notario acta conſcribente: vt videri poteſt apud P. Suarium *Diſputat.* 21. *de Fide, Sect.* 4. *in fine* iuncto modo, ad quem ſe refert, de quo *num.* 16. & *ſeqq.* P. Palaum §. 2. *num.* 3. & §. 6. *num.* 2. Carenam *Tit.* 1. *num.* 135. verb. *Neque obſtat.* Lezanam *Tomo* 3. verb. *Hæreſis, numer.* 12. & eumdem P. Sancium *citato Cap.* 12. *num.* 3. Vnde res hæc valde dubia redditur, cùm dici poſſit Pontifices in Indiis eum recurſum ad abſolutionem exigere, qui communiter neceſſarius eſt, iuxta DD. Inquiſitorum facultatem, quæ tota eſt pro exteriori foro, quatenus iſte à Sacramentali diſtinguitur, etiam quando ſecretus modo dicto. Nihilominùs mihi eſt valde probabile pro Indiis id, quod *ſuperiùs* indicaui.

30 Et vt id veroſimilius appareat, illud facit quod habet P. Palaus *citato numer.* 2. vbi probat non teneri hæreſis reum manifeſtare ſe DD. Inquiſitoribus iudicialiter, etiam ſecretè pro abſolutione ſacramentaliter obtinenda. Cùm ergo ad id non teneatur, ſicut neque ad agendum apud Papam per litteras aut procuratorem, vt tenent quamplures apud Dianam *Parte* 12. *Tractat.* 2. *Reſolut.* 24. quod & ipſe tradiderat *Parte* 7. *Tractat.* 10. *Reſolut.* 23. Pro quo & Leander cum multis *ſuprà Quæſt.* 60. & Boſſius *Tomo* 2. *Tit.* 4. *numer.* 23. quid faciendum ei, qui in Indiis degit? Beneficio vtique ſe tueri. Atqui illud pro abſolutione Sacramentali eſt, vnde poſitâ diſtantiâ S. Tribunalis abſolutio dicta conceditur. Ergo & cùm illud adiri non poterit, ita vt iudiciale nihil in eadem admiſceatur. Illationem oſtendo. Quia in diſpoſitione Pontificiâ nulla apparet abſolutionis diuerſitas, ſed ſola locorum. Præterea, remedium illud iudicialis manifeſtationis non obligat: ergo neque Pontifex illud vt neceſſarium proponit. Quod ſi neceſſarium, ex eo fieret ſic de ſuo crimine pœnitentem per totam vitam innodatum vinculo adeò intolerando futurum: excommunicatio enim contritione non tollitur; quæ & multis difficilis: & duriſſimum ſanè, ac minimè de benignitate Sedis Apoſtolicæ præſumendum, velle ipſam vt beneficio Sacramenti ſit tamdiu pœnitens deſtitutus.

31 Dici poteſt talem à quolibet ordinario Confeſſario poſſe ab aliis peccatis abſolui, tacitâ hæreſi, à qua abſoluendus indirectè, quia vt *citato num.* 2. philoſophatur P. Palaus, ſufficiens cauſſa eſt vt non ſit materialiter integra confeſſio, damnum ſcilicet graue ex manifeſtatione iudiciali, & ita currere communem doctrinam, iuxta quam non vrget integritas, cùm graue aliquod occurrit incommodum. Vel ſi vrget, confiteatur hæreſim impeditus, ſic namque ſtare etiam abſolutio indirecta poteſt, iuxta ea, quæ ex aliis habet Boſſius *ſuprà num.* 71. Sed certè ratio adducta adhuc videtur vrgere; quia neque hoc apparet de Apoſtolicæ Sedis poſſe benignitate præſumi; magnum enim adhuc pondus imminet: & cùm in mortis articulo abſolutio directa conferenda ſit ex Apoſtolicâ benignitate inſtitutioni Chriſti conformi, cur non & ante illum, vt ſic ſecurior talis reddatur articulus, & quod in remedium inſti-

tutum

Digitized by Google

tutum eſt, in detrimentum ac præiudicium ingens minimè conuertatur.

32 Si dicas poſſe contingere vt Inquiſitor Sacerdos non ſit, & ita abſolutionem ſacramentalem eſſe non poſſe. Reſpondendum in eo caſu poſſe à cenſura abſoluere, vt ex Homobono obſeruat Diana *Parte* 1. *Tr.* 5. *Reſ* 3. Sic autem abſolutũ poſſe cuilibet ordinario Confeſſario conferri, quia ſublata eſt reſeruatio, vt communiter Doctores, quibuſcum P. Martinon *Tomo* 5. *Diſput.* 59. *num.* 209. Ne autem quis teneatur duobus ſuum crimen reddere manifeſtum, poterit hoc vitari, ſi facultas pro abſolutione ab excommunicatione tacito pœnitentis nomine poſtuletur. Et licet id neget Cardinalis Lugo *Diſputat.* 23. *de Fide num.* 89. dicens DD. Inquiſitores non poſſe decernere de perſona incerta: id tamen eſt generaliter loquendo iuxta ſententiam eius & aliorum aſſerentium DD. Inquiſitoribus pro foro conſcientiæ nullam competere facultatem ſine aliqua forma iudiciali: quod & tenet Alberghinus in *Manuali qualificatorum Cap.* 6. *num.* 18. & 19. ſecutus P. Fagundez *in Præceptum* 1. *Decalogi Lib.* 1. *numer.* 20. & *ſeqq.* In caſu autem noſtro, vbi de Indiis, ac ſpeciali priuilegio loquitur, aliter videtur dicendum ob adductas rationes. Præterquam quòd DD. Inquiſitoribus Hiſpaniæ ſpecialiter conceſſum, vt in foro conſcientiæ abſoluere poſſint, teſtatur Carena *ſuprà num.* 61. vnde & Indici id poterunt, arguendo pro illis ſicut pro Siculis arguit Diana *citata Reſolut.* 3. quia omnes eidem ſupremo Tribunali ſubſunt, & eiſdem legibus gubernantur. Specialitatem etiam reſpectu Hiſpanorum agnoſcit cum aliis Dian *Reſolutione eadem.* & *Parte* 4. *Tract.* 8. *Reſolut.* 35. vbi de praxi ſibi notâ teſtatur. Et cum Nicolao Garcia Trullench *Lib.* 1. *in Bullam Cruciatæ* §. 7. *Cap.* 2. *Dub.* 7. *numer.* 5. vbi de praxi id habet, quod parùm fauere videtur, cùm miniſter ſit S. Tribunalis adhibendus. Sed id alij nõ dicunt, ampliorem facultatem & ſecretam penitus concedentes: quam & Inquiſitoribus generaliter non negat Barboſa, ſed ait contrariam praxim eſſe tutiorem *Allegat.* 40. *de poteſtate Epiſcopi, num.* 28. Et cùm hæreſis omnino occulta eſt, quia ſine teſte, non adhibendum Notarium, cum bonis Auctoribus firmat Ignatius Lupus *ſuprà Lib.* 7. *Diſt.* 2. *Art.* 4. *Difficult.* 2.

33 Quod vlterius roborari poteſt. Nam ſicut ſtante probabilitate ſententiæ de facultate Epiſcoporum, quæ illis eſt à Concilio Tridentino conceſſa ad abſoluendum ab hæreſi occultâ, neque huculque reuocata, vt multis contendit P. Petrus Hurtadus *Diſput.* 84. *de Fide, Sect.* 2. quem ſequuntur P. Eſcobar *in Examine Confeſſariorum Tract.* 7. *numer.* 37. *verſ. Poteſtne Confeſſarius.* P. Tamburinus *in Decalogum Libr.* 2. *Cap.* 1. §. 8. *num.* 12. vbi quòd & Capitulum S. V. Leander *Parte* 4. *Tract.* 2. *Diſput.* 17. *Quæſt.* 46. & tenent etiam Patres Baldellus, Fagundez, Bauny, & alij apud Dianam *Parte* 6. *Reſolut.* 23. & *Parte* 8. *Tractat.* 4. *Reſolut.* 8. alibique, & multò plures apud P. Mendum *in Bullam Cruciatæ Diſput.* 23. *n.* 78. & quando eſt impedimentum, idem admittit P. Martinon *ſuprà* cum P. Layman, & Lupus *Lib.* 7. *Diſt.* 3. *Artic.* 2. licet non ex vi Concilij, quod & aſſerit Boſſius *Tomo* 2. *Titulo* 4. *numer.* 17. & *ſeqq.* qui *num.* 52. id etiam Canonico Pœnitentiario concedit. Stante inquam ſententiâ dictâ, poteſt etiam iuxta probabilem aliam abſolutio pro caſu ſpeciali Confeſſario alicui committi, vt videri poteſt apud P. Sancium *ſuprà Cap.* 11. *numer.* 23. quia ordinaria eſt ac pro foro conſcientiæ ac Sacramentali. Ita de facultate DD. Inquiſitorum pro Indiis competente dicendum quod iuxta vſum reſeruationis eſt, petitur enim abſoluendi facultas tacito pœnitente. Quid autem faciendum ſi noluerint concedere, tum ex dictis conſtat, tum etiam videri P. Hurtadus poteſt *ſuprà Sect.* 5. vbi de Inquiſitorum circa hoc obligatione quandoque ex charitate &c.

34 Illud circa abſolutionem indirectam, de quo ex P. Palao *numer.* 31. nec penitus improbat Lupus *ſuprà*, reſtat exponendum, quomodo ſcilicet qui maiori excommunicatione innodatus eſt, ea perdurante poſſit abſolui, & Sacramentum Pœnitentiæ recipere, in quo maxima eſt communicatio, & ita maximè contraria excommunicationi, præſertim Pontificiæ, qualis eſt propter hæreſim incurſa. Sed hoc facilè expeditur, quia iuxta ſententiam, quam cum multis, quos citat, tenet citatus Auctor *Parte* 6. *Diſputat.* 2. *Puncto* 7. & Diana cum aliis *Parte* 3. *Tract.* 5. *Reſolut.* 67. & Leander *Tomo* 1. *Tract.* 5. *Diſput.* 5. *Quæſtio.* 77. qui *Parte* 4. *Tractatu* 2. *Diſputat.* 6. *Quæſt.* 11. priuatum errorem excludit, excommunicatus eſt capax Sacramenti Pœnitentiæ, quoties bonâ fide accedit, aut propter ignorantiam iuris aut facti, aut propter neceſſitatem, cuius eſſe diuerſi gradus poſſunt. Videatur P. Suarius *Tomo* 5. *in* 3. *p. Diſput.* 10. *Sect.* 3. *à n.* 7. ſed præſertim *num.* 15. qui & *numer.* 16. ſententiam Angel. adducit ex ver. *Confeſſio* 5. *num.* 10. vbi ait non ſolùm abſolutionem eſſe validam, ſed licitam etiam, & id quidem iure ordinario; quia poteſt à Sacerdote abſolui à peccatis, & remitti ad Superiorem pro abſolutione à cenſurâ, à qua ſit tantùm neceſſarium ab eodem abſolui. Sed hanc ſententiam ipſe Pater ait non eſſe probabilem. Debet tamen animaduerti qualiter eam accipiat, vt ſic nota præfata digna videatur. In primis enim ait ab Angelo ita præferri, vt etiam abſque ſpeciali cauſſa vel neceſſitate iudicet id licere: deinde addit ſic: *Neque illa ſententia ita generaliter intellecta probabilis eſt.* Si ergo cauſſa & neceſſitas ſit, non eſt improbabilis iudicanda. Cùm etiam dicitur tunc procedere, quando per excommunicatum non ſtat quo minùs à Cenſura abſoluatur; vt ab Angelo dici poſſe ſubiungit; iam non generaliter procedit: ergo neque tunc ſuâ probabilitate carebit. Quibus addo multorum eſſe ſententiam apud Leandrum *ſuprà Diſput.* 12. *Quæſt.* 32. aſſerentium, etiam ſecluſâ neceſſitate, poſſe licitè abſolui habentem reſeruata, cum obligatione vt ea ſola Superiori confiteatur, quam cenſet ille probabilem.

35 Verùm iuxta ſententiam P. Palai loquendo, ait ille *citato* §. 6. *numer.* 4. tunc eſſe vrgentem neceſſitatem dimidiandi Confeſſionem, cùm præceptum Confeſſionis inſtat, aut obligatio miniſtrandi vel recipiendi aliquod Sacramentum, & quis eſt de contritione dubius; *præſtat enim tunc ſecuriorè viam eligere, vt dignius ad Sacramentũ accedat.* Sed loquitur ille de eo, cui negatur

gatur

Digitized by Google

gatur facultas ab Inquiſitoribus vt poſſit abſolui, vnde ait eum non poſſe pro libito confiteri: quia aliàs non teneretur ſemel & iterùm inſiſtere vt ſibi facultas concedatur, quod faciendum etiam ſtatuit Lupus *Artic. 2. citato.* Quando quis ergo de adipiſcenda facultate omnino deſperaret, aliter videtur dicendum, & ita poterit quoties voluerit, confiteri. Deinde, Cùm habens legitimum impedimentum, vt in Indiis, poſſit abſolui à quolibet Confeſſario, iuxta eumdem Scriptorem *citato numer. 5. §. 5.* vbi id ſine aliqua limitatione concedit: videtur conſequenter dicendum non eſſe expectandum neceſſitatis articulum, quod & tenent aliqui apud Dianam id non improbantem *Parte 7. Tract. 3. Reſolut. 23.*

Per Bullam Cruciatæ an liceat abſolutio, & an omnis exterior hæreſis ſit pœnis pro illa latis comprehenſa.

P. Bardi in Bullam Cruciatæ *Parte 2. Tract. 6. Cap. 2. Sect. 1.* ita diſcurrit, vt ex eius principiis deduci videatur probabile eſſe beneficio Bullæ poſſe abſolui eos, qui in hæreſim externam, occultam tamen, inciderunt. Cùm enim id probabile ſit reſpectu Epiſcoporum, videtur conſequenter dicendum idem per Bullam licere, cum liceat abſolutio ab omnibus caſibus Bullæ Cœnæ occultis, minimè in eadem Sedi Apoſtolicæ reſeruatis generali prohibitione. Sicut autem cùm abſolutionem prohibet, de occultis non intelligit, ita & de hæreſi videtur ſimiliter accipiendum, quia in ea quoad hoc non fecit exceptionem, niſi quantùm ad modum abſolutionis, vt ea ab Epiſcopis nequeat generaliter aliis committi. Quòd autem aliàs Epiſcoporum facultas ſublata non ſit, probabile quidem eſt, & quamplurium Doctorum auctoritate munitum; vt iam vidimus, vnde caſus Pontificius non eſt, ſed Epiſcopalis, & ita veniens cum aliis in Bulla contentis. Hic eſt diſcurſus probabilis iuxta P. Bardi, vnde Leander *Parte 4. Tractatu 2. Diſputat 17. Quæſt. 85. verſ. Tertiò*, quia non dubitat aſſerere, ipſum ſententiam iſtam clarè eſſe probabilem affirmare licet oppoſitam ille tueatur. Vnde miratur P. Mendus in *Tractatu Appendice Diſput. 2. Cap. 28.* quomodo citatus Auctor conſequentiam apertam non intulerit circa probabilitatem de Bullæ facultate loquendo, quia ita de Epiſcopis philoſophatus fuerat, & de Bulla inſtituerat quæſtionem, de qua præcipuè diſputabat. Nec vereri debuit, Quæſitores Fidei id ægrè laturos, ſi probabiliter loquebatur; non enim Sanctum illud Tribunal opinionibus eſt probabilibus infenſum, & quod pro ſua pietate eas quandoque deſiderat, vt reos abſoluat, eſtque id Sedis Apoſtolicæ menti conforme, in qua viget Spiritus Chriſti ad benignitatem proni, nec condemnantis eos, qui ab iis, quos ipſe in Eccleſia conſtituit magiſtros loco ſui audiendos, fuerint abſoluti. *Neque ego te condemnabo.* Illius vox eſt *Ioan. 8. v. 11.*

37 Et ita quidem diſcurrit P. Mendus, licet à nobis nonnihil ipſius diſcurſui additum, qui tamen *ibidem* nihil circa probabilitatem ſtatuit, ſicut neque *Diſputat. 23. Cap. 8.* vbi ex profeſſo probat non poſſe beneficio Bullæ abſolutionem ab hæreſi occulta conferri. Sic autem probationem inſtruit, vt ſatis indicet pro aſſertione oppoſita validum eſſe fundamentum. Concludit autem in hunc modum: *Ad calcem aduerte omnino noſtram aſſertionem eſſe docendam. Etenim vt obſeruat* P. Henriquez *Lib. 6. de Pœnitentia Cap. 16. num. 2. in Gloſſa lit. L. duo Concionatores, qui temere in ſuggeſtu docuerunt Corduba, Turditaniæ, ſeu Murciæ, poſſe virtute Bullæ Cruciatæ ab hæreſi abſolui; coacti ſunt publicè doctrinam retractare à Quæſitoribus fidei. Quæ retractatio abſque diſtinctione cadit ſupra hæreſim publicam & occultam.* Hæc ille. Iuxta quæ meritò potuit P. Bardi timere, licet aliàs probabiliter opinatus, ſicut & ipſe Pater Mendus timuit probabilitatem apertè profiteri, quam tamen vtroque loco ſatis indicauit. Licet enim pro ratione concludente afferat expreſſam exceptionem pro caſu hæreſis in Bulla contentam, vnde neque dici ſub generalitate caſuum Epiſcopalium comprehendi; illa ipſa exceptio ſimiliter poteſt intelligi, vt dè hæreſi procedat, quæ publica eſt, cùm eo modo excipiatur, quo eſt Sedi Apoſtolicæ reſeruata; & ſoli caſus publici reſeruantur. Quæ ratio ſemper apparet veroſimilis, cùm nihil afferatur contra ipſam, per quod penitus infringatur. Et omnem aliam præfatus Auctor infirmam reputat, quia congruam habet ſolutionem: atqui etiam quod de exceptione in Bulla dicitur, illam habet, quam diximus, ergo & non concludens debet reputari, vnde apertè ita ſentiunt Angelus Boſſius apud Dianam *Parte 5. Tract. 12. Reſolut. 35.* & Mazuchellus apud eumdem *Parte 8. Tract. 7. Reſolut 67.* qui tamen addit contrariam ſententiam eſſe conſulendam.

38 Et hæc quidem iuxta Auctores dictos, cùm reuerà ſententia dicta, licet ſpeculatiuè videatur veroſimilis, nullo modo ſit in praxi vt probabilis admittenda, vt affirmat Diana *Reſolut. 67. citata*: pro quo & videndus P. Bardi *in Selectis Lib. 5. Quæſt. 11. numer. 6.* Quando præſertim delictum ita eſt externum vt teſtem habeat; ſine teſte enim commiſſum volunt aliqui inſtar mentalis iudicandum: quia dum quis ad nullius notitiam deuenire curat, perinde ſe habet ac ſi intra mentis adyta contineret. Et ita Eccleſia de illo non iudicat, quæ non iudicat de occultis; niſi fortè quando ex occulto delicto damnum notabile ſequeretur, vt accidere poteſt in homicidio, furto, aut ſacrilegio occultis. Ex eo autem quòd quis, conceptam hæreſim ſe ſolo teſte pronuntiet, nihil plus damni habetur, quàm ſi retineat mente. Vnde eſt ſententia P. Petri Hurtadi, licet ſub dubio 2. 2. *Diſput. 83. de fide Sect. 3. §. 29.* proferentem hæreſim, quam verè tenet, ſe dormire dum ſimulat, ſi audientes ſibi perſuadeant eum verè dormire, non eſſe hæreticum externum; licet contradicat Diana *Parte 5. Tract. 13. Reſolut. 17.* Multò ergo minùs ſi ſolus eſſet. Facit etiam pro eodem Rebuffus à Barboſa adductus *de Poteſtate Epiſcopi Allegat. 40. numer. 11.* dicens hæreticos mentales non ligari excommunicatione, *aut alios omnino occultos.* Præter mentales enim non videntur quinam alij eſſe omnino occulti poſſint, niſi qui ita hæreſim proferunt, vt omnino aliis ignotam eſſe curent: talis enim non ſolùm per accidens eſt occulta, quia ſcilicet teſtes

Digitized by Google

teſtes deſunt,ſed etiam videtur per ſe talis,quia ita Decretum procuratum eſt, vt niſi miraculosè in notitiam nequeat cuiuſquam deuenire. Quod ſecus accidit cùm quis ſolus profert hæreſim,quæ tamen audiri potuit, licet reuerà audita non fuerit, quod quidem per accidens eſt.

39 Eſt etiam pro eodem notanda doctrina, quam ex probatis Doctoribus proponit P. Palaus *Tomo* 1. *Tract.* 4. *Diſput* 3. *Puncto* 3. *num.* 5. iuxta quos vt quis poſſit vti hæreticus damnari, neceſſarium eſt aſſeruiſſe illum verba vel facta ſe credere, & aliis credenda propoſuiſſe. Hoc illi exigunt vt hæreticus negatiuus externo ſupplicio afficiatur. Magna ergo eſt differentia inter curantem omnino ſecretum,& non curantem illud in ordine ad pœnam,vt non immeritò cenſeri debeat grauiſſimas pœnas excommunicationis Papæ reſeruatæ,& alias illum non incurrere,quibus redditur obnoxius iſte. Et quidem hæreticum occultum pœnam irregularitatis non incurrere,tenent multi & grauiſſimi Scriptores, quos adducit & ſequitur Diana *Parte* 1. *Tractat.* 11. *Reſolut.* 114. & *Parte* 4. *Tract.* 2. *Reſolut.* 46. adducit alios, ſibi tamen contrarius. Nec facilè eſt rationem diſcriminis aſſignare : licet P. Azor *Tomo* 1. *Libr.* 8. *Cap.* 10. *Quæſito* 4. ex Simanca dicat eſſe omnium Iuriſtarum & Theologorum.

40 Eſt inſuper ſententia Victoriæ, quem refert, licet non probet Simancas de Catholicis Inſtit. *Titulo* 24. *num.* 9. dicentis hæreticum per iocum proferentem hæreſim, non incurrere excommunicationem. Cuius ratio eſſe poteſt,quia ſic non videtur eſſe noxia ita vt pœnam mereatur. Ex quo argui in caſu noſtro non leuiter poteſt. Prætereà : Auctores qui ſententiam affirmantem proponunt,eam non vt certam ſtatuunt, ſed vt à probatis ſcriptoribus aſſertam. Videatur P. Granadus 2. 2. *Controu.* 1. *Tractat.* 15. *Diſput.* 13. *num.* 14. Item is, qui hæreſim ſcribit characteribus ſibi tantùm notis, non incurrit pœnas dictas, vt videri apud Auctorem eumdem poteſt,& idem de quolibet alio ſigno aliis innoſcibili: & cùm per verba æquiuoca,etiam corâ multis, iuxta P. Palaum *ſuprà num.* 3. & P. Dicaſtillum *Tract.* 8. *de Sacramentis Diſput.* 11. *num.* 46. qui & *num.* 49. & 50. idem vt probabile proponit de ciſris alteri notis. Vide etiam Bonacinam *Tomo* 3. *Diſput.* 1. *Quæſt.* 2. *Puncto* 1 *num.* 5. Quis autem non videat magis poſſibile eſſe vt talis ciſra percipiatur,quàm propoſitio ab omni teſtium auditione remota? Accedit eorum ſententia, qui idem tenent de proferente cum deliberatione tantùm ad veniale peccatum ſufficiente, corâm multis. Videantur citati. Cùm tamen magis noxia ſit, quàm ea,de quâ loquimur.

41 Pro quo & ſtat apertè Caramuel in Regulam D. Benedicti *Diſput.* 66. *num.* 1017. vbi ſic ait : *Actus interiores ſunt liberi à directa gubernatione Eccleſiæ, illoſque nequit interdicere, quia nequit agnoſcere. Ita omnes Doctores boni nominis. Atqui actus interiores ſecreti prout tales participant eamdem rationem, nam illos non poteſt Eccleſia cognoſcere, ergo de illis non veniunt intelligenda Iura. Dices actibus exterioribus eſſe accidentale ſecretum; ſi enim quiſpiam eos vidiſſet, poſſet publicare. An non eodem modo actus internos, ſi quis vidiſſet, poſſet publicare? Et Angeli & Dæmones vident, & ſæpè publicant. Vnde ſic multi philoſophandum docent, ſic concludunt : Actus externi ſecreti, ſi eſſent publici, agnoſcerentur ab Eccleſia : ergo & ſi iſti eſſent publici, poſſent interdici: non ſunt; ergo interdici nequeunt. Vide vtrùm conſequentia ſatis legitimè inferatur, & pro ſcientia tua in hac doctrina indica : iſta enim omnia ex meis principiis inferuntur.* Hæc ille. Quibus addo Caramuelē quoad generalem doctrinam de actibus occultis impugnat Illuſtriſſimus D. Ludouicus Creſpinus à Borgia *in Selectis Quæſtionibus moralibus* contra illum. *Quæſt.* 1. §. 1. Sed eſſe probabilem affirmat Croulers *in Regulam S. Franciſci Cap.* 7. *Lect.* 4. Contra quem Leander *Parte* 4. *Tract.* 1. *Diſput.* 8. *quæſt.* 4. & *Par.* 5. *Tract.* 1. *Diſput.* 1. *quæſt.* 10. Cùm quis ita arguit : ſi iſti actus agnoſcerentur, poſſent puniri : ergo ex ſe ſunt punibiles : negandum eſſe ſuppoſitum Antecedentis, quòd ſcilicet, ſi agnoſci poſſent iſti actus, reipſa eſſent : nam ideò ſunt, quia agnoſci nequeunt ; ſi enim poſſent agnoſci, non eſſent. Prætérquam quòd ſimiliter de actibus internis argui poteſt: ſi enim cognoſci poſſent, punitioni eſſent obnoxij, vt ſunt reſpectu Dei, quia *omnia nuda & aperta ſunt oculis eius.* Hebr. 4.

42 Et hæc quidem pro iſtiuſmodi faciunt poſitione. Quidquid autem de illa ſit, & de occulta hæreſi loquendo, non videtur probabile, vt dixi, beneficio Bullæ poſſe ab eadem abſolui, cùm expreſsè in ipſa habeatur exceptio, quæ ad occultam dubio procul extenditur. Et volunt aliqui in Bulla Cœnæ id expreſſum verbis illis excommunicationis primæ: *Ex quauis cauſa publicè, vel occultè*, quæ ad omnia eſſe referenda in eâ clauſulâ contenta, cum Rebuffo cenſet Barboſa *ſuprà num.* 11. Si enim hæretici occulti per Bullam Cœnæ excommunicati ſunt, iam ceſſat ratio, cui præcipuè aduerſantes innituntur; quòd ſcilicet in Bulla Cœnæ publicâ tantùm hæreſis reſeruetur, & ita non ſit caſus Pontificius quæ occulta eſt, ſed Epiſcopalis, & ita beneficio illius poſſit in eam incurſus abſolui. Sed certè verba prædicta, tenore Textûs attento, ad ſolos videntur librorum hæreticorum defenſores referenda, vt videri poteſt apud Sayrum *in Theſauro Lib.* 3. *Cap.* 5. *num.* 18. Aliunde ergo præfata eſt veritas comprobanda : ex eo ſcilicet quòd exceptio regulanda eſt per conceſſionem, vt eſt clarum : cùm enim generaliter aliquid conceditur, ſi quidquam excipitur, ita eſt exceptio accipienda, vt non liceat ſtante illâ,quod reſpectu aliorum licet. Sic cùm in Concilio Tridentino *Seſſione* 24. *Cap.* 6. *de Reformat.* conceditur Epiſcopis, vt poſſint diſpenſare in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus,additâ exceptione homicidij voluntarij, manifeſtum eſt exceptionem debere iuxta conceſſionem intelligi, vt ſcilicet diſpenſatio in foro occulto non liceat, in quo reſpectu aliorum caſuum eſt facta conceſſio: vnde exceptione non additâ,liceret diſpenſatio in illo, ſed in foro tantùm dicto. Atqui per Bullam conceditur generaliter facultas abſoluendi à caſibus in Bullâ Cœnæ contentis modo in eadem explicato, idque tantùm in foro conſcientiæ, quia Confeſſario vt tali, vt communiter Doctores admittunt videndi apud P. Mendum *Diſp.* 25. *Cap.* 14. quod de immediata & directa abſolutione

Digitized by Google

tione eſt certiſſimum, ſicut videri apud eundem poteſt *num.* 159. quidquid de aliquo effectu exteriore ſit, pro quo Idem *citato Capite.* Exceptio ergo hæreſis iuxta forum eſt idem accipienda, vt ſcilicet in eo non liceat abſolutio, ſiue publica ſit ſiue occulta. Diſcurſus videtur perſpicuus.

43 Deinde probatur ex eo quòd ab eo tempore, quo exceptio addita eſt, & Gregorius XIII. declarauit, ſic eſt ab omnibus intellectum, & Gregorius ipſe exceptionem declarans, ita loquitur: *Nos autem omnem dubitandi occaſionem in præmiſſis remouendam eſſe exiſtimantes, ac circa id vllo tempore hæſitari contingat, &c.* Manſiſſet autem magna dubitatio, ſi non omnem abſoluendi in foro animæ (de quo expreſsè loquitur) facultatem remouiſſet. Vnde & ſubdit: *Dictis Confeſſoribus aliquo modo abſoluendi, &c.*

44 Præterea, ſi ex eo quòd ſit probabile hæreſim eſſe caſum Epiſcopalem, licet probabiliter abſolutio per Bullam: ergo & licet toties quoties, quia in ipſa conceditur ampla facultas pro omnibus, quæ non ſunt in Bulla Cœnæ reſeruata: immò & horum abſolutio, quando occulta ſunt, toties quoties licebit, quod tenet P. Mendus *Diſput.* 23. *Cap.* 5. iunctis iis, quæ habet *Diſput.* 25. *num.* 48. & ante ipſum Trullench *in Expoſitione Bullæ Cruciatæ, Lib.* 1. §. 7. *Cap.* 2. *Dub.* 6. *num.* 4. cum P. Thoma Sancio *in Opere morali, Libr.* 4. *Cap.* 54. *num.* 27. Et etiam cùm publica, iuxta limitationem appoſitam in illâ, ſemel ſcilicet in vitâ, & ſemel in morte, in foro conſcientiæ, iuxta eoſdem. Atqui hoc non eſt tolerabile, vti omnino alienum à mente Pontificum, vt conſtat ex declaratione Innocentij X. pro Iubilæis, etiam cùm non ſit expreſſa & peculiaris exceptio, de quâ Diana *Parte* 12. *Tractat.* 2. *Reſolut.* 24. Prodiit autem prædicta Declaratio ad inſtantiam Toletanæ Inquiſitionis, & non pro abſolutione ab hæreſi, cùm publica eſt, ſed generaliter facta, plurium Pontificum, qui idem declarauerant, commemoratione propoſitâ, & ita reſponſio iuxta mentem eſt poſtulantis regulanda. Cùm ergo in Iubilæo paucis duraturo diebus, & rarò concedi ſolito, vtpote omnium maximâ largitione, talis ſit Sedis Pontificiæ voluntas, quis credat in Bullâ Cruciatæ conceſſionem adeò frequentem haberi? Sic *Titulo iſto num.* 308. argumentabamur pro priuilegiis aliis, vbi & de SS. Alexandri VI. Declaratione.

45 Et ex eodem poſſumus etiam in propoſito concludenter inſtare. Nam ſi beneficio Bullæ licet probabiliter abſolutio ab hæreſi, & per Religioſorum pariter priuilegia licebit. Illatio oſtenditur. Religioſi enim poſſunt probabiliter abſoluere à reſeruatis Epiſcopis, vt latè probat P. Quintanad. *Tomo* 1. *Tractat.* 7. *Singular.* 14. & *tribus ſequentibus*, non obſtante Decreto Vrbani VIII. quo id videtur prohiberi. Licèt autem Diana *Parte* 10. *Tractat.* 13. *Reſolut.* 22. reiiciendam talem ſententiam cenſeat, pro quo adducit P. Vidal ſuæ Religionis, quia contra illam ſtat communis Doctorum ſenſus, ſtylus & praxis Romanæ Curiæ, & quatuor Decreta Pontificum: quorum vltimum eſt Innocentij X. quod refert cum reſcripto ad Archiepiſcopum Neapolitanum, *die* 7. *Decembris* 1647. adhuc tamen non videtur probabilitas abrogata: nam in Decreto prædicto ſola excluditur facultas abſoluendi in vim confirmationis, extenſionis, aut communicationis priuilegiorum poſt Concilium Tridentinum obtentæ, aut impoſterum obtinendæ. Atqui extant priuilegia circa hoc ante Tridentinum, de quibus P. Quintanad. *Singulari* 16. Ergo virtute eorum poterit abſolutio conferri. Video tamen poſſe ex Epiſtolâ præfatâ vrgeri; nam in eâ dicitur facultatem abſoluendi prædictam fuiſſe à Concilio ſublatam: *Sono ſtate annullate & eſtinte, coſi dal ſacro Concilio di Trento, come dalle ſodette Conſtitutioni.* Verùm à Concilio non fuiſſe talem annullatam & extinctam facultatem, oſtendit citatus Auctor *Singulari* 14. Neque quoad hunc articulum videtur plus vrgere Sacræ Congregationis auctoritas, quàm eiuſdem in Decreto Vrbani VIII. in quo per Concilium ſupponuntur extincta priuilegia, & cauetur ne cenſeantur reuixiſſe per confirmationes, &c. Illâ autem ſuppoſitione non obſtante, de facultate abſoluendi ſunt Doctores probabiliter opinati.

46 Addi etiam poteſt id, quod idem Pater *Singul.* 14. *num.* 5. reſpondet circa Epiſtolam ſimilem in puncto eodem eiuſdem Sacræ Congregationis ad Archiepiſcopum alium Neapolitanum; ſic enim ille: *Sed cùm hæc ſit Epiſtola cuidam particulari miſſa, nec ſufficienter promulgata, vim legis in omnibus Chriſtiani Orbis plagis non habet.* Sic ille quem adducit, nec improbat P. Buſembaum *in Medullâ, Lib.* 6. *Tractat.* 4. *Cap.* 2. *Dub.* 3. *circa finem*, poſt Innocentij X. præfatam declarationem ſcribens, ſicut & P. Eſcobar de Mendoza *Libr.* 16. *Moralis Theologiæ, Tomo* 2. *num.* 53. vbi id abſolutè tenet. Iuxta hæc ergo, cùm hæreſis caſus Epiſcopalis ſit, quando eſt occulta, ab eâ poterunt Religioſi probabiliter abſoluere; & quidem toties quoties: quod concedit Crouſers apud Dianam *Parte* 6. *Tract.* 6. *Reſol.* 54.

47 Ad quod quidem id tantùm dici poteſt (ne illatio adeò exorbitans concedatur) facultatem à Pontifice ſublatam exceptione propoſitâ, vt dictum *ſuprà*, de quo Diana *loco eodem.* Sed inſtari poteſt ſublatam profectò reſpectu hæreſis, cùm publica eſt: ſed contra clarè. Nam aufertur facultas, quæ in vim priuilegiorum competebat: atqui nullum extabat priuilegium circa hæreſim publicam etiam in foro conſcientiæ: ergo non illa tantùm, ſed omnimodè debet ſublata cenſeri. Ex quo fit idem de Bullâ dicendum, quia eodem modo abſoluendi facultas denegatur, priuilegio circa alia conceſſo, & ſicut reſpectu priuilegiorum Regularium non venit nomine caſuum Epiſcopalium, ità neque reſpectu Cruciatæ.

48 Nec dici poteſt in Bullâ abſolutionem reſpectu omnium aliorum concedi, cùm tamen Religioſis reſpectu caſuum Bullæ Cœnæ penitus ſubtrahatur. Ex eo enim ad ſummum habetur facultatem Bullæ eſſe ampliorem, non tamen exceptionem eſſe aliter accipiendam. Præterquàm quòd priuilegia pro caſibus Bullæ Cœnæ ſibi competere Religioſi multi contendebant, quorum vſus ad occultos tantummodo extendebatur. Et hinc ortæ Epiſcoporum delationes ad Sedem Apoſtolicam, vt ex citatâ Epiſtolâ conſtat, ibi: *V. Eminenza con ſua lettera de 4. d'Agoſto precedente, que in coteſta Città, e ſua Dioceſe alcuni Confeſſori ſeculari e Regolari, ſenza giuſtificare con qua*

le

Digitized by Google

le facoltà aſſolnano de fatto dalle Cenſure è Caſi ſudetti, &c. Quando ergo Pontifex facultatem negat ad abſoluendum, non de publicis tantùm diſponit; alioquin inconuenientibus ex tali praxi emerſuris neutiquàm obuiaret. Id autem de hæreſi eſt præſertim accipiendum, quæ inter caſus Bullæ Cœnæ locum habet potiorem. Pontifices autem alios in eodem locutos ſenſu manifeſtum eſt; cùm pro diſpoſitione eadem inducantur. Licèt enim quis contendere poſſit Epiſtolam præfatam non habendam pro lege, iuxta dicta: ad intelligendum tamen id, quod intendimus, quòd ſcilicet de facto Religioſi ſic procederent, vnde & illatio eſt euidens, ſufficientiſſimum præbet fundamentum. Et hæc quidem rem iſtam ita videntur oſtendere, vt meritò cum Diana *Reſolut.* 67. *citatâ*, poſſimus aſſerere, contrarium affirmare eſſe in meridianâ luce cœcutire. Vnde & ſemel atque iterùm affirmat talem amplexos poſitionem in S. Inquiſitionis Tribunali ſeuerè puniendos. Cui ego quidquid in ſuperioribus diſcurſibus à me eſt dictum promptiſſimâ ingenuitate ſubmitto, cui & pro meo eſt munere neceſſarium deſeruire.

Circa Caput XII.

De hoſpitibus apud Religioſos, pro Sacramento Extremæ vnctionis, &c.

Ad num. 351.

49 POſſe illis adminiſtrari Sacramentum dictum (ſicut & Viaticum & ſepultura conferri) cum aliis, quos citat, tenet Diana *Parte* 10. *Tractat.* 11. *Reſolut.* 31. *in fine*, ob varia priuilegia apud eoſdem. Inter quæ vt notabile proponitur quoddam PP. Theatinorum à Lezana *Tomo* 3. verb. *Extrema vnctio num.* 3. pro mercenariis, famulis, operariis, ſeruis, & hoſpitibus quibuſuis. Et quod ad ſepulturam attinet, ita intelligendum, vt Parochorum licentia neceſſaria non ſit, ſua tamen illis iura non ſubtrahenda, ſi poſtulentur: id autem hæredis èrit aut executoris teſtamenti. Neque ex eo præcisè quòd ſecularis in Monaſterio moriatur, talis cura, ſicut & aliæ, ad Religioſos pertinent, niſi fortè ex charitate, quia nullus extat, qui officia pietatis exerceat. Et cùm infirmus ita de ſepulturâ diſpoſuit, nulla eſt difficultas: quæ tamen eſſe poteſt ſi ab inteſtato moriatur; ſic enim moriens ſepeliendus eſt in Eccleſiâ, in quâ ſuorum eſt ſepultura maiorum: vel ſi talis non ſit, in Paræciâ propriâ, iuxta Canonici iuris diſpoſitionem. Et videri pro eo poſſunt P. Molina *Diſput.* 214. verſ. *Si quis è vita.* Fr. Emmanuel *Tomo* 2. *qq. regul. quæſt.* 88. *art.* 2. Diana *Parte* 5. *Tractat.* 3. *Reſolut.* 108. Barboſa *de officio Parochi, Cap.* 26. *num.* 28. Lezana *Tomo* 3. verb. *Sepultura, numer.* 9. & Paſqualigus *Deciſ.* 401. *& ſeqq.* Sed an hoc etiam ſeruandum in caſu noſtro, dum ſcilicet hoſpes moritur apud Religioſos? Reſpondendum videtur negatiuè: nam ſi ita eſſet, ad nihil priuilegium deſeruiret, vt arguit Fr. Emmanuel *citato Artic.* 2. de famulis locutus. Ex quo infert Parochis repugnantibus ſepeliri poſſe. Ipſis enim, qui apud Religioſos decedunt, eligentibus in eorum Eccleſiis ſepulturam, repugnare Parochi nequeunt: ſi autem non eligant, & Parochi non repugnent, idem ſimiliter dicendum. Priuilegium ergo ad id conceditur, vt ipſis repugnantibus poſſint in eorum Eccleſiis ſepeliri.

50 Deinde, ad facultatem adminiſtrandi Sacramenta hoc eſt conſequens, quia in eo Religioſi Parochiale exercent miniſterium. Vnde in *Compendio communi Societatis.* verb. *Familiares*, §. 1. conceſſione Pauli III. & Martini V. propoſitâ, *in Adnotatione*, ſic additur: *Id etiam de ſepulturâ intelligatur.* Vbi quaſi conſequens ad Sacramentorum adminiſtrationem ponitur ſepultura: licèt verum ſit expreſsè illam fuiſſe conceſſam: ſed certè vt quid conſequens, ſicut reſpectu eorum, qui in Societatis morantur obſequiis, vt loquitur Paulus III. Contrarium enim maximè dedeceret; neque in familiaribus maior eſt ratio quàm in aliis, qui & ſimiliter ſibi poſſunt eligere ſepulturam, vt eſt clarum, & notat Fr. Emmanuel *citato Artic.* 2. & hoc etiam procedit reſpectu eorum, qui ius habent eligendi aliis ſepulturam, vt parentes filiis impuberibus, etiam matres, mortuis aut abſentibus patribus, vt videri poteſt apud P. Molinam *ſuprà.* verſ. *Pater eligere.* & Portel *Tomo* 2. *Caſu* 68. & ſi qui ſunt alij eo iure gaudentes, cum moderatione videnda apud Dianam *ſuprà*, *Reſolut.* 107. ex Barboſa, vnde Portelij temperanda ſententia. Videatur etiam Fr. Emmanuel *Tomo* 3. *Quæſt.* 58. *artic.* 3. vbi de iuribus Parochis debitis: ſic enim ait ſolere Pontifices in ſuis conceſſionibus apponere. In quo & ſeruandæ conſuetudines, iuxta eumdem *Ibidem.* verſ. *Circa quas*, & vitandæ turbulentæ contentiones & rixæ, quæ in funeribus valde accidunt importunæ: vt cum defunctis requiem poſtulamus ac pacem, & nos eâ pariter, quibus eiſdem parentandum officiis, pariter perfruamur.

Circa Caput XIII. & num. 370.

Vbi de reuocatione Bullæ Pij V. pro Mendicantibus à Gregorio XIII.

51 NOn innitor aliquorum placito, qui Bullam prædictam reuocationis publicatam negant, cùm ex Cherubino conſtet oppoſitum. Vel in eo quòd ſuppreſſa, aut non recepta, neque in vſu: quia reuerà in vſu eſt, vt non ſemel declarauit Rota, & videri poteſt in Deciſione *Ann.* 1646. *die* 15. *Ianuarij*, apud Dianam *Parte* 8. Pro quo & Lezana *Tomo* 2. *Cap.* 1. *numer.* 14. *&* 15.

Circa Caput XIV. num. 414. & ſeqq.

Vbi de Matrimonijs Indorum, cùm conuertuntur, qui plures habent vxores, & Pij V. Priuilegium.

52 NAuarrus *Lib.* 3. *Conſiliorum*, *Titulo* 33. qui eſt de Conuerſione infidelium, *Conſilio* 2. in priore editione Bullæ Pij V. meminit, eam vocans Apoſtolicam declarationem, & decretum permittens; reſoluitque *numer.* 5. ex eo non tolli obligationem monendi primam vxorem,

Digitized by Google

rem, vt ſciatur an conuerti velit, vel cohabitare ſine contumelia Creatoris. Non tamen neceſſariam eſſe ſeparationem iudicialem, licèt vtilis ſit, ſed quamcumque aliam, per quam certa haberi notitia poſſit, ſufficere probationem. Addit *num.* 7. negari non poſſe prædictam declarationem fuiſſe duriuſculam, & molliendam additione illâ. Iuxta quem dicendi modum in Decreto prædicto nihil habetur ſpeciale, cùm ex eo tantùm deducatur id, quod iure Canonico diſpoſitum inuenitur: poſſe videlicet coniugem conuerſum ad alias nuptias tranſire, ſi legitimus conſors in ſuâ infidelitate permanere velit, pro quo à nobis dati Textus plures *num.*406. *& ſeqq.* Non videtur autem id credibile, quod nec verba præſeferunt, neque conueniens apparet vt tanti Pontificis declarationem duriuſculam pronuntiemus. Vnde in editione poſteriore id ſublatum, neque declarationis Pontificiæ ad Indias ſpectantis mentio vlla, & quod ad duritiem locutionis attinet, ob reuerentiam Apoſtolicæ Sedis fieri potuit: aliud autem, quia declarationis notitia peculiaris defuit, vt in aliis accidit ad Indias pertinentibus. Eſt autem in poſteriore editione Conſilium primum citati libri & Tituli, ſicut tertium quod eſt in priore ſecundum: quod & conſuli vtiliter poteſt: continet enim pro materiâ præſenti doctas & vtiles deciſiones.

53 Illa autem quæ eſt in prædicto Conſilio ſecunda, ad caſum, de quo agimus, ſpecialiùs conducit, dum ſtatuit Pontificem poſſe diſpenſare in matrimonio infidelium, quando coniux vterque conuertitur, ſicut poteſt in matrimonio fidelium rato & non conſummato. Matrimonium enim ratum Fidelium maioris roboris eſt, cùm ſit Sacramentum, quod plus eſt quàm ratum, ſed contractus purus habens inſeparabilitatem moralem ſolâ lege naturæ inductam. Hoc ergo pôſito, ſi iuſta & pia diſpenſandi cauſſa ſit cum Fideli conuerſo, & vxor pariter conuerſa conſentiat, de quo agit circa dubium tertium, nihil valori & conuenientiæ, diſpenſationis obſtabit. Iuxta quam doctrinâ dici poteſt Pium V. in præfato Decreto, maiori cum fundaméto proceſſiſſe: diſpenſauit enim iuſta exigente cauſſa, non vt abſolutè nubat Fidelis conuerſus, eam ducendo vxorem ex Fidelibus, quę ſibi placuerit; ſed quæ pariter conuerſa eſt, vt ſic etiam eidem faueat: dum enim prima vxor conuerti nequit, videtur nuptijs cum alia conſentire.

54 Quibus addi poteſt etiam renuente vxore ſtare poſſe diſpenſationem: quia licet communiter loquendo Papa non præiudicet iuri tertij, iuxta regulam Cancellariæ: præiudicare tamen poteſt, iuſtâ interueniente cauſſâ, vt oſtendit Nauarrus citatò Conſilio, aliàs tertio, *numer.* 15. *&* 17. quam doctrinam cauſſæ præſenti adaptat, independenter à conſenſu vxoris. Si enim ille neceſſarius eſt, iam non datur præiudicium tertij, quia ſcienti & volenti non fit iniuria. Licèt ergo regulariter loquendo ſtandum ſit diſpoſitioni Cap. *Gaudemus*, ex eâ non tollitur quin locus ſit diſpenſationi, & attentâ Indorum indole iudicari cauſſa ſufficiens potuit quæ ſuperiùs eſt tradita *num.* 425. vnde P. Cornelius in citatum locum Apoſtoli 5. *Adde Concilium*, ait quòd licet Canon Concilij Toletani prohibentis cohabitationem non obliget generaliter, quia Concilij Prouincialis eſt: dato tamen quòd de infidelibus abſolutè loquatur, & non tantùm de Iudæis, (quod ipſe negat) ſecus eſſe in Hiſpaniâ, & vbi Eccleſia hoc ſtatuere vellet, ceſſante ſcandalo, & impedimento eâ de cauſâ conuerſionis.

55 Si dicas hoc non eſſe doctrinæ à nobis traditæ *num.*408. conforme, iuxta quam coniux volens ſine contumelia Creatoris cum coniuge conuerſo habitare, dimitti non poteſt aliarum intuitu nuptiarum, pro quo & ſtat P. Arriaga *Diſputat.* 25. *de Fide*, *num.*40. quia non poteſt humana diſpoſitio Chriſti præcepto ab Apoſtolo promulgato contraire. Reſponderi conuenienter poteſt, *Primò* iuxta ſententiam, de quâ citato *num.*408. non eſſe præceptum, ſed Concilium: pro quo videri poteſt Leander *Tomo* 2. *Tractat.*9. *Diſput.* 12. *Quæſt.* 10. P. Ægidius *Diſputat.* 26. *de Sacramentis*, qui *n.*61. ſpecialiter declarat quomodo non obſtet Cap. *Gaudemus*. Et P. Iuſtinianus in 1. *Corinth.* 7. *v.* 10. vbi ait omnes ferè Doctores Scholaſticos pro eâ eſſe ſententiâ, in quo deceptus. Et ita illam amplecti Pontifices potuerunt, quia pro caſu eis accidit opportuna. *Secundò*, etſi præceptum ſit, locum eſſe diſpenſationi, ſicut in votis & aliis eſt cernere, cùm præſertim non ſit in toto rigore diuinum, ſed Eccleſiaſticum, iuxta datam explicationem. Vnde in eo variationem eſſe poſſe, nedum diſpenſationem, tradit cum aliis P. Thomas Sancius adductus *numer.* 410. & Pontificem poſſe in quacumque lege Apoſtolicâ humanâ diſpenſare, communis eſt Theologorum ſententia, vt videri poteſt apud Dianam *Parte* 8. *Tractat.* 3. *Reſolut.* 3. *Pro* quo & facit P. Cornelius nuper adductus ad oſtendendum locum eſſe diſpenſationi.

56 Quomodo autem diuinum præceptum dici poſſit, etſi aliàs Apoſtolicum, ſic ex doctrinâ D. Auguſtini *Lib.* 1. *de adulterinis coniugijs Cap.* 18. optimè explicari poteſt. Præmittens enim verba illa ex 1. *Corinth.* 7. *v.* 4. *Puto autem quod & ego ſpiritum Dei habeam*, ſic infert: *Proinde intelligendum eſt etiam ipſa, quæ à Domino non iubentur, ſed à ſancto eius famulo vtiliter ſuadente, eodem Domino inſpirante ſuaderi, &c.*

57 Sed obiici non leuiter poteſt, vt præceptum diuinum haberi debeat, & non Apoſtolicum. Nam ideo Apoſtolicum videtur dicendum, quia Apoſtolus id non obſcurè videtur indicare, dum ait: *nam ceteris ego dico, non Dominus.* Atqui ea verba non ad ſequentem, ſed ad præcedentem ſententiam pertinent, quatenus conſilia pro cœlibatu tradiderat, vt docti tenent Interpretes, ex quibus Guilielmus Eſtius, pro eo laudans Ambroſium, Catharinum, & Ioannem Heſſelium præceptorem ſuum. P. Cornelius, & P. Stephanus Menochius. Quod ſatis doctè & ſubtiliter ex ipſo textu deducit ex citatis Patribus prior. Interpunctio enim correctiſſimæ Vulgatæ, iuxta quam poſt prædicta verba punctum extat, oſtendit inter illa & ſequentia nullum eſſe nexum. Tum quia illud, *Nam ceteris*, antitheſim continet, vt eſt compertum; nulla autem aptior quàm vt reſpondeat illi: *Iis autem, qui matrimonio iuncti ſunt &c.* vbi de matrimonio fidelium ſpecialiter non loquitur, quando ſcilicet coniux vterque fidelis eſt; quia ſi ita eſſet, vnico verbo addito conue-

nienter

Digitized by Google

nienter expreſſiſſet, dicens videlicet : *Fidelibus autem, qui matrimonio &c.* licet v. 5. ad fideles obiter ſe conuertat, ſuadens vt ab vſu coniugij temperent, cùm ex mutuo conſenſu vacant orationi. Leges ergo matrimonio proprias, ſecundùm legitimam illius inſtitutionem proponit, ſicque planè diuinas. Cùm igitur ad coniuges diſparis cultus progreditur, continuatio aperta ſimilis propoſitionis eſt, neque de ſuo quidquam ingerit, quòd ad ſeparationem pertineat : & ita volente coniuge infideli cohabitare, non licebit dimiſſio, & ad alias nuptias conuolare. Et ita ſemper ab exordio Eccleſiæ fuiſſe ſeruatum teſtatur Eſtius.

58 Sed hæc quidem non videntur vrgere, & in primis punctum poſt verba prædicta appoſitum. *Nam cæteris &c.* non arguit illa ad præcedentia pertinere : eo enim ſtante currere Apoſtolica doctrina poteſt, communi Doctorum aſſenſu recepta, vt, quod ſequitur, illius præceptum ſit. Licet enim iuxta communiores interpunctionis leges, aut comma, aut duo puncta ſubiicienda videbantur; ſtare optimè potuit vnici puncti concluſio, quia quod ſequitur, ita proponitur; vt integram ſententiam ſupponat; dum Apoſtolus id, quod dicturus eſt, non Domini, ſed ſuum eſſe præceptum ſtatuit. Ac ſi dicat : Quod ſequitur, iam non Domini, ſed meum præceptum eſt. Quod ſi ſub hac forma dixiſſet, punctum certè, & non comma, aut duo puncta apponi debuiſſent.

59 Quod quidem ex *verſu* 25. vbi ſimiliter loquitur, optimam habet probationem : ſic enim ibi : *De Virginibus autem præceptum Domini non habeo: conſilium autem do tamquàm miſericordiam conſecutus à Domino, vt ſim fidelis.* Et cùm ſtatim ſequatur, quod ſe dixerat daturum eſſe conſilium, verbis illis : *Exiſtimo ergo &c.* nihilominus puncto ſententia clauditur, ob rationem dictam, propter quam Sapientiſſimus Arias Montanus in tranſlatione ſua iuxta Græcum textum *Verſu* 10. vbi Vulgata verſio habet : *Iis autem, qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus Vxorem à viro non diſcedere, &c.* Sic Græca ſecutus habet. *Matrimonio iunctis præcipio, non ego, ſed Dominus. Vxorem à viro non diſcedere.* Puncto ſcilicet poſt vocem *Dominus* adiecto. Non ergo ab interpunctione ſolidum ſumi argumentum poteſt pro fundandâ præfatâ interpretatione.

60 Quòd autem Apoſtolus clariùs potuerit loqui, (quod etiam obiiciebatur) parum mouere debet, quia & hoc obiici pariter ſic arguentibus poteſt. Modus enim loquendi prædictus id ſonat, quod ſententia communis amplectitur, & vnius verbi mutatione ceſſabit dubitatio, ſi videlicet Apoſtolus ita diceret : *nam innuptis ego dico, non Dominus.* Si omnia eſſent obuia & plana in Scripturis, non eſſent Interpretes neceſſarij. In Matthæi 19. verſ. 9. §. *Dicet, Cur ergo*, notat P. Cornelius, cuius eſt præfata obiectio, quòd dum conciſè vult Euangeliſta vnâ oratione multa complecti, verum eſt in eo illud : *Dum breuis eſſe laboro, obſcurus fio.* Opus ergo eſt vt in talibus elucidandis Interpretum laboret induſtria. Et antitheſis quidem manifeſta eſt, ſed inter matrimonio iunctos, vtrimque fideles, & diſparis cultus. Quod enim cum prioribus loquatur Apoſtolus, id indicat quod de abſtinentia ab vſu coniugij dicitur, vt vacetur orationi : neque id ſolum, ſed contextus totus. *Verſ.* 2. *Vnuſquiſque ſuam vxorem habeat, & vnaquæque ſuum virum habeat. Verſ.* 3. & 4. ſoluendi debiti coniugalis proponitur obligatio. Quod equidem ad fideles ſpectat, quia reſponſio eſt ad illorum interrogationem, vt conſtat ex *verſu* 1. *De quibus autem ſcripſiſtis mihi.* & illi de coniugibus diſparis cultus nihil in ea quæſtione, ſed de fidelibus : de prioribus enim quæſtio eſt tertia; & ita illas proponit P. Cornelius, vt videri poteſt in ſynopſi Capitis. *In verſ.* 5. 6. & 7. De continentia agit intuitu orationis, & qualis in eo tenendus modus cum hortamento ad cœlibatum, pro quo ſe proponit exemplar. *Verſ.* 8. & 9. non nuptis & viduis modum agendi præſcribit. Et quis non videat hæc ad fideles tantùm pertinere? *Verſ.* 10. ſequitur ſtatim : *Iis autem, qui matrimonio &c.* in quo apparet antitheſis iis reſpondens, quæ immediatè præceſſerãt, de non nuptis inquam & viduis.

61 *Verſ.* autem 11. indiſſolubilitatem matrimonij exponit, inter fideles inquam, quia cum illis loquebatur, neque ad ipſum ſpectabat leges pro eo infidelibus promulgare, vt teſtatur idem ad eoſdem ſcribens Corinthios *Cap.* 5. *verſ.* 12. cuius auctoritatem in cauſſa præſenti adducit Innocentius Tertius in Cap. *Gaudemus*, dum cum ipſo ait : *Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt, iudicare?* Quibus propoſitis, ſtatim aliam Apoſtolus ſubiungit antitheſim, de qua diſſerimus : *Nam cæteris ego dico &c.* Ex quibus habetur non benè Eſtium aſſerere expoſitionem dictam argui improbabilem ex eo quòd nulla ſignificatio ſit indicans Apoſtolum de coniugibus vtrimque fidelibus locutum. Stat igitur à nobis tradita ſatis inconcuſſa doctrina, verbis Apoſtoli conſona, & communi Doctorum ſenſu roborata.

62 Neque verum eſt Gloſſas aliquas in citata Capita Decretalia illi eſſe contrarias, vt ait P. Cornelius, qui vt veriorem amplectens ſententiam noſtram Iuri conformem, iuxta quam coniux ſine contumeliâ Creatoris cohabitare volens, dimitti nequit, cùm id prohibeat Apoſtolus, neque illius prohibitio ſolam habeat conſilij vim *Verſu* 15. §. *Sed S. Paulus* ita ſubdit : *Id ſanè verius, quia, vt dixi, hoc tantùm vult S. Paulus : & Canones citati*, (ſcilicet Cap. *Quantò.* Cap. *Gaudemus.* Cap. *Si Infidelis* 28. quæſt. 2.) *& quia priores Doctores contrariæ ſententiæ tantùm nituntur Gloſſis in Capitula, quæ paullò antè citaui : quæ Gloſſæ ſubindè Aurelianenſes ſunt, & textui deformes ac reformandæ.* Sic ille, Aurelianenſes Gloſſas vocans, id eſt, exiguæ auctoritatis, & vix alios quàm ſuos ligare volentes auctores, alluſione ad Aurelianas leges aut iudicia Caij Aurelij Cottæ, quarum auctoritas penes Senatores erat, & nonnullos alios.

63 Non inquàm eſt verum, quia Gloſſæ dictorum Capitum nihil habent vlla ratione contrarium, vt conſulenti conſtabit : immò apertè fauet Gloſſa in Cap. *Si Infidelis* §. *Hic diſtinguendum*, ſic enim ibi : *Gratianus benè diſtinguit in hoc* §. *dicens quòd ſi alter coniugum fuerit conuerſus ad fidem, vel ſi Infidelis voluerit ei cohabitare, Fidelis altero viuente contrahere non poterit. Si autem Infidelis noluerit cohabitare Fideli, tunc Fidelis Infideli viuente poteſt contrahere. Si autem vterque eſt conuer-*

ſus ad fidem, vel ſi ab initio vterque fuiſſet Fidelis, licet alter eorum à fide diſcedat, alter tamen nullo modo contrahere poteſt, quia ratum fuit matrimonium inter eos. Atque hæc diſtinctio eſt Canonicè bona. Et probatur extra, de diuortiis. Quantò. Sic Gloſſa, cui nihil eſt in duabus aliis Capitum dictorum aduerſum, deforme Textui, eaque de cauſſa reformandum: vnde neque ipſis Doctores contrarij niti potuerunt. Quidquid de illâ meritò reprobanda aſſertione ſit, ibidem occurrente; matrimoniũ ſcilicet coniugum infidelium ſolui quoad vinculum, ſi vno ad fidem conuerſo alter recedat. Et eſt Ioannis Andreæ non reprobata in Cap. *Si Infidelis*, §. *Ius*: benè tamen in Cap. *Gaudemus*: vnde iam reformatum quod P. Cornelius reformandum arbitratur.

64 Meliùs poſſet obiici Cap. *Iam nunc* & Cap. *Sic enim* 28. *quæſt.* 1. vbi ex D. Auguſtino *Lib.* 1. *de adulterinis coniugiis, Cap.* 13. *& ſeqq.* ſtatuitur apertè D. Pauli monitionem præcepti vim non habere, ſed conſilij. Verùm id non obſtat, quia illorum Capitum doctrina, cùm ſolius D. Auguſtini ſit, priuatæ illius ſententiæ tantùm eſt nacta auctoritatem: cùm tamen Pontifices poſteà id decreuerint, quod in Iure, citatis Capitibus, habetur. Neque id mirum, cùm Innocentius Tertius in citato Cap. *Quantò*, cuiuſdam Prædeceſſoris ſui Decretalem Deciſionem expungat verbis illis: *Quidam Prædeceſſor noſter ſentire aliter videatur.* Fuit autem ille Cœleſtinus Tertius in Cap. *Laudabilem de conuerſ. infidel.* in quo iam non extat. Sic Gloſſa ibidem verb. *Prædeceſſor*. Pro quo & facit id, quod ipſe Doctor ſanctus ſcribit *Lib.* 2. *Retractationum* Cap. 57. in hunc modum: *Scripſi duos libros de coniugiis adulterinis, quantùm potui ſecundùm Scripturas*, cupiens ſoluere difficillimam quæſtionem. Quod verum enodatiſſimè fecerim neſcio: immò verò non me perueniſſe ad huius rei perfectionem ſentio: quamuis multos ſinu ſecus aperuerim: quod iudicare poterit quiſquis intelligenter legit.

Circa Caput XIX. & num. 450. & ſeqq.

Ubi de obligatione pauperum circa decimas, & conſuetudine.

65 SAcra Rota in Deciſione quadam 15. *Ianuarij* 1646. apud Dianam *Parte* 8. ſic habet: Paupertas non excuſat à ſolutione decimarum, niſi tanta quòd ſi decimas ſoluerent; fame perirent. Sic illa, Auctores pro eo inducens; in quo tamen alij mitius loquuntur. Videndus Leander *Parte* 3. *Tract.* 6. *Diſput.* 6. *Quæſt.* 28.

66 Et de vno fœtu ſoluendam decimam iuxta æſtimationem, ſtante conſuetudine, tradit P. Fagundez *de* 5. *Eccleſiæ Præcepto Libr.* 1. *Cap.* 5. *numer.* 2. ex Rebuffo, quem tranſcribit Leander *Tomo* 2. *Tractatu* 9. *Diſput.* 5. *Quæſt.* 12. vnde non penitus damnanda videtur, niſi vbi fœtus exiguæ æſtimationis ſit: neque enim de minimis curare generoſitas Eccleſiæ debet, de cuius nec curat Prætor.

Circa Caput XX. & num. 461.

Ubi de diſpenſatione in voto caſtitatis.

67 QVod Diana contra Crouſers ſtatuit adducens alios, de Religioſis ſtatuerat *Parte* 6. *Tract.* 6. *Reſolut.* 50. Et fragilitatem in vouente eſſe ſufficientam cauſſam diſpenſationis firmant multi, quos adducit & ſequitur *Parte* 10. *Tract.* 12. *Reſolut.* 1. §. *Stando igitur, & ſequenti.* Vbi quòd ſi non ſufficiat, adiuncta tamen inconſideratio & leuitas in vouendo, cauſſam ſufficientem integrent, vt idem cum aliis determinat. Immò & ſolam ſufficere leuitatem in vouendo, etiamſi difficultas implendi non ſit, ſufficientem eſſe rationem docuerat cum aliis *citata Parte* 6. *Tractat.* 7. *Reſolut.* 24. quod bono nititur fundamento. Pater etiam Tamburinus *Libr.* 3. *in Decalogum Cap.* 16. §. 4. ex P. Sancio rationes ad diſpenſandum ſufficientes adducit. Plus autem circa hoc vide in Indice. *V. Votum.*

Circa Caput XXI. & n. 466. & ſeqq. ac num. 153.

Ubi de diſpenſatione in petitione debiti.

68 PRiuilegium Pij V. vim etiam nunc habere ex Leandro de Sacramento omnino videndo *Tomo* 2. *Tract.* 9. *Diſput.* 24. *Quæſt.* 16. *&* 17. & Martino à S. Ioſeph, proponit Diana *Parte* 10. *Tractat.* 14. *Reſolut.* 20. Vigere etiam aliud Iulij Secundi, ex eodem Leandro, & Mag. Candido habetur, iuxta quod cenſent illi Confeſſarios Regulares diſpenſare poſſe ſine deputatione Prouincialis, & cum ſola Localis Prælati facultate, quod & videtur probare Machadus *Tomo* 1. *Lib.* 5. *Parte* 3. *Tract.* 3. *Documento* 2. *n.* 2. ab eodem adductus: quidquid ſcrupuloſiùs dixerat *Parte* 6. *Tract.* 8. *Reſolut.* 32. & pro priuilegio Pij V. & aliorum videndus etiam Boſſius *Parte* 1. *Tractatu de Matrimonio, Cap.* 5. *numer.* 10. *&* 14. licet abnuat P. Quintanad *In Caſibus Iubilæi, Cap.* 16. *numer.* 9. *&* 10. Qui tamen *num* 11. *&* 12. apertè ſuffragatur.

Circa Caput XXII. & num. 481. & ſeqq.

Ubi an Indi excommunicationi ſubiaceant.

69 FAcit pro illis quod ex Martino à S. Ioſeph habet Diana *Parte* 10. *Tractat.* 12. *Reſolut.* 36. *in fine*, addens Leandrum & Trullench, pueros ſcilicet ante duodecimum annum non eſſe obnoxios excommunicationi, quæ ab Eccleſia pro ſuorum præceptorum violatione decernitur, de quo ipſe alibi, & conſuli eiuſdem Summa poteſt. Plus autem cum aliis addit Vercelli *Tomo* 1. *Tract.* 8. *Quæſt.* 66. *num.* 33. pueros ſcilicet ante decimumquartum non ligari, & ante

Digitized by Google

duodecimum puellas, & de excommunicatione agit ab Epiſcopis impoſitâ, ſed aliorum ſententiæ generaliter loquentium innixus. Ex quibus eſt etiam & Leander. *Tomo 1. Tractat. 5. Diſputat. 3. Quæſt. 57.* generaliter loquens, plenam ad incurſionem exigit pubertatem, plures pro eo adducens; licèt addat ad minùs duodecimum requiri in pueris, nihil de fœminis adiiciens. Pueris autem Indi communiter loquendo ſimillimi, licèt multi, vt aliàs dixi, Europæos plures exæquent ac ſuperent, circa quos regula indicata ſeruanda.

AD TITVLVM XIII.

Circa Caput III.

Ubi de neceſſariâ præſentatione Litterarum Apoſtolicarum ad ineundum Epiſcopatum.

70 Quia poſt ſcripta citato in Capite, & prælo tranſmiſſa, circa caſum, de quo *ibidem* Decretum Sacræ Congregationis Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum vulgata eſt, & SS. D. Alexandri VII. Apoſtolicum Breue eidem conforme proditum, quibus ea, quæ à Nobis dicta, videntur aliquatenus infirmari: operæ pretium duxi ea hoc loco addere, quæ in negotio adeò perplexo conducere poterunt, erratis quorumdam ex ſiniſtrâ intelligentiâ confutatis. Breue ergo, in quo & Decreti ſpecifica mentio, ſic ſe habet.

ALEXANDER PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

ALia pro parte Vener. Fratris Epiſcopi Ciuitatis Aſſumptionis; nuncupatæ Prouinciæ Paraquarienſis in Indijs Occidentalibus, Congregationi Venerab. Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium, Concilij Tridentini Interpretum, expoſitum, quòd ipſe Epiſcopus poſſeſſionem Eccleſiæ Ciuitatis Aſſumptionis huiuſmodi apprehendiſſet, & ſe à Venerabili etiam Fratre Epiſcopo Tucumanenſi conſecrari curaſſet, non præſentatis Litteris Apoſtolicis prouiſionis & præfectionis ſuæ in Epiſcopum eiuſdem Eccleſiæ, quæ tamen reuerà conceſſæ priùs & expeditæ fuerant; deque ipſa conceſſione & expeditione, præuijs aliquibus informationibus, aliqualiter conſtabat. Quodque conſecratio huiuſmodi ab vno prædicto Epiſcopo Tucumanenſi, aſſiſtentibus duobus de Capitulo Canonicis, peracta fuiſſet, non exhibito Apoſtolico diſpenſationis indulto; quod tamen reipſa priùs conceſſum fuerat, & ſub aliquali huiuſmodi conceſſionis notitiâ, aut ſaltem præſumptione, (quia ſcilicet Sedes Apoſtolica ſolita ſit circa numerum Epiſcoporum diſpenſare cum Epiſcopis conſecrandis in Indijs) prænarrata conſecratio facta fuerat. Ac quæſito Primò, an prædicta poſſeſſio, non præſentatis Litteris Apoſtolicis, apprehenſa fuerit legitima? Secundò, an prænarrata Conſecratio, vt ſuprà peracta, fuerit valida? Prædicta Cardinalium Congregatio die quidem 1. Septembris 1657. reſpondit ad Primum non fuiſſe legitimam, Ad ſecundum verò eadem Congregatio die 15. Decembris dicti anni, re maturè diſcuſſâ, ſecundùm ea, quæ proponebantur reſpondit ſupradictam conſecrationem Epiſcopi Paraquarienſis, quantùm ſpectat ad Sacramentum, & impreſſionem Characteris, fuiſſe validam. Quantum verò ſpectat ad licitam executionem Ordinis fuiſſe irritam & inanem, & Epiſcopum ita conſecratum, ac reſpectiuè conſecrantem, indigere abſolutione ac diſpenſatione. Quare pro parte eorumdem Ciuitatis Aſſumptionis & Tucumanenſis Epiſcoporum, Nobis humiliter ſupplicatum eſt, vt eorum ſtatui opportunè in præmiſſis prouidere de benignitate Apoſtolicâ dignaremur. Nos igitur ſpecialem eiſdem Epiſcopis gratiam facere volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententijs, Cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, quauis occaſione vel cauſſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ extiterint, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſeriè abſoluentes, & abſolutas fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, de memoratorum Cardinalium conſilio, ipſos Ciuitatis Aſſumptionis & Tucumanenſis Epiſcopos, & eorum ſingulos, à Cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis quibuſlibet per eos occaſione conſecrationis, ſicut præmittitur, peractæ, quoquo modo reſpectiuè incurſis, & quas ipſi incurriſſe dici, cenſeri, prætendi, vel intelligi poſſent, Auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium abſoluimus, & plenariè liberamus. Ac cum eiſdem Epiſcopis, & eorum ſingulis, ſuper irregularitate per eos præmiſſorum occaſione quomodolibet contractâ; ita quòd illa, & eiſdem præmiſſis non obſtantibus, dummodo non aliud Canonicum reſpectiuè obſtet impedimentum, Clericali charactere, quo aliàs, ritè inſigniti fuerunt, illiuſque priuilegijs vti, ac in ſuſceptis per eos pariter ritè quatuor Minoribus, nec non ſacris Subdiaconatûs, Diaconatûs, & Presbyteratûs Ordinibus, etiam in Altaris miniſterio, miniſtrare, Epiſcopaliaque munia obire, exequi,

Digitized by Google

& exercere liberè & licitè poſſint & valeant, Auctoritate & tenore præſentium diſpenſamus, Non obſtantibus præmiſſis, nec non Apoſtolicis, ac in Vniuerſalibus, Prouincialibuſque Concilijs, generalibus vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, ceteriſque contrarijs quibuſcumque. Volumus autem vt dicti Epiſcopi pœnitentiam, quam eis reſpectiuè Sacerdos idoneus propter præmiſſa impoſuerit, omnino adimpleant: alioqnin Præſentes quoad abſolutionem eis in foro conſcientiæ nullatenus ſuffragentur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 27. Febr. 1660. Pontificatus noſtri anno 5.

S. VGOLINVS.

Ex hac Pontificiâ deciſione deducenda nonnulla.

71 Primum, eos, qui conſecrationi & poſſeſſioni præfatis obſtiterunt, ritè id ac legitimè præſtitiſſe, cùm factum vti illegitimum ac culpabile à Pontifice fuerit condemnatum.

Secundum, minimè ſtare ea, quæ Dom. Solorzanus aſſeruit circa notitiàm quacumque viâ habitam factæ gratiæ: id enim præſertim reiicitur, quandoquidem ex narratione conſtat aliqualem notitiam præceſſiſſe. *Deque ipſa conceſſione & expeditione, præuijs aliquibus informationibus aliqualiter conſtabat.*

Tertium, id quod Nos diximus de authentico teſtimonio pro apprehenſione poſſeſſionis nō videri penitus improbatū, qnia de eo mentio nulla, licèt ſic ibi: *Nō præſentatis Litteris Apoſtolicis prouiſionis, &c.* & deinde in Quæſtionis propoſitione: *An prædicta poſſeſſio non præſentatis Litteris Apoſtolicis apprehenſa fuerit legitima?* Ad quam negatione omnimodâ reſpondetur. Eſt enim reſponſio accommodata quæſito, in quo de authentico teſtimonio nihil appoſitum. Et cùm probabilis illa doctrina ſit, grauiumque ſcriptorum auctoritate munita, non eſt veroſimile Sacram Congregationem voluiſſe eam vti improbabilem relegare. Nihilominùs ab eâ abſtinuiſſe præſtabit, quia neceſſaria in praxi non eſt, cum Epiſcopi Indici gubernationem Eccleſiarum ſuſcipiant eo modo, quem diximus *Titulo iſto num.* 25. & graue euitabūnt periculum improbandæ apprehenſionis, litibus & controuerſiis excitatis.

72 Quartum, non eſſe admittendum id, quod tradit Dom. Solorzanus circa Cenſuras & pœnas apprehendentium poſſeſſionem ſine ſuffragio Litterarum: affirmat enim nullam extare in Extrauagante *Iniunctæ* contra Epiſcopos, ſed contra Capitulares recipientes illos, vt ex contextu apparet, & notant Auctores ab ipſo adducti. 5. *Y vltimamente.* Non inquam eſſe admittendum; quia Congregatio, cui Pontifex verbis & facto ipſo annuit, oppoſitum manifeſtat. Cùm enim Cenſuras incurſas ſtatuant, à quibus abſolutio confertur, neceſſariò fatendum eſt id vel occaſione poſſeſſionis, vel conſecrationis accidiſſe: atqui de conſecratione negat, eò quòd pro eo nullus textus expreſſus ſit; debet ergo de poſſeſſione fateri.

73 Benè verum eſt inſpecto contextu, non videri ſtatim ita apertè deduci Cenſuras ex apprehenſione poſſeſſionis fuiſſe incurſas, ſed ex Conſecratione. In priori enim Decreto *die* 1. *Septembris*, de pœnis nihil habetur, ſed tantùm non fuiſſe legitimam. In ſecundo autem dicitur; *quantùm ſpectat ad licitam executionem Ordinis fuiſſe irritam & inanem* (conſecrationem) *& Epiſcopos ita conſecratum, ac reſpectiuè conſecrantem, indigere abſolutione ac diſpenſatione.* Apprehenſio autem poſſeſſionis non eſt executio Ordinis, quia ſine illo ſtare poteſt, & ius ad illam competit virtute confirmationis, ex Cap. *Tranſmiſſam* de Electione, & alibi. Deinde Pontifex in abſolutione ipſa idem ſignificat verbis illis: *A Cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis quibuſlibet per eos occaſione conſecrationis, ſicut præmittitur, peracta, quoquo modo reſpectiuè incurſis:* vbi reſpectiuè idem eſt quòd ſingula ſingulis referendo, vt cum aliis docet Barboſa *Tractatu de Dictionibus*, 348. *num.* 6. Nihilominùs contrarium eſt aſſerendum, quia id non obſcurè indicatum in diſpenſatione ſuper irregularitate, dum dicitur: *Ac cum eiſdem Epiſcopis, & eorum ſingulis, ſuper irregularitate per eos præmiſſorum occaſione quomodolibet contracta, &c.* Cùm enim de conſecratione ſermo præceſſerit, ſi de Cenſurâ violatâ, & irregularitate propterea incurſâ, Pontificis verba procederent, non occaſione præmiſſorum, ſed occaſione præmiſſæ conſecrationis dici debuiſſet. Notanda etiam quæ poſt adducta, & ad conſecrationem ſpectant, ſubiiciuntur, dum dicitur: *& quas ipſi incurriſſe dici, cenſeri, prætendi, vel intelligi poſſent.* Si enim præter incurſas propter conſecrationem nullæ aliæ Cenſuræ ſunt, ſuperflua ſanè verba prædicta cenſeri deberent.

74 Prætereà, apprehenſio facta eſt virtute conſecrationis: cùm enim Litteræ pro eadem non extarent, ideò eſt captata poſſeſſio, quia conſecrationis auctoritas omnem videbatur dubitationem ſubmouere. Vnde & conſecrationis authenticum teſtimonium Capitulo exhibitum, vt ex Capitulari libro conſtat, & extraſumptis iudicialiter præſentatis. Dum ergo dicitur, *Occaſione conſecrationis*, poſſeſſionis etiam actus deſignatus, & ita etiam accipiendum quod in Decreto Congregationis habetur, conſecrationem videlicet fuiſſe irritam & inanem quantùm ſpectat ad licitam executionem Ordinis; & ideò Epiſcopum indigere abſolutione ac diſpenſatione. Apprehenſio enim poſſeſſionis, executio Ordinis fuit, quia virtute illius contigit, vt quid ad Ordinem conſecutum, licèt ſine illo ſtare poſſit, ſed cum neceſſario tamen reſpectu: ideò enim adminiſtratio conceditur, quia Epiſcopus in re, aut in ſpe iuridica eſt, cum obligatione conſecrationis. Vt enim benè explicat D. Thomas *in* 4. *diſtinct.* 24. *quæſt.* 39. *articul.* 2. Epiſcopatus ſecum affert iuriſdictionem erga corpus myſticum Eccleſiæ.

75 Licèt autem veroſimile ſit, quod cum alijs affirmat Dom. Solorzanus, nullam ſcilicet pœnam, quæ Cenſura ſit, (licèt ille generaliter id de pœnâ ſtatuat, quod conſtat verum non eſſe, cùm acta irritentur, & prouentuum perceptio prohibeatur) in præfatâ Extrauagante decerni, ſicut

ſicut nec in alia Iulij Tertij, cuius Auctores obuiam exhibent mentionem, ac præſertim P. Azor *Tomo 2. Lib. 7. Cap. 1. §. Extat etiam.* Et Quaranta in Summa Bullarum *fol.* 105. vbi ad litteram eam proponit. Eſt tamen Bonifacij Octaui Decretalis in Cap. *Præſenti,* de officio Ordinarij in *Sexto*, in qua Cenſuræ bona, vacationis Eccleſiarum tempore obuenientia, occupantibus imponuntur, cùm debeant ſucceſſoribus reſeruari. *Ne occupare, aut in vſus ſuos conuertere, quoquo modo præſumant. Niſi de ſpeciali priuilegio, vel conſuetudine iam præſcripta legitimè, ſeu alia cauſſa rationabili, hoc eiſdem competere dignoſcatur. Alioquin Epiſcopi, & eorum Superiores, ab ingreſſu Eccleſiæ; cæteri verò ab officio & beneficio tamdiu eo ipſo nouerint ſe ſuſpenſos, quouſque reſtitutionem fecerint de prædictis.* Quæ ſunt verba Pontificis. Conſtat autem eum, qui ſine Litteris Apoſtolicis poſſeſſionem apprehendit, & bona obuenientia vacationis tempore; neque priuilegio, neque conſuetudine, neque rationabili cauſſa id facere. Pro quo & eſt vrgentior Canon in Bulla Cœnæ, ſcilicet 17. de vſurpantibus iuriſdictiones, fructus, redditus, & prouentus: & ad tempus vacationis ſpecialiter ſpectare probat cũ aliis Leander *Parte 4. Diſput. 17. Tract. 3. Quæſt. 3.* Non poteſt autem ſuffragari prætextus non admixtæ præſumptionis, eo quòd dicatur in Textu, *Ne præſumant*, iuxta vulgarem doctrinam, de qua Nos ſæpiùs in *Theſauro*, & Bonacina, vt teſtatur ipſe *Tomo 3. Diſput. 3. Quæſt. 4. Puncto 14. n. 1.* P. Suarius *Tomo 5. in 3. p. Diſput. 31. Sect. 1. n. 15.* cum Nauarro, quem allegat. Nam in Extrauag. *Iniunctæ* ſimilis modus loquendi extat, & tamen ſacra Congregatio ad intelligendum in caſu, de quo loquimur, illam interfuiſſe, ſolum factum eidem contrarium attendit: eſt enim præſumptionis genus legem apertè violare, dum contra eam agitur, & in Decretali adducta genus omne præſumptionis remouetur, cùm dicitur, *quoquo modo præſumant*, & id quidem in iudiciali foro communiter ſeruatur: aliàs vix poſſet quiſquam pro violatâ lege puniri, quia dicere poteſt ſe non ex præſumptione, ſed bonâ intentione, aut certè ex fragilitate feciſſe. Sicut autem Eccleſia de occultis non iudicat, ita neque occultos actus pro defenſione reorum attendit, de quibus illi non conſtat, ne ſic delicta maneant impunita. Solus ergo per ignorantiam operans non dicitur præſumere: vnde Doctores diſputant qualis ignorantia excludat præſumptionem: pro quo videri poteſt P. Thomas Sancius *Libr. 3. de Matrimonio Diſput.* 48. *num.* 7. & non omnem id habere, eſt communis ſententia, videndus etiam ſpecialiter *Lib. 9. Diſput.* 32. *num.* 36. 37. & 38. vbi cum aliis præſumptionem eſſe ait quando eſt dolus, & hunc dari quando aliquid ſcienter fit contra Canonem ſeu, vt Hiſpanè dicitur, *A ſabiendas*, quia ſcilicet ignorantia abeſt. Pro quo & Leander in *Expoſitione ſuæ Regulæ, Parte 5. Cap. 20. Lit. g.*

De pœnis circa Conſecrationem.

76 IAm quod ad conſecrationem attinet, ſimiliter eſſe dicendum, Cenſuram ſcilicet aliquam incurſam, quod manifeſtius in Decreto, & Pontificia abſolutione diſpicitur, dubitari nequit. Vnde non admittendum quod habet Dom Solorzanus §. *Demus de que*, dicens ſe nõ inueniſſe legem Canonicam in Iure inſertam, aut extra illud, quæ pœnam aliquam imponat Epiſcopo, qui cum notitia, licet non ita plenè probatâ, confirmationis Pontificiæ, conſecrat aut recipit conſecrationem. Probat autem in ſequentibus; non extante lege in terminis loquente, non poſſe ex iis argui, quæ ſuſpenſionem, aut pœnam aliam ſtatuunt in caſibus ſimilibus, quia de Epiſcopis expreſsè nõn loquuntur, vt deberent loqui, iuxta Cap. *Quia periculoſum*, de ſent. excommun. *in 6.* vbi vt Epiſcopi pœnam Interdicti & ſuſpenſionis incurrant, expreſſam de ipſis ſtatuitur debere fieri mentionem. Quæ quidem doctrina ſi firma eſſet, ex eâ haberetur eum, qui ſola præſentatione conſecrari ſe curat, nullam pœnam incurrere, quamuis confirmationis notitia, non ſolùm plenè non probata, ſed neque vlla præcederet; quia nec de eo lex Canonica ſpecialior extat, pœnam imponens, cùm penitus notitia deeſt, & virtute præſentationis agitur, aut modo alio prouiſionis, cum Confirmationis ſpe:ſed generalis eſt prohibitio indiſtinctè procedens, vbi de confirmatione non conſtat, vt conſtare debet. Quod tamen prædictus Auctor non audet affirmare. Datur ergo illa, & à Nobis eſt ſolicite conquirenda.

77 In primis ergo occurrit Canonica diſpoſitio variis in locis Decreti, & præſertim 9. *quæſt.* 1. iuxta quam recipiens Ordines ab excommunicato, ſuſpenſo, aut interdicto vitando, ſuſpenſionem incurrit: quod Doctores extendunt ad eum, qui recipit Conſecrationem, vt videri poteſt apud Bonacinam *Tomo 3. Diſput. 3. Quæſt. 1. Puncto 10. num. 6.* qui rationem adhibet, non ex eo quòd ſit paritas; id enim in pœnalibus fallit; præſertim circa Epiſcopos, ob citatum Cap. *Quia periculoſum.* Sed ex defectu poteſtatis in Cõſecrante, quia non habet vſum Ordinis, & ita neque illum conferre poteſt, vnde ſuſpenſus manet recipiens. Eſt autem eadem ratio in noſtro caſu, quia Conſecrans non habet liberum vſum in ordine ad hunc: non ergo liber eſſe in conſecrato ſimilis vſus poteſt, & ita manet ſuſpenſus. Et ex hoc fundamento ortum habuit probabilis opinio, iuxta quam ille, qui conſecratur ab Epiſcopo, qui renuntiauit quoad dignitatem, ſuſpenſionem incurrit, quia nequit vſum liberum conferre, quo caret. Licet Bonacina *ſuprà Puncto 9. n. 12.* contrariam cenſeat probabiliorem, quem pro eo laudat Dom. Solorzanus *§. A los quales.* Sed quidem eius non videtur doctrinæ aptè cohærere. Vnde meliùs philoſophatur P. Suarez *Tomo 5. in 3. p. Diſput. 31. Sect. 1. num.* 12. dum ait, quòd ſicut Epiſcopus indiget Charactere vt Characterem imprimat: ita & indiget charactere habili & expedito, vt habilem in ordine ad operandum & expeditum imprimat characterem. Sic ille, quidquid de aſſertione ſit, de qua non pronuntiauit expreſsè, benè tamen de conſecratione ab excommunicato *num.* 65. iis adiunctis, quæ ex eodem deſumpſit Bonacina.

78 Deinde. In Extrauag. *Iniunctæ* hoc videtur non obſcurè deciſum. Eò enim tendit, vt Epiſcopis, & Prælatis aliis non adhibeatur fides in ordine ad actus ſuorum munerum propriis, niſi mandatum Apoſtolicæ Sedis litteris expreſſum oſten-

Digitized by Google

oſtendatur. Inde illud circa initium: *Aſſerenti namque cum mandatis Principis ſe veniſſe credendum non eſt, niſi hoc ſcriptis probauerit.* Id autem non ſolùm ad ſuſcipiendum adminiſtrationem, ſed etiam ad conſecrationem ſpectare, ex eo conſtat, quia in actu conſecrationis ante alia à Conſecrãdo quæritur an habeat mandatum Apoſtolicum. Et eo aſſerente, Bullæ Apoſtolicæ proferuntur, & clarâ voce leguntur. Item. Cùm Pontifex in Extrauag. prædictâ varios afferat caſus & exempla, in quibus litteræ probatoriæ requiruntur, & inter alia ſic habeat: *Similiter Clerici ad alienam Diœceſim ſine ſuorum Ordinariorum litteris venientes, nec in ſuis recipiantur Ordinibus, nec ad ſuperiores aſcendant:* ſtatim ſubdit: *Quòd autem illis, qui ſe Epiſcopos &c. appellant, ſit diſcuſſio celebris & diligens facienda, luculenter apparet, ſi ſcandala & pericula grauia, quæ ipſorum parere poſſet communicatio indiſcuſſa, diligenter attendatur.* Hæc Pontifex: iuxta quæ manifeſtum eſt illius intentionem eò dirigi, vt prouideat ne quiſquam ſine Litteris conſecretur: quia ex eo grauia ſcandala & pericula perſpicuum eſt emerſura, dum ſe Epiſcopum electum appellat, quod tamen Apoſtolico nequit teſtimonio comprobare.

79 Et hoc ampliùs quæ ſubnectit Pontifex ſic locutus, oſtendunt: *Hinc Nos euidens euocat ratio, vt cum præmiſſis aliis caſibus, qui minoris exiſtunt periculi, ſit ex Conſtitutionibus editis iam prouiſum: hunc vltimum, qui pericula grauiora minatur, nequaquàm ſine prouiſionis opportunæ remedio relinquamus.* Sic ille. Conſtat autem eum, qui ſine Ordinarij ſui Litteris promouetur, manere ſuſpenſum, non ſolùm ex iure nouo per Bullam Pij Secundi ſextam aut ſeptimam in ordine, & Concilij Tridentini Decretum *Seſſione* 23. *Cap.* 8. Sed ex antiquo. *Cap. Eos qui*, de temporib. Ordinat. licet circa genus ſuſpenſionis diuerſitas fuerit ſententiarum, dum alij Cenſuram eſſe negarent, affirmarent alij, ita vt ex illius violatione irregularitas contraheretur. Dicendum ergo eum, qui ſine Apoſtolicis Litteris conſecratur, pœnam ſuſpenſionis incurrere, & eam in Extrauagante præfatâ contineri.

80 Quia verò conſecratio non expreſſa ſub eo nomine, dicendum verbis illis contentam, quibus acceſſus ad Eccleſias, ad quas ſunt prouiſi, prohibetur: *Ad commiſſas eis Eccleſias accedere &c.* Ibi enim prohibitio conſecrationis, quæ ſummũ in eo negotio conſtat habere momentum, cenſetur prohibita vel ſupponitur, in qua maiora pericula & ſcandala, quibus obuiare intendit Pontifex, timeri poſſunt: & conſecrari, accedere quodammodo eſt, dum ſpirituale in illa coniugium cum Eccleſia celebratur: vnde & diſtinguitur acceſſus talis ab acceſſu per vſurpationem adminiſtrationis, dum dicitur, *Accedere, vel bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtrationem accipere &c.* Pœna autem, quæ ſtatim imponitur, ſuſpenſionem continet, dum officio ac beneficio priuantur, licet non ſub his terminis, ſed ſub aliis importantibus: irritis declaratis, quæ ab eiſdem acta fuerint: quod eſt officio eſſe deſtitutos, & prouentuum perceptione negatâ, in quo beneficij eſt conſtituta priuatio. Et licet Bonacina *Diſput.* 3. citata *Quæſt.* 4. *Puncto* 10. *num.* 1. Sic loquatur: *Suſpenduntur, ſeu potiùs repelluntur*, vt non videatur omnino propriam ſuſpenſionem agnoſceret tamen P. Suarez *ſuprà Sect.* 5. *num.* 23. ſine limitatione loquitur, & propriam re ipſa ſuſpenſionem agnoſcit per illius effectus.

81 Ex quibus inferendum eſt Conſecratorem ſuſpenſionis etiam pœnam incurrere: nam promouens non ſubditum ſine litteris teſtimonialibus tali pœnâ mulctatur in *Cap. Eos qui*, de temporib. Ordinat. à Concilio Tridentino *Cap.* 8. citato, & aliis apud Bonacinam *Quæſt.* 2. *Puncto* 8. *num.* 4. vbi Auctores adducit. Ex eo ergo ſimiliter argui poteſt: quia Pontifex caſum adducens de promotione agit, quæ promotores & promotos amplectitur, & maiorem intendit circa illos, qui maiori ſunt præditi dignitate, diſtrictionem exercere. Nec dici poteſt eos non expreſſos, & ſic à ſuſpenſione immunes, ex citato *Cap. Quia periculoſum.* Nam licet expreſſi non ſint, ſatis tamen intelligendi veniunt: quia aliàs non eſſet ſufficienter grauiſſimo caſui prouiſum in re ſummi momenti, qualis eſt Epiſcopi conſecratio: neque diſpoſitio iuris circa promotos & promouentes ſine dimiſſoriis propriorum Ordinariorum commodè fuiſſet adducta. Præterquam quòd ſuſpenſio in promoto arguit illam in promouente: quod in Sacerdotis promotione ſpecialiter deciſum *Cap. Si qui Epiſcopi* 1. *quæſt.* 1. vbi ſic dicitur: *Si qui Epiſcopi talem conſecrauerint Sacerdotem, qualem non liceat, Ordinationis ius vlterius non habebunt.* Eſſe autem ſuſpenſionem latam, & non tantùm ferendam; tenent Marius Alterius *Tomo* 2. *Diſput.* 16. *Cap.* 1. *verſ. Secundò*, Sayrus *Lib.* 4. *Theſauri, Cap.* 14. *numer.* 17. & alij. Licet non deſit qui diſſentiat apud Bonacinam *Quæſt.* 2. *Puncto* 2. *num.* 2. & quamuis Auctores ita nomen Sacerdotis communiter accipiant, vt de Epiſcopis non videantur Canonem interpretari, ſicut neque de inferioribus gradibus; id quidem ex non attento contextu ortum, quia D. Leo, cuius eſt ille in *Epiſt.* 87. ad Epiſcopos Africanos ſcriptâ *Cap.* 2. apertè de Epiſcopis loquitur; ſic enim poſt alia ibi: *Ne quod ad tempus piâ lenitate conceſſimus, iuſtâ poſt hac punitione plectamus in eos ſpecialiùs & propenſiùs commouendi, qui in Epiſcopis ordinandis Sanctorum Patrum ſtatuta neglexerint, & quos reſutare debuerant, conſecrarint. Vnde ſiqui Epiſcopi talem ordinauerint Sacerdotem, qualem non liceat, etiamſi aliquo modo damnum proprij honoris euaſerint, Ordinationis tamen ius vlterius non habebunt; nec ei Sacramento intereunt, quod neglecto diuino indicio, immeritò præſtiterunt.* Sic ille.

82 Pro quo & eſt Conſecratorem maiore pœnâ dignum reputari in Iure; ſic enim loquitur D. Cœleſtinus 1. in Cap. *Tantis*, 81. diſtinct. *Faciliùs eſt enim vt hanc dignitatem tali dando amiſerit Ordinator, quàm eam obtineat Ordinatus, cui conuicto ſociabitur, qui eum ſibi crediderit largiendo Pontificium ſociandum. Qualis enim ſit ipſe quiſquis tales ordinauerit, oſtendit.* Sic ille, de pœnâ depoſitionis locutus iuxta Gloſſam. Et licet dici poſſit non eſſe latam, ſed ferendam; ex eo tamen habemus ſtante ſuſpenſione reſpectu conſecrati, ea nequit in Conſecratore negari. Præterquàm quòd depoſitionis ſententia ſuſpenſionem videtur ſupponere, & eam declarare atque aggrauare, vt ſignificat Marius Alterius *Tomo* 2. *Diſput.* 2. *Cap.* 1. §. 1. quia maior ſuſpenſione eſt, vt notant Doctores, ex quibus

Digitized by Google

quibus Pater Palaus *Parte 6. Diſputat. 4. Puncto vltim.*

83 Iuxta hæc ergo ſatis compertum habetur violantes Cenſuras dictas irregularitatem contraxiſſe pro quâ diſpenſatio Pontificia confertur. Poſſet autem quis dicere ſuſpenſionem, de quâ in Extrauagant. *Inimicæ*, non eſſe Cenſuram, ſicut de ſuſpenſione incursâ propter collatos Ordines ab alieno Epiſcopo ſine litteris proprij, dicunt aliqui, vt aduertimus *numer.* 97. ex quibus Gloſſa in Cap. *Eos qui citato*: quam ſententiam P. Suarez attento tantùm iure antiquo dixit poſſe ſuſtineri *Sect. 1. citatâ, num.* 14. Bonifacius autem VIII. in Extrauagante dicta ſecundùm ius antiquum in prædicto Capite contentum eſt locutus, quod eſt Gregorij X. in Concilio Lugdunenſi. Si ergo Cenſura non eſt, ſed pura pœna Eccleſiaſtica, ex illius violatione non veniet irregularitas incurrenda, vt citata Gloſſa in caſu illius Capitis philoſophatur, ſicut & alij, vt teſtatur P. Sà *v. Irregularitas ex Ordinis abuſu, num.* 7.

84 Sed hoc non vrget: quia cùm veroſimile ſatis ſit ſuſpenſionem illius Capitis eſſe Cenſuram, & aliunde Bonifacius in Extrauagante citatâ circa Epiſcopos plus velit vrgere, ex eo fit plus aliquid roboris in eius deciſione contineri; vt omnino certum haberi poſſit propriam eſſe Cenſuram. Et ita intellexit Sacra Congregatio; dum abſolutionem ac diſpenſationem neceſſariam declarauit, quam & Pontifex impertiuit, quia manifeſtum erat conſecratum & conſecrantem contra ſuſpenſionem dictam egiſſe, Pontificale munus exercendo. Et per violationem ſuſpenſionis, quæ pura pœna ſit, irregularitatem etiam incurri vt certum ſtatuit P. Suarez *Tomo* 5. *citatâ Diſputat.* 27. *Sect.* 2. *num.* 4. ex Cap. 1. *de re iudicata, & de Sent. excommun. in* 6. quem ſequitur P. Palaus *Parte* 6. *Diſput.* 4. *Puncto* 6. *num.* 5. aliis pro eodem adductis. Leander *Parte* 5. *Tractat.* 2. *Diſputat.* 22. *Quæſt.* 5. Villalobos *Tomo* 5. *Tractat.* 18. *Difficult.* 3. *numer.* 57. licèt oppoſitum cenſeat probabile. Quibus addendum id, quod de Interdicto diximus ex Cap. *Præſenti*, de officio Ordinarij *in* 6. de quo *numer.* 75. & ad Conſecratum pertinet. Circa Capitulum autem, cui in Extrauagante eadem pœna priuationis beneficialis imponitur, nihil à S. Congregatione diſpoſitum; neque à Pontifice decretum, ob receptionem & obedientiam, quia pœna manifeſta eſt, & nihil fuit ex parte Capituli ſupplicatum: vnde nec debuit ſententia contra inauditam partem pronuntiari. Cùm poſſint aliàs Capitulares iuſtam cauſam receptionis obtendere: & quòd fortè iam in viuis non extent, qui tunc temporis in prædictâ Eccleſiâ reſidebant. Et hoc circa quartum, in quo non leues difficultates occurrunt, quibus, eò quòd non ita obuiæ, conatus ſum lucem aliquam exhibere. Iam ad alia.

Circa reſolutionem Sacræ Congregationis pro valore Conſecrationis vtilia quædam adnotata.

85 Quintum ergo ſit, Sacram Congregationem vt omnino validam conſecrationem proponere, quamuis tot viri docti, grauiſſimis ducti fundamentis, non ſolùm in Indiis, ſed etiam in Hiſpaniâ, ſatis dubiam pronuntiauerint. Immò & oculis Pontificiæ Sedis ſcribens Diana *Parte* 12. *Tractat.* 1. *Reſolut.* 47. idem ſtatuit, ratus ſub conditione repetendam conſecrationem. Vnde à veritate prorſus alienum, quod in vulgari quodam ſcripto circumfertur, Auctorem ſcilicet hunc in fauorem Epiſcopi ſcripſiſſe. Ad quod quidem reſponderi poteſt; ſicut in ſimili reſpondet citatus Auctor in fine Reſolutionis dictæ circa caſum Bullę Pij IV. *die* 1. *Auguſt.* 1562. qui diſpenſans vt Epiſcopi in Indiis conſecrati ab vno tantùm Epiſcopo ſine Apoſtolica diſpenſatione, & ab huiuſmodi exceſſu, ac ſuſpenſionibus, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, Cenſuris, ac pœnis abſoluens pro irregularitate etiam diſpenſatione ſubiunctâ; opinionem eſt probabilem amplexus, conueniens non iudicans conſecrationis iteratæ ſub conditione remedium. Quod exemplar ſacra eſt Congregatio ſecuta, ne Sedes Apoſtolica in ſuis diſpoſitionibus ſibi contraria videatur. Et quia non ſine ſcandalo id videtur ſtare poſſe. Vnde Dominicus Sotus in 4. *Diſtinct.* 1. *Quæſt.* 1. *Artic.* 8. §. *Circa*, docet ad huius Sacramenti iterationem difficilius quàm ad alia veniendum. Poſſunt ergo ordinati à præfato Epiſcopo poſt abſolutionem à ſuſpenſione, quam ab interdicto, ſuſpenſo, & irregulari Ordinem accipientes contraxerunt, tutâ conſcientiâ in exercitio Ordinum ſuorum proſequi, quia & ipſa pro ſe habent probabilem opinionem: ſed id non tollit, quo minùs poſſint ſub conditione iterùm ordinari. Vbi & notandâ doctrina ſuccurrit, quam ex aliis proponit & amplectitur Mag. Barnabas Gallego *in Tractatu de Conſcientiâ*, *Dub.* 2. *de Conſcientiâ probabili*, vbi ſtatuit reſponſa Pontificum ad caſus particulares non habere vim legis, niſi de illorum mente conſtet: nec credendum eos egregiorum Theologorum ſententias velle penitus condemnare. Videndus etiam Leander *Parte* 4. *Tractat.* 2. *Diſput.* 17. *Quæſt.* 46. vbi & P. Granado *Controu.* 1. *de Fide*, *Tractat.* 15. *Diſputat.* 14. *num.* 10. ſtatuit S. Congregationem probabiles ſæpè opiniones amplecti, ſed oppoſitas, eo non obſtante, poſſe valde probabiles reputari. Et ita in præſenti caſu contingere dicit nouiſſimè Caramuel in Apologema pro doctrinâ de Probabilitate *Epiſt.* 4. *num.* 147. *in edit. Lugdun. ann.* 1663. adducens verba Sacræ Congregationis, & poſt illa refert Laurentium Brancatium *Tom.* 3. *Diſput.* 6. *artic.* 4. *num.* 89. *in addit. Romanâ*, *anno* 1662. dicentem: *In huiuſmodi fateor ſtandum eſſe Decretis Romanorum Pontificum ideoque retuli tantùm argumenta & reſponſiones, quę pro & contra poſſunt adduci; eis tamen adhærere non curo, neque pro Epiſcopo habere miſit ordinatum.* Hæc Brancatius Romæ Superiorum permiſſu; non ergo intendit Sacra Congregatio oppoſitam ſententiam condemnare, ſed iuxta probabilem proceſſit.

86 Quod ſuaderi vlteriùs poteſt ex eo quod in eodem Decreto dicitur, conſecrationem ſcilicet quantùm ſpectat ad Sacramentum, & impreſſionem characteris, fuiſſe validam. In eo enim probabiliter tantùm locuti DD. Cardinales, dum conſecrationem Sacramentum propriè vocant, & impreſſionem characteris eidem attribuunt; contrarium enim ſequuntur multi vt probabilius, licèt

licèt Nos illis neutiquam aſſentiamus, de quo ex profeſſo egimus *Tomo* 2. *Theologicorum Problematum à numer.* 130. Et pro quo Bonacina cum negantibus ſentiens, plures adducit *Tomo* 1. *Diſput.* 8. *Quæſt. vnica, Puncto* 1. *num.* 2. *&* 3. *& ſuprà Quæſt.* 1. *Puncto* 1. *num.* 10. ad priorem locum ſe referens affirmat Epiſcopatum propriè & ſtrictè loquendo non eſſe Ordinem, quod & repetit *Puncto* 7. *numer.* 4. *& alibi.* P. Amicum ex Recentioribus pro eadem depugnantem *citato num.* dedimus. Et probabilitatem agnoſcit etiam Sayrus *Libr.* 1. *de Sacramentis Cap.* 1. *Quæſt.* 3. *Artic.* 5. *numer.* 2. Et P. Becanus *Tractatu de Sacramentis Cap.* 26. *Quæſt.* 3. Alexander Peſantius in *Additionibus ad D. Thomam Quæſt.* 40. *Diſputat.* 3. aſſerit Epiſcopatum non eſſe Ordinem diſtinctum, neque diſtinctum imprimere characterem. Et cum S. Thoma idem tenere Scholam Patrum Dominicanorum 3. *p. quæſt.* 40. *art.* 5. ex quibus aliquos adducit. Affirmat Diana *Parte* 5. *Tract.* 10. *Reſolut.* 41. vbi & probabilitatem agnoſcit: ſicut & Guilielmus Eſtius *in* 4. *diſt.* 24. §. 28. & Ioannes Poncius *in Curſu Theologico Diſput.* 48. *num.* 1. P. Comitolus *Lib.* 1. *Reſponſor. morali. Quæſt.* 49. *numer.* 11. ſic ſcribit: *Quæ ſententia fermè eſt omnium Principum Theologorum.* Ex quibus ſtatim plures inducit. Quam & tenet P. Azor *Tomo* 2. *Libr.* 3. *Cap.* 27. *Quæſt.* 3. *&* 4. Et alij apud Leandrum. *Parte* 2. *Tract.* 6. *Diſput.* 1. *Quæſt.* 10. Thomas Hurtadus *Tract.* 13. *& vltimo Reſolut. mor. num.* 77. ex eo quòd ſit illa receptiſſima in Thomiſtarum ſcholâ, in Auctores Societatis inuehitur ipſam communiter impugnantes. Sed quàm inofficiosè & toruè, ſicut in aliis, oſtendit P. Gabriel de Henaco, *de Sacramento Eucharistiæ Diſput.* 12. *n.* 95.

87 Et quidem Epiſcopi, de quibus Pius IV. in ſua Bulla, minùs certum fundamentum valoris ſuæ conſecrationis habebant, quia conſecrati fuerant abſolutè ſine diſpenſatione, in quo de neceſſario aliquo ex iure diuino, & quod nullo modo aderat, quæſtio vertebatur, ternario ſcilicet Epiſcoporum. In caſu autem noſtro verè extabat diſpenſatio circa illud, tum in ſpeciali Bulla Vrbani Octaui nondum receptâ, tum in Bullæ prædicta Pij IV. Et tantùm dubitari poterat an ipſi verè applicaretur, ſic enim Pontifex loquitur: *Nos igitur ſacrorum Canonum æquitatem à nemine vltra quàm præſtare poſſit exigere perpendentes &c.* (vbi ſatis innuitur pluralitatem Epiſcoporum pro conſecratione, per ſacros Canones, & non ex Chriſti præcepto vt omnino neceſſariam fuiſſe introductam) *Vt deinceps perpetuis futuris temporibus, poſt eorum electionem & aſſumptionem huiuſmodi, nullo alio ſibi obſtante Canonico impedimento, à quocumque maluerint Catholico Antiſtite &c.* Cùm ergo Epiſcopo, de quo quæſtio, Canonicum impedimentum ex defectu Litterarum Apoſtolicarum videatur obſtitiſſe, diſpenſatio locum non habere videbatur. Iam ergo Bullæ vtriuſque deciſione perſpectâ, Pij inquam & Alexandri, intelligere deinceps poſſumus Sedis Apoſtolicæ voluntatem eſſe, vt diſpenſatio in caſibus ſimilibus ſemper locum habeat, quantùm ad valorem conſecrationis, ſi illa neceſſaria eſt, ne ſit opus iteratâ conſecratione, quod, vt diximus, ſtare ſine ſcandalo nequit. Et hoc circa Epiſcopos, de quibus Pius IV. ſuo modo etiam accidiſſe poteſt affirmari, quibuſcum in eorum prouiſione, electione, & aſſumptione tacitè diſpenſatum eſt quoad valorem: cùm ſemper Pontificia Sedes erga ea, quæ tanti momenti ſunt, ſimilem ſit credenda prouidentiam exercere.

88 Et hæc quoad valorem ſufficiunt, licet conſecratio peracta non fuerit, virtute diſpenſationis Pij IV. à Conſecrato penitus ignoratæ; vnde in Breui nulla illius mentio ad fundandum valorem conſecrationis: ſed ex aliquali notitia, aut præſumptione ab Vrbano Octauo conceſſæ, vt ex Breui conſtat. Quamuis autem notitia illius deficiat, effectum habere poteſt, ſi Bullæ confirmationis adſint, & ſpecialis de diſpenſatione non extet: quia eſt gratia Communitati conceſſa, communiter etiam acceptata, præſertim à Rege, ad cuius inſtantiam emanauit: & per accidens eſt quòd ab vno, aut altero, dum operatur, ignoretur. Pro quo videri poteſt P. Suarez *Lib.* 8. *de legibus Cap.* 25. *num.* 16. ad quem locum ſe refert *Lib.* 6. *Cap.* 11. *num.* 8. vbi de diſpenſatione agit. In caſu autem noſtro, quia Bullæ confirmationis defuerunt, quod eſt Canonicum impedimentum, aliter res ſe habuit, quia pro conditione exigitur ne illud interueniat: non ergo poteſt valor confirmationis eo fundamento inniti, niſi iuxta datam explicationem.

89 Immò (quod veroſimiliùs apparet) iuxta mentem Pontificum videtur, ad valorem conſecrationis non eſſe diſpenſatio vlla neceſſaria, cùm illam non videantur attendere. Licet enim id ſtare poſſit quod de tacita diſpenſatione diximus, id tamen ſolùm eſt veroſimilis coniectura, quæ aliis talis fortè non apparebit. Et quidem Pius IV. numerum Epiſcoporum pro conſecratione à Iure tantùm ſtatutum inquit, ibi: *Nos igitur ſacrorum Canonum æquitatem,* & alia *vt num.* 87. Et cùm vni Epiſcopo facultatem tribuit, non de valore agit, ſed de libera ac licita poteſtate, verbis illis: *Vt idem minus talis auctoritate præfata impendere libere poſſit, plenam & liberam auctoritate & tenore præſentium facultatem concedimus & indulgemus.* Non ergo deciſionis ſuæ vim in habituali diſpenſatione conſtituit, quam noſtra intulit coniectura, & ab aliis (vt dixi) forſitan reiicienda. Quemadmodum P. Ouiedus in approbatione Scripti cuiuſdam P. Franciſci de Connexas, circa caſum præſentem euulgati, de ſimili coniecturâ cenſuit. Cùm enim præmiſiſſet poſſe aliquando licitum eſſe vſum opinionis probabilis in materia Sacramentorum, quia tunc Eccleſia defectum ſupplet, ſi illa vera non ſit, ita ſubdit: *En la legitimacion del Miniſtro es materia mucho mas eſcrupuloſa; y cumque alguno dira que en eſta materia es lo miſmo,* (Ordinis ſcilicet) *por poder el Pontifice diſpenſar paraque vn Obiſpo ſolo validè conſagre, aſi ſe hade preſumir ſuple el defecto de los dos quando con probabilidad ſe hace la conſagracion ab vno: eſto duraſe ſolo con vna prudente congetura muy incierta.* Sic iſte.

90 Et vrgeo. Nam ſi ad diſpenſationem pro defendendo valore eſt recurrendum, rogo quando id faciendum, an ſemper, an aliquando tantum? Semper quidem non videtur admitti poſſe: nam multoties poſſet eſſe valde exorbitans conſecratio, & inconuenientibus grauiſſimis plena; ſi

videlicet

Digitized by Google

videlicet quis neque à Patrono præſentatus, neque electus; aut confirmatus, & plures patiens Canonicos defectus ſe faceret conſecrari. Vbi & dici iuxta moralia principia debet diſpenſationem eſſe nullam, quia eſt in lege Superioris, Chriſti ſcilicet, ſine iuſta aut rationabili cauſſa. Quòd autem aliquando, non eſt veroſimile, quia à Pontificibus non ſunt deſignatæ circumſtantiæ, in quibus id poſſit contingere, & valde diuerſæ illæ eſſe poſſunt, vnde in caſuum contingentia magna confuſio ſequeretur. Cumque ſtante valore, remaneant aliæ pœnæ, quas Conſecratus incurrit, vt in caſu noſtro videre licet, neque tunc rationes conuenientes diſpenſationis occurrant, vnde & dubitari de illius valore poterit. Sicut enim non eſt cauſſa ſufficiens ad diſpenſandum in eiſdem caſibus, vt conſecratio non ſolùm valida ſit, ſed etiam quoad vſum illius: cùm tamen, ſi validus non ſit, grauia inconuenientia ſequantur, incurſu cenſurarum, irregularitatum, & periculorum quamplurium animarum ex non legitima adminiſtratione Sacramentorum: ita conſequenter de conſecrationis valore dicendum, in quo omnia præfata admiſcentur incommoda, & maiora fortè alia, vnde iuxta mentem Eccleſiæ idem conſequenter faciendum, ſi valor à diſpenſatione illius dependeret. Non ergo dependet, iuxta praxim, quam amplectitur, grauium Scriptorum auctoritate firmatam, qui videri apud Dianam poſſunt *Reſolut.* 47. *citata*, quorum & ſententiam ille probabiliorem arbitratur.

Circa vulgare ſcriptum poſt Breue editum commodæ Animaduerſiones.

91 Scripti huius memini *num.* 85. in quo illius auctor tria vt digna notatione proponit. *Primum*, ſacram Congregationem ſine plena notitia facti pronuntiaſſe. *Secundum*, iis inſpectis, quæ poſt Decretum ad Romanam ſunt Curiam allata, & anteà afferri commodè non potuerunt, aliter forſitan decernendum, & declarandum Cenſuras Epiſcopum neutiquam incurriſſe. *Tertium*, omnia Sacramenta ab Epiſcopo adminiſtrata, quæ characterem Epiſcopalem requirunt, vt Ordo, & Confirmatio, fuiſſe valida, & conſequenter omnia adminiſtrata à Sacerdotibus ab eodem ordinatis, etiamſi ille cenſuris ligatus fuerit, immò & irregularis, iuxta communem Doctorum ſententiam, ex quibus D. Thomas, Diana, & Barboſa, & nonnulli pro eodem Textus ex Decreto proferuntur. Ad quæ breuiter dico,

92 *Primum* non eſſe Apoſtolico Breui conforme, ex quo conſtat pro parte Epiſcoporum dictorum fuiſſe Congregationi expoſitum ſtatum cauſſæ, de quo agimus: vnde manifeſtum apparet eos nudè veritatem enarraſſe; aliàs eorum conſcientiæ per reſoluta in Congregatione minimè tutæ remanerent. Idem conſtat ex humili ſupplicatione eorumdem coràm ſua Sanctitate, *Vt eorum ſtatui opportunè in præmiſſis prouidere de benignitate Apoſtolica dignaretur.* Status ergo ab eiſdem propoſitus & expoſitus. Ex quo ſequitur neque *Secundum* veritati conſonare: quia quidquid de nonnullis accidentibus fuerit, ſubſtantia ipſa negotij non potuit legitimè variari. Conſecrationem præterea ſine Litteris Apoſtolicis peractam nullo modo negari potuit, quidquid de ſuſcepta adminiſtratione fuerit: in quo id, quod dicitur, credent fortaſſè longinqui; ſed qui viciniores, ſciunt quid actum, ſciunt & complures alij, & acta ipſa iudicialia reſque ipſa clamant: qui enim ritè & rectè ſe conſecratum contendebat, quocirca adminiſtrationem, quæ quid eſt conſequens, vt vidimus *num.* 74. nouo ſcrupulo pungeretur? Vnde & decantatum illud Brocardi exemplum, de quo Gloſſa in Extrauag. *Iniunctæ.* verſ. *Subſiſtat*: qui ſine confirmatione adminiſtrationem ſuſcepit. Non ergo æmulatio damnabilis, ſed quæ meliora amplexatur chariſmata, circa geſta fuit talia concitata.

93 Et quidem licet ſacræ Congregationi ante illius Decretum non fuerint pleniora illa ſcripta præſentata, potuerunt ſanè poſteà præſentari, cùm allata dicantur ante expeditionem Breuis, in quo potuit per notitiam pleniorem habitam (duorum annorum, & ſex menſium interiecto ſpatio, vt ex tenore ipſius conſtat) id, quod minùs exactè proceſſerat, reformari. Cùm ergo Breue ita impetratum fuerit, vt nihil in eo à Decreto Congregationis diuerſum habeatur, non obſcurum indicium eſt parùm veridicæ narrationis, aut minimè probabilis coniecturæ de variatione Decreti, Cenſuris improbatis. Neque Allegatio quædam Iuriſconſulti Curialis adeò irrefragabilis fuit, vt clamatur, quam conſtat in Romana Curia nihil ad euitandas Cēſuras, aut earum potiùs declarationem, roboris habuiſſe. Valorem autem conſecrationis nullus ex iis, qui æmuli dicuntur, omnino negauit, ſed dubium fuiſſe contenderunt, ſtantibus contra illum valde probabilibus fundamentis. Quòd ſi poſt Allegationem dictam tacuerunt, à doctis quibuſdam comprobatam, id non, quia eorum ſunt oppreſſi iudicio, factum ab eiſdem, ſed honeſtâ aliâ ratione: nuſquàm enim coràm Pontifice, etſi grauiter læſi, cauſſam proſecuti. Et cùm in Regia Curia executioni Breuis ſe poſſunt opponere, abſtinuerunt penitus, Deo exitum committentes: qui vtinam felix fauſtuſque ſit, ad ipſius gloriam, triumphum agente veritate.

94 Iam quod ad *Tertium* attinet de rata Ordinatione libenter amplectimur, pro quo pleniſſimè P. Suarez *Tomo* 5. *Diſput.* 11. *Sect.* 2. Videndus item P. Bauny *Tomo* 2. *Tract.* 1. *Quæſt.* 9. *Dicto* 6. §. *de iudice abſoluente.* Sed illud certè in ſenſu ab Auctoribus aſſerto; quando ſcilicet in Epiſcopi conſecratione nihil fuit, vnde poſſit de valore ipſius dubium reſultare. Et in eo etiam caſu, licet acta ab Ordinatis Sacerdotibus circa Sacramenta, ad quæ ſolus Sacerdotalis character ſufficit, valida ſint, vt conſecratio Euchariſtiæ, Extremæ vnctionis collatio, abſolutio in articulo mortis, pro quo videri citati poſſunt *Sectione & Quæſtione* indicatis. Poſterior item *Quæſt.* 8. *Dicto* 2. quamuis circa Extremam vnctionem non deſit qui neget deficiente bona fide ex parte recipientis, pro quo P. Suarez *num.* 3. Non ita in aliis; vt generaliter & pro certo aſſeritur; quia cùm priuati officio ſint, vt iam dictum, per Extrauag. *Iniunctæ*, iuriſdictionem exercere nequeunt: quòd ſi contra ab eis tentatum fuerit quid-

quidquid actum fuerit, irritum habeatur: quæ ſunt verba Pontificis. Vnde Confeſſarij ab eiſdem approbati iuriſdictione pro foro conſcientiæ carent, & conſequenter Parochi aſſiſtere celebrationi Matrimonij nequeunt, cùm verè Parochi non ſint, & ita illud validum eſſe non poteſt.

95 Vbi dici nequit errorem eſſe communem, & titulum coloratum: quia reuera error communis non fuit, reclamantibus quamplurimis, & defectum allegantibus, quem tandem aliquando Sedes Apoſtolica vti inexcuſabilem Orbi vniuerſo propalauit. Quo vitio Ordinati ab eodem, aut conſtituti Parochi laborarunt. Communi autem errore non extante, nihil coloratus titulus prodeſt, qui & penitus defuit: debuit enim à legitimo Superiore conferri, vt eſt communis ſententia Doctorum, pro qua & communi errore videri poteſt P. Thomas Sancius *Lib.* 3. *de Matrimonio Diſputat.* 22. & Bonacina *Tomo* 1. *quæſt.* 2. *de Matrimonio Puncto* 8. *num.* 25. Non fuit autem legitimus Superior Epiſcopus ab officio ſuſpenſus, & repulſus propter præpoſterum ingreſſum: qui neque titulum coloratum habuit, quem ſufficere in Superiore aſſerit Bonacina: quia & hic conferri ab aliquo debuit; quod tamen non ita accidit: ſi enim ab aliquo, maximè à Pontifice: quod dici nequit, quia Pontifex per Litteras confert, quæ penitus defuerunt, vnde & intruſus, & violentus detentor aſſeritur in Bulla Pauli Tertij ſine illis ingrediens: talibus autem non ſuffragari communem errorem obſeruat Flamminius *de Reſignat. Lib.* 11. *Quæſt.* 1. *n.* 11. *Vt notant omnes Doctores*, quæ ſunt illius verba. Pro quo & P. Comitolus *Lib.* 6. *Quæſt* 58. præſertim *numer.* 4. *&* 5. Vbi Syluestrum adducit, Panormitanum, & Alexandrum Hallenſem.

96 Quòd ſi alicubi defectus erat prorſus ignotus, & ſic Ordinati approbationem, aut inſtitutionem Canonicam ab alio Epiſcopo habuerunt, probabile videtur acta fuiſſe valida. Sic enim eis fauet grauium Scriptorum ſententia, quos adducit & ſequitur P. Thomas Sancius citata *Diſput.* 22. *num.* 9. *&* 13. Bonacina *num.* 31. & P. Suarez *Tomo* 5. *Diſput.* 13. *Sect.* 1. *num.* 16. & Recentiores communiter amplectuntur. Immò & errorem communem ſine titulo ſufficere ſunt qui teneant, vt videri poteſt apud Dianam *Parte* 2. *Tract.* 2. *Miſcellaneor Reſolut.* 43. *& Parte* 3. *Tractatu* 4. *Reſolut.* 122. ex quibus & Leander *Tomo* 1. *Tract.* 5. *Diſput.* 5. *Quæſt* 81. *& Diſput.* 11. *Quæſt.* 102. alios adducens. Et videtur non diſplicere P. Buſembaum in Medulla Theol. moralis *Lib.* 6. *Tract.* 4. *de Pœnitentia Cap.* 2. *Dub.* 3. *numer.* 8.

97 Si dicas ſententiam eſſe P. Suarij *ſuprà Diſput.* 40. *Sect.* 2. *num.* 45. *&* 43. quam ſecuti ſunt alij, vt videri poteſt apud Dianam *Parte* 4. *Tractat.* 2. *Reſolut.* 68. irregularem & ſuſpenſum validè abſoluere, ſi Pœnitens bonâ fide accedat. Reſpondeo id in caſu præſenti locum non habere; non ſolùm quia contrarium abſolutè ſentiunt plures apud Dianam, quibus addendus P. Comitolus *Quæſt.* 9. *citata*, vbi alios adducit, & P. Bauny cum aliis, quos citat, *Quæſt.* 9. *etiam citata, Dicto* 8. §. *Sacerdos quem.* & Dicto vltimo. §. *Quidquod.* Sed quia illud procedit, quando habens aliàs iuriſdictionem, priuatur ipſâ: tunc enim cùm tantùm priuetur vſu, iuriſdictio remanet in eodem radicata; eò quòd in ordine ad valorem actûs non inueniatur per Eccleſiæ Canones abrogata. In caſu autem noſtro ſecus euenit, nam iuriſdictionis acquiſitio penitus remouetur. Et ita cenſuit Congregatio D D. Cardinalium apprehenſionem poſſeſſionis fuiſſe illegitimam, & conſecrationem quoad vſum irritam & inanem. Vnde neque allegari poteſt ſuſpenſionem non obſtitiſſe, eo quòd ſuſpenſus eſſet toleratus, cùm non eſſet publicè denuntiatus, iuxta Extrauag. Martini V. *Ad euitanda*: quia ſuſpenſio dicta eſt per modum repulſæ ab ingreſſu in officium, vnde & ille cum tumultuariâ & non pacifica poſſeſſione, irritus & vanus fuit, volente expreſsè Pontifice vt nullum habeat effectum, quod ex verbis Extrauagantis eſt compertum & etiam Iulij Tertij, quia ab intruſo, & violento detentore, vt iam vidimus aſſertum ab ipſo. *num. præced.* Et circa ſic ingreſſos Extrauagantem Martini V. non procedere, videri poteſt apud P. Comitolum *ſuprà num.* 12. videndus etiam P. Suarez *Diſput.* 31. *Sect.* 1. *num.* 23. Conſtat item ex diſpenſatione ſuper irregularitate à Pontifice conceſſâ, quæ neceſſaria non eſſet, quia non denuntiati celebrantes illam non contrahunt, cùm rogati id faciunt: vt videri poteſt apud P. Gaſparem Hurtadum *de Suſpenſione*, *Difficult.* 5. *num.* 13. Et P. Bauny *Tract.* 8. *in Epitome Cap.* 5. *in fin.* etiamſi grauiter peccent: immò etiamſi ſe ingerant, vt vterque ſignificat: ille *numer.* 14. & hic eum adducens §. *Quod in eo*, quando ita exercentur actus, vt conditionem importent, ſi à Fidelibus acceptentur. Non conſtabat autem aliter factum ab eo, aut ab eis, cum quibus eſt diſpenſatum.

98 Accedit id, quod valdè notandum eſt, & negotium iſtud videtur penitus conficere: tunc ſcilicet ſuſpenſionem valori actus obſtare non poſſe, quando ſuſpenſione ſublatâ validus eſſe poſſet, ſi enim aliàs actus eſſet inualidus, & ſtante ſuſpenſione validus euaderet, beneficium quis ex ſua iniquitate reportaret; & melioris, ſuccedente Cenſurâ, conditionis redderetur. Quod quidem Doctores plures Iuramento tribuunt ob reuerentiam diuini nominis, cùm tamen negent plurimi. Iam ergo in caſu noſtro loquendo, etiam ſuſpenſione ſublatâ ingreſſus eſt nullus, Litteris non exhibitis; quia contra manifeſtam Pontificum voluntatem, & ideò acta annullantur, ac negantur prouentus, vt vidimus, vbi neque error communis, neque coloratus titulus, vt eſt oſtenſum, poſſunt ſuffragari.

99 Secus poſſet aliquis exiſtimare de ingreſſu Litteris exhibitis, ſed non præſtito fidelitatis & obedientiæ iuramento, quòd ſcilicet ingreſſus validus ſit, ſed pœna ſuſpenſionis incurratur, ſi poſt illum non præſtetur. Id quod fundari poteſt ex eo quòd recipientibus ſic ingredientes nulla pœna imponitur: illud enim quod in fine habetur, *vt de alijs prædicitur*, non ad recipientes, ſed ad Prælatos eſt ipſos, iuxta Gloſſam, referendum. Et poteſt eſſe caſus non rarò occurrens, quoties ſcilicet Epiſcopus ante conſecrationem præſentatis Litteris adminiſtrationem ſuſcipit; tunc enim iuramentum non præſtat, ſed in conſecratione, iuxta exemplar Cap. *Ego N.* de Iureiurando,

ſurando, vel quam voluerint Pontifices formam aſſignare, vt reuerà aſſignarunt: pro quo videri poteſt Andreas du Sauſſay *in Panopliâ Epiſcopali, Lib. 2. in fine.* Tunc ergo ſi non præſtetur iuramentum, ſuſpenſio incurritur *in citatâ Extrauag.* deſignata: quâ non obſtante videtur licere communicatio, quia non eſt Epiſcopus denuntiatus. Quod quidem veroſimile apparebit fortè nonnullis: ſed cùm in Extrauagante annullentur acta ſic ingreſſi, ſicut & ingreſſi ſine Litteris Apoſtolicis, difficultas videtur perſtare, de quâ nuper ex hoc pacto diſpoſitio ferè eſſet inutilis, cùm non ſit, præſertim in locis valdè diſtantibus, & in Indiis maximè, qui denuntiare Epiſcopum poſſit, & ſic acta ſemper eſſent valida. Id quod pro caſu etiam, de quo ſpecialiter agimus, non parum videtur habere momenti.

100 Vbi id profectò dici poteſt Extrauagantem prædictam priorem eſſe aliâ Martini V. *Ad euitanda*, ſciebat autem Pontifex Epiſcopos non denuntiandos communiter loquendo: ergo licet acta ab ipſis aliàs eſſent nulla, ex vi fauorabilis illius Conſtitutionis valida debent reputari. Sed certè euaſio iſta ex eo præcluditur, quia aliàs Decretum S. Congregationis minimè eſſet Iuri conforme ac rationi, dum inutilis, vanus, & irritus pronuntiatur ingreſſus, cùm conſtaret ipſi Epiſcopum denuntiatum non fuiſſe. Sicut & in caſu non præſtiti iuramenti dicendum, quia eodem modo conſtitutio diſponit. Illius ergo vis non eſt per poſteriorem aliam labefactata, quia tantùm procedit in caſu ei ſimili, aut quodammodo eodem, de quo *numer.* 97. quando ſcilicet ſuperuenit ſuſpenſio habenti poteſtatem ad actum cum pacificâ poſſeſſione, & ſine notorio vitio intruſionis. Pro quo & Diana *Parte* 5. *Tractatu* 10. *Reſolut.* 52. cum Victoria, Caietano, ac Ludouico à Cruce, de abſolutione à ſuſpenſo impenſâ loquentibus; quamuis ſint qui negent *ibidem.* Videatur P. Comitolus *ſuprà numer.* 12. vbi obſeruat Extrauagantem dictam de ingreſſis per intruſionem non procedere. Videndus etiam P. Bauny *Tomo 4. ſeu Praxi Beneficiorum, Diſputat.* 1. *Quæſt.* 7. §. *Regula* 5. *& ſeqq.* vbi ait quod licet cùm dicitur, *Ipſo iure, aut ipſo facto, vacat officium aut Beneficium*, non excludatur ſententia ſaltem declaratoria criminis, vnde nec inducitur priuatio iuriſdictionis, ex P. Leſſio, & alijs. Id tamen non habere locum, cùm verus poſſeſſor non eſt ex defectu qualitatis requiſitæ. Quod quidem in caſu noſtro contingit, in quo priuatio iure & facto iniungitur à Iulio III. & qualitas ad ingreſſum omnino neceſſaria deſideratur, ſcilicet exhibitio Litterarum. Pro quo P. Theſaurus *de pœnis Eccleſiaſt. Parte 2. V. Fidei profeſſio.* verſ. *Ex hoc*, cum Nauarro *in Manual. Cap.* 25. *num.* 118. Licèt ſint qui dicant ſententiam declaratoriam requiri ad amiſſionem fructuum, pro quo Boſſius *Parte 1. Tractatu de Matrimon. Cap. 5. numer.* 93.

101 Licèt autem in caſu non præſtiti iuramenti poteſtas ad actum ſupponatur, iuxta contingentiam dictam de poſſeſſione legitima ante conſecrationem; id non videtur obſtare, quia Pontifex eodem modo vult diſpoſitionem illam procedere, vt ex verbis illius conſtat, dum concludit; *vt de alijs prædicitur*: licèt hoc non ita certum videatur, & poſſit aliquo modo ſuſtineri, dum Sacra Congregatio aliud non decernit, vt credi quidem poteſt decreturam, quia hoc eſt Decretis aliis eiuſdem conforme: vnde in hac materiâ ſemper eſt cum omni ſecuritate poſſibili procedendum, ne ſimiles tragædiæ videantur. Et verò per litteras ex Europâ miſſas compertum habetur Pontificem in concedenda abſolutione ac diſpenſatione prædictis valde ſe difficilem exhibuiſſe. Quid ergo faciet ſic inter anguſtias deprehenſus? & quale erit dignitatis dedecus, ab ea ingreſſum non per oſtium, ſed ſtellionis more per maceriam reptando, decidiſſe? Aut ingreſſum canonicè ob adminiſtrationem præpoſteram, vel damnabilem ſacrorum vſum, quaſi manibus & pedibus ligatum à luce ac ſplendore Pontificię Sedis in exteriores tenebras, in ſtatum inquam obſcurum ac contemptibilem amandari?

102 Ideò obſeruanda eſt valde doctrinâ quædam apud P. Thomam Sancium *in Opere Morali, Libr.* 1. *Cap.* 10. *num.* 61. vbi ait ob dubiam excommunicationem impediri aliquem ne in Epiſcopatum aut dignitatem promoueatur, à quibus turpe ſit aliquando eum deturbari, comperta Cenſuræ veritate, aut ſaltem ob dubium illud nota aliqua inureretur Dignitati. Quod docet Gloſſa in Cap. 1. *Sententia* 8. *quæſt.* 1. & probat ex Cap. *Tantis* 81. *diſt.* & Cap. *Omnipotens*, *de accuſation.* & cauetur ita, non tam gratia excommunicationis dubiæ obſeruandæ, quàm reuerentiæ gratia, debitæ Dignitati. Et conſtat, quia idem fieret in dubio alicuius criminis nullâ affecti Cenſurâ. Sic ille philoſophatur, ex quo & P. Palaus *Parte 6. Diſput.* 1. *Puncto* 8. *num.* 9. addens quòd ſi periculum ceſſet, quia moraliter loquendo Cenſura cognoſci non poteſt, dubium huiuſmodi nullum præſtabit impedimentum Eccleſiaſticæ dignitati accipiendæ. Id autem quod de excommunicatione dicitur, ad ſuſpenſionem extendendum conſtat identitate rationis, quia ob illam poteſt Prælatus Eccleſiaſticus à ſuâ dignitate deturbari, cui & notam inuri eſt pariter manifeſtũ. *Sacro nomini abſit iniuria.* Sic in citato Cap. *Tantis.* D. Cœleſtinus Pontifex ex *Epiſt.* 2. ad Epiſcopos Galliæ. Pro quibus hæc ſatis.

Circa Caput VI. & §. I.

De obligatione viſitandi Epiſcopos perurgente.

103. FAcit pro illa id, quod habet Pater Petrus Hurtadus 2. 2. *Diſputat.* 162. *de Charitate.* §. 60. vbi poſt declaratam ipſam in Parochis & Prælatis aliis, & etiam in Concionatoribus in ordine ad correctionem, ita ſcribit: *Hinc conijciant vtrùm ſuo muneri ſatisfaciant, qui totâ Diæceſi & Republicâ incendio peccatorum deflagrante, pacatè domi ſuæ dormiunt, qui ſui officij legibus tenentur omnes angulos conſpicere, ne quod peccatum lateat in tenebrarum latebris.* Sic ille.

Circa §. *Tertium.*

Ubi de congrua Epiſcoporum.

104 AGit de illâ P. Bardi *in Selectis, Lib.* 3. *Quæſt.* 10. *Sect.* 4. *&* 6. *& in* 5. probat non peccare contra iuſtitiam profanè expendens. In 4. autem *num.* 3. *&* 4. validè improbat ſententiam Lorcæ 2. 2. *Diſputat.*40. *num.*44. vbi contendit Decretum Concil. Tridentini largitiones Epiſcopis prohibentis non pias, de immobilibus tantùm bonis accipiendum, & de iuribus ad annos redditus. Quæ intelligentia omnino eſt à mente Patrum Conciliarium aliena. Pro largitionibus enim talibus non erat opus nouum Decretum efformari, quandoquidem Epiſcopi ſuo libitu nequeant bona immobilia, inter quæ etiam iura ad annuos redditus computantur, ſed iuxta Canonici iuris diſpoſitiones vrgentiſſimas alienare. Vnde neque ex illis licet moderatas cognatis facere donationes, quas tamen Concilium ibidem admittit. Videndus etiam Diana *Parte* 10. *Tract.* 11. *Reſolut.* 35. vbi contra Lorcam etiam dimicat Duuallij armis. Qui *&* *Reſol.* 36. cum eodem & aliis firmat pauperes loci eſſe præferendos, & quid circa filios ſpurios. Circa primum autem iuuat ex P. Ioanne Rho in variâ virtutum hiſtoriâ *Lib.* 1 *Cap.* 12. §. 4. luculentum exemplum poſuiſſe; ſic enim ille. *Ibiſſam inſulam ab Otomannicæ claſsis arte impoſita, vt muniret Carolus Cæſar, pecuniam vnde vnde corradebat. Ergo à Villa-noua, cuius proximum & opulentiſſimum eſſet Sacerdotium, XX. mil. mutua petit. Negat vir Dei pauperum ſuorum redditus paſſurum ſe in bellicos vſus conuerti, monentibus conſuli deſertiſsimis Inſulanis, Valentinos pauperes à Deo ſibi commendatos, non Ibiſſanos eſſe, reſpondit*, & alia lectu digniſſima. Videri etiam pro Epiſcoporum obligatione poteſt Verricelli *Tom.* 1. *n.*83. vbi ait illos teneri ſaltem ad medietatem reſidui, & ceteros ad ſextam, cum aliis citatis *n.* 48. & pro Religioſis Paſqualigus *Deciſ.* 267. vbi probat omnino à voto paupertatis abſolui, ſicut & ab aliis etiam ſolemnibus, de quibus *proximis Capitibus*.

AD TITVLVM XIV.

Circa Caput I. num.4. & ſeqq.

Ubi an Parochi eſſe Vicarij Generales poſſint.

105 QVæ à nobis circa hoc dicta, ſi reſidere nequeant, tenent Paſqualigus *Deciſ.* 463. nullâ additâ limitatione, niſi duorum menſium vacationis.

Circa Caput V. & num. 20.

Ubi de obligatione fraternę correctionis

NOn eſſe illam in delictis publicis, videri apud Dianam poteſt *Part.* 7. *Tract.* 3. *Reſol.* 42. & propter illius defectum non poſſe denuntiationem repelli *Reſolut.* 58.

Circa num. 29.

Ubi de ludo Eccleſiaſticorum.

NOtanda Bulla Pij V. contra clericos & Religioſos ludorum lethalium ſpectatores, ſub excommunicatione, de quâ Diana *Parte* 7. *Tract.* 9. *Reſol.* 40.

Circa num. 30. & 31.

Ubi de exponente in ludo totam ſummam, quam eſt lucratus.

DIana *ſuprà, Reſolut.* 7. P. Thomam Sancium, Cardinalem Lugo, ac P. Dicaſtillum ſequitur. Sed ſi alio die? Vide ibidem & comperies eſſe probabile cum citatis, negare P. Dicaſtillo, ſed non probabilitatem.

Circa num. 33.

Ubi de poteſtate Vicarij Generalis, de quo & *Titulo* 12. *num.* 315.

DE hoc Diana *Parte* 10. *Tractat.* 15. *Reſol.* 31. vbi pro delegatâ plures Auctores adducit, ſed prò Ordinariâ multò plures.

AD TITVLVM XV.

Circa Caput I.

Ubi an Parochi eſſe Viſitatores poſſint.

QVod negat Paſqualigus *Deciſ.* 463. ſi reſidendum illis ſit.

Circa num. 8. & ſequentes.

Ubi de Viſitatorum obligatione circa munera, & eorum reſtitutionem.

106 PAter Tamburinus in Decalogum *lib.* 9. *cap.* 2. §. 1. *n.* 11. *&* 12. ait Viſitatores præ aliis iudicibus teneri, & diſpoſita circa alios, in vi iuris naturalis relicta: vnde accepta ab illis ante prolationem ſententiæ, reſtituenda; ſecus finitâ cauſſâ. Si tamen iudex agnoſcat ſe non eſſe in proximo periculo, quia de ſuâ conſtantiâ eſt probabiliter certus, non tenebitur. Et leges prohibentes non obligare in conſcientiâ. Sic *n.* 6. *&* 7. quia tamén Concil. Tridentin. citat Cap. *Romana*, in quo eſt verbum *Præſumat*, temperatur, & ad exigua non extenditur, ſiue eſculenta, ſiue alia. Sic philoſophatur ille, iuxta cuius mentem accipiendum, & probabiliter quidem. Et quod abſolutio à ſuſpenſione impendi poſſit virtute Bullæ Cruciatę, videri poteſt apud Leandrum *Parte* 4. *Tractat.* 4. *Diſput.* 4. *Quæſt.* 3 *in fine. & Quæſt.* 4. *etiam in fine*, iunctis iis, quæ habet *Diſput.* 5. *Quæſt.* 1. *&* 5.

Circa

Digitized by Google

Circa num. vltimum.

Ubi de obligatione Beneficiarij ad ornatum Eccleſiæ.

TEneri ad illud, ſi Eccleſia indigeat, probat & benè equidem, Pater Bardi *in Selectis Lib.3. Quæſt.*10.*num.*4. vbi quòd & Eccleſia venit nomine pauperum. Et eſt ſanè titulus ille non maior.

AD TITVLVM XVI.

Circa Caput I. & *§. II.*

Ubi de obligatione Parochi ad dicendam Miſſam, & applicandam pro Paræcianis.

NEgat illam Pater Tamburinus *Opuſculo de Sacrificio Miſſæ, Libr.* 1. *Cap.* 6. §. 2. *numer.* 2. quando in Paræcianis non eſt obligatio audiendi illam. Et quantùm ad applicationem *Lib.*2. §.16. *num.*4. Quæ ſententia Parochis quidem eſt fauorabilis, humano more loquendo: ſed certè fauor talis cum multorum eſt certiſſimo detrimento, cùm ſint altiſſimi ſacrificij fructu multiplici defraudandi. Leander *Tomo* 2. *Tractat.* 8. *Diſputat.* 5. *Quæſtio* 5. ait omnes Doctores obligationem agnoſcere, licèt circa numerum non conueniant: ipſe in Feſtis ſolemnioribus.

Ibidèm circa num. 7.

Ubi de ſtipendio pro Miſſis obligationis.

107 POſſe illud accipere Parochum quando eſt ad Miſſam dicendam obligatus, ſed non ad applicationem, iuxta dicta *hoc loco*, tenet P. Tamburinus, quod eſt generale pro aliis, & cùm obligatio applicationis non oritur ex ſtipendio, pro quo Leander *ſuprà, Quæſt.* 14. *&* 15. ſtipendij autem nomine veniunt ſalarium, redditus Capellaniæ, &c. ſed ex oppoſito inſurgit Boſſius *Parte* 1. *Titulo* 1. *num.* 401. *& ſeqq.* Immò qui ſtipendium pro dicendâ Miſsâ accepit, ſed ſine obligatione applicationis, poſſe aliud ſtipendium accipere: ſicut è conuerſo, qui accepit pro applicatione, ſed ſine loci obligatione, de quo *Libr.*3. *Cap.* 1. §. 3. *numer.*14. *& ſeqq.* Quæ ſententia erit probabiliſſima omnibus Pitantiariis, & vtinam non etiam pluribus aliis: ſed iuxta illam (ſi conſequenter loquendum) non ſolùm duplex ſtipendium, ſed & triplex licebit accipere: ſi quis adſtrictus ſit tantùm loco, ſed non tempori, cuius eſt ratio eadem. Quin etiam & quartum, ſi circa modum celebrationis aliquid exigatur. Atqui hæc non admittentur: modus ergo eſt circa prius illud ſtatuendus, vt ſit modus in rebus maximè ſacris, in quibus

auaritia eſt execrabilis. Pro quo videri poteſt P. Bardi *in ſelectis, Lib.*10. *Quæſt.*12. *n.*9. & P. Fragoſus *Tom.*2. *Pag.*165. *Col.*2.

Ibidèm circa ſtipendium pro applicatione fructus reſpondentis celebranti, & de aliis circa Appendicem.

108 SEntentiam id admitterem, quam & tenet ac latè probat Leander *ſuprà, qu.* 10. eſſe probabilem affirmat Lezana *Tomo* 4. *verb. Opinio, numer.* 10. ſicut & aliàs de duplici ſtipendio. Et Vericelli *Tomo* 1. *Tract.* 29. *num.* 5. P. Tamburinus *ſuprà num.* 71. Sed tamen poſt ſcripta à me circa ipſam, & quod euenit augurante, à Sede eſt Apoſtolicâ proſcripta, & Decreto SS. D. Alexandri VII. *Die* 29. *Ianuarij* 1659. reprobata. Contra quam etiã, ſecluſo Decreto Vrbani VIII. ſtat P. Bardi *ſuprà*; & iteri dàmnauerat P. Perſicus *de officio Sacerdotis Lib.* 2. *Dub.* 9. *num.* 102. Quem & alios adducit Diana *Parte* 6. *Tract.*6.*Reſolut.* 8. contra Marchinum. Qui & videndus cõtra eumdem *Reſolut. ſequenti*, circa duplicem fructum, impetrationis ſcilicet & ſatisfactionis. Non ita abſurda illa, iuxta quam P. Tamburinus *ſuprà num.* 53. *& ſequentibus* aſſerit pro vna Miſſa poſſe plura ſtipendia exigua recipi, quæ vnum iuſtum ſtipendium non excedant. Negat id ſacra Congregatio verbis, quæ ſatis videntur manifeſta, dum ſic habet: *Plura ſtipendia, quantumcumque incongrua & exigua, ſiue ab vna, ſiue à pluribus perſonis collata &c.* Quid ad hæc? Habere id locum dicitur, cùm ita promiſſum, non verò quando ſine promiſſione accepta fuerunt ſtipendia. Quod quidem in Decreto videtur innui, dum ita dicitur poſt adducta: *Vt abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ, præſcriptæ fuerint.* Sic ibi. Et hæc mihi pro ſaluanda ſententia prædicta vt veroſimilis explicatio ſuccurrit, quam poſt hæc ſcripta inueni eſſe Peyrini apud Leandrum *ſuprà Quæſt.* 5. Licet plus aliquid in eadem habeatur: quòd ſcilicet neque promiſſio obſtet, quam neceſſitas potuit extorquere: licet in eo, qui ſtipendium ita non accepit promiſſio non inducat obligationem ſub mortali; immò & accepto, ob paruitatem materiæ, niſi illud fuerit copioſum. Pro quo & Diana *Parte* 10. *Tract.*15. *Reſolut.* 43.

109 Si dicas non videri veroſimile iuſto ſtipendio obligationem laboris vrgere. Dici ad id conuenienter poteſt Pontificem ſic poſſe ſtatuere ad turpis lucri occaſionem in re omnium diuiniſſimâ remouendum. Et qui ita promiſit, ſibi imputet promittenti, & audaciæ, quâ ſine ſufficienti eſt titulo ad ſuſtentationem ordinatus. Videndus Diana à me viſus poſt hæc ſcripta, aut reuiſus potiùs dum viſus exciderat, contra P. Tamburinum depugnans *Parte* etiam 10. *Tractat.* 16. *Reſolut.*71. Et nonnulla addens ex Cardinali Lugo. Quod verò idem Auctor proponit §. 5. *n.*6. neque improbat, poſſe ſcilicet quempiam, retentâ parte ſtipendij, reliquum alteri tribuere vt Miſſam dicat, admittendum non eſt, ſtante Congregationis apertiſſimâ deciſione, quam ſub mor-

Digitized by Google

tali obligare contra Bordonum probat Diana *ſuprà Reſolut.* 69. *& Parte* 8. *Tract.* 7. *Reſolut.* 75. De quo & *Parte* 6. *Tract.* 8. *Reſolut.* 10.

110 Et Decreta præfata, Vrbani VIII. auctoritate ſuffulta, omnino eſſe inconcuſſa affirmat Lezana *Tomo* 3. *verb.* Miſſa, *num.* 10. *&* 11. & ipſe P. Tamburinus §. 1. *num.* 6. qui tamen admittit. *num.* 12. quod nuper eſt dictum de parte ſtipendij, vbi recepta non ſunt. & *num.* 13. ſi in gratiam eius ſit datum ; ſecus ſi ob Sacrificij deuotionem. Et *numer.* 14. ſi accipiens dimidiatum, aliud remittat gratis : quod rariſſimè eueniet, vt cum aliis obſeruat Diana *Reſolut.* 68. *Tractatus* 16. *citati* §. *Verùm*, *licet* pergit ille, & *num.* 16. id ad Sacriſtam & Collectorem extendit. Vbi vt non improbabile idem ſtatuit de faciente, cùm procurator pro ea re ſit, vt Miſſæ alibi dicantur intra tempus deſignatum, in loco vbi minus ſtipendium reddi ſolitum. Quod & tradiderat P. Pellizarius *Tract.* 6. *Cap.* 3. *num.* 23. à Congregatione Indicis reprobatus, vt teſtatur Diana *ſuprà Reſolut.* 68. *citata.* Item §. 9. *num.* 4. tres menſes dilationis(quod & tradiderat Leander *Tomo* 2. *Tract.* 8. *Diſput.* 4. *Quæſt.* 18. & *in Expoſitione ſuæ Regulæ Parte* 5. *in fine Lit.* L. vbi & quatuor addit) vt modicum tempus admittit, vbi & Peyrinum refellit, qui circa Conſtitutionem 9. Vrbani VIII. ad 10. trium annorum ſpatium indulget. Cur non & per totam vitam, quæ eſſe breuior poteſt? Et quid ad hæc animæ in Purgatorio ſuffragium illud præſtolantes? Modicumne illæ tempus totius trieterdis iudicabunt? O quàm aliter ſentient ibi Doctores nonnulli, concedentes immodicas laxitates. Videatur P. Nicolaus Lancicius *Opuſculo* 16. *Cap.* 11. *Tomo* 1. Vbi ſtupenda occurrent.

111 Sed quid de eo, qui ſtipendium maius, iuxta opinionem aliquando vt probabilem receptam, accepit, tenebiturnè ad reſtitutionem, & qui dedit, vti poterit compenſatione? Affirmat Diana cum Auerſa *Par.* 8. *Tract.* 7. *Reſolut.* 75. Sed negat Bordonus apud eumdem : cuius ſententia, aliis rationibus relictis quas ille adducit, probari poteſt, quia ceſſat ratio prohibitionis Pontificiæ, ſcilicet quæſtûs amolitio, vt ex tenore Decreti conſtat. Operanti enim iuxta opinionem probabilem non poteſt nota turpis quæſtûs imputari. Pro quo facit P. Bardi in *Selectis Lib.* 1. *Quæſt.* 7. vbi probat acceptum ex probabili opinione, à contrahente ignoratâ, iuſtè retineri, neque eſſe locum compenſationi. Sed Auctor ipſe ibidem *Lib.* 10. *Quæſt.* 12. *n.* 10. de eo loquens, qui ratione applicationis fructûs reſpondentis ſibi diuerſum ſtipendium accepit, affirmat illud eſſe reſtituendum : & id quidem conſequenter : quod autem addit *num.* 13. eſt magis ſpeciale ; non ſcilicet ſuffragari bonam fidem, quia eſt contractus; *Do vt facias*, & inter contrahentes non ſuffragatur bona fides, vt omnes fatentur. Sed hoc non videtur quomodo potuerit in generali illa doctrina, quæ omnium dicitur eſſe, fundari, cùm talis reuera non eſſe videatur : affirmantibus grauiſſimis Scriptoribus acquiſitum ex contractu, qui reuera iniuſtus fuit ob exceſſum rei acceptæ, non inducere obligationem reſtitutionis, ſi ſit bona fide conſumptum, & accipiens non eſt factus locupletior. Pro quo videri poteſt P. Molina *Diſput.* 720 *numer.* 4. 5. *Dubium* P. Laymam *Lib.* 3. *Tract.* 2. *Cap.* 3. P. Hermannus in *Medulla Theol. mor. Lib.* 3. *Tract.* 5. *Cap.* 2. *Dub.* 6. *Artic.* 1. *n.* 3. Bonacina *Tomo* 2. *Diſput.* 1 *de Reſtitutione Quæſt.* 2. *Puncto* 1. *num* 16. qui alios citat. Iuxta hæc ergo ſecus dicendum in caſu, de quo loquitur citatus Auctor, vt ſit illud ſatis probabile, vtpote non leui ratione & auctoritate fundatum.

112 Si dicas ſequi ex hoc eum ; qui ſtipendium recipit, & ita inſumit, vt ex eo non fiat locupletior, poſſe Sacrum non facere, ſi bonâ fide exiſtimauit pro eo faciendo non dari, cùm tamen poſteà cum onere datum deprehendat. Reſpondeo *Primò* concedendo ſequelam, quia in eo videtur communis de bona fide doctrina ſuffragari. Reſpondeo *Secundò* diuerſam eſſe rationem, quia in eo reuerà fuit contractus, *Do vt facias*, & nihil refert quòd factus ſit aut non factus locupletior, cùm id non tollat obligationem faciendi vt verus contractus ſit. In caſu autem noſtro accipiens ſtipendium maius pro faciendo Sacro, illud reipſa facit, licet pro exceſſu bona fides ſuffragetur, quod ſtare cum vero contractu poteſt.

113 Si inſtes, ita factum fuiſſe contractum, vt dans ſtipendium ſolummodò voluerit iuſtum pretium laboris offerre, & quia exiſtimauit illud eſſe, quod dedit, propterea ab ipſo datum : exceſſus ergo inuoluntarius fuit reſpectu vnius Sacri. Cùm ergo ex illo recipere ſpiritualem fructum poſſit, ſic eius eſt interpretanda voluntas, vt contractum etiam velit ratione exceſſûs celebrare : & quidem *Do vt facias*. Eo ergo ſtante non poterit bona fides eum excuſare, qui eo pacto contractum fecit, ſicut non excuſat reſpectu expreſſi contractûs.

144 Reſpondeo dantem maius ſtipendium, quia exiſtimat eſſe legitimum, ratione exceſſus nolle diuerſum inire contractum, dum id non exprimit, neque etiam tacitè intendit : vnde ſi aliqua facienda eſſet reſtitutio, non applicatione alicuius ſpiritualis fructûs, ſed redditione exceſſûs dicti conſtare deberet, niſi id fieri non poſſet. Tunc enim Sacrum aliud faciendum, ſi exceſſus valorem integri ſtipendij attingeret, aut dimidiata illius applicatione. Cùm ergo voluntas noui contractus non fuerit, perinde ſe habet pecunia illa, acſi modo alio non concernente contractum, ad Sacerdotis manus deueniſſet, & ita eum iuuat bona fides. Præterquam quòd propoſitum in mente retentum nihil operatur. L. *Quidquid adſtringendæ de verbor. obligationib.* Quòd ſi facultas reſtituendi non ſit in caſibus, de quibus dictum, circa modum ſatisfaciendi per indulgentias, pia opera, & ſacrificij applicationem, iuxta ſententiam de infinito valore, conſulendus Lezana *ſuprà num.* 20. *&* 29. vbi ex Theodoro Statio ſuæ Religionis Generali illum proponit.

Ibidem circa num. 8.

Vbi de obligatione in Parocho audiendi Confeſſiones.

115 BOrdonus *Tomo* 1. *Conſiliorum Regular. Reſolut.* 34. *Quæſt.* 21. *num.* 60. tenet obligatum eſſe audire ſemel ſaltem in hebdomadâ

Digitized by Google

da volentem ex deuotione confiteri. Cuius ſententiam adducit Diana *Parte* 8. *Tract.* 7. *Reſolut.* 90. nec videtur improbare Leander *Tomo* 1. *Tractat.* 5. *Diſput.* 11. *Quæſt.* 119. debere ait quoties rationabiliter petitur.

Ibidem circa §. 3. num. 15.

Vbi de redditibus reſpondentibus Beneficiatorum miniſteriis.

VIdendus pro reſolutione noſtra Diana *Parte* 10. *Tractat.* 17. *Reſolut.* 47. vbi alios adducit.

Circa Caput III.

Vbi de cohabitatione feminarum, & occaſione proxima.

116 P. Tamburinus *Opuſculo* 1. quod eſt de Confeſſione *Lib.* 2. *Cap.* 3. §. 3. *n.* 9. circa occaſionem proximam doctrinam P. Laymani admittit & §. 5. in terminis caſus noſtri loquens ait non teneri infirmum ſeruitricem dimittere, ſi affectus abſit, & periculum. In quo nihil videtur ſpeciale dicere, & circa quod quæſtio eſſe poſſit. Ceſſante enim affectu & periculo, etiam ſanus retinere illam poteſt, iam enim proxima occaſio non eſt, quæ per ordinem ad effectum & periculum, quod in ipſo affectu eſt poſitum, talis æſtimatur. Sed quòd adhuc non ceſſante retineri poſſit, tenet cum aliis Leander *Tomo* 1. *Tract.* 5. *Diſput.* 7. *Quæſt.* 36. 39. & 42.

Circa Caput VIII. à num. 92. *vbi de Tabacho.*

117 P. Tamburinus *Opuſculo de Euchariſtia Cap.* 2. §. 6. *numer.* 18. ait illo per os aſſumpto, ſi deglutiatur, violari ieiunium pro recipienda Euchariſtia requiſitum. Et *num.* 23. id negat de ſumpto per nares, ſiue in folio, ſiue in puluere, ſiue in fumo. Contrarium tenet Lezana Verb. *Euchariſtia num.* 17. de quomodocumque ſumpto, quem adductis Marchantio, Auerſa, Machado, & P. Eſcobar, impugnat Diana *Parte* 8. *Tract.* 7. *Reſolut.* 3. Quem & ſequitur Paſqualigus *Deciſ.* 333. & 334. & Leander *Tomo* 2. *Tract.* 7. *Diſput.* 5. *Quæſt.* 10. & Boſſius *Tomo* 3. *Tit.* 22. *numer.* 16. & 17. Vide P. Quintanam *Tomo* 1. *Tract.* 3. *Singulari* 1. *in fine*, circa prohibitionem in Diœceſi Hiſpalenſi, de qua & Diana *Parte* 10 *Tract.* 16. *Reſol.* 23.

Circa Caput IX. & num. 107.

Vbi de obligatione circa Rubricas in Sacrificio Miſſæ.

118 P. Tamburinus *Lib.* 2. *de Sacrificio Miſſæ Cap.* 5. §. 3. *num.* 5. & 7. aſſerit citra mortale poſſe in Canone loco Epiſcopi nominari Generalem Religionis: quod & tradit P. Quintanad *Tomo* 1. *Tract.* 7. *Singulari* 36. *num.* 4. vbi & contendit, etiamſi declaratio Nuntij, de qua in *citato numer.* Operis noſtri, vim legis habeat, quod tamen non omnes admittunt, vt videri apud eumdem poteſt *num.* 3. non poſſe habere vim obligandi ſub mortali, ob paruitatem materiæ. Quod tamen ego dicere non auderem, quia ex eo ſequitur in tali declaratione aut præcepto errare Pontificem, quod affirmare non exiguæ eſſet audaciæ. Secus eſſet, ſi declaratio talis minimè præceſſiſſet, hæc enim oſtendit non eſſe in eo materiæ paruitatem. Pro quo videri poteſt Lezana *Tomo* 3. *V. Miſſa, num.* 58. vbi grauem ceremoniam ſub mortali obligare dicit. Et *num.* 59. vbi contra Patris Fagundez ſententiam depugnat.

AD TITVLVM XVII.

Circa Caput VIII.

Vbi de Parochis Religioſis quoad abſolutionem à reſeruatis *n.* 54.

119 ERunt fortaſſe qui putent abſolui poſſe per priuilegium Innocentij VIII. pro Prædicatoribus, quod adducit Euſebius de Herrera *Deciſione* 9. *numer.* 23. Remigius, & Recentiores alij. Sed quòd ad rem non faciat, benè oſtendit Diana *Parte* 8. *Tract.* 7. *Reſolut.* 78.

Circa num. 55. & ſeqq. *vbi de voto paupertatis.*

LEzana *Tomo* 2. *Cap.* 18. *numer.* 15. à Nobis dicta confirmat, licet addat ſecuriùs eſſe id, quod ſupereſt, poſt Eccleſiæ & pauperum ſubleuationem, Eccleſiæ potiùs, quàm Monaſterio applicare. Incorporationem autem eorum, quæ ſecum fert, ſtatuit *numer.* 28. ſubdens *numer.* 33. tam amplè poſſe diſponere in vſus pios, præſertim circa Eccleſiam, ac Parochi ſæculares. Quod iuxta dicta intelligendum; Prælatorum enim debent diſpoſitionem amplecti. Vnde *num.* 37. affirmat, quòd licet Prælatus imponere nequeat penſionem Beneficio, benè tamen Beneficiario pro religioſo aliquo, aut pio opere. Non ergo, cùm Eccleſia non eget, ſemper licet in eam beneficij emolumenta conferre; & de Indicis loquitur ille, de quibus *num.* 32.

Circa Appendicem.

Vbi de Monaſterio diuite, an exigere aliquid ab ingredientibus queat.

120 DE hoc Diana *Par.* 8. *Tract.* 7. *Reſol.* 29. vbi ſatis doctum Renati à Valle diſcurſum adducit, vt id non liceat. Sed ille cum Villalobos *Tom.* 2. *Tract.* 37. *Diffic.* 13. *num.* 5. contrarium ſentit, pro quo & citat Hieron Rodriguez, id tunc negantem, cùm ratione vtilitatis perſonæ ſic fieret, aut ob clariorem Monaſterij magnificentiam: & generaliter cùm ratione victûs non exigitur. Allegat item P. Laymani *Lib.* 4. *Tract.* 10. *Cap. vlt.* §. 4. *num.* 39. vbi cum

Digitized by Google

aliis ratione conſuetudinis id admittit, vbi illa excuſare poteſt. Non poſſum autem non rationem, quam afferunt ex præfatis aliqui, minùs eſſe conſequentem adnotare. Aiunt enim poſſe recipi, quia in locupletibus Monaſteriis ſumptus maiores ſunt. Aut enim non neceſſarij illi, & ita pro eiſdem nihil exigi poteſt. Aut neceſſarij: & ita ceſſat quæſtio: iam enim Monaſterium, etſi locuples ſit ob redituum quantitatem, reuera eſt egens, cùm non habeat, quod ſibi eſt ad rationem viuendi neceſſarium. Addunt his temporibus prétia rerum aucta: ex quo ſimiliter arguendum; ceſſare ſcilicet quæſtionem. Videndus & Leander *Parte* 5. *in Expoſitione ſuæ Regulæ Cap.*44. exactionem quamcumque prohibens.

Circa approbationem Confeſſariorum, an vnica ſatis. De quo *Titulo* 12. *num.* 340.

121 DE hoc egerat Diana *Parte* 6. *Titulo* 7. *Reſolut.* 59. Vbi aliquos afferentes adduxerat, Patres ſcilicet Celotium, Baunyum, & Præpoſitum, quorum ſententiæ obſtare declarationem Vrbani concluſerat. Pro quo & Leander *Tomo.* 1. *Tract.* 5. *Diſput.* 11. *Quæſt.* 66. dicens non eſſe omnino certum in Regularibus.

An cum limitatione approbari Religioſi poſſint. De quo *Titulo eodem num.* 354.

DE hoc etiam Auctor idem *loco eodem Reſolut.* 61 vbi cum Card. Lugo id concedit, P.Celotij ſententiâ reiectâ. Licet iniuſtè aliquando procedere Epiſcopi ſoleant, contra quorum tamen non eſt eundum voluntatem. Inualidam autem eſſe reuocationem ſine rationabili cauſſa cum eodem tenet Cardinali *Reſolut.* 62. vbi & alios adducit. Qui ergo circa ſe iniuſtè agi ſciunt, etiamſi iuſtè ſe agere Epiſcopi iudicent, quòd poſſint agere nequeunt ignorare, ſcandalis tamen euitatis. Pro quo videri poteſt Lezana *Tom.* 1.*Cap.*19.*num.* 8. & 9. & Paſqualigus *Deciſ.* 500. vbi *num.* 10. & *ſeqq.* probat Religioſum habentem ſufficientiam non poſſe cum limitatione locorum ac perſonarum approbari, etiam ratione ætatis, quod & tenet cum aliis Leander *ſuprà Quæſt.* 85.

De approbatione ad prædicandum. An examen neceſſarium. De quo ibidem à *num.* 331.

122 NOn poſſe ab Epiſcopis examinari Religioſos tenent ij, quos adducit Diana *Parte* 6. *Tract.* 8. *Reſolut.* 20. dicens praxim eſſe in contrarium, & Declarationem Cardinalium, quam adducit Barboſa circa Seſſionem 5. Concilij Tridentini; ſic autem concludit: *Vnde ſuppoſito quòd ſit vera, non eſt ab ea recedendum.* Parùm ergo praxim ſenſit vrgere, cùm obligationem totam in Declarationis conſtituat veritate. Et quidem praxis generalis non eſt, neque in Indiis viget. Quòd autem Declaratio non ſit recepta, & generaliter intimata, Auctoris eiuſdem adeò diligentis ignoratio manifeſtat. Et nullam requiri licentiam ad prædicandum extra Eccleſias, immò contradicentibus Ordinariis id fieri poſſe tradit variis locis Lezana *Tomo* 5. à ſe citatis in *Mari magno Carmelitarum numer.* 466. cum Hieron. Rodriguez. Vt ſanctè admonet P.Suar. *Tomo* 4. *de Relig. Tract.* 1. *Lib.* 9. *Cap.* 1. *num.* 9. (qui & videndus *num.* 16. pro prædicatione in plateis) Sed vitandæ turbæ, quia non ita certum, vt dixi: & vt eſſet, præſtat cedere, quàm rixari.

De Sacramento Extremæ vnctionis, pro Parochis, de quo *Cap.* 12. Tituli eiuſdem.

123 COntra ſententiam P. Martinon, de qua *num.*345. acriter depugnat Diana *Parte* 15. *Tract.* 15. *Reſolu.* 81. vt vnctio oleo non benedicto minimè valeat, nec ſit in praxi admittenda. Quod quidem P. Suarius ita cenſet *Tomo* 4. *in* 3. *Partem Diſput.* 40. *Sect.* 1. *numer.* 6. vbi ait talem ſententiam ſibi ad minimum videri temerariam. Sed cùm eam teneant Gloſſa in *Cap. Presbyteros.* 95. *diſt.* Caietanus 3. *p. quæſt.* 72. *in Comment. artic.* 3. rationem generalem adducens, quæ huius etiam Sacramenti materiam comprehendit. Victoria in *Summa de Sacramentis n.* 216. P. Sa *V. Extrema vnctio numer.* 6. & probabilem etiam alij cenſeant, vt teſtatur P. Martinon, non videtur ita acriter improbanda. Cùm dici aliàs poſſit oleum ipſo vſu ſanctificari. Dicente enim Sacerdote: *Per iſtam ſanctam vnctionem.* iam oſtenditur ſanctum id, quod pro eadem adhibetur. Et quidem ſimplici Sacerdoti poſſe à Pontifice facultatem concedi benedicendi oleum pro hoc Sacramento, graues Scriptores affirmant apud Dianam *Reſolut. citata*, quod ipſe probabile affirmat, & eſt in vſu apud Græcos, ex tacitâ ſaltem Papæ conceſſione, vt ille ait: nec reiiciendum ſtatuit Conſtitutione ſuâ Clemens VIII. quæ eſt 34. *Tom.* 3. *Bullarij Romani.* Iuxta quod dici etiam poteſt in caſu neceſſitatis ex tacita Pontificis conceſſione idem poſſe fieri, cùm ſimilia multa in neceſſitate ſint licita, quæ aliàs prohibentur. Et cùm vſu ipſo oleum ſanctificari queat, vt diximus, táliſque ſit Sacerdotis intentio, inde etiam id poteſt ſufficiens veroſimiliter reputari, & P. Suarius ad ſuam illam cenſuram, & Florentini Concilij ac Tridentini, poſt antiquiora alia Prouincialia, & Innocentij I. in *Epiſtola ad Decentium Cap.* 8. auctoritate fundatur, à quibus oleum per Epiſcopum benedictum vt materia Sacramenti huius aſſignatur. Atqui eo non obſtante, ſufficere oleum à ſimplici Sacerdote benedictum, probabile eſt, iuxta dicta: ergo decreta illa non ſunt accipienda vt ſonant, ita vt de neceſſitate Sacramenti ſit Epiſcopalis benedictio, ſed dicendum de ordinario Miniſtro procedere, vt ex Nicolao Yſambert habet Diana *Parte etiam* 10. *Tract.* 17. *Reſolut.* 32. Ex quo & ſit neque ex illis poſſe conuinci Sacerdotalem ſaltem eſſe neceſſariam, quia id nullibi declaratur. Non ergo id videtur vti penitus improbabile reprobandum. Sed reprobatum tamen in Indice expurgatorio videtur *Anni* 1640. vt teſtatur P. Quintanad venas *Tomo* 1. *Tractat.* 5. *Singulari* 2. *num.* 1.

Digitized by Google

num. 1. Victoriæ ſententia expuncta. Et P. Raynaudus in eruditiſſimo Opuſculo de bonis ac malis libris *numer.* 537. vbi de Luſitanica etiam Inquiſitione teſtatus. Non ergo in Hiſpania aliter opinandum: quod tamen P. Martinon, & exteri alij, parùm fortaſsè, ſed immeritò, curabunt. Licet Leander dudum in Hiſpania ſcribens id vt probabile proponat *Tomo* 1. *Tract.* 4. *Diſput.* 2. *Quæſt.* 3. ex multis quos citat.

124 Circa repetitionem vnctionis, ſi defuit quidpiam, vt in caſu, de quo in citato Capite, videri poteſt Diana *Tract.* 12. *cit. Reſol.* 31. vbi miniſtrandum ſub conditione docet, ſi infirmus nullum aliud potuit recipere Sacramentum, ſecus ſi ſuſcepit, quia tunc graue non ſuberit detrimentum. Et in fine cum P. Pellizario concludit, ſi tempus notabile non interceſſit, vnctionem ſupplendam; ſi tale fuit, omnes adhibendas, quia probabilius eſt omnes eſſe de ſubſtantia, & Sacramentum in vltimâ perfici. Non eſſe neceſſariam ſenſuum expreſſionem ex aliis proponit *Reſolut.* 32. aliter ſentiens.

Circa abſolutionem ab hæreſi an liceat reſpectu Regularium.

125 CONtra P. Baunyum facultatem pro illa defendentem, vt à ſuis ſcilicet maioribus Prælatis, & ab aliis ex ipſorum commiſſione poſſint abſolui, inſurgit Diana *Parte* 6. *Tractat.* 7. *Reſol.* 63. ob Decretum Vrbani VIII. & meritò quidem generaliter loquendo. Apud Indias tamen id, quod pro aliis licet, nequit Religioſis denegari, iuxta dicta *numer.* 323. *& ſeqq.* Idem firmauerat citatus Auctor *Parte* 2. *Tract.* 2. *Reſolut.* 23. & præſertim contra Crouſers, & Scriptorem citatum *Tract.* 6. *Reſolut.* 54. *citatæ Partis* 6. ob Conſtitutionem etiam Pauli V. quam & adducens Alberghinus in *Manuali Qualificatorum Cap.* 38. idem ſtatuit. Quibus non obſtantibus ſententiam P. Bauny, & P. Crouſers defendit vt probabilem Leander *Parte* 4. *Tract.* 2. *Diſp.* 17. *Quæſt.* 78. alios adducens, licet pro Hiſpania aliter cenſeat *Quæſt.* 79. & abſolutè tenet Boſſius *Tomo* 2. *Tit.* 4. *num.* 48.

AD TITVLVM XVIII.

Circa Caput I.

Vbi de obligatione aſſiſtendi in Præbendariis.

126 PAter Bardi in *Selectis Libr.* 3. *Quæſt* 5. *numer.* 10. ait non obligari ſub mortali, dum non lucrantur, non enim eſt graue Eccleſiæ detrimentum ſi ex triginta vnus deſit. Ergo vbi numerus valde minor, vt in Indiis, ſecus dicendum, in quibus numquam prædictus extat, etiam in maioribus Eccleſiis. Vnde circa hoc Regiâ eſt cautione prouiſum iam, diebus tantùm quindecim pro acceptatione permiſſis.

Circa Caput II. & num. 13.

Vbi de Vnico Canonico circa lucrum.

FAcit pro Dicti 4. deciſione Cap. *Relatum* & 2. de Teſtam. ibi. *Vbi autem in locum defuncti tantum eſt vnus ordinandus, is ea bona (ſicut & alia ipſius Eccleſiæ) in Dei timore diſpenſet.* Videri etiam poteſt Paſqualigus *Deciſ.* 253. *num.* 7. vbi cum multis firmat ad vnum poſſe totam Collegij redigi poteſtatem.

Circa Caput III. & num. 18.

Vbi de Præbendariis ſubrogatis.

137 QVòd æquiparatio idem operetur, textibus & Auctoribus adductis oſtendit S. Rota in vna *Valentina* 8. *Iunij* 1643. apud Dianam *Parte* 7. & hoc in iuridico negotio; cùm ſtet aliàs receptum vulgò proloquium quòd *omne ſimile claudicat*: pro quo lepidum extat Epigramma Noſtri Antonij Stratij *Lib.* 2. Selectorum eiuſdem circa initium, cuius illa concluſio:

In te igitur verum eſt vulgi, Chæriſtrate, verbum:
Quod omne ſimile claudicat.

Et quando æquiparatio eſt cum ſubſtitutione, ſtat euidentiùs reſolutio de fruitione eorumdem priuilegiorum, iuxta Textus & Doctores, quos adducit Paſqualigus *Deciſ.* 103. *num.* 4.

Circa Caput IV.

Vbi de obligatione erogandi ſuper cùm tota Præbenda eſt in diſtributionibus conſtituta.

128 NEgat id P. Bardi in *Selectis Libr.* 3. *Quæſt.* 19. *Dicto* 2. ſed fundamento ferè nullo, contra quem militant quæ à Nobis ſunt adducta, & à viro docto minimè videntur expenſa. Ergo cum bona ipſius venia *Quod ſcripſi, ſcripſi.* Et ſcripſi quidem ante illum viſum, ſententiamque illam improbabilem dixi, & auctoritatis ac rationis præſidio deſtitutam: pro qua tamen ille adducit P. Azor *Tomo* 2. *Lib.* 7. *Cap.* 9. *Quæſ.* 10. alios referentem, additâ ratione quòd ſemper diſtributiones tales tribuuntur vt ſtipendium laboris, ſicut quod datur pulſanti organa, campanas, &c. Fructus autem Præbendæ propriè tales, & à diſtributionibus diſtincti, non dantur vt ſtipendium, ſed in titulum, ſeu intuitu Eccleſiæ, & non perſonæ vt operanti.

129 Sed certe cùm probabilitas intrinſeca à ſolida ratione proueniat, quod de improbabilitate dixi verum habeo, ſi de intrinſeca loquamur, vt ex adductis redditur manifeſtum. Quoad extrinſecam verò ex Auctorum patrocinio valde videtur exigua, nam P. Bardi, vir equidem doctus, P. Azorij ſe auctoritate tuetur, quæ eſt profectò non contemnenda. Atqui ille teſtatur ſe cum Syluestro loqui, qui ex Abbate & Dominico id tradit verb. *Clericus* 4. *Quæſ.* 4. (non 44. vt per errorem apud ipſum) ſed quidem Sylueſter ſententiam tantùm Geminiani proponit, & pro

Digitized by Google

ea nullum alium inducit Auctorem, vt patet ex §. & *Tertiò, ſi Præbendæ*, vbi in terminis loquitur quæſtionis, Geminianus autem iuxta Gloſſam ſe loqui exiſtimat in *Cap. Præſenti* de officio Ordin. in 6. cum tamen Gloſſa id non exprimat, ſed tantum dicat Clericum non habentem adminiſtrationem, ſed perſonaliter & ſimpliciter beneficiatum, & in vita, & in morte comparari vſufructuario, quantùm ad faciendos fructus ſuos, & quod de ipſis poteſt teſtari: Eccleſiam autem ſuccedere in illis, ſi decedat ab inteſtato: pro quo allegat Cap. *Relatum* de Teſtamentis, in quo cùm acquiſita titulo Eccleſiæ ad eamdem deuoluenda (quadam exceptione facta) poſt mortem Beneficiati dicantur, ſic additur: *Ceterùm quæ ex hereditate vel artificio, aut doctrina proueniunt, diſtribuantur pro arbitrio decedentis.* Vbi pro diſtributionibus exceptio nulla, ſicut neque in *Cap. Ad hæc.* Et *Cap. Quia nos*, eodem Titulo, alibique. Addit tamen Gloſſa diſtinctionem dictam ſatis probari ex Cap. *Requiſiſti*, eodem Tit. §. *Illud.* Sic autem ibi: *Illud autem non eſt generaliter obſeruandum circa eum, qui poteſt proprium poſſidere, prælationem, vel adminiſtrationem Eccleſiæ non habentem, quod ſi ei aliquid relinquatur ſpecialiter, non ſolum à propinquo, verum etiam ab extraneo, intelligitur eſſe relictum non intuitu Eccleſiæ, ſed perſonæ: niſi probatio in contrarium appareret. Et idcirco de illo neque Epiſcopus, nec Eccleſia poteſt in vita eius ſibi aliquid vindicare. Et hoc intelligitur eſſe verum, cùm fraus minimè procuratur: quæ ſi detecta fuerit, patrocinari non debet.* Tantùm ibi. Quis autem non videat ad diſtinctionem, de qua agimus, inter fructus ſcilicet ac diſtributiones ipſas, nihil inde, quod iuuare poſſit, haberi? & ita de primo ad vltimum ad probabilitatem illius ſententiæ fundandam nullum ab Auctoritate præſidium extare.

130 Addit tandem ſic Gloſſa prædicta: *& conſuetudo generalis quaſi vbique eam approbat*: diſtinctionem ſcilicet illam de habente adminiſtrationem, & perſonaliter ac ſimpliciter beneficiato, quoad prædicta. Quod quidem ſi ita tunc erat, quando Gloſſa eſt edita, ex ea tantum habetur quod iam communiter Doctores tenent, Beneficiatos inquam ſæculares facere fructus ſuos: id autem non obſtat quo minùs ſuperflua debeant largiri pauperibus, idque ſaltem ex charitate ſub reatu peccati mortalis, vt tradunt Doctores iidem, de quo *Titulo* 13. *numer.* 76. Nihil ergo ex conſuetudine habetur, quod vlteriùs poſſit dictam ſententiam roborare. Et verò ſi conſuetudo non erogandi ſuperflua pauperibus ex diſtributionibus, de quibus præſertim agimus, extaret, valde eſſet illa eiſdem incommoda, & contra ſacrorum Canonum multiplices deciſiones, cùm in Hiſpania, in qua pinguiores Orbis Chriſtiani Præbendæ, omnes ferè Eccleſiæ tali modo diſtributionum vtantur, vt dictum *hoc Titulo numer.* 19. Eſſetque valde obuius ad defraudationem pauperum modus, & eorum clamores pariter ad Deum iuſtum iudicem prouocandi, eo pacto Præbendarum prouentus diſponendo.

131 Prædicta ergo ſummariâ recollectione ſic conſtant. Sententia dicta ſolidâ caret ratione, P. Bardi eam tenens auctoritate P. Azorij ſe tuetur: hic Syluestri, qui nihil de ſuo addens Geminianum loquentem inducit, qui & Gloſſæ conformiter ſe loqui profitetur. Atqui Gloſſa nihil tale tradit, & vt id inſinuare dicamus, Textus, quos allegat, minimè, vt vidimus, ſuffragantur, ſicut neque allegata ab ipſa conſuetudo. Gloſſam autem vnius tantum Doctoris auctoritatem habere apud Paſqualigum videri poteſt *Deciſ.* 4. *ita vt præferri poſſit & poſtponi iuxta probabilitatem, quam eius ſententia continet.* Quod & de Rota cenſet, vt ſcilicet probabilis tantùm illius deciſio ſit, cui alia præferri poſſit etiam minùs probabilis. Quale ergo in ſententia huiuſmodi firmamentum, vt eam tamquàm probabilem, cùm adeò ſit infenſa pauperibus, & piis operibus proponere valeamus? Viderint alij an maius occurrat quidpiam, vel circa præfata aliter oporteat iudicare: Nos enim ſincero iudicio propoſito, ſuum aliis acutiùs inſpicientibus reſeruamus.

Circa Caput *V.*

Vbi de Congrua Præbendariorum.

132 AGit de illa P. Bardi *Lib.* 3. *& Quæſt.* 10. *citatis. Sect.* 4. *numer.* 3. *&* 4. & de obligatione erogandi, quæ Congruæ ſuperfluunt, & *Sect.* 8. ait nobilibus plus permitti, ſicut litteratis, & in ſuo munere diligentibus, iuxta dicta à Nobis *numer.* 25. Pro quo & Diana cum aliis contra Lorcam *Parte* 2. *Tract.* 16. *Reſol.* 24. Vide *num.* 104.

Circa Caput *VII.* & ſeqq.

Vbi pro diſtributionibus quæ abſentia noceat, & ſecus.

133 DEberi DD. Inquiſitoribus affirmat P. Bardi *ſuprà Quæſt.* 7. *num.* 4. Celebranti dum cantantur Horæ aut Miſſa, ſi cauſſa publicæ vtilitatis ſit, non priuatæ, P. Tamburinus *Lib.* 3. *de Sacrificio Miſſæ Cap.* 3. §. 4. *num.* 2. Seruienti ob vnitam Parœciam, de quo *num.* 76. ex Deciſione Rotæ 2. Maij 1646. apud Dianam *Parte* 8. vbi & de modo ſeruiendi. Menſibus à Iure, aut aliàs permiſſis, vacantibus, ex pluribus apud eumdem *Parte* 10. *Tractat.* 11. *Reſolut.* 58. vbi & negantes multi. Etiam tunc inhoneſtè viuentibus, ex P. Sancio, & Martino à S. Ioſeph apud eumdem etiam id non prorſus improbabile reputantem. Quod videtur improbabile aliqualiter cenſere, ſed immeritò, vbi Doctoris tanti extat auctoritas, & aliorum etiam nullam adhibentium limitationem: perſtatque ratio conceſſionis, leuamen ſcilicet à quotidiano labore, quod reuerà obtinetur, licet cum vacatione actiones Præbendariis indignæ miſceantur. Vacatio ergo ex ſe mala non eſt, licet ſint damnabilia, quæ adiunguntur. Legentibus Theologiam aut ius Canonicum ex Paſqualigo ab obligatione aſſiſtendi penitus eximente. *Deciſ.* 460. P. Mendus *Lib.* 2. *de Iure Academico Quæſt.* 30. *&* 31. à Nobis circa hoc dicta confirmat, pro Cathedris ſcilicet, quos Religioſi poſſunt moderari.

Digitized by Google

Alia circa eoſdem.

134 AN lucrentur qui aſſiſtunt, ſed confabulantur in Choro, tractat Diana *Parte* 10. *Tractat.* 13. *Reſolut.* 10. & Doctores aſſerentes ac negantes adducit poſterioribus adhærens, & ſunt ex Societate IESV, illiq; apud quos alij. Quod & non improbabile exiſtimat P. Tamburinus *in Decalogum, Lib.* 2. *Cap.* 5. §24. *num.* 19. & cum temperamento quodam amplectitur Paſqualigus *Deciſ.* 408. Ibidem etiam, & *infrà*, *Tract.* 16. *Reſolut.* 47. *in fine* diſcutit etiam Diana an aſſiſtens, & neque ibi aut alibi recitans diuinum officium, lucretur. Et pro vtraque parte Auctores producit, cum negantibus ipſe ſentiens, & quòd penitus amittat, qui & *Tract.* 16. *Reſol.* 54. multa circa diſtributiones habet, quòd ſcilicet negotiis Eccleſię occupatus lucretur, etiamſi extra tempus officiorum illa poſſet expedire, quia nimis id eſſet moleſtum. Et quoad hoſpitis exceptionem, & rationem barbæ, cum P. Sancio ſentit, ſicut quoad morbum ex propriâ culpâ contractum, reputans item probabile lucrari illum poſſe, etiam cùm datâ operâ eſt contractus ad aſſiſtentiam euitandam; cùm tamen oppoſitum probabilius arbitretur. Quemadmodùm & cùm morbus tempore iniuſtæ abſentiæ ſuperuenit; id quod aliqui negant probabiliter iuxta ipſum, ſi redeundi & aſſiſtendi voluntas adſit, vbi à morbo fuerit liberatus. Circa gradum infirmitatis ſpecialia aliqua congerit, in quibus nulla eſſe videtur difficultas. Et quòd cœcus ac ſurdus ad aſſiſtentiam teneantur. Non canentes nihil lucrari P. Tambur. *num.* 15. Pro hoc videri poteſt Leander *Parte* 4. *Tractat.* 2. *Diſp.* 9. *Quæſt.* 41. Videndus & Verricelli *Tomo* 1. *tract.* 8. *quæſt.* 28. vbi retractat quod dixerat *Tractat.* 1. *quæſt.* 16. ſcilicet non eſſe mortale, omiſſionem *Tertiæ*, aut *Sextæ*, ob declarationem Cardinalium.

AD TITVLVM XIX.

Circa Caput III. & n. 20. & 21.

Vbi an Theologus vel Canoniſta pro Vicariatu præferendus.

135 PRæferendum Theologum ex multis firmat Diana *Parte* 7. *tractat.* 12. *Reſolut.* 32.

Circa Caput IV. & n. 27.

Vbi de pacto dandi aliquid ex gratitudine.

SEntentiam id admittentium non eſſe in praxi recipiendam, dixerat etiam Diana *Parte* 6. *Tractat.* 7. *Reſolut.* 42. nonnullis vtrimque citatis. Pro quo & videndus Lezana *Tomo* 3. *v. Dare*, *num.* 28. licèt P. Gibalinus *Tomo* 1. *de Vſuris, Lib.* 2. *Cap.* 3. licere in mutuo dicat, ſed non conſulendum ante factum *Art.* 3.

Circa Caput V. n. 37. & 52.

Vbi de Irregularis reſignatione.

POſſe illum renuntiare in fauorem tertij tenent multi apud Leandrum *Parte* 5. *tractat.* 1. *diſput.* 4. *quæſt.* 19. & Dianam *Parte* 10. *tractat.* 16. *Reſol.* 24. vbi qualiter ſe gerere irregularis queat, dum non eſt priuatus per ſententiam. Qui & *Parte* 6. *tractat.* 7. *Reſolut.* 42. plures adducit, aſſerentes poſſe aliquem reſignare Beneficium expreſſâ intentione vt aliud conferatur, cum obligatione tantùm antedotali: quod aliis non placet.

Circa Caput VI.

Vbi de ſtylo Curiæ.

136 VIdendus etiam pro eo Diana *Parte* 12. *tractat.* 2. *Reſolut.* 25. vbi plurimos obligationem negantes adducit. Vide & pro eo Lezanam *Tomo* 5. *in Mari magno Minimorum, num.* 93. & Boſſium *Parte* 1. *Titul.* 1. *numer.* 581. & *ſeqq.*

Ibidem circa num. 74.

Circa poteſtatem diſpenſandi in irregularitate ob defectum natalium.

VIdendus etiam pro eo Diana *Parte* 7. *tractat.* 2. *Reſolut.* 24. vbi plures Doctores adducit affirmatiuam ſententiam tenentes, quam & probabilem cenſet, ſicut & Leander *Parte* 5. *Tract.* 2. *diſp.* 3. *quæſt.* 56. plures citans.

Ibidem circa num. 77.

Vbi de diſpenſatione ſuper bigamia.

NEgat poteſtatem ad illam, etiam cùm interpretatiua tantùm eſt, ad minores Ordines, Epiſcopo, & conſequenter Capitulo P. Bardi *in Selectis, Libr.* 7. *Quæſt.* 15. Lezana *infra, numer.* 7. & Leander *ſuprà*, *diſputat.* 6, *quæſtion.* 33. qui *quæſt.* 35. affirmat in Indiis poſſe ob neceſſitatem, etiam cùm eſt propria. In caſu neceſſitatis generaliter admittitur à Pater Bauny *Tomo* 2. *tractat.* 11. *quæſt.* 59. qui circa Religioſos *quæſt.* 68. Pro quo etiam Diana *Parte* 7. *tractat.* 2. *Reſolut.* 37. & *tractat.* 11. *Reſolut.* 43. & Lezana pro ſimilitudinaria v. *Bigamus*, *numer.* 6. quam admittit.

AD

AD TITVLVM XX.

Circa Caput I. num. 11. & 12.

Vbi de munerum acceptione.

137 PRo ibi dictis facit quod habet Mag. Souſa *in Aphoriſmis Inquiſitorum, Lib. 2. Cap. 28. numer.* 12. ita ſcribens: *Xenia, eſculenta, & poculenta, quæ intra paucos dies prodigantur, quamuis Inquiſitores accipere poſſint, nullo tamen modo à reu accipienda ſunt, propter ſcandalum & ſuſpitionem, neque etiam à quibuſuis alijs ob indecentiam.* Sic ille, pro ſe adducens Pennam. Facit & Bouadilla *in Politicâ, Libr. 2. num.* 68. ibi: *Por razon de ſus oficios.* Et quia ex eo quòd iuriſdictio Inquiſitorum ordinaria non ſit, infert Paſqualigus *Deciſio.* 114. non poſſe illos Confeſſarium non approbatum eligere, nec gaudere priuilegio Cap. *Finalis, de Pœnitent.* ex contrario fundamento, de quo *num.* 11. contrariæ eſt illatio facienda.

Circa Caput II. & num. 14.

Vbi de non punibili actu merè interno.

STat pro eo P. Bardi *in Selectis, Lib. 8. quæſt. 3. Sect.* 2. & ſpecialiter in caſu noſtro loquens *num.* 12.

Ibidem circa num. 17. & 18.

Ubi an Prælati abſolui à ſuſpenſione poſſint, à qua alij ab ipſis.

138 AGit de hoc Diana *Parte* 10. *tractat.* 14. *Reſol.* 54. *in fine*, & cum Baſilio Poncio id negat ob fundamentum à nobis dictum; quia ſcilicet eſſet fruſtranea: id tamen intelligendum quando per ſententiam incurritur pro Prælatis tantùm latam, & non eſt tantum Cenſura, ſed inhabilitas, ſicut irregularitas. Si verò ipſo iure incurratur, ſecus cenſet; quia tunc ſicut poteſt cum aliis, ita & ſecum diſpenſare. Pro quo adducit P. Palaum *Tomo* 1. *tractat.* 3. *diſputat.* 6. *Puncto* 7. §. 1. *num.* 4. & 5. & P. Sancium *Lib.* 8. *de Matrimonio, diſp.* 3. *n.* 4. & 5.

Circa Caput III. & num. 20.

Vbi de temperandâ pœnâ ob prolixam carceris moleſtiam.

139 MAg. Souſa *In Aphoriſmis, Lib. 3. Cap.* 30. *num.* 3. ex Gundiſaluo, & Farinacio ſic habet: *Augere, vel minuere pœnas pro ratione qualitatum & circumſtantiarum occurrentium, etiam in crimine hæreſis poteſt Inquiſitor.* Videndus etiam §. *ſequenti*, vbi quòd & minuere poteſt etiam in hæreſi poſt latam ſententiam, quod iudicibus aliis non conceſſum, & *numer.* 10. & 11. quòd arbitrium circa hoc non eſt plenum, ſed regulatum iure ac ratione, ex ſimilibus ſcilicet iure vel conſuetudine determinatis ad ſimilia procedendo: cuius ſimilitudinis in determinando debet expreſſa fieri mentio. Ex Menochio *de Arbitrarijs, lib. 1. quæſt. 14. num.* 3.

Circa Caput IV. & num. 28.

Vbi de iniuriis Miniſtris Sancti Tribunalis irrogatis.

140 PRo ibi dictis quando intuitu officij non accidunt, ſtat Carena *Parte* 2. *Titulo* 13. §. 6. vbi pro eo multos adducit, & Diana *Parte* 6. *tractat.* 8. *Reſol.* 3. Quomodo autem dignoſci poſſit quando ex intuitu prædicto, quando ex alio procedat offenſio, benè explicat idem Carena omnino videndus præſertim *numer.* 28. iuxta tradita ſiquidem ab ipſo, cùm in Religioſo aliquid acciderit offenſionis, vix eſſe fundamentum poterit ad odioſam fundandam præſumptionem, in quo & vitæ probitas, & nullum vnquam cum Tribunali ſancto in fidei cauſſa negotium. Benè verum eſt Auctorem hunc non abſolutè eximere ſic offendentes ab Inquiſitorum iuriſdictione, ſed à pœnis in Bullâ Pij V. *ſi de protegendis*, ſat celebri contentis: licet neque iuriſdictionem apertè tueatur, ſed in eo ſe ad Ioſephum Seſſe in latiſſimâ eiuſdem Diſputatione remittit, *in fine.* Et eſt quidem ſatis perplexa quæſtio de offendente generaliter Officialem Eccleſiaſticum, pro quâ videndus Diana *Reſolut. citatâ*, vbi ait eſſe mixti fori, licèt de Inquiſitorum Miniſtris ſpecialiter non loquatur. In quibus eadem videtur ratio; cùm ſint etiam apud ipſum, qui omnino laicæ poteſtati ſubiiciant, & alij, qui offendentium etiam ratione officij delictum mixti fori eſſe contendant.

Circa Caput V. & num. 34.

Vbi quòd Miniſtri puniri à Sancto Tribunali poſſint.

141 VIdendus Bouadilla in Politicâ *Lib.* 2. *Cap.* 17. *num.* 126. ſed ſi delinquant in officio: vnde ſi extra illud, ſecus dicendum apparet. Sed certè propter omnia illa puniri poſſunt, propter quæ ab Ordinariis iudicibus: forum enim Inquiſitionis non præbet peccandi impunitatem, ſed maiorem morum exigit probitatẽ. Quando autem priuandi officio, ſi delinquant, non poteſt certis regulis definiri, ſed à DD. Inquiſitorum pendet arbitrio iure ac ratione regulato.

Ibidem circa num. 50.

Vbi de exemptione in cauſſis ciuilibus.

142 *Citat. num. in fine*, dum in Indiis exemplum eſſe dicitur, per quod prærogatiua Familiarium regni Valentiæ non videatur ſingularis,

Digitized by Google

ſingularis, iuxta modum loquendi D. Auguſtini, *ſi exemplum haberet: non eſſet ſingulare*: quo ſignificatur in Indiis Familiares quoad ciuilia Inquiſitionis foro gaudere: non eſt ita intelligendum, cùm ſolis id debeat concedi Miniſtris in omnibus, quæ excepta non ſunt, vt in præſenti *Capitulo* 13. & alibi. Miniſtri namque à Familiaribus in Concordiæ Capitulis ſecernuntur, ſicut & Officiales, & præſertim *Capitulo* 3. de quo *numer.* 35. *Capitulo* 15. de quo *numer.* 52. *Capitulo* 24. de quo 99. & *Capitulo* 25. vbi tota differentiarum materia inter tribunalia laica & S. Inquiſitionis ad Familiares reuocatur, circa forum inquam in criminalibus, quæ neque hæreſis ſint, neque ab illa dependeant: & vbi de Miniſtris nihil, qui omnino exempti ſupponuntur, de quo *num.* 100. & in Concordiâ quidam antiqua, cuius verba dabimus *num.* 151. expreſsè ſtatuitur in ciuilibus nullam Inquiſitores habere, nec poſſe prætendere iuriſdictionem erga Familiares. In nouâ autem id ſatis innuitur, dum de ſolis controuerſiis circa criminalia agitur, & quid ſit in illis faciendum declaratur. Quando in fine Dicti *num.* 50. dicitur conſulendum vſum, qui in Peruuio pro Miniſtris ſtat, Familiares cenſentur excluſi. Et hæc iuxta propriam mentem ſunt, & iuxta ea, quæ de Miniſtris diximus §. 1. circa Concordata.

Ibidem circa num. 63. & ſeqq.

Vbi de gradibus per ſufficientiam in Vniuerſitatibus conferendis.

143 POſt ſcripta ibi ad manus deuenit Regia ſchedula, in quâ Vniuerſitati Limanæ, ſic ipsâ ſupplicante, præcipitur ne diſpenſet, vt Gradus per ſufficientiam poſſint conferri. Et eſt illa Philippi III. *die* 11. *Martij* 1602. Valliſoleti. Quâ ſuppoſitâ videtur omnis circa hoc quæſtio circumſcripta, neque poſſe Vniuerſitatem, quod adeò ſtrictè denegatur: Gradus videlicet conferre, niſi curſus integrè tranſigantur. Vnde quod diximus de Gradu, quem poſtulant ij, qui ſunt ad Epiſcopatus præſentati, ita accipiendum eſt, vt non ſit propriè talis, iuxta formam, quæ dari ſolet, cum ſolemnitate & titulo; ſed æquiualenter; teſtimonium videlicet ſufficientiæ, quod ſufficere ex Concilio Tridentino iam vidimus: nulla eſt enim ratio, propter quam plus exigi queat, & ita neque neceſſaria diſpenſatio.

144 Cui quidem locus eſſe aliquando reſpectu aliorum poſſet, ſi ratio peculiaris occurreret, eaque raro, & in perſonâ non vulgarium meritorum. Non enim videtur negata penitus facultas diſpenſandi, ſed ordinariè, vt conſtat ex ratione, quæ redditur: *Paraque los Eſtudiantes que curſaren en ella trabagen, y ſe enſeñen mejor.* Vbi & innuitur ex oppoſito graue futurum detrimentum ſtudiorum. Nihil enim tale ex rarâ poteſt diſpenſatione timeri. Quod quidem ex multorum doctrina deducitur, iuxta quos diſpenſatio in rebus maioris momenti licet pro raro caſu, quæ eſt generaliter denegata: vt videri poteſt apud Dianam *Parte* 8. *Tractat.* 3. *Reſolut.* 71. & *tribus ſeqq.* Quod magis vrget ſi diſpenſatio totalis non ſit (quam & admittit Paſqualigus *Deciſione* 448. quando eſt notoria ſufficientia) vt ſcilicet vnus aut alius curſus ſuppleatur, & certum ſit ita petentem multos ex Graduatis ſcientiæ ornamento ſuperare. Iuxtà dicta ergo neque Prorex poterit in prædictis diſpenſare (caſibus raris exceptis) quia ſi illis non eſſet ablata facultas, Regia prohibitio inutilis redderetur, facillimè enim iſta à Proregibus poſſunt obtineri, dum interceſſiones accedunt, in his partibus validiores.

Circa num. 70.

GRadum Magiſterij ſine ſufficientiâ recipere, non eſſe mortale, & conſequenter Baccalaureatus in Artibus, tenet P. Mendus *de Iure Academico, Lib.* 2. *num.* 25.

CIRCA CONCORDATA.

Vbi vtiles aliquot, & non obuiæ animaduerſiones.

145 EXemptio in illis Familiarium, & aliorum Tribunalis ſancti Miniſtrorum, potiùs ſupponitur, quàm adſtruitur. *Capitulo* 9. prohibentur foro illius gaudere in delictis ante adeptum officium commiſſis. *Cap.* 16. de Alguacello *in Porto de la Veracruz* dicitur: *El qual goce del fuero della como Familiar. Cap.* 19. ſtatuitur vt delinquentes in officiis publicis, ab Ordinarijs iudicibus puniantur: vnde exceptio firmat regulam in contrarium. *Cap.* 20. in delicto pellicatus ſingulariter decernitur vt ſit locus præuentioni, & ſic alibi. Vnde optimâ ratiocinatione deducitur in quibus delictis gaudere fori priuilegio poſſint. Sunt enim omnia præter indicata, etiamſi enormia. Et quod ad nefandum crimen ſpectat, exceptum exiſtimat P. Palaus *Tom.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 8. *Puncto* 12. §. 2. *n.* 9. vbi & alia enumerat, pro quibus & Doctores refert. Sed quidquid de illis alibi ſit, Indicis Concordatis ſtandum videtur, de quo *inferiùs*. Non debet autem primum illud alienum ab eo foro iudicari, quandoquidem in Tribunalibus Luſitaniæ, Aragoniæ, Valentiæ, & Catalauniæ, ad illud directè ſpectat, ſicut alia ad fidem ſpectantia, vt videri poteſt apud Carenam *Parte* 2. *Titulo* 6. §. 83. & 84. Quia verò *Cap.* 20. *citato*, præuentio conceditur in crimine pellicatûs, idem videtur in crimine illo infami dicendum, in qua maior eſt ratio. Hic enim meritò argui poteſt à maioritate rationis, quia crimen illud eſt multò turpius in genere luxuriæ. Quemadmodùm licèt in Bullâ Pij V. *ſi de protegendis*, non exprimantur Iudices, & Magiſtratus, ad illos diſpoſitio eius extenditur, quia comprehendit Duces, Marchiones; & alio quocumque titulo Illuſtres; & ita potiori ratione prædictos, vt cum aliis reſoluit Carena *Titul.* 13. §. 19. immò & cùm ratio eſt eadem, idem dicendû. Vnde cùm præfata Conſtitutio procedat de offendentibus Miniſtros S. Officij, extenditur ad offendentes eos, qui iam tales non ſunt, quando iniuria irrogatur illis intuitu officij, quo functi ſunt, vt videre eſt apud eumdem. §. 4. pro quo & faciunt quæ habet. §. 17.

146 Et hac ratione dicendum exemptionem non habere locum in crimine læſæ Maieſtatis erga Principem; pro quo P. Palaus cum aliis *ſuprà*: quia cùm locum non habeat reſpectu minoris momenti, idem debet de crimine illo adeò qualificato cenſeri. Vnde & in Bulla Gregorij XIV. de Eccleſiæ immunitate habetur exceptum. Si Inquiſitorum ſerui arma deferentes quando Dominos non comitantur, exemptione non gaudent, quia ad nocendum deferre veroſimiliter præſumuntur. De quo *Cap.* 4. Item, defraudantes iura Regia in matrimoniis, de quo *Cap.* 5. Depoſitarius publicus in iis, quæ ad officium ſpectant. De quo *Cap.* 6. Habentes officium publicum. De quo *Cap.* 19. Si ergo hi, à quibus Rex aliquale detrimentum patitur, aut etiam Reſpublica, exemptione non gaudent; quantò id potiùs affirmandum de lædentibus Regiam Maieſtatem?

147 Hoc tamen non videtur extendendum ad crimen, quod latè tale dicitur ex eo titulo, quando ſcilicet Conſiliarius Principis offenditur. L. *Quiſquis. C. Ad legem Iuliam.* Vbi ſcribentes. De quo & diximus *Tract.* 4. *num.* 102. quia exemptio in ſignificatione propriâ & ſtrictâ debet intelligi, quando de immunitate agitur. Ex quo fundamento tenent Doctores, quos adducit & ſequitur Diana *Parte* 1. *Tract.* 1. *Reſol.* 6. nomine Principis non intelligi habentes & recognoſcentes ſuperiorem, cùm de crimine læſæ Maieſtatis agitur, quia in rigore Principes non ſunt, licet non deſit qui contradicat. Videndus etiam Auctor dictus *Reſolut.* 7. vbi ex Doctoribus aliis, huic poſitioni fauentes doctrinæ ſuccurrunt. Facit etiam quod habet *Parte* 3. *Tract.* 1. *Reſolut.* 9. vbi cum aliis probat priuilegium Regum vt nequeant niſi à ſummo excommunicari Pontifice, non poſſe ad Regios Conſiliarios extendi, quia illud Regibus & Imperatoribus conceditur propter illorum reuerentiam. De quo dictum *Titulo* 3. *numer.* 142. & 143. & in propriis terminis quòd erga Conſiliarios non committatur propriè crimen læſæ Maieſtatis, cum aliis, quos adducit, probat Ioannes Oinotomus ſuper libros Inſtitutionum Imperialium. Vulgo *Inſtituta*, *Lib.* 4. *Titulo* 18. §. *Publica*, *num.* 2. & 3. Licèt autem ex eo quòd crimen læſæ Maieſtatis abſolutè dici nequeat, non videatur exceptum, pro exceptione autem aliud eſſe poteſt argumentum iuxta dicenda *inferiùs numer.* 154. §. *Y en reſiſtencia y de ſacato.*

Nec poteſt argui ex eo quòd ſi fori Eccleſiaſtici ſint, qui rei læſæ ſunt Maieſtatis, ad ſuos ſint iudices remittendi, pro quo dictum à nobis *Titulo* 2. *numer.* 115. & pro quo videri etiam poteſt Diana *Parte* 3. *Tractat.* 1. *Reſolut.* 30. vbi præter Clementis Octaui circa hoc declarationem, alia Catholicorum noſtrorum Regum Decreta producit: ſicut & præclara exempla *Parte* 7. *Tract.* 1. *Reſolut.* 10. Id namque de iis intelligendum, qui perſonæ Eccleſiaſticæ ſunt; cùm tamen hic de Miniſtris laicis loquamur. Vnde ſi contingeret Miniſtrum aliquem S. Tribunalis noſtri, ad Clericalem ſtatum pertinentem, crimen Maieſtatis læſæ committere, ad illius deberet forum cauſſa remitti, de cuius eximiâ erga Regem ſuum fidelitate meritò confidi poteſt ita ſe in illius cognitione geſturum, vt reus nullo modo euadat pœnam, quæ crimini tali ac tanto debetur, executione laicali Curiæ commiſſâ, reo pariter relaxato.

148 Si dicas ſimilem confidentiam haberi poſſe, vt & Miniſtri laici in caſu dicto à Tribunali ſancto iudicentur. Concedi id poteſt; ſed nihilominùs aliter diſpoſitum iuſtas ob cauſſas, circa quas non oportet longiores diſcurſus efformare. Quamquàm & ſint qui cenſeant reum huiuſmodi Eccleſiaſticum non eſſe laicæ Curiæ, niſi poſt incorrigibilitatem, applicandum: quorum ſententiam, nonnullis citatis, veriorem exiſtimat Barboſa de *Poteſtate Epiſcopi*, *Allegat.* 110. *num.* 12. §. *Vtrùm autem.* Et incorrigibilitatem expectandam cum multis tradit etiam Diana *Parte* 1. *Tract.* 2. *Reſolut.* 130. & *Parte* 3. *Tract.* 1. *Reſolut.* 16. & *Parte* 7. *Tract.* 1. *Reſolut.* 11. & 15. & D. Fermoſinus *Tomo* 1. *pag.* 303. *verſ. Verùm*, alios adducens. Cùm ſint alij, qui apud Dianam qui ſecus ſentiant de enormiſſimo crimine, quale eſt proditio, & alio læſæ Maieſtatis.

149 Sed numquid crimine dicto à S. Tribunali ſummariè cognito, poterit reus Eccleſiaſticus ad Curiam laicam remitti, cui eſt tandem applicandus? Vt ſcilicet ibi cauſſa ex profeſſo diſcutiatur, quatenus eo pacto Maieſtatis læſæ peculiaris ratio habita à DD. Inquiſitoribus innuatur; ſtante ſententiâ affirmantium debere relaxari, pro qua Auctores adducit etiam Barboſa *ſuprà*, in quibus eſt. Albertinus ſatis expertus & Inquiſitor & Epiſcopus. Et videtur procul dubio negandum, quia vbi cœptum eſt iudicium, ibi eſt etiam terminandum, quando competens habetur iudex: nemo enim poteſt à duobus in diuerſo tribunali ſedentibus iudicari, vt Iura clamant *L. Si quis poſteà. L. vbi acceptum* (al. *Cœptum*) D. *de iudiciis.* Card. Tuſchus *Lit.* 1. *Concluſ.* 487. vbi alios adducit, & Boſſius à Nobis adductus *hoc Titulo num.* 61. & magis in ſpeciali loquendo, iudex laicus nequit Eccleſiaſticum criminaliter iudicare, niſi ex licentiâ Papæ: vt firmat Gloſſa in Cap. *Decernimus*, de iudiciis, & Barboſa *in Collectaneis circa illud num.* 7.

150 Tradendi etiam Curiæ ſæculari priùs ſunt degradandi realiter, ſi in Sacris ſint, vnde & præcedere concluſio cauſſæ debet. Card Tuſchus *ſuprà Concluſ.* 453. *numer.* 8. Idem autem videtur dicendum in aliis: licet non ſit neceſſaria degradatio dicta, iuxta ſententiam plurium, ex quibus aliquos refert Barboſa *ſuprà num.* 8. ſicut & alios oppoſitum aſſerentes, quibus addendus Mag. Souſa in *Aphoriſmis Lib.* 2. *Cap.* 45. *numer.* 20. & Carena *Parte* 5. *Titulo* 12. *numer.* 57. Innocentius enim Tertius in Cap. *Nouimus*, *de verbor. ſignificat.* generalem tradit doctrinâ circa relaxandos Curiæ ſæculari, dum ait. *Cùm ab Eccleſiaſtico foro fuerit proiectus, eius eſt degradatio celebranda ſæculari poteſtate præſenti, ac pronuntiandum eidem, cum fuerit celebrata, vt in ſuum forum recipiat degradatum, & ſic intelligitur tradi Curiæ ſæculari. &c.* Pro quo & facit Pius V. in Bulla *Si de protegendis.* §. 5. ibi: *Hæreticorum more degradentur*, vbi de Clericis generaliter loquitur. Quicumque ergo ille ſit, qui Curiæ eſt ſæculari tradendus, ſic tradi debet, vt ab Eccleſiaſtico foro fuiſſe proiectum ſæculari debeat poteſtati declarari. Debet igitur modo aliquo

ſquo

Digitized by Google

liquo degradari, id eſt, à foro Eccleſiæ iudicialiter proiici, & ſaltem Clericali habitu exui, ſi in ſacris non ſit, verbis pro tali actu congruentibus, iuxta ea, quæ habet Barboſa *num.* 24. & D. Fermoſinus *ſuprà pag.* 193. circa Cap. *Non ab homine. Quæſt.* 1. quidquid dicat *pag.* 206. *Quæſt.* 2. Cùm enim à gradu excidat, meritò dici poteſt degradatus, quod idem eſt ac depoſitus, & ita explicat Gloſſa verbis illis: *Poſt depoſitionem tradi Curiæ ſæculari puniendus.* Licet depoſitio alia ſit, quæ cum priuilegio fori & Canonis conſtare poſſit, vt cum aliis obſeruat Barboſa *ſuprà num.* 3. Totum autem hoc concluſionem cauſſæ plenario iudicio peractæ ſupponit, vt conſtat. Relaxatio ſiquidem grauiſſima pœna eſt, vt expendit Moneta de diſtributionibus *Quæſt.* 17. *num.* 6. cum aliis, & res ipſà clamat.

Occurritur difficultati ex antiquioribus Concordatis, cum eorum declaratione.

151 Contra exemptionem in aliis criminibus, præter enorme illud læſæ Maieſtatis, videtur antiqua Concordia militare ad Indias tranſmiſſa litteris iteratis, quæ habentur *Tomo* 1. impreſſarum *pag.* 52. *& ſeqq.* quarum epitomem proponit Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 3. *Cap.* 24. *num.* 60. ex quibus illud: *Y que en las cauſas ciuiles de los tales Familiares no tengan, ni pretendan los Inquiſidores Iuridicion alguna; ni tan poco en los delitos graues, como ſon læſæ Maieſtatis humanæ, leuantamiento ò rebelion aleue, fuerza de muger, ò robo de ella, y de robador publico, y de quebrantamiento de caſa, Igleſia, ò Monaſterio, ò en quema de campo, ò de caſa, con dolo, ò en reſiſtencia, y de ſacato calificado contra las Iuſticias Reales, y en otros delitos maiores que eſtos. Y aſi miſmo en los caſos tocantes à los Oficios y cargos Reales, y de Republica, que ouieren adminiſtrado los dichos Familiares.* Hæc ibi. Quæ cùm in Hiſpania ſeruantur ex Concordatis *Ann.* 1569. de quo Heuia in *Curia Philippica Parte* 3. §. 1. *num.* 15. non videtur cur in Indiis non debeant pariter obſeruari, quæ legibus debent gubernari eiſdem, niſi vbi pro illis ſpecialiter eſt prouiſum, vt oſtendit Dom. Solorzanus *citato Libro Cap.* 25. *num.* 15. *& Lib.* 2. *Cap.* 30. *n.* 40. *& Tomo* 1. *Libr.* 3. *Cap.* 1. *numer.* 46. *& ſeqq.* De peccato autem nefando non eſt mentio peculiaris facta, ſed ſub generali illâ clauſulâ comprehenſum: *Y en otros delitos maiores que eſtos*: quod tamen habetur in citata Concordia *An.* 1569.

152 Nihilominùs vt non excepta iudicari debeant, facit nouioris Concordiæ, cuius ſumus proſecuti Capitula, prooœmium, in quo Rex noſter Philippus Tertius, venerandæ ſemper recordationis, id non obſcurè videtur indicare: ſic enim ibi: *Y auiendo tenido noticia el Rey mi Señor, que aya gloria, que entre los Virreyes de eſas Prouincias, y de Nueua Eſpaña, y las Audiencias de ambos Reynos, y otros Miniſtros ſeglares de las Indias, y los Tribunales de la* Inquiſicion *de eſa Ciudad de los Reyes, y de la de Mexico, y ſus Comiſſarios auia alguna diferencia y competencias de* Iuridicion *ſobre cauſas y negocios fuera del crimen de la heregia, ò dependiente de ella, y deſeando que ſe eſcuſen para adelante; y ſe diſe orden que conuiniese, y que cada vno acuda à lo que le tocare por razon de ſu oficio, y no ſe perturbe la paz, mande que los del Conſejo &c.* Sequuntur ſtatim Concordiæ Capitula, quæ, vt teſtatur Rex, ab eius fuerunt Sereniſſimo Patre diſpoſita, & nondum tranſmiſſa, cùm duodecim ſaltem anni à diſpoſitione huiuſmodi effluxiſſent: mortuus eſt enim ille *die* 13. *Septembris Ann.* 1598. & Schedula prædicta ſub Data eſt 22. *Maij Ann.* 1610. In illa ergo, vt ex præmiſſis verbis conſtat, affirmat Regia Maieſtas inter laica Tribunalia vtriuſque Indici Regni, & Sanctæ Inquiſitionis Tribunal, circa crimina, quæ neque hæreſis, neque ab ipſa dependentia, controuerſias extitiſſe: & ſtatim ad eas ſopiendas, & in futurum cauendas, congrui remedij adhibitione contendens, Capitula à Nobis explicata Concordiæ proponit, in quibus catologus ille criminum antiquioris Concordiæ non inuenitur, & ſolùm duo illa, de quibus à Nobis dictum, legitimâ ratiocinatione excepta comperiuntur, Maieſtatis læſæ abſolutè, & nefandi criminis, cùm fuerit facta præuentio. Quod roboratur ex tenore Capituli 26. ſic enim ibi: *Sobre el conocimiento de las cauſas criminales de los Familiares, fuera del crimen de la heregia, ò dependiente de ella &c.* In aliis ergo vim habet exceptio. Quæ illatio ſatis videtur vrgere: neque obſtare quod ex Concordia antiquiore adduximus, quia id potuit per nouiorem reuocari. Sicut neque Hiſpaniæ vſus, quia vbi pro Indiis aliter eſt prouiſum, leges pro illa latæ non currunt, vt iam dictum.

153 Ne verò videamur crimina in antiquiore expreſſa Concordiâ à Regiis Tribunalibus penitus ablegare, iuuat diſcurrendo per ſingula, quid opportunum videatur adnotare.

Læſæ Maieſtatis humanæ. De hoc iam dictum. *Leuantamiento, ò rebelion aleue.* Hæc procul dubio excepta, quia ad crimen læſæ Maieſtatis reuocantur, vt eſt clarum: immò & eſſe verè talia tenet cum aliis, Narbona *in Lib.* 4. *Recopil ac. Tit.* 1 *l.* 20 *Gloſſa* 1. *num.* 9.

Fuerza de muger, ò robo de ella. In hoc ſaltem locus eſt præuentioni, quia maius eſt crimen pellicatu, ſicut de nefando crimine dicebamus. *num.* 145. & pro raptu id videtur quod de ſequenti dicendum.

Y de robador publico. Hic etiam præuentio valere ſaltem poteſt ob criminis enormitatem: immò & abſoluta poteſtas, argumento deſumpto ex Nigris DD. Inquiſitorum mancipiis, de quibus *Cap.* 4. qui laicæ poteſtati plenè ſubiiciuntur, cùm arma portant non comitantes Dominos, eo quòd videantur ad nocendum parati. Quantò ergo id potiùs in publica luce raptores. Item, ex *Capit.* 20. vbi delinquentibus in officio eadem ſubiectio ſtatuitur; eſt enim rapinæ genus. Publicum autem raptorem tantùm eſſe illum, qui ſolitus aggredi cum armis in viâ publicâ, oſtendit Narbona *ſuprà Gloſſa* 14. præſertim *n.* 11.

154 *Y de quebrantamiento de caſa, Igleſia, ò Monaſterio.* Hæc cùm rapiendi cauſſâ fieri ſoleant, publicâ ſunt rapinâ peiora, vnde idem de illis pronuntiandum. Si autem ex alio fine contingant, luxuriæ inquam, ex dictis liquet inter excepta computanda. Si ex alio, talis quidem erit, vt poſſit ad prædicta ſpecialiter excepta reduci.

O en quema de campo, ò de caſa, con dolo. Hoc crimen in genere iniuſtitiæ maius rapinâ eſt, quàm

poteſt excuſare neceſſitas; cùm tamen incendiariorum atrocitatem nihil ſit quod poſſit excuſare. Non ſolùm ergo rapiunt, ſed diripiunt.

Y en reſiſtencia y de facato caliſicado contra las Iuſticias Reales. Vt crimen hoc exceptum reputari debeat, argui ex ſeruis D D. Inquiſitorum poteſt, de quibus iam dictum. Si enim illi ex præſumpto armorum abuſu laicis iudicibus ſubiiciuntur, quanto potiori iure id aſſerendum de iis, qui Regiis iuſtitiæ miniſtris armorum oppoſitione reſiſtunt? Item ex *Caput*. 5. de Familiaribus, qui mercimonio vacant, & Regia iura defraudant. Multò eſt autem deterius, & magis Regiæ auctoritati contrarium, Regiis obſtare miniſtris, & graues ipſis iniurias ore, manu, aut aliter irrogare. Id quod in Regiis Conſiliariis vel Auditoribus, & Togatis quibuſque manifeſtius.

155 *Y en otros delitos maiores que eſtos.* Licet ergo in Capitulis multa expreſſa non ſint, ex ibidem appoſitis ad grauiora poteſt argumentum deriuari.

Y aſi miſmo en los caſos tocantes à los Oficios &c. Hoc in Capitulis expreſſum habetur. Poſſunt ergo & vetus & noua Concordia iuxta expoſitionem datam conciliari. Cur autem non ſit in noua cum antiquæ expreſſione prolatum, non eſt anxiè inueſtigandum, cùm hoc ex diſponentium pendeat voluntate. Quę quidem ſic à me dicta velim, vt Supremi Tribunalis cenſuræ, immò & aliorum meliùs ſentientium ea, ſicut & alia, ſubmittam.

Pro exemptione in Ciuilibus

COROLLARIVM.

156 ET prædicta quidem quoad criminalia procedunt, vt vidimus. In cauſſis autem ciuilibus, de quibus, & *num.* 142. exiſtimat P. Palaus *Tomo* 1. *Tract.* 4. *Diſput.* 8. *Puncto* 12. §. 2. *num.* 9. ſolum habere locum reſpectu Officialium, qui ſunt à ſecretis, ij enim tantùm conueniri & conuenire debitores poſſunt coràm DD. Inquiſitoribus, non autem alij Officiales externi. Et idem vt probabilius tradit Thomas del Bene *de Immunit. Eccleſiaſt. Parte* 1. *Cap.* 14. *Dubit.* 14. *numer.* 13. ſed doctrina prædicta non videtur vt proponitur amplectenda, ſed potius contra ſe habere praxim & rationem: ne ſcilicet in executione officiorum ad alia ducti tribunalia præpediantur. Et ita Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 3. *Cap.* 24. *n.* 59. ad omnes id ſalariatos extendi vt certum ſtatuit. De aliis ergo aliter ſentiendum, pro quibus *num.* 142. *citato*. Videatur Diana *Parte* 4. *Tract.* 8. *Reſolut.* 55. qui rem tetigit, nec tamen plenè diſcuſſit.

Circa caſum peculiarem, de quo nuper oborta quæſtio, Reſolutio vtilis, cum doctrina multiplici, exemptionem in criminalibus concernente.

157 SI Inquiſitionis Tribunali ab homine opulento & pio patronatus eſt operum piorum relictus, & in iis eximij cuiuſdam pro enutriendis & educandis vtriuſque ſexûs expoſitis, Quod adeò expediens viſum eſt pro bono publico, vt ab Illuſtriſſimo Dom. Inquiſitore Generali iuſſum fuerit eam ſolicitudinem retineri. Et in bonis quidem defuncti, ac vxoris eius, in eo etiam pietatis officio conſortis, prædium fuit ſatis opimum, quod ſeruis Æthiopicis colitur, quibus Hiſpani nonnulli præſunt. Ex iis vnus mortuus eſt inuentus, lucente adhuc ſole, ſuo in lecto, miſerandum in modum, & interfectore non cognito (qui ſanè vnus eſſe non potuit) terribile Dei iudicium expertus: circa quod multa dici poſſent (dudum enim fuerat à Societate dimiſſus non ſine infelicitatis tantæ præſagio) ſi id locus præſens pateretur. Et dubitatum quis iudex ea in cauſſa futurus. Quòd ſi S. Tribunal? Quis in eo tenendus ordo, & quibus cautionibus irregularitatis periculum fugiendum. Et vt iudex laicus ordinarius futurus ſit videntur ſatis efficaciter ſequentia demonſtrare.

158 Primum. Nam licet familiares DD. Inquiſitorum gaudeant priuilegio fori in ciuilibus & criminalibus, vt eſt communis ſententia Doctorum apud Narbonam *ſuprà*, *Gloſſa* 1. *num.* 10. *& ſeqq.* P. Fragoſum *Tomo* 2. *de regimine Chriſtianæ Reipublicæ, Lib.* 5. *Diſput.* 13. §. 10. *num.* 15. Diana *Parte* 4. *Tractat.* 8. *Reſolut.* 55. DD. Nicolaum Rodriguez, Fermoſinum Inquiſitorem Valliſoletanum *Parte* 2. *de Iudiciis*, in Cap. *Si quis contra, quæſtio.* 16. *num.* 1. vbi ait circa hoc non eſſe dubium. De quo & in Cap. *Cùm contingat, quæſt.* 11. & alios. Quod in familiaribus captiuis potiori ratione locum habere probat Narbona *ibidem, numer.* 33. *&* 34. & D. Fermoſinus in Cap. *Cùm contingat, Quæſt.* 12. *num.* 7. Debent tamen familiares huiuſmodi eſſe propriè tales: quod vt verificetur, communiter affirmant Scriptores debere expenſis eius ſuſtentari, ad cuius dicuntur familiam pertinere. Pro quo Narbona *ſuprà, num.* 39. *&* 51. D. Fermoſinus circa Caput nuper citatus *Quæſt.* 11. *num.* 1. *& Quæſt.* 14. *num.* 2. Diana *Parte* 9. *tractat.* 1. *Reſolut.* 6. Trullench *in Bullam Cruciatæ, Lib.* 1. §. 3. *Dub.* 5. *numer.* 2. Barboſa *de poteſtate Epiſcopi, Allegat.* 5. *numer.* 20. P. Suarez *Tomo* 4. *de Religione, tractat.* 10. *Lib.* 9. *Cap.* 4. *num.* 14. P. Quintanad. *Tom.* 1. *tract.* 7. *Singul.* 32. *num.* 8. P. Mendus *in Bullam, Diſput.* 15. *num.* 8. P. Bardi in eamdem *Parte* 2. *Tractat.* 2. *Cap.* 3. *Sect.* 1. *num.* 4. & alij apud ipſos; fauente Textu, quem adducit P. Suarez ex *Cap. vltimo, de verbor. Significat. in* 6. ibi: *In ſuis expenſis continuis domeſtici commenſales*: Atqui in noſtro caſu famuli & ſerui non aluntur expenſis DD. Inquiſitorum, quorum neque dominij ſunt, ſicut neque prædium ipſum. Eſtque id iuxta notiſſimam praxim, ex quâ habetur executores teſtamentorum, ſeu patronos ex teſtamento ad pia opera, non eſſe bonorum dominos, quæ pro talibus operibus ſunt relicta, ſed ad ſummum adminiſtratores; quia neque hæredes, neque legatarij: hæres enim opera ipſa pia ſunt, vt videri poteſt apud P. Molinam *Diſputat.* 134. in principio, iuxta receptiſſimam doctrinam loquentem. Ex quibus videtur legitima conſequentia deduci præfatos famulos & ſeruos non eſſe propriè familiares.

159 Secundum. Quia vt conſtat ex *Cap.* 4. Concordiæ, de quo *numer.* 37. Nigri portantes arma cùm Dominos non comitantur, puniri à

laicâ

Digitized by Google

laica Iuſtitia poſſunt : multò ergo magis cùm malè armis vtuntur, & præſertim cùm atrociter occidunt, vt in caſu, de quo dictum. Propterea namque puniri poſſunt portantes arma, quia nocituri eiſdem præſumuntur : igitur multò id potiùs cùm reipſà nocent : nam propter quod vnumquodque tale, & illud magis & effectus maiorem pœnam meretur, quàm affectus, iuxta omnes.

160 Tertium. Quia in *Capitulo* 13. eiuſdem Concordiæ diſponitur DD. Inquiſitores, & Miniſtros, ſi in bonis aliquibus litigioſis ſuccedant ex teſtamento, aut alio titulo, non debere cauſam ad S. Tribunal auocari; ſed in eo terminari apud quod eſt inchoata; ſiue ad quod per appellationem deferenda, de quo *numer.* 50. In bonis autem huiuſmodi poſſunt eſſe ſerui. Ex quo ſequitur inprimis non eſſe omnino alienum ab Inquiſitoria auctoritate, vt apud laicum iudicem cauſſa aliqua ad eam ſpectans iudicetur. Deinde, circa propria bona priuilegium fori negari : ergo multò id potiùs iuxta ea, quæ propriè talia non ſunt, quales ſerui in caſu noſtro. Præutereà, cauſſę dictæ auocari non debent, ne iudices, apud quos inchoatæ, iuriſdictionis exercitio, in quo ſunt, tali auocatione priuentur, & ne pars collitigans moleſtiam patiatur, de quo *citat. num.* 50. In caſu autem noſtro Regij Miniſtri ſimiliter priuandi, & pars etiam, quæ eſſe poteſt, ſi quiſquam ſit occiſi propinquus, tali moleſtiâ grauandus. Simili ergo modo eſt de illo iudicandum. Et licet in præfato Capitulo de ciuilibus tantùm agatur, ex quibus ad criminalia non eſt efficax argumentum, vt in Familiaribus conſtat, magis quoad criminalia priuilegiatis, vt ex Concordiâ patet. Efficax tamen videtur illatio : quia prima ratio, de independentia à tribunali laico, ob indecentiam in illâ, in quo non parua vis ponitur; diſpoſitione prædicti Capituli penitus ceſſat. Secunda de dominij defectu magis vrget. Tertia autem, iam vidimus quale habeat ſimilitudo momentum. Et licet de ciuilibus ad criminalia non benè arguatur : vbi pro iſtis ſpecialiter eſt prouiſum: vbi tamen prouiſum non eſt & ratio pro illis æqualis militat, benè fundari illationes poſſunt.

161 Quartum. Iuriſdictio, quam S. Tribunal circa cauſſas huiuſmodi habet, tota eſt à Rege, vnde in Concordiis & ampliatur & reſtringitur, prout illi placet & iudicat expedire, vt eruditè probat Baſilius Legionenſis *de Matrimonio, Lib.* 5. *Cap.* 12. *numer.* 15. 17. *& ſeqq.* Eſt autem Regiæ intentionis vt quæ ad iuriſdictionem ſpectant, minimè in priuilegiatis amplientur, per quod minui, & minùs timeri Regia videtur auctoritas. Quod conſtat ex variis ſchedulis, de quibus D. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 3. *Cap.* 24. *num.* 61. & ex toto tenore Concordiæ. Ampliatio autem valde exorbitans apparet ea, de quâ agimus, pro quâ nullum extat in Regiâ conceſſione veſtigium. Et quidem extenſiones & ampliationes iuriſdictionis in Inquiſitoribus valde reprehenſibiles iudicat Sedes Apoſtolica, dum in Clementinâ I. de hæreticis ſic admonentur: *Aduertant pariter ne metas ſibi traditas excedant, extendentes ſua poteſtatis officium, &c.*

162 Quintum. Quia priuilegium exemptionis eſt contra ius commune, dum cauſſæ ſæcularium delinquentium ordinariis iudicibus auferuntur : ſtrictè ergo interpretandum eſt, iuxta communem Doctorum ſententiam. Quod ſpecialiter in materia familiarium loquens, probat P. Bardi *ſuprà, Sect.* 7. *numer.* 70. & Diana *Reſolut.* 6. *citatâ.* Et ab hoc generali doctrinâ non eſſe S. Inquiſitionis Tribunal eximendum, quantumuis priuilegiatum, ex eo oſtenditur, quia pro tali exceptione nullum extat fundamentum, neque pro eo debent Iuris Sanctiones immutari. Et item quia de priuilegiis Inquiſitionis loquendo, & ſpecialiter in materiâ iuriſdictionis, id ſtatuunt Doctores. Sic enim priuilegium extat Vrbani IV. per quod habetur Officiales Inquiſitorum non poſſe à quocumque Eccleſiaſtico Prælato Cenſuris ligari. Eo tamen non obſtante ab Ordinariorum iuriſdictione exemptos non eſſe in iis, quæ ad officia Inquiſitionis non ſpectant, & ita poſſe ligari Cenſuris, tenet cum alijs P. Fragoſus *ſuprà,* §. 9. *numer.* 103. quia priuilegium pro eo ſpeciale non extat, & prædictum Vrbani non debet ampliari adeò generali, & ſic odioſâ Prælatis exemptione. Priuilegium item inquirendi contra mortuos hæreticos, non extenditur ad fautores, receptatores, & defenſores, vt cum aliis tenet Auctor idem §. *eodem, num.* 106. quia propriè hæretici non ſunt, & ita priuilegium dictum nequit extendi contra *L. Defuncto. D. de publicis iudicijs*, iuxta quam omnia crimina morte extinguuntur. Suſpecti etiam de hæreſi poſt mortem damnari nequeunt, vt cum aliis tenet Diana *Parte* 4. *Tractat.* 7. *Reſolut.* 28. §. 4. *Aduertendum.* & Alberghinus *in Manuali, cap.* 36. *num.* 4. alios adducens, & ſic ſunt alia.

163 Tandem ſupremum S. Inquiſitionis Concilium hac in parte valde ſe circumſpectum exhibet, & in fauorem Regiæ auctoritatis multa diſſimulat, tum de iis non curando, ſiue familiares ſint ſiue officiales, quia apud Regia tribunalia cauſſas ſuas iudicari malunt : tum puniri etiamſi reus propter delicta aliqua, etſi non excepta : pro quibus videri poteſt Narbona *Gloſſa* 21 & D. Thomas Carleualius de iudiciis & foro competenti *Lib.* 1. *Titul.* 1. *num.* 322. Valde ergo ab illius intentione videtur alienum iuriſdictionem inferiorum tribunalium ad ea, quæ in hoc genere ſunt parùm Iuri & praxi conformia, ſe non conſulto, vt in caſu, de quo tractamus, extendi.

Et hæc quidem partem negantem videntur non leuiter comprobare. Pro affirmante autem ſuæ etiam rationes occurrunt, quas, vt à me ſunt excogitatæ, ſicut & præcedentia fundamenta, ſubijciam, ex quibus ſit

164 Prima, & fundamentalis. Nam familiares DD. Inquiſitorum foro illorum gaudent, vnde multò id potiùs familiares ipſius S. Tribunalis; quæ eſt veritas inconcuſſa. Vnde cùm ſint qui hoc negent familiæ Epiſcoporum, immò & Nuntiorum Apoſtolicorum, reſpectu tamen eorum, de quibus loquimur, id ingenuè proteſtantur : vt videri poteſt in Allegatione peculiari D. Chriſtophori Moſcoſi Regij olim Fiſci in ſupremo Caſtellæ Conſilio Patroni *num.* 75. pro D. Moſcoſo ſtat D. Fermoſinus in Cap. *Cùm contingat. Quæſt.* 12. *numer.* 13. quoad conſuetudinem : quidquid de Iure ſit. Cuius poſitionem ex hoc

quod negare de familia Inquiſitorum non potuit, impugnat Diana *Parte 6. Tractat. 2.* qui eſt totus contra ipſum, & ſpecialiter *Reſolut. 9. in principio.* Videantur citati *num. 158.* Atqui ſerui, & idem dictum ſit de ſeruitoribus aliis, non diarijs, & fortuitis, ſed diuturnis ac ſalariatis, licèt omnes etiam diurnos priuilegio gaudere teneat Narbona *ſuprà, Gloſſa 1. num. 27.* pro quo & plures alios adducit Diana *Parte 3. Tractat. 1. Reſolut. 47.* & D. Fermoſinus *citatâ Quæſt. 12.* Narbonæ ſententiam amplexus. Sed familiares à ſeruitoribus diſcernit apertè S. Congregatio apud Barboſam *in Collectaneis Bullarij, V. Confeſſarius primo*, ex quo Lezana *Tom. 2. Cap. 16. num. 16.* verba illius ſunt: *Communes commenſales, non tamen illorum, qui deſeruiunt in Monaſterijs.* Et de approbatione neceſſaria agitur ad eorum audiendas confeſſiones. Atqui inquam ſerui ſunt familiares in ſenſu non improprio: gaudent ergo foro. Maior conſtat, & Minor oſtenditur: nam ſerui DD. Inquiſitorum ideò familiares dicuntur, quia eorum ſunt, & vt partes quædam ipſorum, vt apud Narbonam videri poteſt *num. 158.* adductum, ab eiſdem gubernantur, quorum & imperio ac diſpoſitioni ſubduntur. Hæc autem ſeruis patronatûs competunt, quorum DD. Inquiſitores habent, ſicut & prædij, pleniſſimam adminiſtrationem, in quo, cùm libet, eiſdem aſſiſtunt, & eorum mandatis maior præſtatur obedientia, quàm defunctis dominis præſtabatur. Sunt igitur non impropriè familiares.

165 Iam quòd adminiſtratio talis ſufficiat, vt prædium dictum cum omnibus, quæ in eo ſunt; vnde & cum ſeruis, S. Inquiſitionis dici poſſit, ex eo oſtendo, quod in Beneficijs cernitur, quorum proprietatem Beneficiarij dicuntur habere, cùm de illis eſt facta collatio, ad diſtinctionem interinariæ poſſeſſionis, propterea quòd illorum habeant adminiſtrationem, vt conſtat ex Cap. *Requiſiſti de teſtamentis*, §. *Illud*, ibi: *Eum qui poteſt proprium poſſidere: prælationem vel adminiſtrationem Eccleſiæ non habentem.* Cap. *Expedit.* & Cap. *Finali*, 12. *quæſt. 1.* Pro quo & videndus P. Molina *Diſput. 3. §. Addit Bartholus.* Cùm ergo in noſtro caſu pleniſſima adminiſtratio ſit, ad effectum, de quo agimus, ſimile fundamentum extabit, vnde & pro foro eſt legitima conſequentia.

166 Secunda. Quia licet ſerui prædicti non ſint familiares propriè; quia tamen non omnino abuſiuè tales dicuntur, poteſt ad illos priuilegium exemptionis extendi, eo quòd priuilegium tale ſit fauorabile, & ex cuius vſu nullum cuiquam ſuboritur detrimentum. Eſt autem communis doctrina in talibus poſſe verba etiam impropriari. Propter quam P. Pellizarius *in Manuali Regul. Tomo 2. Tract. 8. Cap. 2. Sect. 2. n. 149.* de familiaribus loquens, ſingularem quamdam facit extenſionem, de quâ inferius ad *Primum*, ſicut & aliorum. Et fauet *L. Cùm quidam. D. de liber. & poſthum.* Quod autem priuilegium fauorabile ſit negari nequit, cùm ſit in fauorem Tribunalis ſancti conceſſum, ad eius auctoritatem augendam, quam bono publico ij, qui conceſſerunt, ſunt vtiliſſimam arbitrati. Pro quo multa extant Regia reſcripta, & pro Indiis videri poteſt Dom. Solorzanus *citat. Cap. 24.* Et detrimentum nullum cuiquam ex tali vſu creari, ex eo liquet, quia ſi alicui, maximè iudici, è cuius tribunali cauſſa auocatur: at hoc detrimenti nihil habet, ſed diminutio laboris in moleſtiſſimo negotio, qualia eſſe criminalia ſolent. Et cùm ea, de quibus loquimur, Inquiſitorem tangant, nullus erit, qui non libenter ab iis ſe exoneratum gaudeat, ne, dum ea tractat, aut iuſtitiam propter humanum reſpectum violet, aut eâ ſeruatâ, Dominorum indignationem incurrat, dum ipſi aliter poſſunt de cauſſæ meritis iudicare.

167 Tertia. Nam in ſeruis dictis, & aliis, ſimilis eſt ratio ac in propriis, etiamſi dicamus non eſſe familiares: atqui hoc ſufficit ad extenſionem priuilegij: poteſt igitur conuenienter extendi. Maiorem probo, quia vt vidimus *numer. 164.* pleniſſimæ dominorum gubernationi non minùs quàm proprij ſerui ſubduntur; & ſi eorum cauſſæ apud ſæcularia tribunalia eſſent tractandæ, id Dominis valdè eſſet incommodum, neque Tribunalis ſancti auctoritati conforme. Minor autem probari efficaciſſimè poteſt ex conceſſione Vrbani IV. de quâ *numer. 162.* Pontifex ſiquidem in illâ de Inquiſitoribus tantùm, & eorum Notariis loquitur: & tamen Doctores illam ad alios Officiales extendunt propter ſimilitudinem rationis, licèt reuerà Officiales alij dici Notarij nequeant, etiam impropriè. Pro quo Pater Fragoſus *citat. n. 103.* & D. Fermoſinus *ſuprà*, plures adducens *n. 43.* Eſt ergo efficax conſequentia.

168 Quarta. Quia Regium priuilegium circa exemptionem familiarium in fauorem fidei tendit, pro quâ conſtat Tribunal ſanctum militare: ergo ex eo titulo debet ſpecialiter extendi, etiamſi familiarium nomen non ita conſonet. Quod quidem ex eo oſtenditur, quia fauore fidei in pœnalibus fit extenſio. Vnde cùm in Cap. *Contra Chriſtianos*, de hæreticis *in 6.* ſtatuatur, vt poſſint DD. Inquiſitores cognoſcere de tranſeuntibus ad ſectam Iudæorum, id Doctores ad tranſeuntes ad quamcumque ſectam infidelium extendunt. *Et fauore fidei fit extenſio*, vt ſpecialiter loquitur Rojas, de hæreticis *Parte 1. num. 124.* ſtante eadem ratione.

169 Quinta: Quia ſi DD. Inquiſitores in caſibus huiuſmodi dependentiam à laicalibus tribunalibus eſſent habituri, minimè patronatum dictum ſuſtinerent, ex quo fieret bono publico graue detrimentum obuenturum: vnde ab Illuſtriſſim. D. Inquiſitore Generali retentio eſt illius imperata. Ex quo ſequitur hoc etiam eſſe Regi noſtro gratiſſimum, qui opera hæc pia paſſim commendat & fauet: vnde & priuilegij extenſio nequit eidem diſplicere, ſine quâ opus dictum ſtare nequit. Et pro beneplacito huiuſmodi illud præterea facit, quod laica tribunalia in caſu ſpeciali, pro quo eſt orta difficultas, ſe non oppoſuerint, neque Dom. Prorex poſt ſapientium conſultationem voluerit competentiam modo præſcripto & vſitato formari. Quòd ſi iuriſdictio talis ex Regiâ conceſſione procedens, vti iam ſpirituali coniuncta, ſpiritualis & Eccleſiaſtica eſt, vt latè probat Narbona *Gloſſa 22.* & alij, id extenſionem ex parte Regię voluntatis non tollit, quia quomodocumque influat, in eam perfectionem tranſit; & ita ſimiliter eſt, aut non eſt, id quod agitur ipſi conforme.

170 Vlti-

Digitized by Google

170 Vltima. Nam ſicut ad extenſionem priuilegij facit quòd ſit in fauorem fidei conceſſum, ita & pietas ſimilem fundat extenſionis facultatem: pro quo ſæpiùs in Theſauro dictum, & de quo cumulatiùs reliquis Tiraquellus *de priuilegijs piæ cauſſæ. numer.* 160. *& ſeqq.* vbi quòd amplianda, & augenda, etiamſi iuris communis derogatoria ſint. In noſtro ergo caſu, vbi pietatis eſt cauſſa manifeſta, & non ad vnum aut alterum, ſed ad innumeros illius beneficium extenditur, priuilegiũ eſt pariter extendendum. Vbi dici ſatis conuenienter poteſt, quòd ſi quidpiam ad compellationem familiarium in ſeruis deeſt, dum alterius eſſe probantur, id quidem pietatis additamento abundè compenſari. Sicut in pœnalibus dicunt aliqui id, quod ad perfectionem actûs, cui eſt pœna impoſita deficit, illius repetitione ſuppleri. Pro quo Mag. Souſa in Aphoriſmis *S. Inquiſitionis Lib.* 1. *Cap.* 59. *numer.* 8. Sic rationibus firmata poſitio affirmans, ſolutione poterit obiectorum ampliùs roborari.

171 Ad Primum ex prima & fundamentali ratione eſt prompta reſponſio, eo enim modo, quo prædium dictum & ea quæ ad illud ſpectant, dicuntur eſſe S. Tribunalis, dici etiam poteſt ſeruos illius expenſis ali. Item ex *Secunda*, quia licet aliquid ad compellationem deſit, propter fauorem priuilegium extenditur. Et idem habetur ex *Quarta*, *& vltima.* Stare etiam poſſe vt quis gaudeat familiaris priuilegio, etiamſi ſuis expenſis ſuſtentetur, videri apud P. Pellizarium poteſt *ſuprà*, qui ad fratres ſub eodem tecto viuentes Oratorij priuilegium extendit. Et apud Dianam *Parte* 4. *Tract.* 1. *Reſolut.* 30. de familiaribus Epiſcopi loquentem. Ex quo & aliis D. Fermoſinus *num.*44. ad matrem extenſionem facit Molfeſius *Tomo* 1. *Tract.* 3. *Cap.* 17. *numer.*70. Trullench *ſuprà* cum Ludouico Lopez ad pediſequas certis diebus comitari ſolitus: & *Dub.* 3. ad magiſtros, & Pædagogum. P. Tamburinus *Lib.* 1. *de Sacrificio Miſſæ. Cap.* 4. §. 4. *num.* 31. ad filios & filias, nurum & generum; dummodò habitent moraliter in eadem domo. Ex quo Verricelli *Tractatu de Miſſionibus Quæſt.* 135. *num.* 20. Lezana *Tomo* 2. *Cap.* 16. *num.* 1. ad gratis etiam ſeruientes. Et ſic alij.

172 Ad Secundum dici poteſt in odioſis & pœnalibus non valere argumentum, etiam vbi maior eſt ratio. Pro quo in Theſauro dictum, & videri vlteriùs poteſt Diana in materia immunitatis loquens *Parte* 7. *Tract.* 1. *Reſolut.* 15. *num.* 2. *&* 9. P. Molina *Tomo* 4. *Diſput.* 75. *num.* 4. Carena *Parte* 2. *Titulo* 6. *num.* 13. Eſt autem ratio in noſtro caſu non leuis. Seruus enim arma portans, ad nocendum ea portare præſumitur, vnde expedit illum ſtatim exarmari, & puniri. Iam autem damno illato, æquum eſt vt per iudicem eius, cuius eſt fori, cauſſa ipſius tranſigatur.

173 Ad Tertium bene ibi reſponſum de ciuilibus ad criminalia non eſſe legitimam illationem. Cuius reſponſionis impugnationi dicendum, quòd, etſi rationes videantur ſimiles, id non obſtat, quia & inter criminalia ipſa tales eſſe poſſunt, immò & quandoque maiores: nec tamen, vt nuper diximus, ex aliis ad alia crimina fieri argumentum poteſt. Et prætereà non eſt difficile rationem aliquam ſpecialis conuenientiæ in tali diſpoſitione deprehendere eam penitiùs intuenti. Valde enim diuerſum eſt cauſſam cœptam auocari à tribunali, & maioribus inconuenientibus expoſitam, quàm non cœptam vti propriam aſſumere, proſequi, & terminare.

174 Ad Quartum, etſi iuriſdictio à Rege ſit, iuxta illius intentionem poſſe illam extendi, oſtenditur ratione vltimâ, quia reſpectus boni publici, & eximiæ pietatis, multùm operatur. Cùm aliàs penitus exploratum non ſit iuriſdictionem ex Regia conceſſione deſcendere, vt videri poteſt apud P. Fermoſinum *Parte* 2. *Allegat.* 1. *in fine.*

175 Ad Quintum, etſi priuilegium exemptionis contra ius commune ſit, & generaliter, quod tale eſt, debeat ſtrictè interpretari: id fallere, vbi fauor fidei, religionis, aut pietatis interuenit. Quod probatur ex ipſo priuilegio Vrbani Quarti, de quo ibi, cuius extenſionem vidimus *num.* 167. Priuilegium autem ad procedendum contra hæreticos defunctos in rigore non videtur tale, ſed lex pœnalis omnino, licet in fauorem fidei, non tamen alicuius perſonæ particularis, aut in communi, per quod deficit ratio fauorabilis. Nulla enim lex quantumuis pœnalis eſt, quæ in fauorem boni communis non ſit: Priuilegium autem immunitatis fauorem reſpicit perſonarum, vnde aliter interpretandum. Facit etiam pro eodem id, quod de Bulla Pij V. *ſide protegendo*, tradit Diana *Parte* 4. *Tract.* 7. *Reſolut.* 13. latè ſcilicet interpretandam, & extendendam vti fauorabilem, quia ob publicam vtilitatem: cùm tamen grauiſſimas omnium contineat pœnas. Pro quo & Riccius apud ipſum.

276 Ad Vltimum, Circumſpectionem Supremi S. Inquiſitionis Tribunalis eſſe exploratam, ſed proceſſu noſtro eius eſſe non obſcuram mentem circumſpectioni minimè aduerſantem. Dum enim iubet patronatũ ſuſtineri, conſequenter modum conuenientem in eius retenſione præſcribit: & is eſt, quem diximus, Regiæ, & Regiorum Miniſtrorum voluntati conformis.

Circa modum procedendi in caſu dicto.

Vbi vtiles obſeruationes.

177 STante fauorabili reſolutione, quam & rationibus & obiectorum dilatione firmauimus, in reliquis nulla apparet difficultas peculiaris. Procedendum ſiquidem ſicut in cauſſis familiarium, in quibus an tales ſint, nulla poteſt eſſe dubitatio, & pro quo etiam eſt varietas ſententiarum. Quando enim cauſſa ſanguinis eſt, committendum laico delegato contendit Narbona *Gloſſa* 21. §. 58. *& ſeqq.* eo modo, quo Prælati iuriſdictionem habentes temporalem, committere cauſſas huiuſmodi ſolent: quod ſi non ita fiat, irregularitas non poterit euitari, ſi Curiæ ſæculari reus concluſâ cauſſâ tradatur. Videtur autem neque ad torturam poſſe procedi niſi à delegato dicto, quia cùm ſit illa ad ſententiam ſanguinis ordinata, ad eum ſpectat, ad quem & ſententia, Aliàs ſi reus in tortura crimen fateretur, & iudex qui torturam indixit, atque eidem præfuit, confeſſionem delegato traderet, cauſſæ ſanguinis ſe manifeſtè immiſceret, & perinde eſ-

NNN 4 ſet

Digitized by Google

ſet ac reum capitaliter condemnare : quod cauetur in *Cap. final. Ne Clerici, vel Monachi in ſexto.*

178 Dico Primò. Negari nequit ſecuriſſimum eſſe procedendi modum, quem Narbona omnino neceſſarium arbitratur, vt videtur compertum, eſtque ille iuxta deciſionem *Capitis citati*, in quo Eccleſiaſticis habentibus temporalem iuriſdictionem vt neceſſarius præſcribitur, dum dicitur, *Debent & poſſunt.*

179 Dico Secundò, illum in Tribunali S. Inquiſitionis non videri neceſſarium. Et quidem in cauſſis ad fidem ſpectantibus id eſt manifeſtum. Deinde, in caſibus non ſpectantibus ad illam, vbi de foro tamen ipſius ſunt, non eſt neceſſaria commiſſio aut delegatio, vt conſtat in peccato Sodomiæ in Portugallia, Aragonia, Valentia, Catalaunia : ergo cùm in Hiſpaniæ Inquiſitione crimina familiarium &c. de foro illius ſint, eodem modo videtur procedendum.

180 Deinde id probo ex Concordia *citata l. 20. Tit. 1. lib. 4. recopilat.* in qua ſtatuitur Familiarem, qui deprehenditur non gaudere foro Inquiſitionis, remittendum Curiæ ſæculari, modo ibidem tradito, & ſic clauditur: *La qual* (remiſion) *luego que ſe hiciere y preſentare al Inquiſidor, o Iuez ſeglar, contra cuya iuridicion ſe vbiere declarado, remita el tal proceſo y cauſa, y lo deje à aquel, en cuya fauor ſe vbiere fecho la dicha remiſion, paraque proceda en el conocimiento y determinacion, de la cauſa.* Sic ibi. Vbi licet de remiſſione proceſſùs & cauſſæ tantùm videatur ferri præceptum, dubitari nequit quin de remiſſione etiam rei debeat intelligi, vt benè oſtendit Diana *Parte 4. Tract. 2. Reſolut.* 191. Notanda iam verba illa: *Paraque proceda en el conocimiento y determinacion de la cauſa.* Poteſt ergo S. Tribunal in determinatione & cognitione cauſæ procedere : ex quo euidenter elicitur non eſſe neceſſariam cauſſæ delegationem, quando illa eſt ſanguinis, cùm deciſio ſit vniuerſalis.

181 Et ex eadem deciſione argui efficaciter poteſt. Nam Familiaris, qui mortem intulit, priuilegio fori gaudet in Hiſpania, dum mors aleuoſa non eſt, vt videri poteſt apud Narbonam *Gloſſa* 11. *num.* 36. *& Gloſſa* 17. *num.* 11. de eo ſi competentia formetur: ſeruandus interim in cuſtodia iudicis præuenientis reus, & ſi foro non gaudere fuerit deprehenſus, atque in cuſtodia S. Inquiſitionis fuerit, iudici eſt laico cum proceſſu & cauſſa tradendus : ex quo clarè habetur eum mortis ſupplicio afficiendum. Et nihilominus id ſine periculo irregularitatis accidit : ergo ſimiliter poterit S. Tribunal in cauſſa procedere quādo crimen ſui eſt fori, & conuictum aut confeſſum reum, & ſic capitali pœnâ dignum, Curiæ tradere ſæculari. Conſequentia eſt clara : nam in vtroque caſu eſt eadem ratio, cùm mors ſit pariter ſecutura.

182 Benè verum eſt pro hoc non haberi ſpeciale Pontificum priuilegium, ſicut habetur pro cauſſis fidei, & offendentium Inquiſitores ac eorum Miniſtros, vt videri poteſt apud Dianam *Parte 4. Tractatu 8. Reſolut* 51. Narbonam *Gloſſa 22. num. 64.* Leandrum *infrà Quæſt. 39.* & P. Fragoſum *Diſput. 13. citata §. 1. numer. 9.* & cùm iuriſdictio à Rege ſit, inde videri difficile quomodo poſſit irregularitatis vinculum euitari. Neque videri ſatisfieri ex deciſione Concordiæ, quia cùm in illa & Rex & Tribunal Inquiſitionis ſanctæ concurrant, in neutro eſt poteſtas ad irregularitatis labem ſubmouendam. Proter quam rationem in caſu remiſſionis poſt competentiam cenſet Diana *Reſolut. 191. citata*, hoc non eſſe ad poteſtatem Tribunalis ſupremi referendum, ſed dicendum fuiſſe tantùm declarationem ex multorum Scriptorum doctrinâ, quos ibidem affert, aſſerentium eam non eſſe proximam cooperationem ad mortem, & ita ab irregularitate alienam.

183 Quæ doctrina caſui noſtro poteſt, & ſimilibus, generaliter adaptari. Nam, ſicut ex ſententia eorum, quos prædictus Auctor adducit, colligitur, etiam ſecluſis Bullis Pontificiis, in traditione ſæculari Curię non incurreretur irregularitas, & in caſu noſtro, & ſimilibus, non ſit aliter remiſſio facienda; idem erit de irregularitate dicendum. Quòd ſi Pontifices pro eo priuilegium conceſſerunt, id ad tollendos ſcrupulos factum, vt in ſimili affirmat Diana in Bulla Gregorij XIV. loquens *citata Reſolut.* in qua de tradentibus Curiæ ſæculari non gaudentes immunitate Eccleſiaſticâ decernit Pontifex. Hoc ergo ſecuros reddere DD. Inquiſitores poteſt.

184 Præterquam quòd non videtur neceſſarium vt capitali pœnâ digni Curiæ ſæculari tradantur. Sic enim de Sodomiis, vbi de eorum crimine Tribunal S. Inquiſitionis cognoſcit, affirmat Freytas in *Additionibus ad Tractatum de Confeſſariis ſolicitantibus Quæſt. 24. numer.* 136. tales, niſi ſint incorrigibiles, non poſſe Curiæ ſæculari tradi, quod non improbat Diana *Tract. 7. Reſolut. 20. P. 4.* & Souſa in *Aphoriſmis Lib. 1. Cap. 59. num.* 27. ait eſſe probabile, qui & *num.* 37. addit, quòd licet pœna Sodomitæ, plenè probato crimine, non poſſit à iudice ordinario minui; Inquiſitores tamen Luſitaniæ non ita limitatam habere iuriſdictionem, ſed circa pœnæ impoſitionem procedere valent, prout eis expedire viſum fuerit, ex Farinacio, & conformiter ad Bullam quamdam Pij IV. Striges etiam & lamias, infanticidia committentes, non ſolere Supremum S. Inquiſitionis Tribunal Romæ, Curiæ ſæculari tradere, ex Duſino illius Aſſeſſore proponit Diana *Tract. 8. citat Reſolut.* 118. quod & cum Pegna tenet Auctor idem, & pro quo etiam alios adducit Alberghinus *in Manuali Qualificatorum, Cap.* 18. *Sect. 3. §. 9. num. 7.*

185 Neque id videtur contrarium diſpoſitioni Gregorij XV. in Bulla editâ *die* 20. *Martij* 1623. apud Carenam *Parte 2. Titulo 42. n.* 257. in qua ſtatuit vt conſtito quòd quis pactum cum diabolo fecerit, & à fide apoſtatando, maleficiis, vel ſortilegiis vnam vel plures perſonas ita læſerit, vt ex maleficio vel ſortilegio mors ſecuta ſit, etiam pro primo lapſu Curiæ ſæculari tradatur, debitis pœnis puniendus. Nam Pontifex homicidium cum apoſtaſia à fide coniungit, quæ ſe ſolâ illam meretur pœnam etiam in primò lapſu non confeſſi. Et ita Diana, qui præfatæ Bullæ meminit *Tract. 7. Reſolut.* 10. ea non obſtante id tenet, quod vidimus. Et quidem cùm priuilegium exemptionis Miniſtris ſit Officij ſancti conceſſum in eorum fauorem, non eſt credendum teneri illud ad remittendum Curiæ ſæculari, vt ibi ordinaria pœna reddatur: ſic enim nihil

fauoris

Digitized by Google

fauoris haberet; immò odij non parùm: nam S. Officium ad probationem delictorum validius & efficacius eſt: plus enim timetur, vnde & teſtes promptiores ſunt ad aperiendam veritatem. Eſtque inſuper ſatis graue ſub duplici tribunali pati reum, dum cauſſa eius agitur, & pariter ab eodem iudicari.

186 Dico tertiò DD. Inquiſitores in cauſſis dictis poſſunt ad torturam procedere, quando illa fuerit neceſſaria iudicata. In quo, iis ſuppoſitis, quæ de eorum iuriſdictione ſunt dicta, non videtur dubitari poſſe. Conceſſâ enim iuriſdictione, conceduntur omnia, quæ ſunt ad illius executionem neceſſaria *l. 2. de iuriſdict. omn. iud.* Et conceſſo fine conceduntur omnia, per quæ peruenitur ad finem. Cap. *Cùm infirmitas*, de pœnit. & remiſſ. Et *Cap. Quoniam*, de ſent excommun. Præterquam quòd in torturâ non eſt periculum irregularitatis, quia neque mortis, aut mutilationis, vt ſupponitur. Et etiamſi debilitetur membrum, non incurri irregularitatem docent Doctores, quos adducit & ſequitur Leander *Parte* 5. *Tract.* 2. *Diſput.* 7. *Queſtio.* 9. Vnde etiam in Religionibus habere locum poteſt, non ex ſpeciali priuilegio Apoſtolico, ſed per conſequentiam iuriſdictionis ad criminum punitionem. Et torturam in Tribunali S. Officij immoderatam non futuram benè ex Farinacio obſeruat Souſa *ſuprà Lib.* 2. *Cap.* 39. *num.* 25. & regulariter non plures tribus futuras quaſſationes aut ictus: cùm tamen ſciamus in Curia ſæculari ſeptem adhiberi ſolitas; quod nuper in duobus Indis, accidit de homicidio ſuſpectis, quos vidi in xenodochio Diuæ Annæ ciuitatis huius Limanæ vlceratos medicari.

187 Dico quartò. Licet homicidium, de quo agimus, videatur aleuoſum, à ſeruis inquam in homine ſecuro patratum, quod ſufficere tradit cum aliis Narbona *ſuprà Gloſſa* 11. *numer.* 6. *&* 59. & tunc famulos fori priuilegium amittere, de quo *num.* 54. *& ſeqq.* nihilominus DD. Inquiſitores procedere in eo poſſunt. Id probo. Quia inprimis non conſtat talem fuiſſe, & in dubio cauſſam aſſumere poſſunt; quia iudex etiam delegatus cognoſcit an ſua ſit iuriſdictio. Pro quo Boſſius *Tomo* 2. *Tit.* 12. *num.* 350. ex Ciarlino. Et ita vſu comprobatum in S. Officio teſtatur Simancas, & cum eo ac Pegna, & Roderico Acunna tenet Diana *Tract.* 7. *cit. Reſolut.* 10. & de crimine loquuntur, de quo dubitatur an ſapiat hæreſim. Nec D. Fermoſinus *Tomo* 2. *Cap. ſi quis contra, de foro competenti. Quæſt.* 10. *n.* 9. dicens quòd in dubio an ſortilegium ſapiat hæreſim manifeſtam, vel etiam blaſphemia, de qua *numer.* 10. Inquiſitor non ſe intromittit, ſed accuſatos remittere debet ad iudices ſæculares, ex Gloſſa, & Martha: contrarius cenſendus eſt omnino: intelligendus enim perſeuerante dubio: & tunc etiam non eſt obligatio remiſſionis, quia S. Officium cognoſcere poteſt de ſortilegiis, etiamſi non ſapiant hæreſim, ex Conſtitutione Sixti V. vt videri poteſt apud Dianam *Tract.* 7. *citat. Reſolut.* 10. vbi ait id eſſe manifeſtum. Et apud Ignatium Lupum *in Edictum S. Inquiſit. Lib.* 24. *Diſt.* 1. *Artic.* 2. *Difficult.* 9. & quod ad blaſphemos attinet Sanctarellus *Tractatu de blaſphemia Cap.* 8. *Dub.* 1. *numer.* 1. ex quadam Bulla Iulij Tertij affirmat Inquiſitores eſſe iudices contra omnes blaſphemias: quod non videtur diſplicere Dianæ *ſuprà Reſolut.* 8. & illi poſſunt, cùm benè ſibi fuerit viſum, amplecti. Vide etiam Dianam *Tract.* 8. *Reſolut.* 112.

188 Quibus addo, etiamſi occiſio aleuoſa ſit, in Concordia Indica non exceptum, & ita ex eo capite nihil obſtare: cùm enim in conceſſione excipiuntur Regalia, reliqua omnia Regalia conceſſa cenſentur, vt ex pluribus, quos adducit, probat D. Fermoſinus *ſuprà numer.* 51. Neque hoc mirum, quando reſpectu Officialium S. Tribunalis, prout ſunt à Familiaribus diuerſi, de quibus ſolùm Concordata procedunt, maius aliquid affirmet Narbona *Gloſſa* 19. *num.* 2. crimen ſcilicet ipſum læſæ Maieſtatis, & conſequenter rebellionem aleuoſam eidem annexam, nequaquam excipi, ſed ad forum dictum pertinere. Nec de hoc plura: quæ autem dixi Supremi Tribunalis iudicio, immò & melius ſentientium cenſuræ ſubiicio.

Pro caſu alio nupero & tumultuario Diſcurſus vtilis. In quo multa circa Bullam Pij V. *Si de protegendis.*

189 ANno præterito 1661. S. Inquiſitionis Tribunal iuſſit in hac Regum Ciuitate capi vnum ex vrbicis Rectoribus, qui venditioni carnis arietinæ præſidens, inurbana quædam & indecora non ſemel, eâ occaſione, protulerat, dum plus eius generis, quàm ipſi videbatur neceſſarium, pro perſonis ad curam Tribunalis eiuſdem ſpectantibus, peteretur. Et captura quidem, non pro communi carcere, habito ad qualitatem perſonæ reſpectu, fuerat conſtituta, ſed vt in domo maioris Alguacelli, viri quidem primarij, & ex Equeſtri D. Iacobi Ordine, vt ibi aliquamdiu detentus diſceret inpoſterùm & decentiùs loqui & quæ ad ſuum ſpectabant munus, cum Miniſtris S. Officij digniùs & promptiùs exercere. Miſſis ergo ad capturam miniſtris, ille vt potuit reſiſtit, ſed honorario curru ſtatim incluſus in Prætorium S. Officij ferebatur. Duo tamen concurrentes Ædiles, ſeu Prætores vrbani, vulgo *Alcaldes Ordinarios*, irruunt, & captum violenter eripiunt, eumque ad Excellentiſſimũ Proregem Comitẽ de Alba de Aliſte deferunt, vt ſua auctoritate interpoſitâ vim Tribunalis Sancti repellat, cauſſam illam minimè ad fidem ſpectantem, ſed humanis quibuſdam reſpectibus concinnatam proclamantes. Sed religioſus Princeps inconſultum & præceps abominatus facinus, iuſſit quantocyùs ad Tribunal ſanctum ab iis, qui eripuerant, vinctum deportari, quod & factum. Sed cùm illud anteà de ereptionis violẽtiâ fuiſſet certius factum, & eam idoneis ac ſufficientibus teſtibus comprobaſſet, ereptores duos excommunicatos declarauit, & deinceps in cauſſâ proceſſit, mandato ſub excommunicatione adhibito vt ſuis ſe domibus continerent, additis cuſtodibus eorum expenſis, nec ſane exiguis, ſuſtentandis. Vinctus autem intra Officij ſancti clauſtra detentus, & in domum propriam poſt dies aliquot remiſſus, & præcepto pariter ac Cenſurâ, nec non cuſtodibus aggrauatus. Tres item fratres,

Digitized by Google

Religioſi duo, & Sacerdos alius ſæcularis, & mandatum clauſuræ & cenſuræ paſſi, quia verborum non leues exceſſus in tumultu capturæ ſunt eiſdem, aut forte aliàs, imputati. Circa quod non ſine controuerſijs actum. Et quia, tum pro iuſtificando S. Tribunalis proceſſu, tum etiam pro ſimilibus cauſſis, commoda eſſe poterunt, viſum eſt dubia quædam clarè & breuiter lucidare.

DUBIUM I.

An caſus prædictus, ſi inexcuſabilis ſit, ad aliam dici poſſit Bullam, præter citatam Pij V. aut Decretum Apoſtolicum pertinere.

190 Dico primò. Alia eſſe Pontificia Decreta contra impedientes officium S. Inquiſitionis, manifeſtum habetur ex Bullâ Iulij III. *Kalendis April.* 1551. ab Vrbano VIII. renouatâ, vt conſtat ex Decreto eiuſdem *die* 7. *Iunij* 1633. in qua ſic ille: *Licèt à diuerſis Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris, etiam per ſpeciales Conſtitutiones in Corpore iuris inſertas, fuerit ritè & ſalubriter ſancitum atque decretum, vt ſeculi Poteſtates, & Domini temporales, ac prouinciarum, ciuitatum, terrarum, & locorum quorumcumque Rectores, &c. Neque Diœceſano Epiſcopo, vel Inquiſitori ipſius Inquiſitionis negotio incumbens ſe opponere, aut ipſum aliquatenus impedire, vel impedientibus auxilium, fauorem ſcienter dare audeat, perpetuæ damnationis ſententia in eos, qui contra prædicta fecerint, promulgata, quam ſi per annum animo ſuſtinuerint pertinaci, ex tunc velut hæretici condemnentur, &c.* In quibus Pontifex Decretalem Bonifacij VIII. quæ habetur in Cap. *Vt Inquiſitionis*, de hæreticis *in* 6. præſertim commemorat, verbis eiuſdem adductis, in quibus præſertim notanda illa: *Aut ipſum aliquatenus impedire.*

191 Eſt item Decretalis alia Vrbani IV. in Cap. *Statutum* el. 1. eodem titulo, contra ſtatuta ſæcularium Poteſtatum, quibus negotium Inquiſitionis directè aut indirectè poſſit impediri, *Aut quomodolibet retardari.* In ea tamen non eſt lata Cenſura, ſed ferenda; ſic enim clauditur: *Per Cenſuram Eccleſiaſticam decernimus compellendos.* Quod quidem non ſolùm de auctoribus ſtatuti, ſed etiam de executoribus intelligendum, vt videtur compertum, quia ſtatutum propter executionem prohibetur, & ita currit vulgare axioma, *Propter quod vnumquodque tale*, &c. adductum in *Authentica*, & magis in C. *de Sacroſanctis Eccleſijs.*

192 Extra Corpus autem Iuris eſt Bulla celebris eiuſdem Pontificis ex *Anno* 1261. *die* 27. *Septembris*, in quâ ſic ſtatuit: *Ceterùm ſi fortè (quod non credimus) aliqui cuiuſcumque conditionis huic negotio vobis commiſſo ſe opponere, aut illud præſumpſerint aliquatenus impedire, vt non poſſit procedi liberè in eodem: immò niſi inquiſiti ſeu requiſiti id fouerint, & iuxta officium & poſſe ſuum ſinguli iuuerint ſtudiosè: contra eos tamquàm hæreticorum fautores & defenſores, & ſecundùm ſanctiones Canonicas, freti eadem auctoritate, intrepidè procedatis.* Sic ille. Et præter dicta ſunt etiam alia, quæ videri poſſunt apud Pegnam poſt Scholia in Eymerici Directorium; quibus præfatus Iulius III. nouum addidit robur Conſtitutione citatâ, dum excommunicationem Sedi Apoſtolicæ reſeruatam accumulat contra prædictos, & eorum Officiales; cùm præſertim ſe in negotio hæreſis ingerunt, & de eo volunt cognoſcere, quocumque prætextu id fiat.

193 Et ex hoc videri alicui poſſit, Conſtitutionem iſtam, ſicut & alias, ad quas alluditur in ipsâ, non comprehendere eos, qui impediunt aut retardant in negotio ad fidem non ſpectante, quia Pontifices in illis de negotio hæreticæ prauitatis tantùm loquuntur, & diſpoſitiones tales, vti pœnales, neutiquam ampliandæ, vt ſæpiùs dictum, & paullò ſuperiùs *num.* 172. Sed hoc non obſtat: nam in Cap. *Vt Inquiſitionis*, ſic concluditur: *Si quis verò de prædictis Poteſtatibus, Dominis temporalibus, Rectoribus, vel eorum Officialibus, ſeu Balliuis, contra prædicta fecerit, aut præfato fidei negotio, ſæpè ſatis Diœceſano Epiſcopo, vel Inquiſitori incumbenti ſe opponere præſumpſerit, vel ipſum aliquatenus impedire, &c.* vbi poſt facientem contra prædicta, in quibus expreſſi hæretici, credentes, receptatores, fautores, & defenſores; additur qui ſe opponit, & impedit in negotio prædicto: quod quidem generaliùs quid indicat, negotium ſcilicet Inquiſitionis ad alia præter adducta; ſed tamen in ordine ad fidei puritatem conſeruandam extendi. Præterquàm quòd cùm DD. Inquiſitores capturam decernunt; nemini conſtare poteſt an propter hæreſim, credentiam, receptationem, fautoriam, aut defenſionem, id faciant, in quibus Decretalis vim continet manifeſtam. Et licet aliquid præceſſerit, vt in caſu prædicto, propter quod intelligi poſſit capturæ diſpoſitæ fundamentum; id ipſum eſt fallibile, & forſitan cum eo, de quo vulgata notitia, eſt aliud notitiæ ſecretioris; cui illud adiunctum cauſſam poſſit reddere grauiorem.

194 Circa Caput verò *Statutum* affirmat Gloſſa contra illius ire diſpoſitionem, & conſequenter pœnas ibidem expreſſas irrogandas, qui ſtatuunt vt nullus, niſi ſit de familia Poteſtatis, poſſit arma geſtare. Sic verb. *Indirectè.* Non ergo tantùm de negotio hæreſis agitur; cùm de impedimentis tractatur. Et impedientes arma deferre Familiares, poſſe vt impedientes puniri, cum aliis affirmat Pegna in Scholiis ad Directorium citatis *Lib.* 3. *Scholia* 114. §. *Iam hoc priuilegium.*

195 Et Vrbanus IV. præfatæ Decretalis auctor in Bullâ celebri citatâ antè adducta eiuſdem verba ex §. *Ceterùm*, de quo *num.* 192. Inquiſitoribus facultatem conceſſerat prohibendi Prædicatores Quæſtuarios. Vnde qui hoc impediret, abſque dubio impedientium pœnas incurreret. Cùm ergo ſtatim de illis ſtatuat, non eſt id ad hæreſis cauſſas tantùm limitandum. Et ita eodem modo debet accipi quod eſt à Iulio III. diſpoſitum præfatis innitente, & eadem ſuo decreto roborante. *Præcipimus ne Diœceſanos Epiſcopos, & Inquiſitores ipſos, in ſuo Inquiſitionis negotio vllo modo impediant, ſeu perturbent: neque ſe in hæreſis crimine cognoſcendo, ſeu iudicando, &c.* Verba illius ſunt: in quibus impedimentum in officio priùs generaliter amouetur, & ſtatim ſpeciale illud de cognitione iudiciali hæreticæ prauitatis. Licet ergo Bulla Pij V. non extaret, ampla eſſet DD.

Inqui-

Digitized by Google

Inquiſitorum poteſtas ad impedientes quomodolibet coërcendos. Sed iam de illa ſit

DUBIUM II.

An, & quomodo caſus præfatus in Bullâ Pij V. contineatur.

196 Dico primò. Caſus talis in Bullâ præfatâ continetur, quæ etiam renouata ab Vrbano III. *Decreto citato, num.* 190. Conſtat ex §. 4. vbi ſic habetur? *Quiue carcerem, aut aliam cuſtodiam, ſeu publicam, ſeu priuatam, effregerit, vinctumque extraxerit, ſeu emiſerit, capiendum prohibuerit, ſeu facultatem effugiendi dederit, &c.* Ecce vinctum capi prohibitum, & captum ereptum. Quid manifeſtius?

197 Dices agi de hæretico, quod tripliciter probari poteſt. *Primò* ex tenore Bullæ in eius §. 1. vbi Pontifex in eos inuehitur impios homines, qui omnibus malis artibus S. Officium ſubuertere, Miniſtroſque functionibus diſturbare moliuntur. Tales autem ſe reprimere velle Conſtitutione ſuâ proteſtatur. Non ſolent autem tales eſſe niſi qui hæreticis fauent, & ideò Tribunali ſancto ſunt infenſi, quod eſt hæreticorum terror. *Secundò*, quia §. 2. inter eos, quos offendi prohibet, ſic concludit: *Seu accuſatorem, denuntiatorem, aut teſtem in cauſſâ fidei, quomodocumque productum.* Quod ad præmiſſos omnes videtur referendum ex communi doctrinâ de qualitate, ſeu determinatione in fine diſpoſitionis, pro quâ Gloſſa in Cap. *Secundò requiris,* de appellationibus & cum aliis atque ex aliis Barboſa de dictionibus & clauſulis *Clauſ.* 119. de quo & Nos alibi. *Tertiò* quia §. 7. ſic habetur: *Quicumque autem pro talibus veniam petere, aut aliàs intercedere tentauerint; in eaſdem illas pœnas, quæ in hæreticorum fautores à Sacris Conſtitutionibus inferuntur, ipſo facto ſe nouerint incurriſſe.* Hæc Pontifex: ex quibus id ſatis videtur apertum. Tandem, quia Conſtitutio iſta eſt conformis duabus aliis, ſcilicet Innocentij IV. & Clementis IV. vbi de hæretici capturâ agitur, & pœnæ impedientibus aſſignantur. Quæ apud Pegnam habentur *ſuprà*.

198 Sed certè nullo eſt modo ſuſtinendum, ſtante in contrarium ſupremorum Tribunalium praxi, quam Pontifices vti ſuæ menti conformem dubio procul amplectuntur. Et illi ſe Tribunalia inferiora conformant, vt neceſſarium omnino id ſibi rata: cùm regulam non debeant ſequi, quod nec ipſis eſt licitum, laxiorem. Et ita videmus iuxta tenorem Bullæ eiuſdem punitos, qui vinctos eripuerant non hæreticos, pœnis aliquando ex Pontificiâ manſuetudine temperatis. Pro quo Carena *Parte* 2. *Titulo* 13. *num.* 67. & aliis, de quibus *infrà, num.* 215.

199 Deinde. Quæ in contrarium adducuntur, non vrgent. Primum enim eſt quidem veriſſimum, & omninò Pontificem velle impiis hominibus S. Officio infenſis validum frænum iniicere, ac penitus reprimere eorum audaciam. Sed tales non ſemper fautores hæreticorum ſunt, ſed liberrimi, petulantes, & præcipites, *ſub pietatis colore*, vt loquitur Conſtitutione citatâ Iulius III. & licet non omnes ſubuertere S. Officium malis artibus, aut Miniſtros ſuis functionibus diſturbare moliantur: ſi tamen id faciant, quod eſt prohibitum, pœnas incurrunt: quia tali prohibitione intendit Pontifex, ne quiſquam ſic agendo in profundum malorum veniat, & illam contra S. Tribunal, & eius Miniſtros, tandem hauriat impietatem. Quemadmodum ſi quis hæreticum ex manibus Miniſtrorum eripiat humano aliquo reſpectu, Bullæ pœnis obnoxius redditur: & tamen non ideo ſubuertere S.Officium intendit, & generaliter Miniſtros ſuis functionibus diſturbare. Et reuerà licet expreſsè ac directè nolit ſic operans S. Officium ſubuertere, vult tamen, ex parte quidem, expreſsè; & interpretatiuè, totaliter. Siquidem ſuo facto & exemplo viam aliis ſternit ſimiliter faciendi: quod ſi ita contingat, actum eſt de S. Officij auctoritate.

200 Secundum eſt enerue, quia cauſſa fidei latiùs patet, vnde & additum à Pontifice, *Quomodocumque productum.* Et ita cauſſa, quæ contra impedientes agitur, cauſſa fidei eſt, vt benè ex Zanardo Carena *ſuprà, num.* 67. vnde & abiurant, vt videri poteſt apud Dianam *Parte* 4. *Tractat.* 7. *Reſolut.* 13. in fine: licèt hoc in omnibus locum non habeat regionibus, de quo *infrà, Dub.* 4. & verò cùm facilè fuiſſet Pontifici dicere, *In cauſſâ hæreſis,* ſicut expreſſerunt nonnulli alij, nec tamen dixerit, validum argumentum eſt vt credamus Conſtitutionem ſuam voluiſſe ad omnem cauſſam tribunali ſancto propriam ampliare. Vnde concedo quod de qualitate aut determinatione, in fine diſpoſitionis adiectâ obiiciebatur.

201 Tertium videtur vrgentius, ſed ſoluitur nihilominùs inprimis, ſi dicamus ibi quidem eſſe ſermonem de hæreticorum cauſſis, pro quibus, qui veniam petunt, eiſdem fauere videntur. Præterea dicendum magis ad rem pœnas fautorum incurrere, non quia fauent hæreticis, ſed quia Pontifex vult in eodem pœnarum genere comprehenſos cum hæreticorum fautoribus: eò quòd impedire S.Inquiſitionis Officium maius quid eſt ſimplici hæretici fauore; tendit enim ad illud ſubuertendum, vt iam vidimus aſſeruiſſe Pontificem, & ita grauiùs puniendos benè obſeruat P. Palaus *Tomo* 1. *tract.* 4. *Diſput.* 8. *Puncto* 16. §. 7. *n.* 2. ſic etiam Pontifex tales pœnis ſubiicit, quæ reis læſæ Maieſtatis ſunt conſtitutæ, licèt reuerà rei talis criminis non ſint.

202 Vltimum denique parui momenti eſt, cùm conſtet Pium V. ampliorem voluiſſe Conſtitutionem edere pro ſpeciali Tribunalis ſancti, & Miniſtrorum eiuſdem protectione, vnde Conſtitutionum Pontificum aliorum non meminit, quia ſi meminiſſet, de earum ampliatione non poterat dubitari.

203 Dico ſecundò. Caſus prædictus etiam in Bullâ Pij V. continetur, quatenus fuit cum perterrefactione Miniſtrorum coniunctus, de quâ §. 2. ibi: *Seu perterrefecerit.* Quod quidem non reſpectu actionis illius tantùm accidit, ſed & aliarum, quæ deinceps iniungi à DD. Inquiſitoribus contingeret. Quis enim non timeat manus in aliquem iniicere, cùm contra ſe poteſtatem ſæcularem irrupturam poſſit veroſimiliter ſuſpicari? Et cedere quidem parùm videbitur honorificum, quando & reſiſtere magno conſtat obnoxium

eſſe

Digitized by Google

eſſe periculo. Scio hæc non inaniter dici, ſed magno, &, vt ſic dicam, palpabili fundamento. Vnde & metus eſt cadens in conſtantem virum, quem in hoc negotio requiri ex Zanardo habet Diana *Reſol.* 13. *citatâ*, & Carena *num.* 63. *&* 64.

DUBIUM III.

An ob imperfectionem actus poſſit caſus, de quo agitur, à pœnis Conſtitutionis Pij V. alienus pronuntiari.

204 QVia ſcilicet ereptus reus, Tribunali eſt tandem S. Officij conſignatus, vt in narratione perſpeximus. Imperfectionem namque actus obſtare pœnarum incurſioni dictū à Nobis *hoc Titulo, num.* 2. & in materiâ præſenti loquendo ſic tradere videtur Souſa *in Aphoriſmis, Lib.* 1. *Cap.* 28. *num.* 16. vbi ita ſcribit: *Impedientes Officium S. Inquiſitionis effectu non ſecuto, non excommunicantur in Bullâ Cœnæ. Dixi ſuprà, Cap.* 23. *n.* 19. *Farinacius* §. 7. *num.* 101. *& ſeqq.* ſic ibi. Et loco à ſe allegato ſic habet: *Receptatores hæreticorum (idem eſt de fautoribus & defenſoribus indicandum) non excommunicantur effectu non ſecuto: ab Inquiſitoribus tamen puniendi ſunt.* Sanchez *numer.* 9. (ſcilicet *Decalogi, Lib.* 2. *Cap.* 10.) Hæc ille, citans inſuper ſeipſum in Expoſitione Bullæ Cœnę variis in locis. Et cùm de impedientibus loquens idem velit intelligi de ipſis, quod de fautoribus ac defenſoribus, non ſolùm de excommunicatione Bullæ Cœnæ intelligendus venit, ſed etiam de pœnis aliàs conſtitutis, cùm & ipſe teneat *citat. Cap.* 28. *num.* 14. impedientes eſſe fautores, & tales eſſe etiamſi non in odium fidei *n.* 17. vt probabilius. Pro eodem ſtat Bonacina *Tom.* 3. *diſput.* 1. *quæſt.* 2. *Puncto* 3. *num.* 3. *qui malè, vt ſæpè facere ſolet* (verba ſunt Dianæ *Tract.* 7. *cit. Reſol.* 21. §. *Sed in fine) citat pro ſe* Suarez & Filliucium. Et licet de receptatoribus & fautoribus loquatur, de eiſdem vt impedientibus etiam loquitur, quod plus eſt, vt diximus, quàm ſimplex receptatio & fauor. Tenet etiam P. Tamburinus *Lib.* 2. *in Decalogum, Cap.* 1. §. 6. *n.* 7. & Leander *Part.* 4. *tractat.* 3. *Diſputat.* 1. *quæſt.* 21.

205 Dico primò. Imperfectio actus in caſu noſtro non tollit pœnarum incurſionem. Sic de receptatoribus & fautoribus loquuntur P. Suarez P. Palaus, Sayrus, Graffia, Megala, & Duardus, quos adducit & ſequitur Diana loco citato §. *At his non obſtantibus*, & P. Martinon *Tom.* 5. *Diſp.* 59. *n.* 14. & in caſu, de quo agimus, eſt pro eo manifeſta Pontificis mens, dum §. 4. ſic ſtatuit: *Sine aliàs auxilium, conſilium, aut fauorem, publicè, vel occultè, in quolibet prædictorum ſcienter præſtiterit, licèt nemo occiſus, nemo verberatus, nemo extractus, emiſſus, vel ereptus, nihil expugnatum, nihil effractum, ſuccenſum, direptumue nullum denique damnum reipſa ſit ſecutum, nihilominùs hic ſit anathemate præſentis Canonis auctoritate ligatus.* Sic ille: ad quod non eſt quod poſſit veroſimiliter reſponderi, & ita in terminis caſus noſtri tenet Ignatius Lupus *in edictum S. Inquiſitionis, Lib.* 24. *Dict.* 1. *art.* 2. *Difficult.* 4. §. *Circa vtramque, & Difficult.* 7. *ad finem.* Qui de receptatoribus idem tenuerat *Lib.* 14. *Dict.* 5. *art.* 3. *Difficult.* 2. & Carena *ſuprà, numer.* 50. *&* 66. qui perterrefacientes teſtem tantùm excipit. Videndus etiam *num.* 104. verſ. *Notare.* Vnde qui negaſſe videntur Auctores, ſpeciale hoc ſtatutum non videntur attendiſſe, neque in terminis illius locuti. Et Souſa quidem parùm conſequenter proceſſit, qui *citat. Cap.* 23. *numer.* 10. ita ſcribit: *Receptans hæreticum non deſinit eſſe verè receptator, quamuis pœnitentiâ ductus illum voluntariè & non delatus manifeſtet: mitiùs tamen puniri debet. Decian. Crimin. Titul.* 5. *Cap.* 51. *num.* 78. *Farin. num.* 155. Sic ille. Atqui receptatio fuit ne receptatus in manus iudicum veniret, qui effectus non eſt ſecutus: quod ergo de non ſecuto effectu aliàs dicitur, non eſt ſolidâ ratione ſubnixum.

206 Aliud ergo eſt actum prohibitum non fuiſſe perfectè talem, & aliud non fuiſſe ſecutum effectum, ad quem ille tendit. Vt qui furari aut occidere intendit, non tamen furatus eſt, aut occidit, pœnas furis aut homicidæ non incurrit, ob actus imperfectionem minimè ſufficientem ad abſolutam denominationem talis, quia neque furtum, neque homicidium dici poteſt, quod ſub his terminis prohibetur. Qui autem reſiſtit iuſtitiæ miniſtris, ne in manus eorum cadat, licèt reuerà capiatur, pœnis reſiſtentium ſubiectus manet, quia reſiſtentia per ſe prohibetur, & per accidens eſt, quòd captura ſequatur, aut non ſequatur: quod in caſu noſtro euenit: receptans enim verè receptat, & fauens verè fauet, & captum eripiens verè eripit, quæ actiones per ſe ſunt prohibitæ ſub pœnis adiectis, vnde iuxta illas eſt iudicandum, & non ex ſubſecutis per accidens. Et ita currit doctrina, de quâ Nos *num.* 2. *Tituli huius.*

207 Dico ſecundò. Licèt quoad excommunicationem latam in dictâ Bullâ, nulla eſſe poſſit exceptio, quia in eâ non eſt magis aut minùs, in aliis tamen pœnis eſſe remiſſio aliqualis poteſt, quando non eſt ſecutus effectus. Id probo. Quia inflictio pœnarum huiuſmodi non eſt omnino præciſa, ita vt debeat neceſſariò ſtatui à DD. Inquiſitoribus, etiam crimine plenè probato. Vnde ex Zanardo obſeruat Diana *cit. Reſol.* 13. §. *Non deſinam*, quòd ad infligendas pœnas poſitas in dictâ Bullâ conſulendus eſt Senatus Cardinalium ſuper negotiis fidei deputatus. Pro quo bonus teſtis ille Tribunalis ſancti diuturnus Conſultor. Et P. Palaus *ſuprà, num.* 13. affirmat pœnam mortis impoſitam non eſſe in vſu, niſi in caſu rariſſimo. Eſt ergo locus arbitrio, & ita in caſu non ſecuti effectus habere illud poteſt locum, quia ratio pro eâ congrua eſt ſatis, & maximè cùm impediens pœnitentiâ ductus reſtitutionem cum effectu fecit, vt ex Souſa eſt poſitum *num.* 203. de receptatore, qui & ipſe eſt impediens, vt diximus. Sed ſi quis fuerit è manibus miniſtrorum ereptus, & vt ſibi conſulat fugiendo permiſſus, aliàs capiatur, id ad euitandam pœnam nihil videtur conducere, niſi quatenus iuuare eum plus forſan potuit, & noluit, eripuiſſe contentus. Vnde res hæc ex circumſtantiis maximè pendet, quæ in cauſſis criminalibus magnum ſolent habere momentum.

DU-

Digitized by Google

DUBIUM IV.

An ex eo quòd impedimentum non fuerit ex contemptu aut odio S. Tribunalis, id poſſit incurſioni pœnarum obſtare.

208 FVndamentum dubia præſtant verba Pontificis ſic enim § 5. *Nemo autem expurgationem habere, aut cauſſam vllam proponere vel prætendere poſſit, qui tantum nefas in contemptum & odium huius Officij admiſerit: niſi contrarium per planas probationes docuerit ſe feciſſe.* Sic ille. Circa quod ita ſcribit Souſa in *Aphoriſmis Lib. 1. Cap. 28. num. 9. Intelligitur hæc Conſtitutio quando offendentes ipſos Inquiſitores, & miniſtros, id faciunt in contemptum & odium S. Officij, ſecus verò ſi ex alia cauſſa, ex qua per claras probationes id feciſſe oſtendant, non in odium Inquiſitionis. Farinacius 5. n. 8.* (§. inquam 5. *Quæſt. 182. de hæreſi.*) Idem tenet Lupus *ſuprà Lib. 24. Diſt. 1. Art. 2. Difficult. 2.* in fine. Sed cùm *Difficult. 9. §. Si primo modo*; apertè contrarium teneat, dubitari poteſt an in loco priori error typographiæ ſubſtet. Cui tamen obſtare videtur citatio Farinacij pro ſuo aſſerto, & quòd in Catalogo erratorum in fine non contineatur.

209 Sed contrarium amplectitur Ioannes Baptiſta Scortia in *Epitome Bullarum Epit. 106. Theoria 278.* dicens Pontificem non velle à præfatis pœnis eximere quempiam, eo quòd tantum facinus ſuâ naturâ in contemptum maximum Inquiſitionis vergens, docuerit ſe aliâ cauſſâ, quàm contemptûs & odij prædicti Tribunalis feciſſe: ſed ſolùm ſi doceat ſe contrarium præſtitiſſe: quare probata quidem actio contraria violationi Inquiſitionis eximit à pœnis, ſed non diuerſitas intentionis: vtpotè ſi aliquis hæc commiſiſſet rogatus precibus conſanguinei, non formaliter in contemptum S. Inquiſitionis. Sic ille cenſet. Et exemplum ab ipſo adductum non ita accipiendum quaſi ex illo probetur contrarium factum violationi, ſed vt diuerſitas, intentionis non releuet violatorem: qui enim rogatus à conſanguineo tale quid perpetrat, non videtur ex formali contemptu aut odio operatus: ſed nihilominùs facinus committit ex ſe in contemptum & odium S. Tribunalis vergens, quod eſt ad pœnas incurrendas ſatis. Et ſatis quidem contemnere Sanctum videtur Officium, qui propter pretium aut preces in eius ſacrarium irrumpit, mandata violat, irreuerens, infrunitus. *Aut Eccleſiam Dei contemnitis*? Sic Apoſtolus 1. *Cor.* 11. *v.* 22. quia in Eccleſia videbat indecentia quædam, dum voluptatem præferebant ſuam Corinthios perpetrare.

210 Dico primò. Quomodocumque impedimentum dictum contingat, excommunicatio incurritur Cônſtitutionis prædictæ. Hoc quaſi certũ videtur ſtatuere Carena *ſuprà n.* 102. quod & tenet Lupus *citata Difficult.* 9. qui *Artic.* 4. contrarium videtur amplecti quando impediens non eſt talis reſpectu hæretici, aut eius actio hæreſim ſapit: ſolùm enim ad talia Inquiſitorum iuriidictio ſe poteſt extendere. Pro quo ſex adducit Auctores, qui de blaſphemiâ agentes id indicant, dum non hæreticalem ad Inquiſitores negant pertinere. Sed certè eorum nullus in caſu noſtro locutus, qui ſpecialis eſt. Videtur autem Aſſertio efficaciter oſtendi poſſe, tum ex praxi Romanæ Inquiſitionis, annuente Pontifice: tum quia Pontifex Conſtitutionis Auctor nullo modo vult à pœnis expertem, qui ex humano aliquo affectu fecerit quod ſeuerè adeò prohibetur, vnde indubitatum eſt illum eſſe grauiter puniendum. Atqui non pœnis reorum læſæ Maieſtatis, iuxta modum dicendi contrarium, quia in odium & contemptum non eſt commiſſum: ergo ſaltem excommunicatione, quæ eſt maximè propria Eccleſiaſticæ poteſtatis. Patet illatio, quia aliàs ſic delinquens omnino euaderet immunis. Si dicas puniendum pœnâ arbitrariâ. Inſtari validiſſimè poteſt: nam eo pacto Conſtitutio dicta nihil in caſibus talibus operatur: pœna enim arbitraria, etiam non ſtante Conſtitutione huiuſmodi, ſtatui poterat: vnde & Auctores ante Pium V ſcribentes, de pœnis impedientium agunt, pro quibus & aliæ Bullæ extant, & Decretales, vt vidimus *Dub.* 1.

211 Dices ſententiam eſſe multorum, quos adducit & ſequitur Diana *Parte 4. Tract. 7. Reſolut. 21. §. Verùm ego*, aſſerentium fautores hæreticorum non ligari excommunicatione Bullæ Cœnæ contra illos, niſi faueant hæreticis vt talibus: ſicut & loquitur P. Sa V. *Excommunicatio Bullæ Cœnæ numer.* 1. & Lupus quoad forum conſcientiæ *Libr. 14. Diſt. 2. Artic. 1. Difficul. 7.* P. Tamburinus *in Decalogum. Lib. 2. Cap. 1. §. 6. num. 6.* vbi ſe refert addicta *Libr. 1. Cap. 3. §. 7. v. Hæreticus.* Quod & videtur in caſu noſtro cum proportione dicendum, vt non ligentur qui in odium & contemptum S. Officij non fuerint operati.

212 Sed hoc non obſtat. Nam inprimis ſententiam contrariam in fautoribus tenent P. Suarez, P. Laymam, Souſa & Sanctarellus, apud Dianam §. ante nuper citatum. Et prætereà P. Palaus *Tomo 1. Tract. 4. Diſput. 3. Puncto 5. n. 9.* Nec contrarius videtur P. Martinon *Tomo 5. Diſputat. 59. num. 213.* licet enim dicat non incurrere excommunicationem fauentem ex titulo amicitiæ, cognationis, aut vtilitatis, addit tamen *extra cauſſam hæreſis.* Quod & in aliis Auctoribus obſeruandum, qui immeritò pro aſſertione oppoſita referuntur. Aliud eſt namque fauorem præſtari hæretico extra cauſſam hæreſis, quando ſcilicet ille non quæritur, aut aliquid agitur in ordine ad hæreſim puniendam. Licet enim in hoc ſecundo caſu non faueatur vt hæretico formaliter, fauetur tamen in cauſſa hæreſis: & tunc excommunicationem incurri non videntur negare quotquot priori modo loquuntur: vnde & contrarium non eſſe Patrem Martinon meritò pronuntiamus. Et hoc pacto etiam accipiendum quod tradit P. Palaus *Diſput. 8. Puncto 16. §. 7. numer. 1.* vbi ait pœnas fautorum non incurrere, qui ex titulo conſanguinitatis vel amicitiæ faciunt: ne ſibi apertè contrarius euincatur. Id quod etiam benè explicat P. Fragoſus *Tomo 2. Lib. 1. Diſput 3. §. 1. num. 29.* verſ. *Excuſantur*, dicens requiri ad incurrendam cenſuram, *quòd quis faueat propter hæreſim, vel quòd fauor*

Digitized by Google

redundet in fauorem hæreſis. Quid dicat Leander *Part.* 4. *Tract.* 3. *Diſput.* 1. *quæſt.* 18.

213 Deinde (quidquid de præfata ſententia probabili ſit) in caſu noſtro alia eſt ratio: nam Bulla Cœnæ ſolam pœnam excommunicationis profert à prædictis incurrendam. Si ergo fundamentum ſit ad Pontificis mentem dignoſcendam, vt non ſit veroſimile adeò graue onus imponere, ceſſabit illa penitus, quia non eſt diuiſibilis. At Pius V. in ſua Conſtitutione diuerſas pœnas imponit, & manifeſtum eſt ex humano impedientem affectu aliquas mereri: cùm ergo grauiſſimæ illæ læſæ Maieſtatis non habeant locum; iuxta modum illum dicendi, excommunicatio ſaltè debet admitti, vt *ſuperius* arguebamus.

214 Dico ſecundò. Quocumque humano reſpectu impedimentum contingat, pœnis aliis à Pontifice deſignatis obnoxius remanet impeditor. Sic Scortia *ſuprà* Souſa *citat. Cap.* 28. *numer.* 17. vbi ita ſcribit: *Impedientes Officium S. Inquiſitionis, & ad id dantes auxilium, conſilium, vel fauorem, non in odium fidei, ſed propter alias cauſſas, probabile eſt non dici fautores hæreticorum: oppoſitum tamen probabilius eſt. Dixi Cap.* 23. *num.* 6. *&* 7. Sic ille, qui loco à ſe citato de receptatoribus egerat, vbi nec parentes, nec filios, nec coniuges excuſat, licet, *numer.* 8. mitiùs dicat puniendos. Eum ſequitur Diana *ſupra Reſolut.* 13. §. *Sed ego.* & vterque de impedientibus locutus: de quibus & agens Sanctarellus *Tract. de hæreſi, Cap.* 41. *Dub.* 3. *num.* 5. in fine, licet dicat non eſſe ſuſpectos de hæreſi; ſi id faciant ex amicitia, vel conſanguinitate: addit tamen procedi contra ipſos poſſe tamquàm perturbantes iuriſdictionem S. Officij, quod & alij affirmant, vnde & iuxta communem videtur eſſe Doctorum ſenſum pœnas perturbatorum nõ effugi ex humanis reſpectibus, quamuis poſſint temperari. Quod & probo

215 Primò ex praxi Supremi S. Inquiſitionis Tribunalis, & Pontificiæ Sedis, pro qua faciunt quæ habet Carena *ſuprà num.* 67. vbi punitum quemdam ait Conſtitutionis pœnis, qui blaſphemum nomine Inquiſitionis captum eripuerat. Et §. 19. vbi de Regente Aponte. Et *n.* 99. vbi diuerſas ſententias delinquentium contra illam refert, licet non abiurent, quia non ſuſpecti. Et *numer.* 100. verſ. *Sic etiam*, vbi Gregorij XV. manifeſtam declarationem adducit.

216 Secundò. Quia ſi excuſatio talis valeret, nullo modo à Pontifice eſſet grauiſſimo malo conſultum, cui ipſe intendit remedium efficax adhibere, vt ex Conſtitutionis conſtat exordio. Id oſtendo. Nam vix eſt (ſi apertè hæreticus non ſit) qui excuſationem aliquam non poſſet adducere ex motiuo humano, à contemptu & odio S. Tribunalis alieno. Id quod in regionibus, vbi fides Catholica viget, eſt ſpecialiter certum, in quibus nihil tale præſumitur, vt obſeruat Lupus *ſuprà Diſt.* 1. *Artic.* 2. *Difficult.* 1. *in principio*, regulariter loquendo: & ideò non abiurant, vt ante eum tradiderat Carena *citat. num.* 99. Deinde, Si amici, ſi cognati, ſi ſocij, ſi collegæ, eripere reum abſque periculo incurſionis pœnarum poſſunt, quæ erit in capiendo ſecuritas? Certè ſi puniri tales poſſint virtute Pontificiorum Decretorum, vt nuper dicebamus, id Pius V. non iudicauit ſufficiens ad ſecurè in hoc negotio procedendum: & ita ſecuritati Miniſtrorum conſulens, ſic, vt vidimus, ordinauit. Hoc autem non conſecutum liquet, ſi euaſioni illi locus ſit, de contemptu & odio minimè interuenientibus, tantoperè humanis reſpectibus deferendo: vix enim erit, cui fautores huiuſmodi deſint, cùm aut cognatos, aut amicos, aut collegas, ſeu ſocios, in quouis viuendi genere ſit facile reperire.

217 Dices Pontificem ita ſignificare verbis allatis, dum contemptum & odium in violatione iuriſdictionis Officij ſancti interuenturum exponit. Ad quid enim illud, ſi verba talia nullum erant effectum ſpecialem habitura? Sed hoc certè non vrget; iam enim ex Scortia congruam expetitionem accepimus.

Inſtrui tamen poteſt ex eo quod Pontifex addit, per claras probationes poſſe contrarium oſtendi? Rogo enim quid ſit hoc contrarium? An tantum nefas non admiſſum, quia reuera actio nulla iniurioſa extitit? cum tamen falsò imponatur. At hoc dici nequit: nam ſi actio non eſt legitimè probata per euidentiam facti, non poteſt à quoquam exigi vt per claras probationes contrarium doceat: cùm non poſſit niſi confeſſus aut conuictus condemnari, quorum nihil datur. Si autem ſemi-plenè probata ſit, non item requiritur clara probatio in contrarium, ſed proportionata: vnde teſtimonium vnius teſtis teſtimonio alterius eliditur, & indicia tormento purgantur, aut aliter, ſecundum varias Iuris diſpoſitiones, & etiam indiciis contrariis eliduntur. Pro quo Auctores adducit Diana *Parte* 4. *Tract.* 6. *Reſolut* 2. *in fine.* Aliter ergo eſt illud *Contrarium* explicandum, vt ſcilicet per probationes claras oſtendatur non eſſe factum in contemptum & odium id, de quo reus accuſatur. Stare ergo ereptio, & ſic actiones aliæ poſſunt, quin contemptum & odium importent, & ita ex mero facto non arguitur incurſio pœnarum, ex eo quòd ipſum ex ſe in contemptum & odium vergat, iuxta dicta.

218 Bona quidem inſtantia: ſed ad quam occurrere inſtanter poſſumus: Nam ſtante præfatâ intelligentiâ de impedimento, ex ſe vergente in contemptum & odium S. Officij, ſtat poſſe aliquando probationes eſſe in contrarium, ſi quis videlicet clarè oſtendat ſe ignoraſſe eos, à quibus captus trahatur, Miniſtros S. Officij fuiſſe. Quod poſſe contingere teſtatur Pontifex §. 4. verbis illis: *Scienter præſtiterit.* Item potuit ex graui metu operari: quo euentu excuſationem Doctores admittunt, vt videri poteſt apud Souſam in *Aphoriſmis Lib.* 1. *Cap.* 23. *num.* 12. ex Farinacio, & P. Azorio. & etiam apud P. Palaum *Tract.* 4. *Diſput.* 3. *Puncto* 5. *num.* 13. vbi communem dicit eſſe ſententiam, pro qua præter Farinacium adducit Pegnam, Simancam, & Vgolinum. Et etiam apud P. Fragoſum *Tomo* 2. *Lib.* 1. *Diſput.* 3. §. 1. *num.* 27. vbi addit alios. Præterea, ſi videret quis virum nobilem à Miniſtris nimis indecorè duci, & contra DD. Inquiſitorum voluntatem id eſſe ſibi perſuaderet, quæ perſuaſio eſſet abſque dubio benè fundata: numquàm enim indecora huiuſmodi & inurbana tractatio eſſe illis grata poteſt. Et ſic aliæ poſſunt eſſe cauſſæ, quæ proponi & prætendi meritò poſſint, & propter eas expurgationem ſic proponentes & prætendentes

Digitized by Google

dentes habere. Sic ergo non ſtat captum eripi ſcienter & ſponte ex quocumque humano reſpectu, quin pœnæ conſtitutionis incurrantur: cùm tamen ſtet optimè verborum illius ſenſus ſecundùm datam explicationem.

219 Dico tertiò. Etiamſi dicamus ſententiam contrariam non ſolùm eſſe probabilem, ſed veram, in ordine ad praxim parùm deſeruire poteſt: vnde S. Tribunal valebit ſemper auctoritatem ſuam magnâ cum poteſtate tueri. Hoc probo & explico. Nam contendens ſe non ex contemptu aut odio operatum, ſed ex alio humano affectu, id debet per claras probationes oſtendere: cùm autem intentio ſit actus internus, difficillimè poteſt per probationes claras demonſtrari. Illis igitur deficientibus, procedere S. Tribunal poterit ad pœnarum inflictionem.

Dices ex Carena *num.* 30. *& ſeqq.* etſi Pontifex claras probationes exigat, ſufficere probabiles, quod benè probat. Verùm cùm non vtcumque probabiles in negotio adeò graui ſufficiant, ſed quæ valde ad claritatem accedant, idem de illis videtur dicendum, eſſe ſcilicet valde difficiles. Cumque iudicium circa hæc apud iudices ſacros ſit futurum, clarè ex eo apparet poſſe probationibus talibus non deferre, & ita reum Pontificiis pœnis dignum pronuntiare, piè eaſdem temperando, de quo *inferius Dub.6.* Quando etiam ſi tantùm probabiliter procedant, excommunicatio S. Tribunalis, ſicut & declaratio timenda ſit, & contra eam neutiquam eundum, iuxta ea, quæ adducit D. Fermoſinus *Allegat. citatâ, num.* 76. pro quo & videndus P. Suarez *Tomo* 5. *in* 3. *p. Diſput.* 4. *Sect.* 6. *num.* 6.

DVBIVM V.

An pœnæ Conſtitutionis prædictæ poſſint à Tribunali Sancto temperari.

220 DIco primò. Quod ad excommunicationem attinet, temperamentum non patitur. Id clarum, quia vt dictum *ſupra num.* 213. illa non eſt capax diuiſionis.

Dico ſecundò. Pœnæ aliæ temperari poſſunt. Sic colligo ex Auctoribus, qui de fautoribus agentes, puniendos dicunt DD. Inquiſitorum arbitrio: ex quibus aliqui negant poſſe illis pœnam confiſcationis bonorum infligi. Quos cùm afferat Diana *Tract.* 7. *citat. Reſolut.* 21. §. *Hoc ſuppoſito*, in fine, ſic ſubdit: *Verùm ego illam admitto, Stante Conſtitutione Pij V. ſi de protegendis, in qua clarè contra ſupradictos infligitur talis pœna.* Sic ille, pergens §. *ſequenti* in hæc verba: *Notandum eſt tamen hic titulum conſanguinitatis, vel amicitiæ ſtrictiſſimæ, non excuſare in totum fautores hæreticorum à ſupradictis pœnis, quæ latitudinem habent, ſed debent moderari pro maiori vel minori ſanguinis coniunctione; & ita docent Doctores &c.* Vbi dici nequit non loqui in terminis Bullæ Pij V. cùm eam referat. Quòd autem excipiat eas, quæ latitudinem non habent, propter excommunicationem dictum, iuxta priorem Aſſertionem. Videndus etiam Carena §. 21. *&* 24.

221 Deinde id probo ex praxi S. Tribunalis, de qua *num.* 207. Quibus addo recentiorem caſum apud D. Fermoſinum: Prætor namque Valliſoletanus valde in hoc genere criminoſus, & propterea excommunicatus ac interdictus, abſolui iuſſus à Regiâ Maieſtate, interueniente procul dubio ſupremo Tribunali. Quid autem caſus ille ad Bullam Pij V. ſpectaret, ex facto conſtat, & Allegatione pro ipſo, præſertim *n.* 30. vbi illius inducta mentio.

222 Dico tertiò, Prædicta poteſtas moderandi pœnas eſt etiam in Tribunalibus inferioribus. Hoc poteſt ex eorum etiam praxi probari, & prætereà ex mandato ſupremi Romani Tribunalis, de quo *num.* 207. *citat.* vt non infligantur pœnæ Bullæ noſtræ niſi illo conſulto: poſſunt ergo aliæ infligi, iuxta Doctores, de quibus dudum: quibus adde Souſam in *Aphoriſmis Lib.* 1. *Cap.* 28. *numer.* 20. vbi ita ſcribit: *Impedientes dictum Inquiſitionis Officium, ſiue directè, ſiue indirectè, tam in odium fidei, quàm ob alias cauſſas, pœnâ arbitrariâ puniuntur. Peña d. Comment.* 79. *Farinacius* §. 5. *num.* 73. *&* 74. (*Quæſt.* ſcilicet 182. de hæreſi) Sic ille. Et adducti ab ipſo poſt Bullam Pij V. ſcripſerunt, vt manifeſtum. Licet contrarium videatur tenere Carena §. 24. *citato.* vbi ait caſus huiuſmodi ſemper ad Supremum Senatum referendos, ad quem ſpectat declarare incurſionem in pœnas Conſtitutionis. Verùm id de conſilio tantùm videtur dictum, vnde verſ. *Aduerte*, concludit ſic; *Ad quos ob id conſulo quòd huiuſmodi cauſſæ ſemper referantur.* Sic ille de Romano Senatu locutus. In Hiſpanico etiam faciendum vbi res non vrget. Sed pro nobis ſtat inſuper Lupus *Lib.* 24. *Diſt.* 2. *artic.* 3. *Difficul.* 1. verſ. *Tum prætereà* circa expoſitionem Conſtitutionis noſtræ locutus.

223 Dico quartò. Quòd de priuatione Beneficiorum ipſo facto ſtatuit Pontifex verbis illis: *Beneficiis, & Officiis omnibus Eccleſiaſticis præſentium auctoritate priuati &c.* moderationem etiam habere poteſt, non adhibitâ declaratione priuationis, ſine qua Beneficia iuſtè retinentur, iuxta receptiſſimam ſententiam. de qua ſæpiùs in *Theſauro, & ſuprà num.* 8. & videri, ſi placet, poterit P. Palaus *Tom.* 1. *Tract.* 4. *Diſput.* 3. *Puncto* 6. *num.* 5. *& Puncto* 6. *numer.* 2. Si dicas non videri ſine peccato fieri poſſe, vt qui à Pontifice priuati ſunt, non declarentur tales. Occurri poteſt ex eo quòd Pontifex non ita priuat, vt ad effectum priuationis non exigat declarationem. Cùm ergo hæc iuſtis ex cauſſis ſuſpendi queat, has ipſas cauſſas non videtur improbare. Quemadmodum in laicorum condemnatione accidit, quos omni dominio, dignitate, honore &c. priuat verbis illis ex §. 4. *Et perpetuò eo ipſo priuatus.* Et nihilominus id ſtat, quod diximus, *Aſſert.* 2. *&* 3. vbi & ſuſpenditur, quod ad priuationem conſequens videbatur: vnde §. 13. exhortans Sæculares Poteſtates ad impertiendum auxilium, & pœnas exequendas, his vtitur verbis: *Siue in præſtando miniſtris prædictis auxilio, ſiue in criminum poſt Eccleſiæ ſententiam animaduerſione. &c.* vbi non ait poſt ſuam ſententiam puniendos, ob crimina ſcilicet, propter quæ omni ſunt honore ac dignitate priuati: ſed poſt ſententiam Eccleſiæ: apertè indicans futuram aliam à ſuâ diſtinctam, in qua dicimus poſſe moderationem adhiberi.

224 Quibus addendum Pontificem, cùm

Digitized by Google

de pœnis infligendis loquitur, nullum præceptum verbis expreſſis imponere, quo tamen vſus §. 10. circa Conſtitutionis publicationem cum Eccleſiæ Prælatis loquens. Licet autem addat: *& quantùm in ſe eſt firmiter obſeruari procurent*, id non vrget pro neceſſaria inflictione pœnarum, pro qua DD. Inquiſitoribus nullum præceptum imponit, neque Epiſcopis ipſis vt Ordinariis Inquiſitoribus: ſed illud tantùm exoptans vt Conſtitutio vim habeat, pœnas, cùm conueniens videbitur, infligendo, aut eas, cùm opportunum fuerit, temperando. Dici enim veriſſimè poteſt Conſtitutionem hoc modo à Tribunalibus ſacris, firmiter, quod votum Piiſſimi Pontificis, obſeruari. Neque merum rigorem tenendum ſemper optat Pontificia benignitas, etiam cùm irata fuerit, miſericordiæ, Diuinæ inſtar recordata.

DVBIVM VI.

Quæ occurrunt in caſu noſtro, an ſint ſufficientia pro Conſtitutionis pœnis temperandis.

225 Dico primò. Reorum nobilitas in rigore loquendo non videtur attendenda, etiamſi nota illa, & equeſtrium Ordinum Crucibus decorata. Hoc videtur ex Conſtitutionis tenore perſpicuum, in qua Pontifex §. 2. Ciuitates integras, & populos, Comites, Marchiones, Duces, & potiori titulo illuſtres inuoluit. Et quod ad excommunicationem attinet, id nequit dubitari. Quod & tradit Carena *Parte 2. Tit. 7.* §. 89. generaliter locutus de criminibus ad S. Inquiſitionis Tribunal ſpectantibus. Et licet dicat non imponendam pœnam, quæ infamiam irrogat: addit tamen earum loco alias ſubrogandas, caſtigandos tamen tradit *Parte 3. Tit. 13. numer.* 60. loco triremium.

226 Dico ſecundò. Probabile eſt nobilitatem temperationi pœnarum cauſſam aliquam præbere. Id probo. Nam Scriptores, de hoc loquentes diſcrimen ſtatuunt inter nobiles, & ordinum inferiorum, ſicut cùm de blaſphemis agunt, & de contrahentibus binas nuptias. Pro quo Salcedus in *Additionibus ad Bernardum Diaz. Cap.* 8. *Lit. B. & Cap.* 110. *Lit. A.* Souſa in *Aphoriſmis Lib. 1. Cap. 19. num. 20. & Cap. 35. num.* 20. & generaliùs *Lib. 3. Cap. 36. num.* 7. vbi de pœnis arbitrariis, & alij apud Dianam *Parte 4. Tract. 7. Reſolut.* 21. §. 2.

227 Dico tertiò. Quòd vnus ex duobus prædictis Prætoribus Familiaris eſſet S. Officij, non videtur illum releuare, ſed potiùs exceſſum aggrauare. Id clarum: quia tenebatur ſtrictiori valde vinculo, & ratione præſtiti iuramenti, pro S. Tribunali ſtare. Nihilominùs conſiderationis eſſe aliqualis poteſt, vt non in odium illius operatus ſit, cuius ſe cruce voluit & prætendit honorari.

228 Dico quartò. Quòd ereptus eſſet è gremio Vrbani Capituli, cuius Alcaldij ſunt Capita, rationem pro temperamento exibet aliqualem. Nam ſicut iniuria vni de conſortio facta, toti videtur facta conſortio, vt ex Seſſe & Bartholo tradit D. Fermoſinus in *Cap. Si quis contra*, de foro competenti. *Quæſt. 16. num.* 4. ita moleſtia vni ex conſortio illata, omnibus videtur inferri: vnde ſecundùm naturalem inclinationem eſt ad illam depellendam prouocari. Currit ergo ſuo modo hic quod de ſtricta amicitia & cognatione Doctores tradunt, vt vidimus *num.* 220.

229 Dico quintò. Conducere etiam potuit ad moderationem pœnarum ampla & honorabilis parentela, quæ Tribunali Sancto nimis maneret infenſa, & ratione illius quamplures alij, quibus cum tituli amicitiæ aut dependentiæ intercedunt, vnde & tota fere reſpublica, vnde & illud poteſt odioſum reddi, quod minimè eſt conueniens: licet enim expediens ſit vt timeatur, ſed non eſſe Fidelibus exoſum. Et ita DD. Inquiſitores vti communes parentes ſtudent ſe omnibus amabiles exhibere. De quo in *Titulo num.* 28.

230 Dico ſextò. Quod rei capturam iniuſtam cenſuerunt, non videtur facinus minorare. Id oſtenditur. Nam ſic operantes grauem iniuriam S. Tribunali conſtat irrogaſſe, iudicantes illud ex priuatis affectibus procedere, & non iuſtitiæ terminis in re adeò graui & notabili, ſtrepituque plenâ ſeruatis. Cùm pro iudice ſtare debeat ſemper præſumptio, vt eſt apud Doctores obuium: quod ſpecialiter in iudicibus Tribunalis ſancti procedit, qui maximâ cum maturitate & conſultatione ſe gerunt, vt expendit D. Fermoſinus *Allegat. citat. num.* 78. de quorum etiam probitate & æquitate teſtantur Auctores apud eumdem in Cap. *Si quis contra Quæſt. 16. num.* 16. Nihilominùs ex hoc capite ſumi argumentum poteſt vt ereptio non fuerit ex odio Tribunalis facta, & ita circa pœnas Conſtitutionis non eſſe rigidè iudicandum, quidquid de aliis ſit aggrauantibus aliunde.

231 Dico ſeptimò. Quia in hoc caſu nonnullæ ſunt incidentiæ repertæ, ex quibus apud vulgus bonum Tribunalis nomen aliquatenus videbatur infuſcari ad fabellas facile, & ad peiora credenda promptiſſimum; meritò potuit temperamentum pœnarum noſtræ Conſtitutionis aſſumi. Hac enim de cauſſa rei aliquando de hæreſis etiam crimine, ab ordinariâ pœnâ immunes euaſerunt, quia ſcilicet Inquiſitor impunitatem relapſo confitenti pollicitus fuerat; ne ſcilicet bonum Tribunalis ſancti nomen aliàs traduceretur, dum in eo promiſſorum fides inuiolata non extaret. Pro quo D. Cantera in *Quæſtion. Crimin. Cap. 1. de vera confeſſione n.* 9. ex quo Diana *Parte 4. Tractat. 8. Reſolut.* 22. apud quem etiam Flamminius Carthanus benè obſeruat DD. Inquiſitores maiorem aliis iudicibus poteſtatem habere ad pœnas aut temperandas, aut remittendas, & propter vitanda ſcandala etiam in caſu hæreſis Farinacius *de hæreſi Quæſt. 186. num.* 149.

232 Dico vltimò. Quia in caſu dicto captus non eſt penitus à poteſtate S. Tribunalis ereptus, ſed eidem reſtitutus, pœnæ potuerunt meritò temperari. Conſtat ex dictis *Dub. 3. Artic.* 2. & vt ſingulæ ex dictis cauſſis ſufficientes non ſint, earum cumulus iure optimo potuit ſufficiens reputari: *Singula enim quæ non proſunt, ſimul collecta iuuant.*

DVBIVM

DUBIUM VII.

An potuerint præfati rei ſine citatione excommunicati, informatione ſtatim ſumpta, declarari.

233 RAtio dubitandi eſt, quia in excommunicatione à Iure ante denuntiationem debet declaratoria commiſſi criminis ſententia præcedere, & conſequenter citatio, vnde & appellatio à denuntiatione interponi, vt ex Cap. *Peruenit.* 1. & Cap. *Conſuluit*, *de appellation.* Doctores colligunt: pro quo videri poteſt Marius Alterius *de Cenſuris*, *Libr.* 3. *Diſput.* 3. *Cap.* 4. Verſ. *Quintus caſus.* Diana *infrà*, Leander *Parte* 4. *Tract.* 1. *Diſputat.* 7. *Quæſt.* 8. P. Suarez *Tomo* 5. *in* 3. *p. Diſput.* 3. *Sect.* 15. *numer.* 20. P. Filliucius *Tractat.* 11. *num.* 118. & obuij alij, quibuſcum ex recentiſſimis D. Fermoſinus *Allegat. citat. n.* 70. 71. & 72. vbi multos adducit.

234 Nihilominùs Dico DD. Inquiſitores legitimè proceſſiſſe. Ratio eſt; quia quando factum eſt notorium & penitus inexcuſabile, non eſt ſententia declaratoria neceſſaria, niſi quæ in denuntiatione ipſâ continetur, quia neque appellationi locus eſſe poteſt, per quam denuntiatio impediatur, vt ex citatis Capitibus habetur, & tenent citati, apud quos Nauarrus, Couarruuias, & alij: pro quo & Fermoſinus plures congerit. Licèt enim in caſu noſtro non omnes loquantur, iuuant tamen quatenus, vbi cauſſa notoria eſt, admittendam non eſſe appellationem affirmant: vnde & ſuperflua ad denuntiationem videtur citatio, quandoquidem nihil, eâ factâ, reſponderi poteſt, per quod denuntiatio impediatur: præſertim ad accelerandam illam vrgente ratione. In terminis autem casûs noſtri loquuntur Couarruuias in Cap. *Alma mater*, *Parte* 1. §. 9. *num.* 6. Verſ. *Et hæc quidem.* P. Suarez *ſuprà*, *Sect.* 10. *num.* 18. Leander *Quæſt.* 11. citans Nauarrum, Syluestrum, & Alterium, qui tantùm de Canonicâ monitione ad excommunicationem latam à iure incurrendam minimè neceſſariâ locuti, & non in caſu noſtro. Pro quo eſt Textus in Cap. *Cùm ſit Romana*, de appellat. §. *Prætereà*, ibi: *Niſi fortè manifeſtus raptor vel fornicator exiſtat: ſicut ille, quem abſentem, & irrequiſitum Apoſtolus excommunicauit.* Sic Alexander III. citans locum ex 2. *Corinth.* 5. videndus etiam Diana *Parte* 5. *Tract.* 9. *Reſolut.* 18. & Baſſæus verb. *Excommunicatio* 2. *num.* 15. nonnullos allegans. Pro quo & praxis ſuffragatur, quando, vt dixi, pro acceleratione ratio eſt vrgens. *Interdum enim nec locus, nec tempus patitur pleniùs deliberare conſilium. L.* 1. *Reſponſo* 1. *D. de exerc. act.* Iuxta hæc ergo non eſt quod in facto DD. Inquiſitorum poſſit condemnari. Stante inſuper communi ſententiâ, de quâ Boſſius *Parte* 1. *Titul.* 1. *numer.* 929. quòd in delictis non admittentibus excuſationem non eſt neceſſaria citatio, etiam ad ſententiam.

235 Obiectum à quibuſdam informationem præproperè factam, & ſolis miniſtrorum, qui ad capturam miſſi, teſtimoniis: quos non eſſe legitimos tenent aliqui apud Carenam *Parte* 2. *Titul.* 13. §. 68. Sed certè quod ad feſtinationem attinet, ea fuit pro caſus contingentiâ neceſſaria: & cùm nihil defuerit ex ſubſtantialibus, nequit eâ de cauſſâ notari, iuxta nuper dicta. Miniſtros autem eſſe teſtes legitimos, quando homines viles non ſunt, tenet cum aliis citatus Carena §. 69. In noſtro autem caſu non fuêre viles, quales eſſe birruarij ſolent, ſed homines honorati, quorum teſtimonium ex nullo poſſit titulo vllatenus infirmari. Et quod ad feſtinationem ſpectat roborandum vlteriùs vti maximè Iuri conforme ex Cap. *Conſtitutionem*, de ſent. excomm. *in* 6. vbi cùm pro excommunicatione trina monitio cum competentibus aliquorum dierum interuallis vt neceſſaria ſtatuatur, ſic tandem concluditur: *Niſi facti neceſſitas aliter ea ſuaſerit moderanda.* Videatur P. Suarez *ſuprà*, *Diſput.* 2. *Sect.* 9. *num.* 4. & Gloſſa V. *Neceſſitas* exemplum apponens, *vt quia partes ſunt ad rixam & arma paratæ, nec curant monitiones Epiſcopi.* Iuxta *L. Æquiſſimum. D. de vſufr.*

DUBIUM VIII.

Quomodo abſolutio committi potuerit Qualificatoribus, cùm excommunicatio ſit Pontifici reſeruata, quod probatur.

236 NOn eſſe reſeruatam abſolutionem præfatæ Bullæ, tenent aliqui, quos adducunt Carena *Parte* 2. *Titul.* 13. §. 103. & Lupus in edictum *Lib.* 24. *Parte* 4. *Dub.* 2. *artic.* 1. Cuius contrarium tenent Carena ipſe *ibidem*, & alij, quos citat. Lupus etiam, licèt vtramque ſententiam dicat eſſe probabilem, & pro temporum ac locorum opportunitate poſſe nunc vnam, nunc aliam prudenti cuiquam deſeruire: in id tamen magis inclinat, vt reſeruata ſit: ait enim melius eſſe intacta iura ſeruari, quàm poſt vulneratam cauſſam remedium quærere. *L. finali. C. in quibus cauſis in integr. reſtitut.* & melius item pauca agere cautè quàm multa periculosè. *Nouella* 44. *de Tabellionib.* & meſſem per alienam tranſeuntem, in eam falcem mittere non debere. 6. *quæſt.* 3. *Scriptum.* Multa prætereà per patientiam, ſeu pro bono pacis tolerari, quæ deducta in iudicium, exigente iuſtitiâ, non debent tolerari. Cap. *Cùm iam*, de Præbend. & dignitat. Itidem multa ratione incertitudinis permitti, quæ aliàs non concederentur. *L.* 1. *C. de pact.* & *L. Si ea. C. de vſuris.*

237 Mihi certum videtur eſſe reſeruatam. Tum quia aliàs non videretur malo, quod intendit Pontifex potenter auertere, ſufficienter occurriſſe. Sciebat pro eo Conſtitutiones Pontificias fuiſſe præmiſſas, in quibus excommunicatio eſt Sedi Apoſtolicæ reſeruata, vt vidimus *Dub.* 1. de Conſtitutione Iulij III. & alias citauimus tum in Iure contentas, tum Extrauagantes, de quibus Pegna. Cùm ergo validioribus conetur armis occurrere, anathema, quod fulminat, reſeruatum voluiſſe non videtur poſſe dubitari.

238 Deinde § 9. eiuſdem Conſtitutionis ita videtur apertè declaratum, ſic enim ibi: *Ceterùm eam omnium, & quarumcumque abſolutionum rationem à prædictis criminibus, necnon habilitationem* &

& reſtitutionem, etiam ad famam, & honores, ita deinceps habendam optamus, vt ſucceſſores noſtri nullas, niſi ſaltem Semeſtri poſt cuiuſcumque aſſumptionem ad huiuſmodi dignitatis faſtigium excurſo, ac precibus apud Supremum Officium Inquiſitionis hîc inſtitutum verificatis, concedant. Sic ille: qui verbis illis prioribus, *Quarumcumque abſolutionum*, non obſcurè indicat abſolutionem excommunicationis à ſe poſitæ ad Sedem Apoſtolicam pertinere: apud quam & difficilem fore deſiderat, vt ex eo atrocis huius criminis malitia appareat; & homines ab eo patrando ſic poſſint deterreri. Vnde Carena *ſuprà*, admonet ne quis audeat ſic innodatum abſoluere, quod equidem DD. Inquiſitores ægrè ferent. Ex quo & argui poteſt; quia praxis S. Tribunalis hanc partem amplectitur, immò & Pontifices, qui, vt demus ex vi Conſtitutionis reſeruationem non haberi; eam poſſunt, ſicut verbis, ita & facto ſtabilire. Quo ſuppoſito ſubintrat difficultas, quomodo ſcilicet poſſit abſolutio ab inferioribus Tribunalibus per ſe, aut per alios impartiri. Pro quo

239 Dico primò. Licèt abſolutio reſeruata ſit, poteſt tamen à DD. Inquiſitoribus vti à Delegatis Sedis Apoſtolicæ concedi. Conſtat ex vſu & praxi ipſorum Tribunalium, ſciente, & iubente quandoquidem Supremo Conſilio, vt in caſu Prætoris Valliſoletani, de quo D. Fermoſinus *Allegat. citat.* & prætereà, quia omnium maximè reſeruatum crimen eſt hæreſis, & tamen ab illâ abſoluere DD. Inquiſitores poſſunt in vtroque foro, ſi Sacerdotes ſint, id quod de fautoribus manifeſtius, & de quo Lupus *ſuprà*, *Libr.* 14. *Parte* 2. *Diſt.* 3. *art.* 1. *Diffic.* 8. & magis in terminis *Diſt.* 2. *tit. art.* 4. *in fine.*

240 Neque contrarium ex verbis Pontificis allatis ex §. 9. colligi poteſt. Ibi enim recurrens ad Sedem Apoſtolicam non ſupponitur à Tribunali S. Inquiſitionis iudicatus, ſed eius rigorem fugiens, ad benignitatem Pontificiam prouocare. Quod autem habilitatio & reſtitutio petatur, non ideò eſt quia per ſententiam ſint illi fama & honores ablati, ſed quia ex vi Conſtitutionis id habetur, iuxta dicta *num.* 223.

241 Dico ſecundò. Dum cauſſa agitur apud S. Tribunal, poſſunt abſolui rei ad effectum comparendi, & illâ concluſâ, iterùm. Sic factum in eâ, de quâ loquimur, pro quo iuuat mandatum hîc ſpecialè proponere ſic ſe habens: *En la Ciudad de los Reyes, an 28. de Marzo, de 1661. eſtando el Señor Inquiſidor Dotor Don Chriſtoual de Caſtilla y Zamora en ſu Audiencia de la mañana, auiendo viſto la peticion de Don Sebaſtian Nauarrete, y Don Alonſo de la Cueua, Alcaldes Ordinarios, y la reſpueſta del licenciado Don Pedro Aluares de Faria, que hace oficio de Fiſcal en eſta cauſa. Mandò que los dichos Alcaldes Ordinarios ſean abſueltos* ad effectum comparendi, *y cometio la abſolucion de Don Alonſo de la Cueua al Padre Calificador Diego de Auendaño Prouincial de la Compañia de IHS, y la de Don Sebaſtian Nauarrete al Padre Calificador, Maeſtro Fray Martin Melendez Prouincial de la Orden de Santo Domingo, y que ſiendo abſueltos, queden preſos en ſus caſas con dos guardas cada vno, que lleben de ſalario à quatro peſos corrientes cada guarda en cada vn dia, y que no ſalgan de las dichas ſus caſas en ſus pies, ni agenos, pena de excomunion* maior ipſo facto incurrenda ſine Canonica monitione præmiſſa, *quedando deſde luego citados para la tablilla, y de docientos peſos enſayados cada vno para gaſtos de Eſtrados, y que en la proſecucion de ſus cauſas hable coda vno por ſu eſcrito aparte con ſu Abogado, que ſe à de aprobar ſegun eſtilo de eſto Santo Offitio, y que ſe les notifique eſte auto, &c.*

242 Licèt autem ad effectum comparendi abſolutio data fuerit, aliàs profectò immediatus finis fuit, quòd ſcilicet Equites prædicti inſtante Maiori hebdomadâ præceptum poſſent Confeſſionis, & Paſchalis communionis pariter adimplere. Neque ita limitata abſolutio præter effectus dictos, vt non poſſent cum aliis conuerſari. Sic enim intelligendum cùm abſolutio hoc modo confertur, vt licet finis comparitio ſit, abſolutus tamen omnino ſit vinculo illo ſolutus; ità vt non ſit dimidiata, vt agere cum his poſſit, non cum illis: id enim habetur conſequenter: quia ſicut excommunicatio vnum eſt & indiuiſibile vinculum, ita & abſolutio indiuiſibiliter circa illam feratur. Licèt enim abſolutio ſententia humana ſit à poſitiuo iure introducta, & ita eius effectus à voluntate pendeat abſoluentis, vt benè expendit P. Suarez *Tomo* 5. *in* 3. *p. Diſput.* 7. *Sect.* 8. *num.* 8. id tamen non eſt ſufficiens vt dicamus poſſe tolli per partes, dum ab ipſo Canonico iure aliud diſpoſitum non inuenitur. Eſt enim introducta cum proportione ad excommunicationem, quæ indiuiſibile vinculum eſt ex Eccleſiæ inſtitutione.

243 Ex hoc autem videtur difficilis reddi ſecunda Aſſertionis pars, quòd ſcilicet poſt concluſioné cauſſæ poſſint rei plenariè abſolui. Non videtur enim à quo vinculo abſolui debeant; quia abſolutio non fuit data ad reincidentiam, & aliunde non eſt nouum crimen, propter quod noua poſſit imponi cenſura. Ad quod dici poteſt difficultatem hanc non eſſe in caſu noſtro ſpecialem, ſic enim frequenter accidit, cùm excommunicantur iudices, quibus, quando cauſa non vrget, abſolutio impenditur iuxta dierum numerum per leges deſignatum. Et rurſum cauſſâ concluſâ, etiamſi dies aſſignati non ſint elapſi. Dicendum ergo vel abſolutionem huiuſmodi eſſe ad reincidentiam, & ſic concluſâ cauſâ poſſe abſolutionem impendi. Licèt enim reincidentiæ verbo id non indicatur, ſatis id tenor decreti manifeſtat. Nam cùm datur abſolutio ad effectum comparendi (ſicut iudici ad effectum adminiſtrandi iuſtitiam pro tali tempore) limitata profectò eſt; aliàs non ad effectum comparendi, ſed planè & plenè daretur, quod tamen non erat conueniens durante cauſſæ cognitione. Redit autem excommunicatio non ex vi ſententiæ inferiorum iudicum, ſed Pontificij Canonis; quia abſolutio ita data eſt; vt ſententiæ Pontificis minimè derogaretur, ſed vim ſuam poſt tempus aut effectum deſignatum retineret. Sicut accidit cùm excommunicatus à Iure abſoluitur vt teſtificatur, quia non eſt alius, per quem poſſit id, de quo agitur, comprobari. Iuxta Cap. *Veniens* 2. *de teſtib. & atteſtat.* aut in articulo mortis, cum obligatione comparendi, vt benè explicat P. Gaſpar Hurtadus *diſput.* 14. *de excommun. num.* 13. & 14.

244 Vel dicendum potiùs cum P. Suario *ſuprà num.* 21. talem abſolutionem non eſſe ad

re

Digitized by Google

re incidentiam, ſed excommunicationem moraliter perſeuerare ad inſtar ſententiæ, cuius tamen eſt ad tempus impeditus effectus. Quod ergo diximus de ſublata excommunicatione pro eo tempore, eſt quidem veriſſimum, quia ſic abſolutus reuera non eſt impeditus in ordine ad omnem effectum, qui per Cenſuram poteſt impediri. Vnde in rigore, & quaſi phyſicè ſunt diſtinctæ, vt loquitur P. Hurtadus *num.* 13. Cum quo ſtat moralis quædam perſiſtentia excomunicationis, eò quòd non ſit penitus ablata, quæ eſt ſtatim reditura: quo pacto dicitur perſeuerare Interdictum, quod Feſtis quibuſdam occurrentibus relaxatur. Pro quo & Diana *Parte* 5. *Tract.* 9. *Reſolut.* 15. §. *Dices maiorem.* Facit autem pro eo quod diximus de ablata verè Cenſura id, quod *ibidem* ait P. Suarez. Quærens enim an redeat excommunicatio eadem vel diuerſa, reſpondet rem eſſe praui momenti, moraliter autem eamdem reputari. Diuerſa ergo reuera eſt, licet aliqualiter eadem ſecundùm communem loquendi modum, & concipiendi pariter. Quod & in Cenſura Canonis dicendum, virtute cuius poteſt alia diſtincta ſuccedere, licet moraliter eadem.

245 Dici etiam tandem poteſt abſolutionem concluſâ cauſſâ tantùm eſſe in foro exteriori ad plenè ſatisfaciendum Eccleſiæ, quæ ſemper abſoluit iam probatos reos, quamuis interdum contingat quoad forum Dei tales non eſſe. Ex traditis à Lupo *Lib.* 7. *Diſt.* 1. *Artic.* 1. *Difficult.* 4. *& Diſt.* 3. *Artic.* 3. *Difficult.* 2. ſic abſolutus in articulo mortis à Confeſſario abſoluitur poſt mortem in foro exteriori, de quo citatus. *Lib.* 10. *Diſt.* 9. *Artic.* 1. *Difficult.* 3. Quod eueniet etiamſi quis ex vi priuilegij fuerit in foro animæ, quod in noſtro caſu accidere poteſt, ſi virtute Bullæ Cruciatæ aut Iubilæi fiat, iuxta ſententiam multorum apud Dianam *Parte* 1. *Tractat.* 11. *Reſolut.* 29. P. Eſcobar *Tomo* 1. *Problematum Lib.* 7. *num.* 576. P. Quintanad. *de caſibus Iubilæi* Anni *ſancti, & ſimilium. Cap.* 23. *num.* 11. & P. Mendum in *Bullam Cruciatæ Diſput.* 25. *numer.* 57. & quod ad Indias ſpectat ex dictis *Titulo* 12. *num.* 300. Hæreſis enim nomine non comprehenditur fautoria, receptatio, defenſio hæreticorum, & ita neque impeditio. Id quod eſt verius quando reſpectu hæreticorum non eſt, pro quo & Lupus. Quomodo autem in caſûs contingentia procedendum, dictabit prudentia, quæ vtinam talis, qualem res iſta videtur poſtulare.

DVBIVM. IX.

An in caſu noſtro, captus ob reſiſtentiam, in pœnas impedientium inciderit.

246 ITa quidem videtur, quia per reſiſtentiam exercitium S. Officij dubio procul impeditur. Incidunt etiam Miniſtri in periculum, à quo Põtifex eos expertes vult, vt ex proœmio conſtat, ibi *Periculorum omnium expertes.* Cùm ſit inſuper perterrefactio prohibita, ſicut actiones aliæ, vt ex §. 2. ibi: *Quamuis ex Inquiſitoribus, Aduocatis, Procuratoribus, Notariis, aliiſue Miniſtris prædicti S. Officij occiderit, verberauerit, deiecerit, ſeu perterrefecerit*; & quidem perterrefactis ſolis verbis facta, ad incurrendas pœnas eſt ſufficiens, vt cum aliis tradit Lupus *Lib.* 24. *Diſt.* 1. *Difficult.* 2. & ex Zanardo Diana *Tract.* 7. *citat. Reſolut.* 13. §. *Non deſinam.* Igitur multo potiùs quæ non tantùm verbis, ſed manu patratur armatâ: facta enim ſunt verbis potiora *L. Pupillo* §. *Meminiſſe. D. de operis noui nuntiat.*

247 Dico primò. Reſiſtens non incurrit impedientium pœnas. Sic videtur praxis S. Tribunalis amplecti & fundamentum eſſe poteſt, quia in Pontificiis Decretis non eſt ſermo de illis, & præſertim in Conſtitutione noſtrâ; non obſtantibus adductis ex ipsâ, quæ ad impedientes pro exercitio erga alios, non erga ſe ipſos referuntur; vnde omnes quæ enumerantur actiones tales ſunt. Quod autem de periculo dictum, non vrget, quia quando capiendus eſt aliquis, ita eſt diſponenda Miniſtrorum poteſtas, vt nihil poſſit à capturâ timeri: cùm tamen ab aliis non ita poſſit totalis ſecuritas præueniri. Quæ autem de perterrefactione dicuntur, iis adnectenda, quæ in §. ſequenti ſuccedunt: *Quiue Eccleſias*, & item quæ in ſubſequenti: *Quiue carcerem* vbi perſpicuum eſt de tertio impediente agi, vnde & priora pariter accipienda, cùm ſub eodem tenore proferantur.

248 Ratio autem horum eſt obuia, quia in reſiſtente ob defenſionem propriam, non eſt contemptùs aut odij S. Tribunalis ſuſpicio, licet cum illius iniuriâ coniuncta ſit. Impedientes inſuper fautores ſunt, vt diximus *num.* 204. nemo autem reſpectu ſui ipſius fautor dicitur; quamuis ob temeritatem defenſionis pœnis arbitrariis ſubiaceat, ſicut in omnibus tribunalibus accidit: ſemper enim reſiſtentia ſpeciali eſt digna ſupplicio, præſertim ſi qualificata ſit, vnde ob illam forum S. Inquiſitionis amittitur, iuxta generalem Hiſpaniæ Concordiam, de quo dictum hoc *Titulo numer.* 154. & qualificatam eſſe cùm verba contumelioſa dicantur, aut alapa interuenit, vel quid aliud impudens, iudicis arbitrio, explicat Narbona *Gloſſa* 14. *num.* 115.

249 Et quia de verbis dictum (vt hoc interim adiiciamus) licet illa ad pœnas incurrendas ſufficere, cùm perterrefactoria ſunt, Doctores tradant, quos vidimus; ſunt tamen qui in terminis Conſtitutionis noſtræ illa non eſſe ſufficientia contendant. Sic enim tenet Carena *Parte* 2. *Tit.* 13. §. 15. quem ſequitur Lupus *Diſt.* 2. *cit. Artic.* 2. *Difficult.* 2. Quorum ratio eſt, quia perterrefactio incuſſionem timoris factis contingentem propriè ſignificat. Et item quoniam Pôtifex verba non expreſſit; cùm tamen vbi comprehenſa volunt, exprimere ſoleant. Vt in *Canone* 13. *Bullæ Cœnæ*, vbi perterrefactio comminationi, & concuſſioni comparatur: & cùm diſpoſitio ſit pœnalis, ſtrictè eſt interpretanda. Verùm in terminis eiuſdem Conſtitutionis loquentes contrarium tenent adducti; & Lupus ipſe ſic ſcribens: *Vel offenſio ſit immediata aut mediata, quæ ſit etiam verbis iniurioſis, vel ſignis, perterrefaciendo. Patet ex Conſtitutione ſi de protegendis: ad veritatem enim disiunctiuæ propoſitionis ſufficit alteram partem verificari. l. Si ita quis. D. de verbor. obligat.* Sic ille. Vt mirum ſit breui adeò interuallo ſui oblitum contrarium tenuiſſe.

250 Et certè non videtur quomodo id negari

Digitized by Google

gari poſſit, cùm perterrefactio verbis frequentiùs fieri ſoleat, poſſintque minæ adeò eſſe graues, vt metum in virum conſtantem cadentem importent: vnde non fuit opus illa exprimi, etſi aliquando expreſſa inueniantur, ſicut in aliis accidit. Cùm aliàs videamus verba à Pontifice poſita vbi minoris efficaciæ ſunt, cùm §. 4. dantes conſilium pœnali Canone comprehendit: maiorem enim vim comminationes quàm conſilium habent, quia aliquid ſupra conſilium addunt: ſi enim ſolum conſilium ſufficeret, minæ vtique non adderentur. His præiactis,

251 Dico ſecundò. Si quis delicti ſui conſcius, & capturam timens, comminationes anteà iactet, non videtur pœnas Conſtitutionis incurrere. Id probari poteſt, quia illa eſt inchoata reſiſtentia, & perterrefactio in ordine ad perſonam propriam: etiamſi talis ſit, vt cadat in conſtantem virum: ſi enim non talis, ex eo etiam capite locum non habebit incurſio, iuxta dicta *num.* 203.

252 Dico tertiò. Si verba ita generalia ſint, vt terrorem erga capturam aliorum etiam incutere poſſint, incurſio in pœnas exiſtet. Hoc ex ipſa Aſſertionis propoſitione conſtat, iis ſuppoſitis, quæ de perterrefactione per verba probauimus. Ex quo fit cognatos & amicos, qui capturam ſuſpicantes, comminationes ſpargunt, in pœnas potiori ratione proruere, ſed mitiganda, iuxta dicta *Dub.* 5. *Aſſert.* 2. quando eſt in illis latitudo, vt excommunicationem excipiam. Si verò poſt capturam iniurioſa verba in Tribunalis ſancti iudices ac miniſtros proferant, eorum eſt qualitas expendenda: communiter loquendo talia erunt, vt eorumdem iudicum veniant arbitrio punienda, iuxta ea, quæ cum aliis tradit Lupus *Diſt.* 2. *citat. Artic.* 3. *Difficult.* 2. & D. Fermoſinus *Tomo* 2. *in Cap. Cùm veniſſent. Quæſt.* 10. *num.* 5. *& ſeqq.* non tamen Conſtitutionis pœnas, quia per illa non eſt impedita captura, neque conatus ad impeditionem adhibitus; cùm tamen Conſtitutio contra impedientes ſit, ſaltem inchoatè, vt ex eius eſt tenore perſpicuum. Ex quo fit eos, qui videntes captum, ad Alcaldios accurrerunt, ſi vt eriperent ipſum inſtarunt, pœnis Conſtitutionis obnoxios redditos, ratione ſcilicet conſilij, & non qualiſcumque, ſed vrgentis: ſecus ſi tantùm ſimpliciter nuntiarunt.

253 Sed quid de ſeruis cooperantibus? Excuſandi ſanè, quia neſciunt quid faciunt, etſi non obediant, metuere graue ſupplicium poſſunt. Sic enim & impedientes excuſari poſſe diximus *numer.* 218. ſecus de aliis, qui in ſatellitio concurrunt, & ſui iuris ſunt, cùm id in Conſtitutione expreſſum habeatur, ibi: *Siue aliàs auxilium ſcienter præſtiterit.* Niſi fortè illis ignorantia ſuffragetur, & bonâ fide procedant, inſtar militum, qui vbi iniuſtitia manifeſta non eſt, ſi Principi obſequantur ſuo, non peccant, iuxta multorum ſententiam, etiamſi dubium aliquod ſubſit, dummodo vehemens ſuſpicio non ſit. Pro quo videri poteſt Cardinalis Lugo *Diſputat.* 18. *de Iuſtitia numer.* 21. & Angelus M. Verricelli *Tomo* 1. *qq. moral. Tractat.* 1. *Quæſt.* 34. *Sect.* 3. alios adducens. Et vehemens ſuſpicio in caſibus ſimilibus regulariter ſtimulat, quia res S. Inquiſitionis ſine magno non ſolent timore contingi. Vnde non eſt eadem ratio, quæ circa immunitatem patrocinari ſolet vt miniſtri ſæpiùs excuſentur, cùm ex præcepto Magiſtratuum delinquentes ex Eccleſia extrahunt, pro quo, citatus Scriptor *Tractat.* 8. *Quæſt.* 1. *& Quæſt.* 5. *numer.* 8. quia multi ſunt caſus, in quibus Eccleſia delinquentibus non fauet, & poſſunt illi exiſtimare talem eſſe eum, qui tunc occurrit. Quod tamen reſpectu S. Inquiſitionis aliter omnino contingit, vt eſt perſpicuum, vnde moraliter certum eſt id eſſe illicitum. Et quando tale accidit, peccant illi grauiter, qui Superiorum exequuntur mandata, iuxta communem doctrinam, pro qua citatus Verricelli *Tract.* 2. *Quæſt.* 33. *num.* 2. *& Tomo* 2. *ſeu Tractatu de Miſſionibus Quæſt.* 107. *numer.* 48. vbi de famulis loquitur Mercatorum Luſitanorum in Æthiopum contractatione. Sicut famulus etiam legens librum hæretici iuſſu domini, niſi graui metu excuſetur: pro quo P. Thomas Sancius *Lib.* 2. *Operis Moralis Cap.* 10. *num.* 48. *&* 49. ex quo Alberghinus in *Manuali Cap.* 32. *num.* 11. & hæc pro caſu dicta, ſubiectione ad quos debeo, de qua & *num.* 188. alibique, libenti ſemper animo, pro quo & Deus teſtis, inculcatâ.

ADDITIONVM

Ad Tomum Poſteriorem Auctarium.

254 POſt ſcriptas illas in manus venit citatus dudum Angelus Maria Verricelli, doctus & eruditus Scriptor, apud quem multa deprehendi aut diſcuſſa aut tacta ex iis, quæ ad Indias ſpectantia à me ſunt hoc in Opere pertractata. Vnde operæ pretium duxi quod ex illis opportunum viſum fuit adiicere, aut ſi quidquam minùs veroſimile occurrerat, pariter adnotare. Et licet aliqua in Additionibus ad priorem Tomum, ſuis ſint locis inſerta; ea autem quæ ad poſteriorem ſpectant ſimul proponere viſum eſt paucis exceptis, in margine, aut aliter prænotatis. Ergo

CIRCA TITVLVM XII.

De Priuilegiis.

An limitationes & reuocationes Priuilegiorum à S. Congregatione de propaganda fide diſpoſitæ, ad Indica ſint extendendæ. Et alia circa *Cap.* 5. & 6. de illorùm communicatione.

255 TRactatu de Miſſionibus, pro quo integer eſt nec molis exiguæ Tomus, ea habet, de quibus in ſequentibus conſulendus. Miſſionariis ergo à dicta Congregatione miſſis ſpecialia ab eadem ex auctoritate Sedis Apoſtolicæ priuilegia conceduntur, reſpectu quorum addi reſtrictiones ſolent, aut etiam reuocationes: & per poſteriora Decreta ita ſunt limitata, vt ſi ad Religioſos limitatio pertingat, multùm inde eorum poteſtas contra receptiſſimam praxim eminuatur. Et manere

illa

illa penitus inconcuſſa probat Auctor *Quæſt.* 94. poſtquàm *Quæſt.* 93. probauerat per Bullam Cœnæ maximè reuocari, ex manifeſtis priuilegiis, de quo & *Quæſt.* 98. *num.* 29. Sed *Quæſt.* 299. & 300. circa caſus Bullæ Cœnæ, & alios quoſdam, de quibus *Titulo* 4. magis ex profeſſo quæſtionem agitans, videtur ſentire contrarium. Cùm enim fundamenta pro negatiua parte *Sect.* 1. proponat, in ſequenti pro affirmante profert, & in 3. negantis diſſoluit; addit tamen ſic in fine *Quæſt.* 300. *Quia tamen Apoſtolicum Diploma mihi videre non licuit, ideò de ſingulis ſigillatim quoad Indias nihil audeo affirmare. Præterea cùm vſus ſit optimus legum interpres, nolo ex his, quæ ſcripſi ſcrupulum inijcere pro ijs priuilegijs quæ in aliqua regione eſſent in vſu, præſertim quia in pluribus regionibus non poteſt authenticè & ſufficienter conſtare de reuocatione.* Hæc ille, qui immediatè antè de vſu in Societate, non obſtantibus reuocationibus Congregationis, fidem facit, ex teſtimonio P. Martini Tridentini Senenſis Procuratoris. Ex quibus videtur non eſſe circa hoc vllatenus dubitandum, ſtante præſertim conceſſione Innocentij X. modo currente, cui aliæ ſine dubio ſuccedent: ſic enim Pontificum ſtylus decurrit per Vicennarias conceſſiones. Quid circa hæreſim, dicendum *inferiùs* de quo & *num.* 125.

256 Illud non ita videtur apertum, an ſcilicet priuilegia S. Congregationis pro Indiis manifeſtè non conceſſa, exiſtimari eiſdem communia poſſint. Pro quo negatiuè ſtatuit Auctor *Quæſt.* 160. *num.* 4. verſ. *Confirmatur* 4. Sed videnda quæ diximus *citatis Capitibus* 5. & 6. Sunt enim pro ſpecialibus Prouinciis conceſſa, vt videri poteſt apud citatum *Titulo* 16. & quia multa Epiſcopis illarum conceduntur, aut Nuntiis, ſeu Vicariis Apoſtolicis, reſpectu quorum non videtur communicatio generaliter admittenda, niſi fortè reſpectu ſimilium Prælatorum: videndum ſpecialiter quæ ſint ea, quæ Miſſionariis conceduntur, præter generalia illa, de quibus *Sect.* 7. Licet autem Formulæ non ſint reuerà conceſſiones: quia tamen, vt ex *Sect.* 24. conſtat, à S. Congregatione ſunt approbatæ, & pro iis Miſſionibus, quæ frequenter fiunt deſeruiant; quaſi conceſſionum certa argumenta ſunt accipienda. Quibus non obſtat Regula 7. Conceſſionum, de qua *Sect.* 1. *in fine.* Iuxta illam enim licet S. Congregationi à regulis pro eiſdem traditis recedere, & facultates, prout opus fuerit, variare. Quamuis enim variatio aliqua reſpectu alicuius Prouinciæ fuerit; reſpectu aliquarum aliarum inuariatæ ſupererunt conceſſiones. Iuxta quæ in propoſitâ quæſtione eo modo philoſophandum, de quo diximus locis citatis. Et quia facultates dictæ pro Miſſionariis ſunt, non videntur extendendæ niſi ad Miſſionarios; ad eos ſcilicet, qui à R. P. Generali miſſi, ſaluti Indorum incumbunt: aut etiamſi non miſſi à ſuis Superioribus ad opus illud Apoſtolicum deſtinantur: iuxta ea quæ ex Cardinali Lugo habet Auctor *Quæſt.* 97. *num.* 4. de quo ſtatim.

Circa Cap. VII. Difficult. I.

Ubi de Religioſis non miſſis à ſuis Prælatis circa communicationem Priuilegiorum.

257 DVdum *citata Quæſt.* benè id Auctor probat, quod à Nobis probatum etiam non ſolùm de neceſſaria licentia, ſed approbatione, ad priuilegiorum vſum, quæ talis ſit, vt ad conuerſionis finem dirigatur. Vnde ſi quis ex fine mittatur alio, non licebit vſus & communicatio, iuxta illum, & alios. Quod non tollit id, à Nobis aſſertum; etiam ſtante fine alio poſſe communicationem extare, ſi Superior velit vt ſic miſſus eo quo poſſit modo miniſtrum ſe ſalutis Indorum exhibeat: quod & tradit P. Vercelli *num.* 8. Quòd autem miſſi cenſendi ſint etiam ij, qui in Indiis degunt, ſi ad munus conuerſionis deſtinentur, pro certo habendum, vt benè ſtatuit Cardinalis Lugo *Lib.* 4. *reſponſ. moral. Dub.* 48. Sunt autem deſtinati omnes, etiamſi miniſteriis aliis ſint addicti: quia nullus eſt qui aliquo modo non poſſit ad conuerſionem conferre: & miniſteria illa mediatè & virtualiter ad eum finem diriguntur. Vnde vſus habet vt omnibus indifferenter priuilegia communicent Superiores, cum eo tamen diſcrimine, quod qualitas exigit perſonarum. Vnde circa hoc ſine ſcrupulo procedendum. Quod etiam à Nobis dictum *Aſſert.* 4. de veniente cum Regia licentia, etſi probet Auctor ex Fr. Emmanuele, vt ibi: reprobat tamen ex Breui Innocentij X. de quo & Nos *Cap.* 8. *Difficult.* 1.

Circa Difficultatem V.

Vbi de communicatione Priuilegiorum limitationem aliquam habentium, aut etiam conditionem.

258 DE hoc *citat. Quæſt.* 97. vbi cùm tacitam communicationem ſufficere dicat, etiam pro Religioſis Societatis, quæ tunc interuenit, cùm illi quis miniſterio adſcribitur, cui ſolet eſſe adnexa conceſſio, per obliuionem non poſtulata, ex P. Laymann *Libr.* 5. *Tractat.* 6. *Cap.* 10. *num.* 16. Addit tamen dependentiam à Superioribus in illis requiſitam, pro Religioſis aliis non requiri, ſed eo ipſo quòd approbantur, priuilegiorum amplâ conceſſione gaudere; pro quo alios adducit, *num.* 11. & 18. Sed §. *Mihi videtur*, id quidem de priuilegiis Societati conceſſis affirmat, non verò de conceſſis aliis Religionibus cum prædicta limitatione: quia in Societate id exigit peculiare illius inſtitutum, & Monachica penitus gubernatio, vnde non eſt, cur ad alios limitatio talis extendatur. Cùm verò illa in conceſſione pro Religionibus aliis apponitur, non eſt extenſioni locus, quia ceſſat ratio dicta, & priuilegium non debet in communicatione ampliùs quàm in conceſſione directâ prorogari. Noſtræ tamen reſolutioni ſtandum, quia nihil affectus, quod pro aſſerto oppoſito aliquatenus videatur vrgere. Pro quo & ſtat Bordonus *Tomo*

2. *Re-*

Digitized by Google

2. *Reſolut.* 52. *num.* 87. non obſtante conceſſione Gregorij XIV. pro Clericis Crucigeris, ſeu Miniſtrantibus, de quâ teſtatur Fr. Emmanuel *Tomo* 1. *qq. regul. quæſt.* 55. *artic.* 17. §. *Secundum dubium*, iuxta quam habent communicationem priuilegiorum Societatis abſque eo quòd neceſſarium ſit eam à Generali mendicare. Illis enim id potuit eſſe conueniens, non ſic aliis: cùm adeò grauia inconuenientia ex tali communicatione ſequantur, vt eſt à Nobis comprobatum. Vnde non eſt credibile id eſſe iuxta Sedis Apoſtolicæ voluntatem.

259 Illud apud Auctorem certius ex *n.* 15. vbi alios adducit, ſcilicet præciſo omni priuilegio, ſolùm ex iure communi poſſe Capitulum Generale & Prouinciale reſtringere & tollere vſum priuilegiorum, quia & illis poteſt renuntiare. Sed quod ad Prouinciam attinet, intelligendum de priuilegio ſpecialiter Prouinciæ conceſſo: ſi enim toti Religioni conceſſum ſit, nequit eidem renuntiari: neque Scriptores ab illo adducti contrarium dicunt, ſed de renuntiatione aut ceſſione à Capitulo Generali factâ loquuntur, vt videri poteſt apud P. Suarium *Tomo* 4. *de Relig. Tractat.* 10. *Lib.* 2. *Cap.* 22. *num.* 15. quem alij citant, fortè non benè perlectum. Neque Diana *Parte* 3. *Tractat.* 2. *Reſolut.* 87. de Capitulo Prouinciali quidquam attigit, de Generali tantum locutus. Omitto alia ex *cit. quæſt.* circa quæ non eſt opus immorari.

Circa Caput VIII. De Baptiſmo.

260 QVod *Quæſt. eadem, num.* 21. ait ex priuilegio Pij V. poſſe Religioſos in omnibus Monaſteriis Ordinum, vel extra illa, in locis Indiarum baptizare: & quod *num.* 22. ex Fr. Emmanuele *Tomo* 1. *qq. regul. quæſt.* 31. *art.* 4. habere illos priuilegium baptizandi filios Hiſpanorum, nullâ additâ limitatione, non ita generaliter accipiendum, ſed iuxta illam, quam adhibuiſſe iam vidimus in euntibus cum Regis licentiâ, & etiam habet *n.* 343. & 346. quod & magis ex profeſſo probauerat *Quæſt.* 91. cum Thoma à IESV, ad litteram adducto Breui Innocentij X, iuxta quod Pij V. priuilegium non ſuffragatur niſi in illis partibus, vbi neque Epiſcopi, neque Parochi ſunt, de quo & Nos *Diffic.* 2. & *num.* 181. De ſimilibus aliis Leon. X. & Pauli III. ac IV. idem iam dixerat P. Suarez *Tomo* 4. *de Relig. Tractat.* 10. *Lib.* 9. *Cap.* 4. *num.* 6. 7. & 8. vbi & de Infidelibus, ac eorum filiis, cum negatione locutus. Quòd autem priuilegia alia pro locis dictis conceſſa ante Tridentinum Concilium, non ſint ab illo reuocata, neque per Bullam Pij IV. benè oſtendit *Quæſt.* 92. an & alia, à Nobis dictum, & generaliter loquitur *n.* 242. cum Fr. Emmanuele *ſuprà, art.* 1. *verſ. Tertiò nota.* Vide & pro Baptiſmo *infrà* circa *Titul.* 16.

Circa Cap. IX de Priuilegio Leonis X.

261 ESſe illud perpetuum ex vi prioris Conceſſionis contendit *Quæſt.* 96. id quod ægrè poterit perſuaderi: vnde *Quæſt.* 132. *num.* 4. & 5. contrarium amplectitur. Quia verò Bullam Adriani VI. adducit, ex quâ id etiam oſtendit, quod & à nobis præſtitum, nulla profectò remanet alicuius momenti controuerſia. Confirmatur enim, & cum maiori amplitudine conceditur, non reſtringens mittendorum numerum, qui à Leone ad quaternarium fuerat limitatus.

Ibidem, alia circa Sacramentum Confirmationis.

262 IN Nouo Orbe ſtatim poſt Baptiſmum, & ante vſum rationis adminiſtrandum probat *Quæſt.* 126. præſertim vigente perſecutione: quibus libenter aſſentior. Et quod ad perſecutionis tempus attinet, extra dubium eſt ex Sacramenti inſtitutione ad roborandam fidem. Ex quo etiam congruentia deſumitur pro infantibus; vt ſcilicet cùm ad annos diſcretionis perueniant, peculiarem habeant lucem circa fidei myſteria, & ſic feliciter in profeſſione eiuſdem progrediantur.

263 *Quæſt.* 127. hæc habet. *Primum.* Probabile eſſe Epiſcopum validè benedicere ſacra olea & Chriſma benedictione à ſe compoſita, etiamſi ſubſtantialiter ab eâ differat, quæ eſt per Eccleſiam inſtituta. Sic dicto primo. *Secundum.* Etiam eſſe probabile poſſe validè confirmari oleo infirmorum & Catechumenorum: vbi & iuxta propriam mentem oſtendit balſamum non eſſe materiam neceſſariam, neque determinatam à Chriſto, ſicut neque aliàs Sacramentorum, præter Baptiſmum & Euchariſtiam, de quo & *Quæſt.* 168. *n.* 8. Sic Dicto 2. Contrarium tenet Leander cum multis, quos adducit *Tomo* 1. *tract.* 3. *diſp.* 3. *quæſt.* 3. addens tamen ſufficere balſamum adulterinum. Sed cùm adulterinum abſolutè tale non ſit, ex eo Auctoris huius infirmum additur Aſſertionis vnicum fundamentum. Vel dicat vnde hoc colligat, ſi adhibendam velit fidem. *Tertium.* Probabilius eſſe Epiſcopum inualidè prædicta conſecrare, quia deſignatio materiæ ad ſolum Pontificem ſpectat, & quæ ab illo aſſignatur eſt ſubſtantialis, ſicut & modus ipſam conſecrandi, qui ad materiam ipſam ſpectat. Sic Dicto 3. *Quartum.* Probabilius eſſe Confirmationem oleo infirmorum aut Catechumenorum adminiſtratam eſſe inualidam, ſicut & Extremam vnctionem Chriſmate aut oleo Catechumenorum.

264 Hæc, cùm generalia ſint, ad difficultatem pro Nouo Orbe propriam accedendo *quæſt.* 128. quærit an amiſſo Pontificali poſſit Epiſcopus Chriſma, & Olea ſacra benedicere benedictione à ſe compoſita. Et negatiuæ ſententiæ fundamentis præmiſſis affirmatiuam latiùs & robuſtiùs probat, concludens *num.* 11. quòd ipſe illam non conſuleret; quia vix vlla neceſſitas fingi poteſt, quæ præponderet tanto abſurdo, vt Epiſcopus fungens publicâ legatione totius Eccleſiæ apud diuinam Maieſtatem, priuatis precibus vtatur. Quæ ratio parum videtur habere momenti, quia dici poteſt Eccleſiam ipſam in neceſſitate hoc eidem indulgere; vnde preces illæ quodam modo Eccleſiæ ipſius ſunt; vel ſi non ſint, in eo ob neceſſitatem diſpenſari. Certè vt de Confirmatione conſilium illud ſit conueniens, circa Extremam

Extremam

Digitized by Google

tremam vnctionem videtur aliter conſulendum, quia Sacramentum magnæ vtilitatis eſt in ordine ad æternam ſalutem, à quo multoties illa pendet. Cumque non preces omnes, quæ in benedictione interueniunt, de ſubſtantiâ illius ſint, vt de Chriſmate loquens obſeruat P. Suarez *Tomo 3. in 3. p. diſp.* 33. *Sect.* 2. verſ. *Reſtat.* & de modo benedictionis aut Epiſcopus ipſe, qui aliàs ea vſus functione, aut eidem interfuit, vel teſtimonio aliorum notitia aliqua ſuccurrere poſſit; id quod magis eſt viſum ſubſtantiale per verba ſimilia vſurpandum. Quod & neceſſariò videtur faciendum, ſi Calix & Patena conſecrati deſint: ad illorum enim conſecrationem in caſu neceſſitatis ad benedictionem eſt huiuſmodi recurrendum. Fauet Leander *tract.* 4. *diſp.* 2. *quæſt.* 5.

265 Addit *num.* 12. modicam quantitatem balſami ſufficere etiam pro magna quãtitate olei, quamuis oleum nullam odoris recipiat qualitatem, contra P. Coninck *de Sacram. quæſt.* 71. *n.* 35. aſſerentes omnes partes debere alterari. Sed cum P. Dicaſtillo *Tom.* 1. *de Sacram. tract.* 3. *diſp. vnic. n.* 62. media certè ſimilior vero ſententia, vt neque exigua quæuis ſufficiat, nec talis neceſſaria, vt omnes debeant partes alterari; dummodò odor poſſit percipi, quia propter illum vt materia huius Sacramenti eſt aſſumptum, quod ex Concilio Florentino conſtat in Decreto Eugenij IV. de Sacramentis, cuius illa ſunt verba: *Cuius materia eſt Chriſma confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ: & balſamo, quod odorem ſignificat bonæ famæ, per Epiſcopum benedicto.* Pro quo & videantur dicta *num.* 216. Subdit verſ. *Notandum ſecundò,* inualidè miniſtrari, ſi ſubſidente balſamo, eo ſolo vngatur, ſecus autem ſi vngatur oleo tantùm ex P. Dicaſtillo *ſuprà*, & Diana *Parte* 10. *tract.* 11. *Reſol.* 13. verſ. ſequenti balſamum Indicum eſſe propriè tale ait, licet cenſeat Pium IV. non id tantùm declaraſſe, ſed in eo diſpenſaſſe, de quo & *n.* 8. verſ. *Deniq; idē*, & Nos *n.* 214. Concludit in neceſſitate poſſe Olea benedici cum minori numero miniſtrorum, ex Declaratione S. Congregationis. Pro quo & extat priuilegium Indicum in facultatibus temporalibus, quæ Epiſcopis conceduntur.

266 *Quæſt.* 129. probat Pontificem poſſe ſimplici ſacerdoti adminiſtrationem huius Sacramenti committere, & oppoſitum eſſe temerarium Chriſmate autem per Epiſcopum benedicto. Idque fore conuenientiſſimum in Iapone, & Prouinciis aliis, in quibus Epiſcopi non inueniuntur. In Peruuio certè aliquæ ſunt, ad quas aut numquam aut rariſſimè; etiam zelo prædīti Paſtores accedunt. Vnde & hoc etiam eſt pro talibus conueniens à multis iudicatum. Timendum tamen ne hac occaſione Epiſcopi à viſitatione abſtineant, quam ob conferendam Confirmationem ſolent frequentiùs adoriri. Quibus enim adminiſtratio dicta committitur, poterit etiam viſitationis cura committi.

267 *Quæſt.* 130. diſquirit an ſeclusâ Pontificiâ prohibitione, ſolo iure diuino attento, poſſit Presbyter ex Epiſcopi ſui præcepto validè confirmare, & negat eum multis. Circa quod non eſt in quo hærere modò debeamus, licèt ille circa quæſtionem ſententiarum diuerſitate propoſitâ diuagetur. Sicut neque circa *Quæſt.* 131. vbi inquirit an valida ſit hodie Confirmatio à Presbyteris Græcis ſecundùm eorum ritum celebrata. Clemens quidem VIII. omnes ſic confirmatos ſine conceſſione Sedis Apoſtolicæ iuſſit ſub conditione iterùm confirmari, vt ex illius Conſtitutione conſtat, quæ eſt in ordine 47. Quòd ſi modò valet, ad approbationem eſt Sedis eiuſdem reuocandum, & ſic componenda quæ habet *quæſt.* 130. *n.* 25. *& quæſt.* 131. *n.* 1.

268 *Quæſt.* 132. id probat contra P. Quintanad. & P. Pellizarium, quod & Nos probauimus *num.* 208. *& ſeqq.* ſcilicet neque virtute Bullæ Leonis X. neq; Adriani VI. neque Vrbani VIII. poſſe Religioſos Sacramentum iſtud conferre. *Num.* 4. *&* 5. priuilegium Leonis X. quod perpetuum eſſe contenderat, fuiſſe perſonale oſtēdit, de quo *ſuprà n.* 261. Quòd ſi ex Bullâ Adriani id licet; non tamen debeat ad Indiam Orientalem extendi, ex eo habetur, quod tradit *Quæſt.* 98. *num.* 323. conceſſionem ſcilicet talem ad eas tantùm Indias ſpectare, quæ tunc erant Carolo V. ſubiectæ, qualis non erat India Orientalis. Sed contrarium tenet P. Quintanad. *Tomo* 1. *tract.* 2. *ſingul.* 6. *num.* 3. ſicut de aliis priuilegiis. Nec de Confirmatione plura.

Circa Caput X. de Euchariſtia.

Pro Communione Indorum.

269 Defendit illam *Quæſt.* 142. adducto Limenſi Concilio, & aliis ex Dom. Solorzano, tradenſque generalem doctrinam illis accommodandam, ex multorum Doctorum ſententia dicentium ſufficere vt rudis agnoſcat non eſſe communem cibum, ſed cibum aliquem benedictum, ſanctum, veneratione dignum, & proficuum ad animæ ſalutem, id quod ex cultu ab aliis exhibito, & ſacro apparatu, non eſt difficilè conjectare: quo pacto cæcus & mutus communicare poteſt. Sed certè ego non video quomodo ſtare poſſit vt rudis communicaturus non cognoſcat confuſè aliquo modo ibi eſſe Chriſtum, cuius cognitio in illo ſupponi debet: & cùm adminiſtratur illi, dicitur eſſe ibi Chriſtum, vnde & pectus tundens dicit: *Domine non ſum dignus, &c.* ſuo idiomate à Confeſſario inſtructus. Quòd ſi non ita ſit, & merum panem credat, non leue eſt idololatriæ periculum in iis, qui aſſueti ſunt ligna & lapides adorare.

270 Verſ. *Aduerte tertiò*, circa finem, Conceſſionis Pauli V. mentionem ſubdit ad inſtantiam Regis Noſtri Philippi III. vt Indi ſine Communione valeant Iubilæa & gratias alias, ſolâ præmiſſâ Confeſſione, lucrari, atque huius Pontificij Breuis mentionem fieri in Concilio ſecundo Limenſi. In quo eſt lapſus manifeſtus; Concilium enim ſecundum ante natum Philippum eſt celebratum: ſicut & potiori ratione ante Pauli V. creationem. Quod in fine addit Religioſis, de quorum bono ſtatu debet præſumi, ſi vſum rationis amiſerunt, non ſolùm in articulo mortis, ſed etiam ſemel in anno, & ſi lucida habuerint interualla, bis aut ter in anno poſſe Communionem præberi; nec ſe maiorem frequentiam admiſſurum; ad Indos quidem non ſpectat, & ita non eſt circa illud diutiùs inſiſtendum. Addo tamen ſi lucida interualla ſint, & veroſimilis ratio-

Digitized by Google

nis vſus, non ſolùm bis aut ter, ſed ſæpiùs panem vitæ conferendum: nulla enim eſt ratio cur debeat denegari; & cùm in bono ſtatu ſint, magis videntur ad illum diſpoſiti, quia à peccatis magis alieni. Pro quo ſtat P. Henao *Diſp.* 14. *de Euchar.* *n.*73. poſt hæc ſcripta viſus.

De Priuilegijs circa Miſſam.

271 AGit de illis *Quæſt.* 98. §.31. *num.* 197. & *ſeqq.* vbi ſpecialiter de horâ celebrationis, pro quâ conceſſionem Alexandri VI. adducit de duabus horis poſt mediam noctem, & Eugenij IV. de celebratione ex cauſſâ vſque ad Nonam incluſiuè, ad quod ait non eſſe Superioris licentiam neceſſariam. Sed in Societate aliter dicendum ob generalem rationem circa vſum priuilegiorum. In caſu autem non frequenti, vt itineris in die feſto aut ſimili, tacita aut præſumpta ſufficiet.

272 Quod autem *initio* ex Eugenio IV. & Leone X. proponit, poſſe Miſſam & diuina officia celebrare in locis vbi eos hoſpitari contigerit; & de Miſſionariis eſt ſermo, & ex Clement. VIII. poſſe Miſſam celebrare in locis decentibus & honeſtis, & ab omnibus actibus humanis ſeiunctis & remotis; quod perinde eſt ac dicere, in Oratoriis priuatis quibuſcumque: non eſt ita accipiendum, vt hoc poſterius prioris explicatio aut limitatio ſit. In Miſſionibus enim celebrari in hoſpitiis poteſt, etiamſi loca ab humanis actibus ſeiuncta non ſint, iuxta ea, quæ à Nobis dicta.

273 Sacerdotem etiam ſæcularem in locis vbi raritas eorum eſt, poſſe duas Miſſas, etiamſi non ſit Parochus, celebrare, cum iis Auctoribus, quibuſcum & Nos, quibus adde Leandrum *infrà, quæſt.* 39. Alia ibidem non ſpecialia, de quibus Nos latiùs: plura tamen *quæſt.* 135. ex quibus ſubiicienda nonnulla.

Primum, poſſe celebrare in Cameris ſæcularium, etiam vbi dormiunt, & in plateis. Sic *n.* 1. & 3. ex priuilegio, ex quo & Nos.

274 Secundum in Altari portatili vbicumque voluerint, ex priuilegio PP. Prædicatorum, & Minorum. Cap. *In his* 30. de priuilegiis. Et non eſſe reuocatum à Tridentino; cum multis, licèt alij contradicant. De quo *n.* 3. & 4.

275 Tertium poſſe item in Oratoriis ſæcularium, iuxta aliquos, etiamſi prohibitio Epiſcopi extaret ne vltra Miſſam vnicam alia dici poſſet. Quod ipſe non probat, quia abuſus eſſet in priuato oratorio plures Miſſas, acſi publica eſſet Eccleſia, celebrare. Quæ ratio non probat de duabus aut tribus, ex hoc enim non videtur Eccleſia publica, in quâ tot licent, quot occurrerint Sacerdotes.

276 Quartum cum P. Pellizario, Portel, Diana, Lezana, Ceſpedes, & P. Quintanad. poſſe ibidem, contradicente Epiſcopo, Euchariſtiam miniſtrare, quia nequit ille vſum priuilegij multorum Pontificum impedire. Admonet tamen cum illis ne id fiat, ob vitandas turbas.

277 Quintum poſſe in grangiis, vbi & quoſlibet Sacerdotes ſæculares, eaque Oratoria gaudere immunitate. Pro quo ibidem Auctores, qui & addunt licere id etiam contradicente Epiſcopo, neque addunt nuper poſitam moderationem; & meritò, quia hoc Religioſis magnum pareret detrimentum.

278 Sextum vſum priuilegij Pij IV. id habet quod à Nobis ex eodem poſitum in Additionibus ad priorem Tomum *num.* 123. Addit *n.* 11. ex priuilegio Sixti IV. vti poſſe Religioſos Altari viatico etiam extra neceſſitatem, & ſic diebus ferialibus; modò adſit cauſſa rationabilis, ex Barboſa *Allegat.* 23. *n.* 3. qui tamen de feriatis diebus non loquitur, ſed tantùm ait poſſe extra neceſſitatem: eſt tamen veroſimilis ampliatio.

279 Poſt præfata ad Epiſcopos diuertens nonnulla tradit iuxta communes Doctorum reſolutiones, ex quibus cùm aliquos præferat *n.* 19. ſic concludit: *Hæc magna neceſſitas conſideranda eſt reſpectu multorum, non autem vnius aut alterius, Sed propter tot Doctorum auctoritatem & vſum, de quo multi teſtantur, cenſeo poſſe hodie ratione infirmitatis, ſed rarò, ſaltem ſemel in menſe, Epiſcopum concedere licentiam celebrandi coràm nobili perſona infirma. Tutiùs tamen eſſet S. Congregationem conſulere.* Sic ille: qui poſt alia loci alterius pergit, & ſit

280 Septimum, ſacerdotem quemlibet itinerantem poſſe diebus ſingulis in Altari viatico celebrare ex Concilio Tribarienſi Cap. *Concedimus* 30. *de Conſecrat. Diſt.* 1. quando ſcilicet ſine graui incommodo nequit ad Eccleſiam accedere. Pro quo patronum allegat nullum & erit certè rariſſimus, cùm Doctores contrarium generaliter fateantur ob Cap. *Finale de priuilegijs in* 6. vbi ſumma dicitur futura neceſſitas. Id certè minimè conſulendum, ſi tamen pro ſæcularibus id licet, quantò id potiùs Religioſis concedendum? Sed addit *num.* 22. quòd ad hoc preciſè vt decem vel viginti laici itinerantes Miſſam audiant, non debet Sacerdos extra Eccleſiam, ſaltem diebus ferialibus, celebrare, ſecus ſi magna ſit multitudo, de quo *Aſſert.* 3. quia priuilegium Concilij conceſſũ eſt Sacerdoti itineranti, quem non decet aliquem diem ſine ſacrificio tranſire, non autem laicis. Quod eſt ſanè mirabile, poſſe ſcilicet Sacerdotem diebus ſingulis celebrare, ob propriam deuotionem, non poſſe ob coitinerantium commodum, cum vterque reſpectus ſimul eſſe poſſit, & priuilegium ſimpliciter conceſſum valeat in aliorum commodum practicari. Niſi fortè loquatur de Sacerdote non coitinerante, ſed in viâ habitaculum habente, villâ ſcilicet, aut ouili. Petendam ab Epiſcopo licentiam cùm caſus præuidetur, vt ſemper itinerantibus accidit, colligitur ex *n.* 27. quia non eſt euidens id licere: ſed iuxta aliorum ſententiam, quos ibidem adducit, aliter aſſerendum.

281 Octauum, circa Religioſos Hiberniæ pro Officiis defunctorum reſponſa quædam S. Congregationis Cardinalium, vtilia certè, proponit, ſed quæ negotium præſens non concernunt, vbi non omnia, quæ conducere aliàs poſſunt, glomeranda. Vnde ad alia.

De benedictione ſacrorum, vbi & de Eccleſijs.

282 AGit de hoc *Quæſt.* 93. *num.* 4. vbi adducit Decretum Congreg. Cardinalium ab Innocentio X. approbatum. Cùm enim quæſi-

Digitized by Google

quæſium fuiſſet. *Vtrum Patres Societatis in Ciuitate & Diœceſi Angelorum poſſint conſecrare vaſa ſacra, altaria, & ſimilia, in quibus vnctio requiritur? Reſpondit non poſſe.* Ad quem locum ſe refert *Quæſt.* 270. vbi generalem declarationem adducit pro Miſſionariis Apoſtolicis, vbi Epiſcopi exiſtunt. *Quæſt. autem* 98. § 6. *num.* 25. *& ſeqq.* vbi varia priuilegia accumulat, ſicut & Leander *Tomo* 2. *Tract.* 8. *Quæſtio* 30. *Diſput.* 7. nihil addit quod à Nobis adductum non ſit, præter priuilegium PP. Carmelitarum Diſcalceatorum à Clemente VIII. conceſſum Miſſionariis infidelium: pro quo & aliis extat Bulla, cuius tenorem exhibet *initio Tituli* 4. *pag.* 223. ſed cum exceptione eorum, quæ vnctionem exigunt.

284 Quibus non obſtantibus, ſtandum iis, quæ ſtabilita à Nobis ſunt. Decretum enim in gratiam Angelopolitani Epiſcopi ad ſummum probat in Ciuitate illa ac Diœceſi exiſtente Epiſcopo, id non poſſe fieri, quando diſtantia eſt minor duabus diætis, iuxta ea, quæ tradit Thomas à IESV MARIA de Conuerſione Gentium, in Compendio priuilegiorum. *V Benedicere.* Et videntur conformia Conceſſioni Adriani VI. in Omnimoda, de qua *num.* 194. *Et alibi.* Præterea, id tantùm pro Ciuitate & Diœceſi præfatis diſpoſitum, quia ægrè id ferebat Epiſcopus & noluit Congregatio priuilegium in eo caſu contra illius voluntatem vim habere, ad contentionum procellas ſopiendas. Et quidem facile erat S. Congregationi, cùm reſpondit, *Non poſſe*, addere, *Neque in illis, neque in aliis.* Quod cùm non fecerit, indicium eſt aliquod prohibitionis limitatæ. Quòd autem de Miſſionariis Apoſtolicis aliter ſit diſpoſitum, non conuincit, ob dicta § 1. *huius Tituli.*

285 Circa Eccleſias nonnulla adducit *Quæſt.* 98. § 15. & 44. ſed in iis nihil notabile & quod Indiarum poſſit cauſſam promouere, cùm ex adductis à Nobis ſatis ampla pro benedictione, & reconciliatione facultas habeatur. Pro erectione autem ſtat priuilegium Pauli Tertij, & pro PP. Diſcalceatis Carmeli Apoſtolicis Miſſionariis aliud Clementis VIII. *Conſtitut.* 47. *citata num.* 4. de quo Auctor § 15. ſunt tamen pro Indiis ſpecialia Regum noſtrorum ſtatuta: & ſolâ Regiâ licentiâ, irrequiſitis Epiſcopis, erigi poſſe, immò & contradicentibus, ex Dom. Solorzano & Fr. Ioanne Baptiſta, proponit *num.* 72. ob conceſſionem Pauli IV. ex qua etiam habetur omnia Regia reſcripta & mandata circa hoc & alia eſſe à Pontifice confirmata, & eamdem vim habere, acſi ab eodem emanaſſent. Circa quod hæret ille, eo quòd hæc ſint contra Eccleſiaſticam libertatem (ſicut multa, quæ habet Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 3. *Cap.* 21. vbi de decimis. Et *Cap.* 26. vbi de Religioſis) nec Bullam Pauli IV. videre potuerit, cuius fidem penes Auctores eam citantes eſſe vult. Sed quidem Bulla eſt certiſſima, cuius tenorem adducit Fr. Ioannes Baptiſta *fol.* 304. & 305. & eſt illa pro PP. Dominicanis, in quorum libro priuilegiorum habetur *fol.* 258. & licet non procedat ſpecialiter de Indiis, ex eo tamen quòd in ea approbantur, confirmantur, & innouantur conceſſiones omnes quocumque modo factæ, non ſolùm Pontificum, ſed Imperatorum, Regum, & aliorum Principum, colligi ait Mag. Alfonſus à Veracruce apud citat. Ioan. Baptiſtam *fol.* 307. quòd cùm Reges Catholici per ſuas Regias litteras prouideant vt Religioſi liberè ſuis vtantur priuilegiis à Pontificibus conceſſis, idem eſt acſi Pontifex ipſe ſpeciales de hoc dirigeret litteras.

286 Iuuat eum audire ſic loquentem: *Eadem ratione cum expreſſe per Reges Caſtellæ ſit præceptum vt Religioſi poſſint ædificare domos pro Religioſis vbicumque fuerit neceſſarium pro inſtructione Neophytorum, vt patet in expreſſis litteris ad trium Ordinum Prouinciales ſpecialiter directis: ſequitur poſſe Prouinciales ſine aliqua requiſita licentia accedere ad loca vbi ipſi iudicauerint expedire, & ibidem poſſe ædificare domum ad habitandum ſicut ſi per Pontificem eſſet conceſſum.* Sic doctus ille Magiſter. Non ergo omnes Regiæ Schedulæ ſunt à Pontifice confirmatæ, neque hoc Auctores dicti aſſeruerunt, vt affirmat P. Verricelli, ſed quæ pro executione priuilegiorum Pontificiorum à Regibus diriguntur. Sunt namque Regia etiam priuilegia, & cùm iſta à Paulo IV. generaliter approbentur pro PP. Dominicanis, & conſequenter pro omnibus communicationem habentibus, iam eo ipſo ſunt Pōtificia reddita, iuxta modum philoſophandi Mag. Veracruz. Quod ad Dom. Solorzanum attinet, vir fuit ſanè piiſſimus & doctiſſimus: in cuius ſi quidquam ſcriptis minùs conforme Eccleſiaſticæ immunitati ſuccurrit, in eo alios eſt ſecutus, quod neque Nos probauimus: certum tamen communiter iuxta Pontificias fuiſſe locutum conceſſiones. De quo hæc ſatis.

De celebratione in mari.

287 DE hoc *Quæſt.* 133. & 134. vbi id licere cum bonis probat Auctoribus, & etiam in flumine, ſi aliàs priuilegium ſit pro celebratione extra Eccleſiam, vel ſi non ſit, quoties ſine illo id in terra liceret abſque Epiſcopi licentia, nec ſolùm in feſtis, ſed etiam diebus ſingulis. Id tamen negat in triremibus ob continuam iactationem, quod tamen concedit Diana *Parte* 5. *Tract.* 3. *Reſolut.* 40. & totum ab experientia pendet: & alicubi triremem eſſe poſſe quietam oculis comprobamus. De hoc etiam P. Buſembaum in *Medulla Theologiæ moralis Lib.* 6. *Tract.* 3. *de Euchariſtia Cap.* 3. *Dub.* 4. cum aliis, & Leander *ſupra Quæſt.* 18. & luculentiſſimè Andreas Du Saunay in *Panoplia Sacerdotali Parte* 2. *Lib.* 1. *Cap.* 8. *Artic.* 2.

De portatione Euchariſtiæ ad collum.

288 AFfirmat *Quæſt.* 136. & de Apoſtolicis Miſſionariis *Quæſt.* 232. addens generaliter id licere ob periculum infidelium ſine ſtola, ſuperpelliceo, & lumine: ob Viaticum ſcilicet infirmo tradendum. Ergo & idem licebit ob eamdem cauſſam, ſi aliter conferri nequeat; licet vix moraliter accidere poſſe videatur, vt ſaltem ſtola non ſuppetat, quæ adhiberi poterit, etiamſi ſuperpelliceum deſit, in eo enim indecentia apparet nulla: & ſæpiùs id videmus in Religioſorum funeribus, iuxta peculiares eorum ritus, & cùm Sacerdotes more laicorum communicant.

Circa Caput XI. De Sacramento Pœnitentiæ.

De abſolutione ab hæreſi.

289 QVæſt. 98. §. 1. priuilegium Societatis adducit quoad abſolutionem ſæcularium, ſed ſine Adnotationibus ab eadem adiunctis. Et aliud pro Miſſionarijs Apoſtolicis in terris vbi graſſantur hæreſes, declaratione ſubiunctâ particularis Congregationis Theologorum ſuper dubiis Miſſionariorum Capucinorum Orientis, in qua ſic: *Manifeſtum eſt non poſſe abſolui à Miſſionariis hæreticos, qui lapſi in partibus vbi non graſſantur hæreſes, ad partes vbi ſunt Miſſionarij, ſe conferunt.* Sic Congregatio in Palatio Cardinalis Pamphylij poſteà Innocentij X. Sed contrarium ille ſatis probabile exiſtimat ex Bulla Eugenij IV. iuxta quam aduenæ & peregrini ſortiuntur forum pœnitentiæ vbicumque contigerit reperiri. Addit & rationem conuenientiæ, quæ in aduenis & prædictis pariter militat, ne in hæreticâ prauitate confirmentur, concludens tutiùs eſſe S. Congregationem conſulere. Ex his ergo aliquis non immeritò deducat, in Indiis locum non eſſe priuilegio quoad abſolutionem ab hæreſi, cùm abſolui nequeant lapſi in partibus vbi hæreſes non graſſantur, vt non graſſantur in Indiis, niſi fortè in locis illis, vbi Belgæ hæretici dominantur, aut Angli. Sed quidquid de Miſſionariis ſit, ad priuilegium eſt Indicum prouocandum, cùm de Miſſionariis alia ſit ratio, vt dictum *ſuprà* iuxta moderationem à Nobis deſignatam.

290 §. 2. de abſolutione agit Religioſorum, & pro ea priuilegium Societatis, & aliud pro PP. Franciſcanis allegat. Sed verò Gregorius XIII. *vt ibidem*, hæreſim excepit, & nonnulla alia grauiſſima crimina. Non eſt ergo eiſdem innitendum in abſoluta aut affirmatione aut negatione. Quia contra affirmationem militant nouiores Pontificum diſpoſitiones: & contra negatiuam id ſtat quod eſt à Nobis ſuo loco comprobatum.

291 *Quæſt.* 147. probat perpetuò impeditum poſſe ab Epiſcopo abſolui; non ſolùm quia multi, quos adducit, id probabiliter, iuxta eundem; affirmant generaliter loquendo; ſed quia ratione impedimenti eſt caſus Epiſcopalis. Quod ſi neque Epiſcopus adiri poſſit, & diuturnum ſit impedimentum, etiamſi non perpetuum, quia & illud æquiparatur mortis articulo, tenet, & robuſtè probat *Quæſt.* 148. abſolui ab eo poſſe, qui ab aliis mortalibus poteſt abſoluere, pro quo graues fautores inducit. *Quæſt.* autem 149. degentes in Indiis ait legitimum impedimentum habere, ſi neque Epiſcopi, aut eorum Vicarij ſint; quod & de aliis remotiſſimis regionibus tradit. *Et Quæſt.* 50. vt probabiliùs ſuſtinet ſic abſolutos, ſi contingeret ad ea loca accedere, in quibus obligatio eſt ſe Apoſtolico conſpectui præſentandi, id debere facere. De Inquiſitione verbum nullum: neque cùm illius Iudices adſunt, nec tamen abſoluere volunt. *Quæſt.* tamen 151. videtur obligationem penitus amoliri, dum tamquàm probabilius ſtatuit impeditum legitimè, nec potentem Sedem Apoſtolicam, Epiſcopum, aut eius Vicarium adire, non teneri priuilegiato confiteri, neque cuicumque alteri, qui non ſit Apoſtolicus Legatus, quales non ſunt Inquiſitores. Et *num.* 7. concludit cum multis, quos citat, impeditum perſonaliter adire, non teneri per Procuratorem aut litteras id præſtare. Eſſe autem eandem rationem hæreſis & aliorum criminum, vt abſolui poſſit impeditus, probauerat. *Quæſt.* 147. *numer.* 5. *& ſeqq.* Facit pro eo multorum ſententia apud eumdem *Quæſt.* 162. *num.* 25. dicentium denegata iniuſtè facultate abſoluendi à reſeruatis à Prælato ſæculari, haberi pro obtenta (de Regulari id probauerat *num.* 15. cum multis ob Pauli V. conceſſionem.) Tunc ſic. Aut Epiſcopi & Inquiſitores poſſunt abſoluere ab hæreſi in foro pœnitentiæ, aut non. Si primum, & tamen negant, ſtat prædicta ſententia ſatis probabilis. Si ſecundum, perinde eſt acſi non adeſſent. Poſſunt ergo impediti à quocumque abſolui Confeſſario legitimè iuxta Tridentinum approbato. Pro quo & iuuat id quod tradit ipſe *Quæſt.* 161. *numer.* 7. ſcilicet Ordinario præſente, ſed latente, ita vt ad eum eſſe nequeat acceſſus, haberi pro longiſſimè abſente.

Circa approbationem Confeſſariorum.

292 QVæſt 98. §. 11. & *citata nuper* 161. ex priuilegiis, & aliis fundamentis in partibus infidelium abſente Epiſcopo & eius Vicario, abſque vlla approbatione Ordinarij poſſe Religioſos Confeſſiones audire, quod eſt etiam conforme Breui Innocentij X. nec cenſeri adeſſe, ſi per duas diſtent diœtas. Quod & habet *numer.* 80. *citat.* *Quæſt.* 98. vbi de actibus Pontificalibus ex priuilegio licitis loquitur. Pro quo *n.* 81. adducit P. Quintanad. idem aſſerentem, ſi tamen diu deberet expectari. Et licet iuxta leges viginti milliaria ſingulæ habeant, non debent tamen in eo rigore accipi, cùm ratione aſperitatis viarum, debilitatis virium & aliarum circumſtantiarum, non ita plena ſufficere poſſint: poſſe tamen licentiam per litteras poſtulari de quibus *n.* 10. Et quòd non ſit neceſſaria Epiſcopalis licentia, niſi ex vrbanitate, quando à Rege, aut Prorege mittuntur vt munus exerceant Parochi, cum Fr. Emmanuele, & Fr. Ioanne Baptiſta affirmat *num.* 7. Quod tamen limitat iuxta Breue Innocentij X. ſi non ſint Parochi in illis partibus, etiamſi ſint Epiſcopi, & ſi nolint ſæculares Parochos deſtinare. Quod non eſt penitus circa hoc vltimum admittendum: quia Parochi nequeunt niſi præſentati à Rege deſignari: cùm autem eos deſtinat ad munus illud, deſtinatio talis habet ſaltem vim præſentationis: debent ergo inſtitui. Si autem ſint Parochi; aut illi præmiſſa præſentatione inſtituti ſunt, & tunc non eſt credendum velle eos, qui alios deſignant, penitus amoueri. Si autem præſentatio non præceſſit, deſignatio vim habet talis, & ita Canonicè inſtituendi, niſi idonei non eſſent, tunc enim repellendi: pro quo Auctor *num.* 239 *cit. Quæſt.* 98.

293 *Quæſt.* 162. *verſ. Mihi videtur*, ſententiam aliquorum, quos *numer.* 6. allegat, aſſerentium pro Religioſis vnicam ſufficere approbationem

tionem improbabilem iudicat, & in fine ait non eſſe iam locum quæſtioni ob Innocentij X. Decretum in cauſſa Epiſcopi Angelopolitani, eſt enim ſatis expreſſum. Quod & alios dixiſſe vidimus, & quid circa id ſentiendum declarauimus. Illud fauorabilius apud eumdem, virtute Iubilæi, & Cruciatæ vnicam approbationem ſufficere. Sic *num.* 2. vbi quamplures pro eo adducit, quidquid aliter ſentiant ibidem adducti.

Circa Confeſſionem in nauigatione.

294 DE hoc tractat *Quæſt.* 156. *& tribus ſeqq.* vbi multa ſcitu digna. Et in priori, ſi ſit Capellanus Parochi officio fungens, confitendum eidem ait: ſecus ſi nauis in portu ſit, nec Capellanum habet Parochialem. Vbi addendum ex quo quis nauim non exiturus intrat, poſſe Capellano confiteri; ſecus ſi exiturus, vt ſæpè accidit. Si Capellanus non ſit, & nauis inueniatur in centum milliarium diſtantia à diœceſi aliqua, quæ minor eſt quàm diſtantia duarum diætarum, Confeſſio eſt facienda Confeſſario pro eadem approbato, ſi in naui adſit. Quòd ſi æquè diſtet à pluribus, aut parùm plus, minuſue, cui voluerit, ſi plures pro eiſdem approbati ſuccurrant.

295 Si verò ſit in alto mari neque neceſſitas vrgeat, nequit confiteri niſi Confeſſario approbato ab Ordinario Confitentis, ſicut non poſſet in terra, etiamſi à ſua diœceſi longiſſimè diſtaret: pro quo *Quæſt.* 161. *num.* 4. cum multis aliis. Quia Decretum Concilij Tridentini etiam tunc videtur vrgere, neque pro exceptione fundamentum ſolidum affertur. Quòd ſi nauigatio periculoſa ſit, quod prudentis arbitrio relinquitur, tunc eam initurus, aut proſequens, cuicumque poteſt Sacerdoti etiam ſimplici, nec approbato, confiteri iuxta eumdem *Quæſt.* 158. poſt relatas ſententias aliorum. Non inquirit autem de periculo in nauigatione ipſa, quia de eo fortè dubitatio eſſe nequit, cùm in mari quodlibet obortum periculum debeat magnum & lethale reputari; niſi expertorum iudicio leue & ordinariè ſuperabile cenſeatur. Cùm aliàs opinio ſit aliquorum nauigaturos poſſe abſolui à quolibet, quia nauigatio periculoſa ſemper eſt, præſertim ſi longa, pro quo Auctores apud eumdem: qui *Quæſt.* 159. concludit eum, qui præuidens periculum, ſe mari commiſit, etiamſi liberè potuiſſet à naui deſcendere, poſſe in naui à quocumque abſolui, ſecus ante aſcenſum in illam omnino voluntarium, quia hic omnino extra periculum eſſe cenſetur, ſecus ille, qui non tenetur ad confeſſionem non approbato faciendam, etiamſi id præuideat, immò velit à nauigatione iam inchoata deſiſtere. Pro quo exempla ex multorum doctrina probabilia conducit. Nec Nos de illis plura.

Circa Caput XII. De Extrema Vnctione.

296 DE hoc Sacramento agit *Quæſt.* 165. *& ſeqq.* & in illa tenet cum multis deficiente oleo infirmorum pro communitate poſſe oleo Catechumenorum miniſtrari; ſecus ſi vnus vel alter nequiret inungi: quam limitationem proponit ex P. Layman, P. Caſtropalao *num.* 9. ſed cùm alij eam non adhibeant, ſed generaliter loquantur, oppoſitum eſt probabile, ſi conſequenter ſit loquendum. Addit *ibidem.* verſ. *Verùm non deſinam,* non eſſe improbabile, deficiente vtroque oleo licitè poſſe Chriſma adhiberi ſub conditione, ſicut de oleo Cathecumenorum dicendum.

297 *Quæſt.* 166. multis conatur oſtendere non eſſe præceptum vllum renouandi quotannis oleum infirmorum, & nouo vngere; licet reſpectu Chriſmatis ſit obligans ſub mortali, licet contraria ſententia ſit communis. Et vt præceptum aliquod ſit illud ſub veniali tantùm obligare, pro eodem ſtat cum aliis Leander *Tract.* 4. *Diſput.* 2. *Quæſt.* 11. qualecumque autem ſit præceptum, ſi factâ diligentiâ nouum haberi nequeat, nullum futurum peccatum, de quo *& Quæſt.* 98. *n.* 222. Neque ad illam teneri eos, qui priuilegium habent vtendi veteri. Quòd ſi diligentia præſcribatur, illa certè minor ſufficiet, quàm ſi priuilegium non eſſet, quia illud aliquid debet operari. Et licet in Rituali Pauli V. habeatur oleum dictum quotannis Feriâ v. in Cœna Domini renouandum, addit Rubricas dictas tantùm continere doctrinalem inſtructionem, & non præceptum: quia Paulus V. in Bulla Rituali præfixâ non præcipit, ſed tantùm hortatur ad illius obſeruantiam. Hoc vltimum à Nobis eſt ſufficienter improbatum. Quod autem de diligentia dicitur, non videtur admittendum, quia renouatio olei ideò ſit, nam vetus eſt obnoxium corruptioni, & oportet, etiamſi corruptum non ſit, eſſe puriſſimum. Et licet in priuilegio diligentia non exprimatur, id ſatis apertè innuitur, dum dicitur id licere *in locis, à quibus valde remoti ſunt Epiſcopi,* vt in Bulla Pauli V. & ſequentium Pontificum. Et leuis quidem iſte non videtur eſſe defectus. Opinioni P. Martinon, de qua *numer.* 223. nullam notam inurit, ſed tantùm falſam aſſerit *num.* 222. *citat.*

298 Et vt quod ad olea ſpectat pariter præbeamus, *citat. Quæſt.* 98. *num.* 219. *&* 220. ait peccatum eſſe mortale oleo Catechumenorum antiquo adultum extra periculum mortis inungere, non verò infantem, quia ſemper iſte in periculo verſatur. Addit tamen *num.* 221. ex virtute priuilegij Greg. XIII. etiam nullo mortis periculo exiſtente, & etiam ſi nulla ſit adhibita diligentia, poſſe oleo antiquo quatuor annorum circa baptizandos vti. Sed verò Gregorij priuilegium præterquam quòd temporale fuit, & *anno* 1603. finitum, faciendam diligentiam præſcribit, ſicut & Clemens VIII. in Bulla pro PP. Carmelitis Diſcalceatis.

Circa Caput XIII. De Sacramento Ordinis.

299 PRiuilegium conferendi Ordines Minores Innocentij IV. & Leonis X. non eſſe reuocatum cenſet cum Fr. Emmanuele, & Fr. Hieronymo Rodriguez *Quæſt.* 98. *num.* 224. Inter alia priuilegia vt Religioſi ordinari poſſint, illud

Digitized by Google

illud proponit, quod eſt ab Vrbano VIII. PP. Auguſtinianis Diſcalceatis conceſſum in Indiis Occidentalibus & Philippinis degentibus, vt ſcilicet tribus diebus continuatis feſtiuis promoueri poſſint à quocumque Antiſtite, quem maluerint, in propriâ Diœceſi, aut in alienâ, de Diœceſani conſenſu Pontificalia exercente. Sic *num.* 226. qui tamen *num.* 227. aſſerit priuilegia dicta pro Orientalibus Indiis non fauere: ſed Nos aliter ſuo loco demonſtrauimus.

Circa Caput XIV. De Sacramento Matrimonij.

300 Citatâ nuper *Quæſt.* 98. §. 29. *& Dubijs ſeqq.* de illo Auctor, ſicut & *Titulo* 12. *& num.* 170. §. *dicti*, priuilegium Pauli III. Societati conceſſum exhibet, rogatque an in illo propriè diſpenſatio, an ſola declaratio ſit? Videtur hæc eſſe, quia matrimonia in gradibus diuinâ lege non prohibitis legitima ſunt. Quia verò Pontifex voce diſpenſationis vtitur, cenſet illud ad hæreticos extendendum qui infideles reuerà ſunt, ſed contra Eccleſiæ leges contraxerunt invalidè, & poſſunt virtute priuilegij circa gradus quoſcumque diſpenſari, in quibus matrimonium celebrarunt. Gradum primum excipit *num.* 175. & *num.* 174. cum alijs docet in primo gradu lineæ tranſuerſalis, vt fratrum, non eſſe inualidum, & ſic coniunctos non ſeparandos; ſecus ſi hæretici, de quo *citat. num.* 175. Pro quo & Leander *Tomo* 2. *Tractat.* 9. *Diſputat.* 12. *Quæſt.* 9. citans alios.

301 *Num.* 176. adducit diſpenſationem Pauli circa 3. & 4. gradum: contendit tamen non eo ipſo eſſe diſpenſatos, ſed poſſe diſpenſari: & probat ex Bullâ Gregor. XIV. *die* 21. *Septemb.* 1591. quam allegat D. Solorzanus *Tom.* 2. *Lib.* 1. *Cap.* 28. *n.* 50. ibi enim Pontifex diſpenſationem neceſſariam ſtatuit, & eam ad Meſtizos extêdit. Sed certè nihil tale ex Bullâ deduci poteſt, quidquid Dom. Solorzanus *num.* 51. videatur indicare, qui tamen ſe refert ad Fr. Ioannẽ Baptiſtam in Animaduerſionibus pro Confeſſariis Indorum 1. *parte in Tabulâ, v. Meſtizos*, vbi teriorem conceſſionis adducit, iuxta quam Indi & Æthiopes ex Chriſtianis etiam parentibus nati, & in infantiâ baptizati, Neophyti cenſendi ſunt, & iis mixtim progeniti admiſcendi: *Vt vel matrimonio coniungi, vel in contracto remanere poſſint, ſiue eorum alter tantùm, ſiue etiam vterque inde oriundus ac propriè indigena ſit, in quibuſcumque conſanguinitatis, ſeu affinitatis gradibus, iure diuino (vt ſuprà) non prohibitis, diſpenſare poſſit, concedimus & indulgemus.* Quæ ſunt verba Pontificis. Vbi cùm diſpenſationem pro omnibus concedat gradibus, non eo ipſo, ſed à Societatis Patribus tribuendam, non benè inde infertur pro tertio & quarto eſſe neceſſariam, pro quibus iam conceſſio præceſſerat; ſed pro aliis, pro quibus facultas præcipuè quærebatur. Quarterones Meſtizorum nomine non venire affirmat *n.* 172. de quo iam dictum.

302 *Quæſt.* 170. multis probare pergit generaliter loquendo non poſſe coniugem conuerſum cum remanente infideli cohabitare, etiamſi alter velit cohabitationem ſine iniuria Creatoris. In Nouo tamen Orbe, & Æthiopia aliter faciendum, quia aliàs grauia incommoda ſequerentur. Canonem Concilij Toletani defendit, etſi Prouincialem, quia Iuri inſertum, Decreto inquam, quod Iuris auctoritatem habere contendit cum aliquibus contra plures à ſe adductos. Nihil profectò in iis, quæ à Nobis ſtabilita poſſint demoliri.

303 *Quæſt.* 176. *ſtatuit*, cùm Polygami conuertuntur, primam vxorem retinendam, cum qua verè fuerit contractum matrimonium. Quòd ſi hoc deprehendere non ſit probabile, nulla eſt circa coniuges obligatio. In dubio autem dari poſſe facultatem Miſſionariis vt diſpenſent, fore conueniens. Sed certè hoc non videtur admittendum: nam dubium aut vinci diligentiâ poteſt, aut non? ſi primum, & legitimus coniux comperiatur, in coniugio permanendum: ſi ſecundum, ſtat reſolutio præcedens de impoſſibili notitiâ: ceſſat ergo obligatio, quia reſpectu aliarum ſuperari nequit, cùm hoc pendeat à notitia coniugij omnium primi. Alia, de quibus ibi, de contrahentibus ſcilicet cum conditione repudij, valde veroſimilia ſunt, vt ſcilicet ſtandum ſit communi modo contrahendi, etiamſi non ſit conditio ſemper expreſſa, quæ eſt contra ſubſtantiam matrimonij, & ita in ſic contracto nulla eſt obligatio.

304 *Quæſt.* 177. contrarium firmat ei, quod *Quæſt.* 170. vidimus aſſeruiſſe: vno ſcilicet coniuge non conuerſo, eum, qui conuertitur, poſſe ad alias nuptias tranſire, etiamſi infidelis velit ſine iniuria Creatoris habitare. Cùm modò ob auctoritatem Innocentij III. in Cap. *Gaudemus*, de diuortiis; ſtatuat *num.* 4. regulariter non licere: qui citatâ *Quæſt.* 170. *num.* 4. dixerat Innocentium agere de caſu, in quo coniux vterque conuertitur. Limitationes addit. *Primò*, quando eſt lex aut conſuetudo prohibens cohabitationem. *Secundò*, quando ex circumſtantiis timetur periculum peruerſionis coniugis, filiorum, aut familiæ. Sic *num.* 5. 6. *&* 7. & id auctoritate Concilij Limenſis probat *num.* 8. addens in *ſequentibus*, quòd ſi coniux infidelis requiri nequeat ob difficultatem itineris, non ideò licet denuò contrahere, niſi circumſtantiæ tales ſint, ex quibus eum nolle conuerti veroſimiliter coniiciatur. *Tertiò*, ſi fidelis pertrahatur ad peccatum mortale. Sic *num.* 13. Quod, vt diuerſum ſit à primo, intelligendum, cùm cohabitatio admiſſa, eo quòd nullum coniiciebatur periculum, eſt reipſa deprehenſa periculoſa ex dictâ ad peccatum pertractione. Immò dicendum, etiamſi fidelis ita conſtans ſit, vt ſibi inde non metuat, ſecedere poſſe, quia eſſet illud onus grauiſſimum. *Quartò*, per Pontificis diſpenſationem, quæ ſtare poteſt etiam in matrimonio infidelis conſummato. Sic *num.* 18. contra aliquos. Et id poſſe conueniens ob conuerſionem alicuius, aut multorum inde euenturam, iudicari, præcipuè ſi vniuerſi populi, aut regni.

305 *Quæſt.* 180. affirmat, & multis comprobat matrimonium celebratum coram Parocho, qui contrahentium idioma non callet, ſed interprete vtitur, eſſe validum, contra Baſilium Donzi. Sed certè vt iſta ſententia poſſit tutò ſuſtineri,

ſtineri, interpretes Indus eſſe non debet, ſed talis, cui meritò credi poſſit. Vel adhibendi plures, ita vt moraliter conſtare de conſenſu queat. Vel ſi non plures, alia debent adminiculis ſuffragari. Pro quibus ſunt Doctores ab Auctore adducti *Quæſt.* 181. multi enim dicunt abſolutè non ſufficere vnum interpretem ad matrimonium contrahendum, vt videri poteſt *numer.* 1. & 2. ſi duo in loco haberi poſſint. Alij plures requirunt iuxta ſententiam eorum, qui dicunt requiri plures quando non habent certas artis ſuæ regulas. Sic *num.* 2. §. *Tertia opinio.* Item, cùm interpres non eſt cognitus, neque conſideratè electus, neque à partibus, ſed à Parocho. Præterea Parochus tunc tenetur credere interpreti dicenti ſe fuiſſe de conſenſu coniugum electum, quando eſt perſona bonæ famæ, & non adeſt rationabilis ſuſpicio fraudis, ſic *num.* 5. Denique interpreti à Republica electo & ſtipendiato creditur, qui de fideliter exercendo officio iurat, de quo §. *Tertius eſt caſus:* eſt enim velut notarius publicus. Quæ omnia pro Indis non faciunt: vnde plures adhibendi in caſu, qui videtur Metaphyſicus: Parochus enim poteſt duo hæc verba addiſcere, *Vultis maritari?* idque breuiſſimè, niſi ſtipes ſit. Illis autem dextras iungentibus, & annuentibus, ad firmitatem ſatis. Quòd ſi difficultatem aliquam in memoria habeat, ſcribat, & ſcriptum legens interroget.

306 *Quæſt.* 247. rogat an Indi validè contrahant, vbi ex conſuetudine receptâ Gubernator explicat præſentium coniugum conſenſum. Et affirmatiuè reſpondet cum Veracruz & Matienzo, ac Peſancio, quia ex conſuetudine illud eſt ſignum ſufficiens expreſſiuum conſenſus, vnde etſi taceant, conſentire probantur. Addit tamen, ſi reuerà non conſentiunt, matrimonium eſſe nullum, aut ſi conſentiant ex non leui metu. Res prorſus periculoſa & non toleranda, cùm ſciamus quantoperè Indi Gubernatores timeant ſuos, & quàm illi durè imperent, extraneis quibuſque frequenter duriores.

307 *Quæſt.* 148. de variis inquirit caſibus, in quibus dubitari poteſt an ſine aſſiſtente Parocho poſſit matrimonium contrahi. Et reſpondet ex Declaratione Clementis VIII. & S. Congregationis, eſſe tantum tres: quando ſcilicet ob perſecutionem Epiſcopus & Parochus Eccleſiam deſeruerunt, vel quacumque ex cauſſa non ſunt, quia ſcilicet mortui, aut occiſi, aut relegati. Et quando etiamſi adſtent, latent penitus; vel ſi abſentes ſint, tutò adiri nequeunt: & item cùm Parochus nequit haberi, nec de proximo ſperatur: tunc autem de proximo ſperari cenſet, cùm infra annum expectatur. Alios caſus, quos graues Scriptores admittunt, reiicit, quia nullum bonum æquiualere poteſt illi, quod ex firmâ Conciliaris Decreti obſeruatione tenetur. Admiſſis enim variis limitationibus, aut potiùs relaxationibus, ad frequentiores alios Eccleſiæ perniciosiſſimos venietur. Idem tenet Leander *ſuprà, Quæſt.* 7. qui & videndus *quæſt.* 8. circa Clementis VIII. Declarationem non firmam. Sed certè cùm probabiles opiniones ſint tales caſus admittentes, quas Eccleſia tolerat, in caſuum eorumdem contingentia parùm cautio præfata molietur: viris ergo doctis negotium eſt huiuſmodi relinquendum. In Indiis autem, ſi Religioſi adſint, nulla eſt difficultas, quia ex priuilegio Pij V. adminiſtrare omnia Sacramenta poſſunt, vbi Parochi non ſunt.

Circa Caput. XX. num. 461.

Ubi de diſpenſatione in voto Caſtitatis.

308 DE hoc *Quæſt.* 98. §. *vltimo.* vbi priuilegium Clementis VIII. pro PP. Carmelitanis Diſcalceatis adducit; iuxta quod ex rationabili cauſſa licet, neceſſitatis nempè, vtilitatis, conuerſionis, & ſalutis animarum illarum partium. Quod & de voto Religionis ſimiliter concedit. Licebit ergo & in Indiis ex vi communicationis, quia conceſſio illa generalis eſt pro terris infidelium, vbi & fideles etiam fortè ſint, vt Clemens loquitur. & ita conceſſio iſta non eſt more aliarum pro Miſſionariis Apoſtolicis regulanda, quarum Formulas exhibet Auctor *Titulo* 16. in quarum Quartâ *Sect.* 6. §. 2. quæ eſt pro Aſiâ, Africâ, & Americâ, ſic habetur: *Secundò, diſpenſandi, & commutandi vota ſimplicia, etiam caſtitatis, ex rationabili cauſſa, in alia pia opera, non tamen religionis.* Sic ibi. Vbi quod de voto religionis dicitur, non obſtat priori conceſſioni, quia conceſſio limitata ampliorem non tollit, dum non exprimit: vt tradunt Abbas, Portel, Sigiſmundus Scaccia, P. Arriaga, & P. Palaus, quos adducit Auctor *Quæſt.* 95. *num.* 1. vbi id tamquàm probabile proponit, & pro eo ſtatuit primam Aſſertionem.

Circa Caput XXII. de venditione armorum pro infidelibus.

309 DE hoc agit *Quæſt.* 201. vbi hæc habet: *Primum* non prohiberi, quando de abuſu contra Catholicos non conſtat, etiamſi aliquando per accidens contra intentionem contingat, cum multis *numer.* 1. *Secundum*, incidere in excommunicationem, qui in ipſis terris infidelium arma conficit & vendit: pro quo Auctores citat, ſicut & pro contrariâ ſententiâ. Licèt enim non deferat, præbet tamen auxilium, quod expreſsè prohibitum. Oppoſitum tenet Leander *Parte* 4. *Tract.* 3. *Diſput.* 7. *Quæſt.* 2. cum Alterio & P. Petro Hurtado. *Tertium*, metum grauem excuſare, ſi non præponderet damnum Chriſtianæ Reipublicæ, vt eſt à S. Congregatione declaratum. Id quod rarò eueniet, cùm illud, quod facere vnus homo poteſt, magnum nequeat diſpendium afferre, & ita non præponderat proprio, ſiue vxoris, filiorum, parentum, aut conſanguineorum vel affinium, ſeu intimorum amicorum: ex Souſâ *in explicatione Bullæ Cœnæ, Diſp.* 51. *num.* 5. Pro quo & Leander *ſuprà, Quæſt.* 66. ex PP. Suario & Petro Hurtado. *Quartum*, quando damnum commune præponderat; peccari quidem grauiter, ſed non incurri excommunicationem; ſic bonis Auctoribus affirmantibus, ſed negantibus grauiſſimis aliis, quorum vrgentius videtur fundamentum; ſed fauorabilius aliud promi-

Digitized by Google

promiſerit præferendum, *Quintum* excuſari vendentem ob redemptionem captiuorum. Sic apud illum multi. *Sextum*, hæreticos expreſsè ſeu nominatim declaratos, de quibus *Canone* 7. Bullæ, eſſe eos, qui ſequuntur ſectam expreſsè damnatam, vt Lutheri, Caluini &c. contra non paucos volentes proprlis expreſſis nominibus declaratos eſſe debere.

Circa Caput XXIII. De Indulgentiis.

310 DE illis *Quæſt*. 98. §. 25. & *num*. 137. & Religioſos in partibus infidelium illas concedere poſſe, quas Epiſcopi: Viſitantes eorum Eccleſias centum dies Indulgentiæ conſequi affirmat. *num*. 138. Pro quibus omnes illæ, quas in Terra-ſancta fideles conſequuntur, de quo *num*. 139. & ex Fr. Emmanuele *Tomo* 3. *qq. regular. quæſt*. 98. *artic*. 1. & 2. in Noua-Hiſpania viſitantes Eccleſias PP. Prædicatorum Indulgentiam plenariam in Feſtis S. Dominici, S. Thomæ, S. Vincentij, & S. Catharinæ Senenſis, ex Motu proprio Pij V. & confeſſos ac contritos, ſi in Octauis SS. Dominici & Thomæ Euchariſtiam ſumpſerint, ſimiliter Indulgentiam plenariam. Quam conceſſionem extendit ad Eccleſias PP. Minorum, & S. Auguſtini in Noua-Hiſpania. Additque per communicationem idem habere Eccleſias aliorum Ordinum in Feſtis ſuorum Sanctorum, etiam Beatificatorum, vt B. Andreæ Caietani, & B. Andreæ Auellini. Sic enim *numer*. 139. & 140. Indorum priuilegium vt ſine confeſſione, dum Confeſſarij copia deeſt, lucrari Iubilæum poſſint, habet *n*. 141. de quo & Nos *numer*. 233. & 234. Eſſe etiam pro eo die, quo PP. Dominicani iter aggrediuntur ad Indos, & quo perueniunt, aut in itinere decedunt, tradit *numer*. 142. eſſeque Pij IV. cùm tamen ſit Pij V. apud Fr. Emmanuelem *Artic*. 2. quia ex eadem Bulla, de qua *ſuprà Ann*. 1571. & ex eadem ibidem docentes Indos eorum idiomate totieſquoties centum dies. Ac tandem ex Paulo V. eadem quæ ex Pio V. pro Religioſis omnibus, ſed confeſſis, & ſacrâ Communione refectis. Sic *numer*. 144. Nec de Indiis tantùm procedit, ſed de infidelium ac hæreticorum quorumlibet conuerſione. Eamque conſequi Fratres laicos ex P. Pellizario *Tomo* 2. *Tract*. 8. *num*. 200. firmat. *num*. 145.

311 Circa quæ id quod de communicatione aliarum Religionum dicitur pro Indulgentia illâ Nouæ-Hiſpaniæ, eſt tantùm probabile iuxta à Nobis hoc *Titulo num*. 141. & *ſeqq*. Communicationem ſiquidem in Indulgentiis negant multi. Propter quod conceſſio pro PP. Prædicatoribus ad duos alios Ordines fuit extenſa, ſupponentibus eorum Religioſis non extendi, aut valde dubitantibus circa illud. Id quod dicendum potiùs de extenſione ad Prouincias alias Indiarum: pro quo & illud eſt fundamentum, quod à Nobis propoſitum hoc etiam *Titulo Cap*. 5. *Dicto* 4. Cùm autem viſitantibus Eccleſias Indulgentia plenaria concedatur, quid noui habet quòd poſteà illa pro communicantibus aut Miſſam celebrantibus concedatur? Fr. Emmanuel *citat. Artic*. 1. quaſi pro Textu addit, *A fortiori*. Nihil ergo maius additum, ſed maius pro conſecutione Indulgentiæ fundamentum. Quod autem inſuper concedit Pontifex, vt celebrantes, aut facientes celebrare in Feſtis D. Dominici, & D. Thomæ, toties conſequantur per modum Iubilæi eamdem, aliquid magis ſpeciale videtur indicare, cum pro Sanctorum omnium Feſtis non procedat, de quibus priùs. Nec verò quale ſit apparet; nam quod *Toties* dicitur, etiam de aliis Feſtis dictum fuerat, ſicut per modum Iubilæi, quod ad electionem Confeſſarij ſolet vſurpari. Eſt ergo ſpeciale, ſed latens, & Deo ſoli notum, quod eſſe ſatis debet, vt iuxta conceſſionem operantes, ſpecialem ſibi poſſint ſuo reuelandum tempore theſaurum expectare. Fundendæ preces iuxta Pontificis præſcriptum pro augmento Chriſtianæ Religionis, felici ſtatu Sedis Apoſtolicæ, & infidelium conuerſione.

312 Pro euntibus ad Indias duo ſunt priuilegia ſimilia, Pij. V. & Pauli V. ſed ille communionem non petit, quam tamen petit iſte. Et ſi dic inchoandi itineris, aut conſummati, non eſt pro eo commoditas, quid tunc? Priuilegium Pij V. tantùm in eo caſu locum habebit, & Communione ante iter inceptum præmiſſâ, aut conſummato itinere, Pauli conceſſio valebit: neque aliud poteſt de voluntate Pontificum rationabiliter ſuſpicari. Quamquam fortè non deerit, qui pium contrarium ſenſum arbitretur, dum per eum non ſtat, cui facta eſt gratia pro Apoſtolicâ functione.

CIRCA TITVLVM XIII.

De Epiſcopis. Et Cap. 6. num. 65.

Ubi de illitteratorum Ordinatione ob Indicæ linguæ peritiam.

313 TAntam eſſe neceſſitatem poſſe, vt prorſus illitteratus propter linguæ peritiam valeat ordinari, tenent ij, quos adducit *Quæſt*. 276. quibus & aſſentitur ipſe non abſque formidine, & expectandam quidem ait Pontificis diſpenſationem, niſi biennium ferè ſit elapſurum, vt in nauigatione Indica ſolet accidere. Sed certè ſi ratio, quam ipſe & alij adducunt, efficax eſt; quòd ſcilicet multi ſine Viatico & Pœnitentiæ Sacramento morientur, minus ſpatium videtur admittendum: immò nec peritia neceſſaria ob illam, ſed aliqualis notitia. Cùm ſit aliàs ſpes vt ſic Ordinati ex Indorum communicatione maiorem ſint illius notitiam adepturi, ſicut etiam Latinæ, pro quo conſcientiæ ſunt eorum onerandæ. Sine neceſſitate autem Ordinatum, ſi aliàs ſciat Ordinum functiones, miniſtrare poſſe, tenent P. Henriquez, P. Quintanad. Dicacus Perez, & Garcias apud Auctorem: quod negant alij apud ipſum mediâ gradientem viâ, & dicentem quòd ſi omnino illitteratus ſit, ita vt Grammaticam non audierit, eſt omnino irregularis, ſecus ſi aliqualem illius notitiam habeat, pro quo & Auctores adlegat. Certè ſi non poſſit ſine adſtantium offenſione celebrare, ab Altari arcendus, vel iniungendum vt occultè celebret. Quoad Beneficium autem dictum à Nobis aliàs.

CIRCA

Digitized by Google

CIRCA TITVLVM XIV.

De Vicariis Generalibus Epiſcoporum.

314 IN aliquibus Indiarum partibus poſt mortem Epiſcoporum deſignantur auctoritate Apoſtolicâ eorum Vicarij, quia Capitulum non eſt. Sicut & ex eadem auctoritate ab Epiſcopis ante obitum. De his quæſitum an poſſint intra annum vacationis dimiſſorias concedere. Et reſponſum negatiuè à S. Congregatione, vt videri poteſt apud Auctorem *Quæſt.* 274. ſed videtur addenda limitatio iuxta præcedentem deciſionem; videlicet ſi neceſſitas tanta non ſit, vt Parochi deſint & Miniſtri Euangelici, ex quo defectu ingens res Chriſtiana ſit acceptura diſpendium; hic enim eadem ratio videtur militare.

CIRCA TITVLVM XVI.

& *Cap. III.*

Ubi de Confeſſione cum Complice.

315 LIcere illam generaliter loquendo negat *Quæſt.* 162. *Dub.* 5. pro quo & multiplicat probationes, ſecutus Baſilium Poncium *Lib.* 7. *de Matrimonio Cap.* 38. *numer.* 3. vbi tamen id concedit in extremæ neceſſitatis caſu, & vrgente præcepto annuæ Confeſſionis ſine copia alterius, nec poſſibili diſſimulatione illud adimplendi. Adducit tamen *n.* 33. plures id concedentes ceſſante periculo conſenſus. Vult autem quòd ſi ad euitandam infamiam Confeſſio facienda ſit, debet illa dimidiari, tacendo impuros actus, iuges cogitationes de illo, & vix vnico verbo indicando breuiſſimè actus inhoneſtos cum illo habitos: immò neque hos, ſi in eorum recordatione magnum aduertat fore periculum. Quod quidem non videtur quomodo ſtare queat, Confeſſario ſcilicet ſcienti actus inhoneſtos ſecum habitos illos in Confeſſione non aperiri, ſaltem ſub confuſa illa narratione: *Confiteor tibi actus inhoneſtos, quos ſcis, vel ea peccata, quæ tecum patrata.* Niſi adeò doctus ſit, vt has P. Verricelli animaduerſiones habeat vſquequaque perſpectas, & ſciat à muliere dimidiari Confeſſionem poſſe circa idem pariter inſtructam: in quo grauius fortè periculum occurret deprehendenti illam erga ſe vehementer affici, vt nequeat ſine magno periculo commercij cum eo habiti recordari. Et quidem ob periculum in recordatione regulariter loquendo non excuſatur quis à Confeſſione ſimilium, quando Confeſſio non eſt complici facienda: ergo neque quando illi: ſi verò cum propoſito emendationis accedat, quo & poterit ille ad emendationem ſimilem prouocari. Et ſic debet iudicare femina, vnde non erit cauſſa ſcandali in illo, quidquid aliàs malitia in eo fuerit radicatâ.

316 Pergit, & *numer.* 41. quòd ſi dubitet Pœnitens an validæ fuerint Confeſſiones cum complice in carnali crimine factæ, debent repeti ſub mortali, quia in dubio pro ea eſt parte iudicandum, pro qua ſtat præſumptio, iuxta communem doctrinam, pro qua ibi aliquos citat: quod in caſu præſenti contingit, quia communiter in talibus Confeſſionibus mortale peccatum inuenitur. Sed cùm tot ſint Doctores, qui dicunt poſſe ceſſare periculum, non eſt adeò firma prædicta præſumptio, & valde durum eſt peccata huius generis iterùm confiteri, quando & id ſemel facere eſt onus ſatis graue, præſertim reſpectu feminarum. Et non recordatio grauium in hoc lapſuum, argumento eſſe poteſt tales non extitiſſe, cùm ſoleant quæ eiuſmodi ſunt ob ſuam grauitatem in memoriâ conſeruari. Et hoc procedit quando tantùm in confuſo dubitatio occurrit ob multoties accidentia: ſi autem dubitaret de graui in eo peccato an conſenſerit, necnon, & ita an ſacrilega fuerit Confeſſio, id iam non ob doctrinam de præſumptione iudicandum, ſed ex ea, quæ habet peccata dubia mortalia eſſe confitenda, quod iam multi negant, & circa quod non oportet diſtineri.

CIRCA TITVLVM XVI.

& *Cap. IV.*

Ubi de Baptiſmo pro Parochis. Et quædam de Chocolato.

317 QVæſtio 206. ſic procedit. An extra neceſſitatem liceat committere laicis Iaponienſibus vt catechizent, ac Baptiſmi Sacramentum adminiſtrent? Reſpondetur negatiuè: nam ſi id fiat, paratur via ad Eccleſiaſticam Hierarchiam ſubuertendam. Ita reſponderunt Theologi deputati à S. Congregatione de propaganda fide. Sic ibi. Ergo in neceſſitate id licet, nec ſanè magnâ, eorum, quibus committitur, capacitate penſatâ.

318 *Quæſtione* 210. quærit an potione Chocolaticâ poſſit Baptiſmus miniſtrari? de quo & *Quæſt.* 98. *num.* 133. vbi affirmatiuè reſponderat, & probauerat hoc diſcurſu. Nam in tali potione ſex vnciæ aquæ ſunt, & tres ſacchari & aliorum aromatum: à maiori autem quantitate ſumitur denominatio in mixtis, & ita ſimpliciter dici poteſt aqua, ac conſequenter eâdem baptizari. Hunc autem breuem diſcurſum adiunctis aliis locupletauit *Quæſt.* 210. *citata*, in qua non ſex vncias aquæ, & tres ſacchari atque aromatum adhiberi dicit, ſed ex aliorum relatione, quinque aquæ, & duas aliorum. Neque hoc conſtans, cùm & aliter fiat. De quo latè & cordatè Leander *Tomo aut Parte* 3. *Tractatu* 5. *Quæſt.* 5. Quinque deinde caſus diſtinguit. *Primum* cùm aqua valde ſuperat Chocolatum, & nulla fit decoctio. Et tunc certum ait poſſe illo baptizari, ſicut aqua luculenta mixturæ ſimilis, iuxta communem doctrinam. *Secundum*, cùm facta eſt leuis decoctio ad primam ebullitionem. Et tunc ſimiliter, neque iterandum ſub conditione Baptiſmum, ex multorum, quos recenſet, ſententiâ. *Tertium*, quando dubitatur an decoctio ſit magna, an magna vel modica ſpiſſitudo. Et tunc ſicut materiâ dubiâ vtendum, & iterandum ſub conditione, quod omnes ait tenere Doctores,

Digitized by Google

& præſertim P. Laymam. *Quartum*, quando certum eſt maximam fuiſſe decoctionem: & tunc ſi maior fuerit aquæ quantitas immiſſa, & potio ſit liquida, & ita potio vſualis, tenet contra plures idem quod circa caſum præcedentem, fauentibus PP. Leſſio, Coninck, & Caſtropalao. *Quintum*, auctoritate P. Coninck & Palai (& addi poteſt Lezana de iure carnium cum aliis locutus *Tomo* 3. v. *Baptiſmus num.* 11. ſed Leander *Tomo* 1. *Tract.* 2. *Diſput.* 2. *Quæſt.* 9. & 18. contrarium videtur iudicare) idem tenet, etiamſi ob ſpiſſitudinem rationem vſualis potus amiſerit, quia probabiliter credi poteſt eſſe ibi aquam *Quia extrema puerorum neceſſitas cogit extrema quæque tentare*, vt loquitur P. Coninck. *Quæſt.* 66. *Artic.* 4. *n.* 23. Sic ille philoſophatus non improbabiliter, vt putat. Et quidem ſtante probabilitate in iuſculo & cereuiſia craſſis & multùm decoctis, de quibus duo præfati Auctores loquuntur, in potione Chocolaticâ non eſt ſpecialis difficultas, ſicut in qualibet alia ſimili. Et ita idem, & potiori ratione poteſt de *Chica*, familiari Indis poculo ex Maizio confecto, Sydromele, vulgo *Aloja*, & *Guarapo*, de quo in Theſauro, & aliis. Vbi non prætereundem nimis eſſe rigidam Paſqualigi ſententiam, de qua *Deciſ.* 77. negantis poſſe in neceſſitate aquis ex floribus expreſſis vmquam baptizari. Cùm & ipſe admittat fieri poſſe humore ſtillante ex arboribus *Deciſ.* 78. & iure-carnium *Deciſ.* 79. Circa quæ videri etiam poteſt Leander *Quæſt.* 8. 14. & 15. aduerſans Paſqualigo.

319 Et vt de potione dictâ agentes frequentiſſimam de ieiunio quæſtionem curſim attingamus, quam & connectit Auctor *Quæſt.* 98. *cit.* cenſet ille *num.* 132. apud Indos certum eſſe non frangere ieiunium, quia eſt vſualis: & apud Hiſpanos idem aſſerendum, ex multis, quos citat ibidem, ſine reiectione proponit contra Paſqualigum in Praxi ieiunij *Deciſ.* 141. quem mirari iuuat circa hoc ſcrupuloſiùs hæſiſſe, vbi tot ſuffragantur Auctores, ſolitum in ea materiâ ſine ducibus minùs ſecurè procedere. Maiorem difficultatem inuenit *num.* 133. in iis Prouinciis, in quibus non eſt potionis huiuſmodi conſuetudo, neque vt potus vſualis habetur. Et cùm multos negantes adleget, contrarium ſtatuit pro Italia, Germania, & Gallia, eo fundamento, quod pro Baptiſmo ex eodem adductum. Sed certè illud valde dubium eſt, quia ſi decoctio ſit facta non leuis, multi, vt vidimus, negant validam eſſe materiam, & tamen eſt potus, qui eodem modo fieri poteſt apud omnes nationes: non eſt ergo firmum fundamentum illud. Sed circa hoc non eſt cur diutiùs hæreamus, cùm potio iſta adeò generali ſit plauſu vt probabiliter licita iam admiſſa, bonis adſtipulantibus Auctoribus, vt omnino inutile fuerit, & forſitan etiam pernitioſum, ſcrupulum fide bonâ operantibus inieciſſe. Vnde P. Michaël Palain Hieronymianus in *Commentariis ad Euangelia Quadrageſimæ, Dominica* 1. *num.* 58. cùm ita ſcripſiſſet: *Aliqui vt inediam non ſentiant, ſorbitiunlam Chocolatæ ex Indiarum nucibus pingniſſimis, ſaccharo, & ſi placet, ouis conficiunt, autumantque nec frangere ieiunium, & quòd impaſti remanent, ac ante illius ſorbitiunculam. Ieiunium frangit ſecundum Laurentium à Ponte; quia omnia ingredientia (aquam demo) ſunt ſolida eſſentialiter: nec dixeris eſſe liquida, & tranſire in naturam potûs. Experientiâ enim reperi poſt horas ſeparationem rerum fieri, & præter ſaccharum in fundo omnia decidere. Vnde ergo non ſoluitur ieiunium? Mentior ſi hanc ſorbitiunculã non adumbrat, quod dixit Pater Hieronymus ad Nepotianum: Audio præterea quoſdam contra hominum, rerumque naturam, aquam non bibere, nec veſci pane, ſed ſorbitiunculas delicatas, & contrà olera betarumque ſuccum, non calice ſorbere, ſed conchâ. Dicamus Xicarra Hiſpanice. Ita illi pro pane & aqua. At noſtri ieiunatores præter aquam & panem, & delicatiſſimos cibos, illa vtuntur. Idem iudico de Miſculla.* Cùm inquam ita ſcripſiſſet, ſic concludit: *Non audeo tamen damnare contrariam, quam tenuêre Antolinez, Baſilius Poncius, & Cornejo, qui dicunt eſſe potum vſualem & ſic ieiunium non frangere. Videndus Diana 4. p. Tract. 4. Reſol.* 196. Hæc ille. Et eodem modo quæſtionem dirimit P. Tamburinus in *Decalogum Lib.* 4. *Cap.* 5. §. 2. *numer.* 13. Pro quo & Boſſius *Tomo* 3. *Tit.* 21. *numer.* 208.

Circa Titulum XVII. de Parochis Religioſis.

320 DE illis Auctor *Quæſt.* 98. §. 37. & in eo Pontificum conceſſiones pro eo munere congerit. Quærit autem *Primò numer.* 234. an Religioſi non habentes in India Prouincialem, à Generali tamen miſſi, Parochi eſſe poſſint, iuxta prædictas conceſſiones? Et affirmatiuè reſoluit contra Fr. Emmanuelem *Tomo* 1. *qq. regul. quæſt.* 35. *artic.* 1. & 3. Certè vt id fieri poſſit, non tamen expedit, nec practicatum vidimus, niſi temporariâ adminiſtratione in abſentiâ Parochorum, aut eorum adiutorio. Non enim habent Prælatum Regularem, à quo & de vita & de moribus viſitentur, neque expedit à Prælatis aliis de huiuſcemodi viſitari, quod & cautum Regiis legibus.

321 Secundò *numer.* 235. An Capitulum Prouinciale Indiarum poſſit committere Fratribus alterius Prouinciæ curam Parochialem Indorum? Et affirmat contra Fr. Emmanuelem *ſuprà Artic.* 4. P. Sancium *Lib.* 3. *de Matrim. Diſput.* 26. *num.* 4. & P. Pellizarium *Tomo* 2. *Tract.* 8. *num.* 356. quia licet Fratres tales non ſint ſubditi, dum in ſuis Prouinciis ſunt; vbi tamen cum licentia ſuorum Prælatorum in Indias tendant, earum ſunt Prouincialibus ſubiecti, & ita pro eo tempore poſſunt ad Parochiale munus deſtinari. Sic enim verificatur illud, *Vt de Superiorum ſuorum licentia*, quod à Pio V. eſt poſitum. Et eſt illud veroſimile, ſi Religioſi tales linguam Indicam calleant, quod erit rarum in iis, qui reuerſuri contendunt in Indias, nec tam Indorum ſalutem, quàm propria emolumenta credi poſſunt quæſituri.

322 Tertiò *num.* 236. Quis ſit ſenſus verborum illorum Pij V. *In locis aſſignandis*? In quo, quidquid aliàs fuerit, ad praxim pro Indiarum præſenti ſtatu ſtabiliram, & à Dom. Solorzano propoſitam, ſe remittit.

Quartò *numer.* 237. an poſſit vir grauis fieri Parochus linguæ Indicæ ignarus, coadiutore ipſi linguæ perito deſignato? Quod negat, & cum

cum aliis, quos citat, talem deteſtatur abuſum, Regiis etiam reſcriptis improbatum. Vbi & collationem eſſe nullam cum aliis ibidem citatis affirmat.

323 Quintò *numer.* 239. *&* 241. An Rex poſſit inuito Epiſcopo, aut eo irrequiſito, aſſignare Parochos aliquos Religioſos? Et aſſerit cum Fr. Emmanuele *ſuprà Artic.* vbi & Regem eſſe Pontificis delegatum, & ita poſſe etiam Religioſum ex Indiis auocare, de quo *n.* 240.

Sextò *numer.* 242. reuocationem priuilegiorum factam à Pio V. contra Regulares non comprehendere ea, quæ ſunt pro partibus infidelium.

Septimò circa viſitationem Parochorum adducit quæ apud Dom. Solorzanum deprehendit *num.* 243. *& ſeqq.*

Octauò, eſſe verè Parochos, vt apud eumdem *num.* 255,

Nonò, ſemel examinatum debere iterùm examinari in Peruuio. Sic *n.* 256. ex eodem.

324 Decimò, Si Clerici ſæculares ſint, qui benè adminiſtrent, conueniens futurum vt Religioſi Parochias dimittant, ſecus ſi neceſſarij cenſeantur. Statuitque generaliter loquendo meliùs adminiſtrare, cum eodem fere locutus & citatis ab ipſo *num.* 257. *& ſeqq.* & hoc vltimum confirmans ſic arguit *num.* 260. *Tertiò, quia Indi Sacerdotes ſæculares raró inueniuntur pari ſcientiâ prædi ti ac Religioſi; præſertim cùm Indi ſint obtuſi ingenij: Regulares verò Europæi plerumque doctiſſimi.* Sic ille, grauiter in eo lapſus, quod natos in Indiis Indos vocat, cùm Hiſpani ſint Hiſpanis prognati parentibus. Et deinde obtuſi eos ingenij inſimulat, cùm acutiſſimi, & perſpicaciſſimi, omniſque litterarum genere inſtructi, magnâ in copiâ reperiantur. Pro quo legere potuit Dom. Solorzanum *Tomo* 2. *Lib.* 1. *Cap.* 28. *num.* 22. *& ſeqq.* eodem certe Capite, ex quo eum citat, vt quaſi inconſequenter locutum immeritiſſimò reprehendat: ait enim verſ. vltimo ſic: *Miror ergo Solorzanum de Iure Indiarum Tomo* 2. *Lib.* 3. *Cap.* 16. *num.* 68 *aſſerere ſe conſuluiſſe Regi vt Parochiæ ſenſim auferentur è Religioſis, & huiuſmodi Mulatis Preſbyteris traderentur. Miror ſane eum oblitum eorum, quæ de prauis moribus Meſtizorum ſcripſerat Tomo* 2. *Lib.* 1. *Cap.* 28. *Sed meritò prudentiſſimus ac Piiſſimus Rex prauum viri conſilium ſecutus non eſt, vt ipſemet ſcribit, ſed præcepit immotari.* Sic ille.

325 Vbi mirari Nobis potius licet virum aliàs diligentem ex incurioſa lectione aut intelligentia ita grauiter cecidiſſe. Numquã enim Dom. Solorzano in mentem venit vt Parochiæ Indicæ Mulatis & Meſtizis traderentur, quos probè cognitos habebat, & ſuis depinxerat ipſe coloribus: ſed vt darentur Clericis ſæcularibus. *Et ego quoque* (verba illius ſunt. *citat. num.* 68.) *Cum in Limana Cancellaria Auditoris munus exercerem, & illa per Schedulam Ann.* 1618. *rogata eſſet quid ſuper hoc articulo cenſerem, cum omnibus ferè eiuſdem Audientiæ Collegis pro Sacerdotibus ſæcularibus conſului: & Proregis, atque ipſorum Collegarum conſenſu propria manu epiſtolam ad Regium Senatum Indiarum ſcripſi &c.* An hoc eſt Mulatis & Meſtizis dandas cenſuiſſe Doctrinas? An hoc prauum conſilium, quod & Auctor dictus *Aſſert.* 1. *num.* 257. *&* 258. probat, dum P. Acoſtam, & Epiſcopum Paraquarienſem adducit, idem luculentiſſimè comprobantes, & apertas conuenientias oſtendentes? Nec dici poteſt, vt ille ait, ſæpiſſimè eſſe tales, id enim omnino à vero abeſt. Mulatus nullus, Meſtizi perpauci in magna copia Sacerdotum. An ſuperſtes ſit hic Auctor neſcio: ſi tamen fuerit, optandum vt quod hic dictum, ſicut alia, de quibus in fine Operis, ingenuâ recognitione retractet. Sin minùs, hæc noſtra poterunt vtcumque ſufficere, ſi digna fuerint; vt ad communem vſum exprómantur.

326 Vndecimò ex *num.* 265. *& ſeqq.* ea quæ Parochi, cùm ad Monaſterium redeunt, ſecum deferunt, ſtatim fieri Monaſterij, etiam iure communi attento, ſicut & ea, quæ morienti ſuperſunt, quia ſub obedientia viuunt, & in clauſtro degere reputantur, ex conceſſione Clementis VIII. Et quidquid de iure communi ſit, illos non poſſe de ſuperfluis ſuſtentationi diſponere, ſed (iuxta Prælatorum placitum ſic enim intelligendum) diſpenſanda in Monaſteriorum commodum, iuxta Regias ſchedulas: quæ ex Dom. Solorzano habet *num.* 271. Si autem in Ciuitate aut Prouincia, in qua moratur Religioſus Doctrinarius, nullum ſit Monaſterium, neque eiuſdem Ordinis Religioſus: tunc ait quòd in vita poterit expendere pro libito in vſus pios, neque requiritur licentia Superioris Regularis. Stipendia verò remanentia poſt mortem ſpectabunt ad Eccleſiam beneficialem, ſi nullus alius Religioſus eiuſdem Ordinis in ea Prouincia ſit. Vbi rogo, ſi Religioſus talis ſit, cur ei tradenda ſtipendia, & non Eccleſiæ? An vt ipſe, ſi eget, ſuſtentetur? Bene quidem, ſed ſi non egeat? Erit quidem vt Monaſterio, à quo ille egreſſus, aut alteri, iuxta diſpenſationem Prouincialis, conferatur. Vt enim probat Dom. Solorzanus, magnis annuentibus viris, relicta à Religioſis non poſſunt vt ſpolia colligi, ſicut Epiſcopalia &c. quia Monaſterio acquirunt, vbicumque ſint, etiam Apoſtatæ, vt videri poteſt *citat. Lib.* 3. *Cap.* 1. *num.* 101. *& ſeqq.* Iuxta hæc ergo videtur in caſu prædicto procedendum, niſi de Prælatorum voluntate aliter præſumatur.

327 *Dubio* 31, *ibidem* latè oſtendit donationem è Beneficiario factam ipſo mortis die, eſſe validam, ſi animus fuit donandi inter viuos; & regulam Cancellariæ habentem donationem factam intra viginti dies ante mortem eſſe nullam, fundari in præſumptione fraudis, & ita in conſcientia non obligare. Videatur ille, multa enim vtilia congerit de legibus huiuſmodi.

328 *Dubio* 32. inquirit an Parochi dicti poſſint matrimonio iungere non incolas & vagos? Et de vagis affirmat, ſed Epiſcopum conſulendum, contra aliquos probabiliter loquentes, & circa hoc conſuetudinem attendendam. Itẽ, tranſeuntes, qui in patria carent Parocho, & poſſunt ſine illo contrahere, adhibitis tantùm duobus teſtibus: etſi ibidem non ſit Concilium publicatum, valide contrahere ſine illis, ſed non licitè. Apud Indos certè non ſit publicatio Tridentini ſub iis terminis, ſed prohibitio Eccleſiæ eiſdem intimatur: quæ ſi defuerit, iuri eorum proprio non repugnanti naturæ contractûs ſtandum: expediet autem matrimonium reualidari, in quo erit difficultas nulla. Adeſſe Parochum

tunc cenſeri, quando adeſt Religioſus, qui ex priuilegio poteſt Parochialia exercere, & ſine eo inualidè contrahi generaliter ſtatuit: & inualidè etiam ignorantem, quando maior fidelium pars ſcit eſſe Parochum, quia lex ligat ignorantes. Quæ doctrina circa Indos videtur fallere ob eorum ordinariam inſcitiam & hebetudinem. Et proprium habentes Parochum non poſſe ad locum tranſire, in quo Parochus non eſt, vt ibi contrahant, declaratum à Sacra Congregatione. Indos etiam habentes proprium Parochum, abſentem tamen, non poſſe matrimonio iungi ab eo, qui illas tranſit, Parocho loci alterius eiſdem aſſignati, concludit cum Veracruce, P. Sancio, & P. Pellizario.

329 *Quæſt.* 227. probat Parochos in Indiis, ſicut Euangelicos Miniſtros, non petitis, ſed voluntariis tantùm eleëmoſynis & oblationibus viuere ex obligatione conſtringi. Sed aliud ſatis prouidè Regiis eſt diſpoſitionibus conſtitutum: licet firmum ſtare debeat oblationes non ſpontaneas penitus relegandas, de quo à Nobis dictum.

Circa Appendicem *num.* 20. adducit Bullam Pauli V. de qua ibi, vt quæ viro habeat etiam modò. *Quæſt.* 98. *num.* 111.

Circa Titulum XIX. & Cap. VI.

Ubi de poteſtate Capituli circa diſpenſationes cum illegitimis.

330 ID quod à Nobis ibi dictum, probat *Quæſt.* 98. §. 14. Pij V. & Greg. XIII. Bullis adductis. & de Capitulo præſertim loquitur *numer.* 67. Et concludit omnia, quæ circa diſpenſationes poſſunt Epiſcopi, etiam poſſe Capitulum.

Eodem §. quia de diſpenſatione eſt, hæc haber. *Primò* Regulares poſſe diſpenſare cum iis, qui excommunicati receperunt Ordines, aut celebrarunt, Ex Innocentio IV. *Secundò* idem poſſe cum malè promotis, *dummodo ſeruata talis forma extiterit, per quam Ordines receperint.* Quod perinde eſt ac dicere nihil ex ſubſtantialibus omiſſum. *Tertiò* idem poſſe circa alias irregularitates, in quibus ſolent Legati Sedis Apoſtolicæ diſpenſare. Et etiam in defectum talium, dummodò non ſit ex adulterio, inceſtu, aut Regularium turpitudine. *Ex eodem, ſicut & præcedens.* Quartò, cum Schiſmaticis & Apoſtatis à Religione, vel Clericali Ordine. *Ex eodem.* Et de Apoſtatis à Religione agit etiam §. 4. *& n.* 17. obſeruat tales ſic ſponte venientes & abſolutos non eſſe puniendos, alioqui nullus fauor iis concederetur. Addit ex Clemente VIII. *num.* 18. & 19. alia circa eoſdem, qui circa omnia diſpenſari poſſunt, & ſecluſo ſcandalo celebrare, & Sacramenta, ſi in eo animarum comperiatur vtilitas, miniſtrare, & per tempus aliquod in habitu reaſſumpto ſuæ Religionis extra Monaſterium degere. Locum conceſſionis non indicat, ſed eſt in Bulla pro PP. Diſcalceatis Carmelitanis *numer.* 16. Addit tandem *num.* 20. proficiſcentem ad partes infidelium ſine licentia Generalis apoſtaſiæ notam ipſo iure incurrere. Ex eodem *num.* 19. Sed cùm hoc non ſit priuilegium, ſed pœna, ad Patres prædictos arctandum. Addere etiam poterat non ad omnes illos, ſed ad ſolos Italicæ Congregationis extendi. Et licentiam ſufficere Commiſſarij eiuſdem, de quo *num. citat.* Cenſet ergo Auctor in fauorabilibus eſſe communicationem: quod & Nos *ſuprà.* Vt cum eodem pariter concludamus.

F I N I S.

INDEX

Digitized by Google

INDEX ADDITIONVM AD TOMVM POSTERIOREM THESAVRI INDICI.

Numeri marginales hic tantum indicantur.

A

Abſolutio.

AB hæreſi vt liceat pro perpetuò impeditis. 27. & ſeqq. & 291. *vbi obſeruatione digna.*
Pro Regularibus. 125. & 290

Academia.

An gradus per ſufficientiam dari queant, in eo diſpenſando. 143. & 144
An gradum Magiſterij ſine illa recipere ſit mortale. 144

Actus.

Quando imperfectus qualiter excuſet à pœnis. 204 *& ſeqq.*

Angelus, Maria Verricelli.

Auctarium Additionum pro eodem, quia de Indicis Miſſionibus ex profeſſo egit. 254. & ſeqq.

Annus.

In Bullis pro Indijs quomodo computandi. 1. & 2

Apoſtatæ.

Quid circa illos liceat ex conceſſione Pontificia. 300

B

Baptiſmus.

Vide v. Sacramentum.

Benedictio.

Ornamentorum & vaſorum ex priuilegio. 24. 283 & 284

Beneficiatus.

Ad ornatum Eccleſiæ tenetur. 106
De redditibus reſpondentibus miniſterijs, pro obligatione reſtitutionis. 115

Bulla Cœnæ.

Excommunicatio pro venditione armorum quando incurratur. 309
Vide v. Hæreſis, & v. Inquiſitio.

Bullæ pro Indiis.

Vide v. Annus.

Bulla Pij V.

Pro Mendicantibus vt reuocata. 51

C

Chocolata.

AN frangat ieiunium Eccleſiaſticum. 319

Confeſſarius.

An pro eo vnica ſufficiat approbatio. 121
Pro nauigantibus ſpecialia. 294. & 295

Confeſſio.

Cum complice an liceat. 315. & 316. *vbi ſpecialia.*

Confirmatio Sacramentum.

Quando adminiſtrandum in Nouo orbe. 262
An Epiſcopus validè poſſit conſecrare olea benedictione à ſe compoſita. 263. & 264
An confirmare Oleo Catechumenorum aut infirmorum. Ibidem.
Balſamum an materia neceſſaria. Ibid.
Quæ balſami quantitas ſufficiat. 265
Subſidente balſamo, an cum eo ſit valida confirmatio, & quid de ſolo oleo. Ibid
Balſamum Indicum an propriè tale, & an Pontifex in eo diſpenſarit. Ibid
Minor Miniſtrorum numerus in neceſſitate ſufficit. Ibid
Illius adminiſtratio an ſimplici Sacerdoti committi poſſit, ſitque id vtile in Iaponiâ, & ſimilibus. 266
Ex vi iuris diuini an Epiſcopus poſſit adminiſtrationem talem committere, & quid de Græcis. 267
Non licere ex conceſſione id non exprimente Adriani VI. & Vrbani VIII. 268
An ſi liceret, poſſet ad Indias Orientales extendi Adriani conceſſio. Ibid

Correctio fraterna.

Non obligat in publicis delictis, nec ob illius defectum poteſt repelli denuntiator. 105

Conſtitutio.

Quæ dicatur odioſa. 3. *vbi an Religioſi veniant nomine Clericorum, cùm vitandi dicuntur illorum percuſſores.*

Conſuetudo.

Qui conſenſus Principis neceſſarius vt vim habeat. 15

D

Decimæ.

DE obligatione pauperum circa illas. 66. & *de vno fœtu ſecundum æſtimationem.* Ibid

Diſpenſatio.

Ignorata an ſuffragetur pro valore actus. 88
Circa votum Caſtitatis quæ cauſſæ ſufficiant, & quid pro Indijs. 67. & 308
Circa petitionem debiti extare priuilegium Religioſorum. 68
Circa bigamiam. 136
Multa & ſpecialia circa illam pro Religioſis in Indijs ex Verricelli. 330
Vide verb. Irregularitas.

Donatio.

Facta ipſo mortis die à Beneficiario valida. 327

E Eccleſia,

E

Eccleſia.

A Quo reconciliari poſſit. 25

Eccleſiaſtici.

Clerici ludorum prohibitorum ſpectatores excommunicati per Bullam Pij V. 105

De cohabitatione fœminarum, & occaſione proximæ. 116.

Epiſcopus.

Breue Alexandri VII. circa conſecrationem, & poſſeſſionem ſine Litteris Apoſtolicis. 70

Notanda circa ipſum. 71. & 72

Ex apprehenſione poſſeſſionis cenſuræ incurſæ. 73 & ſeqq.

Non poſſe allegari defectum præſumptionis, quia hæc datur cùm quis contra legem ſcienter operatur. 75

Pœnæ conſecrantis & conſecrati. 76. & ſeqq. vbi quid ſuſpenſio, quæ eſt cenſura. 84. Et irregularitas ob violationem. Ibid.

Sacræ Congregationis Decretum validam quoad impreſſionem Characteris conſecrationem ſtatuentis, vt ſtare queat tamquàm omnino certum, cùm generà dubia ſit. 85. & ſeqq. vbi quòd Epiſcopatus iuxta plures non ſit Ordo Sacramentalis.

Pius IV. opinione probabili vſus circa conſecrationem ſine tribus Epiſcopis. 87

Diſpenſatio eiuſdem ignorata quomodo ad effectum conferre poſſit. 88

Quæ coniectura voluntatis Pontificiæ iuuare pro talibus queat, & quòd ſine illa ſtat valor iuxta ipſius mentem. 89. & 90

Circa Decretum dictum depulſa malefacta narratiunculæ. 91. & ſeqq.

Stante valore conſecrationis non ideò valida ſunt omnia, quæ ex Characteris poſitione dependent. 94 vbi illa recenſentur.

Communem errorem non ſuffragari intruſis, vt verum. 95. & 96.

Quid ſi non præſtetur iuramentum fidelitatis & obedientiæ. 99. & ſeqq

Dubia excommunicatio ingreſſum impedit, ſicut & in alias dignitates. 102

Quàm vrgens viſitandi obligatio. 103

Non peccare contra iuſtitiam profanè expendentes. 104

Ad pauperes diœceſanos præcipuè teneri. Ibid.

Vbi & præclarum S. Thomæ Villa-nouæ exemplum.

Error.

An ſuffragetur intruſis, ſi communis. 95. & 96

Euchariſtia.

Communio Paſchalis apud Religioſos an liceat. 18

De Communione Indorum, & qualis generaliter capacitas ad illam ſatis. 269

De habentibus lucida interualla, & nonnullis alijs. 270

De illius geſtatione ad collum. 288

Excommunicatio.

Pueri quando illi ſubiaceant. 69

Dubia impedit ingreſſum in Eccleſiæ dignitates.

Reſeruata, quæ in Bullâ ſi de protegendis. 226 & ſeqq.

Quomodo redeat, cùm data abſolutio ad aliquem effectum. 241. & ſeqq.

Quomodo illam incurrant fautores Hæreticorum. 211 & 212.

Extrema vnctio.

A Religioſis an poſſit hoſpitibus conferri. 49

Oleo non benedicto ab Epiſcopo an liceat. 123

Quomodo ſuppleri defectus in adminiſtratione. 124

F

Familiares quinam dicantur vide v. Inquiſitio, vbi & de Familiaribus Miniſtris.

G

QVæ dicantur Gloſſæ Aurelianenſes. 62

H

Hiſpania.

REgum illius reſcripta pro Indijs quomodo habeant vim aſi à Pontifice emanaſſent. 285 & 286

I.

Indi.

AN excommunicationi ſubiaceant. 69

Indiæ.

An veniant regnorum Hiſpaniæ nomine. 13

Vide v. Priuilegium.

Indulgentia.

Religioſos in partibus infidelium eas poſſe concedere, quas Epiſcopi. 310

Quæ pro viſitantibus eorum Eccleſias, ac nonnullis alijs. 311

Pro tendentibus ad Indias. 312

Inquiſitio, Inquiſitores.

Eorum poteſtas etiam pro foro interno: contra quod tenent alij. 28. & 29

Aliquam ſemper formam iudicialem iuxta eoſdem requiri. 30. quod ibidem alij negant, vbi ſpecialiter de Hiſpanis.

An abſoluere valeant Epiſcopi ab hæreſi, & id alijs committere. 33

Abſolutionis quomodo capax excommunicatus. 34

Beneficio Cruciatæ an valeat abſolutio ab hæreſi. 36. 42. & ſeqq. vbi ſpecialia.

Quid per Religioſorum priuilegia. 45. & ſeqq.

Quid illi pro caſibus Bullæ Cœnæ. 48

Munera vt prohibita S. Inquiſitionis Miniſtris. 137

DD. Inquiſitores an queant Confeſſarium eligere non approbatum. Ibid.

De illorum iniurijs, ac ipſorum Miniſtris, quando non intuitu Officij. 140

Miniſtri puniri à S. Tribunali poſſunt. 141

Quomodo ij exempti in ciuilibus. 142. & 156

Qui gaudeant eius foro in criminalibus, & in quibus criminibus. Vbi de Sodomitis. 145

De crimine læſæ Maieſtatis. 146

Non eſſe tale circa Regios Conſiliarios. 147

Quid ſi rei ſint Eccleſiaſtici, & an neceſſariò tradendi Curiæ ſæculari. 148. & 149

An degradandi. 150

Concordia nouior an cum antiquiore circa excepta crimina componenda? 151

Pro illis diſcurſus vt non excepta conſtet. 152. & ſeqq.

Specia-

Digitized by Google

Specialis caſus, pro quo inſtituta tractatio. 157
Familiares, qui ſcilicet de familiâ, gaudent foro Inquiſitionis, maximè ſerui. 158. & 164
Debent eorum expenſis ſuſtentari. Ibid
Ex Nigris arma geſtantibus argumentum. 159
Ex diſpoſitione aliâ Concordiæ circa bona, in quibus DD. Inquiſitores ſuccedunt, aliud. 160
Eorum juriſdictio circa familiares à Rege, ex quo & tertium argumentum. 161. *De quo &* 173. *vbi quod id ſit dubium.*
Exemptio eſt contra ius, vnde ſtrictè interpretanda, ex quo & arguitur. 162
Supremum S. I. Conſilium valde in huiuſmodi circumſpectum: ex quo & ratio pro caſu. 163
Seruientes non diuturni an gaudeant priuilegio. 164
Fit ſatis argumento ex ſuſtentatione, & dari id, cùm S. Tribunali competit adminiſtratio. Ibid. & 165 *vbi ratione beneficÿ arguitur.*
Quia fauorabile ampliandum. 166
Nomen familiarium extendendum fauore S. Tribunalis, quia eſt fauor fidei. 168
Etiamſi contra ius commune. 175
Ex identitate rationis validum argumentum in propoſito. 167
Pro voluntate Regiâ, & ſupremi Conſilÿ valida coniectura. 169
Ratione pietatis ſtare extenſionem. 170
Stat familiaris priuilegio gaudere aliquem ſine ſuſtentatione, pro quâ varia exempla. 171
A maioritate rationis non valet illatio. 172
Quando eſt cauſſa ſanguinis, non committendam laico ab Eccleſiaſtico, ex Iure habetur, & id ſecurius in caſu, de quo agitur. 177. & 178
Sed non penitus neceſſarium. 179.
Ex praxi S. Tribunalis à Supremo diſpoſita argumentum. 180. & 181
Specialis difficultas circa illam, eò quòd non extet priuilegium pro eo, ſicut in cauſſis fidei. 182
Ex eo quòd non ſit proxima cooperatio ad mortem, vt philoſophentur quidam. Ibid.
Priuilegium in cauſſis aliÿs ad tollendos ſcrupulos conceſſum. 183
Non videri neceſſarium vt rei capitaliter Curiæ ſæculari tradantur, exemplo Sodomitarum & Lamiarum. 184
Conſtitutio Gregorÿ XV. de maleficis homicidium perpetrantibus non videri contraria. 185
Poſſunt DD. Inquiſitores ad torturam procedere, etiam ſine ſpeciali priuilegio. 186
Et in homicidio aleuoſo: quod quale ſit explicatur. 187 & 188
In dubio circa iuriſdictionem generaliter loquendo, poſſunt cognoſcere, vbi de ſortilegio & blaſphemia. Ibid.
Etiamſi non ſapiant hæreſim. Ibid
Crimen læſæ Maieſtatis non exceptum iuxta aliquos, ſicut nec aleuoſa rebellio. 188
Specialis caſus contra Bullam Pÿ V. ſi de protegendis. 187
Bulla alia contra impedientes, & Decretales. 190 & ſeqq.
Impedientes in cauſſis etiam ad fidem non ſpectantibus comprehenſi. 190. & ſeqq.
Bullam Pÿ V. non agere tantum de impedientibus in in cauſſâ hæreſis. 196. & ſeqq.
Perterrefacientes comprehenſi. 203
Imperfectio actus non excuſat ad incurſionem pœnarum Bullæ, quidquid de aliÿs ſit iuxta communem doctrinam. 204. & ſeqq.
Circa excommunicationem non eſt arbitrio locus, ſecus circa pœnas alias. 207
Ex eo quod prætendatur impediendi conatum non fuiſſe ex contemptu aut odio S. Officÿ, non vitari pœnas Bullæ. 208. & ſeqq.
Fautores hæreticorum non incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ, niſi ſint eorum vt talium, quæ aliquorum eſt ſententia, vt poſſit ſuſtineri. 211 & 212
Peculiaris diuerſitas in Bullâ Cœnæ, & Pÿ V. quoad pœnas. 213
Quomodo probationes in contrarium admittantur. 217 & 218
Pro praxi notandum. 219
Pœnæ poſſunt à S. Tribunali moderari. 220. & ſeqq.
Circa priuationem Beneficiorum ſpecialis difficultati occurſum. 223
Obſeruatio peculiaris de non impoſito præcepto circa inflictionem pœnarum. 224
Nobilitas non excuſat à pœnis. 225
Temperari poſſe probabile. 226
Quòd reus Familiaris ſit aggrauat, & aliquomodo delictum extenuat. 227
Iuuat pro moderatione ampla cognatio. 228
Quòd iniuſta captura indicetur, aggrauat exceſſum, ob DD. Inquiſitorum probitatem & maturitatem, & qualiter extenuet. 229
Ex circumſtantiarum concurſu rectè adhibita moderatio. 230
Item ex actu non prorſus completo. 231
Sine citatione an potuerint rei ſtatim excommunicati denuntiari. 233. & 234
Miniſtri capturæ, cùm non ſunt perſonæ viles, poſſunt eſſe teſtes. 235
Aliquando acceleratione vtendum, ſtylo ordinario relicto. Ibid
Abſolutionem excommunicationis Bullæ dictæ eſſe reſeruatam Pontifici, quidquid nonnulli dicant. 236. & ſeqq.
Poteſtatem à DD. Inquiſitoribus impendi. 240. & ſeqq.
Datâ ad effectum comparendi &c. quomodo redeat. 241 & ſeqq. *vbi notanda doctrina.*
Captus reſiſtens an Bullæ pœnas incurrat. 246. & ſeqq.
Perterrefactio verbalis ſufficit. 249. & 250
Quid ſi comminationes præceſſerant. 251. & 252
Quid de mancipÿs cooperantibus, & de ſatellitibus, cùm notanda proipſis & famulis doctrina. 253

Irregularis.

An validè abſoluat, ſicut & ſuſpenſus. 97. & 98
Negatur cùm ſuſpenſio eſt cum notorio vitio intruſionis, aut ſimili. 100
Irregularis an reſignari poſſit? 135
Ob defectum natalium vt diſpenſabilis. 136

Dom. Ioan. Solorzanus.

Cum laude propugnatus. 286

L

L*æſæ Maieſtatis crimen, vide* v. Inquiſitio, *ad num.* 146. 147. & 188.

Digitized by Google

M

Matrimonium.

QVid circa illud, cùm apud Indos conuertuntur qui plures habent uxores. 52. & ſeqq. & 303
Pontifex an diſpenſare queat in matrimonio infidelium quando coniux vterque conuertitur. 53
Vno coniuge conuerſo an alius poſſit ad nouas nuptias tranſire, etiamſi alter cohabitare velit: 54. & 55 302 & 304
Præceptum D. Pauli circa hoc luculenter explicatum. 57 & ſeqq.
Non eſſe tantum Conſilium. 65
Cum hæreticis poſſe in gradibus ab Eccleſia prohibitis diſpenſari per priuilegium Pauli III. conceſſum Societati IESV, excepto primo: in quo infideles alij, qui contraxerunt, non ſeparandi, ſi tranſuerſalis. 300
Pro tertio & quarto non eſt neceſſaria diſpenſatio, contra Verricelli. 301
Per interpretem vt valeat. 305
An cùm Indorum Gubernator explicat præſentium contrahentium voluntatem. 306
Sine aſſiſtentia Parochi quando valeat. 307

Miſſa.

De priuilegijs Religioſorum pro cameris ſæcularium. 19
De tempore celebrationis. 21
Particulæ an ſumi poſt ablutionem poſſint. 22
An in ſacriſtiâ. 23
Duæ Miſſæ vt liceant eodem die. 26
Circa ſtipendium doctrina multiplex. 108. & ſeqq.
Quid de reſtitutione accepti ex opinione olim probabili. 111. & 112. cum doctrina utili, & modo conuenienti pro ſatisfactione.
De obligatione circa Rubricas. 118
Quædam circa horam ex priuilegijs. 271
Item circa locum. 272
Sacerdos ſæcularis quando duas dicere poſſit. 273
In altari portatili vbicumque Religioſi. Prædicatores & Minores ex priuilegio non reuocato à Tridentino. 274
In Oratorijs ſæcularium etiam contradicente Epiſcopo. 275.
An plures in illis dici poſſint Miſſæ. Ibid
Et Euchariſtia miniſtrari. Sed vitanda turba. 276
In grangijs: quarum Oratoria gaudent priuilegio immunitatis, quidquid Epiſcopi renuant. 277
Altari viatico vti poſſe etiam diebus ferialibus, cum rationabili quacumque cauſſa extra neceſſitatem. 278
Epiſcopum licentiam poſſe concedere, ſed pro ſpecialibus caſibus. 279
Et ſacerdotem itinerantem, quotidie. 280. vbi quid cùm plures itinerantes.
Quid in mari. 287

N

Nobilitas.

A Pœnis an excuſet? 225. & 226

O

Officium diuinum.

OMiſſionem cuiuſque Horæ eſſe peccatum mortale. 134

Ordo.

Epiſcopatus an Ordo, & quomodo. 86
Illitteratus an ob neceſſitatem ordinari poſſit, & qui iam ordinatus, an miniſtrare. 313

P

DImiſſo officio an maneat approbatus pro Confeſſionibus. 14
Quæ pro illis audiendis obligatio. 115
An eſſe Vicarij generales poſſint. 105
An Viſitatores. Ibid
Quæ obligatio ad Miſſam, & illius pro Parœcianis applicationem. 106
An recipere ſtipendium poſſint pro Miſſis obligationis.

Parochi Religioſi.

Parochi Religioſi an abſolui à reſeruatis poſſint. 119
Quid circa votum paupertatis. Ibid
Non habentes in Indijs Prouincialem an Parochi eſſe poſſint. 320
Quid poſſit circa hoc Capitulum Prouinciale. 321
De ſenſu verborum Pij V. In locis aſſignatis, & aſſignandis. 322
An Rex Catholicus inuito Epiſcopo poſſit Parochum deſtinare vt Delegatus Pontificis. 323
Alia quæ ex D. Solorzano P. Verricelli. Ibid
Amouendos ſi ſæculares idonei ad Parochias ſint. 324
Verricelli lapſus, & in Dom. Solorzanum aperta calumnia. Ibid. & 325
De bonis, quæ ſecum afferunt, cùm ad Monaſteria redeunt. 326. vbi quædam alia circa Parochorum emolumenta.
Abuſus deſignandi virum graue in Indica lingua ignarum dato ſocio illius perito damnatus. 322
Quid circa non Parochianos poſſint. 328
Quid de locis, in quibus non eſt Tridentinum publicatum, & non cenſeri deeſſe Parochum, vbi Religioſus adeſt. Ibid
An circa hoc ſuffragetur Indis ignorantia. Ibid
Proprium habentes Parochum non poſſe vt contrahant eò ſe conferre vbi non eſt. Ibid
Et tranſeuntem Parochum per locum, vbi deeſt, quia abſens, non poſſe iungere coniugandos. Ibid
An debeant ex eleemoſynis tantùm ſuſtentari. 329

Pœna.

Ante ſententiam non incurri. 8
Pro actu merè interno nulla ex Iure poſitiuo. 137
Temperanda ob diuturnam carceris moleſtiam. 139
Non extenditur etiam ex maioritate rationis. 172

Præbendarius.

Vide verb. Reſidentia, ſubrogatus, & ſuperflua.

Prælatus.

An abſolui poſſit ab ijs, à quibus ille alios poteſt abſoluere. 138
Vide v. Abſolutio, & v. Regulares.

Præſumptio.

Datur cùm ſcienter contra legem agitur. 75

Priuilegium.

Communicatio in illis Fratrum B. Ioannis Dei. 8
An extendatur ob identitatem rationis. 9
Moniales vt gaudeant ijs, quæ virorum ſunt. 10
An ſit communicatio circa Indulgentias. 11
An circa Feſta. 12
Indulta an limitentur limitatione & reuocatione S. Congregationis de propaganda fide pro Miſſionarijs. 255
Quæ ab illa conceſſa, ſed non expreſſè pro Indijs, an communia. 256

An

Digitized by Google

An fruantur illis non miſſi à Prælatis. 275
Quæ conceſſa cum dependentia communicationis à Prælatis, an cum eadem debeant communicantibus conuenire. 258
Capitulum generale aut Prouinciale an poſſit priuilegijs renuntiare. 259
Priuilegium Pij V. pro Baptiſmo in Monaſterijs an vim habeat, & quid pro filijs Hiſpanorum. 260
Indica non eſſe à Tridentino, Pio IV. & V. reuocata. 313
Priuilegium Leonis X. pro Miſſionarijs Indicis an perpetuum. 261. & 268

Q

Qvantitas balſami pro Confirmationis Sacramento requiſita. 265

R

Religioſus.

An Cenſuris compelli ab Epiſcopis poſſint in ijs, in quibus ſubſunt. 20
Si domus diues, an exigere aliquid à profeſſuris queant. 120
An cum limitatione approbari poſſint. 121
Vide v. Parochi Religioſi.
Pro approbatione ad prædicandum an examen neceſſarium. 122

Reſidentia.

In Præbendarijs quæ obligatio circa illam. 126
Quæ abſentia noceat, aut non obſtet pro lucrandis diſtributionibus. 133. & 134

S

Sacramentum.

Qva poteſtas Eccleſiæ circa materias & formas Sacramentorum. 16
Quæ circa balſamum Indicum. 17
Solius Baptiſmi & Euchariſtiæ materiam, Chriſtum determinaſſe, ex Moderno ſcriptore. 263
Sacramenti Baptiſmi adminiſtratio an committi laico poſſit extra neceſſitatem. 317
An potione Chocolatica conferri poſſit. 318. *vbi notatu digna circa materiam dubiam.*

Sepultura.

An ſæcularibus apud Religioſos morientibus tribui ab illis queat. 49. & 50

Simonia.

Vt contingat cùm datur aliquid ex gratitudine, ſed cum pacto. 135
An obliget. 136

Societas Iesv.

Circa Bullam Innocentij X. pro gubernatione, quomodo triennium computandum. 4
De ſubita Superiorum vacatione. 5
De paucitate dierum in delegatâ gubernatione. 6
Interualla breuiora vt compleant. 7
Pœnæ contentæ in illâ non incurruntur ante ſententiam. 8

Stylus Curiæ.

An obliget. 136

Subrogatus.

Subrogatis Præbendariorum quæ competant. 127

Superflua.

De obligatione erogandi illa pauperibus, quando tota præbenda eſt in diſtributionibus conſtituta. 128 *& ſeqq.*

T

Tabachus.

Nonnulla pro ipſo ex diuerſis Auctoribus. 117

Templum.

Vide Eccleſia.

V

Vicarius Generalis.

Qvalis illius juriſdictio, ordinaria, an delegata? 105
De extraordinarijs pro partibus Indiarum. 314
An Theologi præferendi. 135

Viſitator Eccleſiaſticus.

Quid in illis circa acceptionem munerum, & eorumdem reſtitutionem. 106
Vide v. Parochus.

Votum.

Vide v. Diſpenſatio.

Adde ex Angelo Boſſio *Parte* 1. *Titul.* 1. *num.* 1270. & 1271. in voto caſtitatis & religionis poſſe diſpenſare Epiſcopum ratione neceſſitatis, & difficilis aditûs ad Pontificem. Quod & de Parochis affirmat, ſi vrgentiſſima ſit neceſſitas. 1283.

Et ex Leandro de SS. Sacramento *Tomo* 2. *Tractat.* 9. *Diſputat.* 23. §. 5. *Quæſt.* 2. & *Tomo* 3. *Tractat.* 5. *Diſputat.* 2. *Quæſt.* 139. eum, qui vouit caſtitatem, nec tamen ſe continere poteſt, morali inquam impotentiâ, non obligari voto, & ita liberum eſſe ab eo vinculo ante obtentam diſpenſationem.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google